Opera medica / [Richard Morton].

Contributors

Morton, Richard, 1637-1698.
Lister, Martin, 1638?-1712. Sex exercitationes medicinales de quibusdam morbis chronicis.
Harris, Walter, 1647-1732. De morbis acutis infantum.
Cole, William, 1635-1716. Novae hypotheseos ad explicanda febrium intermittentium symptomat.
Sydenham, Thomas, 1624-1689. Processus integri in morbis ferè omnibus curandis.

Publication/Creation

Venetiis : H. Savioni, 1733.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/q4dnfxnr

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org





A. xxx Mor

37727/B

RICHARDI MORTON

M. D. ET REG. COLLEGII
Med. Lond. Soc. Atque Censoris

OPERA MEDICA.

EDITIO NOVISSIMA,

IN QUA PRÆTER TRACTATUS VARIOS, Prioribus subjunctos, alii tursùs ad majorem Illustrationem, & utilius AUGMENTUM adjiciuntur, quorum enumeratio, at explicatio in subsequenti pagina continentur.

Cum ELENCHIS RERUM, & INDICIBUS Necessariis.

Dicata Excellentissimo Domino

ISIDORO TRESANA

MEDICO VERONENSI CELEBERRIMO.



VENETIIS, MDCCXXXIII.
APUD HYERONIMUM SAVIONI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

RICHARDI MORTON

Med. Doct. & Reg. Colleg. Medicor. Londin. Socij,

PHTHISIOLOGIA

SIVE

TRACTATUS

DE

PHTHISI,

In III. LIBROS comprehenſus

TOTUMQUE OPUS VARIIS

HISTORIIS Illuſtratum,

MORTON

PHTHISIOLOGIA

SIVE

TRACTATUS

DE

PHTHISI,

In tres Libros comprehensus

TOTIUSQUE OPUS VARIIS

Historiis illustratus.

Illustrissime Domine.



Quod tamdiu precatus sum, ardentique prosequutus animo, ut videlicet quod sit meum erga te obsequium, quæque reverentia, tibi significare valerem, id tandem, Illustrissime Domine, (etsi desiderium meum non omni ex parte ex-

pleatur) me esse consecutum optime sentio, & mihi metipsi summopere gaudeo. Cum enim venerit in mentem mihi RICHARDI MORTON viri medica facultate adeo insignis opera, cedro equidem Phœboque Digna typis committere, cumque diu, attentaque mente cogitassem, qui esset tantus vir, cujus potissimum auctoritati ea demandarem, atque dicarem, tu mihi præter cœteros visus es aptissimus, atque meritissimus; & propter beneficia pene innumerabilia in me collata, & propter nomen amplissimum, quod tua virtute, tuaque diligentia es adeptus? Nam si quantum mihi omni tempore prodfuisti, quantumque gratiæ ac favoris in me contulisti æqua lance ponderemus, nonne esset hominis prorsus immemoris, & ab urbanitate omni ne dicam ab humanitate abhorrentis, cum viro præstantissimo de se benemerito, pari modo prodesse, beneficiisque beneficia compensare nequeat, animum saltem gratum, cum & debeat, & possit, nequidem patefacere? Sin vero consideremus quam magnam, præclaramque existimationem, ac gloriam penitus sempiternam tibi, tuisque, ingenii acie, ac mentis subtilitate comparasti, nullus mehercle inveniri poterat & dignior & notior, sub cujus auspiciis hæc in lucem prodirent. Cum enim studiis, litterisque excolendis, quæ ab humanitate nomen suum ducunt, totam ferme consumpseris adolescentiam, in iisque omnibus quantum promptitudinis tibi natura dedit, quantumque peritiæ tibi peperit exercitatio, clare aperteque ostendisses, virilitate tandem consequuta, disciplinis multis, iisque gravissimis sedulam dedisti operam: at ex illis omnibus Medicam facultatem, ut tibi caram, ut tibi solam elegisti, eamque colendam semper, adamandam, atque in deliciis habendam pro virili parte duxisti. Et revera, si mea consulatur opinio, hoc etiam pacto, luce clarius apparet quantum habeas judicii ad seligendum ea, quæ vitæ humanæ magis videntur utilia; nulla enim

ars, disciplina nulla, nullaque scientia tam gravis est, tam pulcra, quæ Medicinam non dicam anteire, sed nequidem comparare queat. Etenim hæc (concedatur mihi talis verborum usus) est cujusdam quodammodo divinitatis particeps, & præcipua immortalis Dei beneficentia videtur nobis tributa, atque donata. Et hercle quid investigari potest humanæ vitæ utilius? quid hominibus juvandis commodius? quid magis idoneum ad societatem tuendam? quid naturæ magis consentaneum? In hac vero tam præclara, tamque celebri facultate quantum excellas, neque locus hic est ut multa dicamus, neque plura dici possunt, quum fama nominis tui undique discurrens loquatur ex se. Dicam tantum, & dicam bona pace reliquorum omnium, qui hanc viam vel institerunt, vel insistunt, & metam jam tibi partam arripere manibus pedibusque conantur, multis aliis longe post te relictis, prima & præcipua hujusmet artis lumina tam præterita quam præsentia te esse æmulatum, ne dicam superasse (neque enim id patitur moderatio animi tui;) & perfeciſti, ut quantum Patria tua, omni tempore ingeniorum in unaquaque arte versatorum, ac Litteratorum hominum ferax mirifice & abundans, tibi nominis sui & gloriæ dedit, tantum illi ex tua fama ac dignitate præcipuæ honoris, laudisque conferres. His igitur de caussis, te potissimum elegi, Illustrissime Domine, aptissimum ac meritissimum, cui hæc dedicarem, quod si quis minime probet, necesse est dicere illum ipsum RICHARDI MORTON *Opera Medica aut numquam legisse aut oscitanter, minimeque intento animo legisse. Et equidem, nisi mea me fallit opinio, neque Patronus major, quemadmodum superius dixi inveniri poterat, neque materies studiis tuis gravissimis, atque severissimis magis congrua, hæc enim exemplaria nocturna, diurnaque manu versaris, ac quodammodo teris. Te itaque, ac benignitatem tuam*

oro, summaque in re obsecro ut munusculum hoc, qualecumque sit, accipias, & æquè bonique consulas; & si occasio ferat, ac sors me bona permittat, majoribus negotiis faciam, ut te tuæ gratiæ, ac beneficiorum in me collatorum nequaquam pœniteat. Vale, fruere, ac fave.

Obsequentiss. Addictiss. Umillss. Famulus

Hieronymus Savioni.

AD

AD LECTOREM.

QUandoquidem, multis retro abhinc annis, à legendis libris, reluctanti licet animo, totus abstinuerim, animumque meum ad contemplandum tàm sanum quam morbidum ipsius *Naturæ* statum sedulus applicuerim, (qua de causa non solùm manus pro virili medicas languidis Corporibus adhibendi, verùm etiam *Defunctorum Cadavera* introspiciendi quam sæpissimè ansam arripui) Operæ prætium duxi quotidie, horis licet succisivis, *Observationes* meas à quamplurimis Acutis, (Chronicisque Affectibus collectas scriptis mandare, atque unum quasi *Penum* deponere, quo veram Morborum Idæam, atque ex ipsa ἀυτοψία peritam altius menti meæ imprimerem, atque adeò etiam *Indicationes*, & *Curandi Methodum* certiores, atque compertiores mihi ipsi redderem. Ex isto quidem *Promptuario* (Candide Lector, Talem enim te fidenter appello) istæ, meæ, quales, quales, exercitationes depromptæ sunt, atq; etiam *Præstantissimorum Medicorum* suasu, & hortatu (an verò rectè id fecerim, aliorum sit judicium) *Typis publicis Mandatæ*. Fateor quidem horum Eruditissimorum Virorum (quos summo honore, jure merito, semper prosequutus fueram) consiliis atque monitis me eo lubentiùs paruisse, quo præter consuetum mihi pudorem, atque etiam segnitiam, adeò impar viribus meis opus susciperem, quòd in *Herculei*, & *populantis* hujusce *Morbi Ætiologiæ*, longo usu & experientia edoctus, omnes *Veteres Medicos* crassè hallucinatos viderem: Quo factum est ut Priscorum curativæ Indicationes (nimis acriter à quibusdam Practicis etiamnum defensæ) non potuerint non multum à vero scopo aberrare, vel saltem aliquali correctione indigere, quo fœliciori methodo accuratius quadrare possint. Quod quidem facili negotio effici potest conspirante vel exercitatissimorum Medicorum jam viventium Tessera, qui sicuti penè innumeris præclare nuper inventis hujus Morbi *Ætiologiam* corrigere possint; ita etiam Unitis Consiliis, pariter atque experimentis commodiorem curandi Methodum instituere valeant: Quo iste Morbus in Artis nostræ opprobrium non amplius Herculeus audiat. Quo autem ad me attinet, præclarum hoc opus ausus sum tentare, quoque magis expertos Artis nostræ Heroas ad perficiendum hoc opus exemplo meo stimularem. Antiquos autem Medicos re ipsa in phthiscos *Ætiologia* crasse, si non etiam omnino se hallucinatos esse vel exinde constare possit, quod hujus Morbi fomitem in ipso *Cerebro* congestum satis insulsè somniarint, ac si inde *Catarrhi* ritu, sanguinis Lympha nescio quo pacto, vel qua via excreta perpetuò in subjectos pulmones, destillando irrueret, atque inibi perpetuam etiam tussim excitando eos, tandem fataliter corrumperet: Quum jam totius mali fomitem in ipsius affectæ partis Gremio, *Bronchialis* scilicet *Pulmonum Fistula* atque *Vesiculis* delitescere vel ipsi ἀυτοψίᾳ satis constet: Cum *seroſæ Colluviei copia* per tussim continuò rejecta non aliundè quàm ex ipsa jam *Colliquescentis* sanguinis massa per glandulosam *Fistulæ Bron-*

chia-

chialis tunicam excernatur: Quin & *Tubercula* per pulmonum parenchyma hic inde disperſa, quæ ſerius, vel citiùs inflammata, atque exulcerata funeſtam Phthiſim tandem inducunt, nihil aliud ſunt quàm *Glanduloſæ* tunicæ *Veſicularum Pulmonarium* quædam *Intumeſcentiæ* à ſero copioſè nimis inibi ſecreto, ibidemque coagulato efformatæ. Neque quidem minus a Priſcis Medicis erratum videtur, ubi uno ore omnes *Phthiſin* tanquam *Primarium* atque *Unicum* Morbum, & ab iiſdem cauſis ſemper ortum ſuum ducentem, eandemque curandi methodum ubique indicantem venditare ſolent: Quum revera vel cuivis in hoc Morbo Curando Mediocriter Verſato (modò ipſam rem ſeriò ſecum perpendat) facile conſtare poſſit eum eſſe magis *Secundarium*, & *Symptomaticum* à *Scorbuto*, *Aſthmate*, *Strumoſo Affectu*, *Hæmoptoe*, *Lue Venerea*; *Chloroſi*, *Ictero*, *Ulceribus*, *Febribus*, *Morbillis*, *Variolis*, *Melancholia*, atque aliis ejuſmodi Morbis provenientem. Atque inde fit, quod ſicuti una eademque ſimplici Methodo ejus Curatio iniri non poteſt, ita vix unquam, niſi habito prius ſpeciali ad primarium Morbum reſpectu, cum fœlici ſucceſſu perficitur. Quo nomine plures vel ſub ipſius *Medici* manu periere, quod non ſatis tempeſtive opem petiiſſent, vel Præcedente Morbo *Phthiſeos* Parente non ſatis accurate perſpecto, Remedia ipſis minus apta exhibita fuerant. Meam quidem Teſſeram, minutulam licet, multo tamen uſu comprobatam ad enormem hunc errorem corrigendum habes (Candide Lector) Primo & Tertio Tractatus hujus Libro comprehenſam, quam quidem æquo animo accipias rogo.

Eſt vehementer etiam exoptandum, quin & ſæculo hoc præ cæteris omnibus Arti noſtræ maximè propitio, & faventi ob varia & eximia à Clariſſimis viris in dies reperta, iiſque vel ipſis oculis palam demonſtrata jure merito expectandum, uti præſtantiſſimorum Virorum opera, & conſiliis, Cæterorum Morborum, æque ac ipſius Phthiſeos *Elumbis* adhuc *Æthiologia* meliùs adornetur, & clariori luce ponatur: Quo tandem Curativæ Indicationes magis aptæ, atque proſperæ deduci poſſint, atque inde magis certa, atque exculta Methodus ſagaci Medicorum Induſtria in egregium Ægrotantium levamen & ſolatium ſtabiliatur. Neque (mea quidem ſententia) tam novis quibuſdam quæſitis *Arcanis* pro *Omnipotentibus* vulgo habitis, quàm correctis Morborum Indicationibus Artis noſtræ *Pomœria* promovenda ſunt. Si quidem Remediorum cuivis ſanativæ intentioni ſatisfacientium ſatis ſuperque eſt; modò Virtutes eorum ſatis bene intelligantur, & ſagacitate Medici, juſta, & tuta methodo adminiſtrentur. *Æ*tiologia quidem; atque ex ea deſumptæ Indicationes videntur mihi maximè in Arte noſtra claudicare. Quippe jam variis titulis unus idemque morbus inſigniri ſolet, ubi tamen eadem eſt Morbi Cauſa, Indicationes etiam eædem, atque eadem Symptomata, ſolo gradu diſtincta (quod quidem in *Peripneumonia*, & *Pleuritide* ſatis clare conſpicitur, etiam in *Comate*, *Caro*, *Lethargo*, *Apoplexia*, cæteriſque ſoporoſis Affectibus, nec non in *Convulſionibus Epilepſiis*, reliquiſque ſpaſmodicis morbis hactenus nullis nominibus deſignatis ſatis conſtat:) Ita multo etiam frequentius in ipſius Medicinæ opprobrium, æque ac in Ægrotantium ſummum damnum (quod vel in ipſa *Phthiſi*, de qua jam dicturi ſumus, ſatis evidenter apparet), plurimos variantes morbos (qui cum à diverſis Cauſis originem ſuam ducunt, ita admodum diverſis ſymptomatis ſtipati æque diverſas Indicationes ſubminiſtrant, methodumque Curandi, quo tandem optatus eventus attingi poſſit, æque differentem requirunt) ſub uno generali titulo, pleriſque Medicorum

rum scriptis, comprehensos, atque uni, eidemque Methodo accommodatos passim reperimus. Quum vel pene dejerare possim neminem quantumvis generali hac scientia instructum atque versatum cum successu fœlici artem suam exercere posse, donec vel Ingenii sui singulari acumine fretus, vel multo etiam usu instructus; ex natura ipsius rei, pro diversitate scilicet Causarum, Symptomatum, atque specialium inde desumptarum Indicationum distinctiorem Morborum Idæam sibi ipse formaverit, & perspectam habuerit. Atq; inde fit, quod nulla alia Ars præter Medicinalem adeo longo usu, atque experientia indigeat, neque ulli quidem Scriptores eam reipsa promoverunt, præter practicos illos *Observatores*, qui morborum naturam fideliter, & ad vivum (sicuti res ipsa comparebat) descripserunt: Quæ quidem scribendi summe necessaria ratio jam plane exoleviſſe videtur, idque (proh pudor) in sæculo callentissimo, atque scientissimo, adeoque huic rei præ prioribus omnibus longe accommodatiori. Quoties serio mecum perpendo quot, quantaque stadia pari compendio, atque fœlicitate, *Medicinalis* nostra *Ars* tam in *Physiologia*, & *Anatomia*, quàm in *Chymia*, cæterisque *Jatrice* ancillantibus Artibus, nostris temporibus, emensa fuerit, adeo ut *Ætiologica* & *Physica* pars universalem penè mutationem facile subire possit, neque amplius vagis, & incertis conjecturis, precariis Postulatis, vel fallaci verborum ambage irretita maneat, verùm veras Morborum causas, atque Symptomata tanquam solis radiis descripta, & Mathematica ratione demonstrata ob omnium fere oculos ponat, non possum satis mirari ipsam etiam *Medicinæ* praxin non pari passu cum ejus Theoria gradum suum promovisse: Præsertim vero Priscorum Indicationes, Methodumque Curandi falsis Antiquorum Theorematis innixam etiam hodie inter plurimos Medicos obtinere: Quo factum est ut *Erasistratus* in *Fontanelli* quinto *Dialogo* Mortuorum Prisc. cum recentibus non minus vere, quàm sarcastice *Harvejo* Magno reponeret, *Vos magis estis Physici, at peritiores inde Medicos evasisse inficior. Ægros enim eodem ac vos successu sanavimus*. Quo nomine jure incusanda venit, imo etiam acriter corripienda experientissimorum illorum Medicorum *Ignavia*, (ne quid durius dicam) quos ingentem illum in Practica Medicinæ parte multo usu atque labore comparatum Thesaurum tanquam intumulare quotidie cernimus: Cùm sedula Juniorum industria (huic penso ob experientiæ scilicet defectum imparium) Physiologica, & Theoretica Artis nostræ pars tam multis Parasangiis Practicam percurrerit.

Atque ideò (si tanti Viri præconiis par essem) *Sydenhamii* nostri nomen ad Astra eveherem, atque eum illustre Exemplum Omnibus Artis Medicæ praxi versatissimis proponerem: Siquidem hic Vir, provectiori ætate, ubi nativa ejus (qua multum pollet) sagacitas longo jam usu, atque experientia limata est, nunquam cessat, verum ipsam Artis sanandi Practicam partem doctissimis suis scriptis in maximum tam Ægrotantium, quam ipsius Medicinalis Artis Commodum promovet, & illustrat.

Quod autem ad nostras *Exercitationes* jam prælo missas attinet, hoc tantum monere lubet. Quandoquidem scilicet tam ipsa rerum natura, quam ex αὐτοψία propria genuinam *Phthiseos* Idæam, facta, qua potui diligentium Symptomatum Ægrotantium observatione, cum Corporum ex hoc Morbo defunctorum inspectione, ad vivum (uti dici solet) delineare constituerim, quominus cuivis Hypothesi, seu Præjudicatæ opinioni inservire cogerer, proinde operæ pretium duxi unam vel alteram *Multiformis* hujus morbi Historiam

sin-

singulis titulis subnectere, atque eas fideliter narrare. Non illas quidem solum, quas felix aliquis Eventus comprobasset, verum eas præsertim, quæ ob aliqua vehementiora in iis descripta Symptomata, vel ob methodum Curationis fælicem quidem, verùm minus usitatam, vel denique ob singulare aliquod *Phænomenon* in apertis Cadaveribus repertum lucis aliquid afferre potuerint, quo fælicius ad ipsius Morbi clariorem atque magis distinctam Idæam in animo formandam, vel ad Curationis Methodum quadantenus novam instituendam, vel denique ad symptomatis alicujus maxime urgentis revelationem instructi simus.

Historias istas summa cum fidelitate recensere, pro virili, conatus sum; ut ut in minutulis quibusdam circumstantiis memoria jam multis rebus obruta, atque fatigata labi contigerit: Verum in his referendis varia quadam libertate usus sum: Siquidem nunc quidem, etsi rarius, fusiori quodam stylo, idque Methodum Curationis, diarii more, referens, quo aliquorum curiositati indulgerem; etsi utplurimum generalia quædam Methodi Capita, idque succinctim, innuere decrevi, ne vel nimius Lectori fieri, vel sacra Artis Mysteria jamdudum nimis prostituta propalare viderer.

Quod ad stylum harum Lucubrationum attinet, non sum insçius (Candide Lector) eum venia tua plurimum indigere, quin & eam à te rogo, especto. Raptim, & succisivis horis, totum hoc opus è fractis, & dispersis Schedulis compilatum est. Quare æqui & boni Consule, & Vale.

ELEN-

ELENCHUS

LIBRORUM, ET CAPITUM.

LIB. I. De Phthisi in genere, & speciatim de Phthisi à toto habitu Corporis, seu Atrophia, &c. Pag. 1

Cap. I. De Pththisi Nervosa. 2
Cap. II. De Phthisi ex Inanitione orta. 4
Cap. III. De Tabe ab Hæmorrhagia. 5
Cap. IV. De Tabe à Gonorrhœa simplici; & fluore albo. 6
Cap. V. De Tabe ab Apostematibus & Ulceribus amplis orta. 8
Cap. VI. De Tabe Nutricum à lactatione nimia. 11
Cap. VII. De Tabe à Dysenteria, & Diarrhœa. 12
Cap. VIII. De Tabe à Diabete seu nimio fluxu Urinæ. 13
Cap. IX. De Tabe à Salivatione orta. 14
Cap. X. De Tabe à Hydrope orta. 15
Cap. XI. De Tabe à sudoribus immensis orta. 17
Appendix ad Lib. primum. 18

LIB. II. Phthisiologiæ. De Phthisi Pulmonari Originali. Pag. 20

Cap. I. De Causis Phthiseos Pulmonaris Originalis. 20
Cap. II. De Gradibus, & signis præsagientibus Phthisim Pulmonarem Originariam una cum Indicationibus Prophylacticis. 22
Cap. III. De signis Diagnosticis, & Pathognomonicis Phthiseos Pulmonaris Incipientis. 27
Cap. IV. De signis Pathognomonicis Phthiseos Pulmonaris confirmatæ. 33
Cap. V. De differentiis Phthiseos Pulmonaris Originalis. 39
Cap. VI. De Prognosticis Phthiseos pulmonaris Originalis. 41
Cap. VII. De Indicationibus Curativis phthiseos pulmonaris Originalis. 42
Cap. VIII. De Methodo Curationis phthiseos pulmonaris Originalis. 46
Cap. IX. De Curatione phthiseos in secundo ejus stadio ubi scil. Tubercula primum pulmonibus nascantur. 52
Cap. X. De Curationes Phthiseos pulmonaris Originalis in Tertio ejus statu, ubi scil. à Tuberculorum exulceratione ad Mataſmum deventum est. 58
Cap. XI. De relevatione Symptomatum Phthiseos in tertio ejus statu. 61

Phthisiologiæ LIB. Tertius, De Phthisi pulmonari Symptomatica. 65

Cap. I. De Phthisi Scrophulosa. 66
Cap. II. De Phthisi Scorbutica. 69

Cap. III.

Cap. III. De Phthisi Astmatica. 72
Cap. IV. De Phthisi à Melancholia, uti etiam ab Hysterica, & Hypochondriaca affectione orta. 74
Cap. V. De Phthisi ab Hæmoptoe orta. 77
Cap. VI. De Phthisi à Calculis in Pulmonibus generatis, atq; aliisab extra in eos demissis, uti etiam à Calculo Renum, & Vesicæ orta. 82
Cap. VII. De Phthisi a lue Venerea orta. 86
Cap. VIII. De Phthisi à Suppressione Gonorrhœæ virulentæ, Fluxus Ulcerum veterum, præcipuè verò Fistulosorum in Anno, atque Ulcerum Scrophulosorum, Fontanellarum, & Fluoris Albi orta. 87
Cap. IX. De Phthisi à Chlorosi, & Suppressione Menstruarum purgationum orta. 90
Cap. X. De Phthisi à Peripneumonia, & Pleuritide orta. 90
Cap. XI. De Phthisi ab Arthritide, & Rheumatismo orta. 95
Cap. XII. De Phthisi pulmonari orta à Febribus, præcipuè Crapulosis, Scarlatinis, & Intermittentibus, uti etiam à Variolis, & Morbillis. 101
Cap. XIII. De Phthisi Ictericia, sive Hepatica. 105
Cap. XIV. De Phthisi ab Ulceribus internis orta. 127

BIBLIOPOLÆ LECTORI BENEVOLO

Super hac nova Editione.

JAm ab aliquot annis, Lector Ornatiſſime, Celeberrimi Viri *Richardi Morton*, Collegii Medicor. Londinenſ. Socii Meritiſſimi *Opera Omnia*, Tractatibus comprehenſa; unò, ſcilicet Phthiſiologico, duobus alteris Pyretologicis, vulgavimus, iiſque tum ſubjunximus varia, Theoriam Medicam, non minus quam ejuſdem praxim illuſtrantia, e pluribus Magni Nominis Authoribus, Gualterio verb. grat. Harris, Gulielmo Cole, Martino Liſter, Thoma Sydenham, collecta: Nunc autem eadem Opera, non tantum cum iiſdem recudimus Additamentis; ſed etiam aliis Tractatibus, à Mortono conſcriptis quam maximè affinibus, ditata exhibemus: Nempe Caroli Leigh Phthiſiologia Lancaſtrienſi; Diſſertationibus in Novam Methodum Inoculationis ſeu Transplantationis Variolarum; Gualteri Harris Ultimis Operibus; Vincentii Kettelaer M. D. Commentario de Aphthis; illaque omnia ſubſequenti ordine compingenda tradimus.

Richardi Morton Phthiſiologia, ſive Tractatus de Phthiſi, Variis Hiſtoriis Illuſtratus.

Caroli Leigh Phthiſiologia Lancaſtrienſis, & Tentamen de Mineralibus Aquis.

Richardi Morton Pyretologia, ſive Tractatus de Morbis Acutis Univerſalibus, Variis Hiſtoriis Illuſtrata.

Richardi Morton Pyretologia, ſive Tractatus de Febribus Inflammatoriis Univerſalibus, Variis Hiſtoriis Illuſtrata.

Diſſertationes in Novam, Tutam, ac Utilem Methodum Inoculationis ſeu Tranſplantationis Variolarum.

Gualteri Harris Tractatus de Morbis Acutis Infantum Variis Obſervationibus Illuſtratus, Editio Noviſſima, priori multò auctior.

Gualteri Harris Obſervationes Medica de Morbis Aliquot Gravioribus, & Diſſertatio de Lue Venerea.

Vincentii Kettelaer Commentarius Medicus de Aphthis Belgarum.

Gulielmi Cole Nova Hypotheſeos, ad explicanda Febrium Intermittentium Symptomata & Typos excogitatæ Hypotypoſis &c.

Gulielmi Cole Tractatus de Secretione Animali.

Martini Liſter Tractatus de Morbis quibuſdam Chronicis; quorum, I. eſt de Hydrope, II. de Diabete, III. de Hyarophobia, IV. de Lue Venerea, V. de Scorbuto, VI. de Arthritide.

Martini Liſter Tractatus de Variolis variis Hiſtoriis Illuſtratus.

Thomæ Sydenham Proceſſus integri in Morbis ferè omnibus Curandis, &c.

Hiſce in majus tuum commodum à nobis congregatis, fruere, Lector Studioſiſſimè, & laboribus noſtris favere non dedigneris, obnixè Rogamus.

NOI

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. *F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore*, nel Libro Intitolato; *Richardi Morton Opera Medica &c. Editio Noviſſima*. Non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Girolamo Savioni Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 14. Aprile 1733.

{ Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reff.

{ Andrea Soranzo Proc. Reff.

{ Pietro Grimani Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

Ad 18. Aprile 1733. Regiſtrato al Magiſtr. Eccell. della Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Segr.

RICHAR-

RICHARDI MORTON M. D.

Et Regii Collegii Medicor. Lond. Socii,

PHTHISIOLOGIÆ

LIBER PRIMUS.

De Phthisi in genere, & Speciatim de Phthisi à toto habitu Corporis, seu Atrophia, eaque vel Nervosa, vel ex Inanitione orta.

NUO Schema totius operis uno intuitu oculis subjiciatur, lubet hic more exordii præfari descriptionem, & distributionem subjecti de quo jam tractaturi sumus, quo, quasi *Ariadnes* filo, facilè, & tutò in penetralia ædificii ducamur.

Phthisis in genere est Consumptio Partium Corporis musculosarum, à subtractione, vel colliquatione fluidorum orta, eaque vel cum, vel sine febre; estque vel originalis, vel symptomatica.

Phthisis Originalis est quæ merè à morbida diathesi Sanguinis, vel Spirituum animalium in genere nervoso, & fibroso hospitantium ortum habet, non autem à morbo aliquo formato præcedenti: Cujus duæ sunt species, Atrophia scil. & Phthisis Pulmonaris.

Atrophia est consumptio universalis à toto habitu Corporis, non autem à Pulmonum, vel cujuscunque alterius Visceris defectu morbido orta, & sine aliqua febre notatu digna; estque Nervosa, vel ex Inanitione orta.

Atrophia, seu *Phthisis Nervosa* est, quæ à morbido statu spirituum, & à tono nervorum everso oritur; unde sicut languor & Consumptio universalis in habitu Corporis ob deficientem assimilationem succi nutritii tandem provenit, ita ab initio ipso morbi oboriuntur Inappetentia, & difficilis digestio in ventriculo, ob imperfectam fermentationem, & volatilizationem Chyli. Quæ quidem Species Atrophiæ in classe funestorum Scorbuti Symptomatum non immeritò locum sibi vendicare possit.

Atrophia ex Inanitione est quæ à præternaturali subtractione seu evacuatione succi nutritii, eaque longa, & habituali, originem habet, quæ multifariam variatur pro meatibus Corporis diversis, natura, vel arte factis, per quos dispendium hujus liquoris pretiosissimi fieri vel solet, vel potest.

Phthisis Pulmonaris est Consumptio

partium univerſalis à morbido affectu ſeu infarctione, tumore, inflammatione, & exulceratione Pulmonum primùm orta, indeque tuſſi, dyſpnœa, aliiſque ejuſmodi ſymptomatis thoracicis ab ipſo initio ſtipata, & cum febre primùm lenta, & hectica, dein inflammatoria, & tandem putrida intermittente conjuncta.

Phthiſis Symptomatica eſt, quæ, licet immediatè à Craſi ſanguinis, ſeu tono Spirituum everſis oriatur, mediatè tamen ab aliis præcedentibus morbis dependet, qui hanc labem ceu characterem primùm Spiritibus, & Humoribus impreſſerant: Et quia in hujus Tabis fœlici curatione neceſſe eſt reſpectum habere ad morbum primarium, in calce hujus tractatus ſtrictim de variis hujus Phthiſeos Speciebus, quas nobis in praxi hactenùs obſervaſſe contigit, diſſeremus, diſquiſitione priùs habita de Phthiſi Originali.

CAPUT I.

De Phthiſi Nervoſa.

Atrophia, ſeu Phthiſis Nervoſa, eſt Conſumptio Corporis abſque ulla inſigni febre, vel tuſſi, vel dyſpnœa; verùm cum appetitus, & digeſtionis everſione eam comitante: Unde inſequitur totius corporis languor, & marcor in dies increſcens. Cujuſmodi Phthiſin aliquando in *Anglia*, ſæpius verò inter *Virginiæ* Incolas huc reverſos obſervavimus.

In principio hujus morbi ſtatus corporis apparet œdematoſus, chyloque effœto quaſi infarctus, facies pallida, & ſqualida, ventriculo ab omnibus præter potulenta, abhorrente. Adeo etiam languent vires, ut Æger antequam carnoſæ partes corporis evidenter fuerint conſumptæ, planè reddatur imbellis, lectoque fere continuò affixus. Urina etiam incerti coloris conſpicitur, ſed ut plurimùm intensè rubra, & perpauca; aliquando verò, [licèt rarò, uti in nervoſis affectibus accidere ſolet] pallida, & copioſa. Febris verò nulla inſignis per pulſum, ſitim, vel calorem diſcerni poteſt, ut ut intenſiſſimè rubra ſit urina. Adeo ut *Pathognomonica* ſigna hujus Phthiſeos jam incipientis ſint *Languor* & *Inappetentia* ſine ulla notabili febre, tuſſi, vel anhelitu, licèt progreſſu morbi, ubi marcor totum corporis habitum ſenſim invaſerit, quædam reſpirandi difficultas, & moleſtia (uti in omnibus languentibus ſolet accidere) percipiatur.

Cauſa continens hujus morbi mihi videtur eſſe in genere nervoſo, à præternaturali ſtatu ſpirituum animalium, & tono nervorum everſo proveniens, unde eam vocare ſoleo Phthiſin in habitu Corporis. Uti enim à tono Ventriculi languido, appetitus, & digeſtio proſternuntur; ita etiam in toto habitu corporis, ob morbidum generis nervoſi ſtatum, ſucci nutritii aſſimilatio, fermentatio, & volatilizatio impediuntur.

Cauſas procatarcticas, ut plurimùm, obſervavimus eſſe, Pathemata animi graviora, potationem liberaliorem liquorum ſpirituoſorum, & aerem inſalubrem, quibus tonum Nervorum, & naturalem ſpirituum animalium diatheſin everti nemini mirum videri debet.

Morbus hic, ut plurimi alii nervoſi generis, eſt Chronicus; curatu verò difficillimus, ſi Medicus in principio non accerſatur. In initio verò abblanditur: quam ob cauſam, ut plurimùm, accidit, quòd nimis ſerò Medicus advocetur. Finitur verò in hydropicum & œdematoſum Corporis tumorem, præcipuè autem partium dependentium, quo in caſu conclamatum quidem eſt de ægrotantis ſalute, neque ulla curatio niſi paregorica, adhiberi poteſt, qua per aliquot dies miſella vita protrahi poſſit.

Cardo verò curationis (modo ſatis tempeſtivè Ars noſtra conſulatur) in uſu convenienti medicaminum *ſtomachicorum, & nervos confortantium* vertitur, qualia ſunt *Chalybeata*, *Antiſcorbutica*, *Cephalica*: & *Amara* cujuſcunque fere generis. Ex. gr. Capiat Æger (ſi alvus adſtricta fuerit) tertio, vel quarto quoque mane un. iv. *decocti amari purgant.* Quarta quaque nocte un. ii. *Tincturæ ſacræ*, vel *Tincturæ noſtræ*, *hieræ Cephalicæ* ℈ *ſpeciebus Hieræ picræ in aqu. Rut.*

Rut. Cerasor. nigr. & pæon. comp. infusis.

In cerevisia communi suspendatur sacculus ingredientium *Cephalicorum*, & *Antiscorbuticorum*, pro potu ordinario. Hora ante prandium capiat *Elixir. Propr.* d. m. in hausu vini albi Absinthitis. Applicetur regioni ventriculi *Emplastrum stomachicum mag. cum guttis aliquot ol. Cinnamom. & Absinthii* Chimic. vel quotidie foveatur ventriculus sacculis *Aromaticis* è foliis *menthæ*, *Absinth. Cinnamomo*, *Macere*, *Zedoar. Galang. Cyper. & Calamo aromatico* in vino Gallico Rubro coctis. Si tempus sit æstivum, utatur *aquis mineralibus Chalybeatis*. Si verò hybernum, *Syrupo*, vel *vino* nostro *chalybeato*, & *aromatico è limatura chalybis* in vino albo generoso, ter, quaterve extincta, & deinde cum *Zedoar. Galang. Nuce mosc. Cinnamomo* acuto *Macer. Cubeb. Caryophyllis* crassè tritis in eodem vino infusa. Inter chalybeata verò *Extractum Mynsichti* cæteris in hoc casu præfero, quod per dies 20. vel 30. pilulari forma boli, vel pilulari exhiberi jubeo. Ex. gr.

℞. *Extract Mynsicht.* ſc. m. *Balsam. Gilead.* (quod in hoc casu plurimum confert, quia stomacho, & nervis gratissimum est) gut. vii. *Conserv. Ros. rubr. antiqu.* dr. i. Ms. F bolus, qui de die in diem repetendus. Vel si Ægro magis arrideat, redigatur extractum in formam pilularem more sequenti.

℞. *Extract. Mynsicht.* ſc. m. *Balsam. Gilead.* gut. vii. *pulv. Haly.* gr. vi. *pulv. Aric. comp.* gr. iv. *pulv. glycyrrhiz.* q. s. ad formam. F. pilulæ mediocres deaurandæ, & quotidiè semel die repetendæ.

Opobalsamum etiam per se, uti & *Sp. C. C. & Salis Armon.* in hoc casu prosunt; quia nervis amica. Ex. gr. Capiat Æger gut. viii. vel x. *Opobalsami*, vel *Sp. C. C.* in quantitate convenienti *sacchari Cand.* bis in die.

Exercitiis, & consuetudine amicorum animum hilarem Æger nitatur conciliare, A mœstitia enim, & curis fere semper hic morbus ortum suum ducit. Fruatur etiam aere aprico, & optimo, qui plurimùm nervis, & spiritibus confert. Et quoniam ventriculus in hoc morbo præcipuè afficitur, conveniet victus deliciis plenus, neque uni ciborum generi nimis diu assuescere debet ventriculus.

HISTORIA PRIMA.

Filia *Domini Duke* in platea dicta *Sanctæ Mariæ Axiæ*, anno 1684. & decimo octavo suæ ætatis, mense *Julii*, à multis curis, & pathematis animi in suppressionem purgationum menstruarum omnimodam incidit, verum sine aliquo *Chloroseos* symptomate in die proveniente. A quo tempore appetitus & digestio defecerunt, Carnes etiam cœperunt flaccescere, & vultus pallescere, cum aliis notis usitatis in Tabe universali habitus Corporis. A frigore etiam illo prægrandi & maximè memorabili, quod hyeme sequenti contigit, non parùm promoveri videbatur hæc Tabes; nempe quòd studiis nocturnis, & lectioni librorum assiduè incumbendo, sese injuriis aeris intensissimè, tunc temporis frigescentis nocti, diuque exponere solebat, non sine manifesto damno systematis nervosi. Vere sequenti, ex præscripto cujusdam Medicastri, *Emeticum* sumpsit, & deinde medicamina, nescio quæ, *Chalybeata*, verùm sine fructu. Fastidiens verò ex tunc medicamenta omnis generis, per duos annos integros sui ipsius curam ulteriorem planè neglexit, donec tandem in ultimum gradum *marasmi* redacta, & inde frequentibus *lipothymiis* obnoxia à me opem peteret.

Nunquam aliquem ita marasmo confectum (sceleti instar cute vestiti,) adhuc viventem in tota praxi mea observatum memini. Nulla tamen aderat febris, verùm è contrà, totius Corporis frigiditas; Nulla *tussis*, vel *dyspnœa*, vel affectio alia quæcunque morbida pulmonum, vel cujuscunque alterius Visceris apparebat: Nulla diarrhœa, vel alia quæcunque nota colliquationis, seu inanitionis præternaturalis. Appetitus unicè diminutus erat, & digestio quadantenùs molesta, cum lipothymiis frequenter redeuntibus. Quibus symptomatis succurrere nitebar externa applicatione sacculorum *aromaticorum* regioni ventriculi facta, & *emplastris*

sirts stomachicis; uti etiam interno usu *amarorum*, *chalybeatorum*, & Julapiorum, ex aquis *Cephalicis & hystericis* composit. & *Spir. Salis armon. & Tinctura Castor.* satis imprægnat. aliisque ejusmodi. A quibus multò meliùs sese habere videbatur, sed tædio medicaminum statim affecta, totam rem iterùm naturæ committi deposcebat, unde in dies, ulteriùs marcescens, post tres menses, subita lipothymia oppressa fatis cedebat.

HISTORIA SECUNDA.

Filius amici mei *Domini Steele* Reverendi Presbyteri; circa annum ætatis decimum sextum, à studiis nimis intensis, & à pathematis animi, sensim incidit in Inappetentiam ferè totalem, &. inde in *atrophiam* universalem, continuò per spatium duorum annorum magis, magisque marcescens, sine *tussi*, *febre*, vel aliquo alio symptomate morbidæ affectionis, vel pulmonum, vel cujuscunque alterius Visceris, atque etiam sine *diarrhœa*, vel *diabete*, vel quacunque alia nota colliquationis, seu inanitionis præternaturalis. Ideòque hanc Tabem, nervosam esse judicavi, in universo habitu Corporis sitam, & à systemate nervoso morbidè affecto oriundam. Ex usu *Antiscorbuticorum*, *amarorum*, *& Chalybeatorum*, tam natura quam arte paratorum, primùm curationem instituì, sed nequicquam profeci, ideòque priori methodo frustratus dedi consilium ut studia seponens, aere rusticano, equitationi, & lacteæ diætæ, (præsertim usui lactis asinini) per longum tempus sese committeret. A quorum usu plurimùm convaluit, licet adhuc è statu tabido perfectè non evaserit, &, quis futurus sit eventus hujus methodi, non liquidò constet.

CAPUT II.

De Phthisi ex Inanitione orta.

HUic generi Phthiseos, seu Tabis Originalis, referenda est etiam species altera (quæ mihi frequenter in Praxi occurrit) à depauperatione sanguinis per succi nutritii præternaturalem subtractionem orta. Unde tota massa sanguinis succo nutritio, & oleoso privata acescit, & nimium incalescit, nutritionem vel nullam, vel quam minimam partibus musculosis præbens; atque indè sequitur Atrophia totius corporis, & calor hecticus in toto habitu fixus, sine aliqua notabili tussi, difficultate respirandi, vel aliqua alia insigni pulmonum affectione, saltem in principio morbi. Diffitendum tamen non est, in ejus progressu, pulmones aliquatenus affectos videri, præcipuè, ubi evacuationes istæ præternaturales Atrophiam facientes arte sistuntur, sine ulla massæ sanguineæ emendatione, quo in pristinam oleosam, benignam, & alitioni aptam naturam restituatur. Quo in casu mirum videri non debet si, cæteris portis naturæ occlusis, calidum, & acre sanguinis serum per molle, & glanduloſum pulmonum parenchyma continuò trajectum, eos tandem inferciat, inflammet, imò & exulceret; quo fit ut hæc Tabes, quæ originaliter erat in habitu corporis, in Phthisin pulmonarem cum tussi, dyspnœa aliisque symptomatis ejusdem morbi pathognomonicis, paulò ante mortem terminetur. Atque ideo sæpiùs observavi, quòd si per medicamina specificè alterantia, & ventriculum confortantia, appetitus, & digestio non restituantur, adeò ut inde massa sanguinis novo euchymo, & oleoso succo saturetur, Tabes non curatur, sed tandem à Tabe in habitu Corporis, in lethalem Phthisin pulmonarem mutatur.

Et hæc quidem Phthiseos species congener est Nervosæ jam ante memotatæ. Sicut enim illa, à diathesi succi, & spiritus nervini, chylus nutritius in sanguinem continuò delatus, minus aptus alitioni partium, redditur; atque inde massa sanguinis veteri, effœto succo, nutritionique inepto, saturata, & novum non requirente, Inappetentia, & nausea in ventriculo sequuntur, & consequenter Atrophia totius corporis, & tandem fixus color hecticus, & colliquans in partibus solidis, ob excandescentiam sanguinis, & spirituum: Ita etiam in

hac

hac ſpecie Tabis, ſucco nutritio contiuuò è maſſa ſanguinis, copioſo rivulo, effluente, partes corporis muſculoſæ nutritione debita jam privatæ, in Atrophiam incidunt; unde etiam maſſa ſanguinis, quæ reſtat, ob novi oleoſi chyli defectum, non tantum effœta redditur, & alitioni inepta, verùm etiam calor præternaturalis fixus, & hecticus non tantùm in ſanguine verùm etiam in ſpiritibus, & omnibus partibus ſolidis accenditur: unde ſitis, & innapetentia conſequuntur. Quæ quidèm Tabis ſpecies eſt illa, de qua jam primo loco eramus ex profeſſo tractaturi. Quia verò Curatio hujuſmodi Phthiſeos, ſecundum veritatem evacuationum eam cauſantium, varianda eſt, de generali hujuſmodi Tabis curatione nihil addemus, eam ad varias ſpecies evacuationum hunc morbum cauſantium, ſub propriis titulis, referentes. De quibus jam (quantum nobis obſeruaſſe licuit) ſpeciatim diſſerere properamus.

CAPUT III.

De Tabe ab Hæmorrhagia.

HIc primùm occurrit Tabes ab Hæmorrhagia, ſive ſit per nares, ſive è pulmonibus per tuſſim, è faucibus per exſcreationem, è ventriculo per vomitionem, è renibus per urinam, è vaſis hæmorroidalibus, vel uterinis in menſtruis purgationibus ordinariis, vel puerperio difficili, vel tandem à vulneribus, ubi magnum, & diuturnum ſanguinis profluvium ab apertione vaſorum ſanguiferorum majorum inſequitur. Licèt enim frequens, & moderata Venæ ſectio (quod lippis & tonſoribus notum eſt) pinguedinem inducat, ſiquidem à moderata depletione vaſorum locus datur majori copiæ novi chyli, unde penus ſanguinis diteſcens magis nutritioni aptus redditur, & conſequenter appetentia incitatur; omnis tamen immoderata, & longa Hæmorrhagia ſanguinem depauperat, & calorem hecticum in ſpiritibus, & partibus ſolidis efficit, appetitum inde proſternens, & totum corpus in Atrophiam, & maciem redigens.

In hoc caſu, hæmorrhagia, quam primùm ſiſtenda eſt, & etiam præcavenda medicamentis ingraſſantibus, opiatis, & emplaſticis, de quibus in capite de Hæmoptoe tractandum. Ex. gr. Ligaturæ fortes partibus extremis injiciantur. Imo ſi opus ſit, & vires ferant, in Hæmorrhagiæ præſentis diverſionem, & in futuræ præcautionem Phlebotomia frequenter, verum parcè celebretur. Si pars ſanguinem effundens id admittat, *Emplaſtrum ſtypticum Goleni*, *Aqua ſtyptica Regia*, *Oxycratum frigidum*, *Atramentum*, *Cineres crinis* leviter combuſti in Retorta, & in formam Cataplaſmatis cum aceto excepti, *Bolus vera*, *Sanguis Draconis*, & alia hujuſmodi more conuenienti ſtatim parti applicentur, & ſæpè renoventur.

Internè capiat Æger ter, quaterve in die gutt. xx. xxx. vel plus *Aquæ ſtypticæ Regiæ* in hauſtu *Aquæ Lactis*: Cochlearia etiam v. vel vj. Succorum depuratorum *Plantaginis*, & *Urticæ*. Vel capiat frequenter è Cochleari linctum ſequentem.

R. Syr Portulac. Vn. iij Bol. ver. Sang. Drac., Troch. de ſpodio, Terr. ſigillat. an. Sc. ij. Terr. Iapan. Dr. j. Gum. Tragac. in Aqua *Plantag.* ſolut. q. ſ. Ms. F. Linctus. Vel capiat ter die quantitatem Nucis Moſch. Electuarii ſequentis.

R. Conſerv. Roſ. rubr. Vn. j. Trochiſc. de Carab. Dr. iij. bol. ver. Lacrym. ſang. Drac. Dr. m. ſyrup. Myrtill. q. ſ. Ms. F. Electuarium.

Capiat etiam ſingulis noctibus Cochl. v. vel vj, Julapii ſequentis, agitata phiala.

R. Aq. Plantag. Vn. vj. Cinnam. hord. Vn. iij. Acet. ſtillat. *Vn. m. bol. ver. ſang. Dracon. an. Dr. m. Laud. Lond. gr. iij. Syr. Myrtill. Vc. i. m.* Ms. F. Julapium.

Fluxu ſanguinis jam ſatis ſuppreſſo, & curato, omni diligentia moliendum eſt ſanguinem depauperatum, maturè ſaturare novo, & euchymo chylo, & flammam febrilem (ſi qua adſit) exſtinguere, ne tabes inſequatur. Ideòque frequenter alendus eſt Æger, juſculis conſumatis, ovis ſorbilibus, & varie-

tate ciborum euchymorum, & eupeptorum ſtomachoque gratiſſimorum: Abſtinendo tamen à vino, & à ſalſis, & aromaticis, ne ſanguini, qui antea defectu ſucci nutritii excandeſcebat, majorem calorem concilient. Et quia huiuſmodi Ægrotantes, uti omnes Tabi propinqui, iracundiæ, mœſtitiæ, oppreſſionibus hypochondriorum, paſſionibus hyſtericis, & appetitus proſtrationi obnexii ſunt, unde cibum copioſum nec digerere poſſunt, & conſequenter ſanguinis reſtaurationi inhabiles fiunt, Æger ab Amicis recreandus eſt, & in aerem apricum, & ſalubrem quamprimum dimittendus, quem quidem plus quàm medicamina cætera, & nervorum, & ſpirituum confortationi, appetitus, & hilaris animi recuperationi, & conſequenter Tabis ingruentis præcautioni, experientia multa edoctus, ut plurimùm, conducere obſervavi.

Si verò ob negligentiam Ægri, vel ob præcipitationem morbi, calore hectico, & gradu aliquo Tabis ab Hæmorrhagia Æger affici videatur, omninò ſatagat Medicus quamprimùm hanc flammam penitùs exſtinguere ope *Corticis Peruviani* manu liberali exibiti, cujus efficaciam in hoc caſu mirabilem ſæpiſſimè expertus ſum, ſi opus ſit, relegetur Æger ad lacteam diætam aut ad uſum aquarum *Chalybeatarum*. Abſtinendum verò eſt ab evacuationibus per alvum. Ex uſu tamen *oculorum Cancror. Coralli*, *margaritarum*, aliorumque ejuſmodi alterantium, & dulcificantium aliquid emolumenti exſpectandum eſt.

HISTORIA.

Dominus *HetchKius*, Mercator *Londinenſis*, Vir Scorbuticus, & Hypochondriacus, in frequentem Hæmorrhagiam narium à vigeſimo ad trigeſimum ferè ætatis annum pronus erat, adeo ut à ſanguinis febricitantis æſtu, intervallis incertis, ſemel ſaltem vel bis, in Luna magnum Cruoris diſpendium ſuſtineret, donec tandem Sanguis Scalpello extractus, vel ſponte ſua è naribus fluens, planè ſimilis loturę carnium apparet. A cujus Hæmorrhagiæ recurſu neque Phlebotomia, *ſuccis temperantibus*, *medicamentis opiatis*, & *incraſſantibus*, *diæta lactea*, *remediis antiſcorbuticis*, & *Chalibeatis*, nec quovis alio medicaminum apparatu, optimum illum Virum, & Amicum meum verè colendum, tunc temporis liberare potui. Quo primùm in ſtatum Atrophiæ, tandem in Phthiſim verè pulmonarem, unà cum reſpirationis difficultate maximè urgente, incidit, & inde in ſtatum univerſaliter colliquativum lapſus, glandularum ſalivalium exulcerationem, poſt inſignem earum tumorem, paulò ante fatalem diem, perpeſſus eſt. Quarum apertione externa tantus & tam perpetuus limphæ ſalivatoriæ rivus efluxit, uti viri illius egregii jam ante in ſtatum ferè Maraſmi à Phthiſi pulmonari ab Hæmorrhagia orta redacti diem funeſtum plurimùm præcipitaret. Animo verò meo graviter dolebam, mihi tunc temporis non notam fuiſſe *Corticis Peruviani* efficaciam in hac effervescentia Sanguinis edomanda, à quâ Hæmorrhagia illa ſæpiùs recurrens certiſſimè dependebat; ſiquidem ab hujus uſu plùs quàm à lactea diæta, vel ab alio Medicaminum apparatu, ad præcavendam Hæmorrhagiam ab æſtu ſanguinis provenientem meritò exſpectari poſſit.

CAPUT IV.

De Tabe à Gonorrhœa, & Fluore Albo.

HÆc Tabes vetribus etiam nota fuiſſe videtur ſub nomine *Tabis dorſalis*, ubi à Gonorrhœa procedit. *Galenus* etiam Hiſtoriam notat Uxoris *Boethii*, cujuſdam Nobilis Romani, quæ à fluore albo nimio, & longo, empiricè ſuppreſſo, in Tabidum hydropem incidebat.

Veriſſimum quidem eſt, Gonorrhœam, & Fluorem Album maligni moris, & à Venere profectum (ubi ſc. veneno nata impuritas humoribus jam contagiosè impreſſa eſt) ſæpiſſimè terminari in Tabem pulmonarem, niſi tempeſtivè, & perfectè

cureen-

curentur. De hac verò Phthisi, ejusque causis, gradibus, & curatione, suo loco, sc. in calce hujus tractatus pleniùs disseremus, ubi ex professo de Phthisi pulmonari symptomatica sermone habebimus. Impræsentiarum verò, longa experientia, & observatione edoctus affirmo, Tabem sæpè oriri à simplici, seu benigna Gonorrhœa, & Fluore Albo; ideòque hanc speciem, ad hunc censum Tabis originariæ, à subtractione scilicet continua succi nutritij per glandulas seminales oriundam, referendam esse. Siquidem hic fluxus in Gonorrhœa, & Fluore Albo tam insignis, & diuturnus interdum apparet, uti exinde massa sanguinis planè effœta, & alitioni inepta reddatur, unde cruor particulis heterogeneis oneratus incalescit, atq; tandem hectica dispositio in partes solidas, & habitum corporis gradatim inducitur, quæ quidem est eadem Tabis Species de qua hoc loco tractamus.

Symptomata hanc Tabem præsagientiam hæc plerumque notavi, Hypochondriacam scil. oppressionem, mœstitiam, & nimiam cogitationem, cum languore virium, & appetitus dejectione in viris Gonorrhœa copiosa affectis; in fœminis verò longo, & copioso Fluore Albo afflictis, habitum corporis mollem, œdematosum, squalidum, & pallidum; unà cum Hystericis passionibus, Insigni lassitudine, & debilitate virium: quæ omnia symptomata ab eadem causa proveniunt, ab effœta scil. sanguinis natura, à defectu novi chyli proveniente, quo non tantùm spiritus debilitantur, & opprimuntur, verùm etiam habitus corporis ob aqueam sanguinis diathesin œdematosus redditur; quippe qui veteri, & effœto chylo saturetur. Ideòque signa hanc Tabem præsagientia, sunt Hypochondriacæ oppressiones, Hystericæ affectiones languor virium, habitus œdematosus, & Inappetentia; quæ symptomata progressu temporis, cùm morbus scil. est confirmatus, aliis etiam, sicuti siti, hectica dispositione, atrophia & marcores, excipiuntur, donec tandem corpus planè in statum marasmi reducatur, idque sepissimè sine tussi, aut aliquo alio notabili signo Phthiseos pulmonaris. Hic morbus in principio facilè curatur, si causa ejus antecedens curari possit, Gonorrhœa scil. & Fluor Albus. In statu verò confirmato planè incurabilis est. Ideòque prùdentem, & probum Medicum, qui propriæ famæ studet, ejus curationem suspicere non decet, verùm magis cum fatali præsagio Ægrum dimittere, quo arti, & conscientiæ suæ, etsi non crumenæ, satisfaciat.

Verum si tempestivè accersatur, omni methodo convenienti satagere debet Medicus, quo Gonorrhœam, vel Fluorem Album sistat, quæ sunt causæ hujus Tabis. Quæ res, quomodo oporteat fieri, in capite de Gonorrhœa, & Fluore Albo alibi dicemus. Hoc fluxu succi nutritij jam arte suppresso, totis viribus nitendum est, quo, quàm citissimè sanguis effœtus, & depauperatus novo oleoso, & benigno chylo saturetur. Ideòque, sicuti priore capite innuimus, delicati, & euchymi, palatoque, & ventriculo gratissimi cibi sæpiùs in die, licet parva quantitate, offerantur. Et quo magis excitetur appetitus, hilari animo esse jubeatur Æger. Nihil enim magis quàm mœstitia, appetitum labefactat, & Tabem confirmat. Aere etiam aprico, & benigno fruatur, qui plurimùm nervis, & consequentèr appetitui, & ventriculo confert. Exercitijs etiam, & frictionibus, usque ad sudores moderatos (si vires ferant) quotidiè utatur, quo saburra veteris, effœti & inutilis chyli, qui vasa sanguifera, & habitum corporis jam infercit, exsudetur, utilisque copiosior detur, & consequenter appetitus in ventriculo augeatur. Abstinendum verò est omnino à liberali usu vini, & liquorum spirituosorum à quibus sanguis jam nimis calidus factus, ulteriùs excandescere solet. Caveat etiam Medicus à præscriptione *Catharticorum*, vel cujuscunque alterius insignis evacuationis, quæ impensas ulteriores naturæ jam languidæ creare possit. Si verò calor hecticus, vel leviissimo gradu, in partibus solidis accendatur, statim usu *lactis asinini, lacteæ*

diæteæ, vel *aquarum mineralium Chalybeatarum*, exſtinctio hujus flammæ ſummoperè molienda eſt.

CAPUT V.

De Tabe ab Apoſtematibus, & Vlceribus largis orta.

APoſtemata, Ulcera larga, cuicunque partis corporis (ſive externæ, ſive internæ) ea accidant, ſi diu manent, multumque ſeri, ſeu Ichoris effundant, Tabidum tandem reddidiſſe Ægri corpus, idque, uſque ad maraſmi lethalis gradum, ſemper obſervavi; & quidem hujuſmodi Ulcera in muſculis dorſi, & teſticulis, imò in genu, & pede, æquè Tabem inducere, ac in renibus, hepate, vel pulmonibus ipſis notavi: Quinetiam Phthiſin pulmonarem his Ulceribus amplis, & vetuſtis ſæpiùs vidi ſuperveniſſe.

Cauſa hujus Tabis eſt proculdubiò longa, & copioſa ſubtractio ſucci nutritij, dè maſſa ſanguinea per Ulcera continuò depluentis; quo ſanguis, qui in vaſis reſtat, oleoſo, & alimentari ſucco privatus aceſcit, & incaleſcit, indeque corporis alitioni ineptus redditur: quo calor febrilis & hecticus non tantùm in ſanguine, & ſpiritibus accenditur verùm etiam in habitu corporis, & partibus ſolidis defixus manet, unà cum ſiti, languore virium, innapetentia, nauſea, atrophia partium, & tandem vigiliis; donec Æger in ſtatum maraſmi redactus miſerè ultimum diem claudat, licèt, ut plurimùm, ſine dyſpnœa, tuſſi, vel aliquo alio ſigno Pathognomonico Phthiſeos pulmonaris.

Hæc Tabes (ſicuti de altera præcedenti capite, diximus) facilè curationem admittit, ſi modò Ulcera eam facientia arte medica internè, & chirurgica externè, tempeſtivè curari poſſint ſc. priuſquam Æger in aliquem gradum maraſmi redigatur. Sepiſſimè verò (Proh dolor!) in hoc caſu Æger blanditiis Chirurgorum malè feriatorum deceptus Medicum non accerſit uſque dum magis conveniat Theologum de animæ futuro ſtatu, vel Juriſperitum de re Teſtamentaria conſulere.

Quo in caſu prudentem Medicum, prognoſtico fatali priùs habito, magis ſeſe ſubducere, quam ſpe curationis impoſſibilis, Ægrum jam deſperatum fallere, convenit.

Sin verò Medicus ſatis tempeſtivè advocetur priuſquam Æger nimis Tabidus, & Hecticus evadat, curatio Ulcerum, ope artis medicæ interna, quam citiſſimè molienda, & acceleranda eſt. In quem finem uſus copioſus decocti *Sarſæ*, &c. egregiè confert, non tantùm ad emolliendum ſanguinem, quo cruor minùs aeris, & excandeſcens redditus; novum chylum faciliùs ſibi aſſimilare, & in propriam naturam convertere poſſit, & Fluor chyli per Ulcera factus minoretur, quod ſanationem Ulcerum multum promovet; quam ob cauſam proculdubio hæc decocta vulgò exſiccantia audiunt: Quinetiam ad exſudandum, & traſpirandum ſaburram ſuccorum effœtorum, & inutilium in habitu Corporis, & vaſis deliteſcentium per poros cutis, Ego ſequenti formula decocti uti ſoleo.

R. Sar. opt. inciſ. Vn. vj. Rad. Chin., Vn. ij. Lign. Saſſagr. Santal. rubr. Raſur. C. C. Eboris an. Vn. m. Paſſulat. major. exacinat. Vn. iv. Glycyrrhiz raſ. Vn. j. N. M. inciſ. n. j. Poſt debitam infuſionem coquantur in Aq. Font. lib. xij. ad lib. v. ſub finem decoctionis addendo (ſi à tuſſi vel dyſponœa, vel leviſſima ſit pulmonum ſuſpicio) *fol. Tuſſilag. Capill. veneri pulmonar. maculoſ. hædr. terreſtr. veronic. flor. Bellid. major.* an. m. j. *deinde fiat colatura*, & bibat Æger copioſè hoc decoctum pro potu ordinario.

Imò, ſi Ulcera ſint vetera, & curatu difficilia, bibat etiam Æger horis medicis Vn. vj. vel viij. *Aquæ. Calcis*. Cujus egregio ſale, præcipitatis acribus, & acidis ſanguinis particulis, tota maſſa miteſcit, atque inde faciliùs novum chylum amplectitur, & in propriam naturam ſubigit, quo fluctio chyli ad partes Ulceratas, fit minor, & conſequenter expeditior fit ſanatio Ulcerum arte Chirurgica, ob quam rationem vulgò hic etiam potus exſiccativus æſtimatur. Formulam

mulam Aquæ Calcis mihi familiarem hic etiam annectere lubet.

R. Sarſ. inciſ. Vn. vj. *Uvar. Corinthiac. lib. m. Poſt debitam infuſionem coque in aq. Font. lib.* xij. *ad* vj. *Deinde fiat colatura. In hoc decocto exſtingue Calcis vivæ lib. m. quod poſt quam per reſidentiam fuerit depuratum, & ſale Calcis ſaturatum clarè decantetur, & in lagenis vitreis ſerveturin uſu*

Imo, ſi non adſit hectica diſpoſitio manifeſta, durante uſu horum decoctorum, quarto, vel quinto quoque die purgetur Æger, idque, non tantùm lenioribus medicamentis, ut *Decocto ſen. cum Manna*, &c. verùm etiam fortioribus ut *Extract. Rud. Dr. m. aut Pil. Coch. minor. Dr. j.* Imo, ſi Æger cum euphoria purgationem ferat, & opus fuerit, conſcendere licet ad uſum *Scammonii*, & *ipſius Reſinæ Falappæ*, quibus ſemper conjungere convenit doſin *Calomelanos*. Quod medicamentum, corrigendo, & alterando diethesin ſanguinis, egregiè confert ad ſanationem Ulcerum. Formula ſequenti ego uti ſoleo.

R. Diagryd. ſulphurat. vel Reſin Falapp. gr. xvj. *Calxmelan.* gr. xxv. *vel Dr. m. Conſerv., Roſar. Pallidar. vel Syr. deſpin. Cerv. q. ſ. Ms. F. Bolus.*

Vel ſumat æger Catharticum Mercuriale forma pulveris è Cochleari lactis cùm regimine. Quo medicamento faburra effœti, & inutilis chyli in ſanguine, & habitu corporis retenti egregiè per alvum deturbatur, indeque Ulcerum ſanatio acceleratur.

Imò, ſi vires Ægri firmę fuerint, & nullus Hecticæ diſpoſiti onisgradus eum adhuc invaſerit, Salivatio Mercurialis, non tantùm *Calomelanos*, verùm etiam (ſi opus fuerit) ipſius *Turpethi mineralis* promovenda eſt. Quod quidem eſt ultimum aſylum, & Herculeum remedium, quod etiam (ſi cautè ſit exhibitum) in curatione Ulcerum veterum, & obſtinatorum ſatis tutum eſt.

Utiliter etiam hic præſcribi poſſunt remedia Balſamica interna, uti *Syrupus balſamicus*, *Balſamum Leucateli*, &c. Ex. gr. Capiat Æger. ſingulis noctibus *Balſam. Leucatell. & conſerv. Roſ. rubr. an. Dr. m. vel Sc. ij. cum Balſam. Peruv. gut. iij vel iv.* vel bis, aut ter die *Cochl. unum ſyrupi balſamici ritè fact. vel per ſe, vel ſolut. in hauſtu decocti ſarſæ, vel Dr. m. Balſam. Tolutan. in pilulas parvas redact. horis medicis, ſuperbibendo hauſtum decocti ſarſæ*. Vel ſi nullus adfuerit calor febrilis capiat *bis die gt. viij. vel x. opobalſami tantillo ſachari Canti except.*

Sanaſcent verò Ulcere, ſummoperè cavendum eſt, ne loco Tabis communis, à ſubtractione chyli, Phthiſis verè pulmonaris ſubſequatur, quo quidèm ſæpiſſimè accidit. Hac enim maximè uſitata ſucci nutrijporta arte chirurgica, & medica jam occluſa, ſi ſanguis adhuc manſerit effœtus, nec ſuam priſtinam balſamicam, & oleoſam naturam recuperaverit, magis exſcandeſcere, & aceſcere ſolet, & inde ſuccum nutritium acrem, & calidum (per ulcus antea excerni ſolitum) jam in parenchymate pulmonum, (utpote molli, & humorum receptioni apto) deponere ſolet. Unde non tantùm infarctio pulmonum ſequitur, atque inde reſpirationis difficultas; verùm etiam tumor inſignis glandularum, quæ in partibus ſatis frequentes eſſe ſolent, & exinde tuſſis arida, & moleſta, imò calor, & inflammatio, indeque febris non tantùm Hectica, verùm etiam putrida, ſeu potiùs inflammatoria, & tandem Apoſtema, & Ulcera cum ſiti, & inappetentia; quæ omnia in funeſtam, & confirmatam Phthiſin pulmonarem tandem finiuntur. Ideòque, ubi primùm hæc Ulcera externa, & remota ſaneſcere incipiunt, diligentiſſimè, attendere debet Medicus, ut exploret, num vel leviſſimus difficilis reſpirationis gradus, vel quovis aliud ſignum affectionis pulmonariæ ſuperveniat. Imò ſi appetitus maneat imbecillis, vel ſi, vel minimè caloris præternaturalis gradus in habitu corporis adſit, quo vel leviſſima ſuſpicandi Phthiſin pulmonarem occaſio præbeatur, primum ejus inſultum, & progreſſum totis viribus præcaveri oportet more ſequenti. Fiant fontanellę frequentes, radatur caput, continuetur uſus remediorum balſamicorum ante memoratum, & decocti ſarſæ cum herbis vulnerarijs prędictis; vel in ulteriorem temperationem, & alterationem ſanguinis,

guinis, ad diætam lacteam ſtrictiſſimè relegetur Æger. Ob eandem rationem aquæ minerales chalybeatæ hic etiam valde proſunt Depletio etiam pulmonum infarctorum per Thoracica, & Pulmonaria Apozemata, linctus expectorantes, aliaque ejuſmodi in capite de Phthiſi pulmonari poſthac deſcribenda, quamprimùm acceleranda eſt, priuſquam continua calidorum, & acriorum ſuccorum ſtagnatione tonus partium labefactetur, & calor febrilis ſuperinducatur.

Caveat etiam Æger diligentiſſimè à pathematis animi, frigore, exercitiis vehementioribus; uti etiam ab uſu vini, & liquorum ſpirituoſorum, qui apulſum ſanguinis ad pulmones citatiorem, quàm par eſt, efficiant, & calorem in ſanguine præternaturalem accendant.

Si verò nulla ſit ſuſpicio pulmonum, ſaneſcente jàm Ulcere, commendetur Æger hilari animo, benigno & perflatili aeri, & victui euchymo, & pleno, miti tamen, & acrimonię experti, & exercitiis moderatis à quorum uſu ſanguis quàm citiſſimè priſtinam balſamicam, temperatam, & oleoſam naturam induere, & ventriculi appetitus augeri, poſſit.

Qua methodo non tantùm præcavetur futura, verùm etiam curatur incipiens Tabes ab Ulceribus externis proveniens, uti anteà in priorib. capitibus de aliis Phthiſib. originariis à ſucci nutritij ſubtractione oriundis, largius diſſernimus.

HISTORIA.

Uxor D. *Vvbeatley* juxta *Templum* Sti. *Sepulchri*, *Londini*, circa 50. annos nata, ſpatio duorum annorum, lumborum dolore intolerabili, ab inflammatione, & Apoſtemate muſculorum lumbarium inde conſequente, cruciata, progreſſu temporis, à quotidiano dolore noctu, diuque, premente, & à continua impenſa ſucci nutritij in hanc cloacam quotidiè, & copiosè ſeſe exonerantis, in febrem, & tandem in Tabem, ad gradum uſque maraſmi, cum ſiti intolerabili, languore continuo, innappetentia, & vigiliis, ſine aliqua tamen nota Phthiſeos pulmonaris, redacta eſt; adeo ut miſera Muliercula continuò lecto affixa, quaſi ſtatim moritura cum ejulationibus horrendis vitam diu protraxerit. Præ anguſta re domi, Medicum tamen non conſuluit, verùm opinans morbum eſſe calculum renum miſerè ſeſe quotidiè excruciavit medicamentis, neſcio quibus, lithentripticis, qualia vel quevis muliercula ejus ſocia illi profutura eſſe audacter pollicita eſt. Verùm ipſe tamen ab ingenioſiſſimo Dre *Tyſon* eam inviſere rogatus, unaque cum eo obſeruans partes lumbares eſſe tumidas, & renitentes, & ſentiens agitationem materiæ purulentæ ſub impreſſis digitis (etſi paulò profundiùs ob craſſitiem muſculorum, & denſitatem cutis lateſcentis) cum conſenſu digniſſimi Collegæ mei impetravi, uti poſt applicationem cauſtici, apertio in loco convenienti per Chirurgum fieret. Qua apertione jam facta, magna copia materiæ primùm limpidæ dein purulentæ, Cyſtidumque aqua limpidiſſima repletarum, ad minimum Quingentarum magno impetu effluebat. Per tres habdomadas, vel eo ampliùs, turunda quotidie extracta, copioſum pus, & Cyſtides lympha oppletas eduximus. A prima Apoſtematis apertione dolores plurimùm alleviabantur, & moderato uſu Syrupi *de Meconio* ſomnum convenientem capiebat, opeque chirurgica externè, & uſu continuo decocti *Sarſæ* internè in potum ordinarium exhibitæ, ulcus intra ſpatium ſeſquianni (quod tam diu conſultò Turunda argentea Fiſtuloſa apertum ſervavimus) demùm perfectè ſanatum eſt: febris Hectica, & ſitis evaneſcebant, vires augebantur, appetitus, rediit, & à ſtatu maraſmi planè liberabatur, & in aerem ruſticanum apricum, & benignum, verno tempore, atq; ad uſum lacteæ diætæ dimiſſa, intra ſex hebdomadas σὺν σαρϐῷ ſine aliqua nota Tabis evaſit, & adhuc poſt octo annos jàm elapſos ſuperſtes optima valetudine fruitur. Plures ejuſmodi hiſtorias conſultò brevitatis cauſa omitto.

CAP.

CAPUT VI.

De Tabe Nutricum à lactatione nimia.

NIhil aliud est lac, quàm succus Nutritius è massa sanguinea per glandulas mammillares continuò secretus. Ideòque si, ob defectum appetitus, plus succi nutritij è sanguine per mammas longo tempore exugatur, quàm per novum chylum è venis lacteis massæ sanguineæ suppeditatur, non potest non insequi sanguinis depauperatio atque indè Atrophia corporis (quando quidem nutritione debita privatur) & consequenter calor hecticus in sanguine, spiritibus, & habitu corporis, quæ quidem est altera species Tabis originariæ, à subtractione succi nutritij orta; de qua jam tractabimus.

Non est tamen dissimulandum, me tabidam dispositionem lactando curatam interdum observasse, idque non tantum in Uxore mea dilectissima, verùm etiam in plurimis aliis mulieribus. Ex. gr. D. *Vvilson*, Vicina mea, durante lactatione, semper pinguescit, quæ cetera parte vitæ fere instar umbræ tabida incedit. Imo Domina *Thompson*, in vico dicto *Snorehill*, in fatalem Tabem habitualem, indeque in Phthisin pulmonarem, manifestè à subitanea Infantis ablactatione, incidebat. Verùm æquè facile est observatu, omnibus Nutricibus quæ à lactando hoc modo pinguescunt, appetitum manere integrum, imo durante lactatione plurimùm augeri, & exinde facillimum esse rationem hujus φαινομένου investigari: Nempè quòd, appetitu, continua succi nutritii extractione, per Infantis exuctionem aucto, majori copiæ novi, & oleosi chyli locus detur quo sanguis quotidiè ditatur, quod magis, quam omnia medicamenta, ad Tabidæ dispositionis curationem confert. Verùm, si durante lactatione, appetitus langueat, atque inde, ob paucitatem cibi indigesti, minus novi succi sanguini suppeditetur, quàm egeritur per mammas, necesse est ut sequatur hectica dispositio in sanguine, & spiritibus, & Atrophia, seu Tabes in habitu Corporis, idque ob rationes jam ante memoratas.

Primum hujus tabis adventuræ præsagium est Inappetentia, ideoque hanc cautelam omnibus nutricibus do, ut appetitu aliquandiu declinante, protinus ablactent infantes. Secundum signum est languor virium, ab effœto, & depauperato statu sanguinis procedens. Tertium est Hypochondriaca oppressio, & frequens passio hysterica, & suffocatio. Quod quidem Phænomenon non provenit ab Infantis suctione vapores sursum trahente (uti vulgò existimatur) verùm à subtractione succi nutritii magis copiosa, quàm par est. Quo ipsi spiritus, pari ratione cum sanguine, pauperes, & flatuosi evadunt, quòd robur nativum, primogenium amiserint, unde sequitur obstructio, & inordinatus, & ingubernabilis hicce motus spirituum in nervis, & fibrillis musculorum, atque inde oppressiones, & torsiones suffocativæ, & convulsivæ, vulgò dictæ hypochondriacæ, & hystericæ.

Hæc presagientia symptomata, progressu morbi, ab Atrophia, & calore hectico (quod mirum non est) excipiuntur, & sæpe in Phthisin pulmonarem unà cum tussi, anhelitu, &c. terminantur Originariè tamen hæc Tabes est in habitu corporis, idque à nimia subtractione succi nutritij Hæc Tabes quum primùm ad gradum marasmi provecta est, & in Phthisin pulmonarem finitur, plane lethalis, & incurabilis evadit. Principio verò facile curatur, sc. ablactatione Infantis subitanea, quo causa procatarctica removetur. Secundò, præbendo copiosum nutrimentum Ægrotę, è cibis euchymis. Tertiò, appetitum augendo hilaritate animi, usu benigni, & aprici aeris, exercitiis moderatis &c. Imo denique, si hectica dispositio id requirat, releganda est Ægra ad usum lacteæ diætæ, aut aquarum Chalybeatarum. Abstineat autem à vino, & evacuationibus omnibus plusquam justis, uti in curatione Atrophiæ ab aliis evacuationibus ortæ jam supra innuimus.

HIS-

HISTORIA.

Uxor Domini *Brid* amici mei integerrimi habitantis in vico dicto *Fetterlane* circa annos 33. nata, puerum robustum per spatium anni vel ulteriùs lactavit. Post quatuor verò lactationis menses, appetitu privata parùm alimenti indies desumebat indeque in languorem virium, & passiones suffocativas, sive hystericas incidebat, verùm sine Atrophia, vel quavis alia morbida affectione. His verò admonitus, ego (eam jam fortuitò invisens) Infantem statim ablactare jussi, ne in Tabem incideret. Illa verò duobus, vel tribus mensibus in Infantis lactatione, cum appetitu dejecto, adhuc persistens, tandem in Tabem, seu Atrophiam corporis incidit; verùm sine tussi, vel aliqua insigni febre. Vehementer tamen, & fere continuò, de siccitate, & calore valdè molesto circa tonsillas, uvulam, & partes deglutitioni inservientes conquerebatur) sicuti Dominæ *Thompson*, & fere omnibus Lactantibus Tabidis accidisse observavi) Quod Phænomenon, à depauperato, & calefacto statu sanguinis, ob nimiam lactationem exoriri mihi videbatur. Tandem, licèt nimis serò, monitis meis parens Infantem ablactavit, diætaque lactea, & aquis chalybeatis est usa, cum magno emolumento. Appetitu verò ab his (quippe nou satis tempestivè in usum sumptis) non restituto, sufficientem copiam novi chyli jn massam sanguinis recipere non potuit, atque, inde ab omnibus medicamentis abhorrens (consultis licèt optimis Medicis) tandem in Phthisin pulmonarem incidens, cum tussi, anhelitu, & febre hectica planè suffocata moriebatur.

CAPUT VII.

De Tabe à Dysenteria, & Diarrhœa.

IN scorbutica diathesi corporis, in tantum sæpe acescit sanguis, ut ex quavis levi causa irritatus, novum chylum sibi assimilare non possit; quo fit ut ut, continuo fluxu instar rivuli, per glandulas intestinales excernatur. Qui chylus si sit benignus, more Diarrhœæ. sin verò acris, & malignus, more Dysenteriæ cruentæ, morbum fingit. Ab hoc continuo chyli effluxu valde depauperatur, & incalescit sanguis, adeo ut licèt Dysenteria, aut Diarrhœa, opiat rum & adstringentium medicaminum usu (qualia veniunt describenda in capite de Diarrhœa, & Dysenteria) profligetur, calor tamem Hecticus in sanguine adhuc manet, vnà cum Atrophia, & siccitate Cutis, à depauperato & effœto sanguinis statu ortus: Uti accidebat Filio meo unico, & dilectissimo, plurimisque alijs: Quæ Tabes sæpissimè in Phthisin pulmonarem finitur. Est verò præcavenda (Diarrhœa, & Dysenteria propr.js medicamentis priùs curatis) usu longo lacteæ diætæ, corticis *Peruviani*, aquarum mineralium Chalybeatarum, & decocti albi in potum ordinarium. Hæc Tabes frequenter Infantibus denturientibus supervenit. Verùm ex longo usu decocti albi, Julapiorum, & perlatorum medicaminum adstringentium leviter opiatorũ facillimè curatur.

HISTORIA PRIMA.

Filia unica Domini *Tindall*, Adolescentula egregia, scorbutica tamen, & quadantenùs melancholica, circiter xviii annum ætatis, à suppressione purgationum menstruarum, in Diarrhœam serosam, & Colliquativam incidit, ex qua sensim, spatio unius anni, Atrophia universalis, nsque ad gradum Marasmi, inducebatur, sine verò aliqua febre sensibili, vel Tussi, vel dyspnœa, vel aliqua alia nota morbidæ pulmonũ affectionis, adeo ut à Medico, qui eam ante me

cura-

curavit, non omnino pro Tabida haberetur. Ego, cum jam præ debilitate fere perpetuò lecto affixa erat Ægra, eam inviſere accerſitus quaſi Diarrhœa ſola affectam, planè Tabe uſque ad maraſmum confectam inveni, & ita de ea ſententiam meam palam protuli; licet adhuc pulmones ſarti tecti viderentur, nec ullum Indicium aderat febris Hecticæ. Quum primùm verò à regimine debito, & uſu medicaminum efficacium ſiſtebatur Diarrhœa impenſiva, quam prior Medicus ex ignorantia, vel incuria tamdiù permiſerat, illicò flamma hectica in habitu Corporis accendi incipiebat, & pulmones etiam affici tuſſi fere perpetua, & dyſpnœa, quæ ſymptomata tandem ſudore colliquativo, tumore pedum, aliiſque notis funeſtæ Phthiſeos pulmonaris excepta, citò ad ſupremum diem Virginem formoſam, inter lacrymas amicorum, deducebant. Duo hic præſertim notatu digna erant, ſcilicet quòd, quo magis Diarrhœa ſiſtebatur, eo ſemper magis pulmones illicò afficiebantur: Et ſecundò quòd, utcunque per ſpacium fere anni Tabes prævaluerit, ad maraſmum uſque, priuſquam vel labes minima pulmonibus impreſſa videbatur, in cadavere tamen poſt mortem aperto pulmones apparebant ubique tuberculis hic illic referti, iiſque non tantùm crudis, verum etiam aliquibus maturis.

HISTORIA SECUNDA.

Filius meus unicus, antequam annum ætatis octavum attigerat, me abſente, Dyſenteria truculentiſſima corripiebatur, à qua, ante meum reditum, Tabe uſque ad Maraſmum, confici videbatur. Poſtquam verò diligentiſſimo uſu Remediorum omnigenorum Dyſenteria planè vincebatur, & alvus in ſtatum naturalem redigebatur, manebat adhuc calor Hecticus, Cutis arida, Pulſus Celer, cum aliis febris hecticæ ſignis: Inſuper Appetitus purimùm deficiebat, Tuſſis arida invadebat, & ſurditas aliqualis, cum hebetudine Cerebri. Ex electione verò aeris ſalutiferi, uſu Lacteæ diætæ, & poſteà Corticis Peruviani, & nutrimenti euchymi, & pleni, ſpatio trium, vel quatuor menſium, εὔχροος & εὔσαρκος evaſit, niſi quòd ab illo tempore uſque huc, à minima occaſione, tuſſi Aſthmaticæ valdè pronus maneat.

CAPUT VIII.

De Tabe à Diabete, ſeu nimio fluxu Urinæ.

Diabetes vulgò dicitur *Hydrops ad Matulam*, eſtque continuus ſucci nutritii fluxus per renes decurrens, qui cogitabundis, & vini Gallici, liquorumque diureticorum Potatoribus plerumque accidit: Unde urina (ob copioſam ſcilicet novi chyli affluentis admixtionem) ſalſedine ſua privata, dulcis, imò mellea redditur. Hoc continuo effluxu chyli depauperatur ſanguis, indeque inſigniter languent vires. Ab excandeſcentia ſanguinis calor præternaturalis in partibus ſolidis accenditur, unde debilitantur Nervi, atque inde ſpaſmi, vertigines, aliæque generis nervoſi affectiones ſequuntur, tandemque partes muſculoſæ, ſucco nutritio privatæ in Atrophiam, ſeu Tabem incidunt: Uti accidebat filio Domini Pettit, Domino, & Dominæ Wells aliiſque quamplurimis. Hæc Tabes curanda eſt diuturno uſu *diætæ lacteæ*, *conſervæ Roſar. rub. boli Arme. gum. Arabic. Tragacanth.* &c. potatione longa aquarum *Bathonienſium*, *Iſtlingtontenſium*, vel cujuſvis alterius aquæ *mineralis chalibeatæ*. Abſtinendum verò eſt ab uſu vinorum, præcipuè Gallicorum, à Venæ ſectione, omnibuſque catharticis, præter *Rhabarbarum*, *Myrobalana*, aliaque ejuſmodi lenia, quæ etiam ſtypticis partibus ſunt prædita, de quorum vi in hoc morbo debellando mox egregiam referemus hiſtoriam.

HISTORIA PRIMA.

Filius Domini Pettit, à Diabete, cujus curatio diu neglecta fuit, non tantùm epilepticis, & Vertiginoſis affectibus frequenter fuit afflictus, ſed etiam, progreſſu

gressu morbi, valde tabidus evasit. Verùm usu aquarum *Tumbrigienſium*, *lacteæ diætæ*, & *Electuariorum adſtringentium* perfectè restitutus est, jam post decem annos rectè valet.

HISTORIA SECUNDA.

Ipse Dominus Petiit, prioris Ægri Pater Incolaque cujusdam vici dicti *Longlane* jam fere septuagenarius, à *Diabete* in summam hecticam, ultimumque Marasmi gradum redactus, lectoque per tres septimanas affixus *diætæ lacteæ* accuratissimè institutæ, & *Julapiorum*, *Electuariorumque adſtringentium*, à *Diabete*, & febre, tandemque à Tabe ipsa sanus evasit, estque adhuc, quantum ego scio jam post 5. annos superstes.

HISTORIA TERTIA.

Dominus *Vvheeler*, Incola vici dicti *Princeps ſtreet*, licèt jam tres puellas habeat vivas, & sanas, omnes tamen filios, prima infantia [ubi scilicet primùm cœperunt denturire] diabetica Tabe sublatos, amisit. Nomen quidem morbi ignoravit, verùm, dum observaret eodem modo omnes filios periisse, idque, fere circa idem ætatis tempus, atque id, in extremam emaciationem redactos, cum perpetua, & inextinguibili siti, & profluvio Urinæ mirabili, me tandem consuluit de quarto filio, qui tunc denturiebat. Atque, sicuti tres priores jam defuncti, incipiebat immodicè sitire, atque etiam æquè immodicè mingere, quo caro valde flacida reddebatur, calorque hecticus suboriebatur. Ita, mellea Urinæ dulcedine fultus, sententia firmata, Phthisin diabeticam à dentitione ortam pronunciavi; qualis perfectam curationem admittere non possit, usque dum dentium eruptio jam plane completa fuerit. Intra unius, vel alterius mensis spatium, ad faciem Hippocraticam, ultimamque tabis scenam misellus infans redigi videbatur; quippe qui colliquationem per Diarrhœam, æque ac per diabetem pateretur, licet sine Tussi, vel alia aliqua pulmonum affectione. Utcunque, in præsentem symptomatum alleviationem, præscripsi accuratissimam *diætam lacteam* & *Electuarium adſtringens*, jussique, ut sitiens lac solùm aquis *Iſlingtonienſibus* mixtum per totam æstatem biberet. Quo sitis, & profluvium Urinæ aliquantùm supprimi, caroque resarcire videbatur. Morbo autem incertis intervallis, recrudescente, cum insigni per alvum, æque ac per renes colliquatione, quoties scilicet instabat nova dentium eruptio, secundùm prognosticon initio habitum, præscripsi tandem gr. vi. vii. vel viii. *Rhabarbari*, omni mane, & tantillum *diaſcordii* hora somni sumendum. Quorum remediorum diligenti usui infantem committebam, atque in horum usu persistebat per duos annos, ad minimum, donec scilicet omnes dentes erupissent, quò vires, carnesque continuò resarciebantur, meliusq; in dies sese habuit, etsi, aliquantum siti, profluvioque Urinæ detineretur, usque dum otum numerum dentium compleviſſet. Jam verò, quarto ætatis anno finito, sanitate firma, athletico corporis statu frui videtur, ac si nunquam morbo aliquo affectus fuisset.

CAPUT IX.

De Tabe à Salivatione orta.

SAlivatio est vel naturalis, vel arte facta; Estque harum utraque copiosa secretio succi nutritii per Glandulas salivales facta, qua, ob rationes jam prioribus capitibus memoratas, post longum salivationis cursum, sanguis acescit, & incalescit, parteſque musculosæ debita nutritione privatæ in Atrophiam, seu tabem incidunt.

Salivatio naturalis, seu Ptyalismus scorbuticis, plurimum, supervenit, diuque, quoniam sanguis, ob acrimoniam, non potis est novum chylum sibi assimilare, ideoque, in circulatione, eum continuò per Glandulas salivales excernit. Quo fit, ut vel ipsis mulierculis sit notum, nimiam salivationem in Phthisin tendere; quare rite continuam salivæ deglutitionem ad Tabem præcavendam præscribere solent: qua non tantum salivationis

pro-

progreſſus præpeditur (ſputatio enim tractione quadam perpetua glandulas ſalivales ſollicitat, & ad novam excretionem urget) verum etiam chylus per ductus ſalivas incaſſum excretus, naturæ, in ſanguinis reparationem, continuò reſtituitur.

Æque verum eſt etiam omnem ſalivationem arte factam mercurialibus ſcilicet medicamentis excitatam (ſi longa fuerit) hecticam & tabidam diſpoſitionem inducere.

Quo in caſu (ſalivatione jam finita) ad uſum diuturnum *lacteæ diætæ* Æger relegandus eſt, quo ſanguis leniatur, & diſpoſitio tabida præveniatur. Deinde aeri aprico, & benigno, & liberali ciborum euchymorum uſui, imò etiam [ſi opus fuerit] aquarum *mineralium Chalybeatarum* committendus eſt.

Patuit Egregium hujuſmodi tabis exemplum in Filia Domini *Daulton Pharmacopolæ*, quæ à ſalivatione mercuriali ad curandas Scrophulas excitata, ſtatim à finita ſalivatione, in tabem lethalem incidit, & ob ingentes humorum impenſas ſalivatione factas, neque aere, neque lactea diæta, neque ulla alia arte reſtitui potuit, verùm ſenſim Tabe confecta, ſine ulla Phthiſeos pulmonaris nota, poſt unum, vel alterum menſem à ſalivatione elapſum, ultimum diem clauſit.

CAPUT X.

De Tabe ab Hydrope orta.

HYdrops fit *Lymphæductum*, ſeu vaſorum Chyliferorum ruptura, quo ſuccus nutritius (qui naturaliter per hæc vaſa, quaſi perpetuis quibuſdam rivulis, ſub ſpecie, vel lymphæ, vel chyli in ſanguinis maſſam, in neceſſariam ejus reparationem, deferri ſolet) jam continuò in cavitatem abdominis, & Thoracis, vel in ipſos artus habitumque corporis effluit, & depluit. Quò, ſanguis ſolita inſtauratione chyli; vel utriuſque privatus, valde depauperatur, indeque aceſcit, & incaleſcit; unde nemo mirari debet febrem cum ſit, aliiſque ejuſmodi ſymptomatis, inde naſci, uti, & Tabem, ſeu Atrophiam partium, cum languore virium inde conſequente, ob defectum novi ſucci nutritii, atque denique dyſpnœam etiam, ob diſtentionem muſculorum ab humore Hydropico intus contento.

Uſitatiſſima hujuſmodi vaſorum rupturæ cauſa eſt tumefactio glandularum Abdominis, vel Thoracis, vel artuum, per quas, vel juxta quas hæc vaſa perrepunt, & ſuffulciuntur. Quibus tumoribus vaſa illa tenera coarctata, & compreſſa liberum tranſitum præbere non poſſunt, vel lymphæ, vel chylo; indeque, continuo appulſu novi liquoris ad partes vaſorum compreſſas tendentis, & præterfluentis tergum prementis, Vaſa ultrà tonum naturalem diſtenta tandem rumpuntur. Hic morbus eſt valde difficilis curatu, nec quidem ſine lymphæductuum, ſeu vaſorum lacteorum agglutinatione, & conſequenter minutione glandularum tumidarum, quæ vaſorum exilium rupturam comprimendo efficiunt, curari poteſt. Hoc igitur caſu, Indicationes curativæ ſunt quæ ſequuntur.

Primo, Saburram ſucci nutritii extravaſati *catharticis hydragogi*, uti *Reſina Jalapii*, *gutta gamb.* aliiſque capite de *Hydrope* memorandis; atque etiam diureticis, uti *ſale ſuccini*, *Millepedis* &c. ſubducere, & evacuare.

Secundo, Longo Chalybeatorum uſu tumefactas glandulas obſtructionem chyli efficientes, reſerare, tonumque partium tumefacturum exinde reſtituere, & firmare. Quibus factis, Æger copioſè cibis euchymis nutriatur, tandemque libero, & benigno aeri, & uſui aquarum Chalybeatarum committatur, non tantùm in ulteriorem ſanguinis temperationem, verùm etiam in perfectam glandularum obſtructarum reſertionem. Hoc autem in caſu à diæta lactea religioſè abſtinendum, quoniam glandulas jam obſtructas ulteriùs infercit, & conſequenter cauſam morbi procatarcticam promovet.

HISTORIA.

Filius *Thomæ Lechmere* Armigeri, circiter annos duos natus, & denturiens, à frigore percepto, in Peripneumoniam incidit, atque longo tempore, à Pharmacopola, omissis Venæsectione aliisque curationi legitimæ apprimè necessariis, pessimè habitus est. Tandem autem à me & Collega meo eximio, Dre *Croon*, serò licet advocatis, per detractionem sanguinis, applicationem Vesicatoriorum, & linimentorum Thoracicorum, ut & per exhibitionem Medicaminum pulmonarium, quadantenùs restitutus est: Valetudinarius tamen cum tussi, & difficili respiratione mansit, per spatium scilicet anni unius, ad minimum, à quo tempore misellus puer febre hectica, quotidiè intermittente cœpit detineri, quæ licet usu Corticis Peruviani sæpissimè profligata fuerit, citò tamen revirescere solebat, & quidem, incertis intervallis, per annum integrum, ad fatalem usque diem recrudescebat. Ab initio verò febris, Abdomen Hydropico tumore distendi cœpit; qui quidem tumor, mirum in modum, in dies crescebat, cum augmento tussis, & dyspnœæ: quibus omnibus symptomatis Atrophia partium, ad gradum usque marasmi, tandem superinducebatur: In summa verò Corporis emaciatione, & Hydropis ἄκμη (quod notatu dignum) vultum habuit vegetum, & elegantissimum, absque vel minima flavedinis tinctura, Appetitum etiam firmum seu magis voracem, idque, ad funestum usque diem. Quo rectè conjectatus sum, necnon amicis ejus hanc sententiam semper protuli, Hydropem esse verè chylosum factum à depluvio chyli in cavitates abdominis per vasa lactea, ex accidente aliquo rupta, necnon tabem comitantem haud esse verè pulmonarem, sed ex mera inanitione ortam, per subtractionem scil. succi nutritii debitue vasis chyliferis, ruptura jam in iis facta. Quod ab eventu planissimè patuit, Paracentesi enim facta in Abdomine, dum adhuc vivus erat puer, extraximus plurimas libras chyli lactescentis, & admodum dulcis, qualis in ipso ducto chylifero reperitur. Aperto verò post mortem Cadavere, non obstante difficili respiratione, & longa tussi, invenimus pulmones ipsos sanos, & sine aliqua præternaturali affectione, nisi quòd in postica parte, prope Trachæam, glandulæ apparebant valde numerosæ, eæque satis insignes, & duræ egregiam pressuram super ipsum ductum chyliferum efficientes, fere qua parte Venam subclaviam pertingit; erantque adeò insignis ponderis, & molis, quòd ob pressuram super ductum inde factam, ac si à fascia, injecta difficile admodum videbatur, si omnino possibile, ut Chylus sese in sanguinem trajiceret. Atque inde factum est proculdubio, quòd vasa lactea tenuia in abdomine sita (chylo continuò premente & transitum facilem superiùs per ductum chyliferum non reperiente) ultra tonum distenta, tandem rupturam paterentur, atque ita in cavitates abdominis chylum sanguinis reparationi destinatum, quasi continuo rivo, trajicerent. Ex jam dictis prope vel ipsi sensui apparet primò, hos tuberculos, seu glandulas pulmonares tumefactas à malè curata Peripneumonia, ob defectum scil. tempestivæ venæsectionis, & expectorationis, primitùs esse oriundos. Secundò, sicut tussim molestam atque aridam à constrictione vasorum pulmonarium aeriferorum his tuberculis facta, ita etiam respirationem anhelosam à pressura chyli extravasati infra diaphragma ortum habuisse. Tertiò, tabem hanc non fuisse verè pulmonarem, quoniam licet adfuerint tuberculi pulmonares, Apostemata tamen non referebant, neque exulcerabantur: Verùm, revera procedebat hic Marasmus ab Hydrope hoc Chyloso, unde continuò succus ille nutritius subtrahebatur, qui sanguinis reparationi, & partium nutritioni debebatur. Quartò, Hydropem hunc à ruptura vasorum lacteorum in abdomine sitorum ortum habuisse, & denique hanc rupturam exilium Vasorum lacteorum à continua illa pressura in superiorem partem ductus Chyliferi per tuberculos hos pulmonares factam esse.

CA-

CAPUT XI.

De Tabe à Sudoribus immensis orta.

SUdores immensi & chronici fæpissimè in quolliquativos evadunt: His enim, non tantùm saburra veteris effœti, & inutilis chyli, verùm etiam novi, & oleosi copia (ob sanguinis, præ nimia scil. acrimonia scorbutica sensim contracta, assimilandi impotentiam,) per poros cutis liberè excernitur. Quò fit, ut ob continuam sanguinis depauperationem, non tantùm ejus massa acescat; & in febrilem & Hecticum calorem excandescat; verùm etiam partes corporis solidæ, nutritione necessaria, hoc modo jam privatæ, paulatim in Atrophiam incidant, & prorsùs marcescant.

Hic Sudor colliquativus, sicuti omnem Phthisin pulmonarem in statu deplorato, & in ἕξιν comitatur, quum morbus scil. ad fatalem periodum jam præceps ruit; ità in funesto cujusvis morbi statu, semper cum præcipiti naturæ ruina, reperitur: Ideòque hi madores, seu colliquativi, & oleosi Sudores vulgò vocantur *Clammy Death-Sweats*, Viscidies sudori lethales.

Aliquando etiam in Scorbutica diathesi, licet rarò, hujusmodi Sudorem colliquativum observavi locum tenere morbi originalis, cujus excessu, paucis hebdomadis, totum corpus in statum Hecticum, & Tabidum redactum vidi: Quod fit, quoniam ab his profusis Sudoribus in longum tempus productis, sanguinis massa in statum depauperatum, & alitioni inhabilem reduci solet: Unde necessariò sequitur calor Hecticus, & Atrophia partium, cum languore, aliisque tabis symptomatis in habitu corporis usitatis.

Unum, aut alterum exemplum hujusmodi hic subnectere lubet, quorum enarratione curatio hujusce tabis, quantum mihi innotuit, declarabitur.

HISTORIA PRIMA

Dominus *Luffe Presbiter* fere *Sexagenarius* (qui fuit etiam pater Domini *Doct. Luffe* eximij Medicinæ Professoris *Oxonij*) vir à multis retro annis valde Scorbuticus, & melancholicus, vertigini, palpitationi cordis, multisque aliis generis nervosi affectibus sæpissimè erat obnoxius. Super omnia verò de Sudoribus colliquativis continuis noctù diuque, idque tempore tàm hyberno quàm æstivo conqueri solebat. Quo factum est, ut non tantùm frigori valde fuerit obnoxius, à quo vel maximos semper sentiebat dolores in genere nervoso: Verum etiam totum corpus emarcuit, ita ut in censu rapidorum non immeritò habendus fuerit. Verùm *fontanellis* inter scapulas factis, usuque cerevisiæ *Antiscorbuticis* medicatæ in ordinarium potum, & præcipuè longo usu aquarum mineralium tàm chalybeatarum, quàm cathartica-rum, earumque tam hyeme, quàm æstate sumptarum, non tantùm à cæteris generis nervosi affectibus, verùm etiam ab his colliquativis Sudoribus planè liber evasit: Quò factum est, ut vel plurimos ultimæ senectutis annos, cum athletico corporis habitu, sanitate constanti, mente hilari, vultu florido & vivaci degeret, ac si iterùm cœpisset juvenescere.

HISTORIA SECUNDA.

Uxor Domini *Clapton*, Incolæ cujusdam Vici dicti *Lothbury*, circa annos quadraginta nata, Mulier à multis annis valde Scorbutica, & Asthmatica, post quatuor hebdomadas à puerperio elapsas, verno tempore, in acutissimos dolores paulò supra inguen incidebat. Cui, præter linimentum anodinum exterius adhibitum, propinavi haustum aliquãtisper diaphoreticum ex *Aqu. Card. Theriacali, Theriac. Androm. & Syr. de Meconio*; quò factum est, ut in profusissimos, & admodùm fœtidos Sudores colliqueſceret, qui non obstante cauta

stragularum detractione, duabus hebdomadis vel ampliùs, perdurabant, cum insigni virium languore, tabidaque corporis consumptione. Quo observato, Electuaria, & temperata constringentia, & poros cutis obstruentia, aliaque ejusmodi continuò præscripsi, unde Sudores protinùs decrescebant, verùm novo Chylo (ob acrimoniam sanguinis adhuc restantem) reliquæ massæ non ita bene assimilato atque unito, jam commixto, licet pori cutis jam arte essent obstructi; Succus tamen nutritius recens novam sibi portam per alvum moliebatur, quò sudor colliquativus Diarrhœa æque colliquante, unà cum torminibus excipiebatur, habitu corporis indies in pejorem Tabis gradum ruente.

Verùm hac porta, usu opiatorum, & emplasticorum medicaminum itidem occlusa succus nutritius aliam per renes invenit quò misella fœmina in Diabetem cum promotione Tabis, in gradum ferè Marasmi, incidit.

Diabete autem, usu *Gum. Arabic. Electuariorum adstringentium* : &c. evicto; immensi & colliquativi Sudores denuò sunt reversi. Ideòque hanc miseram & tabidam mulierem [Ità suadente etiam tempestate anni jam scil. verna] in aerem perflatilem, & apricum *Hampstadiensem*, dimittere decrevi: qua mutatione aeris, (poris cutis jam tubitò occlusis) in insignem salivationem, per viginti dies, vel eo amplius, versus est morbus, dispositione Tabida adhunc restante, vel etiam magis aucta, usu verò copioso diætæ lacteæ, atque aeris aprici beneficio, massa sanguinis paulatim emollita, etiam succi nutritij colliquato sensim evincebatur, atque inde non tantùm à salivatione, verùm etiam ab ipsa tabida dispositione, libera, in statum εὔσαρκον & ad appetitum integrum indies reducta est: Largo tandem apostemate super inguem, ubi dolor primum invaserat, collecto: Quod apertum, & ope *chirurgica*, curatum fuit. Quò mulier post decem, vel amplius, annos sana superstes fuit etsi posteà asthmate è vivis sublata est.

HISTORIA TERTIA.

Dominus *Fortescus*, Vir ferè sexagenarius, à multis retrò annis scorbuticus, & aliquantisper Asthmaticus, per tres, aut quatuor æstates, continuo calore, imò & ardore lumborum, atque artuum vexatus est. Quo factum est, ut à profusis, & colliquativis Sudoribus, præcipuè verò decubitus tempore, planè confectus fuerit, & in statum marasmi ferè redactus. Tempore verò hyemali, bene se habebat, à calore, æque ac Sudoribus prope liberatus, licet faciem Hippocraticam nunquam deponeret: Hac verò æstate 1688. Lumborum ardor, & sudores profusi adeò prævaluerunt, ut sese in lecto ad dormiendum continere non potuerit; quò tandem factum est, ut appetitu jam languescente, in hydropicum, & œdematosum tumorum crurum inciderit. Post multo, ab alijs Medici, in cassum tentata, tandem ego advocatus, ex usu *Corticis Peruviani*, flammam in sanguine & spiritibus extinguens, sudores etiam intra cancellos moderatos redegi: Quò, Ægro sese in Lecto debitè continente, tumor etiam crurum planè evanescebat, etiamsi macilentus & marcidus adhuc appareat.

APPENDIX.

Hæc *Phthisis*, seu *Tabes generalis* ab inanitione orta sæpe à morbis aliis dependet; Ideòque Tabes generalis symptomatica jure vocari possit: Uti primò a *Lienteria*, quando scil. chylificans facultas Ventriculi, à diathesi præternaturali salivæ, & liquoris nervosi dyscrasia sit læsa: Quo fit, ut sanguis, & corporis habitus [Alimentis, in propria specie, absque ulla alteratione, per intestina deturbatis] nullam indè instaurationem recipere possint; atque hanc Atrophia ex inanitione facta necessariò sequitur.

Haud rarò etiam à præternaturali alteratione, vel obstructione bilis, & succi

ſucci per glandulas totius Fiſtulæ inteſtinalis excerni ſoliti, quique ſecretioni excrementitiæ partis alimentorum à nutritia inſervit, hæc Tabes generalis oritur: Hinc enim fit, quòd chyloſæ partes alimentorum è ventriculo deſcendentium unà cum excrementis fæculentis, vaſorum lacteorum orificia jam præterlapſæ per anum extrudantur; Idque vel in dejectionibus albis, & planè chyloſis ob defectum, vel præternaturalem diatheſin bilis, quod eſt proprium menſtruum ſecretorium chyli (Uti in Ictero cum ſummo corporis languore, & emaciatione ſolet accidere); vel etiam in dejectionibus flavis, uti in Cœliaca paſſione, quæ eſt vel ab obſtructione, vel a natura ſucci Pancreatici & Inteſtinalis depravata, evenire ſolet. In priori caſu, urina colore icteritio ſatis tincta eſt, in poſteriori verò, contrà. In utraque, Chylo, ab excrementitiis ingeſtorum partibus, non ſeparato, ſanguis debita inſtauratione privatur, unde Atrophiam, ſeu Tabem, eamque præcipitem ægros invaſiſſe ſæpiùs obſervavi.

Denique, hæc Tabes generalis ſymptomatica interdum fit à numeroſis, & largis tumoribus ſcrophuloſis in meſenterio præternaturaliter ſitis, à quibus (venis lacteis tanquam filo jam conſtrictis vel compreſſis) liquoris nutritii in inteſtinis ſeparati, & per oſcula venarum abſorpti, tranſitus in ſanguinis maſſam, vel in totum, vel in partem impeditur. Quo in caſu, ſedes ſunt copioſæ, & chyloſæ, Abdomen indureſcit, Urina verò minima quantitate, ſed ſano colore fluit. Inde, ſanguine novo chylo indies non ſaturato, partes muſculoſæ nutrimento debito privatæ quotidie marceſcunt, tandemque ad maraſmi gradum extenuantur, etiamſi appetitus ſit Vorax, atque Æger in ſtatu ἀκρυπξίας perpetuò ferè maneat; Cujuſmodi exemplum ſemel mihi in puero circa quatuor annos nato oblatum eſt, cujus hiſtoriam ob maximam raritatem, mox referemus.

Omnes hæ Phthiſes ſimptomaticæ, non habito priùs ſpeciali reſpectu ad morbos à quibus dependent, ſunt prorſus incurabiles, his verò arte ſublatis, hæcce Tabes ſponte ſuam ceſſat; ideòque curatio hujus Phthiſeos, alibi (in morborum ſcilicet, rationem cauſæ habentium Therapeia) quærenda eſt.

HISTORIA PRIMA.

Filius cujuſdam Civis in platea vulgò dicta *Vvood ſtreet*, circa annos IV. natus, abſque ulla febre, vel tuſſi, verùm Abdomine inæqualiter duro, & tumido, pauciſſima urina, ſani tamen coloris, dejectionibus frequentibus, copioſis, & planè chyloſis, ad ultimum maraſmi gradum ſenſim redigi videbatur: Appetitus nihilominus per totum invaletudinis tempus, integer, vel potius vorax durabat, unde facilè coniiciebam trajectionem chyli per venas lacteas, à frequentibus, & prægrandibus tumoribus granduloſis ſparſim in Abdomine ſitis, multùm impediri, Tabemque exinanitione hoc modo factam ortum ſuum duxiſſe.

Præſcripſi *Emplaſtrum Diaſapon toti abdomini imponendum, & Iulapium ſequens copioſè, & frequenter propinari.* ℞. *Aqu. petroſel. fenic. an.* ℥iv. *aqu. Lum. bric. mag. Syr. e v. Redic. an.* ℥ii. *ſalis ſuccin. nitidiſſ. & ab oleo optimè depur.* ℥ß. *m. F. Iulapium.*

Hunc liquorem præter ſpem omnem, avidiſſimè petebat, quemvis alium planè reſpuens, ita ut 24. horarum ſpatio duplicem quantitatem Julapii præſcripti bibendo conſumeret. Quò, Abdomine jam detumeſcente, urina mirum in modum fluebat, & ſedes rariores, minuſque chyloſæ reddebantur, brevique ſpatio, ex uſu frequenti, & copioſo hujus *Iulapii & Rhabarb. toſt.* cum *Diaſcord.* in formam boli commixti, puerulus, præter ſpem amicorum omnium maraſmo tandem liberatus eſt.

HISTORIA SECUNDA.

Nuperrimè (ubi ſcilicet hæc jam ſcripſiſſem) accerſebar ad inviſendum filium Domini *Gouge* ad inſigne *Annuli Corneliani* in vico dicto *le Strand*, puerum circiter ſex annos natum, & maraſmo planè in ſceleton redactum; Ubi primùm in cauſam hujus Tabis diligentiùs inquiſiveram, illicò deprehendi abdomen valde, & inæqualiter diſtentum, Tuberculis hinc indè racematim diſpoſitis, ubique refertum; quod tamen non niſi vehementi preſſura per digitos facta diſcerni poterat.

Sedes etiam erant multæ, & Chyloſæ, Urina perpauca, verùm ſana; Tuſſis nulla, Reſpiratio ſatis libera, Aſpectus tamen admodùm melancholicus, & planè lethalis, & vultus ſqualidus & pallidus.

Præſcripſi *Decoctum Album*, & *bolum cum Diaſcord.* & *Rhabarb. Toſt. an.* ℈ß. ſemel in hebdomada deglutiendum; *Emplaſt. Diaſap.* Abdomini imponendum, & *Iulapium* jam priori hiſtoria memoratum, quod *ſale ſuccini* egregiè fuerat impræegnatum, ad libitum bibendum.

Quod de priori Ægro narravimus, idem hic etiam fœliciter contigit. Puer enim quemvis alium liquorem reſpuens, hunc diù noctuque petebat, ad conſumptionem ferè ℥xxiv. ſingulis diebus. Quò factum eſt; ut ſpatio duarum hebdomadum, vel eo minus, dejectiones alvi redderentur naturalis conſiſtentiæ, coloris, & quantitatis. Copioſa etiam Urina fluebat. Abdomen, ultrà quàm credi potuit, detumeſcebat: Neque tuberculos in eo deliteſcentes, exploratione jam facta per digitos diligentiſſima, ampliùs deprehendere potui. Appetitus, & ſitis naturaliter ſeſe habebant. Senſim etiam indies carnes augeri videbantur. Evictis jam melancholia, & laſſitudine, puer non tantùm etiam Vultus nitorem, & vegetum calorem quadantenùs revocare videtur; adeò ut de ejus ulteriori reſtitutione haud ampliùs ſim ſollicitus.

PHTIHSIOLOGIÆ

LIBER SECUNDUS.

De Phthiſi Pulmonari Originali.

Phthiſis Pulmonaris eſt Conſumptio totius Corporis cum febre, à mala affectione, & ab ulcerarione Pulmonum tandem, originem ducens. Quæ quidem eſt Phthiſis maximè famoſa, & κατ' ἐξοβήν dicta, de qua Authores tractare ſolent, tanquam nulla eſſet alia Phthiſeos ſpecies. Ideoque de ea paulò uberiùs, hoc loco, diſſeremus.

Hæcce Phthiſis Pulmonaris eſt vel Originaria, quæ à mala diatheſi, & ulceratione pulmonum primo inſtante dependet. Vel ſecundaria, & ſymptomatica, quoties ſcilicet pulmones à morbis præcedentibus jam altiùs afficiuntur.

Quandoquidem verò in Phthiſeos Pulmonaris ſymptomaticæ curatione, ſpecialis reſpectus ad morbum primarium, à quo Phthiſis originem ducit, ſemper ſit habendus, & curatio ejus aliquatenus, pro genio ejuſdem morbi, ſit varianda: In ultimo hujus tractatus libro, ex profeſſo, de curatione hujuſmodi Phthiſium tractabimus, præmiſſa in hoc generali diſquiſitione (quantum nobis obſervaſſe licuit) de natura, cauſis, ſignis, differentiis, prognoſticis, indicationibus curativis, & methodo curationis Phtiſeos pulmonariæ.

CAP. I.

De Cauſis Phthiſeos Pulmonaris Originariæ.

Cauſa Phthiſeos Pulmonaris in genere, eſt totius maſſæ ſanguineæ, & ſpiritus nervoſi prava diſpoſitio, à variis cauſis procatarcticis ſenſim contracta, qua ſerum ſanguinis acre, vel malignum, per molle, & granduloſum pulmonum parenchyma ſecretum

pul-

pulmones ipſos infercit, & inflammat, tandemque etiam exulcerat, quę quidem cauſa continens eſt huius morbi.

Cauſæ procatarcticæ, ſeu primam anſam huic morbo præbentes, ſunt *Primo;* Suppreſſio ſolitarum evacuationum, veluti menſtruarum purgationum, lochiorum, veterum ulcerum, & præcipuè fiſtuloſorum, fontanellarum, ſudorum per plantas pedum, aliaſve partes corporis prodeuntium, Gonorrhœæ, fluoris albi, aliarumque hujuſmodi, idque abſque correctione, vel remotione cauſarum à quibus iſta dependent: Quo fit, ut vel ipſe ſanguinis ab iſtis humoribus (à natura excretioni, ſeu cuidam exilio damnatis; verùm in maſſa ſanguinea ab injectis repagulis, diutiùs quam par ſit retentis) inquinetur, & in ſtatum morbidum reducatur. *Secundò*, Pathemata animi graviora, præcipuè verò metus, triſtitia, iracundia, cogitatio nimia, & nimis anxia, uti & ſtudia intempeſtiva, & nimis longa, cum aliis hujuſmodi. Quæ non tantùm vitiando ſpiritus animales atque exinde naturalem ſanguinis fermentationem impediendo; verùm etiam conctractionem ſpaſmodicam ferè continuam molli pulmonum parenchymati incutiendo, plurimùm huic morbo conferunt. *Tertiò*, Cibi, & potus nimis plena, & intempeſtiva ingurgitatio, uti etiam incautus ciborum, & potuum excrementis abundantium, & digeſtioni minùs aptorum delectus; præcipuè autem vinorum, & liquorum valde ſpirituoſorum nimia potatio. Quod, ubi ſit curis & mœſtitiæ ceteriſque animi pathematis conjunctum (quantum mihi obſervare contigit) uſitatiſſima cauſa eſt Phthiſeos pulmonaris. Hinc enim corporis habitu à ſaburra humoris effœti, & in utilis, more œdematis adimpleto, tota ſanguinis maſſa inquinatur ſeroſaque & acris, tandemque in flammam hecticam diſpoſita redditur. *Quartò*, Exercitii debiti neglectus, quo excrementa, quæ uſitata naturæ lege per cutim propulſari debuere, intra ſanguinem detenta criſin ejus ſenſim evertere ſolent. Ex hoc defectu etiam ſtagnatio humorum in habitu corporis, & obſtructiones variæ hic illic in ipſis fibrillis oriri ſolent. Quæ non parum ſanguinis putredini, & ſpirituum labefactioni conferunt. *Quintò* Studia nocturna, & longæ vigiliæ, quæ non tantum ſpiritus animales fermentationi ſanguinis neceſſarios debilitant, verùm etiam recrementa per diaphoreſin in lecto excerni ſolita intus retinent, quo univerſam maſſam ſenſim inquinari quis miretur? Huc ſpectat etiam ſomnus diurnus, & longus, præcipuè verò à paſtu, qui ſicuti tardando ciborum digeſtionem, eo maſſam ſanguinis effœtam, & chylo inutili plenam reddit, (qua de cauſa frequentes, graveſque tuſſes naſci ſolent): Ita ſpiritus animales nimis intempeſtivè conſopiendo, indeq; fermentationem, & volatilizationem novi chyli impediendo, totam ſanguinis maſſam nimis ſeroſam, atque acrem efficit. *Sextò*, Aer etiam paluſtris, & denſus, carbonumque fumo oppletus, vitiando ſpiritus animales, legitimæ ſanguinis fermentationi adeo neceſſarios; atq; etiam inferciendo, & debilitando pulmones reſpirationi deſtinatos, qui ſunt hujus morbi ſedes, & theatrum, egregiè Phthiſin promovet. *Septimò*, Diſpoſitio etiam hereditaria ſæpè ſæpius Phthiſin pulmonarem infert, cum omnibus ſit ſatis notum, natos à phthiſicis Parentibus in eundum morbum eſſe proclives. *Octavò*, Mala pectoris formato, ſive ea fuerit naturalis, ſive accidentalis, in hac re partes ſuas habet. Naturalem eam appello quę ſit cum pectore conſtricto, longo collo, & humeris alatis: accidentalem vero quæ ſit cum curvitate, ſeu diſtortione pectoris; qua non ſolum partes thoracicæ, ſpeciatim pulmones tono ſuo jam debilitati, ſeroſis fluxionibus redduntur obnoxii; verùm pulmones etiam neceſſaria dilatatione privati, & coarctati, morbidum ſanguinis ſerum in ſeſe coacervant, atque retinent, quo fit ut tandem obſtructiones patiantur. *Nonò*, Contagium etiam hunc morbum propaget. Hic enim affectus (uti frequenti experientia obſervavi) lecti ſocios miaſ-

mate quodam, ſicuti febris maligna, inquinat. *Decimò*, Lapides etiam cretacei in pulmonibus præternaturaliter generati; vel clavi, aliaque dura corpora in pulmones per riſum demiſſa, inter Phthiſeos pulmonaris cauſas numeranda ſunt. Quibus non ſolùm tuſſis moleſta humorum fluxum proritans, verùm etiam Apoſtemata, & exulcerationes procreantur, plerumque etiam præcedente Hæmoptoe pulmones in Apoſtemata, & ulcera diſponente. Quorum hiſtorias poſthac memorabimus. *Undecimò*, Morbi etiam particulares, qui ſanguinis, & ſpiritum Diatheſin corrumpunt, atque evertunt, huic morbo anſam præbent. Unde Phthiſis ſimptomatica (de qua in fine hujus tractatus ex profeſſo diſſeremus) inſequitur; Uti ſcorbutus, ſcrophulę, convulſivæ, & præſertim Hyſtericæ, affectiones, modò fuerint chronicę, item febres, & præcipuè intermittentes, ſcarlatinæ, & crapuloſæ, variolæ etiam, & Morbilli, Calculus renum, Lues venerea, Aſthma, Hęmoptoe, Peripneumonia, Pleuritis aliique morbi thoracici malè curati, item Chloroſis, Melancholia fixa, Arthritis, & Rheumatiſmus.

Ab his, aliiſque hujuſmodi cauſis procatarcticis, corpore jam in Phthiſin prędiſpoſito, immediata cauſa hujus morbi ut plurimùm eſt perceptum frigus, quo fit ut, in corpore tali modo diſpoſito, per ſaburram humorum, vel ſeri à morbido habitu corporis in pulmones continuò derivati, tuſſis naſcatur non leviter excutienda, qualis accidere ſolet in frigore accidentaliter percepto, ubi materia intra paucorum dierum ſpatium in putridum phlegma concoquitur, atq; inde per tuſſim completè excernitur, (uti Capite de Catarrho fuſius explicabimus.) Quinimo à minera peracrium, & malignorum humorum in habitu corporis ante à congeſtorum (nova materia per circulationem ſanguinis continuò ſuppeditata) perpetua, atque importuna tuſſis ad fatalem uſq; diem producitur: Sero à glanduloſis pulmonum partibus, perpetuo quaſi rivo ſecreto, neque concoctionem ullam admittente, uſque dùm pulmones, præſertim vero partes eorum glanduloſæ, infarctione tumeſcant, & indureſcant, tandemque præ acrimonia humoris per has teneras, & molles vias excreti, tonus partium planè evertatur, & exulceretur: Quæ quidem cauſa eſt continens Phthiſeos Pulmonaris.

CAPUT II.

De gradibus & ſignis præſagientibus phthiſim Pulmonarem Originariam, unà cum Indicationibus Prophylaſticis.

GRadus hujus morbi ſunt qui ſequuntur, ſc. 1. Infarctio Pulmonum à ſero ſanguinis inibi copiosè ſecreto 2. Tumor renitens, præſertim vero in partibus Pulmonum glanduloſis, ab eodem ſero partes iſtas nimis diſtendente, & difficilem exitum habente. Qui tumor videtur mihi eſſe Tuberculum crudum à Galeno memoratum: Quæ tubercula, ſive crudos, & glanduloſos tumores, ſępè in Phthiſicorum cadaveribus deprehendi cùm cæteræ pulmonum partes Apoſtematibus & exulcerationibus eſſent obſitæ. 3. Inflammatio pulmonum à ſeri hujus calore, atque acrimonia oriunda. Denique etiam harum partium inflammatarum Apoſtema, & exulceratio, ubi ſc. morbus jam ad ſtatum, & ἀκμὴν ſuam pervenit.

Signa Phthiſeos pulmonaris ſunt vel Prognoſtica, vel Diagnoſtica & Pathognomonica: Prioris generis ſunt quæ ſequuntur. 1. Ortus à parentibus Phthiſicis; ſiquidem iſte morbus (quantum mihi obſervare licuit) eſt præ cæteris omnibus hæreditarius. 2. Mala thoracis conformatio, ſive ea naturalis fuerit, ſive accidentalis. 3. Vox natura, vel ſaltem uſu atque habitu, exilis, & clangoſa; quippe quæ vel à naturali pulmonum debilitate, vel ab obſtructione glanduloſæ tunicæ Trachææ, & boraochiorum per glutinoſum & viſcidum phlegma procedat. A quacunque verò harum cauſarum phænomenon iſtud oriatur, Phthiſin pulmonarem

narem mox subsecuturam minatur. 4. Cutis alba, & mollis, unà cum gracili corporis habitu. 5. Habitus musculorum mollis, & œdematosus, à copiosà infarctione succi nutritij veteris, & effœti proveniens. 6. Hypochondriacæ oppressiones chronicæ regionem pectoris, instar cujusdam molesti ponderis gravantes, uti, & frequentes, diuturnæquè, & insolitæ suffocationes Hystericæ in ijsdem locis ob versantes. 7. Cogitatio, anxietas, tristitia, & iracundia insolita, præsertim si fuerint absque manifesta causa. 8. Suppressio solitarum evacuationum per fontanellas, vel ulcera vetera, item Lochiorum & fluoris albi, & hujusmodi reliquorum. 6. Hæmoptoœ, etsi fuerit accidentalis. 10. Matutina & diuturna phlegmatis nigri & viscosi excretio: quippe quod procedit à glandulis in pulmonibus juxta trachæam positis, humore nigricante repletis. Quod symptoma sicuti scorbuticis, & scrophulosis familiare est, ita Phthisin Asthmaticam progressu temporis insecuturam monstrat. 11. Phlegmatis exscreati salsus, atque acris sapor: quod universum sanguinis serum pari gradu salsum esse atque acre subindicat. Quod ubi permolle pulmouum parenchyma, à percepto frigore grandi, copia fuerit trajectum, & secretum, eos inflammare, & exulcerare mirum in modum aptum natum est. 12. Proclivitas in copiosum salivæ fluxum, per glandulosam linguæ tunicam, perque ductus salivales, & Tonsillas, idquè vel cum, vel sine evidenti causa. Quod symptoma scorbuticis, & Hypochondriacis admodùm familiare est, diathes inque sanguinis colliquativam indicat: nempe eum, præ nimia acrimonia præternaturali, novum succum nutritium perfectè sibi assimilare, & rectè sibi admiscere non posse, adeòque eum in has glandulosas partes deponere, & consequenter, progressu temporis, molli pulmonum parenchymati obtrudere. Undè Phthisis originem suam ducere solet. 13. Diuturna & increscens appetitus prostratio, absque ullo alio morbo conjuncto, adeò uti Æger absque multis exercitiis, & magnis abstinentiæ inter vallis, ciborumque gratissimorum delectu, alimentum, plena & usitata copia, sine fastidio & nausea admittere non possit: Nec quidem ingestum cibum, saltem copiosum, absque oppressione ventriculi, & lassitudine membrorum gravativa digerere, & distribuere valet. Quod quidem symptoma viam in Phthisin sternit: Siquidem à nimia vasorum, & habitus totius corporis repletione, à succo nutritio veteri & effœto facta, procedit, quo locus recipiendo novo chylo non datur, ideòque à natura minimè appetitur. Quæ inappetentia adhuc magis augetur, si phlogosin, in tota massa sanguinis, à præsenti catarrho per continuam pulmonum agitationem, & ob serosum & colliquativum sanguinis statum accendi contingat. Quo in casu prout sitis augetur, fames etiam imminuitur: Aliàs verò inappetentia universalis ob nimiam vasorum repletionem insequitur, adeo uti Æger potum, æquè ac cibum planè respuat. 14. Calor molestus, & chronicus, saltem plantis pedum, & volis manuum ortus, præcipuè à pastu, unà cum pulsu aliquantùm quàm par est celerlori. Siquidem symptoma hoc, inflammatorium & hecticum spirituum statum, & consequenter acrem, serosam, & colliquativam sanguinis Diathesin arguit, quibus de causis Phthisis pulmonaris oriri solet. 15. Angustia & oppressio pectoris, cum continua ferè respiratione aliquantùm difficili, & anhelosa conjuncta. Quod symptoma non tantum scrophulosis, ob tumorem glandularum plumonarium, familiare est; verùm etiam scorbuticis, & hypochondriacis, propter constrictionem pulmonum, Diaphragmatis, & musculorum respirationi inservientium, à levi scil. gradu spasmodicæ affectionis nervorum motui eorum dicatorum. 16. Dispositio Catarrhali. Quando scil. Æger, vel ob leviſſimam quamvis occasionem, imò aliquando sine ulla evidenti causa, frequeuter tussi obnoxius est. Hoc enim symptoma sanguinis acrimoniam, & statum colliquativum indicat. Quo fit quòd continuò ferè, è saburra humorum in habitu corporis latente,

ferum sanguinis acre per totam glandulosam Trachææ tunicam, perquè molle pulmonum parenchyma secerni, & excerni soleat Quod quidem signum est Phthiseos pulmonaris jam instantis evidentissimum; quæ certissimè invasura est, ubi pars serosa sanguinis, vel à liberali liquorum spirituosorum potatione, vel ab immani frigore percepto, vel quacunque alia de causa tantam acrimoniam contraxerit, quanta pulmonibus inflammandis, & exulcerandis sit sufficiens. 17. Omnes isti jam memorati morbi, uti Scorbutus, Scrophulæ, Chlorosis chronica, Peripneumonia, Hæmoptoe, Pleuritis, Rheumatismus, Asthma, &c. qui Phthisi pulmonari ansam præbere solent. Corpore enim hoc modo tanquam habitu aliter præcisposito, Phthisis pulmonaris, eàque non rarò incurabilis, à frigore immani proximè percepto, frequentissimè invadit; Et quidem omnis ferè catarrhus eodem tempore Phthisin subsecuturam minatur.

In præcautionem igitur Phthiseos (quæ multò facilior est quàm ejus curatio) plurimùm interest dum Ægri in hoc valetudinario statu manent, accuratissima uti diligentia, ne ullus in sex rebus non naturalibus committatur error; In hoc enim tam lubrico sanitatis statu, a levi aliqua hujusmodi occasione præcipites in fatalem Phthisin ruere solent. Ex. gr. *Primò*, Prudentem delectum cibi & potus habere oportet, quo succus chylosus reddatur euchymus, alimentùmq; minimum laborem naturæ in digerendo, & distribuendo facessat. Caveant etiam à ciborum, licèt euchymorum ingurgitatione, uti & vini, & liquorum spirituosorum nimia potatione. *Secundò*, Prima parte noctis capessant somnum. Abstineant autem à somnis diurnis, imò & à matutinis nimiùm productis; quoniam saburram humorum immunem in habitu corporis retinere, & accumulare solent. *Tertiò*, Exercitiis moderatis, diutinisque frictionibus, ad humores effœtos ex habitu corporis per poros cutaneos educendos, quotidie utantur. *Quartò*, Ab omnibus catharticis fortioribus religiosè abstinendum; quandoquidem ista non tantùm naturam debilitant, verùm etiam sanguinem nimiùm agitando, ab acribus scilicet particulis, acescere & incalescere faciunt; atque eum in statum magis serosum, & colliquativum reducunt, quo Catarrhus, & Phthisis pulmonaris supervenire solent. *Quintò*, Omnibus licitis modis Æger curas, mœstitiam, omnemque fixam cogitationem (quantum in se est) sedulò deponat, animumquè sibi hilarem nitatur consiliare. Phthisin enim pulmonarem à pathematis animi diuturnis, & gravioribus ortum suum duxisse sæpissimè notavi. *Sextò*, Aere utatur aprico, perflatili, benigno, & à fumo carbonum libero, qui non solùm spiritus animales, genusque nervosum confortet, & consequenter appetitum languentem restituat, verùm etiam pulmonibus jam continua tussi calefactis pacem (aliquatenùs saltem) conciliare possit. Verùm à novo frigore percipiendo apprimè cavendum. Corpore enim tali modo saburra humorum repleto, omnis novus Catarrhus in Phthisin tendit, *atque hinc illæ lacrymæ*.

Atque hic quidem veniam jam nimium properantis calami impensè rogo [si quemquam gravari possit] dum paulò ulteriùs [strictim licèt] indicationes præservatorias hoc capite suggeram, idquè priusquam methodico discursum filo, in uberiorem indicationum curativarum campum descendam.

Indicationes prophylacticæ generales in hoc valetudinario statu præcipuè sunt tres. Evacuatio chyli effœti in habitu corporis delitescentis: Temperatio præternaturalis caloris hectici in sanguine, & spiritibus ab humorum stagnatione recens facti: Et Confirmatio toni partium, & consequenter earum deobstructio; quibus neglectis, Cacochymia, & flammæ præternaturalis revirescentia omnino metuenda est.

In hunc finem, utcunque fortiora cathartica [uti anteà innuimus,] hic malè audiant, apprimè tamen convenit saburram humorum, κατ' εὐκρασίαν benignis, & stomachicis purgantibus

tibus paulatim per alvum ſubducere, uſquedùm corpus ab œdematoſo, & infarcto, in priſtinum, & naturalem ſtatum reducatur.

Cujuſmodi purgantia ſunt, *Pilul. Stomachic. cum gummi*, *Aloephanginæ*, *Aloe Roſata*, *Pilul Maſtichin. Ruffi*, *Decoctum Amarum*, &c. Reliquis verò omnibus præfero *Tincturam ſacram*, *Aquas & minerales purgantes*, quæ ſicuti humores effœtos paulatim, cum εὐφορίᾳ, & abſque nimia agitatione ſubducunt, ità etiam magis temperant, quàm nova phlogoſin in ſpiritibus, & ſanguine accendunt (quod non rarò ab aliis Catharticis evenire ſolet) & ventriculi etiam flacceſcentis tonum, cum augmento appetitus, corroborant. In eundem etiam finem Diuretica, & Diaphoretica, in ulteriore ſeroſæ colluviei ſanguinis eductionem, multùm conferunt. Horum verò medicamentorum cautè ſemper habendus eſt delectus, uti ceteris præferantur ea, quæ minimum caloris, & acrimoniæ, ſanguini impertiant. Inter Diuretica *Mille pedes crudos*, vel *præparatos*, *Terebinthinam*, *Balſamum Leucatelli*, & *Sulphuris*, aliaque è *Terebinthina* facta, præcipuè verò aquas minerales chalybeatas, & inter illas, aquas, *Sadlerianas Iſlingtonienſes*, ceteris omnibus præfero; quarum vim non tantùm in multis aliis, verùm etiam in memetipſo, per quinquennium jam fœliciſſimè expertus ſum, utpote quæ ſpiritu minerali, præ ceteris (quas mihi adhuc in variis *Angliæ* partibus experiri contigit) copioſo imprægnentur, quibus, in ultimos corporis receſſus, fulguris inſtar, penetrantes, obſtructiones reſerant, urinamque admodùm copioſam cient; neque tamen Potatores ejus, vertiginoſa temulentia, oppreſſione ventriculi, & ingenti manuum pedumque calore, ſub finem purgationis fatigant ſicuti aliæ aquæ chalibeatæ ſolent.

Inter Diaphoretica. *Decoctum ſarſæ* primas meretur, quod non tantùm tranſpirationem per poros cutis efficit, verum etiam ſanguinis maſſam lenit, & emollit: Uti & *Ceruſſa Antimonii*, *Antimonium diaphoreticum*, &c. quæ quidem antimonialia medicamenta non minùs Diuretica, quam Diaphoretica.

Si ſanguis, vel minimo quidem gradu, præternaturaliter incaleſcere videatur, convenit in ejus ventilationem, & in vaſorum depletionem, moderatam ejus quantitatem, primo limine, detrahere. Quamvis enim Venæſectio, jam confirmata Phthiſi, malè audiat, quippe quæ, tunc temporis, non tantum ſine fructu, verùm etiam cum præcipiti naturæ ruina celebretur: Nihil tamen (modò ſatis tempeſtivè adminiſtretur) ad flammam hecticam lateſcentem in ſanguine, vel præveniendam, vel extinguendam, magis conducit. Quo pacto inflammatio, & tumefactio, conſequenterque ipſorum pulmonum ulceratio; imò & ipſa Phthiſis, una cum tuſſi, dyſpnœa, reliquaque dirorum ſymptomatum caterva (aliis etiam neceſſariis medicamentis juſta methodo exhibitis) fœliciter præcaveri poſſint. Et quidem multiplici experientia edoctus, nullus dubito, quin multi a Peripneumoniæ, Catarrhis communibus, aliiſque ejuſmodi morbis, in fatales Phthiſes præcipites ruant, eo quod ex incuria Medici, vel etiam Ægri, & Aſſantium amicorum metu; ſanguis non ſatis tempeſtivè, vel frequenter, vel copioſè, per Venæſectionem fuerit detractus. Quo fit ut, ſanguine calorem hecticum retinente, pulmones calidiores, quam par eſt, diu maneant, atque inde confluxus fit humorum in partem affectam defluentium vel potiùs copioſa ſecretio novi chyli per glandulas pulmonares: A quibus, immanes, atque aridæ tuſſes, inflammationes & tandem, (ubi ſcilicet Phthiſis ſummos attigit gradus) exulcerationes inſequuntur. Ideòque haud ullis febre laborantibus ſanguinem adeo libera manu, idque cum optimo ſucceſſu, ſoleo detrahere, atque hiſce valetudinariis Phthiſicis, quoties ſcil. illos febricitare contingit: Nec me quidem

un-

unquam adhuc hujus facti pœnituisse memini.

Si Catarrhus vel minimum gradum caloris hectici habeat conjunctum, & cetera etiam consentiant, usus etiam Opiati frequens hic est admodùm necessarius, idque non tantùm ad quietandos pulmones jam continua tussis agitatione calefactos, verùm etiam ad temperandam, & demulcendam totam sanguinis massa, Adeò ut omninò conveniat singulis, vel alternis noctibus exhiberi. *gr. jß. Laudan. Lond. in morsulo Conserv. Ros. rubr. vel ℥j. Syrup. è Mecon. cum ℥iij. Aq. Cact. & ʒiij. Aq. Epidemic. veter. vel gut. xx. Laud. Liqu. Helmontij, in Cochleari syrupi Balsamici aliàs describendi, vel ℈ß. Pilul. Syngloss. vel è Styrace.*

Imò in hoc casu nullum catharticum, præter aquas minerales purgantes, sine mixtura *Laudani* præscribendum est, ne ex nimia humorum agitatione, tussim, & calorem augeri contingat. Ex. gr. ♃. *Aloes Rosat. ℈j. vel ʒß. Pilul. è Cyngloss. ℈ß. vel gr. xij. MS. F. Pilul. jv. deaurandæ, & hora somni sumend. vel ♃. Tinctur. sacr. ℥ijß. vel ℥iij. Laudan. Liqu. Helmon. gut. xv. vel xx.*

Hujusmodi Cathartica tertia, vel quarta quaque nocte præscribantur, & sequentibus matutinis ℔. iv. Aquarum purgantium, vel frigidarum, vel coctarum pro tempestate anni.

Diebus, quibus purgatio non instituitur, oportet lenem humorum subductionem per cutim, & renes, intento animo aggredi, eamque, ejusmodi diureticorum, & diaphoreticorum usu, quæ præternaturalem sanguinis phlogosin magis minuant, quàm augeant. Ex. gr.

Sumat Æger ter die *emulsionem millepedarum 50. contusarum, in haustulo Aquæ Lactis, Petroselin.* vel *Fæniculi, Syrupo etiam è v. Radicib. gratè edulcoratam.* Vel ♃. *Milleped. ppt. ʒij. Ceruss. Antimon. ʒj. Terebinth. in aqua plantagin. lot. q. s. M. F. Pilulæ mediocres, pulvere glycyrrhiz involvendæ*, è quibus capiat tres, ter die, horis medicis, superbibendo ℔. ß. *Decocti sarsæ, & chinæ*, & cavendo ab aprico aere. Cæteris autem omnibus, longa experientia edoctus, in hunc finem, Aquas minerales Chalybeatas preferre soleo; quippe quæ laticem serosum, magna copia, e toto corporis habitu per renes præcipitando, & hecticum calorem sanguinis, spirituum temperando, (*Isllingtoniæ*, scilicèt) in usum publicum, cum inclyti Collegij nostri consensu primùm redactæ sunt. Atque harum ope, plurimos præservatos, aliosque quidem à Phthisi insigniter restitutos vidi, de quorum sanitate recuperanda planè desperassem, idque non obstanti vasto eo medicaminum apparatu (quæ vel in Pharmacopolijs, vel in officinis Chymicorum prostabant venalia) & probatissima administrandi methodo, quæ saltem mihi constabat, nisi Aquæ istæ vel saltem quædam aliæ earum similes, in promptu fuissent.

Paucas, è multis huc spectantibus, historijs, mox sub finem hujus tractatus breviter recensebo. Fontanellæ etiam hic prosunt in brachijs, vel inter humeros factæ, consequenter in cerebri, & nervosi generis confurtasionem, spirituumque animalium temperationem: quæ proculdubiò haud parùm in hecticæ flammæ exstinctionem, & in Phthiseos præcautionem conferunt. Neque forsan à capitis rasura frequenti multò minus beneficium exspectari possit: Quum hinc liberior fiat humorum trajectio per densissimam illam capitis cutem: cujus rei usum in pertinacibus Catarrhis sublevandis experientia ferè universalis comprobaverit.

Sed proh dolor! Medici rarissimè de præcavendo hoc morbo consuluntur, (quum in principio forsan non minùs quàm alij affectus, curari possit, etsi mora ut plurimùm fatalis evadat) Ægris rarò *Æsculapij* opem petentibus, priusquàm morbus jam in fatalem statum prolapsus sit, ubi incassùm ab arte Medica exspectantur miracula, cùm de animæ futura salute, & testamentis faciendis, Theologum, & Jurisperitum consulere magis conveniat. Quare, missa hac inani opera, ad signa hujus morbi

Dia-

Diagnostica, & Pathognomonica properandum est.

CAPUT III.

De Signis Diagnosticis, & Pathognomonicis Phthiseos pulmonaris incipientis.

DIagnostica, & Pathognomonica signa præsentis Phthiseos sunt, vel incipientis, vel jam confirmatæ, & deploratæ. Signa Pathognomonica Phthiseos pulmonaris incipientis sunt; *Primò*, Tussis, quam à simplici Catarrho utut feroci, & Chronico, vel certissimis criteriis distinguere licet, quippe quòd strictè loquendo, affecta pars, seu sedes & minera utriusque tussis eadem non sit. Siquidem tussis Phthisica à tumore glanduloso, seu à tuberculo ipsorum pulmonum oritur, idque, unà cum sensu veluti cujusdam ponderis in pectore gravantis, difficili item, respiratione, atq; aliis congeneribus symptomatis, quę mox, licet currente calamo, speciatim percurremus. Catarrhus verò simplex, è contra, ortum suum debet destilationi seri, ab uvula, & tonsillis, aliisque glandulis in parte Trachææ superiori sitis, imò & ab universa tunica glandulosa ipsius Trachææ, continuis quasi guttulis, excreti. Aspera enim arteria, quadam naturæ providentia, nervea membrana, eaque tam exquisiti sensus, intùs cooperitur, quæ nihil omnino præter ipsum aerem, ne guttulam quidem aquæ limpidæ, absque gravi molestia, & renitentia, admittere possit, ideòque vel à minimæ heterogeneæ particulæ descensu titillata, eam statim totis viribus per tussim rejicere conatur: Neque sanè, absque gravi causa, à prudenti natura ita provisum est. Si enim liber, & quietus transitus vel minimis heterogeneis corpusculis, quaquæ die concederetur, quantocyùs de hominis vita esset actum, per infarctionem scil. exilium ramulorum Trachææ, qui præ meatuum angustia, vel ab ipso aere crassiore inferciri, & Asthmaticè obturari interdùm solent. Utcunque verò ferox, & continua sit hæc tussis Catarrhalis, ut pote titillatione, per continuam excretionem, & destillationem seri glanduloſi in Trachæa provocata, sicuti tamen, ab ipso initio est semper humida, & magno humoris fluxui conjuncta; ita etiam nullo pondere, vel pulmonum oppressione, aut dyspnœa stipatur, quæ in tussi Phthisica vel in primo limine, observanda plerumque prodeunt.

Hoc igitur primum Tussis Phthisicę χαρακτηρ esse statuimus, videlicet quòd sit arida, saltem ab initio, utpotè à pulmonum tuberculo, potius quàm à lymphæ glandulosæ exsudationem per internam Trachææ membranam, & glandulas in superiori ejus parte sitas, procedens.

Non est tamen diffitendum hujusmodi Ægros, ab ipsis morbi primordiis, quoties scilicet pulmones extrema, & profunda tussi, ad vomitionem usque à pastu, vel ex aliquo alio accidenti (agitari contingat), salivam limpidam è ductibus salivalibus copiosè expuere, necnon aliquantulum phlegmatis glutinosi salsi, vel insipidi, è tonsillis excreare, quod etiam vel ipsis sanis, ex eadem causa, aliquandò evenire possit, nempè quòd ab hoc motu violento ductus salivales, & partes glandulosæ in gutture sitæ comprimantur, & emulgeantur. Non minùs tamen exindè hæc tussis pro arida habenda est, quòd nihil seri, vel phlegmatis è Trachæa ipsa, vel bronchiis excernatur. Neque est minùs verum, hanc tussim aridam Catarrhalem, & humorosam degenerare interdum solere. Ipsa atque ejus ramulis continuum fluxum humoris nunc crudi, nunc sub specie phlegmatis cocti (uti fieri solet in ipso Catarrho vero, & legitimo) quotidiè suppeditantibus. Quod eo evenit, quòd glandulosa ipsius Trachææ, ejusque ramulorum tunica, ab hac diuturna agitatione (specie tussis aridæ, à tuberculis hic indè per totum parenchyma dispersis irritata, continuò emulgeatur, indeque copiosum serum quotidiè effundat, eodem ferè modo quo lac è mammis, & saliva è ductibus salivalibus, continua ferè tractione, eliciuntur; vel quo

invo-

involuntarium ſeminis profluvium, in Gonorrhœa ſimplici, è partibus glanduloſis ſeminalibus, per fibrillationem oritur. Hæc tamen tuſſis Catarrhalis Phthiſica, duobus præſertim modis, à legitimo Catarrho diſcerni poteſt; nempè, primò, quòd ab ipſo initio morbi, per aliquot menſes, (aliquando verò per aliquot annos) tuſſis Phthiſica ſit arida; cum ſimplex Catarrhus ſit ab initio humoroſus, uti antea dictum eſt. Secundò, quòd Catarrhus ſimplex, ſpatio paucorum dierum, vel ſaltem Hebdomadum terminetur, ubi ſcilicet primum, accidentale illud fermentum febrile, à percepto frigore ortum, ſanguinis maſſam ulteriùs agitare jam ſenſim deſinit. Quo jam affecto, glanduloſa Tracheæ tunica extraordinariam lympham non ampliùs ſecernit, vel expuit. Quo fit, ut reliquum ſerum his glandulis ſecretum, & novo humorum affluxu ulteriùs non attenuatum, naturali partium calore, ſenſim in phlegma puri ſimile concoquatur, & illa forma tandem expectoretur, atque indè ſero (ubi ſcil. primùm ſecernitur (excreto, glandulæ, brevi naturalem tonum, abſque ullo renitente tumore, vel relicto tuberculo, recuperant. Quo fit etiam uti tuſſis, una cum titillatione, ſibilo, dyſpnœa, &c. ſponte ſua evaneſcat: E contrario verò, in tuſſi Phthiſica, ſicuti minera lymphæ morbidæ perinis, & inexhauſta ſuppeditatur partibus glanduloſis, è maſſa ſanguinea, longo abuſu ſex rerum non naturalium, ità prædiſpoſita, & fermento febrili hectico, fixo continuò agitata: Ita etiam à tuberculis hic indè per pulmonum parenchyma diſperſis, & ramulos Trachææ moleſtè comprimentibus, ipſa Trachæa, perpetua quadam titillatione, in tuſſim ſolicitatur. Quo fit acris, & morbidæ lymphæ æquè continua expuitio, per totam aſperæ arteriæ fiſtulam, donec tandem tubercula iſta ſupra modum diſtenta, inflammari, & in Apoſtemata migrare incipiant. Unde ubi primùm cyſtis aliqua rupta fuerit, modò detur via, verum, & fœtidum pus, ab his tumoribus exulceratis, unà cum ſero, vel phlegmate à glanduloſa tunica Trachææ copioſè ſuppeditato, commixtum, inter tuſſiendum planè rejicitur. Neque quidem ante ſupremum diem [ubi morbus ſcil. jam fatalis eſt) ab hac taſſi, arte ulla, omnimodè liberari poteſt Æger.

Nec verò cuiquam ſubeat mirari, quo pacto, iſta tubercula (ſeu tumores) longè à larynge in lobis pulmonum ſita, hanc aridam tuſſim, unà cum titillatione in ſuperiori parte Trachææ provocare poſſint; Cùm ejuſmodi chronicam tuſſim, à lapidibus cretaceis in pulmonum parenchymate natis, excitatam diuque continuatam, quotidiè obſervare liceat. Quin ſemel, per integrum anni ſpatium idem ſymptoma à tribus clavis fortuitò (ex cachinnatione ſcil.) per Trachæam in pulmones demiſſis eveniſſe obſervavi, (Ægro per totum id tempus, quoad cetera, optima valetudine utente.] Et quidem ipſa res loquitur, quandoquidem Arteria aſpera in ramulos plurimos, per omnes lobos pulmonum, ab invicem longè diſſitos, undiquaque divaricatur, adeò ut tenuiſſimæ & maxime exiles bronchiorum fiſtulæ ad extremitates uſque propagentur, ipſarum membranarum continuitate, quæ originem à principio ipſius Trachææ traxerant. Quo ſequitur neceſſariò, quod, ſicuti tubercula iſta, quacunque tandem parte totius Parenchymatis ea naſci contingat, non poſſunt non aliquas harum exilium fiſtularum moleſtè comprimere, & coarctare: Ita etiam ob membranarum ſcil. continuitatem, moleſtus iſte ſenſus primam extremitatem, ſeu ipſius Trachææ originem, per partium conſenſum (uti dici ſolet) afficit, quo etiam continuò proritat ad hoſtem, per inanem atque aridam tuſſim, foras ejiciendum: haud alio ferè modo, quàm quo indies in ſtranguria, ſeu dyſuria (à lapide ſcil. ureterem, imò ipſum renem, moleſtè premente) dolorem in extremitate ipſius penis, ob membranæ continuitatem, maximè ſentire videmus. Siquidem nixu naturæ ad expellendum calculum, ſpaſmodica quædam contractio totius Fiſtulæ urinariæ ab ipſo rene oritur; quæ

ta-

tàmen maximè extremitatem penis, ſpecie ardoris urinæ, afficit. Cui etiam ſententiæ vel tuſſis hujus Phthiſicæ natura multùm favet, dum manet adhuc arida utpote a ſalis tuberculis orta, idque ante quàm ei Catarrhalis diſpoſitio, progreſſu morbi, ſuperinducatur. Nam ſicuti arida eſt, atque inanis, ita etiam levis, & brevis, ſponteque potiùs ſua, in revelationem oppreſſionis pulmonum facta, quàm feroci titillatione excitata, vel magno illo conatu ſtipata, qui Catarrhalem, & ferinam tuſſim, continua excretione lymphæ per Trachæam, & bronchia effectam, comitari ſolet.

Si quis autem quærat de origine tuberculorum pulmonarium, quæ huic aridæ, & verè Phthiſicæ tuſſi primam anſam præbent: Dicam in genere, pulmonum parenchyma non tantùm, (per continuam ſcilicet agitationem partium reſpiratione factam) humorum fluxui (uti veteres loqui amant) plus quàm cæteræ corporis partes obnoxium videri; verùm etiam ob ſpongioſam ſuam mollitiem (quippe quòd è veſiculis, & vaſis omninò conſtet) humores imbibere, & retinere ſolere. Ideòque, cùm omnes internæ, & externæ partes, eæque tam muſculoſæ, quàm glanduloſæ hiſce variis generis tumoribus ſæpiſſimè afficiantur, quid mirum ſi hic etiam ſicuti in reliquis corporis partibus, frequenrer reperiantur? Imò quum perpendo mecum, quoties in uno anno, hujuſmodi tumorum ſufficiens cauſa etiam his miniſtretur, qui vel accuratiſſimam vivendi normam obſervare ſolent, non poſſum ſatis mirari quemquam, ſaltem ubi jam florem juventutis attigerit, è vivis abſque labe Phthiſica excedere poſſe. Et proculdubiò, horum, tuberculorum adeo frequens, & familiaris eſt pullulatio, ut neceſſe foret Phthiſin pulmonarem communem eſſe humani generis peſtem, niſi tumores iſti tam facili opera, vel ſponte ſua evaneſcerent, vel arte tollerentur, quàm primitus ortum habuere. Et quidem, non ſine ratione conjectari ſoleo, quòd ſicut benigniora tubercula ſolent ſponte ſua, & citò detumeſcere, ita nulla ex his, Herculei hujus morbi, de quo jam tractamus, ſtruunt fundamenta, præter ea, quæ ſunt aliquantùm maligna, & mali moris, quæque citiùs, vel ſerius, proprietate quadam naturæ, à quacunque tandem corporis parte originem ducant, putreſcere ſolent.

Sed, ut aliquid de horum tuberculorum origine ſpecialius dicamus: Quantùm mihi adhuc, vel à Cadaverum Phthiſicorum inſpectione, vel ab ipſa ratione aſſequi contigit, Tuberculum naſcitur ab obſtructione alicujus glanduloſæ pulmonum partis: ubi ſcilicet plus lymphę, ſeu ſeri, è ſanguine ſecernitur, quàm per ductum glandulæ excernitur: quo fit ut, ſicuti pars affecta ab incluſo ſero nimis diſtenta, naturali ſuo tono privatur, atque inde influens ſeu ſecretam ſerum exſpuere, vel excernere ulteriùs nequit; ita etiam incluſa lympha, non amplius à novo influente ſero renovata, naturali calore partis paulatim ſiccеſcit, atque indureſcit: unde oritur renitens quædam durities, ſeu Tuberculum (de quo jam ſermonem habemus) quod, progreſſu temporis, everſo hoc modo naturali partis tono ſeriùs vel citius, pro genio lymphæ, ſeu incluſi humoris, & ſanguinis, à quo ſecernitur, inflammari, & in Apoſtema converti ſolet: quæ quidem eſt tota continens cauſa Phthiſeos pulmonaris, atque aridæ tuſſis, quæ eam comitatur.

Adhuc reſtat inquirendum de qua cauſa obſtructio hæc, ſeu lymphæ ſtagnatio in glanduloſis pulmonum partibus, oriatur. Atque hoc fit aliquando à præternaturali viſcoſitate, & glutinoſitate lymphæ in glandulis ſecretæ, quo fit ut ægrius propellatur; perque porum ſeu ductum glandulæ admodum exilem, & conſtrictum excernatur: Atque hoc ſtrumoſis, & ſcorbuticis, præ nimia fixi ſalis copia, quo ſanguis eorum nimis ſaturatur, accidere ſolet. Unde fit, quòd hujuſmodi ęgri tumoribus fixis, & frigidis, iiſque in pulmonibus æquè ac in aliis corporis partibus præter cæteros obnoxii ſint, & interdum, a Phthiſi admo-

modum chronica, ſupremum diem claudant. Nonnunquàm etiam è feroci, & immani Catarrho tanta lymphę copia in glandulis ſecernitur, ut facultatem excretricem planè ſuperet, quo fit ut, via influentis humoris præpedita, lympha intus jam retenta, atque inibi ſtagnans, in ſito calore partis paulatim ſicceſcat, & in ſubſtantiam melleam, vel ſteatomatoſam faceſſat, uſquedum, tono partis præ nimia diſtentione tandem penitus everſo, inflammatio, & Apoſtema ſuperveniant. Qua ratione, Phtiſis pulmonaris non rarò ipſi Catarrho, (Catarrhali tuſſi ab arida, & ſicca excepta) ſuccedit. Cui tuſſi aridæ Tuberculum, ſeu tumor glanduloſus renitens ab ipſo Catarrho per perceptum frigus effectus viam ſternit.

Quin etiam facile obſervatum eſt, tuſſim ſiccam, & Phtiſim admodum acutam, ſæpiùs à peripneumonia, pleuritide, vel ab aliquo alio morbo pulmonari ortum ſuum habere. Nempè quòd venæſectio ſatis tempeſtiva, vel larga, quæ ſcil. inflammationis magnitudini ſatisfaciat, vel incuria Medici, vel Amicorum metu omittatur. Quo fit, ut, tono partium, præcipuè glanduloſarum, jam everſo, ſtatum naturalem nunquam recuperare poſſint; Tubercula verò renitentia, hic illic, ubi ſcil. inflammatio jam diu invaluit, diſperſa conſpiciuntur, unà cum tuſſi arida & febre hectica continua, ex quibus hujuſmodi ægri, acutiſſima Phthiſi jam correpti, intra paucas Hebdomadas ſupremum diem claudunt; ſiquidem pulmones jam antè inflammati citiſſimè in Apoſtema tranſeunt, quo ultima hujus morbi ſcena, ſolitis funeſtis ſymptomatibus ſtipata ſtatim inducitur.

Nec minùs fataliter in hujuſmodi morborum curatione erratur, ubi ex medicaminum pulmonarium, & expectorantium neglectu, neceſſaria pulmonum à phlegmate purgatio, quo partes præſertim glanduloſæ inferciuntur, planè omittitur; vel ubi hæc remedia minùs parca manu adminiſtrantur: Multò magis, ubi copioſa lympha in glandulis ſecreta ex intempeſtivo, & quidem fatali uſu opii, in relevationem doloris exhibiti, ibi impacta detineatur. Quo fit quòd, utcunque Æger (quod etiam rarò accidit) à præſentis morbi periculo liberetur, tamen à tuberculis, ſeu tumoribus glanduloſis inde relictis, certiſſima via in fatalem, & præcipitem Phthiſim ſternatur, quæ ſeſe primùm tuſſi, dyſpnœa, & febre hectica prodit, deinde verò omnia dira, & funeſta hujus morbi ſyptomata quam citiſſimè accerſit.

Cauſa verò horum Tuberculorum uſitatiſſima, eſt contractio Pulmonum leviter ſpaſmodica, diuturna & continua, cum ponderis, & oppreſſionis ſenſu, à mœſtitia, timore, curis, cogitatione intenſa, atque aliis ejuſmodi animi pathematis effecta. Sicuti enim molle pulmonum parenchyma tanto tempore contractum, & continuò quaſi compreſſum, ſponte ſua ſolet indureſcere; ita etiam glanduloſæ eorum partes expanſione ſolita jam privatæ, lympham intus ſecretam, ſaltem ſatis magna copia excernere, & exſpuere non poſſunt. Qua de re nemo mirari debet, quòd ſicuti totius parenchymatis infarctio, ita etiam renitens durities in ipſis glandulis ſubſequatur. Atque indè facile obſervatu eſt, quòd ſicuti Ægri hypochondriaci, & Hyſterici, ſunt præter cæteros Phthiſi, chronicæ licet, & lentæ, obnoxii; ita etiam iſte morbus eos, ut plurimùm, ex infortunii alicujus occaſione corripit, quæ res metum, mœſtitiam, cogitationem, vel aliquod aliud gravius animi πάθημα idque diuturnum, & fixum priùs inducit.

Secundò, Tuſſis Phthiſica ſicuti plerumque arida eſt, ita in principio morbi, ſaltem diuturno tempore, mitis eſt, & ſine ulla inſigni, & vehementi irritatione, longis etiam, & incertis intervallis ſæpiùs recurrens. Catarrhus verò, primò limine, ferox & ferè continuus eſt. Fatendum quidem eſt utramque tuſſim, tempore nocturno, ſatis vehementem, & moleſtam eſſe; Catarrhalem nempè, quoniam omnis ſeroſæ colluviei ſecretio per glanduloſam Trachææ, & bronchiorum tunicam, tempore decubitus, magis copioſa eſt; Phthiſicam verò, quo-

quoniam pulmones, in hoc ſitu corporis, magis conſtringuntur. Undè ſicuti bronchia à tumoribus glanduloſis magis compreſſa, indè etiam moleſtiùs comprimuntur: ità etiam ſeri granduloſi copioſior in ramulos Trachææ expreſſio inſequitur, à quo pulmones copioſiùs inferciuntur, & proinde etiam irritantur: Et ab hac continua pulmonum per tuſſim agitatione vigiliæ pertinaces procedunt, quæ incremento febris haud parùm conferunt; quæ quidem primitùs à colliquativo, & exagitato ſanguinis ſtatu dependebat. Licèt aliquandò, præſertim verò in Phthiſicis Hypochondriacis, vigilias longas, & moleſtas, ſine tuſſi, maximè à primo ſumno obſervarim.

Tertiò, Tuſſi Phthiſicæ ſicuti ferè ſemper innappetentia, & ſitis accedunt, ita etiam poſt cibum vomitio ferè ſupervenire ſolet; adeo uti Æger à paſtu continuò ferè tuſſire ſoleat, donec cibi tandem vomitione fuerit rejectus. Quod ſymptoma non tantùm à ventriculi debilitate procedit, idquè ob facultatem concoctricem jam læſam à morbido ſtatu liquoris per glanduloſam tunicam ventriculi, fermentationis ergo, continuo excreti; jam verò è febrillis ſanguinis maſſa ſuppeditat: Verùm etiam à nimia ejus agitatione per ferocem motum juxta tuſſientium pulmonum: Ubi enim primùm pulmones, à novo ſucci nutritii recentis in eos delati rivulo, intumeſcere incipiunt, copioſa excretio lymphæ per bronchia, & glanduloſam Trachææ tunicam oritur, ideque titillatio continua, tuſſiſque importuna, & violenta: Qua commotione ventriculus, ob viciniam, in conſenſum tractus etiam agitatur, donec tandem, motu ejus naturali jam funditùs inverſo, omnia in eo contenta vomitu ſurſum effundantur. Quo fit ut, penu novi chyli hoc modo evacuato, ulterior ejus derivatio in pulmones ceſſet, atque adeò, quieſcentibus jam pulmonibus, utpote à novi chyli influxu non ampliùs irritatis, ventriculus etiam quieſcit, quo tuſſim & vomitionem ſimul ceſſare contingit, uſquedum pulmones à novo cibo ingeſto iterùm irritari cœperint: Atque quidem hæc vomendi diſpoſitio cum tuſſi conjuncta, mihi eſt inter certiſſima ſigna Pathognomonica tuſſis Phthiſicæ. Etſi enim aliquot laborantes Phthiſi (ubi ſcil. conjuncta febris admodùm mitis fuerit) appetitu ferè integro uti noverim, vix tamen ulli abſque hac vomendi diſpoſitione, unà cum tuſſi conjuncta, à ſumpto cibo reperiebantur. Fatendum tamen eſt hoc Diagnoſticon non eſſe proprium tuſſis Phthiſicæ quarto modo (uti Logici loqui ſolent.) Etſi enim omnes Phthiſici ingeſta, iſto modo, inter tuſſiendum, à paſtu, vomitione rejicere ſoleant, idem tamen infantibus etiam & pueris Catarrho convulſivo afflictis quotidiè ſolet accidere. Verùm æquè facile eſt ex Ægri ætate, ſymptomatis duratione, tuſſis ferocitate, atque aliis circumſtantiis Catarrhalem hanc à vera Phthiſica tuſſi diſtinguere.

Quarto, Rauca etiam vox, vel clangoſa, & exilis, tuſſi conjuncta, ſi fuerit frequens, multò magis ſi continua, & chronica, eam planè pulmonarem, & Phthiſicam eſſe oſtendit. Uti enim raucedo à tunicæ Trachæam intus tegentis aſperitate procedit, quæ falſo ſero continuò irrigata vim ſonorificam totius tubuli, ſeu inſtrumenti lædit; ita etiam vocis exilitas ab infarctione bronchiorum ſero glutinoſo obſitorum dependet.

Quintò, Huic etiàm tuſſi, ſicuti oppreſſio pectoris ponderoſa ab initio conjungitur, ita etiam reſpiratio aliquatenùs moleſta difficilis, & anheloſa, præſertim à citatiori ambulatione. Quod ſicuti à tuberculis crudis, & induratis hic illic per pulmones ſparſis, ità etiam à bronchiis viſcido, & glutinoſo phlegmate infarctis provenit. In ſcrophuloſis autem, ſcorbuticis, & in Aſthmaticis Phthiſi affectis, ob ſpaſmodicam ſcilicet nervorum thoracicorum contractionem, inſignius & moleſtius eſt hoc ſymptoma, quàm in aliis fieri ſolet, ideoque his aer perflatilis, & à fumo carbonum immunis plus quàm

aliis

aliis Phthisicis prodest, uti proprio loco ulteriùs monstrabimus.

Sextò, Cùm glanduloſas aliquas pulmonum partes propter diuturnam accumulationem lymphæ, quæ exitum per bronchia invenire non poterat, valdè distendi & indurescere contingit, tubercula cruda hic inde dispersa in molli pulmonum parenchymate oriuntur. Unde, non tantùm respiratio quadantenus difficilis, & anhelosa, verùm etiam pectoris oppressio, & hypochondriorum gravitas, insolita iracundia, tristitia, & cogitatione stipatæ, insequuntur. Quæ symptomata cum tussi conjuncta inter signa tussis Phthisicæ Pathognomonica habere soleo.

Septimò, Cùm tandem partes istæ glanduloſæ, à longa infarctione pulmonum serosa colluvie in glandulis secreta gravatorum, uno vel altero lobo valdè intumescunt & durescunt, (materia hac serosa in cystidibus largis jam collecta) lobus pulmonum affectus cæteris præponderat, necnon major *GRAVITAS* illa Thoracis parte evidenter sentitur; quo fit ut Æger etiam in unum latus decumbens magis tussiat, quàm in alterum, quippe quòd affectæ glandulæ uno situ, magis quàm altero comprimantur; a quibus compressis continua seri expuitio in bronchia pulmonum, una cum continua titillatione, & molestia tussi insequitur. Atque hoc etiam inter signa tussis Phthisicæ certissima semper habendum est. Utcumque enim quosdam hoc modo affectos pluribus annis vitam protraxisse noverim, semper tamen in statu valetudinario, & Phthisico hærent.

Octavò, Ubi denique glandulæ istæ pulmonum tumefactæ inflammari, & in Apostemata migrare cœperint, una cum collectione purulentæ materiæ propriis cystidibus inclusæ, sive naturam referant steatomatis, sive meliceridis, sive cujuscunque alterius ejusmodi tumoris, (quæ quidem varietas a variante seri sanguinis genio oritur, uti posthac dicturi sumus) tunc Phthisis confirmari & in lethalem evadere incipit, unde novum symptomatum funestorum Agmen statim subsequitur; quæ sunt *Phthiseos confirmatæ* Diagnostica, de quibus uberiùs differere mox properabimus, ubi aliquod de duobus reliquis Phthiseos incipientis signis, *Febre* scil. & *Tabe* strictim notaverimus.

Secundùm Pathognomonicum signum incipientis Phthiseos est *Febris*, quæ quidem, aliquo saltem gradu, primum hujus morbi insultum comitatur, una eum appetitus dejectione, aliquali siti, urina quadantenus rubra accelerato pulsu, vigiliis, calore partium, præcipuè extremarum, atque aliis ejusmodi symptomatis. Atque hoc pacto tussis Phthisica a communi Catarrho ferè semper dignosci potest.

Hæc quidem febris in Scorbuticis, & phlegmaticis principio morbi valdè mitis est; Aliqualis tamen præternaturalis calor, præcipuè verò in volis manuum, & plantis pedum, una cum pulsus celeritate & nonnunquam etiam genarum rubore fixo (adhibita magna attentione) præsertim verò à cibo discerni potest. Est autem hæc febris merè hectica, atque eodem tenore ferè semper manens, utpote à partibus solidis, & sanguinis Diathesi procedens, idque ob colliquationem serosam massæ sanguineæ, à fermento acido, vel acri in eadem hospitante, atque eam perpetuò agitante, effectam. Verum quidem est febrem hanc, temporis progressu, à continua pulmonum agitatione, eorumque per tussim calefactione, & vigiliis indè natis, plurimum augeri; uti etiam ab inflammatoriæ, & putridæ febris superinductione, a tuberculorum pulmonarium inflammatione, & insequentibus Apostematis ortæ: De quibus inter signa Phthiseos confirmatæ Diagnostica mox uberius differemus.

Tertium Diagnosticum signum incipientis Phthiseos est Tabes, sive consumptio partium musculosarum, quæ in morbi principio est valde lenta, & fere insensibilis (magis flaccescentibus quàm consumptis jam partibus) usquedum à Tuberculorum inflammatione, vel ab Apostematis, vel alio aliquo acci-

den-

cidenti, febris etiam inflammatoria, vel putrida accedat hecticæ; atque tunc, nova febre non tantum appetitum, & digestionem prosternente; verùm etiam succum nutritium ulterius liquefaciente, & è sanguine purgante, præcipiti gressu jam Tabes ruit, adeò ut Æger intra paucas Hebdomadas faciem *Hippocraticam* præseferat. A quo tempore Diagnostica signa Phthiseos confirmatæ apparent, de quibus jam dicturi sumus.

CAPUT IV.

De signis Pathognomonicis Phthiseos pulmonaris confirmatæ.

SIgna Pathognomonica Phthiseos confirmatæ sunt, *nova febris*, hecticæ superinducta, eaque ptimùm *Peripneumonica*, & continua, *Putrida*, & *intermittens*; atque ulterior sanguinis *colliquatio* jam indè immense aucta, sese per immanes sudores, tussim Catarrhalem, Diarrhœam, Hydropem, Aphthas, peculiarem gutturis dolorem inter deglutiendum prodens. A quibus Æger tandem in ultimum marasmi gradum redactus, pro Phthisico deplorato *à lippis ipsis*, *& tonsoribus* habetur. De quibus omnibus signis speciatim, licèt strictim, observationes nostras subnectere lubet.

Et primùm de febre *Peripneumonica*, seu *Inflammatoria*. Hæc febris à Tuberculorum pulmonarium inflammatione ortum suum ducit, quòties scilicet à percepto frigore, liberali liquorum spirituosorum potatione, nimiis exercitiis, vel ab alio aliquo ejusmodi accidenti, quod sanguinem, agitando, nimis calidum reddat, vel quidem à nimia toni glandularum distentione, vel à peculiari quadam humoris in cystidibus contenti in maturationem dispositione, tubercula ista pulmonaria, unum, vel amplius, inflammari contingit, febris ista, (quam ritè vocare soleo *Peripneumonica*, seu *Inflammatoriam*) non potest non caput suum erigere, idque difficili respiratione, (expectoratione jam suppressa urgente tamen tussi) & non rarò dolore etiam laterali, siti, jactatione, vigiliis, intenso & continuò calore, atque aliis febris Peripneumonicæ symptomatis stipata Ex qua Æger, perpetuò ferè, durante scil. ejus vigore, lecto affigitur, non rarò etiam lethaliter decumbit.

Et quidem *Febris* ista omninò tractanda est veluti cæteræ febres Peripneumonicæ, tenuissima scil. dieta, medicaminum Thoracicorum, & expectorantium copia, externa fotuum, & linimentorum anodynorum applicatione, *Perlatis*, & temperantibus *Julapiis*, super omnia verò, venæsectione, eaque satis tempestivè, frequenter, & copiosè adhibita, utut macilentus, & tabidus fuerit Æger. Hoc enim modo fatalis hujus febris eventus unicè præcaveri possit. Sanguine enim satis tempestiva, & copiosà venæsectione jam ventilato, inflammationis fomes tolitur, & flamma in glandulis tumefactis accensa æquè facile uno, vel altero die extinguitur. Verùm hoc neglecto, Æger vel intra septem dies Peripneumonicè, unà cum funestis acutissimi hujus morbi symptomatis, è vivis tollitur quod non raro à Medici, vel ipsius Ægri vel Amicorum incuria, contingit; vel saltem, etsi magis chronicè, non minùs tamen fataliter perit, Apostemate inflammationi Tuberculi circa diem septimum succedente, atque inde hac febre acuta, & inflammatoria à putrida intermittente, licet chronica, æquè tamen fatali, & incurabili excepta.

Aliquando uti in Domino *Tibs* in vico dicto *Pater-noster-Rovv.*, & in quodam Mercatore in *Philpot lane*) hujusmodi febrem Peripneumonicam sæpius in anno reccurentem deprehendi, quoties scil. novum aliquod tuberculum inflammari contigit, sive ex aliqua evidenti causa, sive à naturali ipsius tuberculi in maturationem dispositione factum fuerit. Non enim omnes tumefactæ glandulæ eod. temporis puncto in inflammationem disponuntur, ut mihi in cadavere Domini *Davison*, fatali, licet chronica Phthisi, è vivis sublati, cultro anatomico subjecto evidenter patuit: In

hujus enim mortui pulmonibus aliqua tubercula in Apostemata conversa; aliaq; iinflammata, atque alia denique cruda, & immatura eodem tempore reperta sunt. Utplurimum autem hujusmodi Phthisici, propter febrem Peripneumonicam ab alicujus novi tuberculi inflammatione ortam, vita claudunt. Cujus febris exstinctioni Ægri vires à prioribus pugnis jam exantlatæ impares fiunt.

Sicuti hujus febris durationis mensura, ita etiam intensionis & periculi, à tuberculi inflammatione à qua dependet, sumenda est. Ubi enim primùm inflammatio vel sponte sua, vel arte cessat, hæc etiam febris cessat, licèt illi quoties partem inflammatam in Apostema transire contingit, febris putrida intermittens à collecto pure suboriens, protinùs succedat. Et generaliter loquendo, pro tumoris in purulentiam citiùs vel seriùs maturandi genio, febris ipsi Peripneumonica inde oriunda citiùs etiam vel seriùs curatur, & pro humoris malignitate, & tumorum inflammatorum magnitudine, & numero, magis vel minùs acuta, & fatalis evadit. Unde licèt ista febris septem dierum circuitu, ut plurimùm, finiri soleat, (siquidem hoc spatio inflammati tumores in abscessus converti incipiunt) scrophulosa tamen tubercula, ut lentè admodum matureseunt, ita febrem inflammatoriam, etiamsi ferè insensibilem, & minùs periculosam, chronicam tamen, nulloque certo dierum spatio finitam superinducunt. Quò acutior autem febris, eò brevior, quò mitior eò magis chronica.

2. De febre Phthisicorum putrida intermittente.

Ubi primùm autem hæc tubercula pulmonum inflamata in Apostemata migrare incipiunt (sive hoc à Venæsectionis satis tempestivæ, vel copiosæ neglectu, seu à naturali tumorum dispositione in putrefactionem) febris hæc inflammatoria in putridam intermittentem trasmutatur. Cujus paroxysmi, in principio, ut plurimum, nullum certum ordinem servant, rigore, & horrore sæpius eodem die recurrentibus, sicuti in puris confectione fieri solet. Ubi verò pus jam planè fuerit confectum, hæc febris typum quotidianæ, aliquando etiam, licèt rarius; tertianæ, imitatur; idque certo diei tempore, cum algore & rigore incipiens, cum intenso calore progrediens, atque adeò tandem in sudores nocturnas profusas, & colliquativas desinens. Durante algore, & calore tussis, & anhelitus, cum reliquis molestis symptomatis augentur: Durante verò sudore, & remissione (tussi, & reliquis symptomatis jam minoratis) Æger placidè dormit, (vires recolligit, & sibi, jam spe futuræ sanitatis concepta, abblanditur. Atque hanc febrem putridam intermittentem, inter certissima signa Pathognomonica Phthiseos confirmatæ semper habere soleo, quippe quæ, sicuti à pure in pulmonibus confecto ortum ducit, ità purulentiæ pulmonaris index est certissimus. Indèque provenit, quòd hæc febris putrida intermittens Phthisin (quoties hunc morbum fatalem esse contingit) in extremum usque diem comitari soleat. Cujus paroxysmi, cum colliquationibus inde provenientibus, magis vel minus intensi, & protracti sunt pro magnitudine, vel numero tuberculorum in Apostemata maturatorum. Nec quidem hæc febris ope *Corticis Peruviani*, *Antihectici*, *Poterii*, vel cujusvis alius medicamenti specifici, (quorum vim in hoc casu sæpissimè sum expertus) neque ulla alia methodo (quantum scio) radicitus exstirpari potest: nisi ulcus adeò fuerit benignum, ut medicaminum balsamicorum intus exhibitorum ope sanari, ipsaque sanguinis massa (ubi febris fomes delitescit) in sanum statum, copioso temperantium, atque alterantium usu, reduci possit; vel saltem nisi Phthisis sit merè symptomatica & ab alio morbo dependens, qui curationem perfectam ex usu specificorum admittere possit.

Secundum Phthiseos confirmatæ signum Pathognomonicum est, Colliquatio succi nutritii insignis, & quotidiana, ejusque è massa sanguinis excretio, seu extrusio continua, & copiosa per omnes portas a natura concessas;

quo

quo fit ut vel ſubitus virium collapſus, & maraſmus cum facie *Hippocratica* brevi paulatimque inſequantur. Fatendum quidem eſt Phthiſin ab ipſis morbi primordiis ſemper aliqualem colliquationem habere conjunctam, gradibuſque febris hecticæ, a qua oritur, æquatam, quæ ſeſe ſudoribus nocturnis, Diarrhœa vel aliquo alio modo prodit. Quæ colliquatio utut curatu ſit difficilis, quippe quæ ſæpius à febre hectica incurabili dependeat, ſemper tamen eſt mitis, & Tabem admodum ſegnem, minuſque ſenſibilem inducit, uſquedum à tuberculorum pulmonarium inflammatione, atque ulceratione febris Peripneumonica: & dein putrida intermittens, priori hecticæ ſuperinducatur, atque aſſocietur. Et tum quidem: ſicuti iſta febris, ita etiam colliquatio ab illa orta, augetur. Sanguine enim, purulentis particulis ſibi a maturatis tuberculis in circulatione per pulmones communicatis, perpetuò jam contaminato, Natura ejuſmodi heterrogeneis particulis in tantum onuſta, atque preſſa, uti amplius eas ferre non poſſit, inſurgit contra, pugnamq; (ſeu paroxyſmum febrilem) in earum extruſionem inſtituit, atque in dies renovat. Cujus certaminis initio, nimis anguſtata, ideò algore, & rigore afficitur; ubi verò primum, recollectis jam viribus, prævalere incipit, ebullitionem, atque agitationem adeò inſignem in tota ſanguinis maſſa efficit, uti recens ſuccus nutritius in vaſa ſanguifera jam delatus non poſſit amplius ſeſe ſanguini adjungere, verum per quaſvis corporis patentes partes, una cum purulentis particulis, modo colliquativo, copioſè extruditur; atq; foras ejicitur, una cum magno virium diſpendio, corporiſque hoc modò pabulo ſuo reſtaurativo continuò privati, emaciatione. Quoque vel majora, vel frequentiora fuerint ulcera, eo particulæ heterrogeneæ copioſiores, uti præternaturale fermentum, ſanguini admiſcetur, eoque major eſt paroxyſmus febrilis atq; etiam copioſior colliquatio, magiſque præceps maraſmus.

1. Colliquatio iſta fit primum per Trachæam & bronchia; quo tuſſis, quæ initio fuerat arida, jam redditur egregiè Catarrhalis, præcipuè vero in febrilis paroxyſmi declinatione: Quo tempore magna copia non tantum crudi ichoris, verum etiam concocti phlegmatis, ejuſq; vel puri ſimilis, & coloris varii, è pulmonibus per tuſſim reiicitur, uſquedum tota ſanguinis maſſa, expulſo jam heterogeneo iſto & purulento fermento, in ſtatum quietis paulatim deferbuerit. Quę quidem quies eo uſque durat, donec haſce infidas, atque incertas inducias ab aliquo novo paroxyſmo interrumpi contingat.

2. Colliquatio iſta fit etiam per poros cutis, in immenſis, & colliquativis ſudoribus.

Siquidem ſudores iſti gradu quidem differunt, pro vario ſcilicet colliquationis ſanguinis, & paroxyſmi febrilis præcedentis, eamque cauſantis gradu. Sudores enim in febris putridæ declinatione ſemper invadunt poſt mediam ſcilicet noctem, Hæc enim in febris, (ſive tertiana, ſive quotidiana fuerit) ſemper more aliarum febrium intermittentium certo diei tempore (nimirum vel circa, vel paulo poſt meridiem) una cum algore manifeſto invadit; dein vero per horas aliquot progrediendo una cum intenſo calore, ſiti, inquietudine, vomitu, anhelitu, continua, atroci, atque immani tuſſi, vigiliis, imo aliquando etiam deliriis, & inſigni genarum rubore, à pulmonum, & Hypochondriorum, oppreſſione provenientibus: Tandem vero, circa mediam ſcilicet noctem, immenſis, colliquativis ſudoribus terminatur. Quo tempore Æger placidum ſomnum capit, ſine anhelitu ſpirat, & concoctum phlegma copioſè abſque ulla vel difficultate, vel labore per tuſſim reiicit, omnibus febris ſymptomatis, jam ſua ſponte, & ſimul ceſſantibus: Siquidem colliquati ſeri rivulus jam a pulmonibus in poros cutis divertitur, atque derivatur. Quo Æger per matutinas horas in ſtatum ἀναψυξίας cum miti calore, pulſuque debili reduci videtur, uſquedum hæc fraudulenta pax novi alicujus

parox. insultu denuò rũpatur. Atq; ab istis remissionibus accidere solet, quòd hujusmodi Phthisici, etiam ab adstantibus pro deploratis habiti, sibi ipsis de futura sanitate egregiè adulentur, adeò ut qui vespertinis horis, non aliud quàm fatale prognosticon de sese habere consueverant, sequentibus tamen matutinis semper animum erigant, & spem longæ vitæ sibi vanè concipiant.

Verum quidem est, istos colliquativos sudores, magnum succi nutritij dispendium facientes, Ægrum in præcipitem Tabem, seu marasmum conjicere. Nihil tamen levamimis, vel emolumenti à violenta eorum suppressione, vel mutatione aeris, vel intempestiva è lecto surrectione Ægro exspectandum est: (quod experientia sæpius vidi comprobatum.) Sanguis enim inde excandescens non minùs eò colliquescit, his verò colliquati seri portis jam arte occlusis, nova quædã repagnla ad sarcinam hanc molestam aliàs deferendam (etsi forsan paulò incommodiùs) à natura statim referantur; eaque vel incavitatem Thoracis, unde Hydrops pectoris cum incremento tussis, & dyspnœa intolerabili insequitur; vel in cavitatem Abdominis, inferioresque artus, sub forma Ascitis; vel etiam per glandulas intestinorum, unde vehemens Diarrhœa, & magis, quam sudores ipsi, colliquativa, oritur. Imo etiam (si serum jam colliquatum fuerit acre) vel ipsa Dysenteria horrendis Intestinorum spasmis stipata, quæ omnia antidysenterica medicamenta superat; sicuti in deplorato casu Domini *Lechmere* expertus sum, atque aliorum etiam Phthisicorum, qui ab isto symptomate vel in ultimum marasmi gradum, cum *Hippocratica* facie conjecti, non minùs citò, quàm miserè vitam finierunt. Verùm isto sermonis filo in reliqua Phthiseos confirmatæ Diagnostica insperatò feror, de quibus etiam est breviter aliquid dicendum.

3. Colliquatio ista (ubi primum Phthisis ad statum confirmatum jam pervenit) haud rarò fit per Intestinorum glãdulas sub specie Diarrhœæ serosæ vel etiam Dysenteriæ, Sanguis enim, cùm in hoc colliquativo statu, ob calorem, & acrimoniam præternaturalem, novum succum nutritium sibi assimilare, & solidis partibus adunire non potest, eum, ut inutlie pondus, etiam per has glandulas, detrudere atque excernere frequenter molitur. Verùm natura eliminationem hostis sui per hanc portam non solet tentare, nisi ubi vel ex incuria, vel industria via Regia per poros cutis occluditur, vel saltem, ubi hæc unica porta, ob colliquationis scil. magnitudinem, naturæ postulatis non respondet. Ideò que Diarrhœa haud immeritò inter ultima, & funesta Phthiseos confirmatæ diagnostica ut plurimùm habenda est. Excepto enim unico Phthisicorum Scorbuticorum casu, qui semper in serosas colliquationes per intestinorum scilicet & salivæ glandulas, proclives sunt, Diarrhœa non adeò multùm ante diem fatalem accedere solet Phthisi. Sicuti enim extremi naturæ incendij indicium est, ità ulteriorem ejus ruinam, mirum in modum accelerat, & promovet.

Diarrhœa ista aliquandò mitis est; quippe quæ semper se habet pari ratione cum præsẽti colliquescentis sanguini statu, in aliis verò violenta est, & discruciantibus torminibus conjuncta, quæ neque opiatis, neq; aliis medicamentis adstringentibus parere solet; vel saltem à minimo frigore percepto, vel Cerevisiæ hausu, vel medicamentorum opiatorum omissione recidivatur. Et quidem, quam diu Diarrhœa tantummodò vi narcotica medicamentorum supprimitur, Dyspnœa suffocativa, hydrops, vel alia pariter molesta, ac periculosa suboriri solent. Siquidem, sanguine in statum colliquativum irreparabilem, atque incurabilem sensim jam redacto, succus nutritius crudus continuò in massa sanguinea circumactus, una porta jam occlusa, aliam, eamque forsan cum majori Aegri detrimento, & molestia, invenit.

4. Ubi verò, in hoc colliquativo sanguinis statu, Chylus nutritius jam ef- fœtus per cutaneas glandulas, ab ambientis aeris frigore constrictas, vel per glandulas intestinales à nimio opiatorum

usu

usu jam occlusas, con convenientem exitum, non reperit, Hydrops Thoracis, vel etiam Abdominis, atq; artuum inferiorum suboriri solet: Imò tumor œdematosus totius habitus corporis, si in prædictas corporis cavitates, atq; in artus inferiores, vel arte, vel aliqua fortuna præcludatur via. Et quidem Hydrops Phthisicus, cujuscunque generis tantùm confirmatæ, verùm etiam deploratæ, & incurabilis Phthiseos, habendus est. Idque non tantùm quoniam maximum sanguinis incendium, statumque ejus summè colliquativum indicat; verùm etiam, quoniam Æger, præ nimia virium imbecillitate; sufficientem extravasati seri evacuationem per hydragoga tolerare non potest. Diuretica autem hic planè nullius sunt usus, quoniam vel eorum validissima urinæ fluxum promovere non possunt, verùm magis sanguinem ulteriùs attenuando, & calefaciendo, majorem ei colliquationem infert: Unde, in incrementum Hydropis, major, atque citatior lymphæ fluxus in coporis cavitates, atque artus, ubi datur via, efficitur.

5. Denique, in hac universali colliquatione, Natura haud multùm ante fatalem diem succumbens, serum, sive succum particulis morbidis, & purulentis saturatum per tonsillas, cæteraque glandulas in gutture fitas, uti etiam per ductus oris salivales propellere satagit. Unde duo nova symptomata, eaq; satis molesta oriri solent; Ardor scilicèt insignis circa tonsillas, & partes deglutitioni inservientes. Quo fit ut Æger vix quicquam, nisi cum gravi dolore, deglutire possit. Quod symptoma à levi harum partium inflammatione, eaque non tantùm perpetua earum per tussim agitatione, & frigore externo effecta; verùm etiàm continua seri febrilis, & puris acris exspuitione provenire solet. Secundò, Aphthæ diuturnæ & molestę toto ore dispersæ, quæ à morbido salivæ statu originem ducunt: Præcipuè verò, si solita Diarrhœa opiatis, & constringentibus medicamentis violenter fuerit suppressa. Hinc enim Natura (solita porta jam occlusa) hostem per ductus salivales, licet incassum, propelllere conatur. Quo fit quòd, à morbidi scil. & febrilis seri per oris glandulosam tunicam excreti acrimonia, partes oris isto acri humore imbutas inflammari, atque exulcerari contingit. Quæ quidem causa est continuens hujus symptomatis, quod utut fuerit molestum, medicatricem tamen vim tam artis, quam naturæ planè respuit, quoniam penus ejus, sive fomes, in massa sanguinis reconditus consumi non potest. 3. A colliquatione ista universali, per quascunq; Corporis partes ea facta fuerit, quam citissimè Marasmus unà cum facie *Hippocratica* induci solet, quæ quidem Consumptio est pene totalis musculosæ carnis, ob defectum novi succi nutritij, qui adhærendo partibus solidis, continuam earum impensam reparare possit. Et cùm res huc tandem venerit, conclamatum est de Ægro. Ideò hoc symptoma inter certissima signa non tantùm Phthiseos confirmatæ, verùm etiam deploratæ, ab omnibus semper habitum est.

Præter hæc jam dicta Diagnostica signa, forsitan non fuerit inutile observationes etiam nostras de pulsu, urina, & sputo, in varijs hujus herculei morbi gradibus subnectere.

Atque primò de Pulsu: Incipiente Tabe, dum nulla febris præter hecticam adfuerit, præternaturalis calor sicuti continuus est, & mitis, ita etiam pulsus, pro gradu febris, aliquatenùs celerior est quam par sit; ferè tamen semper eundem tenorem servat, nisi quòd à cibo, ut calor febrilis, ita etiam, pulsus celeritas facilius sentiatur. Et quidem nonnulli Phthisici frigidiores, & phlegmatici, nullo alio tempore, vel pulsus, vel temperamenti errorem sentire solent, Ubi verò primùm febris peripneumonica invaserit, pulsus, sicuti in alijs peripneumoniis accidere solet, non tantùm est velox, verùm etiam durùs, & fortis, imò etiam serratilis. Licèt aliquandò, præ doloris spasmodici à tuberculis inflammatis effecti urgentia, non rarum sit pulsum debilem, unà cum partium extremarum frigiditate, pro tem-

pore, obſervare, quæ vel expertiſſimi Medici ſagacitatem, quo ad venæſectionis ſcil. præſcriptionem, exercere poſſint. Sicuti enim ſubtractio ſanguinis ſubitam ruinam affert, quoties ſcilicet pulsus debilitas, & extremorum frigiditas ab habituali virium dejectione procedant: Ita venæſectio, minuendo inflammationem, pulſum fortiorem reddit, caloremque extremis miniſtrat, quoties hæc debilitas à dolorifico pulmonum ſpaſmo, inflammatione tantum effecto, accidentaliter provenit, quæ venæſectione non rarò inſtanter relevatur.

Ubi verò progreſſu morbi febris putrida intermittens, à pulmonum purulentia, ſupervenit, pulſus eſt admodùm varius; manè ſcilicet citra paroxyſmum, aliquatenùs celer & debilis; celer à diſpoſitione ſanguinis hecticè febrili; debilis verò ab exhauſto, & depaupera-to jam totius corporis habitu, præ reparationis defectu ex alimento debito ſufficienti miniſtrandæ: In paroxyſmo verò eſt celer, & fortis; celer à febre hectica, fortis à præſenti orgaſmo, ſive præternaturali ſanguinis agitatione. Ingruente verò ſudore, unà cum celeritate præternaturali, etiam pulsus robur ſenſim minoratur, uſque dùm vires à paroxyſmo ſequenti redintegrentur.

Secundò, Urina primo hujus morbi inſultu, eſt pro gradu febris hecticæ aliquatenùs parca, & ſubrubra; atque jam expoſita aeri (utpote plus ſatis partibus chyloſis plena) turbida, & aliquantùm præcipitata. Ubi verò tubercula jam inflammari cœperunt, intensè rubra eſt, & flammea. Ubi verò primùm febris putrida, ab iſtorum Tuberculorum Apoſtematis inflammationem jam excipientibus, ſuperinducitur, rubra eſt, ſicuti in febribus intermittentibus accidere ſolet, & contentis plena, & tandem frigori externo expoſita, ſedimentum farinaceum album, aliquando etiam ſubrubrum deponit; ſiquidem ſanguis, in hoc colliquativo ſtatu, ſuccum nutritium per glandulas Renales, æque ac per alias ſecernit. Licèt ſit tatendum Scorbuticos, & Hypochondriacos Phthiſicos, præcipuè verò, ubi genus nervoſum afficitur, vel à vini Gallici, vel aliorum diureticorum potatione, urinam aqueam, tenuem, & pallidam, in intervallis, copioſè excernere; quæ ſtatim ab urina rubra, & contentis ſaturata excipitur.

Tertiò, Sputum Phthiſicorum principio (ubi ſcil. pulmonum infarctio jam primam anſam præbet) eſt copioſum, nunc crudum, nunc concoctum, uti in Catarrho communi eſſe ſolet. Alias eſt tenue, & aquoſum, utpote pro parte maxima (dum tuſſis ſcil. eſt arida) è glandulis ſalivalibus, nimia earum per tuſſim agitatione, excretu, præterquàm perpaucum vi ſcidum phlegma, quod è tonſillis ſolet excreari. Morbi verò progreſſu, præcipuè autem ubi vel à ſomno, vel opiatorum uſu concoctum fuerit, cineritii, vel flavi, vel æruginoſi coloris eſt; qualem, in catarrhi declinatione, naſi, Trachææ glandulis coctionem jam primum admittit. Poſtquam verò exulcerantur pulmones, materia purulenta in propria cyſtide jam non contenta, in bronchia excernatur, ſputum verè purulentum eſt, & fœtidum, & aliquando etiam ſanguinis ſtriis commixtum, quale è veteribus, & ſordidis ulceribus excerni ſolet.

Verùm ſputum hoc purulentum, à flavo, vel æruginoſo colore non eſt judicandum. Hujuſmodi enim colorem ſerum non tantum è pulmonum, verùm etiam è naſis, glandulis excretum, in catarrhi declinatione, acquirit, ubi primum ſcil. coctionem admittit. Neque ſputum ſtatim pro purulento habendum eſt, ob ejus ſubſidentia, vel diſſolutionem in aqua calida. Sputum enim Scorbuticorum utpote ſale ſaturatum, aqua calida diſſolvi ſolet licèt pulmones ſint ſarti tecti. Verum autem pus tribus hic ce ſignis dignoſces poteſt 1. Nares odore fœtido afficit. 2. Licèt quadantenùs craſſum, nullo tamen modo glutinoſum, ſed fluidum, & fibrillis privatum eſt 3. Varii eſt coloris, ſc. flavi, æruginoſi, &c. ut plurimùm autem cineritii, & ſubnigri.

CAP.

CAP. V.

De differentiis Phthiseos Pulmonaris originalis.

FAcile esset hoc loco plures distinctiones Phthiseos pulmonaris, easque vel quotidiana experientia comprobatas proferre; earum tamen mentionem quoniam nihil lucis ad veram Ideam hujus morbi in genere formandam afferunt, neque quicquam in clariorem, & magis distinctam generalium θεραπευτικῶν & indicationum curativarum notitiam comferunt, inpræsentiarum saltem, prætermissurus sum. Est tamen una distinctio Phthiseos pulmonaris, quæ est in acutam, & chronicam, sine cujus notitia necesse est, uti Medicus, æquè in præsagiis proferendis atque in indicationibus curativis dignoscendis, sæpissimè hallucinetur. denique nemini absonum videri debet, si hoc loco in ejus ampliorem explicationem breviter observationes nostras subnectamus. Uti enim nonnullos hoc morbo è vivis intra spatium unius, vel saltem paucorum mensium sublatos viderim ita alios quam plurimos Phthisica labe graviter affectos, debita cautione, & cura priùs habita vitam, licet valetudinariam, per plurimos annos protraxisse notavi, uti ex. gr. Dominum *Hiather*, qui post curatam hæmoptoen, qua, juvenili ætate, correptus fuerat, adhuc, ad annum scilicet quinquagesimum supersties vivit, licèt, toto hujus temporis decursu, macilentus, tussiens, & sæpissimè febricitans fuerit, atque à plurimis febribus putridis arte liberatus. Atque hoc modo Pater meus dilectissimus, & ipse expertissimus Medicus, ut ut continua tussi, respiratione difficili, febribus putridis frequentioribus, levique, etsi continuo caloris hectici gradu laborans, vitam tamen, licèt valetudinariam, hoc pacto à XXX. ad LX. ætatis annum protraxit, atque tandèm, non à Phthisi pulmonari (à qua per tres posteriores vitæ suæ annos plus quam alia visus est liberari) verùm à febre synocho putrida Epidemia, quæ anno 1658. publicè per totam *Angliam* grassabatur, è vivis sublatus est. Idem in Uxore Domini *Datisor*, Mercatoris *Londinensis*, per spatium 15. annorum observavi, & in Mercatore quodam incola plateæ cujusdam dictæ *Philpot-Lane*, qui tandem post plurimas inflammatorias febres sæpiùs in anno levissima de causa recurrentes, in ulcerationem pulmonum adeò insignem incidit, uti, ex ea unà cum hydrope, aliisque usitatis Phthiseos pulmonaris funestæ symptomatis, circa annum ætatis suæ 61. ultimum diem clauderet. Plurimæ etiam aliæ hujusmodi historiæ proferri possint, verùm brevitati inpræsentiarum consulo. Quod ab hujus differenti diathesi sanguinis, atque humoris tuberculis pulmonaribus suppeditati, pro varia ejus dyscrasia diversi. Si enim pulmonum infarctio, atque tubercula exinde nata, præ peculiari quadam sanguinis dyscrasia, ab humore aliquo maligno; cancroso, vel gangrænoso ortum suum ducant, (uti aliquando accidisse memini) morbus non tantùm est proculdubiò lethalis, verùm etiam præceps, & peracutus, quique paucorum mensium (forsan etiam hebdomadum) spatio ægrum è vivis tollat. Sin verò oriantur ab humore aliquo benigno, miti frigido, atque inflammationi & putrefactioni minus obnoxio, longiores induciæ, ærumnosæ licèt vitæ, obtinentur. Sin verò massa indurati glandulis contenta (quod non rarò conspicitur in nonnullis Scorbuticis, multò etiam magis in Scrophulosis) sit inflammationi, & putrefactioni vel non omninò, vel saltèm tardiùs disposita, Morbus est valdè chronicus, Ægerque multos annos in statu Phthisico valetudinariè degens, aliquando tandem aliquo alio morbo correptus funestũ diem obit, uti ex instantiis jam antea memoratis planiùs apparet. Quamdiu enim pulmones inferciuntur tantùm, vel tubercula exinde orta in statu crudo manent, Vita, ut ut ærumnosa in subitum tamen discrimen non ducitur, etsi pectoris oppressione, respiratione quadantenùs difficili, frequentique tussi sit vexata, quæ omnia symptomata, vel à minimo percepto frigore, aut admisso in diæta errore, augeri solent, idque unà cum febre erratica pro tempore superinducta. Aliquis etiàm caloris hectici continui gradus in partibus solidis, præcipuè verò in volis manuum, & in plantis pedum, uti

& genarum rubor, præsertim à cibo, & potatione vini sentiri possit. Pulsus etiam aliquatenus est celer, & nonnunquàm intermittens, & appetitus inconstans, atque ut plurimum debilis, saltem à percepto frigore. Adest etiam musculosæ carnis magis flaccedo, quam manifesta Tabes. Sputum aliquando viscidum est, & nigrum, vel cineritium, pro colore materiæ in glandulis tumefactis contentæ, haud rarò etiam hæmoptoe, vel leviſſima causa sæpius solet recurrere Quæ quidem sunt symptomata, seu Diagnostica signa Phthiseos pulmonaris lentæ, per quam licet ut Æger vitam, etiamsi valetudinariam, non rarò tamen longam trahat, etsi non sit tutum ei liberum usum vini, & ciborum, nullo delectu sumptorum, aliorumque in vitæ oblectationem conducentium indulgere, sicut icæteris fieri solet. Quamprimum verò febris nova inflammatoria, vel putrida, & colliquativa ab horum tuberculorum inflammatione & apostematis superinducitur, omnia Phthiseos confirmatæ, atque deploratæ symptomata insequi solent, quæ ruinam magis, minusve certam, & præcipitem; pro tumorum genio, magis, minusve in inflammationem, atque in celerem ulcerationem dispositorum, afferunt. Atque hic forsam erit operæ pretium observationes aliquot particulares ulterius subnectere. Ex gr.

Primò, Sicuti pro genio tumoris magis minusvè maligni, & in inflammationem, & ulcerationem dispositi, febris inflammatoria, vel putrida indè orta magis, minusvè præceps: & periculosa est; ita etiam Phthisis magis minusvè acuta & incurabilis exinde nascitur.

Secundò: Fréquenter percepta frigora, inque diæta, exercitiis animique Pathematis, &c. sæpius admissi errores; febres inflammatorias, atque putridas identidem recurentes calori hectico superinducendo, morbum hunc ad fatalem exitum celerius perducunt, eum acutum, imò vel acutissimum, reddendo, qui aliàs suo genio fuerat chronicus.

Tertiò Phthisis Juvenum in flore ætatis vigentium, dum sanguinis calor adhuc est vividus, ideòque in fermentationem febrilem magis dispositus, plerumque est acuta. In senibus verò, ubi calor naturalis jam in declinatione est magis chronica.

4. Phthisis à febribus, præcipuè autem peripneumonicis, vel ab ulcerum malignorum suppressione orta, est ferè semper acuta: à Scrophulosa autem, & scorbutica diathesi dependens etiam in frigido, & phlegmatico temperamento Chronica est.

5. In lente Phthisicorum inflammatoria febre, emissio venæ sectionis, vel saltem administratio ejus minùs parca, vel sera, Phthisin aliàs natura lentam, peracutam, atque instanter lethalem reddit; siquidem partes pulmonum infarctæ, & induratæ jamdiu incalescentes inflammari inde, atque putrescere & exulcerari aptæ sunt natæ.

CAPUT VI.

De Prognosticis Phthiseos pulmonaris originalis.

QUalis futurus sit hujus morbi exitus in variis ejus stadiis, seu gradibus, vel ipsi rationi, æque ac experientiæ ex jam antedictis liquidò constat; atque idcircò, nos prognostica, ut ut multo usu & experientia excogitata, more solito, hoc est, e cathedra, & authoritative, non proponemus; nisi quatenùs rationis tessera, & ex ipsius rei natura fuerint comprobata. Ex. gr.

1. Omnis Phthisis pulmonaris originalis, stricte loquendo, est Chronica, licet habita comparatione, una Phthisis sit altera magis præceps, eoque respectu dici possit acuta. Qualiscunque verò ea sit curatu est semper admodum difficilis utpote dependens à saburra humorum, & à minera in habitu corporis congesta, quæ nulla subita crisi (sicuti febris, aliique morbi proprie acuti dicti) exantlari, seu depromi possit.

2. In principio verò, dum pulmones inferciri tantùm contingit, imò in secundo morbi hujus gradu, ubi tubercula ex longa infarctione jam succreverunt, dumque cruda, & in inflammationem, atque ulcerationem, minùs prona manent, Phthisis curationem, æque ac cæteri morbi, admittit, præcipue autem verno tempore,

pore, quod huic curationi proprinquante jam sole, egregiè conferre solet. Curationem dico, veram, vel saltem palliativam, pro tumoris genio, & præsenti sanguinis statu, à quo tumor magis, minusvè malignus, atque inflammationem & exulcerationem dispositus oritur: Veram scil. quoties hos tumores (utpote paucos, & benignos) arte medica dissolvi contingit: Palliativam verò usquedum tumores isti, vel medicamentorum balsamicorum, aliorumque ejusmodi ope, ab inflammatione, atque exulceratione præservari possint. Quo fit ut Æger, utcunque valetudinarius, & febribus vel quavis levi de causa obnoxius, muniis tamen solitis fungi potis est, vitamque non rarò ad provectam usque ætatem protrahit. Atque adeo morbus iste Herculeus, & insanabilis audit, vel quoniam Medici, (quod haud rarò contingit) vel ex adulante morbi natura, vel ex Egri incuria & parsimonia (cui nihil ut plurimum vilius esse solet, quàm ipse sibi) nimis serò consuluntur; vel denique ex ignorantia Medici, qui veram ideam hujusce morbi, in variis ejus stadiis, non comprehendens ideò eum justis methodis tractare nescit.

Tertiò, Phthisis verò confirmata, unà cum febre putrida superinducta, à pulmonum inflammatione, aut exulceratione effecta, rarissime perfectam curationem admittit. Verum tamen si pars pulmonum ulcerata parva sit; & pus benignum, & propria cystide contentum, vita diligenti regimine, & medicaminum appropriatorum usu per plures annos protrahi possit: Æger tamen valetudinariè degit, & vel levissima causa, febri putridæ obnoxius esse solet.

Quartò, Phthisis confirmata, quo acutior, eò curatu difficilior est, utpote à malignis tuberculis dependens, quam etiam major colliquatio, atque itidem citatior virium collapsus comitantur.

5. Phthisis hæreditaria, vel à mala Thoracis conformatione, orta utplurimùm lethalis est, quia causa, quæ eam producit, extra artis sphæram posita est.

6. Phthisis contagio contracta, præcipue verò quoties id contagium originem à Phthisi acuta, & mali moris ducit, aliis Phthisibus, cæteris paribus, curatu difficilior est, ut plurimum magis acuta, & lethalis.

7. Phthisis natu minorum, (utpote magis acuta, & febri putridæ ocyus inducendæ apta nata) curatu difficilior est quam ubi jam in ætatem provectiorem inciderit, in qua sanguis, uti in accensionem minùs disponitur, ita tardius incendium, & ruinam non adeò præcipitem minatur, ac in flore ætatis, ubi omnia naturæ tentamina cum vigore fiunt.

8. Phthisis autumnali, vel hyberno tempore, ut diligenti regimine, & convenienti medicaminum usu relevetur, nunquam tamen sine verni aeris, & appropinquantis solis beneficio perfectè curari potest. Siquidem ut hoc vesiculosum parenchyma continuò ferè ab aere penetratur, & in ultimis recessibus, perpetua novi aeris per respirationem intùs atque foras acti successione, naturæ lege, distenditur, ita præsens aeris status non potest non esse maximi momenti, quando hujus affectus curationem vel præpediat, vel promoveat, prout vel salubriter siccus, atque tepidus, vel morbide frigidus, & nebulosus comperitur. Adeò ut debita aeris constitutio non solùm male affectorum pulmonum præservationi, verùm etiam curationi magis conferat, quam vel speciosissima medicamentorum congeries, quæ non adeo continuò, vel pari copia in sanguinem, & affectam partem ingeri possunt, atque aer solet. Ideoque curatio Phthiseos tempore hyberno, & autumnali, frustra exspectari solet, dum scil. status aeris insalubriter frigidus crassus, atque humidus morbum magis continuo promovet, quam vel optimorum medicaminum apparatus ei possit obsistere, acie scilicet potentissimorum remediorum hoc ritu, per incommodum aeris statum vehementer obtusa & debilitata.

Nono, Omnis putrida Febris licet ea mere ex accidenti Catarrho, vel percepto frigore proveniat, calefaciendo pulmones, Phthisin vehementer promovet; præcipue vero si initio omittatur venæ sectio.

10. Phthisis pulmonaris originalis plerumque curatu difficilior est, quam symptomatica, quia hæc non tam ex habitu

corpo-

poris, quam ex accidenti oriri videtur : neque raro morbus originalis, à quo ortum ſuum ducit, facilem curationem admittit. Licèt ſit fatendum, quod, quoties Phthiſin à peripnemonia, vel aliquo morbo pectoris malè curato, vel ab antiquis ulceribus externis exſiccatis, aut internis ſcatentibus, oriri contingat, eam curare difficillima ſit.

Undecimò, Omnis Phthiſis recrudeſcere ſolet, & qui ſemel fuit Phthiſicus, niſi accuratiſſimum regimem adhibeatur, vel à leviſſima cauſa in eundem ſtatum redit. Siquidem non tantum pulmones priori morbi inſultu jam labefactati novæ impreſſionis eo magis ſunt ſuſceptibiles; verùm etiam vehementior proclivitas, atque diſpoſitio in hunc morbum, ex ipſius corporis habitu, in his quam in aliis comperitur. Quinimò vel a perfectiſſima curatione Phthiſeos fas eſt aliqua cruda tuberecula adhuc deliteſcentia ſuſpicari, quæ tandem ex frequenter oblata occaſione inflammari, atque uſque ad exulceratum Apoſtema maturari poſſint.

Duodecimò, Quò citiùs curatio Phthiſeos initur eo meliùs ſuccedere ſolet; indeque præcipuè hic morbus lethalis evadit quòd nimis ſerò conſulatur Medicus; ope noſtra haud rarò eouſque neglecta donec Æger omnium evacuationum, atque plurimorum aliorum medicamentorum, huic curationi admodum neceſſariorum, incapax fiat.

CAPUT VII.

De Indicationibus Curativis Phthiſeos Pulmonaris originalis.

IN primo hujus morbi limine, pulmones ſcilicet inferciuntur tantùm, & conſentiente totius corporis habitu, chylo effœto oppleti, atque obſtructi, hecticè incaleſcunt, copioſumque ſerum exſpuentes, (quod in Phthiſi a Catarrho perque perceptum frigus orta, ubi corpus ſcil. ita prædiſpoſitum fuerit, haud rarò accidere ſolet, & quidem longo tempore durare priuſquam tubercula una cum arida tuſſi indè proveniente ſuccreſcant;) planè indicatur;

Primò, Accenſam Diatheſin Spirituum, conciliando animum quietum atque hilarem, eſſe demulcendam, maſſamque ſanguinis in ſtatum acrem, atque hecticum, ſenſim jam redactam, medicamentis alterantibus copioſè exhibitis emendandam. In quem cenſum redigenda non tantum *lactea diæta*, *aquæ minerales Chalybeatæ*, & medicamenta vulgò dicta *pulmonaria*, utpote lenientia, & mucilaginoſa atque eò humorum acrimonia obtundentia, verùm etiam *Balſamica*, & *Specifica*, quæ reſpectum ad Ægri Idioſyncraſiam habent. Hujuſmodi verò remedia copioſè deglutienda ſunt, adeoque (quantum poteſt fieri] more diætæ exhibenda, atque in eorum uſu longo tempore perſiſtendum. Siquidem acris, & morbidus humorum ſtatus paulatim contractus, non ſine longo & copioſo medicaminum appropriatorum uſu emendatur.

Secundò: Saburram effæti, & morbidi humoris in habitu corporis deliteſcentis, aptis medicamentis, uti *emeticis*, *diureticis*, & *diaphoreticis*, leniter evacuandam. Verùm omnimoda cautela in hujuſmodi remediorum delectu adhibenda eſt; nempe ut ſint admodùm mitia, atque benigna, ne ſanguinem calefaciendo, & nimis agitando, atque eò in ſtatum colliquativum, & ſeroſum ulteriùs reducendo, ex accidenti promoveant morbum.

Tertiò, Obſtructiones eſſe removendas tonumque partium, præſertim pulmonum, ab humoribus imbibitis debilitatorum & in ſpaſmodicam contractionem diſpoſitorum, confirmandum ex uſu *Chalybis*, vel arte, vel natura parati, medicaminum *Balſamicorum*, aeris prudenter electi, *Salium volatilium*, aliorumq; hujuſmodi.

Quartò, Hecticum, & colliquativum calorem, ſeu Catarrhalem ſanguinis ſtatum impediendum, vel ſaltem minuendum tempeſtiva, & copioſa venæ ſectione; quæ utcunque aliquandò in confirmata Phthiſi ſit noxia, in incipiente tamen plurimùm prodeſt : Nulluſque dubito quin, ab ejus omiſſione, vel nimis

mis parca celebratione, in morbi primordiis, tubercula utplurimùm ortum suum ducant, Phthisis in secundum, & magis lethalem gradum statim præcipitari solet.

Quintò, Affectæ parti, scil. pulmonibus, totis viribus prospiciendum, seri Catarrhosi in eos continuò influentis concoctionem (quantum fieri potest) maturando; quo ipsa molesta tussis, unà cum ejus causa, penitùs tollatur. Quod fit non tantùm medicamentis alterantibus; & mucilaginosis, pulmonaribus vulgò dictis, (quæ copiosè ingesta, sanguinis & humorum Diathesin leniendo, ulteriorem eorum colliquationem atque calorem sistunt, quò minorato jam novo eorum influxu, pulmonibus jam impacti humores, à naturali partis calore facilius & citius concoqui possunt:) Verùm etiàm leniter evacuantibus, quæ humores à pulmonibus divertendo, ob jam memoratam rationem, in celeriorem eorum, qui jam ante fuerant collecti, concoctionem plurimùm conducunt: super omnia verò prudenti & alternativo usu abstergentium & incidentium medicaminum, prout usus fuerit. Sicuti enim incrassantia, atque opiata prudenter exhibita, humoris novi in pulmones influxum inhibendo, pro tempore altem, impacti jam humoris concoctionem multùm promovent; ità etiam pulmonibus quietem à tussi conciliando, ipsi pulmones, eorum tono jàm minùs distento, vires naturales recuperantes, plurimùm confortantur. Verùm ex oleosorum, & lubricantium usu impacti & concocti humores facilius per expectorationem rejiciuntur. Et, si eos in coctione plùs satis indurescere, & glutinosos fieri contingat, incidentium, & abstergentium ope egeri possunt, absque ingenti illo conatu, qui, si contingat, novum crudæ lymphæ fluxum eumque satis molestum, è Trachææ, & pulmonum glandulis, per modum suctionis excitare possit.

In secundo morbi hujus gradu, ubi primùm scil. tubercula in pulmonibus fiunt, cum arida, & molesta tussi, & quamdiu illa manent cruda absque ulla insigni inflammatione, & exulceratione, Indicationes sunt ferè eædem quæ prius, nisi quòd pro gradu caloris hectici aucto, diligentiùs insistendum sit prælargo usu alterantium; pro virium autem debilitate, & colliquatione humorum aucta, cujusvis generis evacuatione partim sunt celebrandæ; speciatim verò, usu *Balsamicorum*, *Chalybeatorum*, *Antiscorbuticorum*, *Millepedum*, aliorumque ejusmodi, tumorum istorum dissolutio summis viribus tentanda est.

Ubi primùm autem per inflammationem, & maturationem tuberculorum, tandem ad ultimum, & ut plurimùm funestum confirmatæ Phthiseos stadium deventum fuerit, (quod sese immenso colliquationis incremento, & novæ febris non tantùm inflammatoriæ, seu peripneumonicæ; verùm etiam putridæ intermittentis accessione solet prodere) statim suboriuntur novæ Indicationes curativæ.

1. Ubi enim pulmones à tuberculorum inflammatione peripneumonicè afficiuntur, sicuti tempestiva venæsectio ita etiam Julapia temperantia & cordialia, ad demulcendum sanguinem, & vires reficiendas, diæta admodùm tenuis, copiosaque medicaminum pulmonarium (præcipuè autem oleosorum) ingestio, ad spasmodicam pulmonum constructionem vi sua anodyna tollendam, & ad phlegmatis eductionem, seu expectorationem è bronchiis infarctis facilitandam, & promovendam subindicantur.

Ubi primùm autem post tuberculorum inflammationem jam in ulcerationem facessentem, febrem Peripneumonicam à putrida intermittente immaniter colliquativa excipi contingat, unà cum subita prostratione virium; sicuti ab ista virium dejectione omnes evacuationes contraindicantur, ita etiam cordialium, pulmonarium, temperantium, opiatorum, lubricantium, & abstergentium usus subindicatur. Febris etiam putridæ eradicatio tentanda est, quæ utcunque à *Corticis Peruviani* usu

infi-

infidas det inducias, nullam tamen curationem eradicativam absque ulcerum sanatione admittit, quod, ubi fuerint parva & benigna, non est prorsus impossibile, ope scil. convenientis diætæ atque aeris medicaminumque balsamicorum usu. Utcunque id sit, Colliquationis minorationem febrilis paroxysmi mitigatione, & funestorum symptomatum à colliquatione undiquaque ortorum alleviationem molliri licèt. De quibus in methodo curationis, calamo fusiori, mox differendum.

Primò, Cathartica, uti *Manna*, *Electuarium Lenitivum*, *Pulvis Hollandicus*, *Aloe Rosata*, *Pilulæ Mastichinæ*, *e Succino*, *Aloephanginæ*, *Stomachicæ cum gummi*, *Pilulæ nostræ stomachicæ magistrales* (quarum prudenti usu, debitis intervallis, Pater meus dilectissimus, atque idem Medicus experientissimus, per spatium triginta annorum, ad senectutem usque vitam suam, licet Phthisico & valetudinario statu, provexit. (Quarum descriptionem, e suo autographo, in bonum publicum depromere lubet.

℞. *Aloes Puriss.* ℥j. *Myrrh. optim. Mastich.* an. ℥ß. *Cinnamom. Croc.* an. ℥ij. *Caryoph. Absinth. Rom. R. s. rubr. Nuc. Mosch. Macis*, *Calam aromatic.* an. ℥j. *Rhabarb. select.* ℥ij. *Galang. Schænanth. Santal. Citrin. Lign. Aloes*, *Cardamom minor.* an. ℥ß. *Moschi Oriental. gr. iv. cum Sir. Absinth. q. s. m. F. Massa Pilularis s. a.*

Item Aquæ *minerales purgantes*, & summatim loquendo, omnia Cathartica mitiora, quæ ventriculo, & nervis sunt grata, & quæ quàm minimam efferveſcentiam in sanguine, & spiritibus concitant, hic etiam usui sunt.

Huic censui vomitoria etiam referenda sunt, veluti *Mel Scilliticum*, atque in principio Phthiseos, præsertim Crapulosæ, *Vinum Benedictum*.

Secundò, Diuretica, veluti *Aquæ minerales Chalybeatæ*, & *Catharticæ*, *Millepedæ crudæ*, & *præparatæ*, *semina iv. frigida majora*, *Terebinthina communis*, *Opobalsamum*, *Balsamum Tolusanum*, *Peruvianum*, & medicamenta composita ex his facta uti, *Balsamus Sulphuris Terebinthinatum*, & *Anisatum*, *syrupus Balsamicus* Doct. Coddard, *simplex*, & *Anodynus*; *Radices Fæniculi*, *Petroselini*, *Eryngii*, cæque vel *crudæ*, vel *conditæ*, *Helenii*; *Semina malvæ*, & *Althææ*, *Fol. Plantagin. Baccæ Juniperi*, *Lauri*, *Grana Actes*; *Mel simplex*, *Violatum*; *Cancri fluviatiles*, *Syrupus Althææ*, *Amygdalæ dulc.* &c.

Tertiò, Diaphoretica, veluti *Rad. sarsæ*, & *Chinæ in decoctis*, *Theriaca Andromach. Laudanum liquid.* & *solidum Mithridatium*, *Confectio Al Kermes*, *Crocus*, *Lign. Sassafras*, *Guajaci*, *Santal. Citrin.* vel *rubr.*

Quartò, Pulmonaria. In quem censum referre soleo, 1. Omnia medicamina simplicia, & composita, quæ humorum acrimoniam retundendo, Catarrhalem, sive colliquativum sanguinis statum minuunt; quo fit ut lympha non adeo copiosè per Trachæam, & glandulas pulmonum secernatur. Ex. gr. *Tussilago*, *Capilli veneris*, *Hedera terrestris*, *Beccabunga*, *Nasturtium aquaticum*, *Summitates Pini*, *Scabiosa*, *pulmonaria maculosa*, *Flores Bellidis majoris*, *Anthus*, *Betonicæ*, *Salviæ*, *Violarum*, *Boraginis*, *Bugloſſi*, *Liliorum Convall. Rad. Polypodii*, *Folia Millefollii*, *Pilosellæ*, *Pimpinellæ*, *Taraxaci*, *Plantaginis*, *Prunellæ*, *Saniculæ*, *Veronicæ*, aliæque plantæ mitiores sale volatili abundantes cum Syrupis, Decoctis, atque aliis medicamentis compositis ex iis factis, *Folia*, *Botryos*, *Roris Solis*, *Adianthi*, aliæque herbæ vulgò dictæ vulnerariæ, quæ sanguinis massam alterando, coctioni humorum pulmonibus impactorum multùm conferunt. Item *Balsamum Tolutanum*, *Peruvianum*, *Opobalsamum*, *Styrax*, *Benzoinum*, *Gummi Elemi*, *Balsamum Capivi*, cum aliis *Gum.* & *Balsamis*: *Sulphur.* & varia ex eo præparata; *Oculi Cancrorum Testæ ovorum*, *Cretæ*, *Corallium*, *Margaritæ*, *Millepedæ*; *Semina iv. frigida majora*, *Malvæ*, *Althææ*, *Lactucæ*, *Radices Chinæ*. *Sarsæ*. *Rasura C. C.* & *Eboris* cum Medicamentis compositis ex his factis, qualia sunt *Pulvis Haly*, *Antido-*

tidotus Analeptica, *Decoctum Pectorale*, *Sarſæ* & *Chinæ*, Ingredientia pulmonaria, & Antiſcorbutica in potu ordinario, *Emulſiones ſem. iv. frigidorum* in *aqua hordei*, *Lactea diæta*, præcipuè verò *lac Aſininum*, *Hordeacea*, *Aquæ Chalybeatæ*, *Oſtrea*, *Limaces*, & Medicamina ex his facta.

2. Medicamenta lubricantia, & incidentia, quæ expectorationem humorum pulmonibus impactorum promovent, uti *Glycyrriza*, *Mel*, *Hydromel*, *Oleum commune*, *Amygdalar. dulc* præcipuè verò *Oleum Lini recenter. extract.* abſque igne, *Terebinthina*, *Opobalſamum*, *Butyrum recens & dulce*, *Amygdalæ*: *Caricæ*, *Paſſulæ majores*, *Dactyli*, *Sebeſtenæ*, *Jujubæ*, *Succus Glycyrrhizæ*. *Gum. Ammoniac. Benzoinum*; *Balſamum Tolutanum*, *Lohoh*, *Sanum & expertum*, *è Pulmone Vulpis*, *e Farfara*, *Saccharum crudum*, vel *Cryſtallinum* cum variis *Eclegmatis*, atque aliis medicamentis, quæ illud recipiunt, qualia ſunt *Syrupi ex Eryſimo*, *Capillorum Veneris*, *Tuſſilagin. Marrub. ſimpl. Flor. Hyperici*, *e quinque radicibus*, *Balſamicus Botyros*, *de Glycyrrhiza*, *de Hyſſopo*, *e praſio*, *Althææ Jujubin. Violarum*, uti & *Mel Violarum*, *Species Diaireos*, *pulv. Haly*, *Trochiſc. Bechici albi*, & *nigri*

3. Carminativa, quæ nervos confortando, & deopilando, conſtrictionem pulmonum ſpaſmodicam removent, unde liberior reſpiratio inſequitur, & conſequenter facilior expectoratio, uti *Aqua Mirabil. Sp. C. C. Sal. Ammoniac. Aq. Bryon.* & *Pæon. Comp. Semina Aniſi*, *Fœnicul. Rad. Enul. Camp. Ireos*, *Flores Aurantiorum*, *Anthus*, *Folia Hyſſopi*, *Ror. Solis* cum *aquis*, & *Syrupis* inde factis, *Cortices Aurantiorum* & *Citri condit. Baccæ Lauri*, *Juniperi*, *Mel*, *Zibethum*, *Gummi Ammoniac. Benzoin. Cinnamomum*, *Nux Moſch. Macis*, *Balſam. peruv. Opobalſamum*, *Syrup. de Eryſimo*, *de Hyſſopo*, *Spec. Diaireos*, *Diacalaminth. Theriaca*, *Mithridatium*, *Laudanum*, & alia ejuſmodi, quæ tamen admodum caute, & parce, & non ſine urgente neceſſitate (ſi adſit inſignis febris) uſurpanda ſunt.

4. Medicamenta incraſſantia, & glutinantia, quæ citæ concoctioni, & conſequenter expectorationi ſeri in pulmones influentis multum conferunt, uti *Symphytum*, *Hedera terreſtris*, *Milleſolium*, *Taraxacum*, *Piloſella*, *plantago*, *prunella*, *Sanicula*, *Scabioſa*, & generaliter loquendo *omnes herbæ vulnerariæ*, *Flores Roſar. rubr. papav. Rhæad. Crocus Angelic. Glycyrrh. Santal. Citrin.* & *rub. Fructus pulmonares*, ut *paſſulæ*, *Caricæ*, *Dactyli*, *Jujubæ*, *Sebeſtenæ*, *pruna dulcia*, *Nuclei pinorum*, *piſtacia*, *Semina Papaveris alb. Sem. iv. frig. major. Hyoſciam.* cum *emulſionibus*, & *Syrupis* ex his factis, *Saccarum penidiatum*, *Roſat. Conſerv. Roſar. rubr. antiq. Succus Glycyrrh. Amylum*, *Mel*, *Olibanum*, *Gummi Arabicum*, *Tragacanth. Syrup. de Symphyto*, *Althææ*, *e roſis ſiccis*, *Liquirit. Lohoch. Pſyllii*, *Caulium*, *de papavere. portulacæ*, *e pino*, Sanum & expertnm e *Paſſulis*, *Juſcula* conſummata ex extremis animalium facta, *Gelatinæ Cornu Cervi*, & *Eboris*, *Species Diatrag. frig. pulv. Haly*, *Trochiſc. Bechic. nigr. Mithridatium*, *Diaſcordium*, *Theriaca Andromach. Syr. e Meconio*, & generaliter loquendo omnia *Opiata*, uti *Laudanum ſolidum*; & *Liquid. pilul. e Gynogloſs. e Styrace*, *Philonium Perſicum* & *Romanum*, &c. que præſentem humorum influxum in pulmones (uti veteres loqui amant) ſiſtendo, etiam ante-impactorum coctioni plurimùm conferunt. Ideòque abſque eorum uſu cauto & prudenti, vix aliquid momenti in Phthiſeos curatione moliendum eſt.

5. De obſtruentia, quæ infarctas glandulas liberando eas minuunt. Uti *Rad. Ireos*, *Sarſæ*, *Chinæ*, *Lign. Saſſafr. Santal. Baccæ Lauri*, *Juniperi*, *Gum. Ammoniac. Benzoin. Balſam. Tolutan. Sulphuris peruv. Opobalſamum*, *Chalybs*, vel Natura in aquis mineralibus, vel arte in forma *Syrupi*, vel *Electuarii*, vel *pilularum*, &c. paratus *Millepedæ*, cum multis aliis Antiſcorbuticis, & Antiſtrophuloſis medicamentis.

Ex hoc Simplicium, & Compoſitorum Theſauro prudentem Medicum judi-

judicio, & experientia fretum, in variis morbi ſtadiis, & ſecundum ſymptomatum exigentiam, diverſa medicamenta, pro re nata, ea forma quæ Ægrotanti fuerit gratiſſima, ità componere, & præſcribere oportet, uti ſemper cum ratione præſentibus Indicationibus in toto curationis curſu ſatisfacere valeat neque unico ſemper præſcripto, tanquàm morbi incantamento empiricè inſiſtat. Cujus rationalis curationis methodum, in vario ſtatu, & ſymptomatis, hujus morbi progreſſu, proponere jam properabimus.

Remedia Chirurgica in hoc morbo ſunt *Fontanellæ*, *Veſicatoria*, *Raſura Capitis*, *Applicatio Emplaſtri Cephalici*, *e Betonica*, vel alterius alicujus eorum æmuli, uti etiam Venę-ſectio, de quorum uſu, & ratione, ſequenti curationis methodo uberius diſſeremus.

CAPUT III.

De Methodo curationis Phthiſeos Pulmonaris originalis.

PRimo hujus morbi inſtanti [ut ſcilicèt primùm pulmones, Trachęa, & glandulæ per totam pulmonarem fiſtulam diſperſæ, perpetua ſeri exſpuitione è ſanguinis maſſa ſecreti interciuntur tantùm, continuaquè tuſſi, præcipuè autem nocturna inde provenientę, vexantur] omnibus debitis modis inhibendus eſt novus ſeri Catarrhalis in has partes influxus & humores jam impacti quàm citiſſimè coquendi Ideòque.

1. Sanguis è vena brachii [præcipuè verò ſi Æger fuerit Plethoricus, & venæ-ſectioni dudùm aſſuetus] mittatur ad ℥. vj. vij. viij. vel x. non ſolùm ad minorandam efferveſcentiam, & conſequenter colliquationem ſanguinis; verùm etiam ad præveniendum tumorem, atque inflammationem ipſorum pulmonum, & ad tollendum calorem febrilem, qui à continua partium thoracicarum agitatone per tuſſim, & vigiliis indè inſequentibus ſuboriri ſolet. Venę-ſectio iſta (ubi Indicationes id poſtulant) ſemel, bis, vel ter, debitis intervallis celebranda eſt; præcipuè autem ubi colliquati ſeri fluxus fuerit ſub ſpecie Catarrhi ſuffocativi, una cum copioſa expectoratione crudi phlegmatis, & ad naturam ſeri accidentis; vel ubi dyſpnœa inſigniter aſthmatica, lateris dolor, vel ſigna aliqua Rheumaticæ, Pleuriticæ, vel Peripneumonicæ diſpoſitionis adfuerint; vel denique ubi Crapula vel nimis larga potatio, vini, aut aliorum ſpirituoſorum præceſſerat. Et quidèm nullus dubito, quin, ob defectum debitæ ventilationis, in hujus morbi primordiis, Catarrhi tuſſeſque communes frequenter in Phthiſin pulmonarem degenerare ſoleant: Quin etiam concretionem in glanduloſis pulmonum partibus, & calorem hecticum exindè naſci ſuſpicari licet.

2. Maximi momenti eſt poſt extractionem ſanguinis, præcipuè autem ſi morbus à crapula ortum ſuum ducat; vel ſi nauſeam, & vomendi diſpoſitionem conjunctas habeat, *Emeticorum* lene præſcribere è *Melle*, vel *Oxymelite ſcyllitico*; immò & aliquandò è *Vino Benedicto*, modica quantitate ſumpto. A qua vomitione, non tantùm Ventriculus humorum ſabbura oppreſſus relevari, & nauſea inde nata tolli, & digeſtio reſtitui poſſint, (quæ omnia non ſunt flocci habenda;) verum etiam moles humorum jam pulmonibus impactorum, harum partium exagitatione inter vomendum, inſigniter expectorari ſolet, una cum notabili revelatione ponderis gravativi à mole iſta effecti. Atque hoc ritu non tantum plurimos *Empiricos* vidi, cum ſucceſſu felici ſeſe omnem incipientem Phthiſin curaturos gloriari, verùm etiam ipſe ego ratione, & experientia fretus ſæpiſſimè Phthiſeos incipientis progreſſum, eodem modo, brevi temporis ſpatio, præpedivi.

Vomitio iſta [præſertim verò ſi Æger cum εὐφορίᾳ, & levamine eam ferat, & ſi ſit neceſſaria] tertio, vel quar-

quarto quoque die repeti possit ad tres, vel quatuor vices.

Maximè opportunum tempus ad exhibendum vomitorium in hoc casu est paulò ante vesperam, verum prius celebrata venesectione die præcedenti, ne sanguis à nimia partium agitatione incalescat, atque inde superinducatur, vel augeatur febris, modo ea prius adfuerit: Atque etiam ad præcavendam hæmoptoen, quæ à vehementiori partium thoracicarum nixu, vomitione jam affecto, suboriri solet, antequam vasa sanguifera depleta fuerint. Admodum etiam convenit post singula vomitoria jam exhibita opiatum aliquod præscribere, non tantùm ad demultiendum sanguinis calorem à nixu, & agitatione jam excitatum, verùm etiam ad inhibendum novum influxum seri catarrhosi in pulmones ab hac vehementi partium agitatione suboriri solitum.

Formulæ Emeticorum, & Opiatorum mihi usitatissimæ in hoc casu sunt quæ sequuntur.

℞. *Mel. Scyllit.* ℥ß. *sumend. in haustulo possetalæ, repetendumque bis, vel ter in hora*, modò vomitio non satis procedat. Quod quidem vomitorium pueris, & junioribus maximè convenit, utpotè lene, & pergratum. Vel

℞. *Oximel. scillit. Ol. Amydal. dulc.* an. ʒi. *MS. capiat. Æger in haustu prælargo possetalæ solut. repetatque bis, vel ter in hora (si opus fuerit) ad promovendam vomitionem.* Vel

℞. *Vin. benedict.* ℥vij. *Syr. viol.* ʒij. *M. F. potio emetica. Et (si opus fuerit) inter vomendum semel vel bis exhibeatur Ol. Amygdalarum dulc. & Oxymel. scyllit.* an. ℥ß. *in haustu possetalæ.*

Sal Vitrioli in hoc casu parum convenit, quoniam stypticitate sua glandulosas partes circa fauces continuo convellit, atq; irritat, atque eò seri catarrhosi ulteriorem fluxum, atque adeò tussim importunam, & longam, vomitione jam finita, excitare solet.

Formulæ *Opiatorum* post vomitionem sunt quæ sequuntur.

℞. *Aq. Lact. Alexit. Cardu.* an. ʒi. *Aq. Cinnamom. hordeat.* ℥ß. *Syr. de Mecon.* ℥vj. *MS. F. haustus* Vel

℞. *Decoct. Pectoral. depurat.* ℥iv. *Tinctur. Croc.* ʒij. *Laudan. Liq. Helmont. gr. xv. Syr. Violac.* ʒij. *MS. F. haustus.* Vel

℞. *Aq. Tussilag.* ℥ii. *Ol. Amygd. dulc. rec. Syr. è Meconio* an. ℥i. *MS.* Vel si forma boli Ægro magis arrideat.

℞. *Conserv. Rosar. veter. Mithridat. vel Theriac. Andromach. Conserv. Lujul.* an. ℥ß. *Laudan. Lond. gr.* ß. *MS. F. bolus.* Vel capiat in forma pilulari *pilul. è Cynoglosſ.* vel *è Styrace* ʒß.

Tertiò, Convenit etiam saburram humorum per alvum leniter subducere Cacharticis stomachicis, atque aliis ejusmodi, quæ quam minimam effervescentiam, & Colliquationem efficiant, Ex. gr.

℞. *Mann. selectissim. Ol. Amyd. d.* an. ℥iß. *vel* ℥ii *solve in* ℔i. *Ptisanæ calid. Bibat Æger mediam partem in lecto, reliquam post dimidiam horam è lecto surgendo.* Vel

℞. *Sen. opt.* ℥ii. *Cass. cum cannis confract. Tamarind.* an. ℥ß. *sem. Coriandr. pp.* ℥ß. *Coqu. in. aq. Font. vel Barnett. q. s. ad* ℥viij. in colatura dissolve *Mann. selectiss.* ℥i. *Sal Prunell.* ℥ß. *MS.* capiat Æger mediam partem mane, reliquumque post semihoram cum regimine.

Singulis verò purgationem consequentibus noctibus, sicuti post Vomitiones, exhibeatur opiatum ad demulcendum sanguinem, & ad quietem pulmonibus conciliandam, nè novus humorum in pulmones influxus ab agitatione sanguinis per Cathartica suboriatur.

Ob eandem rationem etiam opiatum aliquod cum Catharticis stomachicis hora somni sumendis miscere convenit. Ex. gr.

℞. *Aloes Rosat.* ʒi. *vel gr. xxv. Pil. è cynoglosſ* ʒß. *MS. F. pil. iv. deglutiendæ quæ alternis noctibus repetendæ sunt, Venæ-sectionibus debitis prius celebratis* Pilula ista vulgò *Pilula Catarrhalis* apud Pharmacopœos audit; quippe quòd non tantùm humores per alvum subducat, verùm etiam novum eorum influxum in pulmones prohibeat. Vel

℞. *Pil.*

℞. *Pil. Stomach. cum Gum. Aloephangin. Maſtichin.* vel *è ſuccino* ℥ß. *vel* ℈ij. *Laud. lond. gr. i. MS. F. pilulæ iv. deaurand.* quæ tertia quaque nocte repetendæ ſunt ad tres vices.

Immò, ſi fluxus catarrhalis fuerit vehemens, & dyſponœa, vel pectoris gravitas, vel conſtrictio ab eorùm uſu non ſuboriatur, ſingulis noctibus Opiatum aliquod erit exhibendum: quippe quod non tantùm ſomnum conciliet, atque eo humorum, & ſpirituum efferveſcentiam prohibeat; verùm etiam novum humorum in pulmones influxum fiſtendo, jam Impactorum humorum incraſſationem, concoctionem & expectorationem promoveat. Adeo ut experientia fretus fidenter affirmare poſſim, quod licet opiata in toto Phthiſeos curationis curſu ſint ut plurimum aliqualis uſus, in principio tamen morbi magis quam in ejus progreſſu tuta, proficua, & neceſſaria ſunt, & ſine eorum uſu nihil magni momenti in prohibendo hujus morbi progreſſu fieri poteſt.

Quartò, In hoc morbi ſtatu medicamenta etiam *Diaphoretica* multùm proſunt; ſiquidem ſerum è ſanguine continuò colliquatum per poros cutaneos copiosè divertunt, quo fit quod ejus exſpuitione in pulmones jam minorata, id quod prius impactum fuerat, facilius concoquitur.

Sequentes tamen Canones de ſudorificorum uſu diligenter ſunt obſervandi.

1. Medicamenta *Diaphoretica* ſemper ſint opiata, ne per novam colliquationem in maſſa ſanguinis ab eorum uſu facta, novus ſeri colliquati rivulus (uti per poros cutis, ità etiam per pulmones) una cum tuſſis indè conſequentis incremento oriatur, quod ſemper, ab imprudenti uſu Diaphoreticorum à *Mulierculis* & *Empiricis* in hoc caſu ſine admixtione opiati exhibitorum, eveniſſe obſervavi. A convenienti verò quantitate *Laudani* cum *Diaphoretico* admixta pulmones, durante ſudore, quieſcunt. Quo fit ut rivulus lymphæ à pulmonibus per poros cutaneos, non ſine magno commodo, divertatur, unà cum tuſſis allevatione, & ſeri pulmones impacti concoctione.

2. Diaphoretica minùs calida eligantur, ea ſcilicet quæ minimam efferveſcentiam, vel novam agitationem ſanguinis efficiant, uti vetus jam antè collectorum humorum ſaburra per poros cutis evacuetur, abſque nova eorum ſobole à recenti ſanguinis efferveſcentia procreata.

3. *Diaphoretica* ante uſum venæ ſectionis, Emeticorum, & Catharticorum, quoties ſcil. hæc ſunt neceſſaria, nunquam exhibeantur. Siquidem novam colliquationem à ſanguinis agitatione ante vaſorum depletionem facta ſuboriri ſemper obſervavi, una cum tuſſis, atque aliorum ſymptomatum indè dependentium augmento; immò & aliquando cum hæmoptoes, Rheumaticorum & Pleuriticorum dolorum, aliorumque horrendorum ſymptomatum ſuperinductione. *Diaphoretica* maximè mihi familiaria ſunt quæ ſequuntur.

℞. *Theriac. androm.* ℥ß. *vel* ℈ij. *Conſerv. Roſar. rubr. antiq.* ℥ß. *MS. F. Bolus.* Vel

℞. *Diaſcord. Conſerv. Lujul.* an. ℥i. *MS. F. bolus* Vel

℞. *Pilul. Patific.* (*Anglicè* Matthevv's Pills) *gr. xv. F. pilul. n. ii. deaurand. hora ſomni iv. ſumendæ.* Vel

℞. *Pilul. è Cynogloſſ. gr. xij. Antimon. diaphoret.* ℈i. *Tinctur. Croc. q. ſ. MS. F. pilul. iv. deaurandæ.*

Diaphoretica iſta tempore nocturno maximè opportunè exhibentur, idque ſtatim ab evacuatione per Venæ-ſectionem, purgationem, vel Vomitionem, quia ſomnum conciliant. Cautè etiam Æger à ſudoribus liberetur, ne per poros in hoc colliquato ſanguinis ſtatu ſubitò occluſos, novum frigus capiatur, atque indè tuſſis una cum ceteris ſymptomatis augeatur.

Durante hujuſmodi evacuationum uſu, ad impetuoſum humorum fluxum à pulmonibus divertendum, veſicatoriorum in brachiis, atque in ſcapularum interſtitiis proficuus eſt uſus Verùm

rùm cum istæ evacuationes fiunt (quæ seri sanguinis colliquati minorationi, atque adeò humorum pulmonibus jam impactorum concoctioni plurimùm conferunt) non omnino negligendus est frequens usus medicaminum vulgò dictorum *Thoracicorum*, vel *Pulmonarium* quæ, in evacuationum intervallis, copiosè ingerenda sunt, tanquam diætetico more; forma tamen semper Ægro quam gratissima. Ad ventriculum enim (qui etiam in hoc morbo à nausea, inappetentia, & vomitione affici solet) peculiaris respectus semper habendus est, ne ingrata eorum forma & copia gravatus, habitui nauseabundo assuescat, & non tantùm medicamenta, verùm etiam cibum gratissimum rejiciat. Medicamina, in hujus morbi principio præferenda sunt, *Incrassantia*, & *Lubricantia*, quæ serum sanguinis emolliendo, non tantùm mitigationi, tussim efficientium coctioni, & expectorationi plurimùm conferunt.

Hæc verò medicamenta, scilicet *Lubricantia*, & *Incrassantia*, aliquandò seorsim; ut plurimùm verò conjunctim, exhiberi possit in forma composita, quo utique indicationi satisfiat. Ita inter *Incrassantia* inungatur frequens usus *sacchari Chrystallini*, *Penidiat* & *Rosat.* atque etiam *Conserva Rosar. Rubr. Veter. Succ. Glycyrrhiz. Trochisc. Bechic. nigri*, quæ sæpiùs, & sensim deglutienda sunt, quo humorum, per Trachæam exsudantium, acrimoniam molli sua, mucilaginosa, & incrassanti natura demulceant, atque eo tussim importunam mitigent.

Inter *Lubricantia* copiosè utatur Æger *butyro* recenti in omnibus *panatellis*, *Cerevisia*, & (si benè ferat) *oleo dulci communi*, vel potiùs *Amygdalar. dulc.* præsertim verò *oleo lini* recenter absque igne extracto, è quo capiat singulis horis cochleare unum, nisi adsit Diarrhœa, vel aliquod aliud Symptoma contra indicans. Manducet etiam *passulis majores ficus*, &c.

Medicamenta autem à *Lubricantibus* & *Incrassantibus* composita, & utique jam memoratæ indicationi satisfacientia ea sunt, quæ vulgo *Thoracica*, atque *expectorantia* audiunt; quorum elegantiores formulas lubens subnectam.

℞. *Ol. Amygd. d. syrup. capill. Vener. Iujub. Violar. vel Althææ* an. ℥iß. *Sacchar. Cand. alb.* ℥iß. *Ms. exactissimè, F. Linctus, de quo capiat. Æger Cochl. unum quarta quaque hora superbibendo* ℥iv. *Apozematis sequentis calidè.*

℞. *Decoct. pectoral. depurat.* ℔iß. *Tinctur. Croc. cum Aqua Theriacal. extract. Syrup. Capillorum Vener. Scabios.* vel *Iujubin.* an. ℥i. *Misceatur F. Apozema.*

Si magis incrassare lubet, ℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. Syrup. è Symphito, papav. Rhœad. vel e Ros. siccis* an. ℥iß. *Sirup. e Mecon.* ℥ß. *Sacchar. Rosac.* ℥iß. *Ms. F. Linctus.*

Si amplius lubricare lubeat, ℞. *Ol. Lin. recenter absque igne extract. Sirup. Glicirrhiz. vel Mell. Violat.* an. *vn. i. m. Sacchar. Cand. alb. dr. i. m. Ms. exactissime fiat Linctus sumend. per se, vel solut. in hausto Apozematus; uti anteà.*

Si febrilis calor *hissopi*, vel *Croci Tincturæ* usui contraindicet, omittantur ea in *Apozemate*.

Si Diarrhœa, vel aliquod symptoma contraindicet, omittantur *Fructus Thoracici* in *Apozemate*, & *oleum* in *Linctibus*, vel loco priorum medicaminum sequentia substituatur.

℞. *Lohoch. de papaver. San. & Expert.* an. *vn. i. m. Sirup. portulac. e Rosac. sicc.* an. *vn. i. Spec. Diatragac. Frig. pulver. Hali*, an. *dr. i. Sacchar. penidiat. vel Rosat.* ℥iii. *Ms F. Linctus sumendus e Cochleari, vel cum baculo Liquiritiæ, quatuor quaque hora, vel urgente tussi, sensim deglutiendo, & superbibendo* ℥iv. *Emulsionis sequentis calide.*

℞. *Sem. iv. frig. maj.* an. ℥i. *Sem. papav. alb. lactuc.* an. *dr. ii. Nucleor. pineor. pistac.* an. ℥iii. *cum aq. papav. Rhœad.* ℔i. *aq. Ros. rubr. Cinnamom. hord.* an.

℥iii. F. Emulsio s. a. Saccharo penidiat. edulcoranda. Vel

℞. Lobech. è pulmone Vulpis, de Farfar. de portulac. an. vnc. i. Syr. Iujubin. Capill. Vener. an. vnc. i. ß. Flor. Sulphur. dr. ii. Tinctur. Croc. vnc. m. spec. Diatrag. frig. Diamargarit. Frigid. Haly. an. vnc. i. Sacchar. penidiat. vnc. m. MS. F. Eclegma sumendum, ut priùs.

℞ Tacamahac. Balsam. Tolut. an ℥. ij. Ingred. Decoct. pectoral. q. s. Coq. in Aq. F. q. s. ad ℔. m. Cum colatura, & sem. papav. alb. Hyoscyam. an. ℥. ii. Amygd. dulc. excortic. n. vii. F. Emulsio s. a Saccharo penidiat. gratè edulcoranda.

Sin verò à phlegmatis glutinositate Dyspnœa solito major adsit, *Eclegma* sequens præscribatur.

℞. Lobech. è passul. Scyllitic. an. ℥iß. Syr. de Erysimo, de Hyssopo, de Prasio an. ℥iß. Spec. Diaireos. Diacalaminth. flor. sulph. an. ℥iß. Tinct. Croc. ʒß. Sacchar. Cand. alb. ℥vi. Ms. F. Linctus sumend. uti antea.

Imò urgente hoc Symptomate, addatur *Gumm. Ammon. depurat.* ℥i. & *Fluor. Benzoin.* ℥iß.

His etiam intentionibus) citæ sc. maturationi massæ pulmonibus impactę, & novi ejus influxus prohibitioni (satis fit compositione medicaminum balsamicorum cum agglutinantibus. Ex. gratia.

℞. pulp. Conserv. Rosar. rubr. Lujul. an. ℥iß. Olibam. ℥iii. Opobalsam. ℈. ij. Ms. F. Electuarium, de quo sumat æger, quantitatem Nucis Jugland. ter in die, horis mediis superbibendo ℥iv. Apozematis sequentis calidè.

℞. Fol. Millefol. piloselL. pimpinell. Taraxac. pulmonar. maculos. Botryos, Scabios. an. Mi. Flor. Hyperic. Violar. Bellid. major papav. Rhœad. an. Mß. Jujub. Dactyl. an. par. vi. Croc. in nodulo ligat. dr. m. sem. Anis. Baccar. Juniper. dr. iii. Debito modo infunde, coque in aq. font. q. s. ad ℔. iii. In colatura calida malaxentur vnc. iv. Conserv. Ros. rubr. (quæ hoc modo *apozemati* addita balsamicum, & admodum gratum saporem ei conciliant) *Coletur iterum*; & *denuò ad Sir. è Corall. Botri. Capill. Vener.* an. dr. i. Ms. F. *Apozema in usum.*

Vel *Electuarii* prioris loco substituatur sequens, ℞. pulp. Conserv. Ros. Rubr. per setaceum traject. ℥ii. Conserv. Fruct. Cinosbat. vnc. i. pulv. Hali. dr. i. Balsam. Leucatell. vnc. m. Sir. balsamicum q. s. Ms. F. Electuarium sumendum, ut antea.

Capiat etiam Aeger sæpius in die Cochleare unum, vel alterum *Sirupi Balsam.* (qui ventriculo admodum gratus est) & una cum singulis dosibus *Sirupi balsami Tolutani* ʒi. in pilulas parvas redact.

Necnon, singulis noctibus ab usu aliorum medicamentorum liberis (si cætera consentiant.) convenit *gutt. xv.* vel *xx. Laudan. Liq. Helmont.* exhibere in cochleari *Syr. balsamici*. In hunc finem etiam confert ʒi. *flor. Sulphur.* in *ovo sorbili vel Mellis anthosat. q. s. prę-scribere.*

Si titillans tussis præ humoris per Trachæam, & bronchia excreti acrimonia, & tenuitate, fuerit Aegro valdè molesta, ut inde auctio tussis catarrhalis, more suctionis, irritatæ timeatur sint in promptu *tabellæ* sequentes, ad libitum, & sensim ad tussim demulcendam, deglutiendæ.

℞. pulp. Rad. Althææ per setaceum traject. vnc. i. Sacchar. perlat. Gum. Arabic. Tragacanth. Amil. in aqua papav. Rhœad. sol. an. dr. ii. Sacchar. penidiat. in aq. Ros. solut. q. s. MS. F. Tabellæ s. a. ponderis ʒi.

Urgente etiam tussi, sæpius vel ad libitum capiat Aeger frustulum *Sacchari perlati rosac. penidiat.* vel *chrystallini*, sensim deglutiendo. Succus etiam, & Radix *Glicirrhizæ* huic fini conferunt.

Sin verò tussis fuerit longa, & vehemens, & remediis prioribus non cedens, adeò ut à diuturna infarctione, tandem tuberculà suboritura suspicari liceat, ad usum *balsamicorum* confugiendum est. Ex. gr. Capiat Aeger ter in die, horis mediis, tres pilularum

larum ſequentium, [quarum felicem ſucceſſum in tuſſibus. Phthiſicis jam per multos annos expertus ſum] è Cochleari uno; vel altero *Linctus* alicujus convenientis; ſuperbibendo hauſtum *Apozematis pectoralis*, jam *antè præſcrip. calide*.

℞. *Pulver. Milleped. pp. dr. tres Gum. Ammoniac. optime depurat. dr. i. m. flor. Benzoin. ſcru. ii. vel dr. i. Extract. Croc. Balſam. Peruvian.* an. *ſcrupul. m. Balſam. ſulphur. Terebinthinat.* vel *aniſat. q. ſ. MS. F. Pilulæ mediocres deaurand. vel pulvere glicirrhizæ involvendæ*.

Iſtę pilulæ in ſcorbuticorum, & Scrophuloſorum lenta Phthiſi [quæ quidem ſunt frequentiſſimæ phthiſes] ubi febris [ſi ulla eſt] eſt admodum mitis, & ex ſputum Phlegma quadantenus glutinoſum, Aſthmaticorum ritu, curationem non tantùm in principio morbi, verum etiam in ejus progreſſu inſigniter promovent, uti inferiùs ſub Phthiſeos ſcorbuticæ, & ſcrophuloſæ titulis penitus dicturi ſumus.

De aere, cibo, potu, pathematis animi reliquiſque quæ ad Aegri regimen pertinent, peritum Medicum, pari induſtria, ac de medicamentis ipſis in hoc morbo conſulere oportet. Abſque enim cauto iſtorum regimine, atque uſu vel generoſiſſima remedia in Phthiſeos curatione nihil proſunt.

Quare eligatur moderatè calidus, ſiccus aer, atque, aliquatenùs etiam tenuis: paluſtris enim humidus, vel fumo carbonum inquinatus ſanguinem noxiis particulis continuò replendo, atque agitando, eum in colliquativo ſuo ſtatu continet; quo fit ut ſeri catarrhoſus in pulmones, & in granduloſam Trachææ tunicam perpetuò irruat; atque inde, his partibus ab importuna tuſſi agitatis, morbus perpetuò augetur, non obſtante uſu medicamentorum vel maximè efficacium. Siquidem nulla medicamenta Incantamentorum more curationem abſolvere poſſunt.

Cibus ſit euchymus, quo quàm pauciſſima recrementa in ſanguine accumulentur; uti *Caro ovina, Vitulina, Aves montanæ, Piſces friabiles, cancri fluviatiles*, &c. Æger etiam carnes, tantum prandii tempore, ſumat; *Panatellis, Avenaceis, Juſculis, Ovis ſorbilibus*, &c. ſub veſperam contentus. Sit etiam cibi moderata quantitas, & vitetur ad ſummam ſatietatem Ingluvies. Potus ſit etiam parcus, & mitis, qui vel minimam ſanguinis effervescentiam poſſit efficere. Uti *cereviſia tenuis, &c.* Evitentur *Vina*, & ſpirituoſi liquores; præſertim verò *crapula* ab eorum ingurgitatione proveniens. Confert etiam ad hujus morbi curationem promovendam, Cereviſiam ordinariam herbis Thoracicis, atque aliis, quæ ad eum morbum reſpiciunt, à quo Phthiſis hæc origenem ſuam duxerat, (modo talis fuerit) medicari Hoc enim modo medicamentorum copia diætetico ritu in ſanguinem ingeritur abſque vel ulla ventriculi nauſea, vel appetitus diſpendio, ad quem ſemper prudentem Medicum ſpeciatim reſpectum habere oportet. Exempli gratia.

℞. *Sarſ. optim. inciſant. ℥ viij. Radic. chin. in taleolas ſciſſ. ℥iv. Polipod. Quercetan. capill. Vener. Heder. terreſtr. pulmonar. maculoſ. Tuſſilag. Scabioſ. Botry.* an. *M ii. Flor. Scabioſ. Nimphææ, Anthus, Billid. major. Hiperic.* an. *Mi. Baccar. Juniper. ℥iv. paſſular. majoran. exacinat. ℥vi. glicirrhiz. raſur. ℥ i. Semin. Aniſ. ℥ ii. MſF. ſacculus pro iv. congiis cereviſiæ mediocris, qua* Æger in potum ordinarium utatur. In Scorbutica, & ſcrophuloſa diatheſi ſimplicia Antiſcrophuloſa, & Antiſcorbutica mitia, & leniora etiam addi debent, de quibus poſtea dicturi ſumus.

Æger exercitiis & frictionibus moderatis quotidie, præcipuè verò ante cibum, utatur, ſumma tamen diligentia cavendum eſt à novo frigore percipiendo *cane & angue pejori*.

Ab iracundia, mœſtitia, intenſa co-

gitatione, atque omnibus aliis gravioribus animi pathematis summopere divertatur Aeger, idque non tantùm monitis, & consiliis; verùm etiam societate, & jucundissimorum amicorum consuetudine. A studiis etiam & vigiliis intempestivis diligenter sibi caveat, somnum semper (quantum possibile est) prima noctis parte capessendo.

CAPUT IX.

De Curatione Phthiseos in secundo ejus gradu.

DE curatione *Phthiseos* in secundo ejus stadio ubi scilicet ob debitę expectorationis defectum, & ob longam inde materiæ pulmonibus impactæ moram, *Tubercula* cruda à nodosa glandularum pulmonarium tumefactione orta Tussi Chronicæ supervenire contingit.

Sæpenumero ira Phthisicis accidit, uti vel præ inopia, vel avaritia, vel etiam medicaminum nausea, incipientem *Phthisin* pro communi Catharro sponte sua abituro habentes, medicos rarissimè in primo morbi statu consulant, dum scilicet facilem curationem per evacuationes, & reliquam jam ante descriptam Methodum, admittere possit; Receptis autem (nescio quibus) sive *Mulierc*ularum, sive *Agir*tarum contenti, pretiosissimi temporis dispendium faciant; *Æsculapij* opem vix tandem patentes, usquedum præ febris hecticæ augmento, & virium languore, jam antè præscriptarum evacuationum plane incapaces fiant; quæ tamen maximè sunt ad legitimam hujus morbi curationem necessariæ.

Ob quem neglectum sæpius evenire solet, quod, materia longo jam tempore pulmonibus impacta, tubercula, seu glandulosi tumores, in pulmonibus sensim oriantur: quo curatio, in hoc secundo morbi statu, non tantùm difficilior, verùm etiam incertior redditur, Morbo vel nullam, vel saltem palliativam tantùm curationem admittente. Atque hinc fit, quod *Phthisis* vulgò tam malè audiat, ac si esset morbus natura sua prorsus incurabilis, quum [quantum ego longa experientia eductus scio] æquè certam curationem, atque alii morbi, admittat, modo debita methodo, satis tempestivè tractetur. Licet sit fatendum sicuti cæteras malas corporis affectiones, ita etiam Phthisin, ubi jure hæreditario ægrum invadit, modo à mala corporis conformatione oriatur, vel ab inexhausta humorum minera, longo & habituali sex rerum non naturalium abusu contracta, dependeat; vel denique ubi à diathesi sanguinis peculiariter maligna, cancrosa, vel gangrænosa, vel in celerem inflammationem disposita procedat, methodo curationis legitimæ, ut ut tempestivè observatæ, cedere non solere. Progressum autem satis celerem ad tertium Phthiseos stadium, non obstante vel generosissimorum medicamentorum usu, in dies facit. Verùm hoc secundum morbi stadium à primo tuberculorum ortu censendum est; donec tumores istos pulmonares insigniter inflammari, & putrescere contigat, hoc est, dum in statu crudo manent. Hæc enim tubercula non sunt omnia ejusdem genii; sed variam, atque admodum diversam indolem induunt; tunc enim sunt, *maligna*, *Cancrosa*, *Gangrænosa*, & præceps exitium minantia: nunc autem licet sint benigniora tamen sub specie phlegmonum, furunculorum, vel Erisipelatum, dolore & inflammatorio calore, à primo instanti stipata, & celeri putrefactioni obnoxia, atque inde à primo ortu, febrem *Peripneumonicam* inducunt, & in apostemata citissimè tendunt. Adeò ut in hujusmodi præcipiti Phthisi ab hujus genii tuberculis orta, uti hic *secundus* morbi *status* non obtinet, ita sermo-

sermonem hic loci ulteriorem de eo non sumus habituri : Siquidem quicquid huc spectat, in *tertio* hujus morbi *stadio* dicendum est, ubi scilicet de *febre* Phthisicorum *Peripneumonica*, & *Putrida Colliquativa* ex professo tracaturi sumus.

Ut plurimùm autem tubercula ista sunt tumores glanduloſi Chronici & frigidi, & quasi scrophulosi, à liquoris glutinositate, vel pori seu ductus glanduloſi obstructione ortum suum ducentes, quo fit ut intus stagnans liquor in formam *gypseam*, *steatomatosam*, vel *melleam*, à naturali partis calore sensim concoquatur, propria tamen cystide semper continetur; atque inde tumor iste renitens statim oritur, quem tuberculum crudum nominamus; qui licèt, progressu temporis, in molem satis grandem succrescat, non tamen illico inflammatur vel puris, usque dum scilicet ex acrimonia ab humore contracta in cystide, vel ex tono partis nimis distento, Inflammatio, atq; inde Apostema ex aliquo accidenti superveniat.

Durante hoc crudo tuberculorum pulmonarium statu, Phthisi in secundo suo stadio manet. Cujus diagnostica signa præcipuè desumenda sunt: Primò, Ab insigni febris hecticæ augmento, quæ jam quadantenus febrem putridam intermittentem sæpiùs imitari incipit, ob acrimoniam scilicet materiæ in cystidibus contentæ, progressu temporis, conciliatam. Secundò; A tabis, seu musculosæ carnis consumptionis notabili incremento, quæ jam saltem flaccescere incipit. Tertio; A tussis ariditate, quæ ut ut frequens, & importuna fuerit, Catarrhus tamen atque adeò frequens expuitio eam non comittantur, uti autea. Quartò, A gravanti pondere atque oppressione, quæ in pectore perpetuò sentiuntur. Cui etiam anhelitus, seu difficilis, frequens, & molesta respiratio plerunque adjungi solet. In hoc morbi statu omnes evacutiones per alvum, vomitum, vel sudores nocuæ sunt, utpote febrem promoventes, & tabem accelerantes.

Nec quidem ipsa Venę sectio hic venit, nisi ad præcavendam inflammationem *Peripneumonicam*, quoties scilicet à dolore *Pleuritico*, potatione liberaliori liquorum spirituosorum, à frigore recens percepto, atque aliis ejusmodi, Medico sagaci eam præ foribus esse suspicari liceat. Atque tunc etiam sanguis, ob tabem præsentem & virium languorem, parca potiùs manu venidandus, quàm profusè extrahendus. Diligentissimè tamen in usu medicamentorum *Alterantium*, & *Thoracicorum*, jam antè præscriptorum (quantum stomachus fere potest) persistendum est. Præcipuè verò in longo medicamentorum *Balsamicorum* usu, uti pilularum nostrarum jam antè præscriptarum, atque aliorum etiam hujusmodi (modò febris insignis non adsit) spes habenda est; Atque hoc pacto plurimos Phthisicos (quorum Tubercula frigida esse, & cruda videbantur, atque adeò Phthisis Chronica) Deo favente, in statum pristinæ salutis reduxi; nonnullorum autem vitam, valetudinariè licèt procedentem, in plurimos annos protraxi. In scorbutica, & hypochondriaca diathesi confert etiam *Extractum Mynsycht.* vel alia *chalybeata*, & *Antiscorbutica* mitiora hisce *Balsamicis* medicamentis admiscere; uti etiam in scrophulosa, remedia item *Antiscrophulosa* : De quibus sub propriis titulis ulteriùs mox differendum.

Jam verò præter medicamenta alterantia, parva quantitate & statis temporibus exhibita [quæ jam antè sunt descripta] summopere nitendum est quo, copiosa scilicet & continua eorum ingurgitatione, diætetico ritu facta, febrilis sanguinis calor demulceatur, & inexhausta humorum in habitu corporis deliteſcentium minera, unà cum colliquatione inde orta, eradicetur. Ideoque, non tantùm cibus euchimus, & acrimoniam humorum retundens diligenter est eligendus;

veluti Perdices, & aves montanæ, Ova sorbilia, Ostrea, Animalium extrema, unà cum consummatis jusculis, & Gelatinis inde confectis, Cancri etiam fluviatiles, atque alii pisces testacei, cum jusculis ex his artificiosè factis; quorum formulas post hac subnectemus verùm etiam *Aquæ minerales chalybeatæ*, *Hydromel Pectorale*, *Diæta lactea*, *Lac Asininum*, *Aqua Lactis*, *Porcelli*, *Limacum* atque alii lenientes, & sanguinem demulcentes liquores sub forma potus copiosè præscribendi sunt: Fontanellæ etiam, Rasura capitis, & emplastrorum convenientium applicatio multùm prosunt. De quorum usu, & cautelis in eorum usu adhibendis, jam strictim, & speciatim observationes nostras proponemus.

Atque imprimis, si calor hecticus mitis fuerit, & ferè insensibilis, quò conjectare licet tumores istos pulmonum fixos esse crudos, vel saltem scrophulosos & frigidos, *gypsea* scilicet, *steatomatosà*, vel alia aliqua hujusmodi materia infarctos; Aeger, æstivo tempore, omninò ad Aquarum mineralium Chalybeatarum usum relegandus est. Atque hoc pacto plurimos hujusmodi Phthisicos per multos annos relevavi, cum appetitus, carnis, & virium restitutione, caloris hectici, & tussis minoratione, atque majori respirationis libertate; idque non tantùm durante Aquarum potatione, verum etiam tempestate hyberna sequenti. Quò fas est concludere tumores istos si non ab usu aquarum penitus eradicentur, saltem minorari, & sanguinis massam egregiè temperari. Quæ quidem curatio, Palliativa saltem, (si perfecta non possit obtineri) alicujus est momenti. Licet enim Aeger in statu quadantenus valetudinario vitam suam protrahat, adhuc tamen vivit, debita cautela abhibita, muniis solitis fungi, vitæ que oblectamentis moderatè frui potis est. Nonnullos verò ex aq. istarum usu perfectè ab evidenti Phthisi restitutos, & sine ulla recidivatione sanos redditos vidi, quorum historiam unam, vel alteram fideliter, & succinctè, sub Phthiseos Hypochondriacæ titulo, narraturi sumus. In usum verò Aquarum mineralium *Challbeatarum* sequentes Canones omnibus Phthisicis commendatos velim, qui quàm diligentissimè observantur. 1. In Phthisi acuta, ubi scilicet pulmones evidenter putrescunt, & febris jam ultra gradum hecticæ provehitur, uti etiam in Phthisi Chronica extrema, ubi Aeger scilicet jam aliquem marasmi gradum ingressus est, unà cum sudoribus colliquativis, Diarrhœa, vel Hydrope; evitandæ sunt Aquæ, quæ certissimè, in hoc casu, non tantùm noxiæ, verùm etjam lethales sunt. 2. Laborantes Phthisi, etsi multum tempus, maximam scilicet æstatis partem, in Aquarum usu, consumere oporteat, quo sanguinis crasis jam penitùs ferè eversa, longo earum usu, paulatim restituatur; parcè tamen & minori quantitate quàm alii solent, singulis diebus debent bibere ℔. scilicet iv. v. vel vi. in unam vicem, ne, vel à nimia tenerorum pulmonis vasorum distentione, hæmoptoe tandem inducatur. 3. Durante Aquarum usu, à frigore capiendo, & ab erroribus diætæ diligentiùs quàm multi alii ægrotantes solent, cavere debent. 4. Phthisicis Aquarum usum per plures annos, tempore æstivo, repetere convenit, licèt postquàm iis assuefacti fuerint, minus temporis, in earum potatione, singulis annis, consumere necesse sit. 5. Neq; Phthisici, durante Aquarum usu, uti cæteri earum potatores solent, purgandi sunt. Sin verò plus satis adstrictæ Alvo obnoxii fuerint, ante aquarum Chablybeatarum aggressum, & post earum completum usum Aquas minerales purgantes, moderata quantitate, propinare convenit, earum usum, ad intervalla iij. vel iv. dierum, ad tres, vel quatuor vices repetendo. 6. Si aquæ per urinam non satis copiosè fluant, multò magis, si per Alvum diarrhœam provocent, in earum usu longo tempore non est insistendum, nisi his incommodis satis ârte prospici possit. Ad tollendam, & præcavendam Diarrhœam soleo quanti-

tatem

tem Nucis Juglandis *Electuarii* sequenti, hora somni, singulis noctibus præscribere.

℞. *Pulp. è Conserv. Ros. rubr. antiq. Diacidon.* an. ʒß. *Trochis. de Carabe* ʒ. *iij. bol. ver. Lacrimar. Sangu. Dracon.* an. ʒß. *Laudan. Lond. gr. iij. Sir. Mirtill. q. s. MS. F. Electuarium.*

Ad fluxum Aquarum promovendum, ℈j. *Salis succin. nitidiss. & ab oleo optimè depurat.* in primo Aquarum haustu solvendum. 7. Multùm etiam confert, durante Aquarum Chalybeatarum usu, potum ordinarium sacculo ingredientium pulmonarium medicatum præscribere; Cui etiam Antiscorbutica, & Antiscrophulosa mitiora addantur, si origo morbi id requirat.

Secundò, Sin verò calor Hecticus sit notabilis, atque inde præceps Phthisis; satius est sanguinem lactea diæta, quàm Aquis temperare. De lactea autem diæta sequentia sunt notanda. 1. In hujus diætæ usu nihil præter lac & Lacticinia (excepto pane) in cibum & potum esse vel permittendum, vel desumendum. Copiosè verò, & frequenter nutrimentum istud ingerendum, ne, præ ejus tenuitate, partes nutritione debita priventur. 2. Lacteæ diætæ cursum per unius, vel alterius mensis spatium protrahi debere. 3. Huic diætæ tempus vernum præ cæteris convenire, ubi scilicet flores atque herbæ, quibus bestiæ vescuntur, jam maximè virescunt.

Tertiò, Sin verò præ fermento ventriculi nimis acido, lac commune (uti aliquando accidit) in coagulum durum & coctionis incapax redigatur, unde *Vomitiones*, *Tormina* & *Diarrhœa* subsequi solent, satius est à lactis communis usu abstinere, & sanguinis temperationem lacte asinino tentare; de cujus usu sequentia sunt etiam observanda. 1. Tempus exhibendi lac asininum maximè commodum esse primum mane, ita ut Aeger postea in lecto dormiat, idque hora quinta pomeridiana. 2. Nihil heterrogeneum sive victus sive medicamenti forma, in ventriculum admittendum, donec lac jam fuerit concoctum. 3. Quantitatem, sive dosin lactis in unam vicem esse ℔ß. ad ℔j. vel præter propter. Siquidem magna hujus, uti & lactis communis; quantitas à ventriculo nec recipi, nec quidem concoqui potest, verùm illud, vel vomitione, vel dejectione unà cum gravi detrimento Ægri illicò extrudere solent. Ideò que prudenter à Medicis consultum est, uti ventriculus paulatim huic nutrimento assuescatur, in dies augendo quantitatem à ℔ß. ad. ℔j. 4. Si Æger, præ acido ventriculi fermento, ab usu lactis asinini *Diarrhœæ* fuerit obnoxius, (quod frequenter accidit) lac *saccharo rosaceo* edulcoretur, & super ramulum unum vel alterum *menthæ* emulgeatur. Imò, ſ opus fuerit, & si cætera consentiant, capiat Aeger singulis noctibus *Laudan. Lond. gr. j.* vel dosin *Electuarii adstringentis* jam antè memorati. 5. Istud lac semper in nativo suo calore propinari debet. Si enim frigescat, & dein igne incalescat, non tantùm gustui, & ventriculo minùs gratum redditur, verùm etiam, ob partis spirituosæ dispendium, minùs efficax Remedium fit. 6. Durante lactis Asinini usu (quod etiam in omni lactea diæta æquè prescribi debet) ab omnibus aliis medicamentis abstinendum est, exceptis *Opiatis* & *Adstringentibus*, modò necessaria ea fuerint ed *Diarrhœam* præcavendam, vel ad immanem tussim nocturno tempore demulcendam. 7. Sin verò *Diarrhœa* à Lacte effecta, usu *Laudani*, & *Adstringentium* non evincatur; vel si jam evictæ Diarrhœæ Vomitus, vel saltem continua ventriculi ægritudo, & oppressio gravativa succedant, (quæ certa sunt lactis in ventriculo in casei formam coagulati indicia) vel tandem, si adsint signa schirrhosi, & valdè obstructi hepatis (quod Scorbutis, & hypochondriacis in Phthisi Chronica familiare est) religiosè tum à quovis lactis genere abstinendum est: Siquidem lactis usus hepatis obstructiones augendo, *Icte-*

rum, & Hydropem Phthisi superinducere solet, quo morbus originalis planè deploratus redditur.

Quartò, Hisce igitur in casibus, præstat sanguinem alterare, atque ejus acrimoniam retundere copioso usu piscium, & medicamentorum testaceorum uti etiam consummatis jusculis ex animalium extremis factis, copiosaque potatione Aquarum compositarum *Lactis*, *Caponis*, *Porcelli*, *Limacum*, atq; aliorum ejusmodi. Etsi, quo de usu lactis jam antè innuimus, sit etiam verum de hisce aquis Phlegmatis, quod scil. quoties hepar priùs obstructum esse contingat, à copiosa earum potatione, Icterus & Hydrops subsequi solent. In hujusmodi igitur Ictericis, & Hydropicis magis convenit sanguinis dulcificationem tentare, in sequentem modum. *Copiosè vescantur Cancris fluviatilibus, & marinis Astacis, & generaliter loquendo, omnibus testaceis piscib.* Cujusmodi cibus copiosè sumptus acetosum sanguinis statum, & acidum ventriculi fermentum plurimùm temperare valet. Ex his etiam piscibus testaceis juscula grata arte fiant, quæ copiosè exhibenda sunt.

℞. *Cancr. fluviat. nu.* ɾoo. *Contundantur vivi, & deinde coquantur in aq. font.* ℔iv. *ad* ℔ij. *Addendo sub finem coctionis macer. fol. ij. vel iij. Nuc. Moscat. raſ. nu.* i. *& Vini Malvat.* ℔ſs. *Coletur jusculum in usum.* In hunc censum etiam referendæ sunt *Gelatinæ*, & *consummata juscula*. *Exgratia*.

℞. *Rasur. C. C. Ebor.* an. ʒiv. *fol. macer. nu. ij. Cortic. Aurant. Condit in frustula conciſ. n. j. Coq. in Aq. font.* ℔iv. *ad* ℔ij. *vel* ℔jſs. *Coletur*, quo Æger sumat ad libitum *Cochl. iij. vel iv.* per se, vel in jusculis calefactis Hujusmodi *Gelatinæ* Ægrotantis palato gratiores fieri possint, Addendo, tempore usus, tantillum *Syrupi Melissophyll. Caryophyll. è Rub. Ideo, Aurantior.* vel *Limonum*. Licet fatendum, Syruposacidos non adeò benè *Gelatinis* convenire, quoniam quadantenùs vires earum frangant.

Exemplum Jusculi consummati sit jam sequens.

℞. *Capon. eviscerat. & in frustula conciſ. nu. j. Ped. Ovil. & Vitulin.* an. *par. ij. Raſ. C. C. Ebor.* an. ʒſs. *fol. macer. nu. ij. Nuc. Mosch. sciſſ. nu. j. Santal. Citr.* ʒiij. vel ʒſs. *Coquantur omnia leniter in Congio uno Aqu. font. ad dimidii consumptionem, Addendo circa finem ebullitionis Vin. Malvat. ver.* ℔j. *flor. Bellid. Maj. Tussilag. Capill. Vener. Pulmon. maculoſ.* an. *Mj. Dactylor. ping. par. viij. Jujubar. par. xij. Sebesten. par. x. passular. major. exacinat.* ʒiii. *Coletur*, quæ Æger sumat bis, vel ter die prælargum haustum hujus jusculi, Ad acrimoniam sanguinis ulterius demulcendam multùm etiam hujusmodi Phthisicis obstructione laborantib. confert usus *Corallii præp. Milleped. Margarit. Ocul. Cancr. præp. pulv. e chel. Canc. simpl.* atque aliorum ejusmodi Testaceorum medicamentorum, quæ copiosè & sæpiùs in die sumenda sunt. *Exgratia*.

℞. *Aq. Lact. Alexiter. Card. vel Ceraſ. nigr.* ℔j. *Aq. Cinnam. hord.* ℔ſs. *Margarit. præp.* ʒß. *Saccbar. Chrystallin. alb.* ʒij. *MS. F. Julapium, è quo capiat* Æger ʒiv. (agitata priùs phiala) ter quaterve in die, Addendo (si stomachus id requirat) ʒj. vel ʒij. *Aq. Epidemic. Mirabil. Stephan.* vel alicujus alius aquæ spirituoſæ. Vel

℞. *Pulv. Milleped. Ocul. Cancror. præp pulv. e Chel. Cancror. simpl. Coralli. rubr.* an. ʒj. *pulv. Succin. alb.* ʒß. *MS. in chartulas ix.* quarum unam sumat ter die è cochlcari *Iulapii Perlati* jam antè præscript. vel alicujus alius ejusmodi, super bibendo haustum. 5. Si Æger ab hepatis obstructionibus planè immunis esse videatur, atq; adeò neque in Hydropico, neq; in Ictericio statu fuerit; verumtamen lactea diæta jam antea descripta, propter Diarrhœam, atque acidum ventriculi fermentum, parùm conveniat, præter medicamenta alterantia jam antea descripta, ad acrimoniam humorum ulteriùs demulcendam, cum fructu injungi potest copiosus usus. *Aqua destillat.*

cam-

compositi. Lact. Capon. Limacum, Porcelli, &c. quarum formulas proximè describemus.

Aqua Lactis.

℞. *Fol. capill. vener. Tussilagin. Pulmonar. maculos. Veronic.* an. M. iii. *Hyssop. Rut. Caprar. Menth. Absinth.* an. M ii. *Flor. Hyperic. Scabios.* an. Mii. *Crocc. Angelic.* ʒi. *Nuc. Moschat. sciss. nu.* iii. *Dactylor. Caricar. ping.* an. ℔ß. *passular. major. exacinat.* ℔i. *concindantur, & infundantur in lactis Vaccin. recent. cong. iii. & Vini Malvat.* ℔vi. *F. destillatio in Organis communibus, uti dimidia pars liquoris ascendat*, Omnesque destillationes commixtæ reserventur in usum. Si Phthisis sit scorbutica, addantur in destillatione *summitates Pini, Beccabunga, Nasturt. Aquat. Hedera terrestris*, cum aliis Antiscorbuticis mitioribus; Et loco *vini Malvatici* substituatur *Cerevisia Brunsvicensis*; sin verò scrophulosa: *Milleped. crud. cum herbis contus.* ℔iii. atque alia etiam Antiscrophulosa. Si hanc Aquam non tantum alterantem, verùm etiam restaurantem habere lubet, addi potest *Capo*, vel *Porcellus* in secunda destillatione. Ex. gr.

℞. *Caponem, vel Porcellum eviscceratum, & in frustula consciissum, Aq. Lact ante descript. cong. i. F. destillatio uti tres partes liquoris ascendant.*

Aqua Limacum.

℞. *Limac. hortens. Sale purgat. recenter Lactis commun. vel potiùs aquæ Lactis jam ante descript. cong. iii. F. destillatio in Organis communibus, lento igne donec liquor acidus ascendere incipiat.*

Aquam etiam *Limac. Magistr.* sequentem a nobis confectam non esse spernendam judicamus, siquidem longo tempore in usum asservari potest.

℞. *Lact. recent. cong. ii. destill. cum ment. & Absint. Rom.* an. M. ii. *ad cong. i.* Deinde.

℞. *Limacum hortens. priùs in aquæ communi, dein in cerevisia tenui lotorum dimidium satum, Lumbricor. terrestr. præpar.* ℔i. *Angelic. Miss. Agrimon. Betonica, Rut.* an. M. i. *Herbæ in fundum mittantur. His superimponatur Limaces, & Lumbrici. In summitate verò ponantur Rasur. Cornu Cervi* ℔ ß. *Caryophill.* ʒi. *croci* ʒiii. *Infundantur in pomacei* ℔iv. *Vini Malvatici optimi* ℔ii. *dein destillentur in Organis communibus.*

Isti liquores copiosè bibendi sunt; idque vel in potum ordinarium cum æquali parte lactis commixti, si ventriculus id ferat, atque Ægri siti ita satisfieri possit. Si *Julapii* forma magis arrideat, more sequenti exhibeatur.

℞. *Aqu. porcell. vel capon. jam ante descript.* ℔ i. *Sacchar. christall. alb. q. s. coque in formam syr.*

℞. *Aq. lact. vel limac.* ℔iß. *syr. magistral. jam ante descript.* ʒiv. *misceatur F. Julapium, e quo bibat Æger copiosè ad libitum. Vel*

℞. *Aq. lactis, vel limac. magistr.* ℔ ii. *sacch. perlat.* ʒ x. *vel* ʒi ß. *misceatur F. Julapium e quo bibat copiosè, & frequenter.*

Sin verò, non tam calor hecticus, quàm respiratio difficilis urgeat (uti sæpiùs Phthisi scorbutica laborantibus accidit) *Hydromel thoracicum* in potum ordinarium, magis convenit, quàm Aquæ destillatæ, phlegmate abundantes. Cujus formula insignis apud *Riverius capit. de Pthisi* occurrit: atque alibi passim apud Autores: Ideoque nullam aliam ejus descriptionem hoc loco subnectemus.

CAP.

CAPUT X.

De curatione Phthiſeos Pulmonaris Originalis in tertio ejus ſtatu, ubi ſcilicet Æger à glanduloſarum partium pulmonum inflammatione, apoſtematis, & exulceratione in maraſmi ſtatum reducitur, una cum ſummo virium languore, carnis conſumptione, febris hecticæ incremento, atque etiam peripneumonicæ, & putridæ ſuperinductione reliquiſque diris ſymptomatis, quæ hunc funeſtum Phthiſeos ſtatum comitari ſolent.

UBi ad tertium hoc Phthiſeos ſtadium deventum eſt, Æger rariſſimè (ni ulcera fuerint admodum parva, & benigna) curatur, vel vitam ſuam longiùs protrahit. Ideòque licèt prudens, atque honeſtus Medicus, ad Phthiſicos in hoc morbi ſtatu, vocatus, ſymptomata miſeros cruciantia, quantum in ſe eſt, mitigare nitatur, atque etiam antiphthiſica medicamenta, quæ præſentibus indicationibus, atque ægrotantis ſtatui maxime ſatisfaciant, præſcribere ſtudeat; minimè tamen, etiam ſpe à ſymptomatum relevatione abblandiente, artis medicæ famam, atque etiam ſuam violare debet; ſanitatis recuperationem vel Ægro, vel ejus amicis nimis audacter promittendo; qualemcunque verò opem Ægro cum ſummi miſericordia atque diligentia attulerit, lethale prognoſticon de Ægri vita conſtanter pronunciandum; neque ſibi vana ſpe Amicorum, atque Adſtantium, illud ſinat: Atque hoc pacto tam arti medicæ quam ſibi ipſi optimè conſulet. Intentiones curativæ in hoc morbi ſtatu ſunt iſtæ quatuor. Primò; Pulmonibus, uſu medicamentorum Pectoralium, atque Antiphthiſicorum proſpiciendum; Ulcerumque ſanatio promovenda (modò ea ſint parva, benigna, & ſanabilia) in quantùm ſcilicet præſens debilis, atque attritus Ægri ſtatus ferre poſſit. Secundò Febris peripneumonica, ſeu Inflammatoria, quoties ea contingat, una cum diris ejus ſymptomatis tollenda. Tertiò; Febris putrida, à pulmonum purulentia oriunda, ſublevanda. Quartò; Denique ſymptomatis cruciantibus a febre putrida per colliquationem ortis, pro virili, ſuccurrendum; quo æger, ſi moriatur ſaltem εὐθανασίαν obtineat.

Quod ad primam attinet, Medicamenta in hoc ſtatu Phthiſeos ſunt, *Alterantia*, *Expectorantia*, & *Balſamica*, ſeu *Sanativa*, non nimis calida (propter ſcilicet intenſum febris gradum) ſemper verò *Cordialia*, propter virium languorem. Eligenda etiam ſunt illa quæ gratiora ſunt, & quæ minima quantitate, ob ventriculi nauſeam, exhiberi poſſint. Ex. gr.

℞. *Pulp. è conſerv. Roſar. rubr. antiq. Lujul. Balſam. Leucatell.* an ℥i. *Ms. F. Electuarium, e quo capiat quantitatem Nuc. Moſch. in Nebulis mane, & veſperi. Vel ſumat bis in die pilul. Balſamic. jam ante deſcriptas num.* ʒ.

℞. *Aqua Lactuc. Alexiter. vel pulmonar. jam ante deſcript.* ℥viii. *Aqu. Limac. magiſtr. Cinnamom. hordeac.* an. ℥iii. *Aqua mirabil.* ℥i. *Margarit. præparat.* ʒii. *Cretæ puriſſim.* ʒi. *ſacchar. chryſtall. alb.* ʒi. *vel* ʒx. *Ms. F. Julapium, e quo capiat Æger cochlear. iv. vel v. poſt ſingulas doſes Electuarii, & pilularum, atque etiam ad libitum in languore.*

℞. *Syrup. balſamic.* [qui ventriculo admodùm gratus eſt] ℥iii. *Tinctur. Croc. in Aqua* ʒii. *Theriacali fact. Ms. ſumat ſæpiùs e Cochleari.* In hujus mixturæ cochleari uno, vel altero, etiam bis die exhibeantur *gutt.* vi. vel viii. *Opobalſami.*

Si tuſſis, & vigiliæ vehementer urgeant, capiat etiam aliquando hora ſomni *gut. xii. Laudan. liq. helmont. opium* tamen in languido hoc ſtatu, cautè, manu parca, & debitis intervallis, exhibendum; neque quidem omninò abſq; urgenti neceſſitate, ne cum artis medicæ opprobrio mors ſubita, & ineſpectata ſuccedat. Vel

℞. *Sirup. capillor. Vener.* ℥iv. *aq. mirabil.* ℥ß. *vel* ʒvi. *Ms.* Sumat ſæpiùs è

Co-

Cochleari, vel cum *baculo liquiritiæ*, præcipuè verò urgente tussi. *Gelatinæ* etiam, & *Jusculæ consummata* hic præscribenda sunt; & quidem in hoc deplorato statu, è Culina magis, quàm è pharmacopolio petenda sunt remedia.

Quod ad febrem Peripneumonicam attinet; Febris ista ab insigni tuberculorum pulmonarium inflammatione semper oritur; ideòque recurrere & revirescere frequenter solet; quoties scil. tuberculum novum vel sponte sua, vel à percepto frigore, vel ab alio aliquo errore in regimine admisso, inflammari contingat. Durante inflammatione, hæc febris constanter manet; atque ægrum haud rarò è vivis subito, & inexpectato tollit, Rigore incerto, & intenso Calore alternis, Vigiliis, Jactationibus, Deliriis, Respiratione anhelosa, expectoratione difficili, doloribusque extremis, & vagis lateris, pectoris, & scapularum stipata. Ubi verò primùm Inflammatio in Apostema facessere incipit, quod (si æger superstes fuerit) circa septimum morbi diem usitatò evenit, Febris ista Inflammatoria continua à febre putrida intermittente quotidiana, vel tertiana excipitur, quæ tuberculorum purulentiam certissimè indicat, & sine eorum sanatione perfectè eradicari non potest.

Hæc febris Inflammatoria, uti omnes aliæ ejusdem genii, diætam tenuissimam depascit; unà cum debito in lecto regimine, Alvum solutam, *Julapia Cordialia & Temperantia*, *Apozemata Pectoralia* cum *Linctibus Lubricantibus*, & *Incidentibus* copiosè ingerenda ad facilitandam phlegmatis calore febrili nimis incrassanti expectorationem, dolorificam pulmonum compressionem solvendam, & tussim inanem, & molestam inde demulcendam; *Diaphoretica* etiam parcè *Opiata*, debitis intervallis, ad extrusionem materiæ febrilis per poros cutaneos promovendam; *vesicatoria* etiam & *Epithemata* externa in Cerebri & generis nervosi subsidium, quæ alias illico ab hujusmodi febribus vehementer pati solent: *Liniments* etiam, & *Fotus* externos *Anodynos* ad sublevandam dolorificam, & spasmodicam musculorum, & membranarum Thoracicarum contractionem. Super omnia verò Phlebotomiam, eamque tempestivam, copiosam, & [si opus fuerit] repetitam, pro Ægrotantis viribus, & pro præsenti sanguinis effervescentia; quam quidem status Phthisicus forsan magis quam Athleticus requirit. Atque hoc pacto *Dominum Tibs*, *Doctorem Ovven*, & Collegam nostrum eximium *Doctorem Staines*; plurimosq; alios, vel in ipsa provecta senectute, à pluribus hujusmodi febribus, aliquando bis vel ter in anno recurrentibus, (licet in priorem etiam valetudinarium statum) restitutos vidi; idque æquè facilè & citò, ac si omninò Phthisici non fuissent; Cum è contra æquè notum sit, quam periculosæ hujusmodi Peripneumonicæ febres sæpissimè sint viris robustissimis & maximè Athleticis, ubi debita phlebotomia, vel aliqua necessaria pars justi regiminis omissa fuerit.

Medicus igitur utcunque fatale præsagium de ipsa Phthisi instituat (quæ proculdubio ab omni hujusmodi febre multum promovetur) ad ipsius tamen Peripneumoniæ curationem sese æquali spe accingat, (modò satis tempestivè advocetur) ac si Æger non esset omninò Phthisicus, idque sequenti modo. Diæta instituatur ex *Avenaceis*, *Ptisanis*, *Pomis coctis*, *Passulis maioribus exacinatis*, & *Glycirrhiza* alterata, Cerevisia mediocri pane tosto calefacta, aliisque ejusmodi: In prima verò declinatione febris, è jusculis pulli, ovis sorbilibus, &c.

Alvus etiam (si opus fuerit) *enemate Lactis saccharat. floribus Chamæmel. alterat.* illico solvatur, quòd (quoties necesse fuerit) repetendum est. Deindè extrahantur ℥viii. vel x. *sanguinis e vena cubiti lateris dolentis*; quæ quidem Phlebotomia singulis, vel alternis diebus audacter repetenda est, pro sanguinis effervescentia, & doloris lateralis, & Dyspnœæ urgentia, quantum veris ferre possunt, quo inflam-

ma-

mationis progressus in maturationem, & apostemata (si possibile est) præpediatur.

Interea temporis per totum morbi decursum *Cochl. unum Linctus sequentis in* ʒiv. *Apozematis Pectoral. solut. tertia, vel saltem quarta quaque hora calidè propinetur.*

℞. *Oleum amygdalar. dulcium recenti Syr. Capill. Vener.* an. ßiß. *Sacchar. Cand. alb.* ʒiß. *Misceantur exactissimè F. Linctus.*

Immò si Phlegmatis glutinositas, Dyspnœa, & exacerbatus dolor indè ortus id requirant, neque fluxus alvi contra indicet, loco *olei Amygdalar. Oleum Lini recenter sine igne extract.* substituatur, & *Syrupus ex Erysim. vel è quinque radicib. loco Syrupi Capill. Vener.* Præterea etiam ʒii. *vel* iij. *Olei Lini quarta quaque hora per se sumend.* præscribantur: Si quidem non tantum lubricanti vi verum etiam, anodina egregiè dotatur.

℞. *Decoct. Pectoral. depurat.* ℔iß. *Tinctur. Croc. in. aqu. Theriacal. fact.* & *Syr. capill. Vener.* an. ʒi. *Ms. F. Apozema* in usu jam ante descriptum.

In virium refocillationem, & sanguinis efferveſcentis temperationem *Cochl.* iv. *vel* v. *Julapii sequentis sumend.* præscribantur.

℞. *Aq. lact. Alexiter* ʒviii. *Cinnamom. Hordeat. Epidemic.* an. ʒij. *Margarit. pp.* ʒiß. *Sacchar. albiss.* ʒvi. *Ms. F. Julapium.* Hora somni sequens *Bolus Anodynus*, & *Diaphoreticus*, una cum haustu *Julapii Perlat. sumend.* præscribatur, præcipuè verò si alvus (quod non rarò in hoc statu morbi accidit) nimis lubrica fuerit.

℞. *Theriac. Andromac.* ʒß. *pul. è chel. Cancr. comp.* ℈i. *Syr. Caryophyll. q. s. Ms. F. Bolus.*

In Cerebri, & generis nervosi tutamen statim à venæsectione applicentur *Vesicatoria* Nuchæ, & interioribus brachiorum, & tibiarum; & *Emplastrum Cephalic. Euphorb.* plantis pedum.

In relevationem Doloris Lateralis à musculorum, & membranarum Thoracicarum spasmis effecti, sequens Fotus & Linimentum partibus affectis alternatim applicentur,

℞. *Rad. Petrosel. Fœnicul. sem. Lin. Fœnugræc.* an. *Flor. Chamæm. Meli lot.* an. *Mij. Ms. & coqu. in Aq. Font. q. s.* reponatur *colatura* in *vesica bubula* recenter donec semiplena fuerit, calide applicetur partibus affectis, urgente jam dolore. Amota vesica, applicetur pannus laneus calidus sequenti linimento illitus. ℞. *Ung. Dialth.* ʒ. ß. *Ol. lilior. albor. Laterit.* an. ʒiii. *Ms. F. linimentum in usum.*

In ulteriorem efferveſcentiæ sanguinis, & caloris pulmonem temperationem sequens pulvis cùm fructu præscribi potest.

℞. *Sal. Nitr. puriss* ʒii. *Sacchar. Crystal. alb.* ʒ. ß. *Ms. in chartulas* viij. *quartum una dissolvantur in singulis haustibus Cerevisiæ propinand.* Cætera sagaci prælentis Medici judicio committantur, pro re nata præscribenda.

Quod ad febrem putridam Phthisicorum attinet, notandum est, quod etsi ægri methodo præcedenti jam tractati Peripneumonice non intereant, Inflammatione tamen tuberculorum pulmonarium in ulcerationem (quod sæpissimè accidit) jam facessente, statim sub finem Febris inflammatoriæ Febris putrida intermittens exoritur; certis periodis, singulis vel alternis diebus recurrens, una cum algore, ardore, & sudoribus successivis, siquidem sanguis in circulatione per has purulentas partes jam transiens heterrogeneis & inimicis particulis oppletur, atque opprimitur, à quibus Natura jam irritata, insurgit, & paroxysmum febrilem singulis, vel alternis diebus ad hostis extrusionem format. Quam quidem febrem ope medicamentorum Pulmonarium & balsamicorum penitus eradicare (est quantum ego scio) plane impossibile, abs. que ulcerum, à quibus ista febris oritur sanatione,) quoties scil. ea sunt parva atque benigna.) *Corticis* tamen *Peruviani*, frequenter & debitis intervallis repetiti, efficaciam ad supprimendos paroxysmos febriles, saltem

pro

pro tempore, sæpissimè cum successu felici expertus sum: adeo ut aliquorum Phthisicorum pro deploratis jam habitorum vitam frequenti ejus usu non tantum per plures menses; verum etiam annos protractam esse viderim: qui licet à statu valetudinario nunquam planè evaserint, tamen ejus usu, à febre jam liberati, muniis solitis benè fungi potuere. Quare eum pro unico febrifugo, in hoc casu, utque huc reperto habere soleo. Licèt enim hoc modo induciæ parum fidæ, atque incertæ comparentur, siquidem febris sponte sua, vel levissima de causa repullulare solet, ex hac tamen temporaria febris suppressione, Æger non tantum à pluribus molestiis, & gravibus symptomatis, pro tempore, illico liberatur; verùm etiam amissas vires quadantenus recolligit, atque insuper spatium medicamentorum Balsamicorum, & Pectoralium usui opportunum obtinet, quæ ulcerata tubercula sanando, & perfectam & eradicativam curationem febris efficere possint. Ideoque apprimè convenit non tantum hujusmodi medicamentorum Balsamicorum usui in febris intervallis diligentissimè insistere; verum etiam eadem cortici ipsi admiscere, quoties scil. eum repetere lubet, in sequentem modum.

℞. *Cortic. peruvian. subtiliss. trit.* ℥ß. *Syr. Balsamic. q. s. Ms. F. Bolus, quam Æger mane sumat, repetatque sexta quaque hora per tres dies successivos superbibendo* ʒi *vel iv. Apozematis sequentis.*

Cort. peruv. pulveriz. ʒiii. *Bals. Tolutan.* ʒiii. *Croc. Angelic. Cochinell.* an. ʒj. *Coq. in Decoct. pectoral. depurat.* ℔j. *ad* ʒvi. Deinde cola & affunde *Decoct. præscript* ℔j. de novo, operationem ita renovando ad tertiam vicem: Denuò Colaturas omnes misce, atque adde *Vin. Malvatic. Syrup. Balsamic.* an. ʒiv. *Ms. F. Apozema.*

Repetatur usus hujus febrifugi, modo jam præscripto, bis in Luna, vel sæpius, si ita visum fuerint. In intervallis verò assiduus medicaminum Balsamicorum, & Pectoralium usus injungi debet, quæ pro Aegri temperie, & morbi genio sub Medici sagacis regimine varianda sunt. Si alvus nimis lubrica fuerit, addi potest singulis Bolis nocturnis *Laudan. Lond. gr. i.* vel loco Bolorum substituantur *pilulæ è Diascordio, & pulvere cortic. peruvian.* confectæ ita ut singulæ doses ʒß. *pulveris* recipiant.

Atque hoc modo Uxorem *Domini Haulton, Pharmacopolæ*, à Phthisi deplorata emaciatam, per annum unum vel alterum cura Collegæ mei eximii *Doctoris Tyson* præservatam, & sæpissime a febre putrida inde orta restitutam vidi, uti & Uxorem *Domini VValKer Mercatoris Londinensis*, & filium *Domini Plachey Clerici* a febre prutrida Phthisica in statum ferè integrum redactos, una cum virium, & appetitus recollectione, & plurimos alios, quorum historias nimis longum esset hic loci narrare.

Liberè tamen fateor me non observasse *corticem* æquè certò & perpetuò in febre Phthisica intermittente scopum suum attigisse, ac in intermittente simplici a merè morbida sanguinis diathesi orta: Ubi autem minus proficere perspexi, semper suspicatus sum jam lædi cerebrum, & genus nervosum; atque Aegrum deliriis & spasmis magis obnoxium fuisse, quam antea fuerat.

CAPUT IX.

De Relevatione symptomatum Phthiseos in tertio ejus stadio.

SIcuti Natura a purulentarum, & heterrogenearum particularum commixtione cum sanguine, (ubi scil. primum tubercula pulmonaria jam maturari, & in apostemata facessere contingit) irritari solet, & earum extrusionem Periodicis paroxysmis inter-

intermittentis Febris moliri, per alvum, poros cutaneos, ductus salivales. Ventriculum, Trachæam, &c. quacunque porta datur via, pro humorum genio, & naturæ molimine, unà cum colliquatione insigni, & subito virium collapsu: Ita non rarò accidit, uti Natura irritatione ista nimis jam stimulata colliquatum, atque acre serum impensius quam par sit, expellendo, novos morbos, vel saltem nova symptomata ipso originali morbo sæviora, & magis horrenda formet, veluti Diarrhœam & Dysenteriam unà cum diris torminibus, Tussim & pertinaces Vigilias, immensos & colliquativos sudores, Vomitiones ferè perpetuas, Singultus, Aphthas, &c. quorum symptomatum revelationi saltem, si non perfectæ Ægrotantis curationi Ars Medica conducere potest.

Quo pacto verò, & quibus legibus Medicus huiusmodi symptomatis succurrere debeat, sequentibus speciatim ostendere nitemur. Atque primò.

De Diarrhœa, Diſenteria, & Torminibus alvi cruciantibus relevandis.

Medicamenta *Opiata* (durante hac necessitate) non tantùm frequenter, verùm etiam liberali manu exhibenda sunt. Uti enim dira hæc symptomata, nullo alio medicamine relevari possunt, ita etiam, quamdiu hæc symptomata manent, uti tussis mitior, ita respiratio liberior esse solet (uti in *Domino Lechmere*, *Domino Chadwell*, atque aliis quamplurimis dudum observavimus) materia pulmones irritare, & gravare solita, aliò, pro tempore, jam translata, atque inde eorum usus à nullo præsenti symptomate contraindicatur; quo fit, ut convenientem dosin *opii* sine noxa, vel periculo tolerare possint.

Æger (durantibus istis symptomatis) à Cereviſiæ omnigenæ usu abstineat, ejus loco *Decocto albo*, & Lacte cum aqua cocto contentus. Capiat etiam quarta quaque hora [si opus fuerit] quantitatem *Nucis Jugland. Electuarii nostri adstringentis* jam antè in usu Lactis Asinini descripti; vel sumat *gutt. xii. Laudan. Liq. Helmont.* in haustu *Julapii perlati*.

Ad temperandam etiam humoris irritantis acrimoniam per glanduloſam intestinorum crassorum tunicam excerni soliti, & ad tonum partium inde labefactarum restituendum, quotidie injiciatur (tanquam pro fotu) Enema jusculi pulli, vel Capitis vervecini cum lana in aqua cocti, vel hoc quod sequitur.

℞. *Lactis à frequenti extinctione candentis ferri chalibeat. & rosis rubr. alterat. ℥vi. Diascord. ℥ß. Ms. F. Enema.*

In moderata verò Diarrhœa, ubi scilicet tormina non multùm urgent, præcipuè verò si Dyspnœa etiam adsit, *Opium* quavis forma, rariùs & parcius præscribendum. Plerumque enim ab ejus exhibitione veluti pectus gravari solet; ita etiam respiratio & expectoratio difficiliores redduntur, & Ventriculus nausea afficitur.

Satius est igitur in hoc casu, *Diarrhœam*, medicamenti *opiati* tertia, vel quarta quaque nocte repetiti usu, moderatam potiùs servare quàm penitùs sistere, ne majus detrimentum inde consequatur. Semper etiam post medicamenti *opiati* usum, copiosius ingerenda sunt *Expectorantia*, & *Lubricantia*, ne materia dudùm in pulmonibus fixa Ægri vires in expectoratione excedat.

Secundo, De Tussi perpetua, & Vigilia pertinacibus sublevandis.

Sicuti Diarrhœa, & aliquando etiam implacabilis Dysenteria, unà cum diris Torminibus, à lymphæ morbidæ atque acris colliquatione facta per alvum, quæ Phthisicis diathesi scorbutica affectis, ob peculiarem scilicet Intestinorum tonum, magis quàm cæteris fluere solet, sæpiùs superveniunt; uti in quamplurimis, observavimus, qui in ipso ætatis flore, à Phthisi scorbutica cruentibus istis symptomatis stipata è vivis sublati sunt. Ita etiam non

rarò,

rarò, in hoc morbi ſtatu, egregia Colliquatio per Trachæam & bronchia ab hac febre putrida orta aliis ſatis moleſta eſſe ſolet, unde tuſſis, quæ priùs erat arida atque mitis, jam impetuoſa & perpetuò importuna evadit, unà cum copioſa exſpuitione nunc lymphæ ſeroſæ, nunc phlegmatis diſcoloris glutinoſi, & purulenti; adeo ut Æger præ tuſſi die noctuque urgenti, vigiliis ferè continuis ad delirium uſque premi ſolet.

Hæc etiam ſymptomata non ſine *Opii* uſu relevari poſſunt. In hoc verò extremo languoris gradu, cautè, parcè, & non ſine evidenti neceſſitate concedi debet ſiquidem ab infarctione pulmonum inde affecta reſpiratio inſigniter anhelos inſequi ſolet, pulſus debilis, & mentis Vacillatio unà cum extremorum frigiditate, quo Æger cum Medici, atq; ipſius Artis opprobrio, non tam mori, quàm trucidari videtur. In hoc igitur caſu, *Eclegmate* ſequenti, vel alio aliquo ejuſmodi uti ſoleo.

℞ *Sir. Altheæ portulac.* an. ℥ß. *Spec. Diatrag. frig. pulv. Hali.* an. ʒii. *Sir. e Mecon.* ℥ß. *Ms. F. lintus e cochleari*, vel *baculo liquiritiæ*, urgente tuſſi, ſumendus, ſenſim deglutiendo.

Aqua Mirabilis etiam, utpote *Aromatica*, & *Carminativa Sirupis Thoracicis* admixta, & ſenſim deglutita tuſſi compeſcendæ convenit. Vel

℞ *Sir. Balſam.* ℥ii. *laudan. liq. Helmont.* ʒii. *Ms. capiat Æger. cochleare unum ſingulis, vel alternis horis.*

Rariùs ad ʒß. vel *gr.* xij. *pilul. e cinogloſs.* Æger in hoc morbi ſtatu aſcendat.

Hic etiam proficui ſunt *Trochiſci Bechic. alb.* & *nigri*, vel aliqui alii eorum æmuli, in ore ſenſim ſolvendi, & deglutiendi, urgente tuſſi.

De ſudoribus immenſis colliquativis moderandis.

Sudores iſti per totum morbi curſum poſt febris putridæ inductionem, Phthiſin comitari ſolent, & (uti anteà innuimus) magnum tuſſis, vigiliarum, atque aliorum moleſtorum ſymptomatum levamen præbent, atque ideò, dum moderati ſunt, non ſunt omninò arte ſupprimendi, ne ab hujus ſymptomatis ſublatione Diarrhœa vel aliud aliquod magis crucians & lethale ſignum ſuboriatur.

Aliquando verò [Phthiſi jam ad fatalem finem accedente] accidit (quoniam ſcilicet ſtatus ſanguinis colliquativus in tantum jam augetur, ut vix aliquid novi nutrimenti partibus ſolidis adhæreat, vel in maſſa ſanguinea retineatur) ſudores iſtos adeò immenſos fieri, uti Aeger, quotieſcunque ſomnum capeſſit, non tantùm cum magna moleſtia, ac ſi in undarum fluvio, jacere videatur, verùm etiam, præ languore à ſudoribus immenſis effecto, quum primum expergiſcitur, gradu aliquo Lypothimiæ corripiatur.

Quo in caſu ſomni ſint breves, & (ſi opus fuerit) Aeger, Adſtantium diligentia, è ſomno excitetur, antequàm vires à longis ſudoribns nimis elangueſcant.

Cordialia etiam temperata perlata ſæpius, & in larga quantitate exhibenda ſunt quibus addere convenit *Cretam Corallium*, *Sanguin. Dracon.* atque alia temperantia adſtringentia, & emplaſtica, quæ ſanguinis florem aliquatenus conſtringant atque mitigent. Ex. gr.

℞ *Aq. Tormentill. plantag. Germin. quercus* an. ℥iii. *Aq. Cinnamom. bord.* ℥iv. *Aqu. Mirabil.* ℥i. *Margarit. Corall. pp. Cret.* an. ʒii. *Bol. ver. Sanguin. Dracon.* an. ʒß. *Terr. Japan.* ʒi. *Acet. ſtillat. vel ſpirit. Vitiol. q. ſ. ad gratam acidulationem, Sirup. Mirtill.* ℥iß. *Ms. F. Julap. de quo Æger capiat* ℥ii. *vel iii. tertia, vel quarta quaque hora, agitata phiala.*

Stragula etiam lecti minorentur, necnon removeatur Aeger in aerem tenuem, apricum, & perflatilem; Somnum ſemper capiat in Cubiculo amplo, & quoties vires languere incipiunt, Sudores ſtatim linteis aridis moderatè calefactis abſtergantur, atque Aeger in alteram lecti partem amoveatur.

Po-

Poris cutis hoc ritu jam occlusis, licèt natura partem aliquam coliquati humoris per alvum vel per aliam aliquam portam eliminare satagat, atque inde nova symptomata oriantur, satius tamen est pluribus moderatis, quam uno valdè extremo symptomate affligi.

De vomitione extrema in fine Phthiseos.

Phthisi huic symptomati per totum morbi cursum aliquatenus obnoxii sunt, à morbida sanguinis diathesi, & à tono ventriculi ejusque fermento inde penitus eversis, uti etiam à pulmonum infarctione, motuque ventriculi, per tussim & phlegmatis pulmonibus impacti exscreationem inverso (uti anteà diximus.) Circa finem verò Phthiseos hoc symptoma aliquando in tantum augetur, ut vix aliquid nutrimenti in ventriculo retineri possit; sed Cibus, ubi primùm deglutitur, à stomacho rejici aptus natus est.

Licèt in hujus symptomatis extremitate multum ab arte non possit præstari, Medicum tamen cautis saltem consiliis, si non medicamentis, manum adjutricem porrigere decet. Primò igitur jubeatur Æger cibum, (licèt frequenter) admodùm tamen parva quantitate, invicem sumere. Secundò, Indulgeantur cibi ventriculo gratissimi, modò euchymi, & coctioni apti fuerint. Tertiò, Tussim, (quantum in se est) & profundam phlegmatis exscreationem, atque etiam somnum, & decubitum à pastu devitet. Medicamenta verò vix aliquid opis in hoc deplorato statu afferre possunt.

De Aphthis, dolore Gutturis, & singultu in fine Phthiseos sublevandis.

Aliquando accidit post febris putridæ accensionem, præcipuè verò ubi materiæ colliquatæ deturbatio per Alvum, atque alias portas jam arte præpeditur, Naturam hostis protrusionem per ductus salivales, & glandulosam oris, & œsophagi tunicam, in cassùm licèt, moliri, Unde salivatio molesta non rarò per plures hebdomadas continua oritur. Secundò, Præ acrimonia humoris per partes excreti, Inflammatio non tantùm membranæ oris, verùm etiam œsophagi, & Ventriculi insequitur. Tertiò, Ab Inflammatione sequitur Exulceratio, atq; inde Ulcuscula vulgò dicta Aphthæ, dolore gutturis admodùm molesto stipatæ; Uti observavi in *Domina Vvells*, atque aliis Phthisicis, qui de hoc symptomate, magis quàm de ipso originali morbo conqueri solebant. Quartò; Denique singultus valdè molestus à Ventriculi inflammatione, & exulceratione ortus.

Quæ quidem symptomata sicuti molesta, ita aliquando etiam longa, semper verò funesta, & mortem præsagientia esse solent; nec quidem curationem ullam admittunt: Siquidem Causa, à qua procedunt incurabilis est. Utcunque tamen id fuerit, hic etiam oportet probum Medicum manum adjutricem, quantum in se est, porrigere, ope Gargarismorum faucibus Syringa injiciendorum, quæ *Abstersiva*, *Lenia*, *Adstringentia*, & *Mucilaginosa* in se recipiunt. Qualia in praxi sæpiùs usurpanda veniunt, & quorum formulæ passim apud Authores sub febris titulo occurrunt.

Ad levamen tamen hujusmodi dolentis Phthisicorum gutturis multùm valet, diu noctuque glandulas posticas in faucibus sitas continuò à frigore externo tectas munire tegumento Lanei panni duplicati, à quo plus levaminis, quàm à Gargarismis & mucilaginibus expectari possit.

PHTHI-

PHTHISIOLOGIÆ.

LIBER TERTIUS.

De Phthisi Pulmonari Symptomatica.

PHthisin Pulmonarem Symptomaticam eam appello, quæ ab aliis præcedentibus morbis efficitur, & dependet. Sæpissimè enim accidit uti à morbidis affectibus, iisque non tantùm Chronicis, verum etiam acutis, idque sive perfectè fuerint curati, sive non, massa sanguinea à fermento præternaturali præcedenti ita alteretur, ut in illa lateat inexhausta insecuturæ Phthiseos minera, quæ quidem, señsim sese in lucem prodit, per Tussim scilicet atque alia usitata signa, donec tandem miserrimus Æger, funestis hujus morbi symptomatibus undiquaq; circumseptus, fataliter cogatur succumbere.

Imò ailquando etiam non tantùm morbus, verùm etiam ipse Medicus huic Phthisi ansam præbere solet, ubi lucrum scilicet & præsentem famam aucupans perfunctorio modo, sine methodo legitima, debitisque evacuationibus præcedentis morbi fermentum magis suprimit, quàm eradicat; quo Æger non tam curatus, quam ab uno morbo in alium translatus, post aliquod temporis spatium in valetudinario statu consumptum tandem in Phthisin acutam, & deploratam incidit.

Et quidem hoc genus Phthiseos Pulmonaris (quantum mihi observare licuit) omnium est usitatissimum, & ubi conspicitur una Phthisis Pulmonaris Originalis, quæ scil. à meta alteratione sanguinis prædisponenti dependeat, quinque datur (forsan etiam decem) quæ à febribus crapulosis, & intermittentibus, à Variolis, Morbillis, Febribus scarlatinis, Pleuritide, Peripneumonia, Melancholia, Hysterica passione; à Scrophulis, Scorbuto, Chlorosi, Asthmate, Hæmoptoe, Calculo pulmonum, & aliquando etiam Renum & vesicæ, à Lue Venerea, Arthritide, suppressione Menstruarum purgationum fontanellarum, Gonorrhœæ, & veterum ulcerum, præcipuè verò fistulosorum, & scrophulosorum nascuntur.

Quæ quidem Phthises Symptomaticę præter generalem Phthiseos naturam, prorpium etiam & peculiarem genium, seu indolem habere solent; unde tanquam distinctis Criteriis, & Pathognomonicis signis inter se dignoscendæ sunt. Neque eo minùs Curatio est aliquatenus varianda. Vixque potest Medicus in Curatione Phthiseos Pulmonaris Symptomaticæ omnibus indicationibus curativis cum ratione satisfacere per generalem methodum jam antè descriptam, & felicem & optatum exitum obtinere, nisi habeat æque peculiarem respectum in toto curationis cursu ad primarium morbum specifica commixta, ac ad symptomata in Pulmonibus indè effecta, per medicamina Antiphthisica, & per methodum generalem Curationis Phthiseos pulmonaris jam ante descriptam.

Ideòque suppositа descriptione, & curatione Phthiseos pulmonaris originalis jam antè habita, ne ταυτολογιτες scil. nimis longè, & tediosè filum hujus dis. cursus protrahamus, operæ pretium duximus strictim & succinctim, sub propriis titulis; ea subnectere quæ variam indolem harum Phthiseos indigitent, earum causas, differentias, Pathognomonica signa, & indicationes curativas, quo Medicus sua sagacitate fretus generalem curationis methodum mutet, adeò ut peculiari morbi genio, & indicationibus subindè ortis satisfacere queat.

CAP. I.

De Phthisi Scrophulosa.

DE hac Phthisi primo loco sermonem habituri sumus quoniam frequentissimè in Praxi occurrit : Si quidem plures hujusmodi à me curatas memini, vel saltem ab aliis curatas vidisse, quàm vel cujusvis alterius generis.

In Scrophulosa enim diathesi sanguis ob præternaturalem acrimoniam jam tanquam coagulatus, atque adeò novum Chylum non potens perfectè sibi & partibus solidis adunire, solet eum in Circulatione copiosiùs, quàm par est deponere in partes glandulosas ; ubi vascula non procedunt rectis lineis, ut in musculis, verùm spiratim ; quo fit ut sanguis majorem remoram, stagnationem in his quam in cæteris partibus efficere soleat, atque adeò secretionem succi nutritii magis copiosam, quo fit quòd istæ partes plusquam cæteræ intumescere & durescere aptæ sint natæ. Quod in cæteris glandulosis partibus accidit, in ipsis etiam pulmonibus accidit, qui glandulis undiquaque innumeris, verùm juxta Trachæam atque ejus ramulos magis conspicuis referciuntur, etsi in naturali statu non ita facilè percipiantur; quo mirum non est si Scrophulosi, qui tumoribus glandulosis in aliis partibus frequenter obnoxii sunt, non rarò etiam ejusmodi tuberculis vel in ipsis pulmonibus afficiantur, quorum Parenchyma est naturaliter spongiosum, & serosas sanguinis partes continua eorum agitatione copiosè hic excretas recipere aptum natum. Equidem ab istis tumoribus in pulmonibus fixis oriri solet Phthisis ista Scrophulosa : Cujus certissimum diagnosticon sumendum est à tumoribus glandulosis in externo habitu corporis eam comittantibus, vel saltem præcedentibus ; uti & Ophthalmia & scabie sæpius recurrentibus, atque aliis ejusmodi affectionibus scrophulosis. Etsi libentissimè fatendum ducam aliquandò contingere glandulas pulmonum solitario isto humore affici. Quo in casu opus est experto, & sagaci Medico, qui genium peculiarem hujus Phthiseos harioletur ex iis, quæ adhuc restant sub hoc titulo dicenda.

Speciatim igitur hic notandum, quòd tubercula ista pulmoniaria (sicuti tumores Scrophulosi in cæteris partibus) sunt vel cruda, & phlegmatica, atque inde non omninò inflammationem, & maturationem dispositа : vel calidiota, quæ vel seriùs vel citiùs inflammationem conceptura sunt secundùm præsentem sanguinis diathesim, & variam materiæ in Chystide contentæ indolem. Aliquandò enim, ubi materia scilicet in gypseam, steatomatosam, vel Meliceridum naturam concoquitur, (quod fit ut plurimum,) inflammatio, & exulceratio inde nata non tantùm sera est, verùm etiam admodum tarda, Chronica, & ferè insensibilis. Quoties autem sanguis, & in Cystide contenta materia contrariò sese habent, (quod etiam aliquando licèt rarius evenit) tumores, in inflammationem, maturationem, & exulcerationem valdè proni sunt. Atque hinc oritur Scrophulosæ Phthiseos differentiæ. Aliqui enim, (quoties scilicet tumores sunt crudi & inflammmationi inepti) in phthisico statu, etsi valetudinario, à pueritia usque ad senectam ætatem degunt, unà cum Tussi ferè continua, nocturna & diurna, æstiva, & hyemali, gravitate pectoris, difficili & aliquatenùs etiam asthmatica respiratione, sine ulla tamen sensibili febre, à minimo autem percepto frigore (cui etiam præter cæteros obnoxii sunt) copiosè materiam phlegmaticam, vel serosam exspuere solent. Horum vita à periculis satis munitur vel absque medicamentis, ex regimine debito sex rerum non naturalium, atque hinc fit quòd à Medicis rarò opem petant in hoc valetudinario statu, magis contenti misere quàm medice vivere. Nullus tamen dubito quin prudenti delectu, & frequenti mutatione tenuis & aprici aeris & longo usu medicaminum *Balsamicorum*,

Mer-

Mercurialium, *Millepedarum*, *Chalybeatorum*, præcipuè verò *aquarum mineralium*, atque aliorum *Antiscrophulosorum* remediorum, isti tumores in his æquè ac in aliis partibus consumi possint, atque inde Æger liberari à Scrophuloso, & Phthisico statu; quod sæpiùs experti sumus.

Lactea diæta in curatione hujus Phthiseos non est omnino imperanda; quoniam obstructiones & tumores à viscoso humore ortos promovere, atque adaugere solet. *Pectoralia* etiam vulgò dicta *Expectorantia*, & *Opiata* hic non multùm juvant; nisi à frigore recens percepto, ad mitiganda scil. symptomata inde orta, veluti tussim, febrem, dyspnœam, vigilias, atque omnia ista dum in gradu intensissimo adhuc manent.

Quoties verò ista tubercula magis calida sunt atque inde celeri inflammationi & ulcerationi magis obnoxia, Scrophulosa ista Phthisis est peracuta & paucorum mensium, & à communi Phthisi quoad curandi rationem parum differt. Neque aliud Prognosticon in hac, quàm in alia Phthisi habendum est; quod scil. varium est secundum gradum & progressum morbi, uti anteà diximus.

Hujusmodi Phthisin acutam à Scabie Scrophulosa suppressa ortam haud rarò observavi, veluti prior Phthisis magis Chronica, invadere solet eos qui tumoribus frigidis glandularum obnoxii fuerint. Sub horum tumorum calidiorum initio Venæ sectio liberalis & frequens magis quàm in cæteris Phthisibus plerumque necessaria est; quo pacto inflammatio, & maturatio fortè præveniri possint, etiamsi ipse incipiens tumor neque minoretur, neque omninò consumatur. Convenit hic etiam adjicere pulmonaribus *Scrophulariam*, *Filipendulam*, *Millepedas* atque alia *Antiscrophulosa* medicamenta *Gummata* & *Balsamica* hic etiam apprimè conferunt; uti etiam *pilulæ nostræ balsamicæ* jam anteà memoratæ, quarum longo usu plus quàm cæteris pulmonaribus medicamentis ad perfectam plurimorum hujusmodi Phthisicorum curationem contuli. Sin tumores isti calidi in abscessum facessere incipiant, *specifica* nihil omnino prosunt; sunt autem hujusmodi Phthisici tractandi eodem modo, quo alii pro gradu scilicet, & progressu morbi.

Sin verò tumores isti mediæ fuerint naturæ, inflammabiles licèt, tardo tamen gradu utpote contentam materiam in formam gypseam, steatomatosam, vel Melicetidum concoquentes; sequitur inde Phthisis mediæ etiam naturæ participans; Chronica scil. & plurimorum annorum, & leni, seu medio gradu symptomatum stipata, tussi scil. quotidiana, in omni anni tempestate, miti tamen, & non vehementer arida: tempore verò hyberno, atque aere denso magis molesta; Febre valdè miti, & ferè insensibili, naturæ planè hecticæ; flaccedine etiam magis, quàm evidenti carnis consumptione comitata; uti & delicato appetitu magis quàm Inappetentia. Quæ quidem est Phthisis usitatissima seniorum; atque ea in praxi sæpiùs occurrit.

Hujusmodi Phthisicos non tantùm plurimos annos vivere, valetudinariò licet, verùm etiam cum regimine, & cura sex rerum non naturalium muniis solitis fungi observavimus. A minimo vel rò errore in diæta vel in quantitate, vel in qualitate, vel etiam in ipso exhibitionis tempore admisso, multò magis à crapula, & liquorum spirituosorum ingurgitatione, vel à frigore percepto valdè pulmones calefacti plus indè damni in una hebdomada, quàm alias in anno sustinent. Siquidem Febris hujusmodi Phthisicos talibus de causis invadens præter proprium tuberculorum genium acuta est. Utcunque verò initio mitis ea videatur, vel etiam tussis, atque alia pulmonum symptomata; ut ut etiam emaciatus sit corporis habitus, moderata venæ-sectio, imo (si opus fuerit) iterata in primo febris insultu celebranda est; omnibusque Febrifugis *Pulmonaria*, & *Antiscrophulosa* convenientia commiscenda sunt; quo pacto unum eumdemq; Phthisicum (sicuti *Dominum Andreas*, &

Mercatorem quendam in *Philpot-Lane* una cùm aliis multis) à pluribus putridis febribus eodem anno recurrentibus (Deo favente) restituimus ; idque sine ulla insigni pulmonum labe indè orta , Quò verò frequentius istæ febres revertuntur , eò citiùs Phthisis ad funestum finem gradum suum accelerat ; & quo propior Phthisico est hic fatalis dies , eò frequentiùs putridæ istæ febres reverti aptæ sunt natæ ; leviſſima scil. de causa ortum suum ducentes : Cujusvis novi tuberculi inflammatione (uti mihi videtur) omni hujusmodi putridæ febri ansam semper præbente . Extra febrem verò curatio hujus Phthiseos commodè perficitur debito sex rerum non naturalium regimine , eoque perpetuo : Tempore æstivo (nisi adsit insignis obstructio Hepatis & Hydrops indè ortus) usu longo *Aquarum Chalybeatarum* tempore hyberno frequenti & diuturno usu *Pilularum nostr. Balsamicarum* , uti etiam *Gummatum* , atque aliorum *Balsamicorum* Medicaminum ; tempore autem Verno , & Autumnali *Cerevisia Milleped. Antiscrophulosis* & *Pulmonaribus Ingredient.* medicata , in potum ordinarium præscribenda . Atque hoc pacto etiam ætate provectos restituimus ; alios vero quam plurimos uti *Dominum Tibs* , *Dominam Herbert* , in majorem sanitatis gradum , quam antea per plurimos annos frui poterant , reposuimus , Expectorantia , atque alia pulmonaria Medicamenta usui sunt hujusmodi Phthisicis , æquè ac aliis ? excepto *Opio* , quod rarò admodum , & non sine urgenti necessitate Præscribendum est , ob fixantem scil. & oppilativam ejus naturam . Hæc verò Pulmonaria medica , licet aliquid opis , & præsentis levaminis administrent , curationem tamen morbi originalis sine *Antiscrophulosis* , cæterisque jam antè memoratis admixtis , parùm promovent.

HISTORIA DOMINI. DAUISON.

Filius unicus *Domini Davison* , Civis eximii , & mercatoris *Londinensis* ab incunabulis usque ad pubertatem , purulenta Scabie per totum caput dispersa , & sæpius recurrenti , ex habitu Scrophuloso orta afflictus , ejusque tædio juvenili ætate affectus , Emplastris , & Unguentis nescio quibus repercutientibus ex consilio Mulierculorum sanitatem requisivit . Unde statim , circa annum scil. milesimo sexcentesimo septuagesimo octavo , à tuberculis exinde in pulmonibus ortis per totam æstatem tussi arida vexatus est : quam tamen per unum vel alterum mensem penitus neglexit , donec à levi inflammatione , & exulceratione tumorum , in febrem putridam intermittentem , unà cum apetitus dejectione , siti , atque aliis hujusmopi symptomatis sub initio autumni redactus est ; quo tempore me consulebat , atque ope *Corticis Peruviani* , *Balsamicorum* , & *Pectoralium* medicamentorum in aere rusticano exhibitorum , à febre , & quadantenùs etiam à tussi , liberari videbatur . Impatientia verò , & nausea medicaminum ulteriorem sui ipsius curationem negligens fatalem febris , atque etiam à Tussis phthisicæ recidivationem perpessus est : à quibus medio frequentis hyemis funeste è vivis sublatus est , una cum Diarrhœa , immensis sudoribus ; Hydrope , & certis Colliquationis in victæ Symptomatis . Aperto Cadavere invenimus omnes pulmonum lobos hic inde variæ magnitudinis tuberculis interspersos ; his quidem ac si recens pullulatis & minutis ; illis autem satis magnis ; etsi crudis ; nonnullis vero inflammatis , & exulceratis , & in sese materiam purulentam melleæ consistentiæ continentibus . Hanc Phthisin scrophulosam esse duximus Secundi Ordinis , Calidam scilicet , & Acutam.

CAPUT II.

De Phthisi Scorbutica.

IN omni scorbuto præcipuè verò salso, sanguis perpetuò in se continet fermentum, quod colliquationem copiosam, atque etiam secretionem lymphæ Chilosæ in glandulis efficit; præcipuè verò in his quæ sitæ sunt circa os, fauces, & pulmones, atque hinc accidit quòd hujusmodi Ægri, sicuti sudoribus, & mictioni copiosæ sunt obnoxii, ità etiam continuæ salivationi per ductus salivales, excreationi viscidi phlegmatis è tonsillis, & frequenti tussi, a perpetua expuitione serosi laticis per glandulosam Trachææ tunicam oriundæ.

Ista verò scorbutica lympha, per tonsillas, reliquasque glandulas excreta (utpote fixo sale abundans, & peculiari suo genio glutinosa) licèt coctionem aliquam admittat; semper tamen id naturam viscidam inclinat; atque hinc hujusmodi Phthisicorum tussis, licèt sit continua, non tamen tam ferox, atque arida est, quàm in aliis esse solet; ubi scil. excretum serum est tenuis; unde per continuam ejus expuitionem per Trachæam, ferox, & importuna tussis oritur; vel saltem per tumefactionem glandulosæ ejus tunicæ (quoties scilicet Lympha commodum exitum non invenit) perpetua sistat titillatio; atque hic oritur plerumque ferox atque arida tussis. Quo fit, quod in Scorbutica Phthisi, ob viscositatem excretæ materiæ, qua magis molestè oblinitur, quàm irritatur Trachææ, & bronchiorum tunica, Æger non tam ad tussiendum irritetur, quàm sponte sua tussim provocet, ad phlegmatis molestè adhærentis ejectionem; atque hinc hujusmodi tussis propè ad asthmaticæ naturam accedit, & majori sibilatione, difficultate spirandi, constrictione; & gravitate Pulmonum stipatur, quàm in aliis Phthisibus observari solet. Atque hinc etiam Phthisis Scorbutica, valdè Chronica evadit, neque unquam citam mortem sine hæmoptoe, vel alio aliquo magno superinducto symptomate, minatur.

Hujusmodi Phthisici, etsi longiùs vitam suam protrahant absque ullis medicamentis debito tantùm regimine, & cura sex rerum non naturalium, valetudinariò tamen degunt, & vel à minimo admisso in diætæ errore, vel percepto frigore febricitare solent, & appetitu privari.

Signa Phthisin hanc præsagientia præcipuè sunt duo; eruptio scilicet frequens exanthematum, instar herpetis miliaris per totam cutim sparsorum, & excreatio perpetua, præcipuè verò matutina, phlegmatis molestè salsi è tonsillis rejecti, exulceratione, & erosione gingivarum non rarò stipata.

Qua verò ratione Curatio hujus Phthiseos à generali methodo jam antè descripta sit varianda, breviter hìc notare lubet, scil.

Primò, *Opium*, (nisi à frigore recens percepto, idque ad mitiganda symptomata inde oriunda) semper est noxium; Siquidem phlegma magis glutinosum expectorationi ineptum reddit.

Secundò, Inter Thoracica medicamenta, Incidentia & Abstergentia sunt semper præferenda, ad facilitandam expectorationem; vel saltem aliis commiscenda, uti *Mel*, *Hydromel*, *Oxymel*, *Gumm. & Balsama*, *Milleped. Syrupus ex Erysimo è v. Rad. Balsamicus. pilulas verò nostras Balsam.* jam ante descriptas, super omnia commendo, quarum usum, & efficaciam in Phthisi scorbutica sæpissimè sum expertus.

Tertiò, Medicamentis Thoracicis *Antiscorbutica* semper admiscenda sunt, ut, quo tempore rivulus colliquatæ materiæ *Pectoralium* medicaminum ope expectoratur, fermentum colliquationem hanc efficiens *Antiscorbuticorum* viribus tollatur, vel saltem minoretur. Aliàs, non sublata causa, morbus in se eradicativam curationem non potest admittere: mitiora verò *Antiscor-*

butica ; quæ quam minimum fervorem sanguini concilient, eligenda sunt ; uti *Nasturt. Aquat. Becabung. Summitates pini, Fol. Heder. Terrestr. Radic. Lapath. Acut. Pœon. maioris &c.* è quibus sacculus fiat in cerevisia suspendendus, in potum ordinarium. quo pacto *sal volatilis simplicium* [in quo Energia medicamenti consistit] magis quam in Apozematis præservatur ; atque etiam vis medicaminum copiosiùs sanguini communicatur, & cum minori appetitus injuria.

Quartò, *Calibs* etiam in curatione hujus Phthiseos (nisi ad fatalem finem jam gradum suum acceleret) multùm proficit. Si Scorbutus sit acidus, *Sal Martis*, è quo *gr. unum* vel *alterum* singulis dosibus *Pilul. Balsamicarum* immisceatur : Si salsus sit, *Extractum Minsichthi*, cujus exhibitionem in forma Pilularum jam antè descripsimus, In omni verò scorbutica Phthisi *Aquæ minerales Chalibeatæ* cuivis artificiali præparationi tempestate æstiva præferendæ sunt, (modo Phthisis tertiùm suum stadium non attigerit) quoniam viribus egregiis dotantur, non tantùm ad deobstructionem nervorum, & penetrationem & solutionem tuberculorum ; verum etiam ad caloris hectici sanguine & spiritibus temperationem, sitis extinctionem, apetitus restitutionem, & hilaritatem animi conciliandam ; quarum efficaciam in hujusmodi Phthisibus curandis supra quamvis aliam methodum medicaminum *Thoracicorum* sæpissimè magno cum fructu sum expertus. Ideoque, unam vel alteram Historiam de præpollenti earum vi in Phthiseos Scorbuticæ curatione sub finem hujus capitis subnectam. Earum verò usus quotannis repeti debet, quoniam rarò morbus hic Chronicus uno ictu debellari solet.

Quintò Si Alvus adstricta fuerit, *Aquæ minerales* purgantes hic etiam proficuæ sunt, uti etiam *pilulæ nostræ stomachicæ* superius descriptæ ; quarum ope semel, vel bis in mense repetita *Pater meus dilectissimus* vitam suam in Scorbutica Phthisi per plurimos anno fæliciter protraxit.

Sextò, Hilaris animus omnibus licitis modis conciliandus est : Sicuti enim à mœstitia morbus iste ut plurimum ducit suam originem, ità & fatale incrementum.

Septimò, Lactea diæta, ob acidum vel salsum ventriculi fermentum, rariùs hujusmodi Phthisicis convenit ; & quidem generaliter loquendo omnibus tam Scorbuticis quam Hypochondriacis inimica esse solet.

Octavò, Etiam, fumi Tabaci mul. tùs usus in hac Phthisi non immeritò suspicandus est ; quippe quod, non tantum, ob abundantiam *Salis* in eo contenti, fermentum sanguinis & ventriculi morbidè salsum adaugeat ; (quo Colliquatio à salsedine affecta increscit) verùm etiam quod salsus iste fumus, ductus salivales irritando copiosiorem excretionem lymphæ promoveat, idque non tantum per tonsillas, & totum Trachææ ductum usque ad ipsos pulmones ; quo fit quod, sicuti molesta exscreatio Phegmatis per Tonsillas ; ita etiam tussis per pulmones ; promoveri soleat. Denique rasura capitis & frequentes Fontanellæ hic apprimæ sunt proficuæ ; utpote plurimum ac serosi laticis in hoc morbo abundantis minorationem tum per transpirationem tum per derivationem conferentes.

HISTORIA.

Dominus Hunt, Civis *Lodonensis*, Scorbuticus, & Hypochondriacus fere à juventute ad septuagesimum ætatis annum in statu Phthisico degens vitam suam protraxit ; muniis solitis satis benè fungens ope debiti regiminis, absque ullo artis medicæ auxilio, donec jam sexagesimum annum superaverat : à quo tempore plurimùm emaciatus Tussi Catarrhosæ, & quadantenùs etiam asthmaticæ, dejectioni appetitus, præcipuè verò tempore hyemali, & levi etiam Peripneumonicæ Febri à lenta tuberculorum pul-

mo-

monarium inflammationi sæpissimè obnoxius erat: A quibus facilè consilio Medici liberabatur. Tres etiam filios habuit qui omnes, licet hæreditario quodam jure Scorbutici essent & Hypochondriaci, robusti tamen & athletici videbantur usque ad trigesimum ætatis suæ annum. Circa quod tempus alter post alterum omnes eodem hæreditario jure phthisi correpti sunt, ex occasione pathematum animi, & ingurgitationis liquorum spirituosorum; quo factum est ut ob debiti regiminis neglectum morbus iste (qui adeo Chronicus Parenti fuit) filiis tamen satis acutus esset; atque eos omnes (si bene memini) ante fatalem emaciati senis diem è vivis substuli.

Unus istorum Juvenum, natu scil. maximus, post hecticum calorem curis & compotationibus per aliquot annos continuatum, à pathematis animi extraordinariis, in dejectionem appetitus, sitim, aridum Tussim, & gravantem oppressionem pectoris incidens, sese curæ meæ commisit.

Post Phlebotomiam, lentas Purgationes, & medicaminum Pectoralium, & Balsamicorum copiosum usum, quadantenùs meliùs habere visus est. Calore tamen hectico, tussi, & appetitus languore adhuc manentibus, eum ad usum *Aquarum Tunbrigiensium*, in aprico & rusticano aere [tempestate etiam æstiva ita suadente] relegabam. Aquarum debito usu, plus quam vel à speciosissimo medicaminum *Thoracicorum* apparatu expectabam. Neque spes me frustra habuit; Ut cunque enim in usu *Aquarum* neque satis diu moratus erat, neque sese regimine debito muniverat, reversus est tamen post unum mensem carne, vultu, & apetitu restitutus; ferè etiam in totum à tussi, & hectico calore liberatus, donec sequenti hyeme, curis & negotiis multis sese implicans, & ad solitam vini ingluviem relapsus, sensim omnium priorem symptomatum revirescentiam perpessus est; à quibus, nullis vel præstantissimorum Medicorum præscriptis relevati potuit; atque adeo circa sequentem *Junium* in agro *Ebishamensi*, [ubi diu jam propter aeris beneficium degerat] supremum diem clausit.

Vidua ejus tam ab animi pathematis propter obitum Mariti, quam ab aliis causis, uti & à frigore sæpiùs inter vigilandum cum eo percepto, & forsan etiam à contagio, (quoniam ad extremum usque diem fuit ei socia lecti, præsertim etiam, quoniam à salsa & Scorbutica Diathesi in Phthisim prædispositа videbatur: Post mensem unum in aridam tussim, egregiè hecticum calorem, sitim extremam, & appetitus ferè totalem amissionem incidit, unà cum vultu squalido, emaciato corporis habitu, oppressione pulmonum continua, languore virium, omnibusque peracutæ Phthiseos symptomàtis; adeo ut (si quod res est ingenuè fatendum) exspectarem; eam inter unum, vel alterum mensem amaram Mariti sortem subituram, non obstante vel diligentissimo præstantissimorum Officinalium medicamentorum, quæ mihi usque adhuc innotuissent, usu: Si sanguinis & pulmonum extremus fervor exstingui non posset grandi alicuius diluentis & temperantis liquoris copia, qui sales sanguinis acutos eodem tempore obtunderet, & obstructiones nervorum deoppilaret. Ideoque post levem parca Phlebotomia sanguinis eventilationem, *Aquas Ebishamenses* (quoniam alvus jam adstricta fuerat) modo præparatorio in forma *Possetica* præscripsi; & postea ut *Aquis Iffengtonienſibus Sadleri* uteretur quarum egregias vires illo ipso anno in memetipso, æquè ac in plurimis aliis fæliciſſimè expertus fueram ad calorem hecticum exstinguendum. Præscripsi etiam *Iulapium Perlatum*, languore virium & sanguinis & spiritnum fervore id requirentibus. Ob nauseam vero nec Linctus nec Apozemata Pectoralia admittere potuit, multò minus balsamica Remedia. Et ob insignem Dyspnæam de usu *Opiatorum* multum hęsitabam: Atque hoc modo eam in præ-

sens dimisi. Et quidem *Aquas minerales* purgantes semel, vel bis hauriebat quo factum est ut Diarrhœa eam per tres hebdomadas (me inscio) detineret flagrante adhuc febre unà cum sitis, tussis, dyspnœæ, Tabis, languoris, & reliquorum symptomatum incremento. Verum ab usu *Aquarum Islingtonienſium* prorsus abstinebat & planè abhorrebat, quoniam eo anno primulum inventæ fuerant, & plurimi tumores de earum natura Deleteria passim spargebantur. Fortè fortuna verò eam, non accersitus, in cubiculo invisens, quo certior fierem de *Aquarum Chalybeatarum* effectu, quoniam nihil vel ab ipsa, vel à fratre ejus, Pharmacopola, inaudiveram; Inveni eam in statu magis deplorato quàm antehac unquam, febremque, tussim, & tabem unà cum omnibus jam ante memoratis morbidis Symptomatis in tantum auctis à superinducta Diarrhœa, tam diu jam continuata, ut vix è lecto potuerit surgere. Tandem vero rationibus & experimentis nuperrimè à me prolatis evicta, *Aquarum Islingtonienſium* vires saltem explorare consensit. Atque in eum finem dosin *Electuarii nostri Adstringentis & Opiati*, ob præsentem scil. Diarrhœam, singulis noctibus exhiberi jussi, ubi opus foret, & matutinis continuò successivis ℔. ij. iij. iv. v. vj. *Aquarum* in lecto haurire; atque etiam in præsentem usum nonnihil calefactas, ob frigidam anni tempestatem, (quia media pars Septembris jam præterierat) & in earum usu per mensem unum persistere, modo per urinam satis copiosè, & minus per alvum fluerent; & uti bono animo esset, modo appetitus inde revirescceret, sitisque cum reliquis febris symptomatis minueretur: Alioquin uti me certiorem faceret, quo illico pro virili adjutrices manus porrigerem. Verum multis negotiis districtus nihil amplius de ea inaudiveram, donec tandem post tres septimanas ad me in musæolo versantem, unà cum fratre suo venerat à febre, tussi, & languore jam planè liberata, atque à tabe, miraculi instar prorsus restituta, nullamque aliam querimoniam nisi de nimia voracitate appetitus amplius faciens, quem tamen ad debitam mediocritatem iterum reducere promittebam, ubi primum jam consumptæ carnes diutino alimenti euchymi usu forent resarcitæ; cujus rei veritatem brevi temporis spatio experientia comprobavit. Neque aliud medicamentum præscripsi, nisi ut per spatium unius Lunæ, *Cerevisia Ingredientibus Antiscorbuticis & Pulmonaribus* imbuta, in potum ordinarium uteretur. Ex quo perfectè convaluit, atque adhuc sana & superstes manet, in ædibus Patris sui *Domini MiniKin*, ad *insigne Regii Capitis* in platea *Sancti Martini* dicta juxta portam *Alderſgate*.

Plurimas hujusmodi instantias de egregiis *Aquarum mineralium Chalibeatarum* viribus in Febris Hecticæ & Phthiseos Scorbuticæ Pulmonaris incipientis curatione, facile esset in lucem proferre, nisi summæ brevitati studerem.

CAPUT III.

De Phthisi Asthmatica.

LIcet omnis Scorbutica phthisis sit Asthmatici generis; per hanc tamen eam præcipuè intelligo, quæ à vero Asthmate, ut causa præcedenti, ortum suum ducit, atque ab eo prorsus dependet. Siquidem omne asthma præcipuè verò humorosum, tendit in Phthisin; quippe quod in hoc morbo non tantum sæpissimè accidit pulmones spasmodicè constringi, (quod tonus eorum everti solet, & lentus humor ex eorum parenchymate frequenti compressione in Bronchia exprimi, qui tenaciter inibi adhærens, Tussim, sibilationem, & difficilem respirationem inducit) verum etiam à prævia dispositione sanguinis inglutinosam & tenacem qualitatem, pulmones fere semper ab ipsis hujus morbi primordis nodosi fiunt; qui nodi, seu tubercula progressu temporis inflammari & exulcerari consueverunt, unde vera & fatalis Phthisis Asthmatica insequitur. Hæc verò ab aliis Phthisibus eo præcipuè digno-

dignoscenda est, quod per totum morbi cursum sibilatione, & extrema dyspnœa stipetur; quippe quod humor è nodis & parenchymate pulmonum in Bronchia & Trachæam continuo expressus (sicuti antea innuimus) est semper lentus & viscidus, parietibus Trachææ & Bronchiorum instar glutinis tenaciter & molestè adhærens, atque inde liberum aeris transitum impediens.

Hæc verò Phthisis, ut ut usitato sit funesta & incurabilis, proprio tamen genio est admodum chronica; adeo ut aliquos ope debiti regiminis, atque aeris tenuis, licet Phthisi asthmatica detentos, per plurimos tamen annos superstites viderim. Cujus rei causa mihi videtur esse petenda à lentore & visciditate humoris, per pulmones in hac phthisi excreti: Iste enim humor præ grandi salis in eo contenti copia, aliquam coctionem, licet in materiam viscidam, facile & cito admittens, plurimum corrosivæ suæ acrimoniæ deponit: Atque inde benignior evadit, leviorem scil. labem post se in pulmonibus relinquens, quam ubi est acer, tenuis, & perfecte crudus, nullamque omnino coctionem recipiens. Et quidem ipsa senectus videtur mihi esse hujusmodi Phthisis Chronica & incurabilis; quoniam omnes senes; qui aliquo acuto morbo non corripiuntur, hoc modo Phthisicè languentes tandem ultimum claudunt diem; verum non sine præfatione Chronicæ tussis, anhelantis spirationis, marcidi corporis habitu, & dispositionis quadantenus hecticæ. Neque id mirum videri debet, quum præ nimia ætate, parenchymatis pulmonum fibrillæ jam flaccescentes subsidere soleant; quod fit ut totum parenchyma paludosum reddatur, nutritio succo stagnationem ibi æquè ac separationem subeunte; atque inde copia illa viscidi Phlegmatis, sibillatio, infarctio pulmonum asthmatica, dyspnœa, emaciatio corporis cum hectica intemperie. Quid verbis opus cùm plane jam ipsa senilis Phthisis insequatur;

Primò Lactea diæta rarius in hac Phthisi convenit; multo minus *Opium* quod humorum lentorem augendo dyspnœam, atque omnia hujus Phthiseos symptomata promovet; adeo ut aliquando in hoc casu vel ab uno *Laudani* grano vitam Ægri in subitum discrimen redactam viderim.

Secundo Tenuis & apricus aer in hujus Phthiseos curatione magis quam in aliis necessarius est. Neque quidem hujusmodi Phthisici, ope vel generosissimorum medicamentorum; in paludstri aere, vel fumo carbonum inquinato; exhibitorum, vitam diu protrahere possunt.

Tertiò Inter *Expectorantia* verò medicamenta præferenda sunt *Abstergentia* & *Incidentia*: uti *Mel*, *Hydromel*, *Syrup. ex Erysimo*, *è v. Radic. Acetos*. Evitanda verò, vel saltem cautè exhibenda sunt *Incrassantia*, *Balsamica*, *Gummata*, *Millepedæ*; præsertim verò *Pilulæ nostræ Balsam.* hic admodum prosunt. Uti etiam *Spiritus Cornu Cervi Salis Armoniacis*, *&c.* Quoties Phthisis ab Asthmate Spasmodico dependet.

Quartò Hujusmodi Phthisici haud raro paroxysmis Asthmaticis corripi solent ad extremum usque gradum. Quo casu necesse est venam aperire; utcunque emaciatus fuerit Æger; neque minus convenit *Mixturam Riverii Emeticam ex æqualitate partium Oxymellici Scillitici & Aquæ Cinnam. Fort. Compositi.* vel aliquod aliud ejusmodi exhibere; sæpiusque repetere, quod vi sua Carminativa spasmodicam pulmonum contractionem solvat, & facultate sua abstersiva phlegma incidat & excernat. Sanguis tamen manu parca pro ægri viribus educendus, nec sine urgenti necessitate calida illa *Riverii Mixtura* exhibenda.

HISTORIA.

Damina Sherrvin, Virgo à multis retrò annis Asthmate afflicta, præsertim verò tempore hyemali, & *Londinensi* aere versata; ope tamen debiti regiminis,

nis, rusticani aeris, &c. satis bene officio fungi videbatur, usque ad annum ætatis suæ quadragesimum, aut circumcirca. A quo tempore quadantenus tabida esse incipiebat, Tussi etiam, una cum dyspnœa in dies aucta; verum & appetitu plurimum à febrili hectico calore everso, qui tunc primum invadere cœpit, Ex usu verò *Aquarum Chalybeatarum*, *Pilul. nostr. Stomachic. mag.* & *Pilul. Balsam.*, aliorumque medicaminum *Pectoralium* [adjuvante etiam plurimum aere rusticano] per duos vel tres annos multum relevata, & ferè prorsus restituta videbatur. Tandem verò ex Peripneumonia à Tuberculorum Pulmonarium inflammatione orta in febrem Colliquativam incidens, una cum Diarrhœa, Hydrope, vomitione, sudoribus immensis, & reliquis funestæ Colliquationis symptomatis, è vivis penè in flore ætatis sublata est, à Phthisi hac quam senilem voco; imo si ante obitum faciem ejus spectes, vetulam omnino crederes. Aperto Cadavere pulmones ubique nodosis, in plurimis verò partibus inflammati, immo maturati, & exulcerati apparebant.

Idem de *Domino Baxter*, Cive *Londinensi* satis insigni, observavi; qui ab Asthmate Chronico tandem in Phthisin funestam incidebat; à qua multum & diu ex usu *Sp. Salis Armon.* Medicaminum *Pulmonarium*, præcipue verò *Balsamicorum* relevatus fuit: post annum verò unum, vel alterum, a dyspnœa multum aucta, & superinducta etiam diarrhœa, una cum Torminibus, Hydrope, atq; aliis funestæ colliquationis symptomatis supremum clausit diem. Paroxysmos verò asthmaticos (qui sæpius recurrere solebant) ex usu *Mixturæ Riverii* (ubi jam languor venæ sectioni contraindicabat) semper cum fœlici successu & cum maximo Ægri levamine, ad extremum usque diem sustuli.

Dominus Rand, Pharmacopola *Londinensis* satis notus per plurimos annos in statu Phthiseos asthmaticæ [emaciatus licet & debilis] vitam suam ex usu copioso *Sp. CC.* Medicaminum *Pectoralium*, *Chalibeat.* & *Balsamicorum*, & debito regimine, sex rerum non naturalium protrahebat. Et quamvis sæpius in anno febri Peripneumonicæ levi à nova Tuberculorum Pulmonarium inflammatione obnoxius esset, venæ sectione tamen, & debito regimine, & usu Pectoralium, æque facilè evasit; Egregiam verò vim medicaminum emeticorum sæpius in eo expertus sum, quoties scil. in maximo discrimine versari videbatur, à gradu asthmatis aucto, & ab inappetentia, & maximo languore inde consequenti.

CAPUT IV.

De Phthisi à Melancholia, uti etiam ab Hysterica, & Hipochondriaca affectione orta.

HYpochondriace, & Hysterice affectos haud raro in Phthisico statu longo tempore durare, tandemque à Phthisis Pulmonaris symptomatis ultimum ejus & funestum statum comitantibus correptos, supremum diem claudere, facile est cuivis in medicina vel tantillum exercitato deprehendere: Cujus rei rationem à jam ante memoratis principiis est etiam facile deducere: In Hypochondriaca enim & Hysterica affectione Cerebrum, & totum nervorum systema semper morbide afficiuntur; atque inde non tantum spiritus animales in flatulentam & inquietam naturam degenerant, verum etiam tota sanguinis massa, quæ ab istis spiritibus rite actuari & vivificari debet in crudam & cachecticam saburram, seu molem reducitur. A quo Cerebri & nervorum tono, spirituum & sanguinis diathesi; mirari quidem subest, non semper Phthisin sequi, Insuper, pathemata animi graviora ut plurimum hystericam & hypochondriacam affectionem præcedere, vel saltem comitari omnibus est notum. A quibus Phthisis (uti jam in principio hujus discursus innuimus) sæpius, quam à frigore, vel aliqua alia de causa originem suam ducere solet. Præterea hystericis & hipochon-

chondriacis à pavore, & anxietate, continuis suffocationibus, & oppressionibus Thoracis adeo frequenter obnoxiis esse accidit, [quæ nihil aliud sunt quam spasmodicæ contractiones Musculorum pectoris, & Laringis, & quidem ipsius teneris parenchimatis pulmonum) unde tono eorum jam labefactato & everso, nemo miretur si sæpenumero insequatur Phthisis.

Hæc verò Phthisis plerumque est Chronica, utpote à morbida diathesi spirituum, & humorum paulatim contracta dependens: Ut plurimum tamen lethalis est, non tantum quod rarius; ob insensibilem scil. ejus progressum timeatur, donec Æger, qui jam diu valetudinarius fuit, tandem ad ἄκρον fere Phthiseos pervenerit: Verum etiam quod minera humorum, à qua hujusmodi Phthisis dependet, plane inexhausta est. Phthisis hæc ab aliis præcipuè discernenda est per pectoris oppressionem & mœstitiam animi insolitam; uti etiam per frequentes Histericas suffocationes; Lipothymias, atque alia generis nervosi symptomata.

Curatio verò à generali methodo non multum varianda est. Nonnullas tamen observationes huc spectantes hic subnectere lubet; Nimirum, primò, In hac Phthisi, insigni nervorum debilitate, & obstructione id requirente, liberalior usus *Sp. CC. Sp. Sal. Armon. Tincturæ Castor. Aquil. Brion. & pæon. comp.* atque aliorum ejusmodi quam in aliis Phthisibus fieri solet, concedendus, si non etiam imperandus; quorum egregiam vim in relevandis hujusmodi Phthisicorum simptomatis sæpissimè sum expertus; & quidem sint his neque languor, neque suffocatio [quæ symptomata his ægris valdè familiaria esse solent) nec quidem ipsa Tussis (quæ in hac Phthisi ut plurimùm à genere nervoso oritur) mitigari potest. 2. *Aquæ* etiam *Chalibeatæ* hic apprimè utiles sunt, & quidem sine medicamentis *Chalibeatis pulmonaria* & vulgò dicta *Antiphthisica* nequicquam valeant. Tempestivus rarò hujusmodi Medicaminum usus imperandus est, priusquàm signa Ulceris Pulmonaris jam apparent; ne plus damni, quàm emolumenti Æger inde ferat, quum natura in statum adeò colliquativum jam sensim fuerit redacta. 3. Sicuti lactea diæta rariùs hujusmodi Phthisicis convenit, ita ob eandem rationem (nervorum scilicet debilitatem & præternaturalem fermenti Ventriculi acrorem) neque ipsa quidem purgatio, nisi admodùm lenis, & tempestivè exhibita, præcipuè verò hystericis, prodest. 4. Vomitoria verò lenia, & Ægri viribus æqualia, opitulando Cerebro & Nervis, & principio morbi, instar miraculi hujus Phthisicos relevare solent. 5. Usus etiam *Opii* forsan in hac magis quàm in ulla alia Pulmonari Phthisi non tantùm a Medico concedi possit, verùm quidem sæpè planè necessarius apparet, ob graves scilicet Ventriculi, Intestinorum, atque aliarum partium spasmos, qui a pertinacibus, vigiliis, aliisque symptomatis, ob flatulentum, & explosivum spirituum animalium statum, & delirantem phantasiæ activitatem, his magis quam cæteris Phthisicis supervenire solent.

HISTORIA.

Dominus Richardes, Civis *Londinensis*, Incola in *SouthvvarK*, vir macilentus & temperamenti (uti veteres loqui amant) verè sicci & frigidi, a pueritia ipsa quadantenus hebes, & Melancholicus, antè quadragesimum ætatis suæ annum, in delirium melancholicum incidit, a quo diuturno medicaminum *Chalibeatorum*, tenuium *Catharticorum*, *Antiscorbuticorum*, & *Cephalicorum*, usu perfectè liberatus est; Adminiculante etiam tempestiva sanguinis è vena Jugulari & è vasibus sedalibus extractione. Utcunque verò a melancholia liberatus est, macilentus tamen & quadantenus anxius manebat, non rarò etiam levi atque arida tussi affectus, cui a longo quidem tempore obnoxius fuerat. Hanc verò per plurimos annos penitus neglexit, donec tandem inappetentia, siti, dyspnœa, virium languore, colliquativis sudoribus, implacabi-

cabili dysenteria, horrendis spasmis stipata, atque aliis ejusmodi funestis Phthiseos fatalis symptomatis torrefactus, & præsenti etiam ingruentis periculi sensu meam opem incassum, quoniam nimis sero, petebat. Unum verò in hoc Ægro observatu dignissimum fuit, scilicet, quòd licèt propter gravem dyspnœam, vel minimam dosin *Opii* absque evidenti vitæ periculo ferre non posset, a quo tamen tempore tormina dysenterica, seu spasmi intestinales, urgere incipiebant, a tussi æquè ac a difficili respiratione planè liberari videbatur, & quidem ita respirabat, ac si pulmones perfecte restitui essent, & *Opii* usum copiosum cum [illegible] tolerabat, donec ex longo ejus usu dysenteria cum torminibus jam evicta, dyspnœa sensim unà cum tussi æque molesta atque antea, redibat, ac si spasmodica illa vellicatio intestinorum in constrictionem pulmonum & membranarum Thoracicarum illico translata fuisset. In alterna tamen supradictorum symptomatum successione facile erat quotidianam Ægri declinationem, & Phthiseos hujus Chronicæ neglectæ in fatalem accelerationem deprehendere; cujus nullam præter palliativam curationem susceperam.

HISTORIA SECUNDA.

Dominus Pratt, Incola cujusdam plateæ dictæ *Pater noster-Rovv*, macilentus & melancholicus a pueritia, frigidi etiam & sicci temperamenti; & dolori ventriculi spasmodico sæpius obnoxius; post annum unum, vel alterum a contracto Matrimonio, in Phthisin Pulmonarem incidit; lentam tamen, & Chronicam, tussi arida, oppressione & constrictione pulmonum, uti etiam inappetentia stipatam: sine ullo tamen notabili febris gradu, vel pulsus acceleratione (ob naturalem temperamenti frigiditatem. Per annum unum, vel alterum morbi eradicationem neglexit. *Receptis*, nescio quibus, Mulierc ularum ad tussim lenicndam, contentus; donec tandem a totali appetitus eversione, & dyspnœæ, tussis, febris, & colliquationis universalis superinductione, de jam appropinquante morte admonitus, a me nimis serò opem sub ipso initio hyemis petiit. Ob difficilem respirationem, & tussim importunam eum in rusticanum aerem ad usum *Pectoralium*, & *Balsamicorum* medicamentorum dimitto; unde per mensem unum vel alterum quoad appetitum, tussim & respirationem meliùs habere videbatur. Tædio verò ruris affectus, iterum *Londinum* se contulit. A quo tempore omnia in pejus ruebant, super omnia verò tussis, & dispnœa urgebant; adeò ut vigiliis fere continuis premeretur. Tandem improviso, & sine aliqua evidenti causa, horrendis spasmi doloribus, instar Colicæ ventriculi, correptus est, unà cum alvi constrictione, adeò ut singulis fere momentis præ doloris urgentia animam efflaturus videretur. A quo tempore, à tussi difficultate respirandi omnino liberatus est, adeò bene spirans, ac si pulmones nullo modo afficerentur. Ideòque gravi simptomate id requirente, non tantùm *Opiata*, verùm etiam *Cathartica* liberali manu per multos dies exhibui; donec tandem ex usu *Linimentorum*, *Fotuum*, *Enematum*, *Cathartcorum*, & præcipue frequenti *Opiatorum* repetitione, dolorifici isti spasmi (qui sub finem versatiles erant, ab uno latere ad aliud moventes, & a ventriculo ad intestina migrantes, utpote genii vere hypochondriaci, seu spasmodici participes) plane evicti fuissent. Abhinc per aliquas hebdomadas a spasmodica pulmonum constrictione liber remansit, cum aliqua appetitus, atque etiam virium restauratione; adeò ut vel ipse ego præclaram spem de ejus sanitate ocyus recuperanda concipere cœperim, crederemque eum non tam Phthisicum quam Hypochondriacum fuisse; donec tandem inexpectata dyspnœæ, tussis & reliquorum funestorum Phthiseos symptomatum revirescentia [a quibus tandem è vivis sublatus fuit) coactus sum mutare sententiam.

HIS-

HISTORIA TERTIA.

Domina VValKer, Uxor Mercatoris cujusdam *Londinensis*, circa annum ætatis suæ trigesimum, à multis præcedentibus curis animique pathematis Hypochondriaca & hysterica facta, tandem in febrem hecticam una cùm tussi, dyspnœa, dolore laterali, & diarhœa incidit; à quibus in ultimum langaorem & marasmi ferè statum redacta est. Diligenti verò *Opiatorum*, *Julapiorum*, *Hysericorum*, *Corticis Peruviani*, *Medicamentorum Pectoralium*, *Antiscorbuticorum*, & *Chalibeatorum* usu, & repetita venæ-sectione, in statum sanitatis, tempestate etiam hyemali, præter spem Amicorum omnium restituta est. Post duos autem vel tres annos à morte filiæ unicæ, & à pathematis animi inde oriundis recidivationem passa est, à quo, verno scilicet tempore, tempestivo *Aquarum Islingtonienstum* usu, atque aeris rusticani beneficio iterum convaluit. A quo tempore nimium Spiritus Vini, atque aliorum liquorum spirituosorum usum in animi oppressi relevationem sibi indulgebat, à quorum ingurgitatione, sicuti appetitus planè eversus est, ita tandem, post annum scilicet unum, vel alterum, fatalem Phthiseos revirescentiam hyeme ista, unà cum febre hectica flagrante, tussi continua, dyspnœa, diarrhœa, & quidem universali colliquatione, perpessa est. Neque priusquam se vix poterat in lecto suo præ languore convertere, me voluit consulere. Utcunque eam, *Corticis Peruviani*, atque *Opiatorum* usu, à febre, & diarrhœa planè liberavi: Cæteris tamen pulmonaribus symptomatis in dies increscentibus, à Phthisi tertia hac vice redeunti è vivis sublata est.

CAPUT V.

De Phthisi ab Hæmoptoe.

DEcantatum istud Medicorum Adagium, *quod pus sequitur sanguinem*, exinde originem suam traxisse videtur, quod Hæmoptoe celeriùs, & sæpiùs quam ulli alii morbo purulentia pulmonum, seu Phthisis Pulmonaàris, succedere soleat. Quod utrum crisi sanguinis ob nimium ejus dispendium eversa, vel à copioso humorum ex universo corporis habitu, qua datur via, in teneros pulmones affluxu; vel à sanguinis grumosi in ipsis pulmonibus post hæmoptoen relicti putrefactione; vel tandem ab ulcere aliquo erosionem vasorum insequenti accidat parùm scio. Hoc tamen perpetuò ferè observare licet, quoties scilicet hæmoptoe præcedit, phthisin pulmonarem subsequi solere; Ideòque prudentem, & honestum Medicum ad curationem hæmoptoes evocatum decet, non tantùm præsagio de Phthisi subsecutura tempestivè priùs facto, suæ, atque etiam artis Medicæ famæ consulere, verùm etiam, quantum in se est, cautionibus & medicamentis idoneis hunc fatalem hæmoptoes exitum æquè prævenire; ac ipsum præsentem morbum curare, saltem nihil in ejus curatione facere vel tentare, quod Ægrum phthisi magis proclivem reddat.

Atque hic plurimum refert inter hæmoptoe accidentalem, & habitualem distinguere. Accidentalem eam voco, quæ merè ab accidenti aliquo procedit, uti a vociferatione nimia, exercitio, vel vehementi tussi, ab hæmorrhagiæ solitæ suppressione, a lapidibus cretaceis in ipsis pulmonibus generatis, vel ab aciculis, atq;aliis ab extra in eos demissis: Habitualem verò, quæ vitiosa, acri & fermentescente sanguinis diathesi dependet; ita ut penus, & fomes morbi semper intus delitescat. Hæmoptoe ista accidentalis sicuti rariùs post Phlebotomiam, debitum diætæ regimen & Medicamentorum usum curata recrudescit; ità utcunque profusa, & copiosa hæmorrhagia fuerit, rarissimè in phthisin terminari solet, verum Æger per debitum, regimen liberatus paulatim, sicuti post fluxus menstruos immodicos, atque alios ejusmodi, fieri solet, εὔρροος atque εὔκρασις eva-

evadit, ac si nullum ejusmodi fluxum omnino sustinuisset, Hæmoptoe verò habitualis sicuti ab intestino sanguinis fermentescentis motu, & ab aperientis vasis acrimonia dependet; ita etiam febrem unà cum accelerato pulsu, & urina subrubra semper conjunctam habet, & post incerta intervalla identidem solet recurrere Ubi scilicet paroxysmus febrilis incertus, à sanguinis adeò ferociter effervescentis impetù recrudescit, tenera pulmonum vasa cùm motum hunc citatiorem ferre non possint, iterum atque iterum dehiscere solent, unà cum magno purpurei liquoris dispendio, qui ut plurimum fluere non desinit usque dum orgasmus febrilis, & motus sanguinis intestinus inde dependens, vel artis ope, vel sponte sua, saltem à quantitate liquoris imminuta penitus cesset. Et tunc etiam infidæ tantùm induciæ dantur, donec vasa iterum à præternaturali sanguinis motu in paroxysmo subsequenti nimis distendi contingat. Et quidem hæc est fatalis illa hæmoptoe, quæ, ut difficilem curationem admittit, atque Ægro sæpiùs inexpectato supervenit, ita febrem primùm putridam, dein hecticam conjunctam habet, quæ in phthisin fatalem, atque incurabilem sæpissimè terminari solet.

Hujus verò Hæmoptoes *Herculea* Antidotus est *Cortex Peruvianus*: Cujus egregias vires in præsentis febrilis effervescentiæ sanguinis exstinctionem atque in futuræ recidivationis præcautionem semper cum felicissimo successu expertus sum, quotiescunque scilicet eum in hunc usum applicui. Et sicuti præsentem hæmoptoen citò & tutò sistit & futuram etiam prævenit; ita hæmoptoen hoc modo curatam nunquam in phthisin terminari vidi: Flamma enim hoc modo penitus exstincta, & febre jam evicta, sanguis illico in naturalem statum reduci solet, adeò ut ne vel minima suspicio inde subsecuturæ Phthiseos manere possit. Phthisis enim, quæ hæmoptoen sequi solet, originem suam non tam à vasis exilis dehiscentia, quàm à statu sanguinis inordinato, & hectico ducere videtur. Ideòque, utcunque Phthisis hæmoptoe vulgari modo curatæ usitato succedat, frequentius scilicet Phlebotomiis, medicamentis *Emplasticis*, *Opiatis* &c. quæ vi potiùs sanguinis eruptionem supprimunt, quàm internum sanguinis statum alterant; Hinc tamen nemo miretur, si flamma hectica intus manens tandem Ægrum in Phthisin præcipitet: Quoties tamen præsens sanguinis orgasmus post Phlebotomiam repetitam, succorum *Temperantium*, & *Julapiorum*, vel *Electuariorum*, *Stipticorum*, & *Opiatorum*, aliorumque ejusmodi (quæ alibi è capite de Hæmoptoe, petenda sunt) usu ità domatur, ut locus opportunus exhibitioni Corticis detur, ad flammam febrilem penitùs exstinguendam, & ad reservationem obstructionum, quæ aliter novæ effervescentiæ ansam præbere possint perficiendam, non tantum Palliativa in præsens, verùm revera Eradicativa etiam & perfecta curatio sine vel minimo hæmoptoes redituræ, vel Phthiseos subsecuturæ, periculo obtineri solet. Flamma enim hoc modo perfectè exstincta sanguis ad motum, & crisin naturalem reducitur, quo appetitus statim redit, pulmones naturali motu, & temperamento fruuntur, & purpurei penus dispendia sensim reparantur donec Æger tandem, licèt paulatim, priorem robustum, athleticum statum redintegratum, vel forsan meliorem quam antea consequitur, sine vel minimo hectici caloris gradu, vel subsecuturæ Phthiseos metu.

Sin verò vel à Medici incuriâ; vel ab Ægrotantis Idiosyncrasia; vel à quacunque alia causa hæmoptoen à Phthisi pulmonari, excipi contigerit, toti pulmones, vel saltem lobus unus duris glandulis tuberculorum forma hic indè interspersis ubique refertus multùm intumescit. Quæ tubercula citiùs, vel seriùs in apostemata facessere, & ulcerari solent, atque indè hæc Phthisis ortum, atque etiam progressum suum habet. Secundùm horum verò tuberculorum magnitudinem, & numerum, eorumque propensionem in putrefactionem magis,

magis, vel minùs etiam; hæc Phthisis admodùm varia est, nunc tarda, & Chronica; nunc verò velox & acuta; imò etiam peracuta. Uti enim aliquos Phthisicos (qui frequenti hæmoptoe, vel leviſſima de cauſa, obnoxii fuerant) debita cura, & regimine vitam ſuam per plurimos annos protraxiſſe vidi; ſolitis etiam muniis fungentes, licèt valetudinariè ſe haberent, cum tuſſi atque aliquo dyſpnææ gradu, quoties ſcilicèt tubercula pulmonaria contigit eſſe pauca, minuta, & putrefactioni inepta vel quoties hæmoptoe à lapidibus intùs generatis, vel ab externo aliquo accidenti, magis quam à motu efferveſcentis ſanguinis inteſtino hectico ortum ſuum duxit: Ita alios morte præcipiti intra paucarum hebdomadum ſpatium è vivis ſublatos obſervavi; quoties ſcilicèt hæmorrhagiæ graves à ſanguinis ferociter efferveſcentis motu in ægrum frequenter reverterunt; vel tubercula alicújus maligni genii participarunt, atque inde putrefactionem citam ſubierunt.

Qualiſcunque tandem fuerit Phthisis iſta hæmoptoica, ſive Acuta, ſive Chronica, ex communi Medicorum obſervatione in claſſe Phthiſeos, maximè funeſtatum, atque incurabilium ſemper habita eſt. Quò verò acutior, eò ſemper periculoſior eſſe ſolet. Hæmoptoe enim, ſicuti huic Phthiſi primam anſam præbet; ita etiam in morbi progreſſu apta nata eſt, à minimo percepto frigore vel errore in diæta admiſſo, animique pathematis, *&c.* frequenter recurrere. Et quidem omnis hæmoptoe nova phthiſin in funeſtum finem adigit: Adeò ut non rarò obſervarim hujuſmodi Phthiſicos in ipſa hæmoptoe revireſcente etiam purpuream animam in ſanguinis rivulo effudiſſe. Ideòque in hujus Phthiſeos curatione remedia Abſterg. Incident. & Lubrican. vitanda ſunt vel ſaltem caute uſurpanda, uti & *Linimenta* calida, & penetrantia, vel *Emplaſtra* externe pectori ad promovendam expectorationem applicata. Magis verò ſaltem in hujus morbi initio, & poſt recentem hæmoptoen) medicamentis *Alterantibus*, *Incraſſantibus*, *Agglutinantibus*, & *Opiatis* inſiſtendum eſt, uti etiam *Diætæ lacteæ*, *Laudano ſolido*, vel *Syr. de Meconio*, *Portulac.* *Althææ ex hedera terreſtri*, (quem in Phthiſi hæmoptoica præ cæteris omnibus commendatum vellem copioſe uſurpandum) *Bolo Armen.* *Corall.* *Lacrim.* *Sanguin.* *Dracon.* *Lapid.* *Hæmatit.* *Trochiſc.* *Gordon. de carabe*: e quibus *Electuaria* atque aliæ formulæ in uſum fiant. De quibus fuſius Capite de hæmoptoe erit dicendum.

In progreſſu verò morbi, ubi revireſcentis hæmoptoes non ita jam metuenda eſt, affectus indicationibus cauto medicaminum Lubricantium, & Expectorantium uſu tutiùs poſſit ſatisfieri. Medicamenta etiam *Balſamica* hic magni ſunt uſus; uti *Syr.* *Balſamic.* *Balſ.* *Tol.* *capiv.* *peruvian.* *Leucatell.* *Opobalſam.* *Balſam. Sulphuris Terebinthinat.* & *Aniſat. pilul. noſtr.* *Balſamic.* & cæteræ formulæ ex hiſce medicamentis compoſitæ, quarum exhibendi modus ſuperiùs, generalis ſcil. curationis methodo, petendus eſt, Fontanellæ etiam & raſura capitis in hac Phthiſi valde ſunt proficua.

Super omnia verò in Phthiſi hæmoptoica acuta & periculoſa *Corticis Peruviani* uſum, forma Ægrotanti quam gratiſſima, multorum annorum experientia edoctus commendo. A cujus repetitione ſatis frequenti, caloris febrilis temperatio, & inteſtini motus ſanguinis ſuppreſſio, & conſequenter etiam recurſus hæmoptoes & progreſſus Phthiſeos præcautio, magis quam à lactea diæta, lacte aſinino & apparatu Medicaminum pulmonarium, exſpectanda eſt.

In Phthiſi verò Chronica & tarda, ſeu potius in ſtatu Phthiſico (ubi ſcil. æſtus ſanguinis à motu inteſtino non ita vehemens eſſe ſolet.) Aquæ minerales *Chalibeatæ* magni ſunt uſus, modo per longum tempus, parva tamen quantitate, ſingulis diebus hauriantur. Quantitate autem parva, & tarde ſingulis diebus ſumendæ præſcribantur, ne à nimia, vel præpropera tenerorum

pul-

rum pulmonis vaſorum diſtentione, per grandem aquæ una vice ingeſtæ copiam facta, nova hæmoptoe inducantur. Diminuta verò aquæ in unam vicem propinatæ quantitas, temporis in aquarum iſtarum potationem quotannis deſignati longitudine compenſanda eſt. Quo pacto etiam ſanguis magis forſam temperatur & alteratur, quam a magnæ quantitatis ingurgitatione breviori temporis ſpatio peracta.

HISTORIA.

Unus è *Magiſtris Artium in Hoſpitio* dicto *Bridevvel*, qui ſeſe præcedenti anno uno, vel altero, curæ meæ commiſerat; ubi peſte Sporadica bubonibus, & carbunculis ſtipata laboraret, (à quo veneno ſanguis forſan ſatis non adhuc ſeſe depuraſſet] incidit circa annum ætatis ſuæ 35. *annoque Domini*, 1669. in inſignem hæmoptoen, per quam magnum cruoris diſpendium ſuſtinuerat, priuſquàm me advocaret. A venæ-ſectione vero, *Ligaturis*, *Julapiis*, & *Electuariis* adſtringentibus, diæta lactea & regimine univerſali debito, & fluxus omnino ſiſtebatur. Ipſe tamen hecticus adhuc manſit tuſſiendi malo vexatus. Ideoque lacteam diætam continuandam, & doſin *Electuarii Opiati* omni nocte ſumendam præſcripſi. In ſubſequturæ etiam Phthiſeos præcautionem *Fontanellam* in brachio ſecari, *Emplaſtr. Cephalico* capiti raſo imponi, Ægrumque in aerem ruſticanum & apricum deduci juſſi, & ut illic ſuccis temperantibus, *Plantaginis* ſcil. & *Urticæ*, ſaltem bis die, uteretur, unà cum aliis plurimis, quæ nunc diſtinctim recenſere opus non eſt. His verò non obſtantibus calor hecticus unà cum tuſſi continuò urgebat, & in certis periodis, ſaltem bis menſe, ſcil. circa pleniluniun & novilunium, à calore & motu ſanguinis aucto hæmoptoe recrudeſcebat, Ægro continuò a febre urgente magis, magiſque marceſcente, donec tandem in ſtatum colliquativum univerſalem per diarrhœam, ſudores, hydropem, &c. redactus, & ſumma reſpirandi difficultate preſſus vitam ſuam finiret. Eo enim tempore non eram expertus *Corticis Peruviani* efficaciam ad hanc febrem hecticam tollendam, à qua iſta funeſta colliquatio ortum ſuum ducebat: Aperto vero cadavere inveni pulmones mirum in modum tumefactos, & ubique in omnibus locis, tuberculis, aliis crudis aliis ulceratis refertus.

HISTORIA SECUNDA.

Dominus RooKs, in platea vulgo dicta *Cheapſide*, quadragenarius, à curis multis, & compotationibus immodicis, per decem annos continuos, perpetuò hecticus eſſe videbatur, pulmonibus infarctus, tuſſiens, & in Phthiſin diſpoſitus: A notabili verò exercitii, & liquorum ſpirituoſorum exceſſu in inſignem hæmoptoen reſpiratione difficili, & pectoris dolore ſtipatam incidebat: Necnon recidivationem ſingulis, vel alternis diebus, eamque ſatis notabilem, miſer per tres ad minimum ſeptimanas paſſus eſt, idque non obſtante frequenti Phlebotomia, uſu lacteæ diætæ, ſuccorum temperantium, *Electuariorum*, & *Julapiorum Adſtringentium*, & *Opiatorum*, & Aquæ etiam *Stypticæ Regia*. Tandem verò, ubi non tantum ex pulſu celeri, urina rubra; verùm etiam ex ipſa temperie inſignem febrem intervallis incertis ſæpius recurrentem ſemper viam ſputo ſanguinis ſubſecuturo ſternere obſervaſſem, *drachmam*, unam *Corticis Peruviani* in hauſtu convenienti quarta quaque hora propinavi, Cui ſemper plus minus *Laudani* [prout ferre potuit] addi curavi. A cujus uſu febrem protinus exſtinctam, ſine hæmoptoes recurſu, & urinam calorem naturalem recuperare inveni. *Corticis* repititionem iterùm, iterùmque debitis intervallis injunxi, atque eum pro appetitu (qui jam magis quam ante hæmoptoen vigebat] nutriri, utque aeris aprici beneficio frui curavi. Undè [quod dictu mirum eſt] ſine aliquo alio adminiculo habitum magis firmum, & Athleticum conſecutus

secutus est, pulmones magis liberos, respirationem faciliorem, æstum sanguinis minorem, & tussim etiam moderatiorem, a m per sesquiannum, quam per plures annos ante hæmoptoen sensit; Admirantibus amicis, qui omnes eum brevi post hæmoptoe certo certiùs Phthisice interiturum exspectabant. Quod eo magis mirandum, quod regimine sex rerum non naturalium æque negligens sui ipsius permànsit, ac ante hæmoptoen esse solebat. Cujus neglectus pœnas tandem cum vitæ ipsius dispendio luit. Ab erroribus enim maximis nuper admissis in novam Phthisin; eamque satis minacem & funestam incidit, qua tandem è vivis sublatus est. Aperto post mortem thorace, Jecoris parenchyma compactum, & compressum reperimus, ac si igne coctum fuisset; lobos omnes pulmonum colore nigro teterrimè conspurcatos, (quod forsan ab usu continuo fumi *Tabaci* proveniebat,) & tuberculis infinitis ubique refertos, quorum aliqua majora pure, alia substantia mellea repleta erant. Maxima verò pars minorum, quæ racematim & instar acinorum per totum parenchyma dispositа fuere, materiam steatomatosam in sese continebat. Glandulæ prope Trachæam sitę omnes profundè nigricabant, & in sese liquorem nigrum, aut coloris cineritii habebant, qualem Phthisicos Scorbuticos, & Hypochondriacos, præsertim qui multum fumi *Tabaci* haurire solebant, qui in aere carbonum fumo oppleto degebant, è faucibus horis matutinis exscreare usitato observavi.

Formula haustus febrifugi, quem *Domino RooKs* præscripsi, hujusmodi erat.

℞. *Aq. Tormentill. Plantag.* an. ℥i. *Aq. Cinnamom. hord. Syr. Myrtill.* an. ℥. ß. *erat Acet. stillat.* ℥ß *pulver. Patrum* ℥. ß *Misceantur F haustus quarta quaque hora propinandus ad octavam vice. Semel vel bis die haustui addidi Laudan. Lond. gr. j.*

Eodem modo *Dominam Martin'* vetulam ferè septuagenariam; Aurifabrum in vico dicto *Sancti Johannis*, filiam *Domini Bloomer*, atque alios quamplurimos ab hæmoptoe insigni, & (uti videbatur) funesta liberavi. Qui omnes sine sanguinis sputo recurrenti, vel phthisi subsequenti, adhùc sani manent, solitisque muniis fungentes, quorum historia hic singulatim narrare forsan nimis longum esset.

HISTORIA TERTIA.

Dominus Luff., filius *Reverendi Clericis* jam ante memorati, atque incola plateæ dictæ *Milk-street*, postquam matrimonium contraxerat cum virgine Phthisica (quæ etiam) si bene memini (vitam intra annum à matrimonio completo finiit, cum colliquatione universali, & reliquis Phthiseos pulmonaris funestę symptomatis) in Phthisin etiam, ex contagio, uti mihi videbatur, post paucos menses elapsos incidit. Cui fatali morbo hæmoptoe viam sternebat, qua subito, apud *Iscam Dumnoniorum*, tempore etiam hyemali, correptus est, & magnum cruoris dispendium passus est. Quamprimum vero hæmoptoe venæ sectione, diæta lactea, & medicamentis incrassantibus suppressa est, vires etiam quadantenus resarcitæ, intra duarum scil. hebdomadum spatium (multò citiùs quam par fuit) à Provinciali Medico dimissus, *Londinum* equo vectus revertebatur, & me statim advocavit. Sed eheu! quantum mutatus ab illo! Miserum ægrum inveni multum febricitantem & continuò tussientem, à jam incepta colliquatione valde tabidum, pectoris etiam angustia, & doloribus cruciatum. Deprehendi febrem esse mixtam, partim scil. peripneumonicam, à nova aliquorum tuberculorum inflammatione; partim Putridam, à purulentia scil. aliarum glandularum, quę tam citò exulcerari cœpissent. Morbus mihi videbatur esse Phthisis pulmonaris hæmoptoica peracuta, quæ uti per contagium contracta, ita etiam ob malum regimen in itinere, & ob ægri reditum in aerem nostrum carbonum fumo oppletum, magis præceps reddebatur. Urgentia doloris atque febris ita requirente, venam illico pertundi jussi: sanguinem vero, ob præsentem tabem, & colliquationem parca manu extraxi,

Dein *Julapiis Tamperantibus*, & medicamentis *Opiatis Pectoralibus* omnigenis convenientibus *vesicatoriis* & universo debito regimine, nitebar hanc præcipitem ruinam avertere, vel saltem differe. Verùm incassum hæc omnia: Si quidem intra spatium trium, vel quatuor hebdomadum è vivis sublatus est, cum omnibus Phthiseos pulmonaris peracutæ symptomatis.

CAPUT VI.

De Phthisi à calculis in Pulmonibus generatis, atque aliis ab extra in eos demissis, uti etiam à calculo Renùm, & Vesicæ orta.

CRetaceos lapides in pulmonibus concretos sæpius observavi, qui ubi fuerant angulati, & pulmonum agitatione commoti, tenerum eorum parenchyma lacerare solebat; quo tussis vehemens atque arida, doloreque Thoracicus horendus, Pleuritici, vel Peripneumonici æmulus; aliquando etiam hæmoptoe unà cum sanguinis profluvio satis insigni, atque exinde ulcera cum usitatis Phthiseos pulmonaris signis nascebantur. Ideòque ubi isti horrendi dolores, unà cum hæmoptoe circa Phthiseos initium contingunt, ritè suspicari licet Phthisin esse calculosi generis: Licet nihil certi de hac re pronunciari possint, usque dùm calculus unus vel alter per tussim fuerit rejectus. Sæpius enim accidit calculosos istos per pulmones sensim transeuntes tandem in bronchia exitum habere, à quibus per tussim, idque rariùs sine magno sanguinis profluvio, exspuuntur. Verùm si isti lapides fuerint leves, neque qui pulmonum parenchyma vel terere, vel lacerare possint, Ægrotantem tantillum in Phthisin, (saltem acutam] disponunt; neque quidem aliquid incommodi ulteriùs afferunt, præter inanem tussim quadantenus molestam, & aliqualem gravitatem in pectore premen tem, uti in plurimis dudum observavimus, in quorum pulmonibus post mortem lapides istos cretaceos leves frequentes, atque aliquos etiam satis magnos invenimus, absque vel minimo tuberculo, vel ulcere consequenti: ubi vero lapides angulati fuerant & aculeati, pulmonesque terere & lacerare apti nati, dolores, Hæmoptoen, Ulcera, & Phthisin ipsam inducebant, uti jam antè innuimus. Quo in casu sicuti dolor Hæmoptoen, ita Hæmoptoen Ulcera & Phthisin præcedit & comitatur.

Quod de calculis jam diximus, est etiam verum de clavis, aciculis atque aliis per cachinnationem in pulmones demissis. Nisi enim citò per tussim rejiciantur pulmones unà cum dolore lancinante compungunt, unde hæmoptoe, ulcera, & Phthisis nasci solent. De qua notabilem historiam, sub finem huius capitis mox subnectemus.

Ista ulcera, sicuti & Phthisis ab iis orta, (quod etiam ulceribus renum, & vesicæ urinariæ observare licet] sine calculi vel clavi, vel acus rejectione, vel quodcunque aliud ejusmodi id fuerit quod ulcus gignit, curationem admittere non possunt. His verò, quæ perpetuam punctionem in ulcerata parte continuando, eo sanationem ejus impossibilem prius reddebant; rejectis, utcunque cum gravi hæmorrhagia, uti solet, id fiat, ulcus tamen & Phthisis pulmonum exinde nata sæpenumero facilem & perfectam curationem admittunt; quoniam ortum suum, non tam ab habitu corporis prædispositio, quam à merè accidentali partis singularis affectione duxerunt. De quo unam, vel alteram observabilem historiam in fine huius capitis recensebimus.

In hujusmodi ulcerum sanatione maximi sunt usus medicamina, *Opiata* & *Balsamica*, cum *Diæta lactea*; *Opiata*, quæ partium laceratarum, vel stimulatarum sensum obtundant, easque, quantum fieri potest, quietas reddant, dum *Balsamica* vires suas sanativas exserunt. A continuo autem lactis usu sanguinis calor hæcticus in hoc Phthisico statu contractus demulcendus est.

Etiamsi verò calculi isti aculeati neque copioso *Laudani* usu in pulmonum parte ab iis occupata quiete figi,

neque

neque usu medicamentorum Lubricantium educi possint; verum incurabilem Phthisin & Hæmoptoen, eamque incertis intervallis cum dolore lancinante recurrentem efficiunt: Hæc tamen Phthisis sua natura lenta est, & valdè Chronica; uti Phthisis a calculo renum, & vesicæ urinariæ, & generaliter loquendo omnis à mera indispositione, aut ulcere partis singularis dependens, sine habituali sanguinis dispositione, idque vel jure hæreditario, vel à longo abusu sex rerum non naturalium contracta, accidere solet. Quoties autem humorum prædispositorum moles, seu minera ab aliqua ejusmodi fatali causa ansam rapit, Phthisis indè nata non tantùm ab initio lethalis est; verum etiam præceps, & peracuta, adeò ut Ægrum intra perpaucorum mensium [forsan etiam hebdomadam] spatium è vivis tollat. De curationis in hac specie Phthiseos variatione paucula ista subnectemus. Primò, In hujus morbi principio medicamenta Lubricantia copiosè sumenda sunt, imò & Emetica lenia; quo pacto calculi, aliorumve in pulmones demissorum rejectionem tentare licet, priusquam isthic diuturna mora penitus figantur, tonusque pulmonum inde gravius labefactetur. Secundò; Sin verò dolores immensi & spasmodici à pulmonum laceratione hujusmodi aculeatorum motu facta excitetur, hæmoptoe insignis expectanda est; ideoque Lubricantium loco *Laudanum*, idque copiosè, & frequenter exhibendum est, quo lapidis motus in præsens sisti, dolor remitti, & hæmoptoe prepedirl possit. Hoc enim in casu Venæsectio, Fotus, & Linimenta externa nihil levaminis afferre, (quod in Pleuriticis, atque aliis peripneumonicis doloribus facere solent:) atque hoc in quodam *Domino Foster*, atque aliis quamplurimis expertus sum. Verum quidem est, à calculo hoc modo in pulmonibus retento Phthisin lentam & tardam dyspnœa, atque aliis ejusmodi symptomatis stipatam insecuturam esse suspicati licere; (Quod sæpiùs etiam in Praxi mea observavi) Tarda tamen & incerta, Phthisi Acutæ & horrendis doloribus comitatæ, & certæ & subitæ morti proximæ, præferenda est: Si enim hujusmodi Phthisici ita saluti suæ consulant, uti aere aprico rusticano semper fruantur, à frigore capiendo, compotationibus, & exercitiis nimiis caveant, & à quoque alio, quod calculos fixos ad novum motum excitare possit, vitam ad provectam usque senectum, solitis muniis satis benè fungentes, protrahere poterunt.

Tertiò, Sin verò hæmoptoe à pulmonum laceratione insequatur, in tempus permitti debet. Hoc enim profluvio lapides, atque alia in pulmones demissa rejici possunt. Si verò hæmoptoe insignis, & periculosa fuerit, Venæ-sectio celebranda est, imò si opus fuerit, repetenda & medicamenta non tantùm *Opiata*, verùm etiam adstringentia forma *Linctuum*, *Julapiorum*, &c. exhibenda sunt; imò *Lapis hæmatites*, *Aqua styptica Regia*, *Lactea diæta*, atque alia priori capite jam strictim memorata, quæ verò fusiùs tandem in altero libro explicabimus, si qua de hæmoptoe agendi occasio dabitur.

Quartò, Sin verò pulmones à motu calculi, (sive is rejectus fuerit, sive non] vulnerari, & exulcerari contingat, medicamenta *Balsamica* eligenda, & copiosè prescribenda sunt; quorum variæ formulæ in generali curationis methodo excogitandæ.

Quintò, Lactea diæta, non sine urgenti necessitate, in Phthisi à calculis pulmonaribus oriunda imperanda est; quoniam novos hujusmodi cretaceos lapides in pulmonibus apta nata est generare. Quo fit quod unius Phthiseos curatio alterius initium, & fundamentum ponere soleat.

Sexto, *Aquæ* etiam *Minerales Chalybeatæ*, licet in hac Phthisi proficuæ sint, parce tamen in unam vicem propinandæ, ne à nimia scil. vasorum Pneumonicorum distentione calculi motus de novo excitetur. Quo fit quod doloris & Hæmoptoes recursus plerumque inde insequatur.

Septimò, Calculi isti pulmonum ali-

quandò plures sunt; adeò ut uno, vel alterò, vel etiam tertio rejecto, pulmones tamen à reliquis ulcerentur; atque indè Phthisis insequatur. Uti *Domino PlucKnet*, atque aliis accidisse memini.

Non tantùm autem à calculo, atque ulcere pulmonum indè insequente; verùm etiam ab ulceribus, imò & à longa calculosa dispositione renum & vesicæ urinariæ, sæpissimè Phthisis pulmonaris provenire solet; adeò ut vel frequentissimè calculosos vitam Phthisicè finiisse observarim. Hæc vero Phthisis semper est tarda, & Chronica; neque alio modo quam Phthisis communis curanda est; nisi quòd medicamenta dolores calculosos irritantia, uti *pilulæ nostræ Balsamicæ*, &c. vitanda sint. *Aquæ* verò *Chalybeatæ*, quæ dolores istos demulcent, sæpiùs usurpandæ sunt. Calculosi enim videntur mihi tam frequenter in Phthisin labi à longo & crucianti dolore, quam à nimia serosi laticis retentione, & fermenti serum in renibus separantis alteratione indè insequenti. Ideòque in hujusmodi Phthiseos curatione Pulmonarium Medic. jam antè memoratorum usu, non tantùm ad Phthisin habendus est respectus, verùm etiam ad morbum hanc Phthisin causantem, renum scilicet, & vesicæ calculum, medicamentis quæ Urinarias vias lubricando calculum deturbent; vel saltem, quæ dolores mitigent:

HISTORIA PRIMA.

Dominus PlucKnet, quadragesimum ætatis annum jam agens, vel præterpropter, vir robustus, & athleticus; qui verò à multis jam annis in omnibus ferè sex rebus non naturalibus absque debito regimine vixerat; nihil tamen mali indè senserat, præter inanem & siccam tussim, cui jam absq; ulla insigni molestia assueverat; tandem a violenta equitatione, & à frigore gravi pluvia percepto, in horrendos Thoracis Spasmos, dolorum pleuriticorum æmulos incidit; quibus hæmoptoe insignis & longa supervenit: unà cum febre, & tussi perpetuò ferè urgenti: *Linimentis* externis, & Remediis *Expectorantibus* nihil proficere potuimus; donec tandem ad usum *Opiatorum* deventum est. A quibus, licet infidas inducias; nullam tamen perfectam curationem obtinere potuit. Sicuti enim tussis, ita etiam febris Hectica adhuc permanebat, à qua in dies sensim marcescebat idque non obstante usu copiosissimo medicaminum *Balsamicorum & Pectoralium Lactis Asinini*, &c. donec tandem spatio unius anni in statu Phthisico deplorato conspiceretur, unà cum nniversali colliquatione per cutim, alvum, pulmones reddita, &c. Quæ quidem Phthisis propria sua natura lenta & Chronica, adeò velox & præceps ab humorum prædispositione longo sex rerum non naturalium abusu contracta, procul dubio facta est. Neque dies funestus parùm indè acceleratus est; quod ut ut medicamenta admiserit, omnis tamen regiminis durante eorum usu impatiens mansit; Undè in hoc Phthisico statu, novorum lapidum motu in pulmonibus à vehementi equitatione, compotationibus, & frigore sæpius percepto, ter quaterve excitato, spasmorum horrendorum, & hæmoptoes longæ, & profusæ revirescentiam iterùm, atque iterùm in sese expertus est. Quibus perdurantibus, etsi plures angulatos lapides tussi rejecerit, tam grandes tamen virium impensas à dolorificis spasmis, & cruoris etiam ab hæmoptoe sustinebat; uti citissimè, anni scil. unius spatio plus minus, omnia hujus morbi stadia ad fatalem usque diem percurreret, ac si Phthisis planè fuisset genio suo acuta.

HISTORIA SECUNDA.

Dominus Foster, *Pharmacopola Londinensis*, qui præter innanem, & siccam tussim, non verò adeo molestam, optima valetudine per plurimos annos fluebatur, subito correptus est pulmonum spasmis, & diris doloribus indè ortis circa annum scil. ætatis suæ trigesimum uti etiam *Hæmoptoe* à motu lapidum acu-

lea-

leatorum in pulmonum parenchymate facto. In quorum symptomatum relevationem venæ sectionibus, *Linimentis* externis, & Remediis *Pectoralibus* internis, parum profecimus. Adeò ut ex virium & cruoris dispendio, ab Hæmoptoe & doloribus quotidiè ferè revertentibus, item à vigiliis, comitanti febre, pertinaci tussi, &c. nato, intra tres hebdomadas adeò elanguebat, & emarcescebat, ac si statim phthisicè periturus esset. Solo autem longo & copioso *Opii* usu, in aere aprico, in vico vulgò dicto *Highgate*, quo sese sanitatis recuperandæ gratia jam receperat, à sputo sanguinis, & à doloribus, uno eodemque tempore liber evasit, & remansit; vires in dies indè recolligens, à febre & tabe jam magis, magisque liberatus; donec tandem æquè vultu floridus, & carne turgidus videretur, ac ante Hæmoptoen; & jam per annos iv. vel v. præteritos, muniis solitis fungitur, & sese eodem planè modò, quo ante suum morbum in omnibus habet; nisi quod aliquo dyspnœæ gradu, & tussi arida detentus, non tam benè aerem *Londinensem* fumo carbonum oppletum ferat, quam antea solitus est, propter scil. pulmonum infarctionem à calculis inibi fixatis, & à multo usu *Laudani* effectam.

HISTORIA TERTIA.

Idem ferè contigit *Domino Smyth*, Pharmacopolæ, in vico dicto *Aldermanbury*; qui à lapidum motu in parenchymate pulmonum (quorum plures tussiendo rejecerat) in hæmoptoen sæpiùs revertentem incidit, unà cum doloribus spasmodicis; atque indè in phthisin pulmonarem proclivis esse videbatur. A qua tamen post lapidum rejectionem facillimè diætæ lacteæ, *Opiatorum* & medicaminum *Balsamicorum* usu liberatus est; & jam per plures annos optima valetudine usus muniis solitis fungitur.

HISORIA QUARTA.

Quidam Juvenis, habitans juxta Portam dictam *Cripplegate*, robustus, & visceribus prorsùs sanus, dum *Artem* suam *Dealbatoriam* exerceret, qua victum suum satis commodè quærebat, forte fortuna cachinatione intemperanti tres claviculos, quos in usum suum ore servabat, per Trachæam in pulmones admisit. Quo ferocissima tussi & continua titillatione jam correptus in immanem Hæmoptoen incidit. A quibus symptomatis sese, nescio quo pacto, tandem liberavit. Illud verò certissimum est, quod etsi claviculi isti neque sponte sua, neque aliqua arte rejecti fuerint. Juvenis tamen per plurium mensium spatium optimè valebat, *Artem* suam, uti priùs exercens. Neque quicquam in sese (uti mihi narrabat) in pejus mutatum sentiebat, nisi quòd tussi sicca, & aliquali etiam oppressione, neutra vero multùm molesta, ab illo tempore affici soleret. Adeo benè se habebat, ut sese uxori idoneum judicaret, quin & duxerit. Die verò Nuptiali, à liberaliori vini potatione, sive à saltatione nimia (unde claviculi, qui anteà immoti in pulmomum parenchymate tanquam sepulti jecebant, de novo commoti sunt) misellus sponsus sub vesperam horrendis spasmis, & acutissimo pectoris & lateris dolore corripiebatur, unà cum difficili respiratione, & tussi arida, sed valdè importuna, adeò ut vix potuerit in lecto suo decumbere, vel minimum capessere somnum. Quo plurimum febricitari cœpit, licèt extrema præ doloris spasmodici urgentia frigere viderentur. Omnibus mulierc[illegible]arum & Pharmacopœorum *Receptulis* incassùm & sine ullo fructu priùs tentatis, ego tandem circa tertium scimorbi diem importunissimè rogatus accessi. Affectionem morbidam planè Peripneumonicam esse statim deprehendi; ideòque copiosam Venæ-sectionem, *Fotus*, & *Linimenta* externè, *Linctus* etiam & *Apozemata Pectoralia*, & *Julapia* Temperata ex *Aquis Antispasmodicis* internè, præscripsi. His verò nequicquam proficientibus, sanguinem iterùm atque iterùm extrahi jussi. Et quidem per multos dies in usu variorum internorum,

& externorum Remediorum pertinaciter hærere coactus sum, priusquàm misellus Æger vel minimum doloris levamen sensisset: Dolore verò tandem aliquantulùm mitigato, haud ullam tamen Phlegmatis expectorationem arte mea promovere potui, neque febrem penitùs tollere, etsi de natura Acutæ & Peripneumonicæ in lentam, & hecticam migrare videretur. Adeò ut Æger à Symptomatum urgentia jam liberatus, etsi perpetuò febricitans, meliùs tamen quàm antehac dormire, & cibum sumere potuerit: vires tamen quotidiè elanguebant, & tandem ab universali scil. colliquatione, intra unius mensis, vel quinque hebdomadum spatium, vitam suam planè Phthisicè finivit.

Doloris equidem pertinaciam, & expectorationis difficultatem valde miratus sum, atque ideò *Hippocratis* sententiam secutus Phthisin Empyricam subsecuturam præsagiebam. De primaria verò causa; claviculis scil. delapsis, nihil ne per somnum quidem deprehendi: antequàm de Ægri vita jam planè conclamatum esset. Alias liberaliorem usum *Laudani* ab initio, & forsan etiam cum meliori successu concessuruseram.

Cadavere post mortem aperto, invenimus illos fatales claviculos, simul in eodem lecto puris, quasi sepultos, paulò infra Bronchiorum divaricationem; tonumque pulmonum à sensim perrepente eos pure universaliter labefactorum: Atque ipsam membranam pulmones externè investientem à puris acrimonia corrosam; undè facta est perpetua Phlegmatis purulenti depluitio, seu destillatio, in cavitatem Thoracis, è qua si benè memini) sex ad minimum *Pintas* purulenti hujus liquoris hausi. Quo viso, doloris pertinaciam, & expectorationis difficultatem, quæ Peripneumoniam istam comitabantur, ampliùs mirari desinebam: neque videbatur mirum Peripneumoniam hoc modo affectam in fatalem & tam acutam phthisin terminari.

CAP. VII.

De Phthisi à Lue Venerea orta.

VErum est, omnem Luem Veneream, modo sit Chronica, Gonorrhœa virulenta, seu ulceribus amplis & frequentibus comitata, aptam esse natam Aegrotantem in statum tabidum paulatim reducere continua scil. succi nutritii subtractione à corporis habitu, de qua specie tabis jam suprà, in primo scil. libro tractavimus.

Æquè etiam verum est, & in Praxi non rarò observandum venit, verè Pulmonarem Phthisin à mera sanguinis & humorum alteratione, Lue Venerea facta, originem suam ducere.

Neque quidem mirum est, cum tota humorum massa tam evidenter ab hujus morbi fermento alteretur, & in statum colliquativum reducatur,) quod à Tumoribus malignis, Gonorrhœis, & Ulceribus hunc morbum usitato comitantibus apparet satis] si etiam hujusmodi tumores, atque Ulcera Venerea aliquandò in spongioso & molli pulmonum parenchymate accidant; undè Phthisin verè pulmonarem insequi necesse est. Ego equidem potiùs mirari soleo Luem Veneram, saltem chronicam, seu malè curatam, unquam sine pulmonum ulcere, & phthisi indè nata reperiri. Verùm ut rem ipsam loquar, rarissimè, si unquam, phthisin Phlmonarem Veneream observavi, preterquam ubi pulmones jam priùs obstructi, & in phthisin dispositi fuerant; vel saltem ubi malum regimen, & medicamenta mali moris ab Empiricis fuerant exhibita; & frigora sæpiùs in cursu sudatorio, vel salivatorio, percepta cum ipsa Lue conspirarunt. Hæc phthisis (modo satis tempestivè, & debito more tractetur) æquè facilem curatione atque alia admittit. Semper enim (quantum ego observavi) est genii Asthmatici, Phlegmate viscoso, & dyspnœa magis, quàm urgenti tussi stipari solita: ideòque Chronica & ad suam [illegible] sensim, & gradatim ascendens; unde fit, quòd ali-

quos

quos hujusmodi Ægros in statu forsan valetudinario, Phthisico per plures annos vixisse observarim. Quod forsan partium à continuo usu *Decocti sarsæ* atque aliorum ejusmodi evenire possit; à quibus maligna humoris venenositas, licet radicitus non evellatur, quadentenus obtunditur. Nullus enim dubito, quin genius peculiaris Luis adeo venenosus sit, ut nisi humoris malignitatem usu *Calomelan. Decoct. Lignorum*; aliorumque medicaminum arte, vel natura paratorum, prius obtundi contigisset, omnis Phthisis venerea propria sua natura esset acuta.

Ad curationem hujus Phthiseos perficiendam, omnia mere *Thoracica*, & *Pulmonaria* medicamenta sine admixtione *Antivenereorum* nequicquam valere frequenti experientia fretus assero. Ideoque nihil melius excogitari possit, quam Ulcerum Pulmonarium sanationem, & Crasis sanguinis à fermento Venereo eversæ restitutionem *Mercuriali* aliqua salivatione tentare, priusquam vires à longa morbi protractione jam fractæ fuerint, quo tam perpetuæ, & profusæ evacuationi ferendæ inpares fiant.

Sin verò vires, præ extenuato scil. corporis habitu, huic curàtioni methodo sufficere non videantur, tota reliqua spes in usu Lacteæ diætæ Restaurativæ; & deinde in usu *Decocti sarsæ* pertinaci, & *Pilularum nostrarum Balsamicarum* ponenda est, exhibita etiam debitis intervallis, prouti vires id ferunt, moderata dosi *Calomelan Catharticis* admixta. Cujusmodi curationis egregium exemplum non pigebit hic proferre.

HISTORIA.

Puella quædam, circa annum ætatis suæ duodecimum, cujusdam Saltatricis Artis Magistri, lascivi & nequam, & Venerea etiam Lue infecti illecebris inducta est; ut concubitum cum illo admitteret: quo, veneno etiam Venereo per contagium adeo imbuta fuerat, ut non obstantibus una, vel altera salivatione ab Empiricis, instituta, atque aliis curationis methodis quatuor annorum spatio tentatis, post vulvæ erosionem, atque alia Luis Venereæ stigmata adhuc manentia, in Phthisin pulmonarem incideret, una cum febre hæctica, totius corporis emaciacione, perpetua tussi, & anhelitu admodum gravi, præ viscositate scil. Bronchia infercientis Phlegmatis. Ego à *Domino Simons* Chirurgo *Londinensi* experto; & satis noto advocatus præscripsi unam dosin *Calomelan. cum Diagryd.* semel in hebdomada repetendam; & tres *Pilularum nostrarum balsamicar.* ter die, diebus à purgatione liberis, exhibendas, & *Decoctum* sequens in potum ordinarium. Quorum usu, verno tempore, per spatium sex vel octo hebdomadum continuato, perfectè & sine ulla recidivatione à Phthisi æquæ ac reliquiis Luis liberata est.

℞. Sars. Opt. ℥vi. Rad. Chin. ℥ii. Lign. Sarssafr. Santal. Rubr. Ras. C. C. Eboris. an. ℥ß. *Passular. Major. excacinatar. ℥ii. Jujub. Sebesten.* an. ℥iß. *Glycyrrh. Ras.* ℥ß. *post debitam infusionem coque in Aq. Font.* ℔xii. *ad vi. sub finem decoctionis addendo Tussilagin. Capill. Vener. Pulmonar. maculos Sanicul. Alchymill. Flor. Bellid. major.* an. M. ii. *tum demùm colæ atque adde Syrupi Balsamic.* ℥iii. *Ms. F. Apozema.*

CAPUT VIII.

De Phthisi à suppressione Gonorrhœæ virulentæ, fluxus ulcerum veterum, præcipuæ verò fistulosorum in anu, atque ulcerum scrophulosorum, fontanellarum, & fluoris Albi ortâ.

HUjusmodi etiam Pethises non rarò in Praxi mea observavi. Quæ non fiunt (uti vulgo creditur) translatione materiæ purulentæ in pulmones (quod mihi impossibile videtur;) verùm totius massæ sanguineæ inquinatione à violenta detentione excrementi continuò per hæc ulcera excerni soliti. Undè fit quod sanguinis hoc modo contaminatus extraneum & excrementitium fermentum in molli pulmonum parenchymate inter-

circulandum deponere satagat; atque indè novi tumores statim in iis oriuntur, qui pro materiæ genio sæpius in citam putrefactionem dispositi sunt. Atque hinc illa Phthisis Pulmonaris, de qua hoc Capite ex professo tractamus, ut ut aliquando sit mediæ naturæ, utplurimum tamen acuta est, imò non raro, secundum genium, atque indolem ulceris Pulmonaris eam efficientis, peracuta, ferè semper etiam incurabilis, & lethalis; utpote ab inexhausta minera materiæ in habitu corporis latitantis dependens.

In hujusmodi Phthiseos curatione præter generalem methodum jam ante descriptam paucula hæc speciatim observanda subnectemus.

Primò; Priora jam consueta ulcera, quantum possibile, est, revocanda sunt; quo humor à pulmonibus divertatur, & per solitas & minus periculosas portas evacuetur, ut ut videatur molestum.

Secundò; Sin verò hoc obtineri non possit, [quod quidem raro fit] defectum hunc frequentes *Fontanellæ*, imò & *Vesicatoria*, præcipuè verò juxta locum hujus humoris secretioni à natura primario dicatum, applicata supplere debent, quo oppressæ naturæ compensatio fiat, & speciatim materiæ à pulmonibus derivatio.

Tertiò; in primo hujus Phthiseos insultum, à quo scil. tempore glandulæ pulmonum tumescere incipiunt (quod à tussi, dyspnœa, & calore febrili conjectandum est) venæ-sectio celebrari, imò si opus fuerit, etiam repeti debet. Quo pacto sanguinis stagnatio à primo materiæ in pulmonem appulsu, atque adeò partis tumefactio præpediatur, vel saltem minoretur.

Quartò; Inter medicamenta Pulmonaria magis generalia jam ante descripta, usum *Lacteæ diætæ*, *Lactis Asinini*, *Aquarum Mineralium Calybeatarum* [modo satis tempestivè propinentur] *Decoct. Sarsap. Pulmonaris* in potum ordinarium, *Gummatum*, *Balsam.* & *Milleped.* præsertim verò *Pilulæ nostr. Balsam.* commendatum vellem.

Quintò; Semper verò Pulmonaribus medicamentis addenda sunt etiam illa, quæ genium peculiarem Ulceris, seu morbi primarii respiciunt.

HISTORIA.

Dominus Simons, celeberimus Chirurgus jam ante memoratus, per spatium xx. annorum (uti ipse mihi referebat) Fistulam habuit in anu perpetuo lacrymantem; quam quidem de industria, loco *Fontanellæ* servabat, dum aliorum plurimas radicitus evelleret, quoniam illi neque valdè molesta, neque omninò periculosa videbatur. Forte fortuna verò consueto hoc ulcere sponte sua tandem exarescente, circiter annum ætatis suæ sexagesimum, illico oppressione pectoris, & tussi arida atque importuna affici cœpit. Quæ symptomata per plurimos menses neglexit, donec ab evidenti marcore, æque ac à febre hectica; frequenti etiam inappetentia, nausea, languore, atque aliis Phthiseos Pulmonaris præsentis & confirmatæ signis, à stupido hoc neglectu excitatus, nimis serò à me opem petiit, cum jam per aliquot septimanas, idque etiam tempore hyberno, Colliquatione per alvum & sudores egregia facta à febre putrida intermittente superinducta, miser & in lecto languens detineretur. Ex usu *Corticis Peruviani* febrem saltem alleviare: *Adstringentibus*, & *Opiatis* Diarrhœam minuere: *Decocto Albo*, *Sarsap. Pulmonari*, & *Aqua Calcis*, cum omnigenis aliis *Thoracicis*, & *Specificis* medicamentis forma *Linctuum Electuariorum*, &c. exhibitis causam ipsam Phthiseos subtrahere conabar, uti etiam lactea diæta: (in quantum diarrhœa permittebat] & Lacte Asinino fervorem sanguinis, & spirituum temperare; & *Julapiis Perlatis*, *Jusculis* consummatis, & *Gelatinis* spiritus reficere, & recreare. Sed omnia in cassum: Eximius hic vir à febre hac colliquante in statum Marasmi redactus, spatio duorum, vel trium mensium fato suo cedebat.

CA-

CAPUT XI.

De Phthisi à Chlorosi, & Suppressione Menstruarum Purgationum orta.

ISTA est usitatissima muliebrium Phthiseon origo; quin & rarissimè fœminam inveni, Menstruarum Purgationum capacem, sive Virginem, sive Nuptam, sive etiam viduam, quæ unquam in Phthisin inciderit, absque harum Purgationum obstructione, vel initio, vel saltem progessu morbi superinducta.

Verum quidem est in progressu Phthiseos, obstructionem istam ab emaciato & depauperato sanguinis statu oriri posse, ob defectum scil. novi succi nutritii: (Quamobrem effectus magis quam causa hujus morbi censeri debet,) Non rarò tamen ansam phthisi præbere solet; idque non tantùm in Virginibus, & Viduis; verum etiam in ipsis Nuptis. Siquidem ab animi pathematis, percepto frigore, vel cacochymis alimentis facta harum purgationum obstructione, massa sanguinis ab excrementis excerni solitis, jam verò in ea detentis, inquinari & cachectica reddi apta nata est; à qua humorum mole in sanguine jam congesta, pulmones inferciri solent; atque inde tussis, dyspnœa, atque alia phthisi familiaria symptomata oriri: à quibus longo tempore neglectis, Phthisis peculiaris genii, puncturis sc. atque horrendis lateralibus doloribus stipata, non rarò suboritur.

In principio hujus morbi Venæ-sectio & moderata Purgatio *Tinctura Sacra*, atque aliis hujusmodi facta; & Medicatorum *Chalibeatorum* usus, præsertim verò *Electuarii nostri Chalibeati*, *Cap. de Chlorosi* alias memorandi, &c. ad ciendos menses, & ad statum sanguinis cacochymicum corrigendum: Sin verò ob tempestivi horum usus neglectum, Aegra jam in tabidum statum redacta fuerit; non solum frustra hæc omnia tentantur, (quoniam scil. in hoc sanguinis depauperato statu Purgationes istæ non sunt ampliùs exspectandæ,) verum etiam cum insigni Aegrotantis damno exhibentur. In cassum enim phlebotomiam mineræ sanguinis minutio tentatur; quin etiam ex usu *Chalibeatorum* magis exagitatur atque incalescit. In hoc igitur casu releganda est Aegra ad Generalem phthiseos pulmonaris Methodum jam antè descriptam, & dolores Laterales Linimentis & Fotibus calidis alias memoratis relevandi. Phthisi verò jam evicta, & corpore in statum εὐσαρκίαν redacto, uterina vasa sanguine & succo nutritio repleta sponte sua, in tenui & rusticano aere, reserari solent. Defectui autem Naturæ (siquidem ea in hoc instaurato statu adhuc deficiat) artis ope succurrendum est: Obstructione enim adhùc durante, Aegra iterùm cachectica confestim fiet, quo phthiseos revirescentia ritè expectari possit. In hoc igitur casu detineatur Aegra in aere tenui, mœstitiam & curas animis prorsus excutiat exercitiis, & debitis frictionibus utatur uti etiam medicamentis *Amaris*, *Antiscorbuticis*, & *Chalybeatis*; præsertim verò *Aquis mineralibus Vitriolicis*, modo tempestas anni id ferat. Hæc phthisis, utpote à Cachexia procedens, ut plurimum est Chronica, & non statim Lethalis: Sin verò principio non curetur, difficilem admodùm curationem si ullam, admittit; & quidem hunc fatalem exitum Chlorosis Virginum diu neglecta sæpissimè sortitur; siquidem phthiseos, & Chloroseos symptomata adeo sunt congenera, ut illius huic accessio rarissimè à vulgo percipiatur, donec ad ultimum & funestum stadium jam ferè pervenerit, atque hinc est quòd ego semper Tussim Chronicam Chlorosim comitantem suspicari soleo.

HISTORIA.

Domina Anderton, ancilla *Dominæ Davison*, adolescentula elegans & formosa, circa decimum septimum ætatis suæ annum, à suppressione mensium diù neglecta, in Chlorosim incidit, unà cum usitatis simptomatis, vultu scil. pallido, Cephalalgia, anhelanti spiratione, languore,

las-

lassitudine, febri lenta, &c. Tandem verò cùm ab œdematoso statu tabidum, & à pulmonum infarctione in importunam, licet aridam, tussim jam transiisset puella, mihi præbuit occasionem suspicandi Phthisin verè pulmonarem è chlorosi pullulasse.

Atque in hac sententia multum firmatus sum, horrendis illi lateris sinistri spasmis, quibus per plures dies, ultimum doloris gradum misera continuò ferè torquebatur, quos non tàm venæsectione quam *Fotu*, & *linimentis* externis, & interno usu *laudani* sublevare potui. Cujusmodi dolorificos laterales spasmos ferè semper Phthiseos pulmonaris comites, vel saltem prodromos fuisse notavi; quoties scil. morbum hunc à Chlorosi, vel à mœsto & cogitabundo animo ortum suum traxisse contigit. Diù ante primum spasmorum insultum ferè exanguis, & ad Marasmi penè gradum tanquam emaciata, hectica febre vexata, continuò etiam languens, & appetitu privata, lecto affixa mansit: Ideòque licèt spasmorum extremitas eo tempore indicabat, extenuatus tamen habitus & exanguis: uti etiam languor virium, & pulsus debilitas, venæ sectionem prohibebant. Utcunque parca manu iterùm atque iterùm sanguinem detraximus, & deinde diligenti Remediorum Thoracicorum, Antispasmodicis admixtorum usu, præcipuè verò repetitis dosibus *laudani Antihystericis* adjecti, & applicatione externa *liniment.* & *Fotuum Anodynorum*, hisce dolorificis spasmis evictis, ad Phthiseos pulmonaris curationem, generali diætæ Methodo, & medicaminum etiam jam ante descriptorum, me totum accinxi cum fœlici successu, & non sine magno adstantium applausu.

Curatio verò omnis completa & finita est restitutione Purgationum menstruarum, ex longo u u medicaminum *Chalybeatorum*, forma *Electuarii*, *Pilularum*, *Vini*, *Syrupi*, &c. quæ *Pulmonaribus* semper immisceri jussi. Postquàm enim jam à Phthisico statu liberari cœperat, habitusque corporis instaurari, & vasa sanguine euchymo impleri; facile erat illa iis ipsis medicamentis reserare, quæ incassùm, imò etiam cum Ægri damno in statu Phthisico, & emaciato tentari solent: Atque adeò hac corona toti operi jam imposita sine ulla in Phthisin recidivatione, εὔβρωσ, & εὔσαρκος per annos xv. vel eo ampliùs, in hunc usque diem manet Ægra nostra Virgo, Nupta & Vidua sanitate perfecto penè gradu perpetuò fere utens.

CAP. X.

De Phthisi à Peripneumonia, & Pleuritide orta.

AB his etiam morbis frequentissime oriri solere Phthisin omnibus vel mediocriter in Medicina versatis satis notum est. Atque hoc quidem aliquandò accidit ob inscitiam, vel incuriam Medici; aliquandò etiam à contumacia & peculiari morbi originalis genio, vel à prævia Ægrotantis in Phthisin dispositione: Non raro etiam ipse æger, imo & adstantes Amici incusandi sunt qui justis Medici monitis non parentes in necessariis, licet repetendis, venæ sectionibus celebrandis, tempestiva & copiosa medicaminum *Expectorantium* exhibitione, & deglutitione, atque aliis debiti regiminis partibus, insecuturæ Phthisi ansam præbere solent. Phthisis enim Peripneumoniam & Pleuritidem sequitur, ob sequentes scilicèt rationes.

1. Ubi sanguis in colliquãte statu ab hisce morbis derelinquitur; quod etiam duplici de causa evenire solet. *Primùm* scil. cùm jure hæreditario, vel longo sex rerum non naturalium abusu, Æger habitualiter in Phthisin prædispositus fuerit; quo in casu sanguis, & pulmones semel inflammati, & calefacti, ægerrime reducuntur ad temperiem; Peripneumonia enim & pleuritide jam evictis, putridus sanguinis calor in hecticum, seu habitualem degenerat; adeo ut in posterum Chyllus neque perfecte aduniri, neque sanguineæ massæ amicè consociari queat. Atque ab hoc colliquativo sanguinis statu phthisis Pulmonaris non potest non nasci;

sci ; *Secundò* ; Et forsan hoc frequentius accidit ab Ægrotantis contumacia, & amicorum atque adstantium metu ; forsan etiam ab inscita, vel saltem incuria Medici, ubi scil. tempestiva, & copiosa venæ sectio non tantum ad relevationem doloris necessaria, verum etiam à gradu, exigentia febris, & ab inflammatoria sanguinis dispositione vehementer postulata prorsus omittitur. Hoc enim in casu, post debitam concoctionem, & materiæ in pulmonibus collectæ expectorationem, restat adhuc calor hecticus in habitu Aegrum in subitam Phthisim disponens.

2. Ubi materia in pulmonibus congesta vel non omnino, vel non satis copiosè, vel saltem non satis tempestivè concoquitur & expectoratur. Quæ quidem res à variis causis provenire solet; Nempe primum; Ubi partes pulmonum inflammatæ sunt aereæ glandulæ, & proinde materia iis impacta, licet debito modo concoquatur, cystidibus tamen propriis contenta exitum non invenit; non obstante vel diligentissimo medicaminum expectorantium usu. Utcunque enim ex horum usu major purulentæ materiæ copia concoquatur, & congeratur in glandulis atque indè immensæ molis apostema insequatur, materia tamen præsentem exitum non obtinente, nulla succedit expectoratio, atq; adeo neq; pulmones sese possunt omnino purgare ; quo fit ut secundum Apostematis magnitudinem, sordidum ulcus in pulmonibus post ejus rupturam relinquatur. Ab hac etiam apostematis diruptione, contenta materia sese vel extrorsum, vel introrsum evacuare solet, secundum maturatæ partis situm : Si enim affectæ glandulæ fuerint juxta Bronchia positæ, rupta cystide, materia facilem exitum in Trachæam reperit. Et quidem non raro ex impetu materiæ hac viam confertim effluentis Aeger subito strangulatus, vel aptus natus est strangulari: quod in filio *Domini VVhite*, dudum expertus sum, cujus historiam in fine hujus Capitis narraturus sum, si verò istæ glandulæ adeo longinquè fuerint positæ, uti in Bronchia, & Thahcæam materiam exitum non possit reperire ; partes istæ, progressu temporis, in immensam molem intumescunt, quo tandem dirupta cystide, materia passim per totum pulmonum parenchyma transfusa, eorum tonum planè corrumpit. Imo aliquando pulmones etiam in tantum indè distentos observavimus, uti partim præ eorum distentione, partim etiam præ acrimonia transfusæ materiæ, [membrana pulmones externè investiente jam diruptа, vel erosa,] materia è pulmonibus in cavitatem Thoracis continuò & copiosè deplueret : Atque inde in aperto cadavere, licet ulcus in superiori tantum pulmonum parte invenerimus, tonumque pulmonum materiæ transitu ubique corruptum; liquoris tamen purulenti, Empyricorum ritu, plurimas libras per diruptam membranam in cavitatem Thoracis derivata conspeximus: atque hinc factum est, quod post summam tam Medici in præscribendo, quam Aegri in deglutiendo expectorantia medicamenta diligentiam, nihil tamen profecerimus.

2. Ubi intempestivis, atque admodum profusis Venæsectionibus adeo frigescit sanguis, uti vel prepediatur, vel saltem serò fiat partis inflammatę maturatio. Notum enim est omnibus in Chirurgia & Medicina mediocriter versatis, venę sectionem maturationem tardiorem reddere. Nec minus verum est celebre illud *Hippocratis* dictum ; *Quod nisi Pleuriti spatio quatuordecim dierum purgentur per expectorationem, modo superstites fuerint, Empyrici fient, die quadrageſimo*; tanta scilicet veri puris mole eo temporis spatio in pulmonibus collecta, uti præ nimia copia ejus, atque acrimonia, per diruptam & exesam membranam in ipsius Thoracis cavitatem exitum facere aptum sit natum. *Tertiò*; Hoc etiam aliquando evenit per Medici incuriam, vel etiam Aegroti contumaciam, à medicaminum scil. expectorantium in principio Pleuritidis, & Peripneumonię neglectu. *Quartò* ; denique Infantibus hoc sępius accidit, ob prudentię defectum quoniam purulentum Phlegma pulmonibus impactum expectorare & exspuere nesciunt.

Phthi-

Phthisis ista semper est admodum acuta, utpote à morbo acuto præcedentis orta, à quo non tantum vires insigniter prosterni, verum etiam ipsam sanguinis massam in colliquativo statu relictam, imo & sæpissime etiam collectionem puris satis insignem in pulmonibus fieri contigit. Adeo ut hęc Tabes vix nomen phthiseos in audiverit, antequam ad Marasmi planè statum Æger jam pervenerit. Si phthisis ista, colliquante & nimis calido sanguinis statu, per precedentes morbos effecto, ortum suum duxerit; non tantum continuandus est usus *Expectorantium* atq; aliorum Medicaminum *Antiphthysicorum* (quę tamen è mitioribus & minus calidis detumenda sunt,) verum etiam *Julapia Temperata Perlata* præscribi debent, copiosè sumenda ad fervorem sanguinis temperandum uti etiam *Aqu. Lactis*, *Limacum*, imo & ipsę *Aq. Minerales Chalybeatæ*, modo anni tempestas, id ferat, verum super omnia venæ-sectio (ut ut vires à priori morbo debilitentur, & corpus in tabidum statum reducantur) non tantum celebranda est verum etiam frequenter, quin & manu non nimis parca [si opus fuerit] repetenda est.

Sin verò hæc Phthisis à diruptione Apostematis glanduloši, sese per Trachęam exonerantis proveniat, purgatio pulmonum per hanc Regiam viam copioso usu medicaminum expectorantium promovenda est. Et si metus fuerit strangulationis post primam Apostematis diruptionem, à materia scil. nimis confertim in Bronchia irruente (quod filio *Domini VVhite* atque aliis contigisse memini) expectoratio acceleranda est exhibitione *Oximel. Scillit.* vel aliorum leniorum *Vomitoriorum*, & deinde vomitum provocando per titilationem Tonsillarum atque Uvulæ, pluma oleo illita factam. Quod fit ut motu ventriculi violento in vomitione excitato. Pulmones etiam eo agitati à materia glutinosa Bronchiis impacta facilius sese liberare possint. Majori parte collectæ materiæ hoc modo evacuata, reliqua etiam pars quotidie educenda est assiduo medicaminum *Expectorantium* usu. Quo facto, per *Lacteam*, scil. *Diætam Temperata Iulapia*, *Medicamenta Balsamica* jam ante descripta, atque per *Aquas minerales Chalybeatas* in aere rusticano & salutifero sumptas, Curatio paulatim, decursu temporis, potest perfici. Sin vero per hectici caloris continuationem, genarum ruborem quotidiè revertentem, difficilem respirationem, absque vel ulla insigni comitante tussi; præcipue vero per tensionem, & pondus in uno vel utroque Hypochondrio & per fluctuationem materiæ in Thorace, migratione scil. ab uno latere in alterum sentitam, materia in apostematis glandulosis pulmonum collecta per membranam eos externè investientem, erosam, vel diruptam, in cavitatem Thoracis, Empyematis ritu, transfusa huic Phthisi ansam præbuisse videatur; quam primum per Paracentesim convenienti loco celebratam, juxta maxime gravatum Hypochondrium, materia in Thorace fluctuans, atque è pulmonibus continuo depluens convenienter, debitis intervallis, pro Aegri viribus, educenda est. Quod verò curationis adhuc restat, copioso *Millepedarum*, *Medicaminum Balsamicorum & Julap. Temperat.* usu. *Diæta* etiam *Lactea*, *Decoctis Sarsæ*, *Remediis Chalibeatis*, præcipuè verò *Aquis Mineralibus Vitriolicis*, perficiendum est.

Sin verò præ Aegri debilitate, vel adstantium metu, Paracentesis non admittatur, cum eventu aliquando prospero, licet magis dubio (quod expertus sum in filio *Domini VVhite*, cujus historiam non pigebit statim subnectere. Evacuatio materiæ per longum, & copiosum & medicaminum *Diureticorum* usum, uti *Millepedarum*, *Salis Succini*, *Apozematis nostri Diuretici* & *Lubricantis* in historia sequenti statim memorandi, &c. tentanda est. Deinde curationis completio committi debet *Lacteæ Diætæ* & usui *Remediorum Balsam. & Chalibeatorum*, & *Decoctis* etiam *Sarsæ*, *Thoracis*, & *Vulneribus* herbis maxime Temperatis imprægnatis.

Sin vero ista Phthisis à tarditate Expectorationis per frigefactionem sanguinis

guinis ex intempestiva, & nimia venæ sectione, vel per neglectum *medicam. Expectorantium*, oriatur, copiosus & frequens usus medicaminum *Lubricantium*, & *Balsamicorum*; præcipuè verò calidiorum, particulis penetrantibus præditorum, imperandus est, veluti *Opobalsam. Balsam. Sulphur. Terebinth. Anisat. Ol. Lin. recenter sine igne Extract. Hydromel Antiphthysic. alibi descript.* atque aliorum hujusmodi.

HISTORIA.

Samuel, filius natu minor *Domini VVhite*, habitantis in *Burgo* dicto *SouthvvarK*, circa annum ætatis suæ septimum, & Domini nostri 1670. in legitimam Pleuritidem incidit, unà cum inflammatoria febre, tussi perpetua, verum arida, & dolore laterali horrendo. Post varia incassum priùs per 3. dies tentata, ego tandem advocatus sanguinis ℥vi. plus minus illico extrahi jussi è brachio sinistro, quoniam scil. dolor in eo latere præcipuè urgebat; partes etiam externe illini *Linimento Anodyno*; Interne *Expectorantia* Linctus & Apozematis forma copiosè exhiberi. Difficulter admodum puer medicamina interna admittebat. Dolore vero, & febre id suadentibus, Phlebotomiam semel in die per 5. successivos dies instituì, ex consilio, & cum consensu Collegæ mei eximii, *Doctoris MicKlethvvait*. In doloris etiam ulteriorem mitigationem *Fotum Anodynum* in vesica bubula alternatim applicari jussi unà cum *Linimento*, & *Vesicatoria* admota Nuchæ, & Brachiis internis, Utcunque vero neque dolor, neque febris cedere videbatur, donec tandem circa nonum scil. morbi diem natura sua sponte, per hæmorrhagiam narium, sese exonerare setagerat: atque hoc pacto, eadem diei hora, per tres successivos dies critice natura, ac si benignitate quadam ducta, officio Chirurgi perpetuo fungebatur idq; cum optimo successu; sicuti enim dolor, ita etiam febris fere evanuit. Nulla vero arte expectoratio per totum morbi decursu promoveri potuit.

Quare *Hippocratis* auctoritate motus sententiam meam palam in amicorum præsentia protuli, de Empyemate scilmox intra quadraginta dies insecuturo. Neque quidem me fefellit eventus: Jacebat enim misellus & emaciatus puer cum rubore genarum quotidie revertente, febre hectica mitì, tussi arida perpetua, & anhelosa respiratione, sensim in dies macescens, usq; ad quadragesimum morbi die majore parte temporis etiam in latere sinistro contractus multum de gravante in eodem hypochondrio dolore conquerebatur:

Die quadragesimo eum mane invisi, atque uno vel altero pisciculo vescentem, magisque solito hilarem inveni. Non obstante tamen isto, memor illius *Hippocratis* de die quadragesimo præsagii, jussi *Mixturam Emeticam* è *Sale Vitrioli & Oximel. Scillitico* in promptu esse, quod cochleatim ingereretur ad vomitum ciendum, modò a subita Apostematis ruptura subsequens strangulatio per præproperum materiæ in Bronchia transitum timeretur. Vix per unam horam discessum erat, quin è somno excitaretur Æger, propemodum strangulatus; atque eo modo per quatuor horarum spatium perdurabat, priusquam me invenire potuerant, sine vel ullæ sensibili respiratione; vel pulsu, fixis etiam oculis, dentibusque & manibus spasmodice constrictis & frigidis, tantum, non mortuus. Tandem ego accessi, & *mixturam* quam dudum in promptu esse curaveram, licet præadstantium horrore (qui Ægrum tanquam jam mortuum respexerant) hactenus non esset exhibita ori vi aperto, cochleatim ingenti curavi, & nonnullas illita oleo pluma titillari; quo brevi temporis spatio ad vomitum excitatus, non tantum crudum chylum e Ventriculo, verum etiam puris plane fœtidi *Pintam* fere e Bronchiis rejecit; atque inde paulatim ex usu *Cordialis Julap.* spasmi una cum strangulatione recesserunt; Extremorum etiam calor, & pulsus redierunt, & post tres tandem peractas horas incerta verba murmurare cœpit; & post somnos aliquot magis placidos mens etiam restituta fuit; atque

intra

intra 24. horas esuriebat, & victum petebat, cum amicorum, & adstantium omnium maximo stupore. Nihilominus tamen, non tantum debilis, & lecto affixus, verum etiam emaciatus, hecticus, continuò tussiens, & ob pondus materiæ in cavitate Thoracis Diaphragma prementis, anhelosè respirans jacebat; ac si à Phthisi brevi periturus esset. Ob præsentem acutam Phthisin, & virium debilitatem, non ausus sum materiæ evacuationem per *Cathartica* tentare; Neque per *Paracentesim* eam educere; quoniam sicuti adstantes id renuebant ita quidem nulla protuberantia in Hypochondriis apparebat, quæ quidem certum aperturæ locum designaret. Ideòque decrevi in præsens, *Rem magis cunctando restituere*, *Lacteam* scil. instituendo *Diætam* in sanguinis temperationem, atque frequentem usum *Apozematis* sequentis, partim *Pectoralis*, partim etiam *Diuretici*, quo (si fieri posset) materiam per vias Urinarias, sine ullo virium dispendio, foras educerem; Forma *Apozematis* hæc erat, quæ sequitur.

℞. *Semin. malv. alth. an.* ℥iii. *semin. iv. Frig. major. an.* ℥i. *Cicer. rubr.* ℥i. *gr. Al Ki Keng.* ℥iii. *fol. Tussilag. cap. ven. an.* M i. *Caricar. ping. n. vii. sebest. num. xv. Glycyrrh. ras.* ℥i. *Coque in aq. F.* ℔iv. *ad* ii. *Colaturæ adde Syr. Altheæ* ℥i. ß. M. F. *Apozem.* Sub hoc regimine (additis etiam *Julapio Perlato & Linctu pectorali*) vires multum resarciri videbantur Suboriebatur verò inde Hydrops universalis, qui in tantum augescebat, ut miserrimus Æger quotidie à suffocatione periturus videretur. Ex usu verò copioso *Salis succini*, *Lenium Cathartic orum*, & *Electuariorum Chalybeatorum*, (commixtis semper Medicamentis *Balsamicis*, & *Pectoralibus*) penitus à Phthisi, & Hydrope etiam sanus evasit, conspirante verno & rusticano aere, atque adhuc sanus inter vivos manet, robustus, & Athleticus, muniis Mercatoris egregiè fungens.

HISTORIA SECUNDA.

Filia *Domini Gifford*, in Platea dicta *Fleet-Lane*, circa octavum ætatis suæ annum, febre inflammatoria, dolore Laterali, & tussi importuna atque arida correpta fuit. Ego advocatus post duos, vel tres morbi dies, judicans à signis Diagnosticis Ægrotam pleuritide laborare, iterum, iterumque venam secari jussi, *Linimenta* externè, & *Fotus* applicari, *Expectorantia* etiam medicamenta copiosè ingeri, (quæ quidem nimis parcè sumebat) *Vesicatoria* etiam pro exigentia febris, & affectionis generis nervosi præscripsi, & *Julapia Perlata* ex *Aquis Cephalicis*, & *Cordialibus* facta. Post horum usum febris quidem inflammatoria in hecticam mutata fuit, & dolor Lateralis convulsivus in gravantem, atque inde omnia symptomata mitiora apparebant. Quia verò nulla arte phlegma aliquod è Bronchiis per tussim educi potuit, ego multum suspicabar putridum hoc Phlegma pulmonibus concoctum, aliam viam per ipsum Parenchyma in cavitatem Thoracis inveniisse, atque miserrimam Ægram nostram Phthisi Empyrica à pleuritide, ob defectum scilicet expectorationis, orta, tandem perituram. Neque quidem conjectura mea me multùm fefellit. Postquam enim per viginti dies à pleuritidis legitimæ fine decubuisset puella languens, cum febre hectica continua, rubore genarum sæpiùs revertente, volis manuum admodum aridis, tussi sicca, & importuna, vigiliis pertinacibus, respiratione anhelosa, aliisque impensivis symptomatis in dies marcescens; tandem conqueri cœpit de dolore gravante lateris juxta hypochondrium sinistrum, qui de die in diem adeò increscebat, uti tandem non sine ejulatione moveri, vel erecto corpore sedere potuerit. Post Trigesimum verò morbi diem partem affectam inspicientem, eam tumentem, quadantenus acuminatam vidi. Expectavi autem usq; ad quadragesimum diem, & tunc, advocato Chirurgo peritissimo, *Domino Holyer* per *Paracentesin* paulò supra Diaphrag-

phragma factam putridum Phlegma sensim extraximus, spatio scilicet mensis unius: ob marcidum enim corporis statum nullam insignem evacuationem in unam vicem ferre poterat. Per annum vero unum vel alterum vulnus aliqua parte, sicuti Fontanella, apertum consulto servabatur. Intereà temporis *Lactea Diæta*, Medicamentis *Balsamicis*, *Millepedis*, *Decocto Sarsæ Vulnerario*, liberè & diu epoto, *&c.* (adjuvante etiam rusticano aere) interspersis etiam, debitis intervallis, & pro Ægræ viribus, Catharticis è *Calomelan.* & *Diagryd.* factis, tandem è tabido statu excessit εὐβρως & εὐσαρκος; atque adeò per plurimos annos duravit, sine vel ulla prioris morbi labe, nisi quod latere affecto quadantenus curvitate contracta esset ad fatalem usque diem, quo tempore a febre maligna è vivis sublata.

CAPUT XI.

De Phthisi ab Arthritide, & Rheumatismo orta.

IN Arthritide, & Rheumatismo, præsertim verò legitimo & humoroso, (qui scilicet à fermento acri è nervis suppeditato ortum suum ducit) adeo evidens fit colliquatio in tota sanguinea massa, uti nemini mirari liceat, si Phthisis ab hisce morbis (præcipuè vero ubi fuerint contumaces, Chronici, & frequenter recurrentes) oriatur. Atque hinc facile observari licet, Rheumaticum dolorem à percepto frigore provenientem, rarius, si unquam, absque tussi pulmonari artus invadere solere. Et sicuti illustrem virum, *Dominum Orlandum Bridgman*, *Dominos Philips*, & *Tibs*, atque alios quamplurimos, post frequentes, & longos Arthriticos, & Rheumaticos paroxysmos, tandem Phthisicè, vel Asthmaticè periisse perspexi; ita aliquando etiam post primum Rheumatismi paroxysmum acutam & fatalem Phthisin subintrasse notavi.

Phthisin istam ubi a primo Rheumatismi insultu invadit, nonnunquam ob eam rationem acutam esse accidit; utpote à colliquatione humorum in acuto Rheumatismi humoralis paroxysmo ortam. Ideoque quoniam communis Phthiseos naturæ participat, generali methodo omnino tractari debet; usu scilicet *Lubricantium*, *Incrassantium*, *Opiatorum*, atque aliorum medicaminum Pulmonarium. Et quidem ego, idque non sine fælici successu, in omni Rheumatismi Paroxysmo, tametsi neque urgens aliqua tussis, neque Dyspnœa adsit, *Apozemata*, & *Eclegmata Pectoralia Lubricantia*, & *Incrassantia*, copiosè præscribere soleo, non tantùm ad sanguinem temperandum, atque emolliendum, verùm etiam ad præcavendam Phthisin, quæ non rarò à Rheumatismo ortum suum ducere solet.

Quoties autem ista Phthisis ab Arthritide, vel veteri, & sæpiùs recurrenti Rheumatismo oritur, est planè Chronica, sensim, & gradatim per plures annos pulmonibus, & partibus respirationi dicatis creans molestias. Atque est quidem Asthmatici generis, ob phlegmatis viscositatem dispnœa magis, quàm pertinaci tussi stipati.

Siquidem à generis nervosi stupore magis quàm ab humorum colliquatione oriri videtur. Hæc tamen Astmatica Phthisis videtur mihi esse genii peculiaris, eo quòd delectu aeris non omnino relevatur. Hujusmodi enim Phthisicos, licèt etiam Asthmatici fuerint, æquè benè in aere palustri; & fumo carbonum oppleto, ac in tenui, & perflatili respirare notavi. Atque inde etiam fit, quòd medicamenta *Lubricantia*, & *Expectorantia* nequicquam hic valeant; ut ut *Incrassantia*, & *Opiata* fataliter lædant. A *Spiritibus* autem *C. C. Sal. Armon. ol. Juniperi Chymico*, atque aliis ejusmodi, quæ scilicet spiritus excitant, & nervos confortant, frequenter & copiosè exhibitis, plus levaminis, quàm vel à quibusvis *Opiatis*, vel *Thoracicis* medicamentis ritè expectandum est.

Quo magis ista Asthmatica Phthisis procedit, eò magis dolores, & tumores Rheumatici minorari solent. Et quidem Rheumatismus humoralis verus, & le-

& legitimus, longè priusquam lethalis evadat, in nervosum, vagis doloribus huc illuc transeuntibus, verùm nullo evidenti tumore comitatum, degenerat.

Rheumatica ista Phthisis à Rheumatismo Chronico orta, & in senili ætate accidens, est quidem (quantum ego scio) planè incurabilis. Indicium est enim naturæ jam planè succumbentis, & in ultima Rheumatismi scena jam triumphatæ.

Vomitoria lenia debitis intervallis repetita, (præsertim verò si cum ὑποφορᾷ ferantur, neque nimis serò exhibeantur) multùm ad hujus phthiseos curationem promovendam conferunt; utpote Cerebrum & genus nervosum deoppilantia, & Rheumaticos dolores minorantia rigiditatem, & stuporem fibrosi generis universaliter sublevando; quo fit ut causa Procatarctica, seu fomes hujusce Phthiseos, plurimùm subtrahatur.

Venæ sectio etiam sub hujus Phthiseos initio (priusquam scilicet Corporis habitus nimis exinanitus fuerit,) plurimum prodest; non tantùm calorem hecticum & Rheumaticos dolores minuendo; verùm etiam ipsi dyspnœæ levamen ministrando.

In morbi verò progressu, ubi scilicet insignis marcor universalem corporis habitum priùs invaserat, sicuti à venæ sectione naturam debiliorem, ita respirationem difficiliorem reddi sæpiùs observavi. Equidem nullus dubito, quin Asthmatica Phthisis non raro a profusa & sæpius repetita venæ sectione in Rheumatismi Paroxysmis administrata ortum suum ducat; crasi scilicet sanguinis inde (uti in aliis immodicis hæmorrhagiis accidere solet) eversa, totaque ejus massa jam depauperata.

Vires etiam egregias *Peruviani Corticis*, in exstinctione flammæ hecticæ colliquantis, à statu Rheumatico in sanguine accensæ, ibique derelictæ, sæpissimè sum expertus; quæ quidem flamma nisi arte aliqua, vel natura tollatur, viam in hanc pulmonarem phthisin certissimè sternit.

Ob eandem etiam rationem medicamina *Chalybeata* in hujus morbi principio, ad inducias saltem obtinendas, si non ad curationem perficiendam plurimùm conducere observavi; præsertim verò *Aquas minerales Chalibeatas*, modò non nimis serò propinentur, & satis copiosè per vias urinarias fluant.

Usus etiam *Thermarum*, & *Balneorum Artificialium*, priusquam scilicet corporis habitus nimis fuerit extenuatus, fibrosi generis obstructiones universim deoppilando, plurimùm hujus Phthiseos incipientis curationem promovere solet.

Lactea etiam *Diæta* in primo hujus morbi limine plurimùm confert, flammam in sanguine accensam minuendo, & acrimoniam præternaturalem leniendo. Licèt eam in morbi progressu, cum Dyspnœa jam fuerit inducta, non adeò benè convenire fatendum sit; quoniam scilicet phlegmati Bronchiis impacto majorem glutinositatem conciliare solet. Neque forsan conjectura ista est sine gravi ratione fundata; scilicet quòd lactis in Rheumatismo nimius usus Ægrotum in phthisin hanc Asthmaticam valdè disponit.

HISTORIA PRIMA.

Domina Laurence, circa annum ætatis suæ trigesimum quintum, quo tempore etiam gravida facta est, in Rheumatismum universalem incidit, & sese curæ cujusdam *Pharmacopolæ* per plures menses commisit; donec tandem à tussi dispnœa, febre hectica, marcore, atque aliis hujusmodi jam superinductis symptomatis, incertum esset an Rheumaticè, an verò phthisicè interitura esset; Rheumatismo quidem (qui antè fuerat legitimus) in Nervosum, rigiditate, & vago quodam artuum dolore, nullo tamen tumore stipatum degenerante. Quo tempore ego advocatus *Octobr.* scilicet die 25. 1686. ad temperandum Rheumaticum, & Hecticum sanguinis, & spirituum fervorem, & ad affectiones Hystericas

inde

inde natas compoſcendas, *Electuarium* cum ſequenti *Iulapio* præſcripſi.

℞. *Conſerv. Roſ. Antiq. Fruct. Cynoſbat. per ſetaceum traject.* an. ℥i *pulv. Flor. Lavend. Magiſter. Corall.* an. ℥i. *Syr. è Corall. q. ſ. Ms. F. Electuarium è quo capiat quantitatem Nuc. Moſchat. ſexta quaque hora.*

℞. *Aq. Rut. Ceraſ. nigr.* an. ℥iv. *Aq. Cinnam. hord.* ℥iii. *Aq. Pœon. Bryon. Comp.* an. ℥iß. *Margarit. pp.* ℥i. ß. *ſacchar. Alb. q. ſ. in gratam edulcorationem. Ms. F. Iulapium; è quo capiat Cochl. iv. vel v. poſt ſingulas doſes Electuarii, atque etiam ad libitum.*

In dolorum & rigiditatis artuum levamen, eadem nocte Veſicatoria internis brachiis iuxta axillas applicari juſſi, & levem evacuationem per alvum tentavi ope ℥. ii. *Tincturæ Sacræ;* quæ quidem benè ferebat. Hora ſomni ſequentem Paregoricum hauſtum præſcripſi.

℞. *Aq. Rhæd.* ℥iii. *Cinnam. hord.* ℥i. *Pæon. comp.* ℥ii. *Sal. Abſinth. gr. vi. Syr. de Mecon.* ℥vi. *Ms. F. hauſtus.*

Octobris 28. *Vomitorium* ſequens propinavi.

℞. *Vin. Benedict.* ℥i. *Syr. Violacei* ℥ii. *Ms.* quod detur pro Emetico, circa horam quantitatem pomeridianam cum regimine, & (ſi opus fuerit) inter vomendum capiat ℈i. *Salis Vitriol.* bis, vel ter in hauſtu *Poſſetalæ* calidæ. Vomitione finita, hauſtum Paregoricum ſequentem præſcripſi.

℞. *Aq. Menth.* ℥ß. *Stephan.* ℥iii. *Cinnam. hord. Lact. Alexiter.* an. ℥i. *Syr. de Mecon.* ℥. *vi. Ms. F. hauſtus.*

A *Vomitorio* levamen univerſim ſenſit, idque non tantum à ſymptomatis Phthiſicis, verum etiam Rheumaticis. Ideòque poſt tridui ſpatium repetitionem *Emetici* injunxi; & deinde flammam Hecticam in ſanguine à Rheumatiſmo accenſam exſtinguere, & pulmonibus inde labefactatis proſpicere totis viribus nitebar, ſequentem in modum.

℞. *Ingred. Decoct. pectoral. q ſ. Cortic. peruvian.* ℥i. *Balſam. Tolutan.* ℥i. *coq. in Aq. font. q. ſ. ad* ℔i. ß. *Colaturæ adde Aq. Theriacal. Stillat. Syr. Balſam.* an. ℥i. ß. *Ms. F. Apozema de quo capiat.* ℥iv. *ter die per ſex dies continuos ſemper ſumèndo in hauſtu nocturno Laudan. Liq. Helmont. gutt.* xv. modo Tormina in Diarrhœa, vel vigiliæ urgeant.

Finito jam *Apozematis* uſu, repetitionem potionis *Emeticæ* juſſi, & tandem *Novembr.* ſcilicet 13. ſequentes *pilulas* præſcripſi.

℞. *Pulv. patrum ſubtiliſſime trit.* ℥i. *Mucilag. Gum. Tragacanth. q. ſ. Ms. F. pilulæ mediocres deaurandæ, quarum ſex capiat. mane & veſperi de die in diem.*

A quorum uſu plane convaluit, non tantum à doloribus rigiditate artuum, verum etiam à tuſſi, dyſpnœa, oppreſſione, febre & reliquis Phthiſeos pulmonaris ſymptomatis planè liberata. Rediit etiam appetitus, & tandem etiam vires, & carnes ejus reſarcitæ ſunt, atque adhuc ſine aliqua Rheumatiſmi, vel Phthiſeos revireſcentia optima ſanitate utitur.

HISTORIA SECUNDA.

Domina Covert, virgo circa annum ætatis ſuæ decimum octavum, in febrem continuam incidit, quæ tandem alia intermittente excipiebatur, quæ quidem per ſpatium xj. vel xij. menſium duravit. Hæc vero ſponte ſua evanuit, Rheumatiſmo humoroſo tantum excepta. Febre autem & Rheumatiſmo proceſſu temporis (neſcio quo pacto) quadantenus jam victis, manſit miſella virgo continuò hectica tuſſiens, anheloſa, valde emaciata, & penè etiam ex ſanguis faciem tanquam *Hippocraticam* præ ſe ferens. Inſuper adeo à triumphante Rheumatiſmo, muſculorum tendines ferè univerſim præ craſſitie & indureſcentia præternaturali rigeſcebant, uti omnibus artubus, non tantùm minoribus pedum atque manuum; verùm etiam majoribus, planè muniis ſuis imparibus factis, vel ſaltem difficulter & dolorificè fungentibus, cathedræ, vel lecto perpetuò ferè affixa maneret, tanquam ſtatua. Doloribus etiam vagis & verſatilibus, ſpaſmodicis & horrendis hic inde per totum thoracem non

tarò percita fuit, lipothymiis etiam hysstericis, paroxysmis febrilibus incertis sæpius recurrentibus vexata. His omnibus symptomatis continuus etiam virium languor, appetitus prostratio, & purgationum menstruarum suppressio adjungebantur. Universalis etiam corporis habitus mihi videbatur esse valdè scorbuticus. Casus sanè (si quis alius) valde deploratus, cui tamen (Deo favente) arte nostra in sequentem modum succurrebam.

Miscellam Virginem tricesimo die *Maii* 1683. invisens, ad temperandam scorbuticam sanguinis acrimoniam, & vagos dolores quadantenus demulcendos, qui sicuti longo tempore duraverant; ita non parùm adhuc oppressam naturam tenebant; præscripsi *Calomelan. Diagryd. Sulfurat.* an. *gr.* xiv. *Syr. Cichor. cum Rheo q. s. Ms. F. bolus manè sumendus cum regimine. Scrupulos etiam duos Milleped. præpar. & oculor. Cancr. præp. commixt. ter die horis medicis exhiberi jussi, è Cochleari Julap. sequentis, superbibendo* ℥iii. *vel iv.*

℞. *Aq. Meliss. Ceras. nigr., Lact. Alexiter.* an. ℥iv. *Aq. Cinnam. hord. Epidemic.* an. ℥iij. *Sacchar. Perlat.* ℥vi. *Ms. F. Julapium.*

Sacculum item sequentem præscripsi suspendendum in *Cong. iij. Cerevisiæ mediocris* in potum ordinarium.

℞. *Rad. Lapath. Acut. pæon. mar.* an. ℥ij. *Cochlear. utriusque* an. *M. iij. Beccabung. Nasturtii Aquat. heder. Terrestr. summitat. Pini*, an. *M. ij. sem. Anis.* ℥j. *MS. F. Sacculus.*

Junii secundo; quoniam forma Pulv. non adeò grata fuerat, & ut obstructionum reserationem promoverem, Pulveris loco *Electuarium* sequens substitui. ℞. *Conserv. Fruct. Cynosbat. Ros. Rubr.* an. ℥ß. *Milleped. præp.* ℥jß. *Ocul. Cancror. præp.* ʒij. *Sal. Mirtis gr.* xij. *Syr. Chalyb. q. s. Ms. F. Electuarium; de quo capiat quantitatem Nuc. Mosch. sexta quaque hora, superbibendo haustum Julapii. Pilul. etiam stomach. cum gum.* ʒj. *nocte sequenti. deglutiendum præscripsi.*

Junii quinto; quoniam forma *Electuarii* non arridebat, in eandem intentionem *Syrupum Chalybeatum* substitui. Et quoniam alvus non adeò facilè subducebatur, *Pilulas* sequentes priorum loco in promptu esse jussi. *pro Syrupo.*

℞. *Vin. Chalybeat.* ℔. *ij. Tinctur. Croc. Castor.* an. ℥j. *Sacchar. Alb. q. s. Coque ad consistentiam syrupi. Sumat exinde Cochl. ij. mane, & quinta pomerid. diebus à purgatione liberis, per se vel in aqua Card. dilut.* pro *pilulis*.

℞. *Pil. stomach. cum Gum. Aloes Rosat.* an. *gr.* xv. *Sal. Absinth. gr.* iv. *Elix propri. et q. s. Ms. F. pilulæ n. iv. crastina nocte sumendæ cum libera custodia.*

Tendines etiam induratos, & præ crassitie dolorificè contractos bis die ad lucu-lentum ignem illiniri jussi, *Oleo Succin. & Spir. Lavend. comp.* an. *part. æqu.* superinducendo pannum Laneum.

Licet istorum usu tendinum tumor minorari videretur, atque rigidi artus quadantenus motui aptiores reddi, systema tamen nervosum ab hysstericis lipothymiis frequenter revertentibus grave aliquid subinde pati visum est. Ideòque *Junii nono*, *Cochl. iv. vel. v. Julapii sequentis* allibitum in languore propinari jussi.

℞. *Aq. Meliss. Ceras. nigr.* an. ℥iij. *Aq. Bryon. pæon. Comp.* an. ℥j. *Tinctur. Castor.* ʒj. *Spir. Sal. Armon.* ʒß. *Syr. pæon. comp.* ʒx. *Ms. F. Iulapium.*

Sacculum Ingredientium Antiscorbuticorum repetivi, & quarta quaque nocte *pilulas Catharticas* injunxi.

Nervoso genere ex usu præscripti *Julapii* ter, quaterve jam relevato, præter calorem hecticum continuum, paroxysmum etiam febris intermittentis legitimæ cum rigore invadentem, & profusis sudoribus finitum, licèt incertis intervallis, aliquando observavi. Atque inde non sine ratione suspicabar, ab hoc latitante febrili fermento, quòd nunquam adhuc è sanguinis massa amandatum fuerat; quodque adeò *Protei* instar, sub varia specie hucusque visum nostrum illuserat, appetitus dejectionem, febrem hecticam continuam, & languorem universalem provenire. Ideòque contra hostem hunc totis *Peruviani*

Corti-

Corticis viribus insurgo, Siquidem ipse mihi pollicitus sum (neque quidem me spes mea fefellit, uti vel ipse eventus posteà comprobavit) quòd debellato hoc hoste, sanitatis status plurimùm inde restitutus foret, utcunque *Balnea*, *Fotus*, atque alia ejusdem generis insigni essent usui ad Trophæa Arthritidis in artubus nodosis, & debilitatis relicta, penitus exstirpanda. Ideòque.

Iunii 13. præscripsi haustum sequentem quarta quaque hora repetendum ad vij. vel viij. vices.

℞. *Aq. Meliss. Cerasor. nigr.* an. ℥i. *Aq. Epidem. Sir. Cariophill.* an. ℥ii. *pulv. patrum subtilissimè trit.* ℥i. *Ms. F. haustus*. *Iulapium* etiam sequens Cochleatim in languore sumendum.

℞. *Aq. Card.* ℥vj. *Cinnam. hord.* ℥iv. *pæon. Comp.* ℥ij. *Margarit. præp.* ʒiß. *Sacchar. Alb.* ℥v. *Ms. F. Iulapium*.

Iunii 15. ℞. *Pulv. patrum subtilissimè trit.* ℥v. *Mucilag. Tragacanth. q. s. F. pilulæ mediocr. deaurand. quarum sex capiat quarta pomerid. & hora somni, de die in diem sumendo omni mane Sirupum Chalibeat. jam ante præscriptum. Sacculus* etiam *Ingredientium Antiscorbuticorum* renovetur. Etsi autem Aegra liberali isto *Corticis* usu à paroxysmis febrilibus penitus liberata erat, mansit tamen adhuc nausea, & inappetentia, unà cum languore atque aliis inveterati hostis Trophæis. Ideòque, utcunque medicamenti formam mutaverim, hostem tameu jam plane fugatum *Cortice* ulterius prosequebar in sequentem modum.

℞. *Ingred. Decoct. Amar. purg. q. s. Sal. Absinth.* ℥ß. *Cortic. peruv. pulveriz.* ʒß. *Infunde debito modo, & coque in Aq. Font. q. s. ad* ℥xii. *capiat.* ℥iv. *Colaturæ fortiter express. manè, repetatque per tres dies continuos, continuando usum Syrupi Chalybeat. quarta pomerid.*

Iunii 27. præscripsi *Bolum* sequentem cum ℥iv. *Apozematis sexta quaque hora sumend. per tres dies continuos*. ℞. *Cortic. peruv. subtiliss. trit.* ℥ß. *Syrup. Artemis. q. s. Ms. F. Bolus*. ℞. *Cortic. peruv. an. pulveriz.* ʒß. *infunde, & coque in Aq Card. & Vin. alb.* an. *q. s. ad* ℥xii. *cola in usum.*

Iulli 5. Quoniam genus nervosum adhuc aliquatenus male affectum erat; tres *pilularum* sequenter die horis medicis sumendas dedi, *superbibendo* ℥iv. *Tincturæ Corticis* jam ante præscript.

℞. *Pulv. patrum* ℥ij. *Trochisc. de Mirrh.* ʒi. *Castor. Ent. Vener.* an. ℈ii. *Mucilag. Fum. Tragac. q. s. Ms. F. pilulæ mediocres deaurand.*

Ab hoc copioso usu *Corticis*, licet diversa forma exhibiti, Ægra nostra mirum in modum undiquaque ad sanitatis statum restituta est, & ab omnibus Phthiseos, & Rheumatismi symptomatis plane liberata est; nisi quod tendines atque artus, præcipue verò manuum, rigidi, & quadantenus etiam tumidi manebant, & carnes etiam nondum satis resarcitæ. Ideoque ubi iam præparatorio ritu alvum subduci curaveram *Extract. Rud. gr. xv. & pilul Fætid.* ℈i. eam per spatium sex hebdomadum ad usum *Thermarum Batonienſium*, internum, atque etiam externum relegavi, imperando tendines atque tumefactos artus sub finem singularum Balneationum diu atque libere Aquis *Thermarum Regiarum* embrochari, atque easdem partes (Ægra in lecto jam posita & in sudores dispositа) Linimento sequenti diu illiniri. ℞. *Ung. Dialth. Nervin.* an. ℥j. *Ol. Scorpion. Lilior. alb.* an. ʒß. *Ol. Anis. Chim.* ℥ij. *Ms. F. Linimentum*. Et, ne in usu Balnei elangueret, *Iulapium Cord.* sequens in promptu erat Cochleatim ab libitum sumend.

℞. *Aq. Epidem. Stephan.* an. ℔ß *Sirup. Cariophill.* ℥ii. *Ms. F. Iulap. Cordiale*. Mense *Septembri* Ægra nostra ab usu *Thermarum* cum multo fructu reversa est.

Præcipue verò exinde tendines, atque artus affecti plurimùm restituebantur, ad quorum curationem ulteriùs promovendam, consului uti Balneis nostris *Londini* publicis, vel ter hebdomade uteretur, unà cum sequentibus Medicamentis.

Sept. 4. 1683. ℞. *Sarsaparill. Opt.* ℥iv. *Rad. Chin.* ʒi ß. *Rasur. C. C. Ebor.* an. ʒiii. *passular. major. exacinat.* ʒii. *Glicirrh. rasur.* ʒß. *post debitam infusionem coque in Aq. font.* ℔viii. *ad* iv. *huius Colaturæ bibat* ℔ß. *ter die horis medicis.*

℔. *Ceruss. Antimon. Milleped. præpar.* an. ʒiß. *Ms. in sex chartulas, quarum unam capiat ter die cum singulis hausti-bus Decoct. præscrip. præcipue verò quo tempore Balneum ingreditur.*

Usu *Balnei* jam finito moderatam Diaphoresin singulis noctibus promovere satagebam, ex usu sequentis haustus.

Sept. 12. 1683. ℔. *Aq. Card. Theriacal. still.* an. ʒj. *Ceruss. antimon.* ℈j. *Syr. Vio. lac.* ʒii. *Ms. F. haustus per* x. *noctes continuas repetendus.* A quorum usu artus, atque tendines multum levaminis capiebant. Tandem verò, ne Aegrotantis recidivatio in intermittentem febrem sub anni finem (cujus magna & rationabilis erat suspicio) perfectionem curationis irritam redderet, consului repetitum *Chinæ Chinæ usum per plures dies quarta, vel quinta quaque hora sumend. sub forma sequentis Apozematis.*

Sept. 20. 1683. ℔. *Cortic. Chin. Chin. pulveriz.* ʒj. *Coq. in Aq. Card. & Vin. alb.* an. *q. s. ad* ℔j: ß. *Deinde fiat colatura cum fortissima expressione.*

Deinde ad carnes resarciendas, & ad ulteriorem hectici caloris temperationem Aegrotæ consului, uti sese ad *Diætam Lacteam*, exactissimam per sex hebdomadum spatium in aere rusticano percipiendam reciperet.

A cujus usu ἐυαρκὲς facta est, & planè convaluit, restitutis tunc tandem Purgationibus menstruis floridis, quæ antehac per quatuor annos, ob emaciatum scilicet & inanitum Corporis habitum penitus defecerant.

Anno verò sequenti scilicet 1684. & mense *Junio*, ob rigiditatem quandam in tendinibus carporum, & alterius pedis, manentem *Thermas* iterum adibat, & postea *Diætam Lacteam* repetebat. A quo tempore hucusque integra sanitate utitur, atque etiam maritata liberos peperit.

Eadem ferè methodo præter spem omnium amicorum feliciter curavi *Dominum Overton*, extra Portam dictam *Newgate* habitantem; qui à longo Rheumatismo tãdem in statum planè tabidum redactus fuerat, unà cum Dyspnœa, urgente & perpetua tussi, febre hectica continua, sputo puri simili, & reliquis phthiseos pulmonaris funestæ signis. Cujus historiam brevitatis gratia hoc loco recensere consulto omitto.

HISTORIA TERTIA.

Domina Lane, uxor *Barbitonsoris* habitantis in *Platea* dicta *Covvlane*, circa annos 35. nata, ubi in statu phthisico emaciata & tussiens, per aliquot annos retroactos vixisset, mense *Aprili* 1684. in Rheumatismum legitimum incidebat unà cum cruciantibus doloribus, inflammatis tumoribus, versatilibus tamen, ab uno artu ad alterum cito migrantibus; item cum febre generis insigniter remittentis eum comitante. Cujus Typus erat Tertianus (quem genium febris Rheumaticę apprimè peculiarem esse sæpissimè sum expertus.) Quo in casu, quoties scil. novus Paroxysmus febrilis invadit, Rheumaticus dolor atq; tumor jam ante ferè sopiri in partibus affectis renovari, vel etiam in alios artus per metastasin materiæ (uti veteres loqui amant) transferri solent. Paroxysmi verò admodum prolati erant, per spatium scil. xii. vel xvj. horarum, vigiliis etiam, deliriis, jactatione multa, calore, & pulsu valdè febrili stipati. Quæ omnia symptomata immensis sudoribus excipi atque solvi solebant. Sub initium verò singuli paroxysmi Rheumaticos dolores in artubus affectis semper exacerbari, vel alios etiam artus de novo corripere perpetuo observavi; adeò ut cum paroxysmo febrili novus Rhenmatismus semper intrare videretur. Ego tempore paroxysmi advocatus, indicationibus præsentibus satis facere conabar, *Venæ sectione*, *Vesicatoriis*, *anodyno Haustu*, *Tinctura Rosar. Linctu pectorali*, *& julapio perlato*. Et quidem omnibus symptomatis sub finem paroxysmi jam evanescentibus, sequenti die ad invisendum Aegrotantem reversus hostem à *Præscriptis* penitus evictum & fugatum esse existimabam, donec tandem à paroxysmi febrilis & Rheumatici reditu nocte sequenti, planè intellexeram, quam vana spe hucusque illusus fueram. Ideoque pro symp-

pto-

ptomatum indicantium urgentia, Venæ sectionem iterum instituo, repetitionem *Hypnotici Haustus*, & applicationem etiam *Cataplasmatis Anodini* artubus à Rheumatismo extremo dolore affectis mandans: Postquam verò Febris & Rheumatismi Typum, ad duas vel tres vices, planè Tertianum fuisse deprehenderam; atque omnia, non obstante jam ante præcripta methodo, perpetuo in pejus ruere, ipso nervoso systemate jam tandem spasmis, præcipue verò paroxysmi tempore, correpto, atque ore etiam Aphthis ulcerato, fælici conjectura fretus, ad usum *corticis peruviani* in hoc deplorato casu me recipio; præscribendo ℥i. extra paroxysmum, tertia, vel quarta quaque hora exhibendam. Cujus usu xxiv. horarum spatio à Rheumatismo æquè ac à febre liberata absque ullo remedio, suo modo, hoc est, Phthisice, valebat; minus tamen pulmonibus oppressa quam ante decubitum fuerat. Ubi verò primum à dolore & febre liberata est, phthisin Chronicam (quæ etiam à Venæ sectionibus, usu *corticis*, atque aliorum jam ante præscriptorum medicamentorum minorari videbatur) planè negligebat, respuens cujuscunque generis medicamenta: atque indè post annum unum, vel alterum à Phthisi illa pulmonari Chronica sensim extincta est.

CAPUT XII.

De Phthisi Pulmonari orta è febribus, præcipue Crapulosis, Scarlatinis, & Intermittentibus; uti etiam à Variolis, & Morbillis.

SÆpissime ab istis acutis morbis Phthisin pulmonarem ortum suum traxisse vidi. Neque quidem mirum videri debet, calorem à febre putrida in humoribus accensum, adeo facile in Hecticum, seu Habituxlem, in spiritibus & solidis corporis partibus situm, degenerare solere. Spiritus enim atque humores in habitu corporis cum jamdiu pabulum, seu nutrimentum à sanguine nimis accenso, & calefacto receperunt, difficulter admodum præternaturalem istum calorem deponunt. Atque ab hac hectica & fixa flamma, quid mirum si colliquatio, & consumptio insequi aptæ sint natæ? Atque hoc maximè solet accidere in Variolis, Morbillis & in Scarlatinis & Crapulosis febribus. Siquidem istis morbis tam insignis humorum colliquatio insequitur, ab acri eos comitante calore effecta, uti progressu temporis vix sisti possit, quo novus chylus in posterum partibus solidis aduniri vel assimilari queat. Atque hinc fit, quod calor partium præternaturalis non semper à critica eruptione prioribus morbis facta penitus extinguatur; verum calor hecticus in partibus solidis adhuc manens, unà cum inani tussi, atque aliis signis serosi & colliquativi sanguinis status (evictis jam prioribus morbis) etiam insecuturam Phthisin præsagiens.

Usitatissimus hujus Phthiseos Prodromus est levis Peripneumonicus affectus vel tubercula scrophulosa in ipsis pulmonibus nata; quæ primum in priorem morborum declinatione semper oriri solent. Quo fit ut febrilis calor non tantum rursus accendatur, verum etiam tussi, dyspnœa, vigiliis, siti: inappetentia, Imò aliquando etiam dolore pectorali, atque aliis incipientis Phthiseos signis stipatus redeat. Ista enim Phthisis plerumque est præceps & acuta, utpote naturæ à priori morbo jam debilitatæ superveniens; neque quidem vel præcaveri, vel curari ullo modo potest, absq; tempestivis; & repetitis Venæ sectionibus; utcunque debilis esse videatur Ægrotantis status. Et quidem Phlebotomiæ in præcedentis, seu originalis morbi declinatione neglectus, vel ejus nimis tera vel parca administratio, ansam huic Phthisi ut plurimum præbere solet.

Debitis autem Phlebotomiis jam ritè celebratis, reliqua curatio diligenti *Expectorantium & Balsamicor.* generali methodo jam ante descriptorum, uti & *Diætæ Lacteæ*, & *Julap. Temperantium* usu, perficienda est. Quod dictum est de Phthisi Morbillis, Variolis, Scarlatinis etiam & Crapulosis etiam Febribus supervenienti (qui quidem morbi sunt omnes unius generis; naturæ scil. insigniter se-

rosæ seu colliquativæ) idem etiam ob eandem causam de omnibus scorbuticis atque Chronicis febribus pari ratione affirmari potest : uti quidem generaliter loquendo de cujusvis generis febribus quæ fuerint absque legitima & debita crisi finitæ. Febrili enim fermento hoc modo magis vi dipresso, quam evicto, mitis calor hecticus priori putrido calori succedit, Phthisin mox superinducturus : Ideoque in harum etiam febrium declinatione, cujuscunque fuerint generis, Phlebotomia celebrari debet, & reliqua curatio sicuti in jam præcedenti periodo innuimus, perficienda est.

Quinetiam nullus dubito, quin vel ipsæ malignæ & pestilentiales febres, quæ per Apostemata Ulcera criticè terminari solent, phthisin etiam superinducere possint, materiam febrilem in tenerum pulmonum parenchyma criticè propellendo, unde Tumores atque mali moris Ulcera orta phthisin peracutam inducere apta sunt nata. Curatio autem perficienda est, tempestivo, & diligentissimo medicamentorum *Expectorantium*, *Abstergentium*, & *Balsamicorum* jam ante descriptorum usu quo quam citissima purgatio initi possit. De ortu verò phthiseos à febribus intermittentibus natæ, paucula hic speciatim subnectere lubet.

Primò scil. Me phthisin à nulla alia febre frequentius, quam ab Intermittente originem suam duxisse, observasse. Quod quidem videtur mihi duplici de causa accidisse : primum, Quod ista febris, vel ob genium sibi peculiarem, (quippe quæ inexhaustam mineram in corporis habitu continet,) vel ob efficacium medicamentorum tempestivè, & copiosè exhibitorum neglectum, valde chronica est, & sæpenumero etiam fugata revertitur; atq; inde fit quod ab hoc putrido calore longo jam temp. invalescente, calor tandem hecticus & continuus in spiritus, & partes solidas superinducatur; atque inde colliquatio humorum serosa unà cum tussi, & reliquis phthiseos sociis non potest non insequi.

Secundò; Quod hujusmodi Aegri, eo quod non suspicentur hujusmodi morbum fore lethalem, sicuti illum contemnere, ita etiam semetipsos negligere consuevere; non tantum morbum, nescio quibus mulierc ularum Receptis debellare satagentes, [quo fit ut sub febrem curandi prætextu non raro diathesin inflammatoriam, & venenatam sanguini & humoribus concilient,] verum etiam sæpissime sese aeri frigido, vel in ipso paroxys. tempore, incaute exponentes, frigus unum post alterum percipientes, tandem incuriæ, & inscitiæ propriæ pœnas luant, per Phthisin scil. in hoc morbido humorum statu à frigore sæpius percepto, atque etiam neglecto effectam. Quæ quidem leni Catarrhi nomine à miseris istis Aegris signari solet; donec tandem negligentia incurabilis evadat. Ideoque omnes admonitos vellem, ne falsa opinione innocentis hujusce morbi indolis ducti, vel *Agyrtarum*, vel Mulierc ularum *Receptis*, sese committant; verum, uti quam citissime copiòso *Corticis Peruviani* (unicæ hujus morbi Herculeæ Antidoti) usu, penitus atq; tempestive debellare, & repetito ejus usu febris revirescentiam præcavere satagant. Siquidem frequens in hujusmodi febrem Recidivatio eque Phthisin minatur, ac si plane esset continua. Eodem etiam animo Aegris consulo, uti durante morbo, præcipue verò Paroxysmi tempore diligentissime à frigore percipiendo caveant.

Tertio, Phthisis ista est plerumque Chronica; quæ scil. per spatium anni, vel eo amplius, durat priusquam ad ἀκμὴν suam pervenerit, in hoc particeps naturæ originalis morbi à quo dependet.

Quartò; signum hujus Phthiseos Pathognomonicum est, quod ab ipsis morbi primordiis Paroxysmus febrilis quotidianus, Tertianus vel Quartanus, pro morbi scil. originalis peculiari genio, febri hecticæ semper conjunctus sit, unà cum Tussi, Dyspnœa atque aliis Phthiseos Pulmonaris ordinariis signis.

Quintò; In hujus Pthiseos curatione *Cortex Peruvianus* medicamentis *Thoracicis & Pulmonaribus* semper copiosè commiscerì debet. Licet enim plures à deplorata hujusmodi Phthisi, intra tres,

vel

vel quatuor hebdomades verno tempore, *Corticis Peruviani*, una, vel altera unica, ſine aliquo medicamento *Pulmonari*, & ſine ulla Recidivatione liberarim: (cujuſmodi curationis emplar unum vel alterum illico ſubnectere non pigebit:) Nullum tamen hujuſmodi Phthiſicum, vel diligentiſſimo medicaminum *Antiphiſicorum* uſu, ſine *Corticis* admixtione vel ipſe curavi, vel à quoquam alio curatum memini.

HISTORIA PRIMA.

Dominum Thompſon, Arte *Pictor*, habitans in Platea dicta Angiporto *Sancti Nicolai* juxta *Lumbard-ſtreet*, circa annum 1674. initio Menſis *Octobr.* media nocte, poſt eſum *Salmonis* nimis liberum, una Uxore ſua eadem ipſa hora in lecto correptus fuit febre Quotidiana vel magis, uti ego ſentio, Triplici Quartana. Uxor, neſcio quibus Medicamentis, tam diu à *Pharmacopola* male habita eſt, quod licet ante *Januarium* Menſem à ſtatis febris paroxyſmis liberata videretur, præ languore tamen virium perpetuo lecto decubuit, tanquam illico animam efflatura. Pulſus enim valde debilis erat & celer, Lipothymiæ frequentes, vigiliæ pertinaces, nauſea & vomitiones ferè perpetuæ, ſudores multi, & colliquativi, ſitis immenſa, ſputacio copioſa, jactatio continua, generis nervoſi affectiones hyſtericarum more inſignes, appetitus in totum proſtratus. Miſera Ægra quæ jam continuo inſtantem mortem exſpectabat, priſtinæ febris reditum vehementer exoptabat; modò ea lege à præſentibus miſeriis liberaretur. *Decocto Amaro Cathartico* bis in eam rem exhibito pro voto, priorem febrem cum juſtis Periodicis Paroxyſmi revocavi. Deinde in paroxyſmorum intervallis *Corticem Peruvianam* ſub variis formis libere, ad ℥iß. ſcil. præſcripſi. A cujus completo uſu planè convaluit ſine vel ulla morbi, ejus ſymptomatum revireſcentia. Neque quicquam amplius præter *Julapia Hyſterica Opiata*, pro ſymptomatum ſcil. exigentiis, injunxi.

Maritus autem; cùm Athletici fuerit habitus, & multis negotiis implicitus præcipuè verò quoniam uxorem ex medicamentis perperam à *Pharmacopola* exhibitis, in dies in pejus ruere obſervavi, ſibi nullam opem vel à Medico vel ab ipſo *Pharmacopeo* petebat, expectatus ſcil. vere jam appropinquante hoſtem ſua ſponte diſceſſurum.

Quotidiè etiam, poſt peractum paroxyſmi inſultum, negotia ſua tum domi tum foras ſedulo peragebat (febre interim ſimplicem ſuam formam uno eodemque tenore in ſtatis paroxyſmis, & intermiſſionibus per totum hoc tempus ſervante. Tandem verò poſt Uxoris ſuæ convaleſcentiam, ubi ſeſe in dies magis magiſq; morbo ſuo ſuccumbere ſenſit, opem meam petiturus erat; verum à ſano iſto conſilio, tum vernæ tempeſtatis appropinquatio tum graviorum negotiorum diſtractio eum abſtrahebat. Verum quidem eſt, quod ſecundum jam conceptam ſubſequentis ſcil. veris initio, in ſimplici ſua forma ſponte febris eum reliquerit; verum appetitus adhuc omninò proſtatus manſit, dejectæ vires, Corporis habitus valde macilentus & ſanguinis pulſus continuo celer & debilis, ſitis in gens, reſpiratio anheloſa, tuſſis aderat ſicca perpetuoque diu noctuque urgens una cum cæteris omnibus incipientis Phthiſeos ſymptomatis.

Jam tandem ad me venit, una cum Uxore opem meam implorans, moramque ſuam multum defluens. Satis mihi illico perſuaſum fuit, incipientem iſtam Phthiſin eſſe veram prioris *Proteo formis* morbi ſobolem (ideoq; nihil ferè è vulgaribus *Antiphthiſicis* vel *Thoracicis* medicamentis præſcripſi, quorum ope impoſſibile ferè duxi, uti Æger, in maraſmi propè ſtatum jam redactus, priſtinę ſanitati reſtitueretur. Verum totam curationem *Corticis Peruviani* uſu abſolvendam eſſe ſtatui; quo pacto, febre jam prorſus evicta, reliqua ejus ſymptomata ſponte ſua ceſſura ritè judicavi, ſicuti vel ipſe eventus fæliciter comprobavit. Ideoque in hoc tantùm incubui quo medicamenti formam Ægroto redderem quam gratiſſimam, ne contra Aegri opiniones,

æque ac ipsum hostem militandum foret. Ideoque *pulv. Chin. forma Tabellarum* præscripsi, in sequentem modum.

℞. *Pulv. Cortic. peruvi.* ℥i. ß. *sacchar. Christall. in Aq. Absinth. mucilagine Gum. Tragacanth. incrassat.* ℥viii. *dissolut. Ms. F. Tabellæ s. a. adeò uti singulæ ponderant* ℥ii. vescantur una quater in die, superbibendo ℥iv. *Decocti pector. depur.*

Absumptis jam *Tabellis*, illicò febris ista hectica (quæ sicuti Intermittentis genuina erat soboles, ita etiam paternum inguen adhuc sapiebat) planè evanuit, unà cum tussi, dispnœa, & reliquo Pthiseos funestorum symptomatum satellitio; nisi quòd appetitus haud adhuc integrè restitutus esset: neq; carnes præ temporis sc. brevitate resarcitæ. Ideôque, tempestate id suadente, eum illico in rusticanum aerem dimitto; è quo post spatium duarum, vel trium hebdomadum reversus est, strenuus, εὐσαρκος, vultu florido, & appetitu insigni præditus, atque in hunc usque diem optima valetudine utitur.

HISTORIA SECUNDA.

Mercator quidam *Norvvegiensis*, qui in vico dicto *Nevvington*, ultra *Thamesin*, habitabat; quo anno *Dominus Talbor* primum propter liberalem *Corticis Peruviani* usum in febrium Intermittentium curatione, publice innotuit, eodem etiam ipso mense quo ego ejusdem *Mercatoris* uxorem, præter spem adstantium omnium, a febre remittente dirissimis symptomatis stipata, inter alia remedia *Cort. Peruviani* usu, liberaveram; cùm ipse a febre intermittente Tertiana legitima & benigna correptus esset, derelicto amico, & Medico suo noto & familiari, unà cum grandi turba ad *Dominum Talbor* accurit, & numeratis quinque *Guineis* unciam unam *Corticis* insignis Arcani loco accepit; quo devorato illico convaluit. Nulla tamen cura ad præveniendam febris revirescentiam ab illo *Empirico* adhibita; elapsis duabus, vel ad plurimum tribus hebdomadis, morbus tandem recrudescebat, a quo iterumque, verùmque non sine priori gravi pretio singulis vicibus in manum dato, ex usu *Corticis* repetito liberatus. Vir ad rem familiarem satis attentus, maluit reliquam hyemis partem sub ærumnosis hujus febris symptomatis agere, quam continuo eodem modo crumenam suam emungere interim sperans morbum saltem vere sequenti sua sponte discessurum. A longo vero hujus febris continuato cursu, (quod forsan etiam frigus sæpius Paroxysmi tempore perceptum, & Muliercularum & *Agyrtarum* non adeo salubres *Receptæ*) quibus omnibus avide, & sine delectu uti solebat (promovebant:) sub veris ingressu, calor hecticus continuus in febris putridæ Paroxysmorum intervallis accendi videbatur, immani etiam tussi, dyspnœa, sudoribus colliquativis, siti continua, nausea, atque aliis hujusmodi symptomatis stipatus. Unde ante finem *Junii* mensis quo tempore sese statim Phthisice exspiraturum credens, a me opem petiit, adeo languidus, & emaciatus fuit, uti faciem plane *Hippocraticam* præ se ferret, & a primo ejus aspectu plane eum deploratum judicassem, si ab aliqua alia causa, quam a febre intermittenti, hæc phthisis ortum suum duxisset. Phthisin vero hoc modo ortam, utcunq; specie tenus deploratam, curabilem tamen rite judicabam, quoniam scil. penes me erat eo modo, hac saltem anni tempestate, Antidotum illam magnam, *Cortic. scil. Peruvianum*, exhibere; uti non tantum febrem intermittentem tollerem; verum etiam revirescentiam ejus impedirem. Quo factum est, ut nullus dubitarem, quin detracto jam fomite, flamma hectica sponte sua exstincta foret; unà cum toto symptomatum Pulmonarium inde dependentium satellitio. Quæ quidem conjectura citissime eventu fœlici comprobata fuit. Siquidem spatio iv. vel v. dierum, febris Intermittentis Paroxysmis ab exhibitione unius unciæ *Corticis*, forma piluiari, jam sublatis, febris hectica etiam sua sponte evanuit; tussis etiam unà cum aliis pulmonaribus simptomatis multùm minorata fuit, & appetitus plurimùm adauctus. Cùm vero febris originalis revirescentia repetito eiusdem *Corticis* usu iam præcaveretur, intra men-

mensis unius spatium absq; vel uno Medicaminum *Pectoralium* grano, omnia Phthiseos symptomata sponte sua evanuerunt: quin & Æger εὔβρωτος, & εὔσαρκος, quantum ego scio in hunc usque diem manet.

HISTORIA.

Dominus Lane, *OEnopola*, ad Insigne *Reginalis Capitis*, in *SouthvvarK*, vir sanè robustus, & procerus, circa mediam ætatem, sub initio autumni, anno *Æræ Christianæ* 1668. febre *Quartana* vehementissima correptus fuit, atque illicò sese consulti medici curæ com. misit; qui usitatis Remediis, & Antiquorum methodo eum tractavit, *Venæ sectione*, *frequenti purgatione*, *Julapiis Febrifugis*, & *Apozematis longis Deobstruentibus*, & *Alterantibus*. In dies tamen malum in pejus ruit, febris tandem duplicatur, adeò ut nullus dies ἀπυρετὸς fuerit; & circa finem *Decembr.* Paroxysmi in tantum erant producti, uti alter statim ferè post alternum subintraret; vires etiam adeò prostratæ, ut vix è lecto suo consurgere potuerit; quin & appetitus in tantum elanguebat, uti vel ipsam *Avenacem* vix degustaret. Continuò, & immensè sitebat; quoniam nunquam à febre originali, vel hectica superinducta liber esse videbatur; ideòque perpetuò sese in lecto inquietus jactitabat. Insuper verò undiquaque ferè per totum corpus, præcipuè verò in pectore, atque artubus maculæ scorbuticæ purpureæ; eæque satis amplæ apparebant: Crura, atque femora, uti etiam Abdomen, & Thorax Hydropicorum more valdè intumescebant. Tussis erat importuna, & continua, & respiratio difficilis, & valdè inæqualis, Adeò ut Aeger primo aspectu mihi videretur non tantum febre Intermittenti; verùm etiam hectica continua à priori orta detentus; atque indè in Phthisin pulmonarem, & Hydropem universalem incidisse. Ubi jam de Aegri vita planè desperatum esset, ego tandem ab amicis advocatus, non tam ad febrem (quam ante æstatis adventum incurabilem esse judicabant) curandam; quam ut aliquales suppetias contra Phthisin, Hydropem, & Scorbutum ferrem; hostes quidem, qui adeò ferociter desæviebant, uti mortem ferè præsentem minari viderentur. Ipse verò Æger vel ipsius cibi, licet delicatissimi, nausea affectus, multo magis medicaminum, quorum copia ventriculus ejus jamdiù obrutus fuerat, ægrè admodùm consensit uti curationem cujusvis generis Pharmacis tentarem. Hoc tandem multis precibus obtinuerunt amici; uti per iij. vel iv. dies, *pilulas nostras specificas è Cortice peruviano* factas tentaminis gratia admitteret.

Quo spatio ℥vj. *pulveris* jam consumpti, illicò à Paroxysmi sequentis insultu liber evasit. Die sequenti, cùm ego jam Aegrotum inviseram, eum inveni de hoste prorsùs triumphantem, ova sorbentem, & paratum foras in curru, qui jam præ foribus erat, vehi, quo necessaria negotia prosequeretur. Quod verò mihi multo magis mirandum videbatur: sicuti maculæ omnes disparuerunt, ita etiam tumor ille hydropicus, sine vel ulla sensibili evacuatione, evanuit. Respiratio etiam difficilis, & tussis una cum reliquis phthiseos incipientis symptomatis plurimum mitigari videbantur, atque in dies decrescebant, donec tandem Aeger pristinum sanitatis statum paulatim recepisset. Verum quidem est, Febrem hanc post mensem unum, sub specie quartanæ simplicis, reversam esse; & ad quartum ferè paroxysmum durasse; verum tamen sine usu Remediorum, vel priorum symptomatum superinductione prorsùs evanuit; à quo tempore optima valetudine fruebatur Aeger, donec tandem post annum scil. elapsum, & quod excurrit, funestè ab Hæmorrhagia narium sublatus est.

CAP. XIII.

De Phthisi Icteritia, seu Hepatica.

SAnguis, ubi primùm novas chylosas parte, & nutritioni idoneas, hic inde

in

in circulatione deposuerit, a particulis salinis atque acribus, lege naturæ, in sese adhuc continet, (quo inde ministretur, & quotidie reparetur Bilis, & reliqua necessaria corporis fermenta) planè acris, ac si fermento imbutus redditur. Ideòque eadem naturæ sagacitate provisum est, quo postquam hoc modo necessariis fermentis satisfactum est, acres & superfluæ reliquiæ, tanquam excrementa, illicò per poros cutis, renes, glandulas Intestinorum Crassiorum, reliquasque portas, seu emunctoria Corporis, protrudantur atque eliminentur; ne massa ipsa hujusmodi particulis onusta, atque oppressa, indeque in morbidum statum redacta, à naturali sua functione deficiat.

Ex jam ante dictis satis constare potest, rationi, quam multis nominibus Icterus viam in phthisin sternere soleat. Sive enim accidentalis is fuerit; utpote ab obstructione naturalis Bilis progressus è Vesica in cavitatem Intestini Duodeni, à Calculo, vel a partium Bilis glutinositate facta; sive etiam magis habitualis, à deficienti scilicet partium biliosarum in ipso hepate secretione, a Scirrhosà ejus induratione, vel exulceratione; proveniens; Duo sunt, quæ non possunt non indè nasci; Bilis scilicet defectus in Intestinis; & nimia ejus congestio in sanguine. Horum priori, Natura ob debiti menstrui in chyli volatilizatione defectum, à convenienti partium excrementitiarum à chylosis separatione impeditur: quo fit quod stercora in sese utramque partem continentia colore albo extrudantur, unà cum manifesto Ægri, vel ab ipsis morbi primordiis, languore & imbecillitate: Quippe quod ab hac continua novi chyli detractione Atrophia universalis sensim inducitur, quod jam anteà in *Appendice ad Primum Librum* innuimus. A posteriori vero ipsa sanguinis massa alteratur, & morbidè afficitur; utpote particulis biliosis acribus, & pungentibus nimis saturata. Quod sese prodit, non tantùm per universalem in corporis habitu excitatum pruritum; verum etiam per auream Tincturam toti cuti inductam, & per colorem urinæ intensè rubrum & flavescentem. Ab hac acrium & biliosarum partium in sanguine congestione, saltem quoties diuturnam, & habitualem esse contingit, nemo mirari debet, si vel ipsa massa in calorem hecticum degeneret, & quam citò pulmones inde hecticè calefacti infercire, inflammari, & putrescere apti sint nati, æque facile est vel cuivis observare. Adeo ut Icterus, quotiescunque is est chronicus & habitualis, tonum sanguinis sensim evertendo, phthisin etiam pulmonarem Chronicam inducere soleat. Quod non parum etiam promovetur ab oppressione hypochondriorum perpetuo ea gravitanti, præternaturali hepatis densitate, & constrictione effecta, quoties scilicet Icterus est Chronicus: atque etiam à Colica Ventriculi, seu horrendis illis spasmodicis doloribus, qui frequenter recurrere solent, a ductus fellei obstructione, per calculum, vel bilis glutinositatem; vel etiam ab ipsius jecoris inflammatione & exulceratione, quoties scil. hic morbus accidentalis est, & magis acutus. Sicuti enim pulmones non possunt non multum pati per consensum cum vicino jecore habitum, & contractionis etiam spasmodicæ necessario cum illo participes fieri, sub specie scil. suffocationum hystericarum; unde tenerum eorum parenchyma frequenti constrictione plurimum subverti, & a tono naturali mutari necesse est, in Ictero scil. accidentali: Ita etiam quoties est habitualis, Melancholia Hypochondriaca, quæ semper gravantem illam oppressionem ab obstructo hepate ortam comitari solet, in phthisin pulmonarem magis forsan quam vel ulla alia animi pathemata disponit. Verum quidem est, me rarissimè quidem phthisin Pulmonarem ab Ictero Accidentali ortam deprehendisse sive is morbus originem suam a ductus Cholidochi obstructione; sive ab ipsius hepatis inflammatione, & ulceratione duxerit: Siquidem præ atroci colica, seu dolore spasmodico, & febre acuta inflammatoria hunc Icterum ut plurimùm comitari solitis, raro admodùm Ægrotum tam diu superstitem esse contingit, uti sanguis

guis a biliosis particulis in se præternaturaliter congestis, adeo insignem alterationem subeat, ut ad genii adeo Chronici phthisin formandam disponatur. Priusquam vero possibile sit sanguinis mutationes tanto effectui pares subire, vel Morbus Arte ab Ægro, vel æger morte a morbo tollitur. Ictero vero Chronico & habituali a Scirrhoso, vel nimis denso, & constricto hepatis parenchymate orto, nullus morbus frequentiùs, quam phthisis pulmonaris Chronica, supervenit; quæ quidem in Hydropem fatalem plerumque terminari solet. Sicuti enim hic morbus est plurium annorum, quippe quod nullo gravissimo symptomate stipetur; ita bilis indè in sanguine præternaturaliter congesta, licèt non sit tam copiosa, quam in Ictero accidentali, per longam tamen moram, & frequentem cum illo *cohobationem* (si ita loqui fas est) totam massam efficaciùs alterat, & morbidè disponit; a quo tenerum pulmonum Parenchyma tandem fatalem labem contrahere nemo mirari debet. Causæ evidentes, seu procatarcticæ, hujus phthiseos sunt fere crapulæ frequentes, & longæ, & Pathemata animi graviora sese alternatim excipientia. Ab illis Parenchyma jecoris, & forsan etiam ipsorum pulmonum, perpetuo fere nimium calefieri, & succo superfluo inferciri; ab istis vero spasmodice constringi, vel comprimi, contingit: Ab utrisque conjunctim jecur saltem (& forsan etiam pulmones) in tono, seu compage sua nimis compressum, & constrictum, si non etiam Scirrhosum, vel inflammatum, & ulceratum redditur. Atque hinc non potest non insequi nimia bilis in sanguine congestio; atque inde morbida ejus alteratio, oppressio Hypochondriorum, Melancholia, cum reliquis jam ante memoratis signis, quæ in phthisin Pulmonarem. Atque hinc est quod ego phthisin hanc crapulosam vocare soleo. Satis enim notum est, vel cuivis in medicinæ Praxi tantillum exercitato quam sæpe anxiis, atque aliis gravioribus animi pathematis, multa & consueta crapula alternatim exceptis, nonnullos vitæ male actæ pœnas luere contingit, præmatura ejus & satis ærumnosa extinctione ab hujusmodi Phthisi effecta; cui non multum ante fatalem diem Ascites; aliquando etiam Anasarca, superinduci solet.

Signa hujus phthiseos Diagnostica a tribus fontibus petenda sunt: Ab urina 1cil. cute, & hypochondriis. Primò; Urina quidem est quantitate admodum pauca, Contentis plurimum saturata, & coloris intensè rubri, & flavescentis, instar *Cerevisiæ Brunsvicensis*. Verum quidem est omnium phthisicorum urinam, ob febrem esse aliquatenus rubram & paucam, & ob præsentem colliquationem Contentis etiam saturatam, atq; hoc pacto in febribus putridis intermittentibus apparere solet. In phthisi verò Hepatica, seu Icteritia, Phænomena ista in gradu multo magis intenso semper inveniuntur; & quò magis hepatis Parenchyma obstruitur; atque indè copiosior fit bilis in sanguine congestio; eò semper intensiora. A bilis enim commixtione pars sanguinis serosa, seu urinaria; sicuti tinctura profunde rubra, & flavescente imbui solet, ità etiam coagulari & partes suas heterrogeneas præcipitare apta nata est: undè etiam peti possit ratio, quare hujusmodi phthisicorum urina tam pauca, & Contentis plena, æque ac rubra & flavescens esse soleat. Secundò; Color cutis etiam subflavus est. Fateor quidem omnium tabidorum cutim, in quantum marcor prævaluit, à partium contractione crassescentem, nitore solito privari; verùm in phthisi præter pallorem, & squalorem illum vultus, flavedo varia & incerta, uno die plus quàm altero manifesta est; præcipue verò circa collum, dorsum, atque alias corporis partes cute crassiores tectas, licet non tam intensa sit, quam in Ictero accidentali esse soleat, ubi per totalem Cholidochi ductus obstructionem, multò copiosior bilis in sanguine coacervatur, quam ubi ab obstructione glandularum hepatis, imperfectè tantùm à sanguine secernitur. Tertiò; Oppressio

gra-

gravativa semper in hypochondriis sentitur cum Melancholia conjuncta, ab obstructione & mole hepatis indè aucta proveniens; quod sæpissimè adeò indurescit, & quantitate augetur, uti inde non tantùm dextrum hypochondrium multùm distendi, & elevari; verùm etiam tumorem in illo quasi renitentem externo etiam tactu sentiri contingat.

Phthisis ista semper est Chronica, & plurium annorum, utpote a causa tarda & lenta procedens. Sputum etiam est magis viscidum, quam copiosum, uti in omni phthisi tarda esse solet.

Sicuti cum Inappetentia, & cibi fastidio ista phthisis incipit, ita in Hydropem Asciticum tardum, & dolorificum fere semper terminatur; ubi primum scilicet à progressu morbi hepar adeò induruerit, uti à vasorum lymphaticorum per illud reptantium constrictione, ea in partibus inferioribns ῥήξι pati contingat; Cui etiam frequens hæmorrhagia narium a circulatione in aliis partibus impedita, ab iisdem obstructionibus orta, fere semper adjungi solet. Ideòque ut ut curabilis sit hæc phthisis, si Medicus expertus ab Ægro morigero tempestivè accersatur, nulla tamen est ea fatalior, ubi jam Hydrops à Lymphæ ductuum ruptura per hepatis duritiem effecta, supervenerit. Neque quidem misellus Æger εὐθανασίᾳ frui potest, propter horrendos, & perpetuos dolores, anhelosam respirationem, & reliqua symptomata, segnem hunc Hydropem comitari solita.

Indicationes curativæ generales sunt tantum duæ; Pulmonum scil. morbide affectorum in statum sanum restitutio; & causæ, a qua pulmones adeò male affectos esse contigit, sublatio. Priori indicationi satisfieri possit usu Remediorum *Pulmonarium*, *Generali Methodo*, *in Libro secundo* jam ante memoratorum: Secundæ verò, ope *Hepaticorum*, *Diureticorum*, *Chalybeatorum*, atque aliorum ejusmodi, quæ hæpatis obstructiones removendo, debitam & liberam biliosarum partium è sanguinis massa secretionem restituant, & bilis excretionem in Intestina, per ductum communem promoveant; quo Atrophiæ causa, atque etiam phthiseos hujus Pulmonaris symptomaticæ, penitus tolli possit. Quo pacto verò generalis curationis Phthiseos methodus commixtione *Hepaticorum* cum *Pulmonaribus*, (quo utrique indicationi satisfiat,) sit varianda, mallem exemplis, quam novæ methodi descriptione, ostendere: ne hujus Discursus filum nimis protrahi videatur. Ideoque Historiam unam, vel alteram ad hanc rem speciatim spectantem illico narraturus sum, præmissa unica hic generali observatione, quam quidem in tota hujus Phthiseos curationis methodo, præ oculis habere convenit; quod scil. inter *Pect. Incidentia*, *Absterſiva*, & *Carminativa*, semper eligenda sint; *Incrassantia* omnino sunt vitanda, & *Mucilaginosa* cum aliis *Alterantibus* moderate usurpanda; ita suadente non tantum Phlegmatis viscositate, (quod hujusmodi Phthisici vix cum maximo conatu expectorare, aut exscreare possunt;) verùm etiam ipsius hepatis obstructo statu, in quo quidem, in hoc casu, prima hujus tabis semina delitescunt. Indeque fit, quod utcunq; hæc phthisis jam incipiens, aliquando perfectam curationem admittat, ex mero scil. *Incidentium*, & *Chalybeatorum* usu, quæ hepatis obstructiones tollendo, & consequenter etiam causam morbi Procatarcticam auferendo, satis etiam pulmonibus prospiciunt, quibus labes nondùm tam alte impressa fuerat, quin ultro cedat, & evanescat, postquam novus fomes ab hepate male affecto ministrari cessat. Nunquam tamen vidi huiusmodi phthisin à medicamentis mere Pulmonaribus curatam; semper vero à copioso *Incrassantium* usu, & eorum omnium, quæ hepatis obstructiones augent, plurimum & cito ad gradum usque funestum confirmatam observavi. Ideoque sicuti Lac, & omnia Lacticinia, ipsum *Lac Asininum*; multo magis *Diæta* mere *Lactea*, in hujus phthiseos curatione non convenit: Sic etiam ob eandem rationem satius est omni usu *Laudani*, & *Opiatorum* cu-

juscun-

juscunque generis, nisi urgenti necessitate, abstinere. Mœstitia sedulo devitanda est, quæ partium hepatis constrictionem continuò promovet. In aere etiam tenui, & perflatili Æger versari debet, & inibi exercitiis moderatis quotidie uti, quæ omnia ad tollendas hepatis obstructiones multùm conferunt. Super omnia verò hanc curationem promovet longus *Amarorum Chalybeatorum* usus; præsertim verò *Aquarum Mineralium Chalibeatarum*, modo obstructiones non eò invaluerint, ut *Aquarum* fluxum per urinam præpediant. Sin verò res ita sese habeat, religiosè ab earum usu abstinendum est, ne à præmaturo hydrope superinducto morbus illico incurabilis reddatur.

HISTORIA PRIMA.

Dominus Dell', circiter annum ætatis suæ vigesimum, cum jam à multis retro annis Dyspnœa, & Tussi Asthm. una cum aliis Phthiseos Pulmonaris Chronicæ notis laborasset, & tinctura in cute, & urina quadantenus flavescente, cum aliis obstructi jecoris signis affectus esset, tandem in febrem inflammatoriam horrendis doloribus pectoris, siti, vigiliis, necnon sputo sanguine leviter tincto, atque aliis Tuberculorum Pulmonarium inflammatorum signis stipatam incidit, & à me opem petiit. Statim ab inspectione urinæ profundè rubræ & flavæ; contentis etiam instar *Cerevisiæ Brunsvicensis*, saturatæ; uti & à levi cutis flavedine (licèt adolescentem nunquam antehàc, quod scio, vidissem) febrem Peripneumonicam Ægro, jam anteà in Phthiseos Icteritiæ, seu hepaticæ, statu existenti, ex accidente aliquo superveniisse conjeci. Ideòque primo die *Nov.* scil. nono *Anno* 1688. ℥. x. sanguinis è cubito dextro illicò detrahi jussi, & ℥. iv. *Apozematis* sequentis, cum Cochleari *Linctus* sæpissimè propinari.

℞. *Ol. Amygd. dulc. Syr. ex Erysimo* an. ℥ii. *Sacchar. Cand. Alb.* ℥ii. *Ms. exactissimè F. Linctus.*

℞. *Decoct. pectoral. depurat.* ℔ii. *Tinctur. Croc. Syr. è quinque radicib.* an. ℥i. ℈. *Ms. F. Apozema.*

Ad dolores pectoris, & lateris sublevandos jussi sequentem Fotum partibus affectis, urgente dolore, calidè applicari, in vesicam bubulam prius inditum, ita ut semiplena tantum sit vesica.

℞. *Rad. petroselin. Fœnicul. Sem. Lin. Fœnugræc.* an. ℥ii. *Flor. Chamæmel. Melilot.* an. M*ii. coqu. in aq. F. q. s. in fotum.* Amota vesica curavi pannum Laneum linimento sequenti calidè illitum locis affectis imponi.

℞. *Unguent. Dialth.* ℥ß. *Ol. lilior. Alb. Laterit.* an ℥iii. *Ms. F. Linimentum* Ad spiritus refocillandos *Iulapium Cordiale* sequens præscripsi, cochleatim sumendum ad libitum.

℞. *Aq. Meliss. Ceraso. nigr.* an. ℥iii. *Aq. Epidem.* ℥ii. *Syr. Caryophyll.* ℥x. *Ms. F. Iulapium.*

Nov. 10. Flagrante adhùc febre, necnon urgente plurimùm dolore, iterùm ℥viii. sanguinis ex eodem brachio, quo priùs, detrahi jussi: & propter urgentem sitim *gr. xv. Sal. Nitr. puriss. Sacchari albi* ℥ß *commixt.* singulis hausti bus Cerevisiæ solvi; *Enema* etiam *Lactis Sacchar. Florib. Chamæl. alterat.* injici; nisi, alvus sua sponte soluta fuerit necnon (si dolor id requireret) *Emplastrum ex æq. partibus Empleastr. paracels. & de Minio* super alutam extendi, & partibus affectis imponi; hora somni etiam (si dolor multum sæviret) *Laudan. Liq. Helmont. gutt. xv.* in haustulo *Iulapii* exhiberi, & in *Apozemate pectorali* ℥i. *Fimi Equin.* frigide infundi, A quorum usu melius sese quadantenùs habere videbatur, jam plurimum mitigata febre, dein verò facta jam diligenti urinæ, cutis, & stercoris inspectione, certior de jecoris obstructione factus eram. Ideoque loco prioris *Apozematis* sequens præscripsi, cum *Linctu*, quarta quaque hora ad ℥iv. sumend.

℞. *Ingredient. Decoct. pectoral. q. s. Rad. petroselin. Fœnicul. Cichor. Gramin.* an. ℥ii. *Rad. Curcum. Cortic. intern. Berberor.* an. ℥i. *Raf. C. C. Ebor.* an. ℥ß. *uvar. Corinthiac.* ℥ii. *Croc. in nodulo ligat.* ℥ß.

Coq.

Coc. in aq. f. q. s. ad ℔ij. *Circa finem ebullitionis addendo Vin. alb. opt.* ℔ß. *Colaturæ adde Aq. Lumbricor. magister.* ʒiii. *Syr. è v. radicib. Decoct. Traumatic.* an. ʒii. *Ms. F. Apozema.*

Tincturæ sacræ etiam ʒiiß. *hora somni propinari jussi* qua bis alvum deposuit sequenti mane cum levamine. Ideòque *Nov.* 11. usum *Apozematis* continuari, *Tincturam* hora somni repeti, & manè sequenti *Aquar. Mineral purgant. a* ℔. *iv. ad. tres Coct. & semilibra lactis alterat.* propinari jussi, locoque prioris *Julapii* sequens substitui, copiosè bibendum.

℞. *Aq. Petroselin. Fœnicul.* an. ʒiv. *Aq. Lumbric. magistr. Syr. è v. Rad.* an. ʒii. *Ms. F. Julapium.*

Nov. 13. Ex hac methodo omnia symptoma alleviari cœperunt, urina etiam colore non adeo Icteritio, atque antea fluebat. Ideoque *Apozematis*, *Linctus*, & *Julapii* ultimo præscript. continuationem, & *Tincturæ Sacræ* repetitionem hora somni jubebam: atque etiam ad obstructiones hepatis ulterius referandas tres *pilular. sequentium* quarta quaque hora è cochleari *Linctus* cum haustu *Apozematis* exhiberi.

℞. *Pulv. Milleped. præp. Stercor. Anserin.* an. ʒi. *Croc.* ℈ß. *Syr. è v. Rad. q. s. Ms. F. pilulæ mediocres deaurand.*

Nov. 14. Post hanc curam ad relevationem obstructi Hepatis cum successu adhibitam, pulmonibus, qui ab hujus visceris defectu jam multum perpessi fuerant, attentiùs, prout res postulabat, prospicere cœperam, cum tussis Chronica, uti & disponœa, à Phlegmatis, quo Bronchia inferciebantur, viscositate procedens, de hac officii nostri parte continuo nos monerent; præcipuè vero, cum utraque non parum jam à nuperrima affectione Peripneumonica aucta esset. Ideòque præter usum continuatum *Linctus Absterſivi*, & *Apozematis è Pulmonaribus*, *Hepaticis* & *Diaureticis* confecti, atque etiam *Julapii*: & repetitionem *Tincturæ sacræ* hora somni, præscripsi tres *pilular. sequentium* è Cochleari *Linctus*, *ter die sumend. cum haustu Apozematis.*

℞. *Pulv. Milleped. præp.* ʒiii. *Gum. Amoniac. depurat.* ʒi. ß. *Flor. Benzoin.* ʒi. *Extract. Croc. Balsam. peruvian.* an. ℈ß. *Balsam. Sulphur. Terebinthinat. q. s. Ms. F. pilul. mediocres deaurand.*

Nov. 15. Iisdem insistere jussi, & post mediam noctem *Tincturam sacram* repetere, & mane sequenti *Aquas Minerales Purgantes*. Quo pacto ex meo præscripto usque ad diem xix. procedebat, nisi quod loco *Tincturæ* ʒ ß. *pilul. Stomachic. cum Gum.* substituerim, ob fastidium scil. quo à longo medicamenti illius usu affici jam cœperat.

Nov. 19. Mandavi repetitionem *pilularum stomachicarum*, & *Aquarum Purgantium* tertio quoque die, ad tres vices, & uti in usu *Linctus Apozematis*, & *pilularum Balsamicarum*, per spatium octo dierum persisteret.

Dec. 10. Ad me in musæolum meum advenit, vegetus, εὐῤῥως, & εὐσαρκος & à morbosis pulmonum atque hepatis symptomatis multo magis liber, quam per multos retrò annos jam fuerat. Quo vero hoc Cronicum malum funditus eradicaretur, præscripsi ℞. *i. Tincturæ sacræ*, ut sumeret *Cochl. vi. vel vii quarta quaque nocte*, & uti durante ejus usu ʒ. *v. Apozematis Pectoralis & Hepatici* jam ante præscripti, diebus intermediis ter die, horis scil. medicis, hauriret. Eum insuper seriò admonui, *Cerevisiæ Antiscorbuticis*, *Hepaticis*, & *pulmonaribus* medicata, & *Aquis Chalybeatis Islingtonensibus Sadleri*, primo vere atque æstate uteretur.

HISTORIA SECUNDA.

Dominus Maddox, Vir ad minimum Quinquagenarius, Arthriticus, & Hypochondriacus; à longis curis & Pathematis animi gravioribus, & ab assueta *Liquorum spirituosorum* ingurgitatione, sensim in Inappetentiam, & dispositionem vomiturientem in pulmonum infarctionen unà cum tussi; atque etiam in hepatis obstructionem, & totius corporis tabem incidit. Tertio verò die *Augusti Anno* 1688. ego accersitus illum inveni constrictione alvi, &

dolore

dolore dorsali, & laterali spasmodico, & admodum horrendo plurimos dies detentum, non sine manifestis præsentis febris & languoris signis, quæ in tantum jam invaluerant, uti vel de ipsa vita planè desperaretur, Primum opinatus sum dolorem à Colica Nephritica ortum suum habuisse; indeque ℥x. sanguinis illicò è brachio extrahi jussi (non tantum præsenti febre, verùm etiam inflammationis in intestinis ob extremum dolorem subsecuturæ metu id suadente) partes affectas *Unguento Dialth. Oleum Lilior alb. & Latarit. commixtis calidè illini*, & *pilulas è* ℥. ß. *Extracti Rudii & gr. i.* ß. *Laudan. Lond.* in lecto exhibendas, præscripsi, quod dormiret; *Julapium* etiam *Cordiale Temperatum*, ad vires refociL landas sæpius propinandum. Et si opus fuerit, alvum post octo horas *Enemate Lactis Saccharat. Floribus Chamæmel. alterat.* sollicitari jussi; operatione verò *Cathartici* jam finita, gutt. viginti *Laudan. Liqu.* in haustulo *Iulapii* hora somni propinari. His verò nec quicquam, vel ad alvi subductionem, vel ad doloris mitigationem proficientibus, *Augusti sexto*, *Apozema mucilaginosum*, & *lubricans* præscripsi sæpius bibendum, & per tres continuas noctes *pilul. Stomach. cum gum.* ℥. ß. *Laudan. Lond. gr. j.* ß. & matutinis sequentibus ℔. *iv. Aquar. Mineral. purgantium*.

Aug. 17. Repetitionem *pilularum* jussi hora somni, & *Aquarum* etiam manè sequenti; & uti *Aquas* biberet coctas, solvendo in ultimo haustu *Mannæ selectissimæ* ℥i. ß. Dolor verò spasmodicus dorsi, & constrictio alvi, his non obstantibus, manebat: Indèque.

Aug. 18. Præscripsi *Cochlear.* iv. *Elixir. Salutis*, & *Laudan. Liqu. gutt.* xxx. hora somni offerenda, & uti aurora sequenti sumeret ℥iii. *Apozematis* sequentis calidè; & repeteret tertia quaque hora, donec alvus copiosè dejacerat.

℞. *Fol Sen.* ℥ß. *Sem. Coriand. præp. Sal. Tartar.* an. ℈ii. *Coque in Aq. Mineral. purgant.* ℔i. ß. *ad* ℔j. In colatura dissolvendo *Mann. selectiss.* ℥ii. *A cujus usu alvus tandem nimis libere, hoc est, supra vires, fluere incipiebat; sine aliquo vero doloris levamine, qui adeo desæviebat, uti vix vel ipsius *Laudani* usu compesci potuerit, licet gradatim ad *gutt.* xl. l. lx. ascenderemus, quas tamen singulis noctibus repetere coacti fuimus.

Aug. die xxi. secunda vice ad illum invisendum accersitus, a colore cutis leviter croceo satis bene intellexi, primam totius mali originem non in renibus, verùm in obstructo jecore diu latuisse, & neque phthiseos progressum præcaveri, neque quidem præsentem illum horrendum dolorem inter dorsum, latera atque alvum commigrantem, tolli potuisse, nisi debito respectu ad hanc partem priùs habito. Neque inde quicquam morabar, quod dolor in partibus abdominis inferioribus, juxta regionem renum & vesicæ, & longe infra hepatis sedem, sentiretur; quoniam sæpissime antehac idem hoc in icteritiis observaveram, quos sæpiùs querentes, & præ feroci dolore, quem in Partibus Hypogastricis sentiebant, ejulantes audiveram, cùm causa revera fuerit in Hypochondrio dextro remota. Cujus φαινομενου non admodum difficile est rationem reddere: Nempe quod, sicuti hepatis Parenchyma, ex nostra hypothesi & observatione, ob præternaturalem compressionem & densitatem sensu fere privatur, ita etiam ob eandem rationem, transitum admodùm difficilem sanguini, lymphæ, atque aliis liquoribus per se transeuntibus præbet; uti inde necesse sit vasa huc è partibus abdominis inferioribus tendentia, ultra naturalem tonum distendi, & varicosa reddi atque inde multum pati, donec tandem ex usu *Hepaticorum*, & *Ecphractic.orum*, Parenchyma hepatis laxum & naturalem suum tonum restitutum habuerit. Ex hac hypothesi per tres hebdomadas jussi singulis diebus ℥ii. ß. *Tincturæ sacræ* hora somni propinari (cui gt. xxx. xl. & tandem etiam l. *Laudan. Liqu.* semper, præ doloris scil. vehementia, addi coactus permittebam) Quarto quoque mane *Apozema Cathartic.um* repetendum cum additione ℥i ß. *Syrup. de*

Spin-

Spin. Cervin. & diebus intermediis ℥. *iv. Apozematis Diuretici* sequentis quarta quaque hora propinandas præscripsi.

℞. *Rad. Cichor. Gramin. petroselin. Fœnicul.* an. ℥ij. *Rad. Curcum. Cortic. interior. Berber.* an. ℥i. *Rasur. C. C. Ebor.* an. ℥ß. *Uvar. Corinthiac.* ℥ii. *Croc. in nodulo ligat.* & *sæpiùs express.* ℈ß. *Sem. Anis.* ℥ß. *coq. in Aq. f. q. s. ad* ℔ii. *addendo sub finem ebullitionis vin. alb.* ℔ß. *Colaturæ adde Aq. Lumbricor. magistr.* ℥iij. *Succ. Limon. n.* ii. *Syrup. e v. radicib.* ℥iij. *Ms. F. Apozema.*

Consului etiam, ut ℥i. ß. *Vin. Chalibeat. tantillo sacchari rubri edulcorat. omni mane sumeret.*

Post dies octo vel decem jam elapsos, ut dolor mitigari, ita etiam alvus facilius fluere incipiebat. Ideòque primum *Syrupum de Spin. Cervin.* ab *Apozemate cathartico* detraxi. Et demum *Aug.* 30. loco ipsius *Apozematis cathartici*, *Aquar. cathartic. crudar.* ℔vi. substitui, quibus Alvus satis copiosè jam respondebat; ideòque illas tertio quoque mane repeti curavi.

Sept. 6. Propter languorem à frequenti Purgatione oriundum (à quo tempore alvus adeò copiosè dejicere cœperat,) omissionem *Aquarum Cathartic.* in posterum mandavi, & *Iulapium Cordiale* sequens sæpius propinandum præscripsi.

℞ *Aq. Dris. Stephan.* ℥ii. *Epidem.* ℥iß. *Ceras. nigr.* ℥iv. *Sir. Carioph.* ℥x. *Ms. F. Iulapium.*

Sept. 12. Cùm jam tandem Æger *Tincturam sacram* propter longum ejus usum planè fastidiret, loco ejus, & *Laudani* cum ea commixti substitui *pilular. Stomachic. cum gum. è cinogloss.* an. *gr. xii. in tres pilulas redact.* quas omni nocte repetendas dedi. Et quia jam è copia, Tinctura urinæ minus intensa, obstructiones hepatis quadantenus reseratas esse sensi, quatuor *pilularum* sequentium omni mane ad urinam ulterius ciendam deglutiri jussi.

℞. *Pulv. Milleped.* ℥ß. *Sal. Succin. ab oleo optimè depurat. gr. xv. Sir. de altb. q. s. Ms. F. pilul. mediocres deaurandæ.*

Sept. 18. Cùm ex urinæ tinctura ad colorem jam ferè redacta ritè conjectatus essem, hepar ad tonum suum naturalem utplurimum restitutum esse; Aegro consului, usu *Aquarum Chalibearum Sadleri Islingtonensium* reliquas hepatis obstructiones reserare, & materiæ morbificæ reliquias per urinam præcipitare tentaret. Cùm verò post diei unius, vel alterius experientiam, satis mihi jam constaret, obstructas partes nondum in tantum deoppilari, uti *Aquis* per renes liberè fluendi copia daretur; nempè quòd serum sanguinis à particulis biliosis irretitum iisque nimis saturatum, & tanquam coagulatum ob viscositatem scil. præternaturalem inde contractam, haud potuit adhùc liberè per poros glandularum renalium transcolari, mutavi sententiam, & vice *aquarum*, *Iulapium* sequens frequenter & copiosè bibendum dedi; & ℥ii. *Electuarii Chalibeati* seq. omni mane exhibendas præscripsi; ab horum priori urinæ copiosiore fluxu, à posteriore verò, ulteriori obstructionum reseratione exspectata; dum repetitione *Tincturæ Sacræ* tertia quaque nocte facta tonum ventriculi magis firmatum, & alvum satis solutam reddere pergerem. Neque eventus spem meam fefellit. *Iulapium* erat hujusmodi.

℞ *Aq. Petroselin. Fœnic.* an. ℔j. *aq. Lumbric. Magist. Syr. è v. Radic.* an. ℥vj *Ms. Electuarium* tale fuit.

℞ *Limatur. Chalyb. præp.* ℥ii. *Croc. Macer.* an. ℈j. *Conserv. Fruct. Cynosbati flor. Cichor.* an. ℥i. ß *Syr. è Corticib. Citri q. s. f. Electuarium.*

Ab horum usu Aeger plane convaluit, non tantùm à doloribus, & dispositione vomituriente liberatus; verum etiam à consueta pulmonum infarctione, tussi, & dyspnœa; uti etiam à tinctura cutis flavescente, atque ab omnibus aliis tùm obstructi Hepatis, tum pulmonum male affectorum signis. Appetitus enim integer rediit; quo illicò e statu tabido, æque ac Ictheritio evasit, atque adhùc sanus, & vegetus manet. Utcunque ubi eum dimisi, quo mali hujus chronici diù fixas radices penitus

penitus evellerem, *Sept.* 24. 1688. hanc ultimam *Schedulam* in ejus usum descripsi? cui, jam ferre restitutus, non tam morigerus fuit, quam prioribus solebat; quoniam forsan non adeò necessariam credebat.

℞. *Tinctur. sacr.* ℥i. *Capiat Cochlear. vi. vel vii. tertia quaque nocte.*

℞. *Extract. Ecphractic. sine Aloe* ℥i. ß. *F. Pilulæ mediocres deaurandæ, quarum tres bis die singulis diebus deglutiat, mane scil. & quarta pomerid.*

HISTORIA TERTIA.

Dominus Dent, incola in vico dicto *VVhitecross street*, opem meam & consilium per plurimos annos petere solebat, quoties de sanitate sua, vel familiæ recuperanda ageretur? Vir sanè probus, quadantenus tamen melancholicus, indeque compotationibus nocturnis iisque seris, & admodum longis, ad erigendum oppressum animum deditus. A quo habitum corporis crassum, & tanquam callosum incidebat. Tandem verò circiter annum ætatis suæ quinquagesimum, longis & incertis intervallis, de affectu capitis vertiginoso conqueri solebat: atque post hujusmodi tres vel quatuor paroxysmos [quorum unus, vel alter prope ad apoplexiam accedebat) ab uxore charissima, & obsequentissima frequenter monitus, & obnixè rogatus, tandem hoc negotium ad me deferre consensit; Vir alias à medicamentis, si quis alius, maximè abhorrens. Sanguine verò è vena jugulari extracto, & *Emplastro Epispastico* amplo Nuchæ applicato; exhibito etiam leni *Vomitorio*, & deindè *Cathartico* uno, vel altero, una cum *Julapiis Cephalicis* intersperfis, à præsentibus symptomatis jam liberatus, *Chalybeata*, atque alia ad obstructiones in visceribus reserandas pertinentia, quibus futuræ sanitati prospici potuerit, planè respuebat. A cujusmodi neglectu accidit, quod anni unius; vel alterius spatio recidivationem iterùm iterùmque perpessus sit. Tandem verò à Medicastro quodam *Spargyrico* satis jactabundo, exhibito illi, absque aliqua præcedenti evacuatione, *Arcano* nescio quo, *Marciato*, morbum illicò à cerebro ad pulmones, & Diaphragma translatum esse conti git, sub specie Asthmatis sicci; adeo ut, qui antea de vertigine conqueri solebat, jam multo magis perpetuam strangalationem, seu suffocationem defferet, quæ quidem vel ipsis spectatoribus in Ægri vultu satis apparebat; quippe quod non tantum nativus faciei nitor à cute crassescenti jam planè perierat; verum etiam genæ, & ipsa labia loco soliti rosei splendoris, fœdo livore, quadantenus pallescente, conspurcabantur, ac si Æger longo jam tempore illaqueatus fuisset. Necnon oculi, & tota fere cutis colore Icteritio leviter tingebantur, urina etiam modo Icteritiorum flavescente, & sicuti quantitate perpauca erat; ita etiam Contentis semper abunde saturara. Tussis etiam aderat ferè perpetua, non verò adeò ferox, quoniam scil. à phlegmate glutinoso procedebat. Appetitus vero planè prostratus erat, & sitis etiam ingens cum aliis febris hæcticæ symptomatis. Et quidem in hoc misero & ærumnoso statu per biennii ferè spatium duravit, jam unius, jam alterius Medici curam, atque opem implorans, nullius vero consilio diu morigerus, donec tandem circiter spatium ante obitum suum trimestre, cum jam planè marasmo confectus esset, à colliquatione universali facta, per copiosam phlegmatis putridi sputationem, sudores immensos, Diarrhœam, & tumores Hydropicos Crurum atq; Abdominis valdè molestos, sese iterum, licet jam nimis serò, cum lacrimis, & precibus meæ curæ commisit, graviterque indoluit, quod medicaminum tædio sub morbi initio affectus, tam citò sese à cura & consiliis meis subduxerat; quum à Venæsectione, repetito usu *Mixturæ Rtverii*; atq, aliorum *Emeticorum* leniorum, & *Catharticorum*, *Pilularum nostrarum Balsamicarum*, *Linctuum*, & *Apozematum Pectoralium*, *Incidentium*, & *Abstergentium*, mutatione aeris, atq; aliis ejusmodi plurimum emolumenti percepisset, licet in integrum sanitatis statum nondùm redactus esset; cùm jam præ Diathesi tabida, &

colliquatione universali vires evacuationibus necessariis omninò impares essent. Nihilominùs manus adjutrices pro viribus misero ægro porrigebam, & primùm tumorem Hydropicum subductione humoris per alvum minuere tentabam, bolo *Cathartico* sequenti.

℞. *Conserv. Flor. Cichor. pulv. Rhei.* an. ℈ℓ. *Resin. Ialap.* ℈ß. *Sal. Absinth. gr. v. Syr. Cichor. cum Rheo q. s. Ms. fiat bolus.*

Operationem primi *Boli* cum ἐμφάσει ferebat; attamen præ Ægrotantis languore, atque febre, non ausus sum *Bolum* istum tam sæpè repetere, quam hydrops id postulabat. Incassum etiam *Julapio Diuretico* ex *aq. petroselin. fœnicul. Lumbric. mag. Syr. e v. radicib. Sal. Succini*, &c. urinæ fluxum promovere satagebam; a cujus usu febris quadantenùs augeri videbatur; quam denuò usu *Corticis Peruviani*, saltem in tempus sustuli. Ubi verò appetitum exindè non restitutum deprehendi, non adeò multum ab isto medicamento exspectavi. Ideoque obstructiones hepatis, (in quo primum morbi malum latitare ritè suspicatus sum) usu copioso *Apozematis nostri Hepatici*, *Diuretici* jam ante memorati, & *Chalybeatis* etiam commodissimis reserare, uti etiam pulmonibus *Pilulis nostris Balsamicis*, *Linctibus*, & *Apozematis pulmonaribus* prospicere molitus sum. A quorum usu meliùs respirare, & minùs febricitare, cutim etiam & urinam minori flavedine tinctam habere videbatur; Colliquatione tamen adhuc perstante, & hydrope prævalente, cùm etiam jam media hyeme essemus, de ejus restauratione planè desperavi, ideoq; eum pro voto suo in aerem rusticanum, & apricum dimisi, quo ibi συστάσεως saltem, quantum ejus symptomata ferre poterant, frueretur: Ubi spatio iv. vel v. hebdomadum ab ista universali colliquatione confectus, sensim more candelæ exstinctus est; de hoc, præter cætera symptomata, querimoniam faciens, horrendo scil. & quasi spasmodico dolore ab hypochondrio dextro per magnam abdominis partem producto; quod quidem neque tollere, neque mitigare potui vel *Linimenti*, vel *Fotibus Anodinis*, vel quovis alio modo. Quale quidem symptoma in aliis ejusmodi ægris fere semper deprehendi; cujus rei rationem à cadavere post mortem aperto admodùm facile erat reddere. Sterno enim semoto, & thorace aperto, primùm in conspectum venerunt pulmones, mole plurimùm adaucti, colore naturali in nigricantem vel cineritium jam mutati, Thoracis parietibus ferè ubique pertinaciter adhærentes, & in omnibus lobis Tuberculis, hic quidem maturis, illic verò crudis referti. Ex quo satis constat hanc fuisse Phthisin vere pulmonarem, licèt symptomaticam. Ipsum etiam Hepar, sicuti multò majus, quam par erat, apparebat, [quo pacto Diaphragma inferius premendo, proculdubiò non parùm suffocationem illam continuam, qua Æger, quocunque versaretur, afflictus est, promovebat;] sic etiam Parenchyma ejus præter tonum naturalem plus solito, justoque compressum, & compactum, acsi planè coctum fuisset; ramuli etiam venæ Portæ ad hepar ab hypogastrio tendentes, ubique ultra naturalem tonum distenti, & varicati erant. A quibus æque facile est causam Icteritiæ hujus Chronicæ dispositionis, quæ hic primam ansam Phthisi præbuit, deducere, atque horrendi illius doloris ab hypocondrio per abdomen producti, de quo non tantum hunc Ægrum, verum etiam *Dominum Maddox*, jam antè memoratum, *Dominam Iames*, *Dominum Freestone* in *Buc Klersbury*, aliosque fere omnes hoc modo decumbentes querelas, cum magnis ejulationibus ita attente & perpetuò facere observavi, acsi nullo alio simptomate afflicti essent. In his tamen hic dolor renum, & lumborum regionem magis occupat, doloris Nephritici, vel lumbaris scorbutici æmulus; sicuti accidebat *Domino Maddox*, & *Domino Freestone*: in illis verò ipsius Abdominis anteriorem partem, præsertim verò hipogastricam, sub veræ *Colicæ* specie; quo pacto affectus est Æger, de quo jam sermonem habemus.

Ab hac quasi compressa densitate & duri-

duritie Parenchymatis Hepatis, adeò præternaturaliter intumescentis, & ab insigni varicatione *Venæ Portæ* inde consequenti, sicuti rationi & ferè vel ipsi sensui, satis constare potest, de *Ætiologia* Chronicæ illius Ictheritiæ dispositionis, ex qua *Æger* noster in *Phthisin* primum erat dispositus: ita non minus de ortu horrendi illius doloris, qui partes Abdominis occupaverat, & forsan etiam hydropis illius Asciti insignis, quo fatalis dies proculdubio multum acceleratus fuerat.

Quod ad Chronicam illam *Ictheritiam* dispositionem attinet, nemo mirari debet, cùm Organum hoc magnum, bilis colatorium, nativa sua laxitate penitus privetur; si à constrictione, seu compressione Parenchimatis inde consequenti, nativæ suæ functioni exsequendæ impar reddatur; secretioni scil. partium biliosarum è sanguine, & earum excretioni in ductum biliarium & in vesicam felleam, in egregios usus eis à natura destinatos: A quo non potuit insequi nimia congestio, seu coacervatio bilis in ipso sanguine, atque inde etiam tinctura cutis flavescens, Urina profunde rubra, flava, & Contentis saturata: dejectionum Alvi Color quadantenus albescens, unà cum languore, virium prostratione, cæterisque Icteri usitatis symptomatis.

Forsan etiam ab hoc compresso Hepatis Parenchymate, & varicatione Venæ Portæ inde facta, accidit vasa lymphatica ab Hepate, vel a Glandulis Conglobatis in ejus sinu juxta ingressum Venæ Portæ ortis [illegible] pati; undè facile etiam sit rationem Hidropici illius tumoris reddere, qui huic Ægro, sicuti cæteris fere omnibus hoc modo affectis fieri solet, sub finem Ictheritiæ hujus Phtiseos superveniebat.

Deniq; quod ad horrendum illum dolorem spectat, qui hunc morbum comitari solet notandum est omnem Icterum, cujuscunque fuerit generis, sive accidentalis, sive habitualis, hujusmodi spasmodicum dolorem semper habere comitem; verum sub hac distinctione, nempe quod sicuti Icterus accidentalis provenit à mera obstructione ductus biliarii, vel communis, per calculum scil. vel glutinosam bilem; ita morbum Peracutum febre periculosa, & doloribus spasmodicis dirissimis ad lipothimiam usque stipatum efficit; qui quidem dolor nihilominus regione Ventriculi, & scapulis circumscribi solet, sub specie scil. Colicæ Ventriculi: quippe hæ vicinæ partes, per consensum cum tenero illo ductu habitum jam a bile, vel calculis ultra nativum tonum multum distento spasmos dolorificos pati solent: Cum è contra, in habituali Ictero, licet ab ipso morbi initio obtusus quidam dolor & gravativus perpetuò in regione hepatis sentiatur, (sicuti *Dominæ James*, atque aliis sæpiùs contigisse memini;) ubi primum scilicet Parenchima hujus Visceris a nativa sua laxitate discedens jam nimis compingi incipit: Verum nullus acutus, & instar prioris spasmodicus dolor invadit, nisi partibus hipogastricis, sub specie scilicet veræ Colicæ, vel lumbaribus, forma nephritici doloris, idque non longe ante fatalem diem, scilicet non antequam a compressione Parenchimatis multum aucta in tantum, tandem hepar ipsum constringi contigit, uti difficilis admodùm, siquidem ullus detur locus sanguinis e Vena Porta per illum traiectioni: Unde, a pressura scilicet subsequentis sanguinis, quis mirari potest vel ipsa vasa ultra tonum naturalem iam distenta, sensim in magnam molem augeri; modo a fluxu immodico Hæmorrhoidum internarum (in quem huiusmodi Ægri valde sunt dispositi) vel ab aliqua alia Vasorum ruptura, seu etiam apertura, non præveniatur. Ità *Vesalius*, *lib. 5. Cap. 15.* observavit, *in Ictheritio quodam à fluxu hæmorrhoidali e vivis sublato hepar multum intumefactum, & Venæ portæ ramum per totum intestini recti ductum ad crassitiem fere Pollicis adauctum*: Guarinonius *etiam Consultatione 584.* affirmat, *sese in hypochondriacis non rarò inveniisse obstructas Mesenterii venas adeò dilatatas, ut speciem intestinorum potiùs quàm Venarum præ se ferrent*. Verum quidem est do-

lorem hunc in ipsis Vasis præternaturaliter distentis, seu tumefactis non sentiri; ipsæ enim Venæ, atque Arteriæ (Testante *Galeno I. de usu Partium Cap. xii.*) Si incidantur, vel urantur, vel laqueis constringantur, nihil sentiunt: Cui sententiæ lubentissimè assentior, quippè suasus frequenti Varicum observatione, quos in Cancrosis mammis, & Cruribus fœminarum gravidarum accidisse sæpenumerò memini; quæ omnes ab hisce Varicibus, ut ut in magnam molem adauctis, obtuso admodum vel nullo dolore afficiebantur; qui quidem ipse dolor etiam à præternaturali distentione externæ cutis, & à compressione in subjectam musculosam carnem, à varicibus amplioribus facta, magis quàm a sensu ipsorum vasorum ita varicatorum procedere, mihi semper videbatur. Neque dissimili forsan modo dolor ille hypogastricus horrendus, phthisin Icteritiam comitari solitus, de quo jam sermonem habemus, ortum suum traxisse censendus. Ubi enim primum hepatis Parenchyma in tantum constringi seu condensari contigit, ut naturali sua laxitate jam privatum, sanguinis trajectionem difficulter admodum, modo omninò, per se admittat; necesse est venam Portæ, atque ejus ramulos, qui sanguinem huc referunt, a continuo novi sanguinis appulsu propter hic positum obicem, multum denuò tumefieri, & varicosos reddi. Quo facto ut ut ipsæ venæ ad mentem *Galeni*, nullo dolorifico sensu afficiantur, nemo tamen debet mirari, a distentione, & solutione continui facta in membranis, quas vasa hæc varicosa perreptant, horrendum hunc & spasmodicum dolorem oriri, qui usu solùm *Chalybeatorum*, & *Diureticorum* partibus subtilibus, & penetrantibus prædictorum, eoque satis longo, & pertinaci, qui quidem obstructionum hepatis reserationi par sit, tolli possit. Quibus obstructionibus jam sublatis, & varicibus inde sponte sua subsidentibus, membranæ, quas perreptant, coalescendo a spasmodico hoc dolore illicò liberari possint. Incassùm etiam, vel ad ipsam minorationem hujus doloris, adhibentur externæ applicationes calidæ, nempe *Fotuum*, & *Linimentorum Anodynorum*, quæ in pleuriticis, Colicis, atque aliis doloribus spasmodicis plurimi usus esse solent. Quippe quòd ab externo calore sanguis varicibus contentus magis agitentur, & excandescat; unde necesse est; uti major vasorum varicatio, seu præternaturalis distentio cum ipsius doloris intentione insequatur. *Oxycratum* verò, *Ceratum Santalinum*, *Unguentum Rosaceum*, atque alia ejusmodi *Styptica*, & *Infrigidantia*, eaque frigidè applicata, scopum multò magis attingere observavi. Super omnia verò *Opium* ipsum interne exhibitum, sicuti est ultimum; ita etiam unicum, saltem maximum, solamen & Asylum hujus doloris. Hoc etiam parca manu incassùm administratur. Nulla enim Dosis verum scopum attingit, nisi quæ quidem distentis membranis, æquè ac ceteris corporis partibus narcosin quandam inducere poterit; quod in *Domino Maddox*, atque alia ejusmodi Ægris sæpius expertus sum; quorum dolores neque quidem ipso *Laudano* mitigare potui, donec *gr. iii. vel iv.* singulis vicibus præscribere cœpissem. Verum quidem est morbum originalem, & symptomaticos istos dolores inde ortos, diversas indicationes ministrare. In quantum enim hi dolores *Opiatis* mitigantur, in tantum obstructio, seu constrictio parenchymatis hepatis, quæ primam ansam dolori præbuit, augetur, & confirmatur. Et quidem quod tempore diurno *Chalybeatis* perficitur nocturno *Opiatis* quadantenus diruitur. Utcunq; tamen in quantum vitalis Indicatio id requirit, oppressa & languens natura necessariis *Opiatis* suffulcienda est. Vita enim perpetuo horum spasmorum tedio jam corruente; neq; *Chalybeatorum*, neq; medicaminum cujuscunque alterius generis usui idoneorum, locus concedi potest. Ideoque in hoc casu licet usus *Opii* summè necessarius, à prudenti Medico debitis intervallis concedi possit (qui etiam diligentiori, & diuturniori usu Medicaminum *Ecphracticorum*, & *Attenuantium* compensari debet) non tamen si-

ne

ne urgenti necessitate vel minimùm granum *Laudani* exhibendum est, quippe quo morbus primarius planè contra indicet.

HISTORIA.

Uxor *Domini Prestbury*, Incolæ cujusdam Insulæ dictæ *BlacKfryers*, quæ jam per menses aliquot ingravidata fuerat. Mulier sanè proba, verum quadantenus anxia, & cogitabunda, à curis, atque animi Pathematis variis tandem Ictheritia facta est, à secretione scil. bilis jam deficienti, propter ipsius Hepatis parenchymatis condensationem quasi Scirrhosa effecta. Verum ab Ictero jam diu neglecto non tantum tabida, & emaciata, longa scil. succi nutritii subtractione, facta est; verum etiam appetitu privari, siti & calore hectico quadantenus affici, dyspnœa, tussi, atque aliis phthiseos Pulmonaris jam incipientis symptomatis affligi cœperat; idque adeo ut vel ipse ego eam brevi Phthisicè interituram crederem, nisi illi suppetiæ ad heparis obstructiones reserandas satis tempestivè ministrari potuerint: Ideoque cùm præ metu abortionis neque *Tincturam sacram*, neque *Aquas Minerales Purgantes*, neque *quicquam aliud Cathartícum* Medicamentum præscribere ausus sim; Mensis *Maii* die tertio præsenti Anno, illi propinari jussi per x. dies continuos ℥iv. *Apozematis Aperitivi* jam antè descripti, sexta quaq; hora, bis die, addendo etiam haustui *Vini Chalybeati* ℥j. cùm verò ob naturalem quandam Antipathiam quam adversus Crocum habuerat, neque hanc, neque *Radic. Curcumæ*, neque & forsan etiam alia aliqua Ingredientia, hisce medicaminibus contenta ferre potuerit; verum ea simulatque fuerant sumpta statim rejiceret; idque non sine instantis abortionis signis, Indicationibus prioribus illico satisfacere novo præscripto in easdem intentiones composito, *Maii* 25. more sequenti satagebam.

℞. *Pulv. Milleped. Stercor. anserin.* an. ℥ij. *Salis Martis* ℈j. *syr. è v. Rad. q. s. M. F. Pilul. mediocres deaurand. quarum tres capiat ter die, horis Medicis, superbibendo singulis dosibus* ℥iv. *Apozem.* sequentis.

℞. *Rad. Cichor. Gram. Petrosel. Fœnic. Asparag.* an. ℥ij. *Cortic. interior. berber.* ℥j. *Rasur. C. C. Ebor.* an. ℥ß. *Uvar. Corinthiac.* ℥ij. *Coq. in Aqu. Font. q. s. ad.* ℔j. ß. Addendo circa finem ebullitionis *Vin. Alb. Gallic.* ℔ß. Colaturæ adde *Aqu. Lumbric. Mag. Sy. ex Erysimo* an. ℥iij. *Succ. unius Limon. M. F. Apozema.*

℞. *Aqu. Petrosel. Fœnic.* an. ℥iv. *Aqu. Lumbr. Mag. Pæon. comp.* an. ℥j. *Syr. è v. rad.* ℥jß. M. F. Julap. è quo cap. *Cochl.* iv. vel v. in languoribus.

A quorum diuturno usu (adminiculante etiam quadantenus rusticano aere) non tantum ab Ictero; verum etiam à tabe, & à symptomatis Pulmonum morbidis, idque absque vel uno Medicaminum Thoracicorum grano, planè libera evasit, jam tandem etiam ad solitam temperiem, atque appetitum restituta bene valet.

CAP. XIV.

De Phthisi Pulmonari ab internis ulceribus viscerum, & partium membranosarum orta.

ALonga & copiosa subtractione succi nutritii facta per ulcera, vetera, atque ampla, quæ magnam puris Ichorosi copiam perpetuo effundere solent, quacunque corporis parte, interna vel externa, ea sedem habere contigerit, flammam in partibus solidis accendi, atque Ægrum indè tabidum reddi, in *Primo Libro*, ratione æque, ac experientia freti probavimus. Ab hujusmodi etiam ulcerum sanatione, præsertim verò si consueta fuerint & vetera; vel fortè etiam maligna aut fistulosa, Phthisin ipsam Pulmonarem sæpissimè superinduci *Capite Octavo* hujus *Libri* satis superque innuimus.

Quandoquidem verò à diuturna duratione ulcerum in viscéribus, & partibus membranosis internis natorum, præsertim verò in iis, quæ nobiliora & majoris usus esse reputantur, qualia sunt,

Hepar, Renes, Testiculi, Ovaria, Uterus atque ejus Vagina, Vesica Urinaria, Ventriculus, Intestina, *&c.* Ægros æque frequenter ac ab ipsorum sanatione, per longam succi nutritii subtractionem, non tantum in statum universalis Atrophiæ redactos tandem tabidos reddi; verum etiam ipsa phthisi Pulmonari inde ab initio non rarò affici observarim; lubet hic loci, succinctim licet, de peculiari hujusmodi phthiseos genio observatione nostras etiam, quas nobis Praxis obtulit, subnectere.

Neque mirum cuiquam videri debet, hujusmodi ulcera; præsertim verò si fuerint Chronica, phthisi vere pulmonari ansam præbere posse, qui serió secum perpendat, quantæ sint & quam continuæ succi nutritii per hujusmodi ulcera externi soliti impensæ; quantaque etiam ab hac Chyli sanguinis reparationi destinati subtractione, totius massæ depauperatio, unà cum acrimonia inde insequenti quantusque marcor, seu atrophia partium exinde proveniens; quanta inde sanguinis, & spirituum excandescentia, seu motus intestinus; quantumq; denique incendium cum calore fixo in toto habitu corporis, unà cum colliquatione universali succi nutritii è massa sanguinea (cui ob calorem & acrimoniam præternaturalem perfectè aduniri non potuit) per quamvis Portam; qua datur via, reddita. Ut verò quod res est ingenuè fatear, magis mirari soleo quod in hoc universali incendio & colliquatione pulmones (quorum parenchyma naturaliter est adeo tenerum, vesiculosum, & spongiosum, & proinde, sicuti à calore hectico citissimè affici, ita etiam à particulis purulentis illuc per circulationem translatis æquè cito corrumpi aptum natum, & in omni notabili colliquatione præ cæteris quibuscunque partibus humorum susceptivum,) unquam diu à labe phthisica immunes manere possint. Et quidem ut rem ipsam loquar, quotiescunque hæc ulcera in vesica urinaria utero, vagina, ovariis, vel renibus, aliisve visceribus, aut partibus membranosis à corde remotis, indèque minoris notæ, nasci contingit, sicuti semper phthisin indè natam magis Chronicam esse observavi; ita paulo ante mortem eam certissimè terminari in Phthisin verè pulmonarem, scilicet à Pulmonum infarctione, ad tubercula, eaque tandem matura, & exulcerata, unà cum tussi importuna, respiratione anhelosa, colliquatione universali, & reliquis hujus fatalis morbi signis sensim progredientem. Utcunque, in phthisi magis acuta, & præcipiti, ab exulceratione scil. Hepatis, Ventriculi, aliorumve viscerum, aut partium membranosarum propius cor ipsum sitarum oriunda, pulmones non tam exulceratos, quam discoloratos, infarctos, & Thoracis parietibus adhærentes, & tandem (ubi scil. pessimè affecti fuerint) tuberculis crudis refertos, in hujusmodi cadaveribus, cultro anatomico post mortem subjectis, inveni: Siquidem præ subita vitæ exstinctione, satis temporis concessum non fuerit, quo pulmones labe hac Phthisica tam altè imbuerentur; Aegro morte præcipiti à phthisi originali è vivis prius sublato, quam tubercula pulmonum maturari, vel phthisis Pulmonaris ultra secundum suum stadium provehi possit. In hac verò ipsa acutissima phthisi eadem plane symptomata, si non magis etiam atrocia, quam in phthisi verè Pulmonari funesta deprehendi; eandem scilicet ferocem, & importunam tussim, eandemque dspnœam, licet à mera infarctione pulmonum, & à tuberculis crudis in iis natis provenientes; febrem verò primum inflammatoriam, postea verò putridam, & intermittentem, colliquatione universali, deliriis, aliisque magis diris & funestis symptomatis quam in phthisi pulmonari Originali stipatam, quæ ab inflammatione, & exulceratione viscerum, vel partium membranosarum maxime nobilium oriuntur. Adeo ut difficillimum sit Phthisin hanc à Pulmonari originali distinguere, nisi per symptomatum intensiorem gradum, & per aliqua κατ' ἐξοχὴν partis primariò affectæ Pathognomonica.

Omnis hujusmodi phthisis Pulmonaris curatu est admodum difficilis; utpote è quodam perenni fonte scaturiens. Ulcera enim interna, quæ ansam huic Phthisi pri-

primum præbuere, rarò perfectè sanari possunt, utpote extra sphæram Chirurgiæ posita. Et quidem Phthisin hanc, absque ulcerum, è quibus originem suam trahit, sanatione, radicitus curare, & affectum causa sua adhuc manente tollere, idem est. Verum quidem est quod, quoties scil. hæc ulcera parva atque benigna esse contingit; atque etiam in renibus vesica urinaria, Testiculis, Ovariis, Vagina Uteri, aliisve partibus membranosis, aut visceribus à corde remotioribus sita; sicuti ipsa ulcera (quæ hic formam causæ induunt) nonnunquam perfectam curationem admittunt, ita etiam non minus ipsa Pulmonaris Phthisis ab illis dependens curari possit. Hæcce vero Phthisis, sive curationis capax fuerit, sive non; quadantenus tamen morbi Chronici genium semper ferè induit. Atque hinc nonnullos hujusmodi Ægros per plures menses, imò aliquando etiam annos Phthisicè languentes, sensim emarcescentes & colliquescentes deprehendi; præsertim verò ubi morbi fomes in rene, vesica urinaria, vel vagina uteri ulcerata jam delituit, Phthisin ab Ovariorum, testiumve virilium ulcere ortam mediam quandam naturam sortitam, ut plurimum verò Ægros intra spatium uniùs anni è vivis substuliſse observavi: Illam vero, quæ ab ulceratione ipsius Uteri, Ventriculi, Hepatis, aliorumve viscerum, aut partium membranosarum maximæ notæ oritur, more peracutæ Phthiseos, spatio perpaucorum mensium, vel etiam hebdomadum vitæ flammam exstinxisse; siquidem citissimè febre primum egregiè inflammatoria, dein vero putrida intermittente, & colliquatione universali; una cum vigiliis, deliriis, spasmis, aliisque diris generis nervosi simptomatis stipatam. Utcunque verò, ob præcipitem à natura morbi primarii effectam ruinam, ex inspectione Cadaverum post mortem, labem non tam altè pulmonibus insedisse, quam cæteris Phthisibus magis Chronicis fieri solebat, deprehendi; ubi scil. ob inducias satis longas à morbo primario vitæ datas, Pulmones non tantum inferciri contigit, verùm etiam Tubercula in iis nasci; eaque tandem in Apostemata converti. Generaliter verò loquendo, sicuti omnis hujusmodi Phthisis difficilis curatu est; ita etiam eo magis quò magis acuta est, utpote ab ulceribus majoris notæ orta. Neque quidem unquam perfectam curationem admittit absque ulcerum sublatione, qualiacunque ea fuerint, & in quocunque viscere, vel membrana nosa parte nata; quæ quidem primam ansam huic morbo præbuere.

Ex jam dictis vel ipsi rationi satis constare potest, quæ sint Indicationes hujusmodi Phthiseos Curativæ; quas etiam fœlix Praxeos successus vel ipsis oculis quotidiè subjicere solet; quoties scilicet morbus proprio suo genio curationem admittit. Easque morbum primarium æquè ac Pulmones ipsos respicere oportet, primò sanationem ulcerum, quacunque Corporis parte ea orta fuerint, totis viribus promovendo, copioso *Medicaminum Balsamicorum*, & *Traumaticorum* usu; quæ quidem mitioris generis esse oportet, ne flammam febrilem jam in sanguine accensam augendo, obfuerint magis quam profuerint.

Secundò; Pulmonibus satis tempestivè prospiciendo, usu Remediorum *Pulmonarium*, *Opiatorum* scilicet, & *Expectorantium*, alternatim exhibitorum; quo labes iis jam impressa deleatur, vel saltem quam minime à morbo primario promoveatur.

Tertiò; *Pectoralibus* & *Balsamicis* ea semper admiscendo, quæ tonum partis primario affectæ restituant, confirment, & specialem respectum ad eam habeant uti *Uterina*, *Hepatica*, *Diuretica*, atque alia hujusmodi, prout requirat.

Quartò; Calorem Hecticum in sanguine & spiritibus jam accensum *Lactea Dieta* accuratissima, *Aquis Mineralibus Chalybeatis*, *Decoctis Sarsæ Vulnerariis*, *Aqua Calcis*, atque aliis ejusmodi (quantum præsens Ægri status ferre potest) demulcendo; uti etiam febrem putridam Intermittentem profligando, usu *Corticis Peruviani* copioso, debitisque

intervallis satis frequenter repetito ; denique symptomata maximè urgentia, & quæ vires maximè frangant, sive ea ab ulcere primario, sive etiam à pulmonibus oriantur, applicatione diligentissima relevando. Ex. gr.

Si primarium ulcus adeò benignum, & parvum fuerit, uti spes aliqua perfectæ curationis affulgeat, neque tamdiu perduraverit, uti vires exinde jam multum fractæ sint; neque in parte tam nobili situm fuerit, uti præceps ruina per Phthisin acutam metuatur ; omnino in primo ipso curationis limine Ulceris primarii sanationem tentare convenit, exhibitione copiosa *Calomelan.* idque non tantum *Cathartici*s commixti, ideoque debitis intervallis ; verùm etiam per se, Dosibus confertim repetitis, ad salivationem ex consulto excitandam : qua (si vires tantæ evacuationi pares fuerint, & cætera etiam conveniant) sicuti ulceris sanationi, ita etiam Phthiseos subsecuturæ præcautioni, multo melius quam quovis alio medicaminum apparatu consultum erit.

Sin verò istud à virium debilitate, febris intenso gradu, & à genio peracuto phthiseos contraindicetur : saltem sicuti medicamenta *Antimonialia*, ita *Mercurialia* curationi methodo intervallis justis ita disposita sint, ut sine quavis impensiva evacuatione inde excitata vires suas egregi sanativas fœliciter exserant. Ex. gr. Æger omni nocte gr. xv. vel xx. *Antimon. Diaphoret. in morsulo Conservæ Rosar. Rubr. Antiqu. cum Balsamo Leucatell. commixt. Tertiò etiam vel Quarto quoque mane* ℈i. *vel* ʒß. *Mercur. dulc. è Cochlearì lactis.*

Bibat etiam *Decoct. Sarsæ Vulnerarium alias descript.* in potum ordinarium, addendo semper tempore usus *Syrupi Balsamic.* quantum uni hausiulo Ægro palato grato, inserviet.

Pilulæ nostræ balsamicæ hic etiam plurimum conferunt ita præscriptæ uti Æger tres earum quotidie capiat horis medicis, superbibendo ʒiv. vel vi. *Decoct. Traumatici*, & *Pectoralis anatice commixt.* Hic etiam apprime convenit fervorem sanguinis Hecticum temperare *Dieta Lactea* accuratissime instituta, vel etiam [si cætera consentiant, & tempestas anni id ferat] usu longo *Aquarum Mineralium Chalybeatarum* ; quarum vim præsertim in curanda Phthisi à renum, & vesicæ Urinariæ ulceratione orta, sæpius cum fælici successu sum expertus. Neque minoris usus est tam ad acrimoniam, & fervorem sanguinis demulcendum ; quam ad saburram particularum purulentarum, & heterogenearum in sanguinis massa congestarum per vias urinarias subducendam, horis medicis exhibere *Emulsionem* è 5o. *vel* 6o. *Millepedis*, ʒiv. *Decoct. Sarsæ Vulnerarii*, *Syrupo Balsamico edulcorati* ; *vel Decoct. pectoral. & Traumatican.* ʒii. *factam.*

Magnæ etiam efficaciæ est *Cortex Peruvianus* in hoc casu ad revelationem febris putridæ intermittentis à commixtione particularem purulentarum, & heterogenearum massæ sanguineæ ab ulcere primario immissarum ortæ; quem in hunc finem sæpiùs justis intervallis repetere oportet, quo inducìæ obtineantur tam ad languentem naturam suffulciendam, quam ad usum medicaminum Balsamicorum, aliorumque ejusmodi quæ morbum primarium respiciant.

HISTORIA PRIMA.

Dominus Neast, *Presbyter Londinensis* & amicus meus integerrimus, qui dum *Oxoniæ* degebat, circiter annum ætatis suę vicesimum octavum a multo labore in campanarum agitatione impenso, colica Ventriculi horrenda subito corripiebatur ; proculdubio a motu calculi è vesica fellea inductum versus Intestina tendentem effecta, a qua nescio quo pacto liberatus est: Liber tamen ab omnis ejusmodi Paroxysmi recrudescentia mansit ferè ad annum ætatis suę quadragesimum, *annumque Domini* 1670. A quo tempore per decennium ferè integrum scilicet ad fatalem usque diem, sępiùs in anno a quovis vehementiori motu, per-

cepto

cepto frigore, hauſtu *Canarini* vini, vel quavis alia vel minima cauſa, hoc diriſſimo morbo corripi diuque detineri ſolebat, cum cruciantibus lateris doloribus, febre intenſa, atque aliis uſitatis ſymptomatis. Quum primum verò ad eum inviſendum accerſerer, morbum Pleuritidem eſſe falſo autumnans, *Venæ ſectione* repetita, *Fotu* & *Linimentis Anodynis*, uti & medicamentis *pulmonaribus* in caſſum illum à cruciantibus ſpaſmis liberare ſatagebam; donec tandem à magis attenta inſpectione tam urinæ profundè rubræ, & flaveſcentis, quàm ſtercoris albeſcentis, & cutis colore Icteritio leviter tinctæ, ſententiam meam jure mutaverim; atque exinde uſu iterato *Tincturæ ſacræ* cum *Laudano*, hora ſomni exhibitæ, & *aquarum Mineral. Cathartic. coct.* & *lacte alterat.* matutinis ſequentibus propinatarum, excruciantem Paroxyſmum ſuſtulerim; Atque hoc pacto eum in poſterum facili & levi negotio, idque illico tollere ſolebam. Quamvis verò Paroxyſmi fuerint hoc pacto facti breviores, à frequenti tamen eorum revireſcentia (quippe quòd, quamdiù hæc ſpaſmodica conſtrictio ſuper ductum felleum à calculo ſimul obturatum maneret, uſitata bilis in Inteſtina excretione inde impedita, neque minùs etiam nutritia alimentorum parte unà cum ſtercoracea deorſum detruſa, pauculum admodum, ſi quidem quicquam reparationi ſanguinis miniſtrabatur; [Aeger ſenſim in dies à debiti ſucci nutritii detractione emarceſcebat, ſuperinductis etiam tremoribus, atque ſpaſmis in genere nervoſo frequenter recurrentibus. Quibus jam obſervatis, ad ſubitum Naturæ collapſum præveniendum, inter cætera, medicaminum *chalybeatarum*, præſertim autem *aquar. Vitriolicar.* uſum quotannis repetendum inunxi; à quibus obſtructionum reſerationem, æquè ac toni hepatis jam labefactati reſtitutionem inſecuturam ſperabam. Tandem verò Aeger circiter Annum ſcilicet 1680. à ſæviſſima Colica, unà cum febre inflammatoria correptus, licèt Venæ ſectione, & debito regimine tractatus eſſet, febre tamen denuò in putridam. Intermittentem quotidianam faceſſente non obſtante *corticis peruviani*, *Medicaminum pulmonarium*, & *Julapiorum Temperantium* uſu, & *Veſicatoriorum* etiam applicatione, atque aliorum quæ vel mihi vel Collegæ meo eximio, *Doctori Paget*, maximè efficacia eſſe viderentur, exhibitione, intra ſpatium ſex hebdomadum vir ille egregius ſummè tabidus interiit, in febrilibus Paroxyſmis delirans, perpetuo etiam Aſthmatica tuſſi eodem modo, quo hi qui Phthiſi verè Pulmonari affecti ſunt, miſerè afflictus, & colliquatione etiam univerſali confectus. Cadavere poſt mortem aperto invenimus veſicam felleam variæ magnitudinis calculis inſtar marſupii valde diſtentam, ſine vel minima incluſæ Bilis guttula. In concava etiam hepatis parte, juxta Venæ Portæ ingreſſum, Apoſtema amplum repertum eſt, quod in ſe *Libram* fere veri confecti puris continebat. Pulmones verò; non obſtante inſigni tuſſi atque dyſpnœa licet variis coloribus infectos, atque infarctos & Thoracis parietibus adhærentes, nullis tamen tuberculis, ſaltem maturis, affectos deprehendimus.

Unde mihi ventriculi frequenter recurrens Colica, à motu calculorum e veſica fellea ortum ſuum duxiſſe videbatur; Univerſalis, & Habitualis Tabes à frequenti bilis obſtructione, colica illa affecta; funeſta vero febris, primùm inflammatoria & dein putrida intermittens, una cum colliquatione univerſali, & inſequenti maraſmo, ab inflammatione, atque exulceratione hepatis; Tuſſis, denique, atque dyſpnœa à leviori pulmonum ſymptomatica affectione; quę vero ob præcipitem morbi primarii genium (utcunque dira iſta tuſſis videbatur eſſe Aſthmatica) ultra primum Phthiſeos Pulmonaris ſtadium non erat provecta.

HISTORIA SECUNDA.

Uxor *Dominis Greaves*, incola vici dicti *Pater-Noſter-Rovv*, quæ quidem

Vir-

Virgo, valde Cachectica esse solebat; jam verò post paucos menses à contracto matrimonio, atque annum ætatis suæ vigesimum melancholica, & pectore oppressa esse incipiebat: Abdomen etiam intumescebat, uno tamen latere magis quàm altero: appetitus planè prosternebatur; sitis verò adaucta est, & tabes unà cum febre hectica in tantum tandem invaluit, uti inani gravidationis spe jam prorsus deposita, ego licèt nimis sero, ad miseram hanc Ægram invisendam accerserer. Quam quidem in statu tabido colliquescentem inveni, febre etiam putrida intermittente quotidie afflictam, quæ super Diarrhœa. Torminosa, immensis colliquativis sudoribus, tumore hydropico crurum æque ac abdominis, tussi Catarrhali perpetua, respiratione anhelosa, atq; aliis usitatis Phthiseos Pulmonaris funestæ symptomatis stipata erat. A quibus Aegra tandem in marasmi statum redacta, spatio sex hebdomadum vel eo amplius, non obstante copioso medicaminum *Pulmonarium* & *Vterinorum*, *Corticis peruviani*, *Laudani*, *Iulapiorum Perlatorum*, *Vesicatoriorum*, atque aliorum primarium morbum, æquè ac varia inde orta symptomata respicientium usu, sensim marcescens eodem plane modo, quo Phthisi Pulmonari affecti solent, exstincta est.

Aperto post mortem cadavere, pulmones præter omnem spem, non adeò alte Phthisica tabe affectos invenimus: Siquidem licet eos infarctos, costis adhærentes, & variis coloribns tinctos deprehenderimus, nulla tamen in illis (quantum memini) Tubercula, sive cruda sive matura, reperta sunt: Unius verò Ovarii Parenchyma plane ulceratione exesum, & consumptum erat; exteriorem verò membranam mirum in modum hydropico humore distentam reperimus; adeò ut ex eâ, quæ quidem maximam jam inferioris ventris partem occupaverat, plures lymphæ quadantenus purulentæ Libras extraxerimus, unà cum magna copia ossiculorum, & fibrillarum, seu (uti mihi videbatur) glanduloſi Parenchymatis staminum, quæ præ se flavi crinis formam ferebant.

Unde mihi constare videbatur funestam istam febrem colliquatione illa fatali stipatam, (utcunque hæc Phthisis fuerit secundario & symptomaticè Pulmonaris; atque tussis, & quadantenus etiam ipsa dyspnœa) à pulmonum infarctione & adhæsione ortum suum duxerint; (ab ipsius Ovarii inflammatione, & exulceratione originem suam habuisse: à qua febre etiam colliquativa, uti etiam à succi nutritii per immensum Ovarii tumorem Hydropicum detractione, Tabes adeò præceps, & Dyspnœa tam gravis facta est, ut exinde vita jam præproperè in extremum discrimen perducta, satis longæ induciæ concessæ non fuerint, quo pulmonibus impressa tabes ultra primum Phthiseos Pulmonaris stadium provehi poterit, ut ut omnia Phthiseos Pulmonaris funestæ usitata symptomata adesse viderentur.

HISTORIA TERTIA.

Mercator quidam *Londinensis* ante annum ætatis suæ quadragesimum (cùm jam per biennium fere quadantenus valetudinario, & cum appetitu imminuto, & parum constanti degisset, quod forte sibi ipsi per immodicum vini atque veneris usum conciliabat) me tandem consuluit, de tumore scilicet & inflammatione quadam dolorifica inde orta, quibus dexter testiculus per trimestre spatium jam fere affectus fuerat, idque ex occasione (uti mihi referebat) contusionis cujusdam inter equitandum factæ. Mihi quidem iste tumor *Sarcoceles* speciem præ se ferre videbatur. Testiculus ad magnitudinem pugni intumuit. Inflammatio etiam non contemnenda scrotum ipsum æque ac testiculum occupavit. A repetita verò sanguinis detractione, applicatione *Cataplasmatum* e *Farina hordei*, & *Oxycrato* factorum, (affectis partibus subligaculo etiam ad confluxum humorum in locum præcavendum sustentis,) frequenti purgatione ex *calomelan.* & *confectione Hamech*, liberali etiam potatione

ne *Emulsionum seminum iv. Frigid. Aq. Hord. fact. & Decocti Sarsæ, & Chinæ* in potum ordinarium instituti dolorifica Inflammatio planè evanuit. Tumor verò licet indolens, adhuc tamen manebat, isque incertæ magnitudinis, nunc major, nunc minor, & pressuræ digitorum facilè cedens, adeò uti tandem, consultis duobus maximè expertis Chirurgis tumor iste pro Hydrope habitus jure aperiendus esse censeretur. Apertura verò per scalpellum solemniter facta vix quicquam aquæ, puris verò nihil effluebat. Totum etiam testiculi parenchyma jam diu exesum fuisse, & periisse videbatur, membranæ verò investientes duræ, & incrassatæ erant, adeo ut Testiculus jam apertus speciem referret testæ ovi exinanitæ, vel potius *mali punici*, ubi caro, vel Contenta pars jam fuerit extracta: Ex fistuloso tumoris hujus statu factum est quod decepti Chirurgi eum, quoniam scilicet digitorum pressuræ cedebat, pro hydrocele habentes scalpellis suis subiecerint; licèt quidam post jam factam aperturam facile apparuerint eum revera fuisse Venereamfistulam, à gonorrhœa aliqua virulenta, veteri & malè curata ortam. E vulnere autem isto ulcus ingens, quodque magnam Ichorosi puris copiam quotidiè effunderet, suboriebatur; quod licèt sæpiùs per plurimos dies nos vana sanationis spe illuderet, *Decocto Sarsæ* in potum ordinarium jam iterum instituto, dum *Decocto Amaro*, debitis intervallis, quoties scilicet opus fuerat, repetito, alvus subduceretur, & singulis noctibus haustus *Paregoricus*, è *Syrupo de Meconio* propinaretur; à confluxu tamen humorum inexspectato (quem quidem) uti ego Chirurgis constanter affirmabam absque castratione, vel testiculi fistulosi excisione præcavere erat impossibile; ulcus sæpissimè recrudescebat, adeo ut à perpetua, & copiosa succi nutritii per vulnus subtractione, & ab impensis, quibus natura imparerat, inde natis, Æger citissime in tabidum atque hæcticum statum jam redactus, sicuti immodicè sitire, ita etiam appetitu privari; & tandem tussi importuna, respiratione anneloſa, atque aliis usitatis pulmonum morbidè affectorum symptomatis affligi incipiebat; magis, magisque continuò marcescens cum subita naturæ ruina, quæ multum etiam à febris putridæ intermittentis superinductæ Paroxysmis accelerabatur; qui quotidie statodiei tempore cum algore, calore, & sudore sese vicissim excipientibus, redibant; donec tandem Æger in ultimum marasmi gradum redactus fatis cedere coactus est.

Ex *Corticis Peruviani* repetito usu eum sæpissimè à febre putrida liberavi, quæ tamen (causa in vulnere adhuc manente) totidem vicibus, hebdomadis unius, vel alterius intervallo, recrudescebat. Et usu etiam *Lacteæ Diætæ* accuratissimè institutæ, *Lactis Asinini*, atque aeris rusticani aprici beneficio, fervor hecticus in sanguine accensus multum mitigabatur; etsi nunquàm penitus extingui potuerit, cum causa ejus procatarctica ulcus scil. malignum & incurabile, artem Chirurgicam planè superaret. Unde tandem, parte ulcerata gangræna jam affecta, post sex emensos decubitus menses non tantùm à tabe universali, verùm etiam à Phthisi verè Pulmonari licet symptomatica summe marcidus è vivis sublatus est.

HISTORIA QUARTA.

Dominus Nye, filius *Philippi Nye*, Ministri eximii (ut vocant) *Non-conformistæ*, cum jam circiter annum ætatis suæ trigesimum, à tumore in ventriculo succrescente, cardialgia, & vomitione fere perpetuo per anni spatium afflictus esset, (à quibus symptomatis neque frequenti usu *Calomelan. Aquar. Mineral. Purgantium*, *Chalybeatorum*; *Milleped. Decoct. Sars. Corall. Margarit. Ocul. Cancr. præparat.* neque aliorum etiam medicaminum omnigenorum, vel à doctissimis experitissimisque Medicis præscriptorum liberari potuit;) Tumoribus tandem inflammari, & exulcerari

cerari incipientibus, à febre inflammatoria, putrida intermittente excepta, celerrimè correptus, non tantum in statum tabidum à colliquatione scil. universali præceps ruebat, verum etiam pertinaci tussi, Dyspnœa, atque omnibus aliis Phthiseos Pulmonaris acutissimæ symptomatis afflictus, me tandem licet in casum, accersebat. In ultimo enim stadio Phthiseos pulmonaris symptomaticæ, (quæ sicuti proprio suo genio fatalis, ità etiam præceps erat) eum decumbentem deprehendi. Ideòque ubi jam in urgentium symptomatum relevationem adjutricem manum, quantum potueram, porrexissem, memet (fatali Prognostico priùs habito) illicò subduxi.

Neque quidem miserrimus iste Æger per plures dies apud vivos agebat. Copia autem cadaveris post mortem inspiciendi mihi non concessa, ut ut omnia usitata Phthiseos Pulmonaris signa adfuerint, quantum tamen pulmones ipsos exindè labefactatos fuisse contigerat, uti liquidò mihi, tanquam oculato testi, non constabat, ità neque fidenter possum affirmare.

HISTORIA QUINTA.

Vetula quædam, uxor cujusdam *Juriſperiti*, habitantis in vico dicto *Shoe-Lane*, cùm iàm (sicuti mihi ipsa narrabat) per spatium viginti annorum, præ urgenti, scil. & continua, Dysuria, somnum vix ad unius horæ dimidium in unam vicem protrahere potuerat; quo, unà cum aliis diris comitantibus symptomatis, plurimùm atque diu (idque non obstante vel optimorum Medicorum frequenter habito consilio) attrita, indeque tandèm in statum planè tabidum, atque hecticum redacta lectoque præ debilitate scil. & virium languore perpetuò affixa, me non multùm ante funestum diem accersebat; cùm jam ob prostratum à victu æquè ac à medicamentis longo jam tempore abhorruisset. Mulierem sanè egregiam fortitudine æquæ ac prudentia canitiem suam, ultra consuetum sexus morem, decorantem deprehendi, in ultimo vero Phthiseos Pulmonaris stadio (sicuti vel ipso primo aspectu ex summa emaciatione, tussi, febre, & Dyspnœa conjectabam) satis ærumnosè obversantem. Quippe quod non tantum cum symptomatis Phthiseos Pulmonaris, & febris hecticæ usitatis; verum etiam frequenti ventriculi Colica horrendè spasmodica à motu calculorum è vesica fellea sæpius excitato, necnon continua Dysuria, à calculo, atque ulcere Renum orta, ferè perpetuo conflictare cogebatur. Unde factum est, ut urina mictione lacteſceret, atque dein sedimentum valdè copiosum fœtidum, & vere purulentum deponeret. Inspecta vero urina illico ulcus deprehendi satis magnum à calculo in rene affecto esse ortum, Phthisinque Pulmonarem ab isto ulcere, [forsan etiam symptomatice] superinductam fuisse, conjectabam.

A tot, tantisque ærumnis Natura jamdiu attrita, oppressa, & succumbente, accidit etiam ut Cerebrum, totumque systema nervosum tam insigniter, & continuo patiantur, ut, suppressa omni alia querimonia de Phthisi, ulcere, & calculo, hoc unicè appeteret, uti suppetias illi ferem contra lipothymias, & languores frequenter recurrentes, idem contra mentis vacillationem, & *vapores* (uti eos vocabat) frigidos, atque calidos continuo, noctu diuque sese alternatim excipientes, à qubus magis quam a cæteris omnibus ærumnosis symptomatis premi videbatur. Hisce molestis symptomatis totis viribus illico succurrere conabar, usu *Sp.* C. C. *Salis Armoniac. Tincturæ Castorei*, *Julapiorum Antihysſtericorum*, atque aliorum ejusmodi. Neque quidem affectos pulmones, & ulceratos renes (ubi prima hujus mali origo delitescebat) planè negligebam; quin iis etiam usu *Emulsionum*, *Medicaminum Balsamicorum & Pectoralium* prospexi, quantum scil. habitus corporis attenuatus, & prostratus appetitus ferre potuere. In cassum tamen hæc omnia jam erant præscripta. Sicuti enim ulcus Renis factum est sua natura jamdiu planè incurabile,

rabile, ita étiam affectiones pulmonum, & generis nervosi secundariæ inde ortæ videbantur magis triumphatæ jam naturæ Trophæa, quam vel oppressiones, vel morbi quidam accidentales, quos ars possit superare. Paulò ante fatalem diem, ubi mors jam præ foribus stare videretur, egregia ista mulier obnixè me rogavit, & quidem sponsione obstrinxit, uti sedulò facerem, quo cadaver ejus post mortem cultro Anatomico subjiceretur, quo in usum scil. superstitum illi medendi arti mortua inserviret, quæ, dum viveret, nihil opis illi præstiterat.

Copia inspiciendi cadaver post mortem à Marito, licet ægre, jam concessa, præsentibus quamplurimis eximiis Medicis splenis Anatomia instituta est. Primum observatu dignum erat, quod, ut ut omnes Tabidæ huius artus, atque facies emaciarentur, membrana tamen Abdominis adiposa pinguedine mirum in modum crassescebat, uti calculosis ferre accidere solet, forsan à sanguinis motu per vicinas partes minus expedito, & seri per renes secretione minus parca, quam par erat; Membranam autem exteriorem renis sinistri, utpote à Morbida affectione quadantenus intumescentis, fortiter ei adhærentem invenimus.

Ipsum verò Parenchyma jam dissectum, favi speciem præ se ferebat nempe hic indè calculis, & foveis, seu quibusdam loculis, è quibus calculi olim fuerant extrusi, refertum, absque tamen vel minima præsenti exulceratione. Renem autem dextrum, instar marsupii, calculis, & pure non tantum refertum, verum etiam insigniter distentum deprehendimus, toto etiam Parenchymate intra investientes membranas contento jam ante sensim corrupto & consumpto, atque ipsis etiam membranis innumeris calculis, & seroso pure (quale etiam in vesica reperimus, qualeque una cum urina reddere fere solebat) oppletis. E quibus facile constabat de Chronicæ illius Dysuriæ, atque Tabis Ætiologia, quibus tam diu molestè laboraverat. Emulgentes etiam venæ, quæ sanguinem à renibus referebant, præ insigni calculosa sanguinis Diathesi, qua misera hæc vetula afficiebatur, quasi lapidei canales, intus plane calculosa crusta [dictu mirandum] obducebantur. Vesicam insuper felleam calculis refertam deprehendimus, à quorum motu proculdubio Colica illa ventriculi, horrendis spasmis stipata, qua sæpius afficiebatur, ortum suum ducebat. Pulmones verò ipsos nullibi exulceratos, tuberculis autem crudis, & calculis cretaceis ubique fere obsessos vidimus. Quibus de causa perpetuæ tussis, anhelitus, atque aliarum affectionum Pulmonarium vel ipsis oculis constabat. Nullus tamen dubito, dum progressu temporis tubercula ista maturari potuissent: atque eo pacto incipiens hæc pulmonaris Phthisis in confirmatam, & deploratam facessere potuerat, nisi mors prematura ab aliis causis accersita eam rem præveniisset.

F I N I S.

CAROLI

LEIGH, M. D.

LONDIN.

PHTHISIOLOGIA LANCASTRIENSIS,

Cui accessit

TENTAMEN PHILOSOPHICUM

DE

MINERALIBUS AQUIS

In eodem Comitatu

OBSERVATIS.

CAROLI

LINCH, M. D.

LONDINI,

PHYTHISIOLOGIA

LANCASTRIENSIS

Cui accedit

ENARRATIO PHYSIOPATHICA

DE

MINERALIBUS AQUIS

in eadem Civitate

OBSERVATIS.

DE PHTHISEOS SPECIEBUS, ET CAUSIS.

CAPUT PRIMUM.

In quo agitur de variis Phthiseos Speciebus, & earum Causis.

PHTHISES in hac patria praxi vulgariter occurrentes ad sequentes reduci possunt, videlicet, sunt vel Scorbuticæ, Strumosæ, Chilosæ; vel Febres Epidemicas Intermittentes, Hydropem: Rachitidem, Crapulas, Chlorosin, Fluorem album, Icterum, Rheumatismum Scorbuticum, Sarcocelen & Vermes sæpius consequuntur: nec non Hæmopthisin & Vomitum Sanguinis; cùm Phthises autem Scorbuticæ præ cæteris fuerant eas Choream ducere statumino.

Phthises Scorbuticæ fiunt vel ab aere, vel è parentibus, vel ab erroribus in rebus sex non naturalibus. De iis autem quæ ab aere fiunt, quia locis plerisque Morbi stationarii appellari debent, imprimis agam. Istis terrarum areis quæ paludosis arenis salsis luxuriant, vel aere fumo carbonaceo crassescente tantum non epidemicè grassantur; quæ Phænomena innuere videntur ex particulis vitriolaceis & sulphureo salinis hunc morbum fomitem suum trahere; quò autem hæc res clariùs eluceſcat haud inconsultum duco tentamina quædam præmittere, quæ auspiciis hisce facem ulteriorem accendant.

Imprimis. In salivam instillentur guttæ aliquot Spiritus Vitrioli, & statim in coagulum album viscosum transit, quale per tussim in Phthisi sæpius eructatur.

Secundò. Guttis aliquot fontis Vitriolacei, juxta Haig, agro Lancastriensi, cum saliva commistis, in coagulum viscosum transit cinerei coloris, quale in Phthisi scorbutica haud semel notavi.

Tertiò. Distillentur carbones fossiles, & ascendet liquor Vitriolaceus, quò cum serò sanguinis commisto, in coagulum viscosum transit, quale in phthisi scorbutica observare in proclivi est.

His positis, patet quod per particulas vitriolaceas saliva, vel serum sanguinis fit coagulum viscosum, ei tabidorum gustu, consistentia & colore simile.

Secundò. Quod in resolutione carbonum particulæ vitriolaceæ catervatim sublimantur, quod encheiresi pyrotechnica patet, adeoque illis athmosphæra propemodum saturatur, cum in aere hujusmodi Phthisis sit morbus stationarius, haud abs re fore judicare existimo, ibi terrarum per inspirationem particulæ vitriolaceæ massæ sanguineæ communicantur, adeoque sæpe sæpiùs phthisin inducunt.

Summa jam difficultas diluenda hæc est, nempe unde fit, quod circa littora salsa paludosa hoc morbo tantopere infestantur indigenæ, etiamsi solo cespite utuntur, cibisque sale, & fumo conditis, per totum vitæ decursum abhorrent? & quomodò

istis terrarum areis particulis salinis athmosphæra constipatur ? cùm salia marina (sicut ab eorum evaporatione constat) sint fixioris naturæ quàm ut radiis solaribus vel vi ventorum ascendant?

Anxiè diu circa hæc cogitanti, hęc tandem conjectura in mentem mihi venit.

Observatu satis est obvium plagas istas maritimas, tam Sulphure, quàm sale luxuriare, hæc hypothesis sequentibus argumentis nititur.

Imprimis, Noctilucę infinitæ horis vespertinis hisce quasi tot *Phosphori* erumpentes, Sulphuris præsentiam arguunt.

Secundò, Sæpius odores fœtidos emittunt, quales ex Sulphure & sale unitis percipiuntur; in his itaque terris salsis paludosis, particulæ Sulphureæ fugam continuò moliuntur, particulis autem salinis divortium haud ferentibus, particulæ Sulphureæ salia muriatica secum gerunt, adeoque illis atmosphæra constipatur; cùm in aere itaque hujusmodi Phthisis sit Morbus stationarius, ibi ex particulis Sulphureo salinis trahit Phthisis illius pabulum, sicut opinari fas est.

In ulteriorem hujusce sententiæ confirmationem argumentum è contrario produci potest, Ubi hi limi salini desunt hic Morbus rarò aut nunquam infestat. Hinc ergò fit quòd in *Russiæ & Novæ Angliæ* quibusdam partibus per totum anni decursum tussis sonitus haud auditur, etiam si mare sit in præcinctù; & hinc quoque forsan fit quòd celeberrimus iste *Monspelienſium* aer antiphthisicus evadit, etiamsi parum è Mari *Mediterraneo* distat.

Dum è contra haud in sese volvitur annus, quin phthisis, Hydrops, Scorbutus, Febres intermittentes, & penè dixissem Morborum myriades in hisce terrarum areis truculenter grassantur; adeoque quòd de terris hisce salsis paludosis tale propemodum dici potest, quale *Pythagoras*, de herba *Apraxi*, de qua talia dicit. Datur herba radix cujus *Napthhæ* ad instar ignem concipit; quique Morbo quocunque correpti sunt, hac germinante, recidivam patiuntur, quoties illius effluvia per aerem diffunduntur.

De reliquis Phthiseos Scorbuticæ speciebus differere jam restat, de iis scilicet quæ ab erroribus in rebus sex non naturalibus, & illis quæ à parentibus derivantur. Jam verò cùm phthises ab erroribus in diæta & victu per causas allatas facilè explicari, possint, earum ætiologiis enodandis diutiùs immorari impræsentiarum inutile esset, quapropter de phthisi Scorbutica hæreditaria breviter jam attingam.

Inter omnes sanè philosophantes fœtum humanum in ovo formari ultra aleam dubitandi ponitur, de modo autem ova fœcundandi haud tam bene inter se convenit Autoribus.

Ova duplici investiuntur membrana propriisque tunicis involuta sunt, adeò quòd ne gutta quidem liquoris iis exprimi potest, hinc pro Gas quodam virili, sive aura seminali ovis fœcundandis quidam viriliter contendunt; in praxi tamen nihil vulgariùs occurrit quàm hunc Morbum intueri patris genium consequentem, etiamsi per totum vitæ decursum matre sat athleticè degente, quidam circa eandem ætatem cum patribus hoc Morbo correpti sunt, alii citiùs, alii seriùs, alii valetudinarii tantùm vixere, alii sat pancraticè priusquam phthisi confecti sunt, pro diversa scilicet crasi seminis virilis, scilicet sicut spiritus eò nidulantes, magis vel minùs sunt depressi & particulæ salinæ evectæ, primis vitæ incunabulis varia format stamina vitæ, adeòque citiùs vel seriùs infans vergit versùs temperiem salinam huic Morbo inducendo aptam. Ex præmissis mihi videtur quòd inferre liceat, ab utero semen virile per vasorum extremitates absorbetur, hinc massæ sanguineæ communicatur, & circuitu sanguinis, sicut opinari fas est, ova fœcundat, arduum etenim mihi concipere videtur, quomodo hic Morbus, podagra, & calculus patris, genium consequerentur, si ab aura se-

mi-

minali tantùm ova fœcundentur : ex præmiſſis patet ex quali proſapia huic Morbo ſit origo, capite itaque ſequenti venit ſymptomatum explicatio.

CAPUT II.

Hoc àgitur de Symptomatum Serie & eorum Cauſis in ſtatu incipiente.

QUandoquidem Morborum ſcientia haud meliùs quàm ab eorum productis expromitur, mihi hunc Morbum deſcripturo, haud alia videtur inſiſtere methodo, quàm ſymptomatum ſyndrome delineanda. Miſſo itaque olympico pulvere cerebri circa futilia dimicantis, ea ſolummodo quæ ratio experientia ſuffulta dictat brevibus aperiam.

Invadit frequenter cum appetitus & virium dejectione, anguſtia pectoris, tuſſi titillante, ſputo copioſo, craſſo, albo, quandoque flaveſcente, pellucido, cæruleo, cinereo, fœtido, ſalſo, acido, ſubdulci pro ſanguinis dyſcraſia ſcilicet, & obſtructionum mole & genio.

Sudoribus quandoque nocturnis, carnis intabeſcentia, calore & frigore levi & incerto alternatim ſuccedentibus.

Urina lixiviali, ſedimento copioſo, albo, ſæpiùs autem flavo, vel rufo ſaturata.

Aliquando diarrhœa, torminibus ventris, & partium & extremarum tumore.

Hiſce prælibatis Symptomatum explicationem aggredi jam incumbit.

Si de appetitu proſtrato interrogemur ideo evenire dicimus: glandulæ in ventriculi parte inferiore, fitæ, quæ humores ſubacidos, fluxiles ex arteriis ſeparare debet, humores viſcoſos enutriant, adeoque fibris nerveis titillandis (quo motu conſiſtit appetitus) inepti ſunt, hic cibi fit faſtidium, & hinc eſt, ni fallor, quòd in quibuſdam ab emetico aſſumpto, tam immenſam ſaburram viſcoſi phlegmatis per vomitum frequenter ejectam inſpexi.

Per ſuccum viſcoſum in pulmonibus extravaſatum aeris inſpiratio interrumpitur, adeòque anguſtia pectoris frequenter corripitur æger; quo pariter circa glandulas Tracheales depoſito, & intra pulmones ſputum iſtud, ni fallor, efformat quod tanta copia per tuſſim eructatur, ab hoc quoque trachæam oblinente raucedo procedit.

Hiſce coagulis, follicullis in glandulis Conglobatis gravidis, adeòque foraminulis lymphæductuum obturatis, latex ſeroſus, qui per lymphatica peregrinare debuit, propriis emunctoriis orbatus, maſſæ ſanguineę regurgitat, & ſic per vaſa inſolita eliminatur; hinc ergò ex glandulis trachealibus, imbribus penè dixiſſem continuis depluit, qui tuſſim titillantem continuam inducit.

A pari ratione ſudores tantoperè profuſi, diarrhœæ, tormina ventris, & partium extremarum tumores huc collimant.

Quandoque viſcoſis humoribus menſenterii glandulis infarctis, Chylo tranſitus denegatur in ſanguinem, quo pabulo diurno orbatus, nutrimento debito privatur corpus, hinc vires dejiciuntur, emaciat corpus, quandoque fœces albeſcunt, quapropter à viſcoſis hiſce ſaburris venæ lacteæ meſenterio diſparent, ſicut in cœlis *Galaxia* propter denſas nubes interpoſitas.

Aliæ Chyli portiones per particulas ſalinas præcipitantur, & indè quandoque ſputo albo, craſſo, ſubdulci, per tuſſim eructantur. Aliquando per renes ablegantur, & indè in hoc Morbo frequenter. Urinæ ſedimento candido copioſo ſaturantur.

Propter Muſculos ſubſidentes humeros alatos obſervatu in proclivi eſt, quod (ſicut plebeiis placet) malum portendit, quaſi anima relictura corpus illis fugam appropinquantem indicaret. Hi *Hippocrati* aliiſque Græcis πτερυγοειδεῖς appellantur.

Propter glandulas in hepate obſtru-

ſtas bili tranſcolanti imponitur remora, quæ ſanguini itaque regurgitat, ex ea cum acidis in Sanguine efferveſcente, lenta febris frequenter in tabis gliſcit, & ni fallor ratio urinæ lixivialis tanta flaveſcente hypoſtaſi, & quandoque rufa ſaturatæ, hinc quoque petenda eſt.

Quandoque calore & frigore alternatim ſuccedentibus cruciatur æger, propter chyli aceſcentis fermentationem & inæqualem cum Sanguine miſturam.

Sputum frequenter in hoc Morbo fit craſſum, album & dulce, quod (ſicut priùs innuimus) Chylum præcipitatum ponimus; aliquando fit tenue & pellucidum cum craſſo commixtum, quod ponimus eſſe lympham quæ per lymphæ ductus tranſire debuit, propter glandulas autem conglobatas obſtructas per alia ſecretoria eliminatur, & in hoc quidem caſu, quicunque humori huic ſiſtendo medicamentis opiatis pertinaciter inſiſtit, à verò deviat, & præſtat *ei motos componere fluctus*.

Sputum aliquando fit cæruleum, falſum, acidum & amarum, ſicut bilis, & ſalia diverſæ proſapiæ variè cum eo miſcentur.

Reſtat aliud Symptoma, nec minùs reliquis infrequens explicandum, *viz.* unde eſt quòd in hoc Morbo urina tam intensè lixivialis excernitur, ſedimentum copioſum rufum deponens, ſuavem emittens odorem parum ei diſſimilem in urinis obvium poſt medicamenta terebinthinata, & quædam præparata Sulphuris aſſumpta, ſuperficiem gerens pelicula tenui oleoſa obductam? In hoc caſu ponimus urinam particulis Vitriolaceis vel Muriaticis eſſe ſummopere ſaturatam; particulæ ſalinæ poſt ortam cum bile efferveſcentiam præcipitant, adeoque urinæ tantam hypoſtaſin deponunt: particulæ bilioſæ ab efferveſcentia cum particulis ſalinis (ſicut Sulphur ab incendio adjuncto) rufeſcunt, & inde urinæ ſedimentum lateritium deponunt. Particulæ ſalinæ oleoſas quaſdam particulas in fermento incarcerant, quæ tumultu unà cum illis per renes ablegantur, hinc urina aeri expoſita, particuliſque fermenteſcentibus ſaturatis, particulæ Sulphureæ oleoſæ divortium conantur, adeoque in ſuperficie pelliculam efformant, & odorem ſuavem emittunt; hypotheſi huic ſuffragatur Phænomenon in Spiritu Nitri dulci ſatis obvium, ibi etenim ab acido cum Sulphure unito, odor ejuſmodi proſapiæ obſervari poteſt.

Utrum in hoc ſtatu tuberculis ſemper infarciuntur pulmones à clariſſimo *Mortono* notatis; Hac patria à cultro anatomico tanquàm à peſte abhorrente, nec nego, nec affirmarem, hoc tamen praxi ſuffragante] aſſererem; in hoc Morbo plures ſatis ſuccumbere vidi, ne uno quidem ſymptomate Febris inflammatoriæ apparente; cui ſententiæ adſtipulatur Hiſtoria è Doctore *Bennet* deſumpta Theatro tabidor. *pagin.* 96.

Cùm apud *Briſtollienſes* Medicinam facerem, qua urbe Penſili tabes frequenter graſſatur, nonnullos ſputum ſubdulce levi conatu expectorantes, ſpatio trimeſtri fatiſcentes, & totaliter enervatos vidi, horum verò quoſdam, non omnes tuſſis vehementior aliquoties corripuit, & areſcentes ſtrigoſi periere, in quorum unicæ derectionis cauſa, licèt Sanguinem (peracto ſalino ptyaliſmo) extuſſierat, & pulmo ubique inteneratus tonum amiſerat, univerſa ſpirabilia nec non viſcera omnia naturalia, quoad ſenſum ſana comperta ſunt. Haud hìc intelligi velim quòd in Phthiſi pulmones hiſce tuberculis nunquam infarciuntur, eos etenim ſæpius ulceratos vidi; at hoc ſolummodò aſſero ea Phthiſi quæ tam vulgariter in agro *Lancaſtrienſi* graſſatur, qua in dies defloreſcunt ægri ſputum craſſum album exſpuentes, in his dico, hujuſce Morbi principio & incremento, raro aut nunquàm pulmones confodiuntur, imo aliquandò, ægri è medio tolluntur & [ſicut opinari fas eſt] iis haud ulceratis, quibuſdam etenim per totum Morbi

decur-

decurſu Febris hecticæ ſymptoma haud apparuit unum.

CAPUT III.

In hoc Capite Symptomata in ſtatu confirmato recenſentur, & eorum Cauſæ aſſignantur.

FAtiſcente in dies natura in proſapiam propemodum vitriolaceam degenerat maſſa Sanguinis, hinc ſputum frequenter aluminis vel vitrioli maris ſit ſaporis, jam particulis ſalinis ſui juris factis effuſis velut habenis hic Morbus affligit; hinc Febris ſit continua & auctior, ex particulis ſcilicet vitriolaceis cum Sulphure Sanguinis efferveſcentibus, ſicut ex oleis vitrioli & terebinthinæ permiſtis obſervare fas eſt.

Ex hac efferveſcentia vaſis capillaribus circa genas diſtentis, inde eſt quod rubor fixus genas utraſque occupat, mortis adſtantis frequenter indicium; quaſi vitalis flamma ellychnii ad inſtar (cujus pabulum propemodum exhauſtum eſt) receptaculo gliſceret; *vel ſolis ad inſtar rubro colore hemiſpherium ſpargentis* priuſquam *Cimmerias deſcendit in umbras*.

Conglobatis glandulis in dies magis infarctis, & majori copia nutritio ſucco quotidie præcipitato, hinc eſt quod ſputum ſit copioſius & craſſius & ex fermento vitriolaceo cum Sulphure Sanguinis permiſto, aliquando ſaporis putridorum piſcium.

Ex ſputo copioſius in dies intra pulmones extravaſato; Aſthmate frequenter corripitur æger. Et continua propemodum gravitate pectoris opprimitur. Sputum aliquando egregiè fœtidum hoc ſtatu quoque notavi, quod tamen haud ſemper ab ulcere pulmonum, ſicut quibuſdam placet ortum ſibi ducit, ſæpius etenim hoc notavi, & patientes tam diarrhœa quam ſudoribus immunes, quòd procul dubio haud evenire poſſet ulcere fœtido pulmonibus confoſſis, potius itaque fœtoris iſtius cauſa in hoc conſiſtere videtur, particulis Sulphureis volatilibus, particulis ſalinis aculeatis, hiſque latice ſeroſo luxuriante, cum ſaliva miſcentur, jam particulis ſulphureis ad evolandum ſatis aptis ſecum ſalinas vehunt, quas unitas effluviis ſaliva emittit, hinc ſenſorium olfactus tenellum vellicant, iiſque itaque ingratis fœtorem conciliant, ſicut è contrario particulæ ſulphureæ globoſæ ſine ſalinarum mixtura, fibras olfactorias percutientes gratum odorem cauſant; ſicut in aromatibus & balſamicis florum effluviis obſervare in proclivi eſt. Grandiori mole in dies nutritio ſucco expectorato, hinc vultus evadit *Hippocraticus*, & corporis univerſi maraſmus.

In dies conglobatis glandulis infarctioribus, & verſus temperiem ſalinam vergente Sanguine, hinc ſudoribus profuſis & diarrhœis immanibus cruciantur ægri, nec non doloribus acutis, iis Rheumatiſmo verſatilibus quibuſdam atrocioribus, oſſibus etenim in ipſis de dolore lancinante quidam conqueſti ſunt iique quibus Morbum venereum ſuſpicari nefas.

His Symptoma aliud haud minus commune, & ſumma quidem indagine dignum addi poteſt, ſtringoſi plures etiamſi ad orci fauces propemodum ſunt redacti, appetitu laudabili ditantur, poſt cibum aſſumptum hectico nullo calore ſuccedente; neque ſudores, nec diarrhœæ, nec ventriculi inflammationes adſunt; tamen in dies intabeſcit æger prægrandi copia ſputum craſſum album exſpuens Auguriis noſtris ex præmiſſis ſat ſuperque propalatis, particulis vitreolaceis frequenter luxuriare Sanguinem; circa hoc ſymptoma hæc conjectare liceat. Vitriolaceis particulis aculeatum naturale fermentum, ictu altiori fibras nerveas titillat, quæ quaſi ab œſtro precitæ, ſpiritus fibris ventriculi indigeni in motus concitatiores adiguntur, & inde eſt; ni fallor quod appetitus ſit voracior, eſculenta quævis aſſumpta ſtructionis ad inſtar colliquans; hoc colliquamentum per lacteas, ductumque

ductumque chyliferum propagatum cum sanguine miscetur, quod in propriam naturam haud assimilat, & inde in universi corporis nutrimentum quin salinæ particulæ in Sanguine nidulantes, in humoribus crassis hoc præcipitant, & inde est quod alimenta assumpta etiamsi in Sanguinis naturam haud convertuntur, tamen nec per sudores, nec diarrhœas eliminantur, quin intra pulmones coagulo albo viscoso subsidunt, & inde est quod in dies intabescit æger.

Restat adhuc aliud Symptoma quod sub hoc larvatur vultu: plures hoc Morbo propemodum confectos Febris intermittens anomala frequenter invadit, quosdam semel tantum, alios bis vel ter spatio viginti quatuor horarum conquassat, ingruit sæpè cum horrore & pruritu inter scapulas, & circa regionem lumbarem, totum postea convellitur corpus per horam unam vel alteram tremulum permanens, calor postea succedit, & huic sudores, & aliquando diarrhœæ: ex lentoribus salsis circa membranas nerveas nervorum extremitates, plexus, & glandulas subcutaneas miliares extravasatis, hæ frigoris & caloris reciprocationes procedere videntur, his ad plenitudinem aggestis, & acorem insignem nactis partes nerveas vellicant, adeòque, ni fallor, dolores hosce frigorificos inducunt, lentoribus hisce per vasorum extremitates tandem absorptis, adeòque cum Sanguine permistis ex iis cum particulis Sulphureis Sanguinis nova repullulat fermentatio, calor itaque Febrilis succedit, tandem autem materia morbifica subacta aliquando per diarrhœam amandatur. Alii in statu eusarco, etiamsi animi indole dulcissima præditi, hoc Morbo tandem confecti, ex levi qualibet, occasione irascendi ansam capiunt; iraque tam continua ebulliunt, vix vocem vel visum alicujus tranquille ferunt: ex succis hisce accescentibus spiritibus animalibus continuo tanquam ab *æstro* percitis; sicut opinari fas est.

Hisce præmissis, de reliquis Phthiseos Scorbuticæ speciebus breviter differere adhuc restat; at cum eæ (scilicet utrùm sint hæreditariæ, vel ab erroribus in diæta, & victu) maxima ex parte eadem vel similia symptomata præbent: verosimile mihi videtur eas à tali prosapia oriri, quapropter earum ætiologiis applicandis diutiùs immorari impræsentiarum inutile esset: nobis itaque sufficiet in casu quolibet historiam unam vel aliam subnectere: & medendi methodum recensere.

CAPUT IV.

Hic Canones quidam generales circa hunc Morbum proponuntur.

IN hoc Capite symptomata in statu deplorato recenseri debent, at cum nullus sit propemodum è plebe, quin in hoc statu ægro ex hoc vitæ curriculo manumissionem pronuntiet, diutius hisce immorari extra propositum esset; nobis itaque sufficiet Canones quosdam generales circa hunc Morbum proponere; exque iis medendi methodum efformare.

Canon primus.

In statu simplici incipiente facile curatur Phthisis.

In statu complicato incipiente, visceribus & lymphaticis salvis, bonum sit expectandum.

In statu confirmato, difficulter, tamen quandoque curatur.

In statu confirmato complicato alea res est proculdubio plena.

In statu confirmato complicato, visceribus vel lymphaticis insanis, nil nisi malum sit pronunciandum.

In statu confirmato Phthises haereditariæ inducias frequenter patiuntur, raro autem vel nunquam curatur.

In statu confirmato, modo Febris adsit, lacticinia sunt vitanda, in hoc quoque casu chalybeatis abstinendnm est.

Urgente dyspnœa, etiamsi catarrho titillante infestetur trachæa, ex opiatis tanquam à peste fugiendum est.

CA-

CAPUT V.

Hoc Capite medendi methodus in ſtatu incipiente proponitur.

INtentiones in hoc ſtadio variis indicationibus reſpondentes ad ſequentes reduci poſſunt.

Imprimis, Per emetica vel lenia Cathartica; primæ viæ ex ſaburra viſcoſa ſunt detergendæ.

Secundò, In adultis Phlebotomiam ſemper proficuam inveni.

Tertiò, Pulmones ab humoribus craſſis ſunt liberandi.

Quartò, Glandulæ infarctæ ſunt aperiendæ:

Quintò, Temperies ſalina Sanguinis ſit alteranda.

Sextò, Lymphę ſuccedentis in pulmones defluxus ſit præcavendus

Medicamenta intentioni primę reſpondentia, hæc vel ſimilia eſſe poſſunt, quibus forma liquida arridet ſequentia præſcribi poſſunt.

Si Emetico opus eſt.

℞. *Mel. Stillitic. ab* ℥. *ii. ad* ℥. *iii. aq. Cardui, hyſſop.* an. ℥. *ii. ſyrup. ſcabioſ. compoſiti* ℥. ß. *M. S. F. Emeti. cum.*

Si per Catharſin alvus ſit ſubducenda, ſequentia in uſum veniunt.

℞. *Decocti Senæ Gereonis* ℥iv. *ſyrup. de ſpina cervina* ℥iß. *crem. tartari* ℥ß. *aq. lumbricor.* ℥ii. *M. S. F. P. cum regimine ſumend.* Vel,

℞. *Decocti Senæ Gereonis* ℥. *iii. Mannæ Calabrinæ* ℥. *i. tincturæ ſacræ* ℥. *i. crem. tartari* ℥ß. *aq. lumbricor ſolutione gummi Ammoniaci ſatur.* ℥i. *Miſceatur Fiant Pilulæ.*

Cum regimine ſumend. huic ſyrup. Roſar. ſolutiv. addi poteſt, pro re nata.

Quibus forma pilularis arridet hæc vel ſimilia eſſe poſſunt.

℞. *Pil. Stomach. cum gumm.* ℈*i. de ammoniaco Magiſtral.* ℈ß. *tartari vitriolati gr. vi. reſin. jalapp. gr. vi. Balſam. Peruv. q. ſ. F. pil. N. 7. cum regimine ſumend.* Vel,

℞. *Pil. aloephangin. tartarear. Quercertan.* an. *gr. decem de ammon.* ℈ ß. *tartari vitriolati gr. vi. reſin. jalap. à gr. ſex. ad decem Balſam. Peruvian. q. ſ. F. pil. N. 7. cum regimine ſumend. his Calomelas à gr. 14. ad* ℈*i. addi poteſt pro re nata.*

Quibus ſit in animo Bolus talis eſſe poteſt.

℞. *Electuar. lenitivi* ℥vi. *crem. tartari* ℥i. *ſyr. roſ. q. ſ. f. bolus cum regimine ſumend.*

Pro puerulis doſes & formæ variari poſſunt, ſcilicet, pulveres de Rhabarbar. ſena, Calomelan. reſina jalappæ, & id genus aliis; nec non Elixiria, & tincturæ [inter quæ tinctura ſacra & Elixir. Salutis cæteris palmam præripiunt.]

Quibuſdam cereviſia medicata præ cæteris allubeſcit, & in eo caſu talis eſſe poteſt.

℞. *Folior. ſennæ, Rhabar. polypodii quercini* an. ℥ii. *epithimi* ℥iß. *pini, tamariſci ſummitat.* an. *Mii. folior. beccabung. Miii. hederæ terreſtris Mv. ſalviæ agreſtis Miii. radic. 5. aperientium an.* ℥ii. *lapath. acut.* ℥vi. *baccar. juniperi* ℥i. *cortic. aurancior. N. vi. F. ſacc. pro tribus cong. cereviſiæ; dos.* ℔i. *aurora qualibet, vel alterna ſicut vires ferent. Phthiſin incipientem tempore vernali hac ſola cereviſia haud ſemel curavi.* Intentioni tertiæ, quartæ, &c. medicamenta ſequentia reſpondent.

℞. *Conſerv. cynoſbat.* ℥iv. *corall. rubri* ℥iii. *ſyrup. balſamic. q. ſ. F. Elect. horis medicis ſumend.* Vel,

℞. *Conſerv. Cinoſbat. florum cichoreæ* an. ℥iß. *extract. trifolii* ℥. ß. *animæ martis ab inſigni Vigani pp.* ℥i. *gumm. ammoniaci in aq. lumbricor. ſolut.* ℥. i. *florum Benzoin.* ℈*i. cum ſ. q. ſyrup. balſamic. Tolutan. F. Elect. eodem modo ſumend.* Vel,

℞. *Conſerv. Cinoſbat. loboch. de pulmon. vulp.* an. ℥iß *enulæ Campan. condit.* ℥ß. *ariſtolochiæ rotundæ* ℥iiß. *glicirrhizæ* ℥ii. *hederæ terreſtris præparatæ* ℥. iii. *florum ſulphuri.* ℥ß. *ſir. de Eriſimo q. ſ. F. Elec.* Vel,

℞. *Conſerv. Cinoſbat.* ℥iv. *martis cum ſulphure pp.* ℥. iii. *ſal. ſpirituoſ.* ℈. *i. cum ſ. q. ſirupus è cortice citri. Fiat Elec.*

Electuariis prescriptis, sicut dyspnœa magis vel minus urgebit, species diaireos solutio gumm. ammoniaci in aqua lumbricior. fact flores Benzoin. extract. enulæ, radix. aristolochiæ rotundæ, addi possunt; vel omitti, sicut Medico videbitur idoneum.

℞ *Syrup. Balsamic. Tolutan. è succ. heder. terrestris, capillor. veneris,* an. ℥iii. *f. syrup.*

℞ *Aq. lactis alexiteriæ* ℔i. *limac. Magistral.* ℥ii. *gentianæ compos.* ℥iii. *lumbric.* ℥i. *sacchar. perlat q. s. F. julapium.*

℞ *Ingredientium q. s. ad* ℔ii. *decocti pectoralis; adde radic. sarsæparil.* ℥. iß. *chinæ, fœnic. bardan. urtic. caryophillat.* an ℥. *vi. aristolochiæ rotund.* ℥. ß. *semanisi, coriandri, urtic* an. ℥. *ii. passular. exacinat.* ℥. *i. baccarum juniperi* ℥i. *c. c. rasur. eboris* an. ℥v *folior. hyperici, cariophillor. veneris, hederæ terrestris, marrubii albi* an *Mj. coq. in aq. fontan. s. q. ad* ℔iv. *col. adde vini albi* ℥. *iv. mell. despumat. sacchar cand. albi* an. ℥. *ii. M. fiat apozema usus eximii in asthmate & gravitate pectoris.*

℞ *Aq. limac. magistral. lumbricor.* an. ℥. *iv. syrup. balsamic. Tolutan. de Prassio, Allio vel Erisymo* an. ℥i. *spir. sal. ammoniaci è gumm. ammon. distillat* ℥ii. *M. F. mixtura.* Vel,

℞ *Aq. lactis alexiteriæ* ℔iß. *gentian. comp. s.* ℥vi *limac. magistral.* ℥iß. *sacchar. q. s. F. julapium.*

℞ *Pulveris milleped. pp.* ℥iii. *radic. aristolochiæ, gumm. ammoniaci in aq. lumbricior. solut.* an. ℥iß *florum Benzoin.* ℥ß. *extract. enulæ; croci an.* ℥i. *Balsam. Peruv.* ℈i *sulphuris anisat. q. s. F. pil. mediocres in dispnœa usus egregii.* Vel,

℞ *Florum Sulphuris, gumm. ammoniaci* an ℥. *ii. enulæ campan. aristolochiæ rotund. glicirrhiz. Ireos Florentin.* an. ℥. *i. semanisi* ℈ii *picis liquidæ Barbadeos partes iv. Balsam. peruv. partem i. M. F. Massa pilularis.* Vel,

℞ *Balsam. Tolu.* ℥iß. *milleped. pp.* ℥. *ii. gumm. ammoniaci depurat.* ℥ iß. *florum Benzoin.* ℈i. *Mirrhæ* ℥i. *Balsam. sulphuris anisat. gut.* 12. *succi glicirrhiz. in tinctura croci solut. q. s. M. fiat massa dos* ℥. ß. *vel* ℈ii.

℞ *Pulveris milleped.* ℥iii. *animæ martis* ℥. *i. gumm. ammon. in aq. lumbricor. solut.* ℥i. *extract. trifolii fibrin. q. s. F. pil. mediocres.*

℞ *Cinnabar. antimonii* ℈ii. *fiat pulvis Capiat bis in die: panacæa quoque antimonii Doctoris* Needham *egregii sit usus.*

℞ *Pini sumitat. Miii. folior beccabung. M. iii. salviæ agrestis M. ii. capillor. veneris, hederæ terrestris.* an *M. iii. radic. lapath. acut.* ℥. *vi. baccar. juniperi* ℥i. *cortic. aurantior. N. 6. F. sacc. pro tribus cong. cerevisiæ.*

℞ *Pini, tamarisci sumitat.* an. *Mii. folior. becabung. M. iii. hederæ terrestris; capillor. veneris* an. *Mvi. salviæ agrestis M iii. radic. osmund. Regal.* ℥iv. *enulæ campan.* ℥ii. *lapath. acut.* ℥vi. ß. *aperientium* an. ℥ii. *sarsæparillæ* ℥vii. *baccar. juniperi* ℥i *sem. anisi* ℥ß. *cortic. aurantior. N. vii. F. sacc. pro tribus cong. cerevisiæ, de qua cap. ad* ℔ii *in die cum sirup. & pil. prius præscriptis. His debite adhibitis medicamentis ulterioribus vix opus est; quò autem intentio ultimæ omni ex parte perfici potest, externa etiam in usum veniunt v. capitis rasura, fontanellæ, vesicatoria satis ampla, quæ revera tussim phthisicam tutiùs & magis radicitus tollunt, quàm medicamenta quævis opiata forma quacunque sumpta, ingenue etenim fateor ex opiatis copiosius sumptis, nihil nisi inducias incertas mihi adhuc observare contigit.*

CAPUT VI.

In quo agitur de methodo in statu confirmato.

INtentiones in statu secundo à prioribus tantùm minutiis distant, nisi quod in hoc stadio Catharses mitiores esse debent, Phlebotomia si omninò, manu tantùm parciori, sit celebranda; jam calor febrilis qui vehementiùs exæstuat præ singulis sit temperandus: ad calorem febrilem temperandmu varia ex variis Autoribus præscribuntur, pulveres scilicet testacei, antihectici, conservæ, antidoti, analeptici, Julapia refrigerantia, emulsiones,

nes, & id genus alia, at ingenuè fateor in hoc ſtatu hac vel tali methodo haud Phthiſin ſemel radicitùs ſanatam vidi; miſſis itaque ambagibus; ad Cortic. Peruvianum (modò abſit pulmonum ulcus) ſemel in die tanquam ad Aſylum confugiendum eſt, hoc tantùm obſervando, quòd tunc temporis pectoralibus fortioribus inſiſtendum eſt, & die quolibet tertiò, vel alterno per catharſin levem alvus ſit ſubducenda; hac methodo appetitum prius totaliter proſtratum ſtatim reſtitutum vidi, & calorem febrilem totaliter debellatum. Et cùm ita ſe res habet ad coronidem methodo inceptæ imponendam, ad pectoralia detergentia, aperientia mitiora confugio in hoc itaque ſtatu methodus ſequens vel ſimilis obſervavi poteſt.

Imprimis ſi vires ferent Emeticum lene exhiberi jubeo: *v. g.*

℞. Mell. ſcillitic. ℥iii. aq. cardui, byſſop. an. ℥ii. ſyrup. ſcabioſ. compoſ. ℥ß. M. F. Emeticum. Ab hoc aſſum. pto ſæpius ingentem maſſam viſcoſi Phlegmatis per Vomitum eiectam inveni.

Aurora ſequenti, leve Catharticum exhibendum curo, ſcilicèt cum quodam ex iis cap. priori præſcripto: at ſi diarrhœa adſit, quæ ſæpiùs in hoc morbo occurrit infuſionem ſequentem exhibendam ſuadeo.

℞. Aq. lactis alexiteriæ ℔*i. gentiana compoſ. ℥iv. limac. magiſtral. ℥iß. lumbricor. ℥ß. ſal. tartari* ℈*ii. aq. menthæ fortioris ℥i. Rhabar. optimi inciſi ℥ß. F. ſ. a. infuſum de quo cap. 6. Cochlearia Manè. Aurora qualibet tertia vel alterna.*

Ad calorem temperandum.

℞. Conſerv. Cynosbat. ℥iv. Cortic. optimi Peruv. pulveriſat. ℥i. cum ſ. q. ſyr. balſamic. Tolutan. F. Elec.

Methodus pro pectoralibus & antiſcorbuticis ex cap. priori deſumi poteſt, pro re nata utenda; diætam ex cibis eupeptis inſtituo, juſculis ſcilicet, carnibus ovinis vitulinis, pullis, ovis ſorbilibus, & id genus aliis, religiosè obſervando à lacticiniis abſtinere; modò febris adſit, liquores pectoralibus & antiſcorbuticis medicatos inſtituo. Hac methodo quamplures ultra ſuos & omnium amicorum ſpe perfectæ ſanitati reſtitui.

CAPUT VII.

In quo agitur de Phthiſi in ſtatu deplorato.

IN hoc ſtadio remedia tantùm palliativa exhiberi poſſunt, & vulgariter quicquid exoptat æger concedo. Utcunque ut ægri & amicorum votis importunis modo quocunque ſatisfacerem, remedium aliquod ſymptomati maximè urgenti reſpondens præſcribo. Univerſo ſcilicet marcore jam corpus colliquatur, & frequenter ſummopere gutturis dolore lancinante laborat æger, tali ſcilicet, quòd vix aut ne vix deglutire poteſt, hinc lac aſininum ſi haberi poteſt, ejus autem defectu vaccinum, per ſe, vel decoctis pectoralibus balſamicis exhibendum curo, hauſtu autem quolibet guttis aliquot olei tartari per deliquium vel pulvere quodam teſtaceo commiſto, quantùm ſcio remediis ulterioribus haud opus eſt, quapropter his coronidem imponam.

HISTORIÆ.

IN

STATU PRIMO.

Obſervatio I.

CAROLUS *Fleervood*, Generoſus & magno ingenii acumine, opido de *KirKham* Chirurgiam factitans, in carnis intabeſcentiam incidit, tuſſi laborabat gravi, & nycthemeri ſpatio ſaburram ingentem albi viſcoſi Phlegmatis exſpuebat, appetitus proſtratus erat, quandoque Cochlearia aliquot Sanguinis exſpuebat, flatibus intumuit ventriculus, laſſitudine ſpontanea & debilitate corpus univerſum macerabatur. Me tandem in ſubſidium vocato lenitivam potionem præſcripſi, & ſemel repetendam inſti-

institui, postea syrup. martis *VVillisianum* cerevisia pectorali bis in die sumendum suasi, & hora somni guttas aliquot Balsam. Peruv. cum syrupo Balsamico Tolutano, brevi tempore cessavit tussis, ipse vires recuperavit, & jam pancraticè valet.

Observatio II.

Gilbertus Ousy de Chorley Causidicus, post Febrem tertianam catarrho continuo correptus erat; sputum crassum album exspuebat, pulsus erat debilis & celer, calor & frigus sæpius in die alternatim succedebant, vultus erat pallidus, musculi totius corporis flaccidi, appetitùs totaliter prostratus, vires dejectæ, & sudoribus nocturnis propemodùm colliquatus. Electuarium cum cortic. Peruv. hora quarta pomeridiana sumendum suasi, aurora & hora somni, pil. pectorales, syrupos Balsamicos detersivos, & julapia pectoralia præscripsi, die quolibet tertio, 6. cochlearia infusi de Rhabarbaro in aqua lactis alexiteria fact. sumenda imperabam, posteà pil. pectorales & sirupos cerevisia pectorali sumendos institui, hac methodo sanitatem pristinam recuperavit, & jam firma valetudine fruitur.

Observatio III.

Jacobus Sherdley Baccalaureus in Artibus, & celeberrimo viro Domino *PriceBlacKburn* Curatus, incidit in tussim gravem, angustia magna laborabat pectoris, sputum crassum copiosum exspuebat cum Sanguine commixtum, vultus & oculi flavescebant, urina parca & lixivialis erat cum sedimento rubro, appetitus prostratus erat, & magna quidem debilitate laborabat. Electuarium cum Cortice Peruviano præscripsi, posteà pil. pectorales, sirupos Balsamicos, & Apozema detersivum horis medicis sumenda suasi. Et posteà pil. pectorales cerevisia pectorali aperitiva semel septimana: nec non infusum de Rhabarbaro, vel dos. pil. stomach. cum gum. & de ammoniaco magistral. sumenda suasi hora somni; his assumptis evanuit morbus, & firma valetudine magna cum laude muniis jam solitis obitur Eadem, vel methodo simili *Evan Mandsley* de *Penvvorthan* sanitati restitui.

Observatio IV.

Dominus *BlacKburst* de *Preston*, tempore vernali anno 91. modo sequenti hoc Morbo laborabat, angustia tanta pectoris constrictus erat, ut lineis tantùm quibusdam describendis creber recurreret halitus, ab imo anhelans pectore; tussi continua titillante tempore decubitus insomnis jacuit, exspuit sputum tenue, pellucidum, horis autem matutinis crassum; & quandoque æruginosum subflavum, vultus pallescebat intumuere pedes, appetitus prosternitur, & vires in dies labefactabant. Eruptio miliaris cutem universam consp. purcavit, urina erat exigua & lixivialis, & sæpius in die de calore & frigore conquestus est, in subsidium accersitus, statim Phlebotomiam celebrandam institui, & fontanellam in brachio secandam, leves Catharses repetendas, præscripsi, electuario posteà sequenti usus est, dosi qualibet superbibendo haustum decocti amari alterantis.

℞. *Pulveris Ari compos.* ℥ß. *martis pp.* ℥j. *sal. spirituosi* ℈j. *conserv. cichorei, beccabung. recenter fact. an.* ℥ß. *cum s. q. syrup. Chalyb. F. Electuarium.*

Hoc repetendum imperavi, & bis in die cum cerevisia pectorali sumendum brevi vires recuperavit, ab hoc Morbo perfectè convaluit. Anno sequenti Dominæ perillustri conubio conjunctus erat; & sex circiter mensibus elapsis recidivam passus, rursus ad me misit, tunc temporis autem tertiana epidemica me suspirante, Dominus *parsons* in auxilium vocatus, erat, eum qua methodo tractavit nescio, in dies autem in pessum abiit, & hieme sequenti ad me rediit, at *quantum mutatus ab illo!* marasmo universali jam con-

confectus erat, vultus erat *Hippocraticus*, Febris continua, rubor fixus genas utraſque occupavit, dolore lancinante guttur quotidie terebratur. Cortic. Peruv. alcalicis, Balſamic. antiſcorbuticis, remediiſque aliis appropriatis in caſſum tentatis auſpicante vere, fatis ſuccubuit.

HISTORIÆ

IN STATU SECUNDO.

Obſervatio V.

DOminus *VVod* de *KirKham* B. A. cùm per totam hyemem gravi laboraſſet tuſſi, initio veris me in auxilium vocavit; ſtrigoſum perfectè inveni, ſe quidem ad extremum marcorem redacto, nycthemeri ſpatio libram unam vel alteram ſputi viſcoſi cærulei eructabat, glutine propemodum tenacioris; de dolore laterali quotidie conqueſtus eſt, & magna conſtrictione, & quaſi mole pectoris, & debilitate tanta, quòd vires vix ei ſufficerent ab alia tori parte ad alteram ſibi movendo urina lixivialis fuit, ſitis autem parva, vel nulla, nec quantum memini de calore quodam inſigni conqueſtus eſt; imprimis bolum purgantem ex electuario lenitivo præſcripſi, poſteà decoctum ex radicibus 5. aperientibus & ſalvia agreſti vice potus communis inſtitui, deinde per menſis ſpatium pro potu communi decoctum amarum alterans & traumaticum ſolummodò conceſſi, hora ſomni linctu ſequenti uſus eſt.

℞. Syrup. capillor. veneris è ſucc. hederæ terreſtris, balſamic. Tolutan. an. ℥i. ſpecies diaireos ℥iii. gumm. ammoniaci in aqua lumbricor. ſolut. ℥i. florum Sulphuris ℥ß. cum ſ. q. ſyrup. de 5. radicibus F. linctus, cap. cochlear unum hora ſomni cum gut. 4. Balſam. Peruv. initio Aprilis, ſumpſit de cerevi. ſia pectorali aperitiva bis in die & perfectè convaluit, quod adſtantes omnes tunc temporis pro miro habuere. Anno 89.

Obſervatio VI.

Johannes Veale Armiger per totam hyemem gravi catarrho correptus fuit, ann. 90. initio veris ad me accedit, tunc temporis vultus erat pallidus & perfectè *Hippocraticus*, tuſſis continua & ſicca, horis autem matutinis ſputum craſſum ſanguinolentum exſpuebat, tanta raucedine correptus erat, vix ut ullus vocem illius caperet, appetitus proſtratus erat, ſudoribus nocturnis propemodùm colliquatus, de anguſtia & pondere pectoris conqueſtus eſt, & continuis inteſtinorum torminibus; urina lixivialis erat, & ſcabies ſicca manus præcipuè fœdavit.

Imprimis decoctum lenitivum cum tinctura ſacra præſcripſi, poſteà uſum pilular. pectoralium, ſyruporum & decocti pectoralis, per 14. dierum ſpatium inſtitui, & deindè pilulas pectorales & ſyrupos, cum cereviſia pectorali per menſis ſpatium; ab his ſanitati reſtitutus fuit, & jam pancraticè vivit.

Obſervatio VII.

Rogerus Threfal tunc temporis in vico de Groſmore habitans, anno 91. ad me miſit; vultus erat pallidus & macilentus, nec non tabe univerſali macerabat corpus, ſudoribus continuis, & Febre lenta laborabat, nec non tuſſi continua, exſpuit & ſputum craſſum fœtidumque, quandoque ſanguinolentum; imprimis bolum purgantem ex electuario lenitivo præſcripſi, & deindè uſum cereviſiæ pectoralis aperitivæ per menſis ſpatium inſtitui, nocte qualibet hora ſomni cepit gut. aliquot balſam. Peruv. in ſyrup. Balſamico. Tolutan. & perfectè convaluit.

Obſervatio VIII.

Filia natu maxima *Gulielmi Tovvning* de *VVoeton*, ann. 91. tempore vernali ad me acceſſit; vultus erat pallidus, oculi concavi, nares acutæ, humeri alati, & inſigni quidem extabeſcentia

totius

totius corporis laboravit, Febris erat continua, sitis intolerabilis, tussis continua, aspera arteria perpetuò titillans, parùm vel nihil exspuens nisi horis matutinis, & tunc sputum crassum eructavit, appetitus prostratus erat, & urina sedimento copioso albo saturata; ei infusum de Rhabar. in aqua lactis alexiteria præscripsi, nec non pil. pectorales, electuarium cum cortice Peruviano, syrupos pectorales, & cerevisiam pectoralem, & ab his sanitati restituta fuit.

Observatio IX.

Gulielmus Farington de *OrmsKirK*, Pharmacopola, & in arte quidem ista hujusce Patriæ decus, pleuritide correptus erat, cui gravis successit Catarrhus, nycthemeri spatio libram unam vel alteram sputi pellucidi saporis vitrioli martis per tussim eructavit, de gravitate & mole pectoris continuò conquestus est, in dies extabuit corpus & appetitus prostratus erat, nec non calculi sæpiùs cruciante paroxysmo laboravit, in consilio conjunctus cum Medico fideli, & prudenti Doctore *Grundy*, Phlebotomiam repetendam imperavimus, & catharses lenes repetendas pro re nata, & usum pil. pectoral. Apozematis, & mixturæ pectoralis instituimus, ab his valetudinem recuperavit, & per totam æstatem magna cum laude artem suam exercuit, tempore hyemali recidivam passus est, rursùs in subsidium vocatus, methodum similem præscripsi, & julapia pectoralia succo millepedum imprægnata, his autem haud cedente morbo cursum chalybeatum temperatum institui, & quia de mole ventriculi conquestus est, emeticum ex melle scillitico propinandum suasi, à quo copiosè evomuit, & saburram ingentem viscosi Phlegmatis ejecit, hinc dolor & moles ventriculi evanuit, & tussis parvas inducias dedit, brevi autem tempore redeunte calculi paroxysmo repullulavit Morbus, hinc suasi ut Morbi syndromen delinearem, eamque celeberrimo *Gibbonsio* communicarem; his transactis vir celeberrimus aqua *Spadanenses* propinandas suasit, & cursum temperatum Chalybeatum: nec non *Bochetum* ex sarsaparilla, pulveres quoque cinnabaris antimonii, pil. de styrace, liquores ex cerevisia *Brunsvvicensi* cum antiscorbuticis distillatos instituit, his horis medicis deglutitis, spes nova salutis affulsit, redeunte autem calculi paroxysmo rursus Morbus revirescebat; hinc æstate elapsa *Thermas Bathorenses* adiit, rediit autem cum arundine lateri hærenti, exspuit jam copiosiùs & crassiùs, & saporis ingrati, hectico calore & Febre inflammatoria immunis fatis succubuit.

Observatio X.

Anno 91. *Gulielmus Tate* de *BlachKburn* sicca laborabat tussi qua nihil emolitus, est, *nisi* horis matutinis, urina erat exigua & coloris cerevisiæ *Brunsvvicensis*, lingua sicca & nigrescens, sitis continua, extenuatio universalis corporis, partes extremæ ad molem insignem tumuere, asthmate frequenter correptus erat, & pulmones tanta mole oppressi vix *palmæ ad instar depressæ* resurgebant, in pectore sibilus perpetuus aures percutit, cui talis raucedo succedit, ut vix sermo perceptibilis; tandem Medico isto expertissimo *Doctore Grundy* mecum in consilio conjuncto methodum sequentem instituimus; Imprimis per leves catharses alvum esse subducendam, deindè fontanellam in brachio celebrandam, & sequentia præparata.

℞. *sulveris millepedum pp.* ʒiij. *specier. diaireoP* ʒiij. *gumm. ammon. in aqua lumbricor. solut.* ʒj. *florum Benzoin.* ʒß. *conserv. cynosbat.* ʒiv. *cum s. q. syrupus Balsamic. F. Elect. bis in die cum syrup. & cerevisia pectorali aperitiva sumendum, his adhibitis modicum salutis statum recuperavit, & adhuc muniis solitis obitur.*

Obser-

Observatio XI.

Georgius Longvvorth de *Eclefton*, anno 90. me in subsidium vocavit, vultus erat virido-nigrescens, appetitus prostratus, tussis continua & sicca nisi horis matutinis, quo tempore Phlegma lividum viscosum emolitus est, his successit extenuatio corporis, partes extremæ tumuere, torminibus intestinorum inducias vix ferentibus cruciatus est, urina coloris fuit nigrescentis, & hic reverà ab omnibus adstantibus conclamatus; Morbum Phthisin scorbuticam judicavi, & methodum sequentem institui, leves catharses imperavi, deindè Electuaria Chalybeata horis Medicis cum cerevisia pectorali aperitiva sumenda, & perfectè convaluit.

DE PHTHISI IN PARTICULARI.

CAPUT I.

De Phthisi ab Hæmoptysi.

Observatio I.

Vir insignissimus *Petrus Bold* de *Bold*, Armiger, a celeberrimo nec minùs antiquo *Stemmate* oriundus, & animi nobilitate inter eos illius ætatis facilè primus, anno 92. ætatis 35. in gravem hæmoptysin incidit, me cum insigni Doct. *Grundy* in auxilium vocato, Phlebotomia repetendam inculcavimus, necnon haustus succ. hæder. terr. plat. beccab. & aliorum prosapiæ julapiis refrigerantib. sumendos instituimus, ab his sedato fermento Sanguinis, ad vasa disrupta consolidanda, vel saltem hiantia constringenda, balsamica restringentia præscripsimus ex *Balsam.* scil. *Tolut.* gumm. *Arab.* & id genus aliis, postea ad præcavendam putredinem à Sanguine pulmonibus extravasato, decocta pectoralia, balsamica detersiva, nec non linctus, pilulas pectorales, & medicamenta talis prosapiæ formis diversis instituimus; his debito adhibitis cessavit hæmoptysis, & tussis, & revera sanitati restitutus erat, ad recidivam autem præcavendam ingurgitationem acidularum & cursum Chalybeatum temperatum instituimus, & evacuationes per *Epicrisin* diebus intermediis intercalandas. At, *proh dolor!* vir celeberrimus indole animi dulcissima præditus, ut tesseram hospitalem haud confringeret, liquores spirituosos nimis copiosè ingurgitavit, & brevi posteà catarrho correptus fuit tussis fuit, sicca & clangosa; horis autem matutinis Phlegma viscosum subflavum ex glandulis per excreationes, & pulmonibus per tussim eructavit, in dies emaciavit, appetitus dejectus erat, urina magna ex parte

sup-

suppressa, & sibilus continuus in pectore auresperçutit; hinc pectoralia balsamica detersiva, liquores antiscorbuticos, mixturas succo & infusione millepedum imprægnatas instituimus, his autem haud cessit Morbus; versùs autem hecticum calorem in dies vergebat, ad hunc supprimendum corticem Peruvianum medicamentum *Herculeum* judicavimus, illius autem usu tunc temporis hac in regione vix lanuginem adepto, inculcavimus Morbi Syndromen delineandam, & quibusdam *Collegii Regalis Londinensium* communicandam, hinc viri celeberrimi Doctores *Rateliff* & *Gibbons* in subsidium vocati sunt, & doctissimus Dr. *Gibbons* methodum ex Cortice Peruviano, & lacte Asinino instituit; his debitò adhibitis Morbus inducias passus est, brevi autem repullulavit virus, hinc sputum crassius & copiosius, Febris adauctior, diarrhœa immanior, dolor terebrans fauces continuò infestavit, tumuere pedes, rubor fixus genas utrasque occupavit, quo tempore omnibus siti cognitis lachrymas vi nulla coercendas effundentibus, quasi in tot *Niobes* conversis, fato irresistibili è medio tollitur.

Observatio II.

Dominus *Fletcher* de *Cartmell*, Mercator, vir ingenio peracri, & totus negotiis deditus, anno 89. in gravem Hæmoptysin incidit, nycthemeri spatio librarum aliquot purpureæ massæ dispendium passus est, ne loqui potuit quin ore pleno Sanguinem eructavit; In auxilium vocatus, statim Phlebotomiam celebrandam instituì, sanguis & eductus fuit tantoperè spumosus, haud adhuc similem vidi. Ingurgitationem julapiorum refrigerantium, & succorum institui, sedato fermento sanguinis, decocta pectoralia pro potu communi institui & ad catarrhum sistendum pilulas sequentes.

℞. *Succi hederæ terrestris per insolationem depurat.* ℔i. *florum farfaræ siccat. summitat. hyssop. salviæ, pulegii, an. Mi. sem. anisi, cardui fœniculi dulc. contus. an.* ℥ß. *distillentur in B. M. ad medietatem, deindè F. colatura, quæ distilletur ad consistentiam pilular. addendo succi glycyrrhiz.* ℥ß *pulv. radic. enulæ campan. flor. sulphur. an.* ℥iii. *flor. Benzoin.* ℥i. *Balsam. Peruv.* ℥ß. *tincturæ sulph.* ℥iii. *Ladani Parisat.* ℥ii. *M. F. massa formetur in pilulas exiguas, & sumat iii. hora somni; & primo manè cerevisiam pariter pectoralem antiscorbuticam præscripsi, cui folia linguæ cervinæ addenda curavi; hac methodo perfectè convaluit per aliquot annos, & per plures annos pro potu communi lac cum aqua commixtum solummodo sumpsit: tribus annis elapsis recidivam passus est, rursùs in auxilium vocatus Phlebotomia celebrata sequentia præscripsi.*

℞. *Conservæ Rosar. rubrar. cynosbat.* an. ℥iii. *pulv. santal. omnium* an. ℥ß. *coral. rubri pp.* ℥i. *croci martis rubicundissimi* ℥ii. *sal. prunel.* ℈iv. *cum s. q. syrup. è coral. F. Elect. hora somni & primò manè sumend. ad quantitatem nucis myristic. superbibendo haustum julapii sequentis.*

℞. *Aq. lactis pectoralis Batean.* ℔i. *portulac. spermatis ranar.* an. ℥iv. *syr. è succ. hederæ terrestris* ℥ii. *sal. prunel.* ℥i. M. F. *julapium; pro potu communi decocta pectoralia institui, & hora somni gut. aliquot Balsam. peruv. e cochlear. syrup. Balsamic. Tolutan. quoties recidivam passus est hac methodo usus est, & nullo negotio sanitatem recuperavit, anno elapso repullulavit virus, quo tempore me in agrum* Eboracensem *accersito, vir præclarus ad medicamenta veterna quasi valentissima auxilia confugit; tunc temporis autem Phlebotomia manu liberali celebrata fermentum sanguinis haud sedari potuit, hinc cortic. Peruvianum dosi prælarga exhibendum curavi; hoc debito adhibito Morbus inducias passus est, & de magna constrictione pectoris jam conquestus est, & sputum crassum copiosum eructavit; hinc pilul. pectorales detersivas, julapia pectoralia & syrup. præscripsi, & leves cathareses repetendas instituì, vires autem & carnes in dies labefactabant, tandem* Kensington *adiit, quo*

loco

loco post lunarum aliquot circuitus fatis succubuit.

Observatio III.

Richardus Tinkler de *Poulton* hospes cùm diu gravi Hæmoptysi laborasset, gravi catarrho magnopere emaciatus erat, appetitus prostratus, & revera unà voce pronunciarunt omnes ei nulla *vestigia retrorsùm*; in auxilium vocatus, Phlebotomiam repetendam inculcavi, die sequenti levem potionem exhibendam curavi, & postea remedia sequentia.

℞. *Conserv. Cynosbat.* ℥iv. *sal. martis, Balsam. peruv. an.* ℥i. *specier. diatrionsantal.* an. ℥iß. *cum s. q. syrup. Balsamic. Tolutan. Fiat Electuarium ex hoc sumpsit bis in die cum syrupis & decoctis pectoralibus, postea per* 14. *dierum spatium acidulas Larbricenses copiose ingurgitavit, perfecte convaluit, & jam pancratice valet. Methodo simili* Henric. Stirrup *Servus* Edvvardi Hyde *Armigeri, post dispendium librarum aliquot Sangninis ad integram sanitatem rediit.*

Domina perillustris Domin. *Marsden* de *FreKleton* ex mensium suppressione toties Hæmoptyses passa est, post potiones lenitivas purgantes per electuaria chalybeata, & infusione amaras chalybeatas nullo negotio ad sanitatem rediit.

PHTHISIS

Ex Vomitu Sanguinis.

Observatio I.

INsignis Domina Domin. *Farington* de *Shavv Halle*, Consors *Georgii Farington* Armigeri, anno 91. æstivo tempore per vomitum tantum Sanguinis dispendium passa est, vix fuit inter vivos habenda, algore universali correpta fuit, sudoribus algidis, pulsus & respiratio vix perceptibiles, vox deficit, & ab omnibus conclamata fuit. In subsidium vocatus, sequentia præscripsi.

℞. *Cortic. Peruv.* ℥i. *corall. rubri, hematit. croc. martis restringent.* an. ℥. *i. confec. Hyacinth.* ℥ii. *conserv. cynosbat.* ℥iv. *cum s. q. sirup. Balsamic. Tolutan. Fiat. Electuarium horis medicus Julapio sequenti sumend.*

℞. *Aq. spermatis ranar. Cinnamom. hordeat. tenuioris* an. ℥iii. *boli armen.* ℥i. *syrup. coral.* ℥iß. *F. Julapium.*

His quarta vice dosi debita deglutitis rediere vox, respiratio, & pulsus & de dolore terebranti pulsatili ventriculi conquesta est, Dom. *Vvorthington* de *Vvigan*. Chirurg. expertus Apostema ventriculo pronunciavit, ei autem sententiæ mecum Dr. *Grundy* reclamavit, quapropter ut methodo præscripta insisteret inculcavimus, diebus aliquot elapsis clysmata iniicienda curavimus, & ingentem massam sanguinis instar piscis nigrescentis per sedes ejecit, remediis sumptis, & semel repetitis, leves catharses instituimus, decocta Balsamica, & cerevisias pectorales, ab his ad sanitatem rediit, nisi quod vicibus quibusdam de Phlegmate viscoso Bronchiis pulmonum adhærente conqueritur, levi autem conatu cum pectoralibus balsamicis detersivis evanescit.

PHTHISIS

Ab Hæmorrhagia uterina.

Observatio I.

DOmina *Tavvning* de *Vveeton* uxor *Gulielmi Tovvning*, cum per plures menses hac laborasset, a magno dispendio sanguinis frequentes Lipothymias & quandoque paroxysmos *hystericos* patitur; ad fermentum sedandum sanguinis, Electuarium cum cortic. Peruviano pro basi præscripsi, Antidoti autem vires morbo impares fuere. Quapro-

propter electuarium sequens (cujus vires in eodem casu in domino *Sudel* de *Preston* expertus fueram) statim præscripsi.

℞. *Corall. rubri pulverisat. succini flav. boli Armen. sanguinis draconis an.* ʒ *ii. sem. plantaginis, vitrioli martis, croci martis restringent. an.* ʒi. *cum s. q. conservæ de cynosbat. & syrup. de rosis siccis F. El. horis medicis Julapio sequent. sumend.*

℞. *Aq. melissæ, lactis alexiteriæ, cinnamom. hordeat. an. vn. iii. confec. hyacinth. dr. i. syrup. myrtini dr. i. M. F. Julapium.*

His debitò sumptis fluxus cessavit sanguinis, & ipsa gradu lento in dies vires recuperavit; vere sequenti de doloribus continuis versatilibus conquesta est, flatibus admodùm molestis, appetitu prostrato, calore & frigore sæpiùs in die alternatim recurrentibus, nec non de continua siti, & revera perfectè strigosa fuit, ossibus scilicet nil nisi cute pendula adhærente. Hinc sequentia præscripsi.

℞. *Pulveris Ar. compos. dr. vi. florum sal. armon. dr.* ß. *animæ martis Vigani dr. i. conserv. cynorbat. cochleariæ an. vn.* iß. *juiulæ vn.* ß *cum s. q. sir. de cortic. citri Fiat Elect. horis medicis cum iulapio sequent. sumend.*

℞. *Aq. lactis pectoralis* ℔i. *limac. magistral. gentian. compos. an. vn. iii. lumbricor. vn. i. sachar. perlat. q. s. F. iulapium, in dos. qualibet instillat. gut. 7. spiritus sal. armoniaci succinati.*

His cum regimine deglutitis, & levi catharsi cum cerevisia aperitiva antiscorbutica semel septimana repetita, integrè convaluit, & onus jam *Lucinæ* gerit.

PHTHISIS

Ab Impetigine.

Observatio I.

QUantum *Græcorum* & *Arabum* impetigines inter se discrepant, mihi brevitati studenti, Morbumque descripturo *Meridiano*, uti loqui amant Mathematici, calculatum, à meta proposita alienum foret. In summa tamen hoc dici potest hic Morbus Medicamentis vulgaribus rarò cedit, & priusquàm pulmones illius veneno conspurcantur, post salivationem repetitam Morbum repullulasse novi. In hoc Morbo symptomate præ cæteris vulgari ad sequentia reduci possunt. Rubris, duris tuberculis vultus aliæque corporis partes defœdantur, his maturitatem adeptis squamæ furfuraceæ ab iis decidunt, tussi molesta, tempore præsertim vespertino corripitur æger, parùm vel nihil expectorans, nisi copiam satis ampiam sputi pellucidi; frigore continuo horis antemeridianis convellitur, huic calor & sitis succedunt, adeòque inter duo extrema breves tantùm dantur induciæ. Dolores pungentes tantoperè fauces infestant, ut vix loqui vel deglutire valeat æger. Appetitus totaliter prosternitur. In hoc Morbo, cùm statum confirmatum attigit æger, sputum est copiosum, crassum, fœtidum, cæruleï, quandoque rufi coloris. In veneno quodam fomes Morbi consistere videtur, quale autem sit parùm scio, conjecturam tamen proponere liceat, verosimile mihi videtur in hoc Morbo particulis salinis acidis luxuriare sanguinem, & genus nervosum, quæ cum particulis Sulphureis massa sanguinis eliminantur, adeòque more sublimati cujusdam cuticulæ adhærent, sicut in tentamine sequenti conspicere fas est, sume aceti acerrimi q. v. super lentum ignem impone organo quodam communis vas linteo raro cooperies, particulæ Sulphureæ metallicæ una cum fumis acescentibus sublimabunt, & operculo forma sicca albescente adhærenti, squamis impetiginosis parùm discrepantes. His accedunt rationes sequentes, istis cœlorum plagis hic Morbus præcipuè grassatur, quibus particulis athmosphæra constipatur salsis, scilicet paludosis, & summa hujus Morbi antidotus carne viperina consistit, cujus præcipua virtus acido infringendo constat, methodus

me-

medendi nititur catharticis, *acidulis*, *viperarum* & millepedum præparationibus, cerevisis antiscorbuticis mitioribus antivenereis, nec non pectoralibus balsamicis. Historias plures recitarem, at in hoc casu nomina affigere forsan ingratum foret.

PHTHISIS

A Rheumatismo Scorbutico.

Observatio I.

INter personas provectioris ætatis propè fluvios salsos habitantes hic Morbus vernaculus appellari potest. E quorum numero Dominus *Asbton* de *Lea* propè *Preston*, anno 92. me in auxilium vocavit, tunc temporis præter Atrophiam universalem arenulis quoque propemodùm confectus erat, per totum diem cruciatum immunis mansit, toto autem haud citiùs se commisit, quin *Hydra* nova revirescceret; insomnis per totam noctem frequenter decubuit, quandoque eò usque furoris Morbus advectus est, circa mediam noctem, lecto quasi tauro *Phalaridis* ausugit, & levaminis causa per horam unam vel alteram cathedra propè ignem se apposuit; appetitus prostratus erat, & vix nosocomium Skeleton quoddam magis visui objiceret. Calore & siti immunis fuit, nec ulla tussi afflictus fuit. Imprimis potionem sequentem prescripsi.

℞. *Decocti senæ Gereonis* ℥iii. *syrup. de spina cervin.* ℥i. *diacnicu* ℥ß. *crem. tartari* ℥ß. *aq. lumbricor.* ℥ii. M. *s. F. P. cum regimine sumend.*

℞. *Pulveris Ar. compos.* ℥vi. *Florum sal. armon. dr.* ß. *animæ martis Vigan. dr. i. extracti trifolii fibrini dr. ii. conserv. cochleariæ, flavedinis aurantior. an.* ℥ii. *cum s. q. syr. è cortic. citri F. Elect. boris medicis iulapio sequenti sumend.*

℞. *Aq. lactis alexiteriæ* ℔i. *gentian. compos.* ℥. iii. *limac. magistral.* ℥ii. *lumbricor.* ℥i. *succ. express. milleped.* M. 500 *sacchar. perlat. q. s. F. iulapium.*

His deglutitis cerevisiam antiscorbuticam aperitivam institui, æstivo tempore acidulas *Labricenses* ingurgitavit, & sanus evasit. Vere sequenti repullulavit virus, methodum similem prescripsi, altiùs autem veneno tincto systemate nervoso, conatus omnis irritus fuit, hinc post summos cruciatus, pedes, tibiæ, & femora tumuere; quapropter mortem adstantem pronuncia vi hinc vir probus, tunc temporis *populari Empirico* oppido *Prestonienst* suo more medicinam factitanti (columnis scilicet oppidanis schedulis suis obtectis) *panaceis theatri* se commisit. *Medicaster circumforaneus*, etiamsi *Atrophiam* in summo gradu adstantem conspiceret nec morbum nec vocis quidem Etymolygiam cognovit, quin certam ac subitaneam medelam promisit, at brevi tempore fraus *fallentis* detecta fuit, post mensem etenim vel alterum satis succubuit.

Observatio II.

Illustrissima Domina Domina *Fleetwood* de *Penwortham*, cùm cachexia Scorbutica diu laborasset, totam propemodùm antiscorbuticorum *encycoplædiam* tentasset, parùm autem levaminis recepit, *Thermas Batonienses* adiit, conatus autem omnis adhuc irritus erat, tandem suasu viri celeberrimi Doctoris *Baynard*. Coll. regal. *Londinens.* Socii, tunc temporis herculeo successu, & summo ingenii cum acumine agro *Lancastrienst* artem Appollineam factitantis, *acidulas Eboracenses* adiit, has copiosè per mensis spatium ingurgitabat, & sæpius septimana balneo isto frigido, *Saint Mungus* charactere insignito, se lavabat. Hinc dolores Rheumatici & Calor hecticus penitus debellati sunt, & per plures annos valetudini restituta fuit. An. 90. recidivam passa est, rursùs *acidulas* ingurgitavit, & Morbus inducias passus est vere autem repullulavit virus, & jam particulis salinis saturato sanguine, in dies vires labefactabant, tanta anore-

xia correpta fuit, ut à cibi usu vomitus in immanes incideret, & frequenter bilis æruginosæ copiam immensam eructaret, remediis quamplurimis in cassùm tentatis in die sitis & calor hecticus eam affligebant, exspuit phlegma viscosum cinereum, & quandòque æruginosum, asthmate postea correpta fuit, hinc Sanguinis uncias aliquot à brachio sumendas suasi; Sanguis eductus crassa pellicula glutine tenaciore obtectus erat, hinc alcalicis, volatilibus, pectoralibus, detersivis; & antiscorbuticis cujuscunq; generis in cassum tentatis, rediit Asthmatis paroxysmus, aphonia correpta fuit, & suppremam clausit diem; hoc notavi, post Dominæ celeberrimæ ab *acidulis* & *balneis frigidis* per totum Morbi Decursum solummodò quid levaminis accessit.

PHTHISIS

A Rachitide.

Observatio I.

IN hoc Morbo tantopere vultus albescit, quòd nive propemodùm candidior infans, adeoque musculi flaccescunt, vestimenti ad instar penduli cutis circumambit corpus, crura & pedes tantopere vacillant, corpori sustentando inepta evadunt, durities planæ & amplæ abdomine frequenter interspersæ, quæ idiomate vernaculo *Liver-caKe* audiunt; tussi corripitur æger, & quandoque diarrhœa. Febri lenta, & siti continua. In *medula spinali* mihi fomitem Morbi consistere videtur, in hac quibusdam illecebris spiritus animales irretiti, influxu debito spirituum privantur nervi ab ea ramificantes, hinc nervi & fibrillæ musculares pabulo diurno orbatæ flaccescunt, & consequenter emaciat corpus & incurvantur ossa: in hac etenim tenella ætate, quòd membra sint firma & recta, necesse est musculos membra circumambientes esse spiritu irriguos, aliter ex inæquali nutritione necesse est partes à situ naturali declinent, similiter ad erectionem istius floris *Heliotropium* dicti *radii solares* requiruntur, quod detracto lumine solari vultu torvo & pendente terram despicit. Propter spiritus nimis parcè fluentes albescit vultus, emaciat corpus, vacillant pedes, accescit Sanguis, hinc tussis, Febris lenta, & quandoque diarrhœa; Humores viscosi intra fibrillas musculares extravasati, durities prædictas constituere videntur. In infantibus methodus medendi constat ex linimentis nervinis, medicamentis volatilibus, specificis, inter quæ prima jure *ens veneris* & radix *Osmundæ regalis* recenseri debent. In Adultioribus methodus medendi constat ex medicamentis chalybeatis, decoctis & cerevisiis aperitivis, aquis mineralibus acidulis, *balneis frigidis*, & id genus aliis. Methodo priori infantes virorum illustrium *Ambrose Pudsay* de *Bolton Hale*, agro *Eboracensi* Armigeri, & *Johannis Franc* de *preston* convaluere. Posteriori Methodo ab ipsis orci faucibus *Edmundus Forde*, filius natu maximus *Lancelot Forde* de *Kendale*, sanitati restitutus fuit.

PHTHISIS

A fluore albo.

INtemperiem salinam Sanguine mutato, lentorum colluvie luxuriat purpurea massa, hinc viscosa saburra ventriculis infarcitur, quapropter nec edulia assumpta recte concoquit, nec male concocta Sanguis assimillat, hinc fit quòd magna chyli portio albo fluore præcipitatur, portiones aliæ intra pulmones subsidunt, hinc tussi corripitur æger, & sputum salsum, viscosum, album, copia prægrandi eructat. Intumescunt frequenter pedes; quod Symptoma ab eadem salsedine sang. deduci potest. Lenta Febris glisci in dies ex salino sicut mihi videtur orta. Eruptiones miliares per cutim universam frequenter interspersæ sunt, & lumbago

dolo-

dolorosa summopere torquet, albescit vultus, & caro in dies intabescit, quæ Symptomata per causam allatam facilè explicari possunt, Methodus medendi constat in primis viis detergendis, massa Sanguinea invigoranda, & partibus continuo humorum fluxu tonum amissis, constringendis; Remedia huic collimantia, sunt emetica scillitica aperitiva, chalybeata, & balsamica parum adstringentia Ab his Sereniſſimæ quædam Dominæ oppido de *preſton* & *Kendale* sanitatem integram recuperavere.

PHTHISIS.

à Chlorosi.

Fœminis quibuscunque bene se abentibus à natura insit fermentum quoddam internum à pubertate finita ad senectutis usque lanuginem, hujus gratia per quemlibet lunæ decursum solemnes suas evacuationes habent, ex quibus suppressis pleuritidem, peripneumoniam, rheumatismum & phthisin haud semel pollulasse notavi. Ab æstuanti quodam animi desiderio, & vitiato ventriculi fermento hæ sæpissimè suppressiones contingunt, qualis autem prosapia fermentum sit menstruale haud magis forsan à priori explicari potest, quàm fluxus & reflexus Oceani *Cynthiæ* motum quasi tot *satellites* observantes. At ne altum silentium profiteamur, liceat conjecturam proponere; Chlorosin grave quoddam animi desiderium consequi, amorem scilicet, vel mœstitiam, omnibus in proparulo est, nec non appetitum diætæ cujuslibet obscenæ, cretæ scilicet, calcis, carbonum & id genus aliorum; Sanguinem in hoc Morbo detractum semper glutinosum inveni, & ventriculum viscosa saburra repletum, ex quibus opinari liceat, ex pathemate quodam graviori spiritibus nimiùm oppressis, vel circa quendam appetitum æstuantem copia nimis prægrandi absumptis, denu spirituum diurno privantur massa Sanguinis, ex quo fit quòd particulæ Sanguinis, tenaciores tardiùs motæ arctiùs cohærent & viscosæ fiunt, sicut in tentamine sequenti videre est.

℞ *Aq.* & *glutinis*, *q. v.* vase quodam super ignem impone, dum particulis igneis partes aquosæ circumagitantur, efficiunt quò minùs particulæ tenaces cohæreant, & liquidæ manent, amoto autem igne, statim viscosę fiunt; pari forsan modo, dum particulæ serosę & segnes in massa Sanguinis, vi spirituum circumagitantur, serum Sanguinis manet liquidum & lentoribus immune, œstro autem amoto, spiritibus scilicet pathemate quodam nimiùm oppressis vel appetitu quodam nimiùm absumptis, particulas segnes tardiù movent, adeoque strictius cohęrent & viscosę fiunt, huic sententię suffragatur clarissimi *Sylvii* autoritas pag. 304. à mœrore autem solent humores reddi glutinosi ac viscosi, maximè in tenui intestino, & quidem propter succum pancreaticum idcircò factum austeriorem, modus reverà quo succi glandulares à quodam pathemate vehementi acescunt haud aliter icnographiam admittit, quantùm ego conjectando valeo, quam liquores fermentiscibiles ab ictu fulminis acescentes. Methodus medendi sumitur à vomitoriis, catharticis amaris detergentibus, volatilibus, martiatis, & aquis acidulis naturalibus & artificialibus, historia penè infinitas recitarem; at brevitati studens has omitto.

PHTHISIS

Chylosa.

Observatio.

Post Febres cujuscunque generis inter infantes præcipuè hic Morbus contingit, quapropter verosimile videtur conflictu Febrili spirituum penus summoperè absumitur, hinc in salinam dyscrasiam degenerat massa Sanguinis, & verosimile pars serosa Sanguinis per salia coagulatur, adeoque lentoribus

glandulę meſenterii infarciuntur, quapropter in inteſtina regurgitat Chylus, & ſi lacteæ totaliter obſtruuntur emarceſcit corpus, intumeſcit abdomen, albeſcunt fœces, & gravi tuſſi laborat patiens, quandòque lacteæ totaliter haud opilantur, & hinc fœces haud albeſcunt, intumeſcit tamen abdomen, & emaciat corpus propter lacteas quaſquam opilatas; hoc ſymptoma frequenter notavi. Phthiſis hujuſmodi lento procedit gradu, tractu tamen temporis, glandulæ infarctæ meſenterii ſtrumoſæ fiunt & quandoque glandulæ pulmonares, & in iſto ſtadio conclamatum eſt. Methodus medendi, quæ mihi prę ceteris arridet, & quę ſpem rarò aut nunquàm abludit, modò ſit in principio vel augmento Morbi, ſumitur à catharticis aperitivis, inter quę *Elixir Salutis* cæteris palmam prępirit, diebus intermediis pilulas ex *trifolio fibrino*, *gum. ammoniaco*, & *anima martis* inſtituo, nec non adultis *Electuaria Chalybeata*, & *cereviſias pectorales* aperitivas, *ens veneris* & *radix oſmundæ* regalis egregii ſunt uſus, & ubi vermium ſuſpicio, *æthiops mineralis*, abdomen ſępius in die linimentis emollientibus & aperitivis illiniendum inculco, & geſtare Sylvii Emplaſtrum carminas, opio omiſſo. Hac methodo, filia natu maxima Domini *Smith* de *Stalming Grange*, & fœmina *quædam* propè *VVhitle hill* habitans, ſanitati reſtitutę fuere. Plures recitarem, ad umbilicum autem jam ducere incumbit.

TENTAMEN PHILOSOPHICUM DE MEDICATIS FONTIBUS IN AGRO LANCASTRIENSI.

PROOEMIUM.

QUUM tot & tam variæ ſunt Sententię de Fontibus *Angliæ* medicatis conſcriptæ opinari propemodùm fas eſt univerſas hujus Inſulę medicatas undas, *Scaturiginis* iſti in *Empiro* conſitę, quæ nil niſi contrarios effectus producit, haud prosùs abſimiles eſſe: omiſſis itaque virorum tot Illuſtrium controverſiis noſtri inſtituti erit *Phænomena* quolibet in Fonte à nobis diligenter obſervata repetenda, exque iis ratione & experientia ſuffragantibus circa Fontes Minerales anguria noſtra in medium proferre. Fontes in hac Patria notatu digni ad claſſes ſequentes revocari poſſint, videlicet, ſunt vel *Nitroſi*, *Natron* antiquorum intelligo etiamſi reclamat *Liſteri* auctoritas, vel *vitrioli*, *acidi*, *aciduli*, *ſalini*; *ſulphureo ſalini*, *ſulphurei*, & *lapideſcentes*. De *Fontibus* autem *vitriolaceis* primò in animo ſit agendum.

CA-

CAPUT I.

Fons Vitriolaceus.

IN Agro juxta *Haigh*, Minera carbonum idiomate noſtro *Kennel* dicta inſigni, cui ſimilem haud præbet polus uterque, ab imis terræ viſceribus ebullit fons ſummoperè vitriolaceus, qui Phænomena ſequentia præbuit. Granum unum vel alterum *Gallæ abraſæ* in hujus libram injice & nictu propemodùm oculi in atramentum ſcriptorium tranſit, per viginti autem quatuor horas eadem aqua aeri apertè expoſita, galla cum vitriolo præcipitat, & deindè aqua ſupernatans virideſcit.

Cum quovis Alkali commiſce, & ſtatim inſignis exoritur fermentatio, ſal poſteà adiaphorum præcipitat tartaro vitriolato figura & ſapore parùm diſſimile.

Lento igne evapora ad ſiccitatem & inſignem præbet copiam vitrioli albi, cum ocra & ſulphure commixti præter viride vitriolum, perfectum & concoctum ex illius ocra defœcatum, obſervatu nec ſit injucundum circa finem evaporationis, nubes aſcendentes albas ex vitrioli particulis volatilibus conflatas; ad ſiccitatem propemodum evaporata odore teterrimo nares afficit, propter effluvia ſcilicet vitrioli & ſulphuris combinata; tunc temporis ferrum injice & illud ſtatim cuprea incruſtat ſuperficie.

Hæc aqua aeri expoſita tingendi cum gallis facultatem haud amittit.

In hanc infunde allam vel cereviſiam, & liquores ſtatim ſunt intensè turbidi, deindè hypoſtaſin copioſam albam obſervare in proclivi eſt, guſtu vitriolaceo præditam.

Aqua diſtillata guſtum OE li redolet, & cum gallis atramentoſa fiet, nec aeri expoſita tingendi cum gallis facultatem amittit.

Cum ſpiritu vini commiſce, fermentat inſigniter & poſteà nigreſcit.

In venas canis viventis injecta poſt horrenda ſymptomata fatis ſuccubuit.

Cum hac ſalivam commiſce, & nictu propemodum oculi in coagulum viſcoſum tranſit cinerei coloris, cui ſimile in Phthiſi ſcorbutica haud ſemel notavi.

Intus ſumpta movet copioſè & blandè per vomitum & ſeceſſum.

In Hæmorrhagia quacumque ſiſtenda medicamentum arte paratum, quantum ſcio, haud adhuc datur huic ſimile. Venia jam celeberrimi Dr. *Liſteri*, ex præmiſſis patet Fontes quidam in *Anglia* vitriolo perfecto fœcundantur.

CAP. II.

In quo agitur de Fontibus acidulis in genere.

ACidularum Ætiologiis explicandis *Mæandri* tot incerti ab Autoribus efformantur qua filum rationis trahendum omninò ſit incertum. Inter hos celeberrimus Dr. *Liſter Coryphæus*, hic vitriolum in Fontibus *Angliæ* medicatis inveniri acerrimè negat, ideoque, quantum aſſequi valeo, acidularum Phænomena varia, per *pyriten* in *halitum* ſive *ſpiritum* converſum, & (*ligni ad inſtar reſinoſi*) in *aqua vegetantem*, à cujus *motu vapido tincturas* cum *gallis* reſpuit, explicare ſatagit: at quorſum fluunt rationes *Cnei & quid agat videamus*; viri etenim tanti venia *vitriolum* viride perfectum in quibuſdam fontibus inveniri teſtis oculatus affirmarem, ut in Fonte juxta *Haigh*, & in acidulis quibuſcunque particulas vitriolaceas cum ſulphure unitas ſcatere auſpicamur.

2. Si datur *terra mineralis* ocra *ſulphure*, & *vitriolo* prægnans, quam in aqua communi macera, & ſicut temporis varia ſtadia percurrit tincturas præbet, *acidularum naturalium* præcipuis experimentis reſpondentes, *acidulas naturales* ex tali proſapia oriri, quantum ſcio, augurari fas eſt, quod ut clariùs eluceſcat tentamina à nobis facta *acidulis naturalibus* & *artificialibus* in medium proferemus.

Quod *pyrites* in *ſpiritum* totaliter transformetur, quòd poſteà *plantæ* adinſtar *reſinoſæ* in aquis vegetet, & à motu

tu ejus vapido aquæ tincturas reſpuant, hypotheſis ſit polita quidem, at illius veritati nulla, quantum adhuc ſcio, tentamina ſuffragantur; quod etenim Dr. *Liſterus* urget haud omninò probat, ſcilicet acidulæ in vitris ſtrictè clauſis diu ſervatæ, tingendi cum gallis facultatem amittunt quòd motui vapido pyrites tribuit, hoc etenim à minera præcipitata contingat, quam tunc temporis ſe quoque obſervaſſe confitetur.

Si non à ſpiritu amiſſo acidulæ tincturas quandoque quoque reſpuunt, undè eſt quod radiis ſolaribus expoſitæ inſipidæ fiunt, & cum gallis tincturas præbere ceſſant? mihi etenim à ratione abſtrahere videtur quòd *pyrites* motus per radios ſolares flacceſcet, & tamen ſingulo tentanti notum eſt, per radios ſolares *acidulas* inſpidas fieri & cum gallis tincturas reſpuere. His addi poteſt, ſingulæ *carbonum* mineræ, quas in hac patria mihi obſervare contigit, *vitriolo* & *ſulphure* copiosè fœcundantur, & hæ ſemper acidulis luxuriant; ſatiùs ergo mihi videtur *vitriolum*, *ocram*, & *ſulphur*, *acidularum* principia ſtatuminare, quam *pyriten* in aqua vegetantem hypotheſin cui baſi innixam me latet.

CAP. III.

In quo agitur de acidulis naturalibus particularibus.

SPatio intermedio inter ripas juxtà *LarbrecK* & fluvium amœnum ab infractu riparum incurvo *Vvire* dictum, ut quidam volunt, pullulat Fons acidulus qui Phænomena ſequentia præbet.

Ex *Macra* ebullit, rapido torrenti currit, interque currendum ocram copioſam deponit.

Sirio flagrante, horis matutinis, odorem ſummè ſulphureum emittit, & in ejus ſuperficiem pelliculam habet innatantem, colore caudæ pavonis æmulam, guſtu vitriolaceo præditam.

Fontibus præ cæteris frigeſcit, injecti piſces cujuſcunque generis ſtatim moriuntur, guſtum vitriolaceum habet, & cum gallis dilutam dat rubedinem inſtar tincturæ carnium per ſpatium diei vaſe aperto aeri expoſita, cum gallis tincturam reſpuit.

Aqua diſtillata fit inſipida, & cum gallis tincturas præbere ceſſat. Poſt diſtillationem in fundo remanet materia ſalina cinerea, quæ per repetitas filtrationes ſuo ſale diveſtita fit inſipida, ſale poſteà frequenter in aqua ſoluto, & lento calore illius ſolutione ad pelliculam evaporata in fundo remanet ſal vulgare ſicut à figura & guſtu conjectare fas eſt, guſtu etenim muriatico inſignitur, & in forma cubicali cryſtallizat.

In vitris ſtrictè clauſis diu ſervata bullas quotidie catervatim emittit viſu haud injucundo in auram migrantes, has poſteà emittere ceſſat, præcipitatione finita aqua fit inſipida & cum gallis tincturas præbere ceſſat. Ex præmiſſis patet, ex minera præcipitata, & haud à vapido pyrites motu, ut Dr. *Liſterus* voluit, acidulæ tingendi cum gallis facultatem quandoque amittunt.

Intùs ſumpta appetitum voracem creat, urinam potenter movet, obſtructiones reſerat, ſcorbuticis, calculoſis, morbiſque talis proſapiæ apprimè convenit. Hac ſola Hæmoptyſin Scorbuticam remediis aliis haud infimi ſubſellii in caſſum tentatis ſanatam vidi.

Fons Lathamenſis.

VIvarium propè *Lathamenſe* [quo *fama* nihil *antiquius* habet] Fons in planitie conſpicuus guſtu vitriolaceò præditus, nobili ſæpto circumſtipatus torrenti benigno viam prætoriam incidit.

Hic propter conſortium Nobiliſſimi Domini *Gulielmi* Comitis de *Derby*, nec non eximias virtutes ejus, quas uberrimas longè latèque fœnerat, marmoratam laudem ſibi merito conciliavit.

Ab indigenis fertur ab hujus imo (etiamſi procul è mari & fluminibus diſtat) conchas marinas quondam coacervatim pullulaſſe. Harum quaſdam vidi,

& co-

& cochleas referunt, ni quòd earum externæ ſuperficies lineis ſtriatis haud circumvallantur.

Hujus anatomiam Doctor *Burlace* de Civitate *Ceſtrienſi* ſeculo priori poſteritati reliquit, eamque *liquidambra* quadam & *Martis* minera imprægnatam aſſeruit, at quo jure me latet, Phænomena autem ſequentia facilè ſe produnt.

Cum gallis inſtar *acidularum Knaſborough* atramentoſa fiet, in hanc pariter ſpiritu vini tenuiori inſtillato idem Phænomenon obſervari poteſt, quod in nulla præter hanc acidulam me notaſſe memini.

Aqua diſtillata inſipida fit, & cum gallis tincturas præbere ceſſat, diſtillatione finita in fundo organi remanet materia guſtu & colore cum priori quadrans, & ſal ejuſmodi cryſtallos exhibet.

Per viginti quatuor horas aeri expoſita pelliculam iridis ad inſtar diſcolorem gerit guſtu vitriolaceo præditam, ea igni admota flammam haud concipit.

Horis matutinis æſtivis odorem ſummè ſulphureum emittit.

In hanc lixivio forti inſtillato viginti quatuor horis ad fundum ſubſidet, quod forſan in alio fonte *agro Eboracenſi*, dedit Dr. *Liſtero* cogitandi anſam id fuiſſe *pyriten*, cùm reverà ſolum ſit lixivium cum vitriolo præcipitatum.

Hæc aeri aperto expoſita cum gallis tingendi facultatem amittit.

Intùs ſumpta quandoque vomit, alios purgat propter ſalium aculeos inteſtina vellicantes, at vulgaritèr per diureſin illius vires exercet. His nimis copioſiùs aſſumptis, quibuſdam ſtuporem membris in extremis notavi, ea poſteà tumoribus affici, & ſenſu propemodùm indigentia, utcunque corpore debitò præparato, iiſque cum regimine aſſumptis uſus ſunt eximii in Morbis quamplurimis, atrophia ſcilicet Scorbutica, Chloroſi, calculo, infarcto meſenterio, & id genus aliis, his Morbis hiſtorias recenſere hic loci à meta propoſita alienum foret. Manum itàque de tabula.

In agro prope *Vvigan* pullulat acidulus, qui cum gallis præ cæteris rubedinem ſaturatam præbet.

Dum gallis tincturam præbet, præcipitatio fit lineis perpendicularibus, quæ cæteris lineis Horizonti parallelis perficitur.

Minera carbonum fœcundiſſima huic ſubſternitur à qua vix 4. ulnarum intercapedine ſit diſſita.

Ex minera ferri ebullit.

Diſtillatione prioribus quadrat.

Aeri expoſita tingendi cum gallis facultatem amittit.

Intùs ſumpta appetitum creat, & inſigne fit diureticum, & quantum conjectando valeo præ celeberrimo fonte in vico *Harrigate agro Eboracenſi* minera longè ſaturatior. Utrùm vim quandam deleteriam à minera carbonum habet nullo mihi tentamine patet.

Via prætoria ad oppidum ducente *Chorley* Fons in conſpectum venit antiquæ laudis rapido qui torrenti currit.

Cum gallis tincturam præbet ab acidulis *Knaſeborough* nullo modo diſterminandam cenſeo.

Diſtillatione prioribus quadrat.

Aeri expoſita fit inſipida, & cum gallis tincturam præbere ceſſit.

Minera præcipitante præcipitatio fit lineis quoquo modo perpendicularibus, at non tam inſignitèr ſicut Fonte propè *Vvigan*.

Haud procul à minera carbonum diſtat, propter cujus viciniam primo forſan deſuevit.

Medicina cum reliquis communes vires habet, & ſi fides analectis oppidanis ſit adhibenda notæ haud vulgaris.

Vico de *Burnley* juxta rivulum villam iſtam præterlabentem Fons alter acidulus materiam Philoſophandi præbet.

Cum gallis rubicundi ſaturati fit coloris momento temporis, quæ mixtura per 24 horas aeri expoſita, præcipitatio fit inſignis, & aqua ſupernatans inſtar aquarum Spadanenſium violacei fit coloris.

Aeri expoſita fit inſipida, & tingendi cum gallis facultatem amittit.

Cum ſyrup. violaceo intenſe viride-

ſcit, qua mixtura per 48. horas aeri expoſita rursùs fit pellucida, materia cinerea guſtus vitriolacei ad fundum præcipitante, quam in aqua communi ſolve, & cum gallis citrini fit coloris, hypoſtaſin tantùm exiguam deponentis, propter exiguam ſcilicet, vitrioli proportionem, ſicut tentamina ſequentia in acidulis artificialibus facta proculdubio mihi poſuere.

Aqua diſtillata fit inſipida, nec cum gallis atramentoſa fiet.

Materia in fundo poſt diſtillationem remanens flaveſcens guſtus ſalini & vitriolacei, hanc rurſus in aqua communi ſolve, & cum gallis coloris fit citrini, hypoſtaſin vix ullam deponentis propter minorem adhuc vitrioli proportionem, ſicut cogitare fas eſt.

Hæc aqua per 24. horas aeri expoſita pelliculam gerit craſſam guſtus vitriolacei colore caudæ pavonis æmulam, qua flammæ admota ignem haud concipit; hanc cum bile commiſce, & cinerei fit coloris.

Materia flaveſcens poſt diſtillationem relicta; ſe habet ad partes aquæ ſicut 1 ad 2640. ab hac cum acidis commixta nullam ego fermentationem obſervarem.

Horis matutinis odorem ſummè Sulphureum emittit, æſtivo tempore.

Intùs ſumpta movet potenter urinam; nec non quandoque per ſeceſſum, propter ſalium aculeos, inteſtinorum fibras vellicantes. Cum pluribus aliis hæc regio conſtipatur acidulis, at omne genus acidularum minutias recenſendo ultra metam propoſitam hæ chartulæ turgerent, quapropter vela contrahere jam incumbit, aliæ acidulæ propè *Middleton*, *Bolton*, *Hilton*, *Lancaſter*, *Ins Kip Brining* haberi poſſunt.

CAP. IV.

In quo agitur de Acidulis Artificialibus.

PArochia de *Brindel* propè rivulum amœnum ab indigenis *Darvven* charactere inſignitum inter hæreditates *luculentas* nobiliſſimi Domini *Gulielmi* Comitis *Devoniæ* ſtat petra mineralis, quæ præbet Phænomena ſequentia.

Imprimis, Guſtu Vitriolaceo linguam acerrimè percutit.

Secundò, Venulas interſperſas albo vitriolo cryſtallino fœcundas habet.

Tertiò, Igni lento vel ſoli expoſita ea effloreſcit album vitriolum à veteribus trichtites appellatum.

Quartò, Mineram in vas candens injice & fumos emittit cæruleos odore ſummè Sulphureos.

Quintò, Aqua communi macera per bihorium & cum gallis tincturam dat dilutè rubicundam, guſtu & colore inſtar *Larbrec Kacidularum*. Hæc tinctura aeri expoſita cum gallis tingendi facultatem amittit, & ſuperficiem habet pellicula tenui oleoſa obductam qua flammæ admota ignem haud concipit.

Sextò, Hanc petram per 24 horas aqua communi macera, & cum gallis tincturam præbet inſtar acidularum *Knaſeborough* & *Latham*.

Septimò, Per tres dies in aqua communi macera, & cum gallis dat tincturam intenſe cæruleam colore *Romani vitrioli* æmulam.

Octavò, Per ſeptimanam aqua communi macera, & cum gallis tincturam dat nigram inſtar Fontis vitriolacei propè *Haigh*, hæc tinctura aeri expoſita tingendi cum gallis facultatem haud amittit.

Nonò, In prædictam mineram aqua communi maceratam per tres dies, vice ſecunda aquam recentem ſuperfunde, & colorem dat cum gallis cæruleum quin non tam intenſum, nec exiguo tam tractu temporis ac in prima maceratione, & aqua ſupernatans coloris fit cærulei præcipitatione completa.

Decimò, In eandem mineram vice tertia aquam recentem ſuperfundo, & macera per 24 horas tantùm; & cum gallis coloris fit dilutè rubicundi inſtar acidularum *Larbrec K*, hæc quoque tinctura aeri expoſita pelliculam gerit oleoſam.

Undecimò, Hæc tinctura aeri expoſita per 48 horas maxima ex parte inſtar coaguli craſſi apparuit carnei coloris, cum exiguo circulo aquæ pellucidæ ſupernatantis.

Hac

Hac tinctura aeri expoſita per tres dies & noctes continuos altius hypoſtaſis ſubſidet, & aqua ſupernatans fit pallidi coloris citrini.

Duodecimò, Eandem mineram per 48. horas aqua communi macera, & tardius quàm in priori maceratione dat cum gallis tincturam, hęc autem tinctura ſicut in prima & ſecunda maceratione coloris fit violacei, at dilutioris; & aqua ſupernatans ejuſdem coloris. Hypoſtaſis autem in hac minor quàm in priori.

Eandem in mineram vice quarta aquam recentem ſuperfunde, per 24. horas macera, & cum gallis tincturam ſubflavam præbet, ab ea nullo modo diſterminandam cenſeo, quam materia cinerea vitriolacea per ſyrupum violaceum in Fonte juxta *Burnley* præcipitata in propatulo fecit, propter minorem ſcilicet vitrioli & ſulphuris proportionem intra poros aquæ nidulantem, & in hac ſicut in illa Hypoſtaſis parva aut nulla fuit.

Eandem mineram 48 horas aqua communi macera & cum gallis coloris fit dilute rubicundi, ſicut in prima maceratione per bihorium tantum facta, & in tertia maceratione per 24. coloris autem dilutioris.

Ex prędmiſſis patet ſicut proportionibus variis vitriolum & ſulphur in aquis miſcentur, colores varii cum gallis pullulant, quapropter *Guirio* nullo modo aſſentiri poſſum, ſtatuminanti quod acidulæ quædam cum gallis ſunt rubicundæ, aliæ violaceæ, aliæ purpuraſcentes ex variis ferri & aluminis ſolutionibus oriri, cum ex præmiſſis *autopſia ad ſtipulante* patet, ſicut terra prædicta mineralis, plus vel minus vitriolo & ſulphure fœcundatur, tincturas præbet acidulis variis naturalibus colore reſpondentes. Sicut ergo in liquorum porulis particulæ ſulphureæ, & ſalinæ variè coacervantur diverſimodè radji ſolares refringuntur, & exinde colores varii emergunt ſicut opinari fas eſt.

His poſitis, videlicet, quod ſicut longius vel brevius hæc petra in aqua maceratur, tincturas præbet, guſtu & colore naturalibus acidulis variis, & vitriolaceis reſpondentes.

Secundò, Quod hæc petra vitriolo & ſulphure impręgantur, quæ ſententia autopſia nititur.

Tèrtiò, Quod acidulæ naturales guſtum vitriolaceum habent, & odorem horis matutinis æſtivis ſumme ſulphureum.

Quarto, Quod tinctura petroſa aeri expoſita inſtar acidularum naturalium pellicula oleoſa ſuperficiem obductam habet, quæ tamen inſtar earum pellicularum nec ignem concipit.

Quintò Quod acidulæ quædam naturales cum ſyrupo violaceo materiam deponunt cineream guſtus vitriolacei, quę rurſus in aqua communi ſoluta dat cum gallis tincturam dilutè citrinam, propter exiguam ſcilicet vitrioli proportionem, ſicut tentamina priora, manifeſtarent.

Sextò, Quod materia flaveſcens in acidulis juxta *Burnley* poſt diſtillationem relicta, ſaporis vitriolacei, & in aqua communi ſoluta pariter cum gallis citrinum colorem præbet, ſine ulla tamen hypoſtaſi notabili propter vitrioli tantum portiunculam quid impedit quo minus cogitare liceat *acidulas naturales vitriolo & ſulphure* impręgnandas? & præcipuas illarum virtutes iis primario deberi? quapropter ad ſolutiones mineræ ferri in aqua communi nullo modo concipiendas, nec ad *pyriten* in aqua vegetantem confugere neceſſe eſt. His addi poſſit *Varenij* autoritas *pag.* 194. ubique fere, ubi tales acidulæ prorumpunt, reperiuntur fodinæ vitrioli, ſalis, & aluminis.

Objici jam poteſt.

Si *Acidulæ vitriolo* impręgnantur obſtruent potius quam aperient.

Secundò, Non in temperiem dulcem reducant, ſed in dyſcraſiam acidam maſſam ſanguineam præcipitarent.

Tertiò, Vitriolum haud evaporabit, acidulæ tamen radiis ſolaribus expoſitæ vel diſtillatæ inſipidę fiunt, propter *vitriolum* ſcilicet evaporatum.

Ad primum:

Acidulæ non gratia vitrioli qua talis, ſed earum *Sulphuris* ope partes obſtructas reſerant, veriſimile mihi, videtur, particulas vitriolaceas magna ex parte per bilem in inteſtinis figi, hoc etenim

fæces

fæces alvinæ ab acidulis assumptis nigredine tinctæ videntur indicare.

Ad secundum:

Vitriolum ex se in temperiem acidam massam sanguineam præcipitaret, cum sulphure tamen intime unito alcalicæ fit naturæ, sicut præparatione salis martis observare liceat. Eodem quoquo modo acidum nitri corrosivum cum sulphure vini commixtum alcalicæ fit naturæ, quod spiritu nitri dulci patet: his addi potest, cum syrup. violaceo virideſcunt, quod naturam alcalicam indicat.

Ad tertium.

Vitriolum quà tale non evaporabit, ope autem sulphuris cum illo uniti fugam capessit, quod avolare satis est aptum. Pari modo sal marinum cum mercurio sublimatum efformat.

Jam, quantum de *acidulis* agro *Lancastrienſi* scio, fideliter habes, & quamvis earum intimas essentias [etiam si sæpiùs voluntatem tacitis cogitationibus] me penitùs explicasse haud profiterer, in quibusdam tamen voluisse sat est, & forsàn quid notatu dignum ex accidenti contigit, pictor ut iste, qui postquam equum ad amussim usque delineasset, maleque spumam illius pinxisset, iracundia motus in eum penicillum conjecit, adeòquè fortè fortuna eam anaglypticè adumbravit, quam arduo conatu fruſtra prius tentasset.

De Fontibus Salinis.

QUid sibi vult celeberrimus Dr. *Liſter*, dum Fontes Salinos omnes averruncat cum gallis attramentosos fieri, ingenuè fateor haud capio, audacter etenim affirmarem, ne Fontem inveniri, qui *vitrioli* gustum haud manifestò redolet, vel ubi haud ansa suspicandi datur acidulam quandam cum Fonte Salino misceri, *modo vulgari* cum gallis atramentosum esse. Etiamsi haud inficias eo inter Fontes Salinos *Nothæicenſes* duos reperiri, qui cum gallis sunt turbidi coloris, in eodem autem oppido, Fontes plerique *eodem ſale* imprægnati, & ejusdem *ſalis*, pari quoque *quantitate* cum gallis nullam tincturam præbent, quapropter hi Fontes, non quà salini, cum gallis dant tincturas, eatenùs autem quod acidulæ quædam dilutæ his miscentur quas ibi terram rubigine tot inficientes vidi.

Parochia de *Cartmel* loco dicto *Roughham*, arenas propè maritimas propter *viatorum* phalanges insignes, ab imo montis petrosi pullulat Fons gustu *Salinus*.

Evaporatione lenta squammulas dat rubicundas, aquæ superficiem innatantes, gustu lixiviali præditas, & cum quovis acido insigniter fermentantes, quale Phænomenon in *Academia* celeberrima *Oxonienſi* evaporatione aquæ *Nitrię* in *Aegypto* huc deductæ mihi prius observare contigit.

Evaporatione prima odorem summe lixivialem emittit, tunc temporis spiritum *cornu cervini* instilla, & statim præcipitationem insignem percipies, indicio manifesto *acidi* cujusdam eo hospitantis, *Alcali* etenim quale sit spiritus *cornu cervi* ab *acido* solo præcipitatur.

Eodem tempore in parilem quantitatem ejusdem aquæ spiritum *Vitrioli* instilla, & *Sulphur* redolet, & præcipitat odore fœtido *Sulphur* indicio, solutione etenim *aquæ Calcariæ* facta ab *acido* quodam instillato odorem & præcipitationem istiusmodi observari in proclivi est.

Cum gallis atramentosus haud fit.

Aqua totalitèr absumpta in fundo remanet materia cinerea summoperè salina affunde aquam communem quinquies, totaliter evapora, toties filtra, & sal marinum habet, sicut à figura cubicali conjectare fas est, materia ramanens postèà fit insipida nec cum acido fermentat. Ex prædictis inferre liceat hunc Fontem *Sulphure*, *Natron*, *Sale marino*, & *Acidis* imprægnandum, & proculdubiò eodem rite administrato usus esse potest celeberrimi.

Intùs sumptus alvum & urinam potenter movet, præ quibuscunque *ſpecificis* mihi adhuc notis *vermes* enecat & educit.

Infarctu mesenterij usus sit eximij, modò Febris vel Phthisis absit, nec non in quovis affectu chronico ad primas vias detergendas inserviret.

Lau-

Laudabilem creat appetitum.
Impetigine ſpecificum haberi poteſt.
Si fides analectis incolarum adhibenda ſit, ab his fœminæ quædam facilius concipiunt.

Fons Sulphureo-Salinus

PRædio quodam villa de *Maudſley*; naturalem quandam officinam (fontem ſcilicet *Sulphure* & *Sale* gravidum) provida natura poſuit.

Fons cæruleum colorem refringit, nec non limus circa illius margines.

Aquis pluvialibus Fons auctus aqua *Sulphure* & *Sale* prægnans ope vitri ad fundum demerſi tantùm ſit habenda.

Circa quatuor ulnas à terræ ſuperficie aqua educta odorem emittit æquè fœtidum ac ij *Ericeto* de *Harrigate* agro *Eboracenſi* per *Angliam* univerſam inſignes.

Argentum injectum ſtatim cuprea incruſtat ſuperficie.

Evaporatione ſuggerit affatim Salis Marini, quapropter ſi ex copia rerum conſilium ſit trahendum, proculdubio Morbis iſtis proſpiceret quibus Fontes *Sulphurei Eboracenſes* tantopere celebrantur, fruſtra itaque *Corinthum* adire ij ſe torquent cum hic copiosè ſua labra profluant, nec copiam aliam quærere jam neceſſe eſt, cum hic manat *benigno Cornu*.

Hujus Libræ duæ continent *Salis* unciam ſemiſſem.

Prope *Cliderhovv.* hujus farinæ Fons alter habetur, Salis autem tanta copia haud imprægnatus, hujuſmodi Fontes vermibus ſunt inſignes & Morbis ab obſtructionibus ortis, à quibuſdam Sal ab his paratum vermibus enecandis ad Cœlum uſque evehitur, at quo jure Sali communi præfertur haud capio, in balneis & doloribus ſcorbuticis ore pleno merito ſit laudandus.

Fons Sulphureus.

INter diverſas hujuſce *Comitatus* Medicatas undas halitus quidam *Sulphureus* proximum ſibi locum vendicat,

Puteolo quodam villa de *Aucliff Phoſphorus* aquaticus in conſpectum venit, aqua ad medietatem circiter dempta, ſuſurrus quidam aures percutit, terræ ſibilanti admota flamma halitus ea emanans ſtatim ignem concipit, quandoque in aquæ ſuperficiem ſe diffundens cujus ope (haud injucunde) carnes elixandas conſpicere in proclivi eſt.

Terra qua hic halitus erumpit coloris ſit cinerei, ulnarum tantum aliquot intercapedine à fœcunda minera carbonum diſſita, dulcedine reſtringente inſtar illius Vitrioli Martis copiosè ditatur. Quę Phænomena mihi innuere videntur, hunc halitum ex particulis Sulphureis & Vitriolaceis conflari, particulæ Sulphureæ magna ex parte avolant, Vitriolaceæ autem particulæ cum quibuſdam Sulphureis per limoſam terram illaqueantur, & inde quidem eſt, ni fallor, quod hæc terra hac dulcedine reſtringente fœcundatur, ex præmiſſis conjicere fas eſt differentiam inter iſtos halitus à foſſoribus *buring.* & *choa King. Damps* characteribus inſignitos hinc tantum oriri, in halitu flagrante *Sulphur.* vitriolo præpollet, in ſuffocante autem *Vitriolum Sulphuri*.

Hæc ſunt præcipua circa hunc Fontem notabilia. Plura itaque adjicere ſuperſedeo.

Fontes vero Natron Antiquorum imprægnati.

DE geneſi & natura Salis Alchali litem in prolixam exſpatiari tam ingratum forſàn quam à ſcopo foret, quapropter in genere ſufficiet aſſerere dari alchalia naturalia quæ non igni, ut *Elmontius* voluit, quin *Athmoſphære* circumambienti magna ex parte natalitia ſua primæva debent; Quo hujuſce

Pro-

Propositionis veritas in propatulo fiat, tentamina sequeutia proponam.

Imprimis, Circa istam anni tempestatem, qua fluvius *Niloticus* diluvium sit passurus, *Natron* ab *Ægypto* in hoc regnum deductum aeri expositum insigniter fermentat mole & pondere abundanter adauget, eodem quoque tempore aqua *Nilotica* fit turbida, & putei Nitrarij *Natron* saturari incipiunt, cessatque pestis cæde propemodùm priùs universali furens.

His adstipulatur *Guirij* autoritas, imò in *Ægypto* constat, quo tempore ros est casurus, hujus regionis terram, arca licet inclusam, intumescere & ponderosiorem fieri.

His addi potest parietibus quibusdam efflorescit *Sal candidum* gustu lixiviali præditum, quod cum quovis acido insigniter fermentat, *halonitrum* jure appellari debet, at quantum scio ejusdem prosapiæ cum vero *Natron* antiquorum.

His singulatim rite perpensis cuinam assignari possunt quin alcali ab *Athmosphæra* deciduo? quod hoc modo, quantum conjectando valeo, formatur. Particulæ scilicet salinæ fixæ terra qua *Natron* invenitur nidulantes vi elastica Nitri aere luxuriantis repagulis suis solutæ in Sal hujusmodi transeunt, adéoque parietibus quibusdam hanc efflorescentiam efformant.

Fontes duo propè *Burnley* & *Coln* gustu planè lixiviali præditi sunt, propter autem *Natron* proportionem exiguam cum acido non fermentant, ad pelliculam tamen grisean aqua evaporata cum acido fermentat.

Aqua totaliter absumpta in fundo remanet materia rubra ei tenaciter adhærens, nec non eadem materia vitri parietibus locis quibusdam *Retortæ* versus orificium lineis perpendicularibus se expandens apparuit; tale Phænomenon in evaporatione aquæ à *Latron* hunc translatæ me prius observare memini.

Hanc materiam gustu & colore à *Natron Antiquorum* nullo modo dissterminandam censeo, æquè pariter ac istud cum quovis acido permista fermentat.

Cum Sale Tartari permisce, & odor æquè fœtidus ac penetrans observari potest, ac à misturis *Natron Ægyptiaci* & salis Δ ri, odorem cujusmodi mistura nullorum Salium actu alcalium his exceptis præbet.

Hanc in aqua communi solve, & filtro adhæret terra rufa, limosa, quam in solutione & filtratione *Natron* in *Academia* celeberrima *Oxoniensi* priùs quoque notavi. A præmissis sat patet quod dantur Alcalia naturalia, & cùm Sal in his Fontibus conspicuum in omni cum *Natron* quadrat mihi verisimilè videtur id à tali prosapia oriri, huic etiamsi sententiæ reclamat Dr. *Listeri* authoritas pagina 98. de Fontibus *Angliæ* medicatis.

Sal in his Fontibus aeri expositum currit per deliquium.

Cum Sale Petræ haud fulminat, in aqua solutum & ad pelliculam evaporatum ad figuram crystalli mineralis haud accedit, sed remanet ut *Alcali* fixum ad nullam quidem figuram specificantem reducendum.

Cum hac aqua pulverem gallæ misce, & statim præcipitationem lineis albi perpendicularibus percipies, quæ renovari potest quoties gallam recentem injiceres, aqua postea fit citrini coloris, & pellicula oleosa obducitur.

Cum Syrup. Violaceo misce, statim virideſcit.

Materia in fundo post distillationem remanens se habet ad partes aquę sicut 1 ad 2640.

Mistura cum gallis per septimanam aeri exposita rursus fit pellucida, & præcipitatio albescens observari potest.

Intus sumptæ appetitum laudabilem creant, movent blande per urinam & secessum, calculosis apprimè prospiciunt.

In Morbis omnibus proculdubio ab acido & obstructionibus ortis esse possint usus celeberrimi.

Per *Angliam* universam haud scio inveniri similes, & quantum conjectare possum intùs sumptæ æqualem laudem ac frigidæ *Burbonenses* sibi merito vindicarent.

Fontes

Fontes Lapidescentes

HAlitus quidam Acidus ab *Alumine* vel *Vitriolo* ascendens lapidem calcarium pertransiens lapidis calcarij particulas abradit, his cum torrenti quodam in minimis permistis Fontes lapidescentes constituere videntur. Hæc Hypothesis argumentis sequent. nititur.

Imprimis, Fons iste lapidescens celeberrimus agro *Eboracensi*, qui idiomate istius agri *Dropping vvell* audit quòd petrescat ab halitu quodam acido procedere videtur. Montis etenim cacumine Fons ebullit in quem musco vel ligno cujuscumque generis injecto haud incrustantur. A petræ margine ulnas vix quinque distat quam ea attingente centenis propemodùm rivulis se divaricat, & inter currendum plantas margine petræ innascentes petrescit, necnon ligna vel muscum in quæ super terram incidit. A margine petræ succus lactescens exprimi potest, gustu pene styptico præditus, & aqua in terram à petra decidua eodem gustu fœcundatur.

Secundò, Margine ejusdem petræ (quam hæc nec ulla alia aqua attingit) arborum radices lapidescunt. Ab halitu ergo quodam acido lapidem calcarium abradente & in minimis solvente vis illius petrescens procedere videtur, his addi possunt.

Oppidum propè *Bury* agro *Lancastrienſi* Fontes duo petrescentes pullulant, & quamplurimi Fontium circa istud oppidum gustu acido æquè ac aquæ *Spadanenses* fœcundantur, ab his lac coagulatur.

Super Ericetum de *Andles ArK* Fons alter petrescens haberi potest propè *Chorley* universaque regio *acidulis* luxuriat.

Intus sumpti usus habentur, eximij dysenteriis & lienteriis curandis.

Evaporati præbet immensam copiam lapidis calcarii.

De Fontibus Acidis.

FOntes plurimi oppidum juxta *Bury* habent gustum perfectè acidum, Lac facile coagulant.

Cum gallis dant tincturam instar solutionis aluminis.

Quod acescunt ab acido quodam halitu Vitriolo vel Alumine emanans procedere videtur.

Rebus quibusdam culinariis verisimile aquæ communi sunt anteponendi, perhibetur etenim *Nicana* Provincia *Siciliæ* Fontes quosdam eo gradu acescere, iis aceti loco utuntur incolæ Var. pag. 195

APPENDIX.

DE BALNEIS FRIGIDIS.

QUòm hujusmodi *Fontes* minera quadam impregnantur, à qua eorum frigiditatem derivant, haud certò scio, hoc tamen dici potest, hi particulis quibusdam *frigorificibus Fontibus* præ aliis saturantur, gradu etenim frigiditatis intensiori Fontes quàm reliqui frigescunt, quali modo hæ *particulæ* figurantur, *motum* & qualem obtinent ab immortali *Boyleo mechanice* explicatur; ad quem itaque refero. Inter *Indos* ad hunc usque diem hæc balnea in usu frequenti fuere; in hac autem *regione* propter *credulam* atavorum *ignorantiam medelæ stupendæ* quotannis his *Fontibus* perfectæ *Sancto* cuidam assignatæ fuere, & exindè fuit quod *Fontes*

istî

ſti celeberrimi *Agro Eboracenſi*, & loco dicto *Holly vvell* in *Vvallia* nomina *Saint Mungus* & *Saint Vvinfrid* retinuere, lites autem ejuſmodi haud hujus ſunt Provinciæ, quapropter mihi ſufficiet Morbos recenſere, quibus hæc balnea proſpiciunt, & eorum ætiologiis explicandis paululum immorari. Perſonas in *Rachitide* ab omnibus *deplorata*, *Phtbiſi Scorbutica*, *Rheumatiſmo Scorbutico*, *Paralyſi Scorbutica*, *ſtatu hypochondriaco*, *impetigine Græcorum*, *ſcrofulis*, Morbiſque id genus aliis (univerſa medicamentorum *Sylva* ab *expertis Medicis* fruſtrà tentata) per *acidulas*, medicamenta appropriata; & *balnea frigida* ſæpius ſanatas vidi. Obſervatu in proclivi eſt poſt corporis in hæc *balnea* immerſionem corpus univerſum intensè *rubeſcere*, lecto calenti poſteà ægro commiſſo, materia intùs detenta, per *ſudores*, *urinam copioſam*, & quandoque *catharſes frequentes* amandatur; ex præmiſſis cogitare liceat, per particulas frigorificas (*perſpiratio inſenſibilis*, quam maximam eſſe corporis evacuationem *Sanctorius ſtaticis experimentis* demonſtravit) obſtruitur; Hinc porulis *emittentibus* occluſis, tanto materiæ activæ penu vaſa ſingula adimplentur ea ultra *tonum* debitum diſtendi neceſſe eſt, & exindè ergò fit quod corpus univerſum tantoperè rubeſcit, pari modo *Spirituum* animalium aditu occluſo, vaſis ſcilicet quibuſcumq; plenis, ſpitus animales, & particulæ activæ ſanguine, & folliculis glandularum nidulantes concentrantur, hinc *unitis* viribus ſe extricare conantur, & motu quodam *renitenti* ad eorum vim *elaſticam* expandendam continuò moliti ſunt, donec tandem qua data porta ruunt, & hinc per *ſudorem*, *urinam copioſam*, vel *catharſes* materia amandatur, hoc motu *renitenti* particulæ activæ ſanguine nidulantes, folliculis glandularum, & nervis, humores tenaces ibi hoſpitantes attenuant, qui ergo (data porta) cum illis corpore eliminantur, exindè ergo fit, *repagulis* iſtis amotis quòd *Rachis*, *Phthiſis* Scrofula, dolores *Rheumatici*, impetigo, Morbique talis farinæ alij ab *acidulis* & *balneis frigidis* tam frequenter & totaliter evaneſcunt. In civitate quoque *Londinenſi* fœmina quadam *Thermis Bathonienſibus* æſtate elapſa fruſtra tentatis per balnea frigida artificialia & medicamenta appropriata impetiginem Græcorum nuperrime ſanatam vidi ab inſigni Doctore *Baynard*. Anno ſequenti de *Thermarum calidarum principiis* & *uſu* [favente numine] diſſeram.

POTSCRIPT.

SCiant ut omnes, quod experimenta ſingula quæ chartulis hiſce typis mandantur, ex mero veritatis indagandæ motu, in lucem prodeunt; ſi quis ocularem demonſtrationem exoptat, à Fonte ad Fontem ei ſocius ero, ubi ſinguli tentaminis veritatem propria autopſia evincat.

FINIS.

RICAR.

RICHARDI

MORTON

Med. Doct. Reg. Coll. Med. Lond. Soc. & Cens.

PYRETOLOGIA

SIVE

TRACTATUS

DE

MORBIS ACUTIS UNIVERSALIBUS

VARIIS HISTORIIS ILLUSTRATA.

AD LECTOREM.

GAndor Professorum *Phthisiologiam* nostram nuper editam ubique benignè amplexantium, animos mihi addidit ad amplam hanc ac difficilem Universæ *Puretologiæ* Provinciam suscipiendam, atque ejusdem Systema varia rerum Observatione horis successivis conflatum, publici juris tandem faciendum. Cujus Specimen, has de Febre *Intermittente* ac *Remittente* Exercitationes prælo jam subjecimus, mox (Deo annuente) ad Febres *Inflammatorias*, cùm *Generales*; tum quæ ad partem Corporis specialem respectum habent; ad Febres *Colliquativas*, ac *Malignas*; Atque demum ad *Symptomata* Febrium maximè urgentia quot quot sint (quod Muneris nostri ac pensi reliquum est) pro virili progressuri, modò Eruditorum & Exercitatorum Professorum approbatione nobis constet hocce Opus in publicum bonum cessurum esse. Empiricorum, indoctorum, & in re Medica minùs Exercitatorum, quanquam inani Eruditione & notionibus à libris, non à Natura impressis intumescentium præjudicia; me in hoc studium incumbentem haud quaquam morabuntur. Illorum Censuras parati expectabimus; Siquidem ex diuturna & accurata Naturæ Observatione docti, non tantùm veterum *Humoristarum*, verùm etiam *Neotericorum Spargyricorum* Castra, in Ætiologia Morborum Acutorum eruenda ac Methodo medendi adhibenda, quadantenus deserere cogimur; Dum fomitem Febriferum asseramus esse *Deleterium quid in Spirituum Systemate delitescens, quod Fermenti ad instar eos adoriens atque œstro primùm exagitans, deinde humoribus, secundo quasi momento, varias mutationes atque qualitates morbosas nobis sensibiles impertit*. Quo posito, necessarium ducimus in *Ætiologia* horum morborum ritè enarranda, *Diagnosi* explicanda, *Prognosi* proferenda, vel *Indicationibus*, & Curationis *Methodis* stabiliendis, ad hanc *Cynosuram* præcipuè respicere. Et Medici in hisce Curationibus occupati magis interesse censemus multo usu calluisse *Antidotum* Fermento Venenato delendo parem, atque æquam & justam, pro varia *Veneni* indole, atque vigore vel debilitate Spirituum, Antidoti exhibendæ Methodum probè nosse, quàm Remediis *Evacuantibus* & *Alterantibus* nescio quibus, morbosarum humorum qualitatum, quæ primario loco non peccant, emendationem moliri. Hanc nostram generalem *Hypothesin*, ut ut quadantenus novam, Medicos Expertos (quot quot in horum morborum Curatione diutius versati fuerint facilius assensu suo comprobaturos) credo, quàm Juniores, qui in libris evolvendis magis quàm in Natura contemplanda occupati, & in verba Magistrorum sæpius jurantes; nihil præter Humores & Qualitates crepant, atque Qualitates istas Febriferas contrariis Qualitatibus semper profligandas somniant. Unus *Sebastianus Vvirdigus* M. D. & *Rostoch.* celeberrimus Medicinæ Professor, in *Medicina* sua *Spirituum nova*, *Hamburgi* cusa, atque Societati Regiæ *Londinensi* dicata, jam dudum, scilicet *Anno* 1672. omnium Morborum Æthiologiam è morbosa Spirituum affectione ex professo eruere sategit, ut ad liquoris *Alchaest* seu Medicamenti Universalis usum viam sterneret: Verùm hujus Authoris *Paradoxa*, figmenta varia, & laxa scribendi ratio Mihi prorsus persuadent, eum acumine ingenii *Spargyrici* (quo pollet) potius quàm Naturæ Observatione hanc Hypothesin in Musæo suo conflasse. Me quod attinet, Ego liberam *Philosophiam* ubique amplector; per me unusquisque de proprio suo sensu judicet? neminem ego de sententia sua deduco, nulli

ὑποθέσει δυλεύω; verùm poſtquam Animo meo anxio & hæſitanti, ſedula Naturæ indagatione, quadantenus ſatisfecerim, æquum duxi totam rem (prout ego ipſe eam animo concipio) coram æquis ac doctis quibuſcumque Judicibus, ſive *Philoſophis*, ſive *Medicis*, ſine rixa aut jurgiis palàm & ingenuè proferre. Idque libentius nunc facio, quoniam quamdiu Ego Qualitatum doctrina nixus ſum, vulgaria morborum *Phænomena*, quæ mihi in praxi quotidie occurrere ſolebant, ſubſidio *Veterum* aut *Recentiorum* Hypotheſcō numquam ſatis commodè potui enodare; Multò minus *Symptomata* Morborum *Univerſalium* explicare, ſigna *Diagnoſtica* & Prognoſtica rationi congruentia, atque *Indicationes* curativas & Methodum medendi ad proteiformes hos Morbos accommodatum invenire. Equidem tædebat me ferè Officii, quo fungebar, cùm Memet, nnà cum cæteris Profeſſoribus Arbitrum ac Judicem vitæ & necis propinqui conſtitutum deprehenderem, atque Provinciam Me ſuſcepiſſe animadverterem, quam, ob certæ Regulæ defectum, non niſi timido Animo regere potuerim. Conſcius mihi eram me potiùs Empirici partes, quàm *Medici* aut *Philoſophi* agere, idque Lucri proprii magis quàm emolumenti Publici cauſa. At quamprimùm (re diu in Animo ſeriùs penſitata) *Ætiologiam* horum Morborum à *Spiritu Animali*, atque *Veneno* inibi deliteſcente petendam deprehenderim. Quanta luce Mentem meam illicò perfuſam ſenſi? Ariadnes quaſi filo ductus in Penetralia Naturæ intraſſe mihi viſus ſum; Tenebræ & caligines momento quaſi temporis diſſipantur, occultiſſima quæque ac minutiſſima Symptomata in lucem clariſſimam proferuntur; Nihil arduum, nihil confuſum ut potiùs; Phæmomena, quæcunque fuerint; ſolutiones ſuas juxtà ſecum afferunt; omnia Morborum Symptomata proſapiam ſuam ultro confitentur; Febres omnigenæ in varias ſuas Claſſes ſponte recedunt, atque propriis Symptomatis notatæ Genium ſuum ac Indolem palàm produnt; ea inſuper ſigna tum *Diagnoſtica* à fonte ſuo perſpicuè deducuntur, quæ reapſe ac uſu veriſſima eſſe comprobantur: Curativæ præterea *Indicationes* certiſſimæ, ictu Oculi citiùs ſeſe Menti ingerunt, atque Methodus medendi vera ac rationalis ſtabilitur, pro variis Ægrotantis circumſtantiis diverſa & mutabilis, atque ut plurimum eventu felici approbatur. Adeò ut mihi jam non amplius videar Empiricus, ſed mihi potiùs gratuler, tanquam in Medicum quadantenus & Philoſophum nuper evecto; & cum majori fiducia, atque minore hallucinatione, id quod mei Muneris eſt, quotidie exſequar. Quid? quod in variis Morbi ſtadiis ubique ſciam, quid de ejus eventu exſpectandum ſit, quid agendum; &, cùm ob radices Morbi nimiùm fixas, aut Remediorum efficacium defectum, opem non ſemper afferre queam; ob quam rationem deficiam cognoſcam. Unde mihi penè perſuaſum eſt *Hypotheſin* noſtram de horum Morborum *Ætiologia*, magna parte, ad Veritatem ipſam aut quam proximè accedere.

Objiciet forſan hìc aliquis, cùm hoc pacto Ratio formalis Morborum non, ut olim, in Qualitatum evidentium intemperie, verùm in Spiritibus & Veneno in iis deliteſcente conſtituatur, planè actum eſſe de Philoſophia & eruditione Medicinali; nec è re eſſe, ut Medici ampliùs nocturnis impaleſcant chartis, vel tempus terant in libris Doctorum evolvendis, vel Ingenia ſua in repagulis Naturæ reſerandis, & Cauſis rerum indagandis in poſterum torqueant: Amplum illum & fertilem Philoſophandi Campum, Craſin nimirùm variam, Putredinem, atque multiplicem Purpureæ Maſſæ alterationem ex Bilis flavæ & nigræ, Pituitæ, cæterorumque humorum primis qualitatibus in ſummo gradu imbutorum miſcela, ejuſdemque compagis à Sulphure, Sale alcali, vel Acido in ea prædominante ſolutionem, ubi olim Profeſſores ingenia ſua exercebant, & unde in poſterum uberem ac penè infinitam Remediorum Febrifugorum Meſſem excogitare poſſent, ictu quaſi Oculi mutari in ſterile iſthoc & infœcundum

Spiri-

Spirituum, & neſcio cujus Veneni Deleterii in iis latitantis ſolum. Hos Spiritus & hoc Venenum, cùm ſenſus noſtros penitus fugiant, ad Methodum medendi rationalem conflandam conducere non poſſe; verùm imperitum unumquemque atque Empiricum *Antidoto* inſtructum, ſine eruditione, ratione vel Methodo, partes Medici acturum; unde maximum decus, atque etiam uſus noſtræ Artis multum detrimenti non poteſt non pati, dum via hac compendiaria Febres obtruncantur, in quibus curandis maximum quæſtum facimus.

Eſto; horum Morborum Fomes in Spirituum gremio deliteſcere concedatur; An non Medico ſagaci liceat Indicationes ſuas Curativas ab humorum mutationibus, quæ ab hoc Fermento oriuntur, deſumere? Saltem hoc ritu Arti ſuus honos conſtabit, hiloſophiæ Libertas ſarta tecta conſervabitur, & Lucri captandi occaſio non præripietur.

Tantum autem abeſt, ut hæc noſtra *Hypotheſis* labefactet Philoſophiam [quæ quantùm ad artem noſtram ſpectat, eſt Scientia veris ac certis Principiis à rerum ipſarum Natura petitis innixa] ut potiùs eam mirum in modum excolat atque adaugeat, & Nos non aliam ob cauſam eam primùm amplexi ſumus. An enim fas eſt, ut iis falſas & fictas tantùm Morborum cauſas contemplantur, veram eorundem & vivam Ideam raciocinando unquam formarent, eventum certum denunciarent; vel juſtas Indicationes, atque æquam medendi Methodum ſtabilirent? Sanè non mirum eſt Artem Medendi hucuſque magna ex parte celatam tanquam Myſterium fuiſſe, & ejus Profeſſores precariis principiis inſtructos, ut ut ſpecie tenus eruditos, Empirico modo eam exercuiſſe; Tyrones verò, apud quos Magiſtrorum Aphoriſmi plus autoritatis obtinere ſolent, quàm ipſa res & ratio in veritate exquirenda, poſtquam ad ἄκμὴ hujus Eruditionis Philoſophicæ pervenerunt, viſos ſibi potiùs eſſe Naturas rerum inveſtigaſſe, quàm ex veris cauſis quicquam cognoviſſe; unde fit quòd non ſine opprobrio inclyta Medendi Ars apud pleroſque hactenus incerta audit & conjecturalis. Appello autem ipſos Humorum & Qualitatum evidentium fautores, utrum ex iſtiuſmodi Principiis certum aliquod *Febrifugum* hactenus uſque invenerint; Utrum vel Symptomatum ipſorum rationem perſpicuè tradiderint? Obſervatione equidem ac multo uſu Symptomata Morborum *Diagnoſtica*, & ſigna *Prognoſtica* vera ſæpius *Hiſtorico more* diſertè recenſuerunt, ὅτι ſcilicet hæc vel illa ſigna hos Morbos comitari ſoleant, atque hunc vel illum eventum ſecuturum denuncient; verùm de cauſa βίοτι altum ſilentium. At quid hoc ad Philoſophiæ incrementum? Si verò uſquam rationem proferre videantur, quas tricas & nugas, & jam ferè ubique exploſas? Adeò ut de his potius, quàm aliis quibuſcunque Effatum illud Divinum pronunciatum fuiſſe videatur, quòd ἐν σοφίᾳ ἐμωρήθην. *Indicationes* prætereà Curativæ in his Morbis, atque Methodus medendi non minùs mancæ ſunt & mutilæ, quàm reliquus Apparatus; Omnia, ad Symptomata, quæ ab humorum qualitatibus variò mutatis oriuntur, collimant; Ad radicem; ſeu primariam Morborum Cauſam nihil. Imò *Specifica* ipſa [uti vocantur] quibus ſe nonnumquam jactare ſolent, & quæ optimam eorum Therapeutices partem conſtituunt, ſi unquam vera & efficacia inveniantur, non ex Humorum & Qualitatum evidentium Pharetra proferuntur, neque ratione excogitantur, verùm occulta ratione neſcio qua, vires ſuas ad Humores & Qualitates minimè accommodatas, exſerere agnoſcuntur. Hæccine *Philoſophia*, quæ nunquam hactenus veras rerum cauſas indagavit, atque in poſterum à recto ſcientiæ tramite *Aſſeclas* ſuos æternum ſeductura eſt, tanti facienda ſit, ut ejus cauſa Hypotheſis à rerum ipſarum Natura petita atque rationi congruens prorſus repudiari oporteat? Exulet, per me, in æternum exulet *Philoſophia* illa, & Scientia falſò ſic dicta; Nec inde artem noſtram, vel ejus Profeſ-

fores quidquam damni percepturos ariolari possum. E contrà cùm usus Rationis & Eruditionis non minus necessarius sit ad consequentias deducendas, cùm veris ac certis principiis innitamur, quàm cum precariis & falsis postulatis suffulciamur; Qua de causa, via longè certiori & magis compendiaria scopum in Veritate eruenda attingere non conemur? Sic enim & Ars ipsa honore adaugebitur, & hæsitantibus Professorum Animis cumulatè satisfiet; Ideæ Morborum veræ & genuinæ formabuntur; Symptomata singula propria luce illustrata clarè & perspicuè explicabuntur; Eventus, quicunque futurus est, ultrò in conspectum veniet; Indicationes certæ & Methodus medendi vera in promptu erunt, neque ex hallucinatione vel inscitia Medici vita Ægrotantis in discrimen adducetur; Nec Ars ipsa [uti solet] opprobriis & convitiis lacessetur: Sed quicquid Arte fieri potest, certissimè perficietur: Quid? quod nihil magis Professoribus emolumento esse potest, quàm Officium suum hoc modo præstare: Nihil enim Vulgum, instanti vitæ suæ discrimine, ab ope Æsculapii petenda deterret, præter incertitudinem, quam in ipsa Arte deprehendunt, Omnes ad illum Medicum currunt, qui citò, certò, & tutò sanat; Qui autem difficulter & non sine magno dispendio olim evaserunt, ab Arte ipsa tanquam à Peste, & ab ejus Professoribus tanquam à Planis abhorrere solent.

Futilem autem, atque planè inanem censeo alteram Objectionis partem; scilicet, usu *Corticis* jam increbrescente, Mysterium Artis nostræ adeò divulgandum fore, ut in posterum quivis Agyrta & Circumforaneus *Antidoto* instructus, vel Ægrotans ipse curationem *Febrium* absolvere valeat: Siquidem ob varia, eaque admodùm truculenta Symptomata, tùm in genere Nervoso, cùm in Arterioso, à Veneno Febrifugo oriunda, quæ Febres quascunque præter *Intermittentes* simplices (in quibus curandis vis *Corticis* Febrifuga jam olim innotescit) comitantur, non potest non opus esse Medico, eòque Exercitatissimo, ad Genium horum Morborum, variam & multiplicem speciem non rarò induentium, investigandum; multò magis autem ad Symptomatum farraginem auferendam, & Methodum Medendi pro re nata *Venæsectione*, *Opiatis*, *Emeticis*, *Catharticis*, *Demulcentibus*, *Alexipharmacis* & *Vesicatoriis* variandam & distinguendam; quod Historiæ à Nobis recensitæ abundè testantur. Ideòque vix puto quenquam non insanum, & cui Vita propria in prætio sit, inter Scopulos adeò periculosos navigantem, sese fluctibus & procellis sine Nauclero experto, facilè concrediturum fore, ut ut *Magnetem* & *Pyxidem nauticam* secum habeat. *Cortex* quidem, quatenus Fomitem Venenatum delet, Symptomatum repullulationem impedit, indèque Curationem certiorem, juxtà ac citiorem efficit, nullatenus autem ad Symptomatum periculosorum à Veneno activo, ejusque cum Spiritibus luctatione ortorum ablationem quicquam confert, quæ quidem Ægrotantis Vitam sæpiùs & citiùs in discrimen ducunt, quàm Venenum ipsum à quo Originem trahunt. *Indicationes* curativas *Secundarias* (quotquot sint) Medicus Ratione & Philosophia instructus à Crasi humorum sale *Alcali*, *Accido*, vel quocunque alio vitiata, vel à Spirituum Orgasmo plus minùs deficiente vel exuberante per me desumere liceat, ut Symptomatis urgentibus tempestivè salutariter occurrat (quæ res totam Antiquorum Methodum continet) modò *Primariam* Indicationem non negligat, Domitum scilicet Fomitis Venenati, qui propria sua Antidoto solummodò subigendus est. Qui secùs fecerit non Morbo, verùm Symptomatis Morbi tantùm medetur, quæ, Fomite adhuc integro intus delitescente, non possunt non sæpius repullulare, &, si unquam forte fortuito Curatio perfecta subsequatur, Naturæ, non Medico, grates rependendæ sunt.

Hæc

Hac occasione data, antequam hasce Vindicias finiam, ad majorem hujus rei illustrationem, unam vel alteram Historiam referre non pigebit, Nuperrimè, scilicet hoc ipso anno, Ego unà cum altero è collegis nostris eximiis accersebar ad consulendum de salute Viri fortis non gregariæ, qui ad sex hebdomadas laborarat *Febre Intermittente Spuria*, quæ, durante Paroxysmi vigore, jam *Choleræ Morbi*, jam Diarhœæ, *Vomitionis* immanis, vel *Doloris Spasmodici*, aut alterius alicujus Morbi speciem referebat; Ægro demum penè confecto & *Aphthis* in Ore succrescentibus; Medicus, qui prior Curam Ægri gerebat, Eruditus sanè & undique instructus Principiis tum Veterum, tum Neotericorum Therapeuticis, licet non multo usu exercitatus, Morbi Historiam, & Symptomata in dies in singulis Paroxysmis recens succrescentiam seriatim nobis retulit, & quo pacto diversis hisce Symptomatis, pro Ingenii sui acumine *Alcalica*, *Acida*, *Demulcentia*, *Alterantia*, *Opiata*, *Adstringentia*, nonnullaque ex Majoribus *Arcanis* per quatuor septimanas opposuisset, & se Officio suo egregiè functum esse gloriari videbatur, ut ut de Febre, & delitescente ejus Fomite Venenato ne somniando quidem cogitaverat. Cui Ego hoc modo paucis regerebam; In ramis Morbi pullulantibus, Vir Doctissime, jamdiu frustrà demoliendis laborasti, Radicem autem, Fomitem scilicet Venenatum intus delitescentem ne uno quidem ictu petere sategisti; unde non mirum est novam Symptomatum segetem toties repullulasse, atque Ægrum dirissimis Symptomatis penè confectum ab Orci faucibus non longè abesse; Agedum, unitis consiliis jam tandem experiamur an non Morbum ipsum penitus evellere possimus, & Ægro, quatuor dierum spatio plus opis & levaminis afferre, quam Methodo tua rationali *Arcanis Majoribus* quatuor hebdomadis eruditè dispositis & exhibitis hactenus consecutus est. Quid fit; Commnni suffragio Antidotus, *Cortex* scilicet *Peruvianus*, cum *Laudano* cæterisque, quæ Symptomata comitantia postulabant, ritè commixta, repetitis vicibus, per quatriduum ministratur, unde universa Symptomata ultrò evanescunt, atque Æger, stupente planè Erudito Viro, perfectè revalescit. Referam illud, quod in congressu duorum Collegarum, doctorum sanè & argutorum, cui & Ego interfui, nuperrimè contigit. Illi ferè ad horam, magno Ingenii Acumine (quo pollent) usque ad jurgium disceptabant, de *Ætiologia* Febris *Synechœos*; Dum hic à Sale Acido, Ille autem è contra ab Alcali hujus Morbi Prosapiam ducendam esse acriter contenderet; Cùm cuidem Ego multo usu fretus probè nossem nec hoc, neque illud verum esse, atque Fomitem Venenatum longè certius & citius deleri posse *Cortice Peruviano*; qui nec Acidum nec Alcali sapit, quàm longa quacunque Methodo hisce fictis & commentitiis Principiis innixa.

Supereſt altera Objectio quæ adversus Praxin nostram militare videtur; Nimirum in Curatione Febrium ferè omnigenarum, tam *Continuarum*, quam *intermittentium* Energiæ *Corticis Peruviani* patrocinamur, ac si esset Remedium quoddam *Catholicum*, unde priscam Febres curandi Methodum Arte & ratione excogitatam penitus evellimus, aut saltem magna ex parte immutatam, novæ cuidam Methodo, specie tenus Empiricæ locum dare cogimur. Et non defuerunt malevoli Detractores qui hanc Meth. quasi Empiricam, & in *Asylum ignorantiæ* inventam nobis objecerint.

Equidem, *Corticem* dictum *Chinam-Chinam* pro Remedio *Polycresto*, jure merito habet, viribus præpollentibus instructo ad omnia Venenata Morborum Acutorum Fermenta delenda; modò à gradu eorum summè Deleterio Spiritus Animales non adeò pessundentur, uti nequeant, ob κέκρωσιν jam incipientem, *Corticis* virtutem regere, atque in actum ducere; quod in Febribus quibuscunque *Malignis* dictis accidere solet. Nusquam autem hactenus eum titulo *Catholici* Remedii (ac si *Archæus* ad mentem *Helmontii* quocunque modo irritatus eo compescceretur) donandum judi-

cavi. Ut ut non desint Authores, uti videre est in *Babi Anastat.* Lib. 1. Cap. xx. & Medici aliqui hodierni, qui vires ejus in *Hydrope*, *Ictero*, *Hypochondriaca* affectione, *Scorbuto*, imò in *Peste* ipsa, plurimisque aliis Morbis tam *Chronicis* quàm *Acutis* debellandis mirum in modum prædicant, Verùm ut rem ipsam dicam, licet hoc ἱερὸν πικρὸν præ cæteris quibuscunque *Amaris* absterstiva sua, seu quacunque alia Qualitate Humorum ἀκρασίαν corrigendo, & partium labefactatarum tonum confirmando, ad Curationem *Hydropis*, *Scorbuti*, *Icteri*, *Hypochondriacæ* affectionis, *Digestionis eversæ*, *Appetitus prostrati*, vel cujuscunque alterius morbosæ Affectionis, incerto cum eventu, conducere nonnunquam observetur; Nunquam tamen *Corticem* Officium *Antidoti* præstitisse memini, Fomitem scilicet Morbi Venenatum delendo, præterquam in Morbis *Universalibus* Acutis, præsertim in *Febribus Intermittentibus* & *Remittentibus Veris* ac *Spuriis*, atque *Inflammatoriis* & *Colliquativis*, quibus cum prioribus similitudo quædam est. Quantam autem Medicinæ Therapeuticæ partem horum Morborum Curatio impleat, quivis in Medicina Exercitatus probè novit; Ideoque non est, quòd in posterum *Chinam Chinam*, in censu Pharmacorum, *Polychrestî* Remedii titulo ordinare dedignemur.

Febres autem Continuas Συνεχεῖς dictas & quascunque alias sive *Inflammatorias*, sive *Colliquativas* quousque Typum suum servent, reapse à *Polychresto* hoc Remedio ritè exhibito, respectu scilicet ad vehementia Symptomata habito, æquè certò ac citò, ac *Intermittentes* ipsas fugari, fidem faciunt Historiæ in *Exercitationibus* nostris jam cusis recensitę, vel in posthac cudendis recensendæ, quas, Herclè, licet paucas & è multis selectas, sincero Animo ob hanc causam præsertim Publici Juris facere decrevi. Si quis fidem hac in re nobis abhibere non dignetur, tentando experiatur nos falsi convincere, & nullus dubito eum propriis manibus oculatis fidem daturum esse.

Neque est, quòd suspicemur Febrium *Therapeuticem* inde, cum Artis Medicinalis opprobrio, in puram putam scientiam *Empiricam* degeneraturam esse. Quandoquidem secundùm nostram *Hypothesin*, rationi liquido constet quam ob causam *Cortex* iu Febre curanda adhibeatur, scilicet ut Fomes Venenatus qui in Spiritibus deliteścens primaria horum Morborum Causa efficiens est, vi hujus Antidoti deleatur & subigatur. Verissimum quidem est nos sobriam Philosophiam solummodò professos, atque in Natura *Spirituum*, *Venenorum* & *Antidotorum* (quæ omnia sensus fugiunt, ac longè superant) indagandæ, caligine undique obsessos, palam atque ultrò confiteri, διότι seu quam ob rationem vires Venenorum ab hac *Antidoto* frangantur, nos planè nescire. At verò quam pauca res, si quidem ullas, demostratione à priori intelligimus? Sufficit Medico & Philosopho (ubi recondita rei Natura id exigat) Demonstratio à Posteriori seu ab effectu scilicet ὅτι ab hac causa hi effectus producantur; Neque inde Ignorantiæ jure merito incusandus est; Namque sicuti Venena, ita non minùs eorum Antidoti: usu potius quam ratione reperiuntur. Certum est Acutissimos Medicos Humoristas jam per omnia sæcula præterita inanem operam navasse ad certa Febrifuga excogitanda, & Methodum Febrium curandarum genuinam instituendam, dum unus hoc, alter diversum vel contrarium *Arcanum* venditaret, atque Methodos Medendi non minus repugnantes conflarent. Si verò nostra *Hypothesi* (quod quidem experti affirmamus) Febrium varia & multiplex indolens ita patefiat, & Symptomatum ratio ita reddatur, ut inde ratione freti præsentem Febrium statum, & futurum eventum certò denunciare possimus, atque Methodum Medendi rationalem instituere; quo jure in posterum Empirici audiamus? Cum potius ob *Ætiologiam* horum Morborum ritè enarratam atque certum Febrifugum à nobis indigitatum, locum mereamur inter *Philosophię* veræ Medicinalis Instauratores. Saltem iniquius nobiscum agi-

tur,

tur, si Praxeos Empiricæ insimulemur & Scientiæ verè Æsculapianæ censeamur hostes infensi, eò quòd Venenatum horum Morborum Fomitem & veram causam, inter Humores & Qualitates Evidentes antehac in cassum indagatam, palam demonstrando, Professoribus Facem in *Atiologia* sua corrigenda præferre sategimus; Unde in penetralia Naturæ ducti, singulorum Symptomatum prosapiam clarè & perspicuè percipere possint; atque inde non ampliùs more Empirico, verum ratione instructi, de genio ac typo Febrium diverso judicare, præsagia proferre, atque Indicationes Curativas desumere; totam demum Therapeuticem ad Normam rationis ubique accommodatam exercere. Quo pacto hoc pensum absolverimus in his Exercitationibus, penes Lectorem est liberè, modò ingenuè & candidè, sententiam suam proferre.

Hasce igitur *Exercitationes* nostras, horis succisivis conscriptas, *Candide Lector*, rogo ut sincero Animo, quo exaratæ fuerunt, amlpectaris, atque æqui & boni consulas: & Sphalmatis, si quæ sint, veniam impertire digneris. Si suadeas ut pensi quod supereſt, ad umbilicum ducam, æquis tuis hortatibus non deero, Siquidem Tibi, & publicæ utilitati totum Me devoveo.

ELENCHUS CAPITUM

Puretologiæ Πολεγόμενα.

DEfinitio Medicinæ: Requisita ad ejus notitiam neceſſaria. Ejus Apparatus qui consistit in *Anatomia*, *Pathologia*, *Atiologia Physiologia* atque *Scientia Pharmaceutia*, tam Chymica quàm Galenica. *Anotomiæ* necessitas in Morborum Pathologia & *Ætiologia* indaganda, & Indicationibus Curativis inde eliciendis. *Ætiologia* Morborum Universalium ob Origine & Nexu Partium Humani Corporis præsertim petenda. Origo totius Corporis compagis, scilicet non tantùm Nervorum, verùm vasorum, Membranarum, Musculorum, Tendinum, Ossiumque à Cerebro. Textura Cerebri & spinalis Medullæ peculiaris. Tota Machina à Spiritu Animali è Cerebro perpetuò derivato animata, ad proprios usus apta evadit. Spiritus Animalis peregrino Fermento inquinatus Morbosum Characterem recipit: Indeq; Morbi non tantum Cephalici & Nervosi, verùm etiam quotquot *Universales*, sive Chronici. *Pathologia* & *Indicationes* Curativæ horum Morborum ex hac Ætiologia perfectius, quam ex Doctrina Humorum excogitatæ in conspectum veniunt. Indicationes à vitiato Sanguinis statu desumptæ, secundum locum duntaxat jure merito vendicant. *Postulata* generalia, *Postul.* 1. Revera dari Spiritus Animales. Eorum existentia probatur a posteriori æquali evidentia, ac Animæ ipsius Existentia probari potest; idque tum in Naturæ statu integro, cum Morboso. Spiritus Animalis est immediatum Animæ Organon, & ipsius vitæ subjectum. E sensu Tactus constat hosce Spiritus non tantùm existere, verùm etiam naturam verè corpoream participare, maximè fluidos & subtilissimos esse, ad modum Fulguris aerem irradiantis, ex Elasticitate qua pollent, aeream planè naturam referre; atque maxima parte, ex aeris particulis constare. Ideòque nomine Auræ Animalis, vel Aeris Exaltati designari possunt. *Postul.* 2. Spiritus Animales in singulis Fibrilis hospitari. *Postul.* 3. Promanare autem hos Spiritus à Cerebro, uti radii à Sole ejaculantur. *Postul.* 4. Nervos esse Spirituum Canales. *Post.* 5. Cerebrum esse efficinam eorum & quasi Cisternam. *Postul.* 6. Spiritus Animales esse ἐνεργητικὸν seu primum Principium activum & quasi Fermentum Universale totius Corporis à quo Sanguis & Humores variè agitantur & immutantur. *Postul.* 7. Unionem Spirituum cum Sanguine esse intimam, totamque Corporis texturam vascularem, esse variis Argumentis probatur. *Postul.* 8. Spirituum Oeconomiam perverti posse; Idque primario & sine antecedente Hu-

te Humorum dyscrasia. Hi spirituum Morbi sunt multiplices varietatis Morborum Causæ. Spiritus afficiuntur ab Humorum dyscrasia, æquè ac Humores à Spiritus Morbosis. Neque hic Circulus contra Argumentationis Leges committitur Neque inde inanis aut futilis est nostra hæc Hipothesis. *postul.* 9. Naturalem Sanguinis Crasin à Morbosa Spirituum Diathesi perverti & labefactari solere, quo modo vinum, vel alius quivis Liquor Generosus, à Spiritu ejus depressio vel dissipato acescit vel vapescit. *postul.* 10. Morbus omnes *Universales*, sive Primarios, sive Secundarios, immediatè Spiritibus malè affectis oriri, atque mediatè etiam Morbos Partium. Remedia inde specifica audiunt, quòd singularem Spiritum ἀπαξίαν potiùs quàm partis vel Visceris alicujus errorem specialem corrigunt. Distributio Morborum intus natorum, juxta hanc Hipothesin, in Universales, eosque primario vel Secundario ita dictos; inque Acutos vel Chronicos, & morbos partium. Schema Morborum Generale. Ratio generalis Universalium Morborum, tum Acutorum cum Chronicorum è Spirituum ἀπαξίαι deducta. In classe Morborum Universalium Acutorum unà cum cæteris Febris, quàm ob rationem variolæ & morbilli locum vendicent.

EXERCITAT. I.

De Febribus Acutis in genere, & præsertim de Febre Ephemera & intermittente.

CAPUT I.

De Febribus Acutis in Genere.

FEbris Acutæ definitio. Ejus Ortus (excepta duntaxat Ephemera) à Miasmate heterrogeneo Spiritibus implicito. Hoc Miasma, quippe sensus fugit, non adeò facile est describere. Pathologia Febrium inde verò mirum in modum dilucidatur. Symptomata ab Oppressione Spirituum, primum Febrium insultum comitantia, uti *Algor*, *Pulsus debilis*, & *Celer*, *Respiratio cita & oppressa*, &c. Atque eorum ratio, Prognostica, & Indicationes Curativæ. Quo intensiora, aut diutius protensa sunt hæc Symptomata, eò Venenum magis Deleterium, & eventus funestior? Explicatio Symptomatum à Lucta, & Nisu Spirituum inceepto, in secundo Morbi stadio suborto rum, uti *Comatis*, *lassitudinis Spontaneæ*, *Vertiginosi affectus*, *Horroris*, *Tremoris*, *Jactationis*, *Oscitationis*, *Pundiculationis*, *Invaletudinis Universalis*, &c. eorum Prognostica, & Indicationes Curativæ. Quamdiu hæc Symptomata manent, Spiritus opprimuntur: Cùm ex improviso in medio Morbo recurrunt, pessimè significant. Symptomata verè Febrilia, ab Expansione Spirituum & Flamma inde in Sanguine accensa provenientia scilicet in tertio Morbi stadio, cum primùm ad ἀκμὴν pervenerit, atque eorum ratio. Causa *Cephalalgiæ*, *Lassitudinis Ulcerosæ*, *Lumbaginis*, *Dolorum Versatilium*, vel *Fixorum*, *Vigiliarum* pertinatium, *Deliriorum*, *Comatis*, & Roboris, & Magnitudinis *Pulsus* & *Respirationis*. Quare dolor Rheumaticus sit Versatilis. Causa *Appetitus Prostratis*, & *Difficilis* Cibi in Ventriculo *Macerationis*, *Nauseæ*, *Vomitionis*, & *dejectionis* immodicæ, *Sitis oris Ariditatis*, & *cutis siccitatis*, Urinæ *Rubræ*, & *Copiæ* ejus *Contentorum*, Ab his symptomatis de Spirituum Expansione, Veneni progressu, & Febris genio judicare licet. Febrium Curatio radicalis ex Antidoti exhibitione, quæ par sit ad Venenum Febriferum delendum. Ubi desideratur Antidotus (uti in Febribus *Synochois*, & Malignis) Curatio Natura perficitur, Medicus duntaxat ancillatur, idque vario pro ratione Symptomatum; Unde Indicationes

admodùm

admodùm diverſæ miniſtrantur. *Cortex. Peruv.* Antidotus Febrium *Remittentium*, juxta ac *intermittentium*, Quid faciendum, cùm Antidotus locum non habet Durante Morbi Augmento, Cephalalgia, Sitis, Vigiliæ, Tinctura Urinæ, Pulſus fortitudo ſenſim in dies creſcunt, Aphthæ ſuccreſcunt, ſingultus, Dolores Rheumatici, Pleuritici, Phrenetici, *&c.* Quid jam indicatur. Quid agendum ubi ex prepropero Tendinum ſubſultu, Delirio, Comate, *&c.* (Natura jam ſuccumbente) Febris in hoc Stadio Morbi Speciem Malignitatis induerit. In Statu Morbi quid agendum. Quid in Criſi. Sudores non ſunt Critici; verum effectum; & ſignum Criſeos incœptæ. Criſis Febrium benignarum, ob præſentem Spirituum vigorem, brevi, verum cum Agone evidenti finitur, Malignorum Criſis ſenſim & tardius procedit, atque non niſi circuitus plurium dierum abſolvitur. In Ultima & funeſta Febrium Scena quid indicatur agendum. Synopſis Febrium generalis.

CAPUT II.

De Febre Ephemera, ſive Diaria.

DIſſertatione de hac Febre, ut ut ſpatio xxiv. horarum ultro finiri ſoleat, opus eſt ad Hypotheſin noſtram dilucidandam; atque ad præcavendum hujus Febris tranſitum, ex malo Regimine, in Venenatam, Intermittentem ſcilicet vel Continuam. Ejus definitio. A mero motu Spirituum nimio, idque ſine Apparatu Venenato, producitur. Ephemeræ Symptomata. Cauſæ Procatarcticæ, & Evidentes. Indicatio Curativa. Regimen debitum. Nullum hujus Febris κριτικὸν Pathognomonicum ante ſecundam diem certum habetur.

CAPUT III.

De Febre Intermittente, eiuſque Cauſa, Typo, & Symptomatis.

FEbris Intermittentis Definitio & Typus. Cauſa continens, Venenum intus natum, vel ab extra admiſſum. Quid ſit hoc Venenum, difficile explicatur: Realis autem ejus exiſtentia à poſteriori demonſtratur. Fermentum hujus Febris Venenatum, admodum mite eſt, præ Fomite cujuſcunque alterius Febris, atque in Spiritibus ipſis, ceu primario ſubjecto deliteſcit. Cauſa Procatarctica hujus Miaſmatis ab Athmoſphæra præſertim petenda eſt, ſcilicet à Frigore ambientis Aeris, vel ejuſdem inſpirati heterogeneis & venenatis particulis referti. Symptomata hujus Febris, atque eorum Ætiologia explicata. Typus hujus Febris varius unde. Menſura durationi Veneni Febriferi à Natura determinatur. *Cortice Peruv.* non eſt Cauſa Recidivationis Febrium: Ut ut Paroxyſmus Febris Intermittentis Acutus ſit, Morbus tamen ipſe, quicunque fuerit ejus Typus, eſt ferè ſemper plus minùs Chronicus. Fermentum omnium Febrium intermittentium eſt ejuſdem generis. Febris Quartana æque certò ac citò *Cortice Peruv.* curatur, ac Tertiana, Quotidiana, ſive quęcunque altera.

CAPUT IV.

De Signis Febris Intermittentis Diagnoſticis.

FEbris Intermittentis Simplicis Signa Diagnoſtica non opus eſt recenſere; quippe Febris ex Typo ſuo ultro ſeſe in conſpectum dat. Febris Intermittentis Spuriæ (quę quamcunque aliam Febrem ſive morbum ſimulet κριτικὸν in genere Potiſſimum ab Urina Lateritii Coloris, & Periodica Symptomatum

Vehe-

Vehementium comitantium Exacerbatione, & Remissione petenda. Febris Intermittens Hemicraniam simulans quomodo dignoscenda. Febris Intermittens Apoplexiam simulans. Febris Intermittens Colicam, Phleuritidem, Rheumatismum Febrem Scarlatinam, Eresipelatosam simulans. Febris Intermittens Choleram morbum, Diarrhœam, Dysenteriam, Vomitionem immanem simulans.

CAPUT V.

De Febris Intermittentis Prognosticis,

1. NEmo à Febre Intermittente inter emptus, nisi in primo Paroxysmi Stadio scilicet durante Algore ex oppressione Spirituum orto. 2. Symptomata Vehementia, quæ hanc Febrem comitantur, plus periculi Ægro nonnunquam intendunt, quàm Venenum quod ansam iis præbet, ideòque Primam Medici Curam jure merito postulant. 3. Symptomata isthæc Vehementiora sub finem uniuscujusq; Paroxysmi ultro mitescunt; Ideòq; Antidotus ad recrudescentiam eorum antevertendam jam opportunè ministratur. 4. Febris Intermittens genuina respectu ad seriem Paroxysmorum, & Fomitem eorum delitescentem habito, est morbus verè Chronicus, singularis licet quisq; Paroxysmus sit peracutus 5. Fermentum Febris Quartanæ maximè omnium fixum est & durabile, atque proinde, hæc Febris, præ ceteris omnibus, ad revirescendum proclivis est. 6. Omnis Febris Intermittens, ubi annosa est, genium Quartanæ imitatur, recrudescere apta est, atque Typum suum sæpiùs mutare solet. Quo diutiùs verò Typum Quartanæ servet, eò magis Chronica est, & ab ea Natura plus patitur. 7. Febris Intermittens, quæcunque fuerit, in Ætate juvenili, & æstiva tempestate, Viribus solius Naturæ sæpiùs curatur: In Ætate provectiori, & Hyemali vel Autumnali tempore vix aut ne vix absque ope generosæ alicujus Antidoti Febrifugæ, Proverbia ab Astutis Medicis, ad Vulgum decipiendum excogitata, quasi tot Ignorantiæ Asyla. 8. Ante tertium Paroxysmum Emetico vel quocunque levi Remedio nonnunquam tollitur hęc Febris: Quò magis Chronicus eò magis Curatu difficilis hic morbus evadit. Defensio *Corticis Peruv.* ex hac occasione inita. 9. Hęcce Febris, quoties ab Arte vel Natura exstinguitur in ἐκνυῆ sua, facilius revirescit: E contra verò, ubi priùs deficere incœperit. 10. Febris hæc, quoties Legitima, rarò admodum funesta est, Chronica autem viam sternit ad plures alios Morbos, eosque maximè funestos, qui absque ope *Corticis Peruv.* vix aut ne vix Curationem integram admittunt. 11. Hæcce Febris, ubi Chronica fuerit, vel malè Morata, sæpiùs mutatur in Febrem Continuam, perpetuò conjunctam cum dirissimis Symptomatis in genere Nervoso, quam sine Corticis exhibitione curare admodùm difficile est.

CAPUT VI.

De Febris Intermittentis Indicationibus Curativis.

INdicatio generalis duplex est, scilicet Una Vigente Paroxysmo; verùm in Intervallis plane altera. In ipso insultu Paroxysmi Indicatio Curativa unica est, scilicet ut Expansio Spirituum justa atque debita conservetur. Regimen, durante vigore Veneni adhibendum: Diæta quę: Quodnam Regimen durante Algore & Horrore; Quale, Calore Febrili ingruente. Nullum Remedium Officinale sine evidenti necessitate jam indicatur ministrandum, pręter Julapium Cordiale temperatum. Emeticorum, & Catharticorum incommoda. Venę-sectionis incommodum. Diaphoreticorum, & Opiatorum incommoda, Historia Obitus pręmaturi

Cele-

Celeberrimi *Andreæ Mervill.* Febrifugum ipſum non miniſtrandum eſt Paroxyſmo durante. Quomodo Æger in Paroxyſmo tractandus eſt, ubi Febris Intermittens ſpeciem alterius alicuius Morbi Funeſti induxerit. ex. gr. In *Algore diutius* protenſo, In *Comate*, & *Sudoribus frigidis*. In *Apoplexia*. In Rheumaticis *doloribus*. In *Colica* Ventriculi, vel inteſtinorum, *Cholera Morbo*, *Diarrhœa*, *Dyſenteria*, Febre *Scarlatina*, *Ereſypelatoſa*, *&c.* Indicatio generalis extra Paroxyſmum eſt unica, ſcilicet ut Venenum Morbificum in Spiritibus deliteſcens perfectè extirpetur. Antiquorum mala ac infœlix Praxis in hujus Morbi Curatione cenſentur, utpote falſæ Hypotheſi innixa. Nuperi Medici Arcanis Febrifugis inquirendis occupantur, quæ ex proprietate ſubſtantiæ morbum eradicent, Pericarpiorum uſu Comprobatorum Formulæ. Vini benedicti efficacia in Fomite hujus Morbi delendo unde. Vires Febrifugæ Antimonii Diaphoretici, uti & Salis Abſinthii. Febrifuga Amara. Vires Febrifugæ Decocti Amari. Ejus Formula mihi uſitatiſſima. Formula decocti Amari purgantis. Teſtimonium D. D. *Coysh.* de viribus flor. Chamæm. febrifugis. Formula Pulveris febrifugi, quo ſæpius febrem Tertianam, quæ Vires Corticis ipſius irritas reddiderat, profligavi. Vis Amarorum Febrifuga non conſiſtit in vi Euphractica & abſterſiva; verum in proprietate Naturæ, qua ob peculiarem amaritiem ſenſibilem ad inſtar Antidoti Fomitem Venenatum in Spiritibus deliteſcentem ſubigere pollent. *Cortex Peruv.* ob excellentem ſuam amaritiem, præ cæteris omnibus titulo ἱερὸν πικρὸν inſigniri meretur, atque conſenſu ferè omnium Medicorum Febrifugum Catholicon audit.

CAPUT VII.

De Cortice Peruviano, ſeu China China, atque Virtute ejus Febrifuga.

HIſtoria Naturalis Corticis Peruv. Lignum, & flores nullam habent Virtutem febrifugam. Reſina; & Semina vim febrifugam quadantenus ſortiuntur. Arborem hanc Indi *Gannaperide* vocant. Virtus Ejus febrifuga olim Indis nota: unde primùm Europæis innotuit. *China Chinæ* à Comite *de Chinchon* Peruv. Gubernatore denominatur. Unde *Pulveris Comitiſſæ* titulo dotatum hoc Pharmacum: Primùm anno ſalutis 1649. ubique per *Europam* inclaruit. Unde *Pulveris Patrum* titulo dotatum hoc Pharmacum: Lepida Hiſtoria huic ſpectans à Cl. D. D. *Bado* memorata. Fama hujus Febrifugi citiſſimè per *Europam* ſpargitur. Conſilium de Cortice ſupprimendo, præſertim *Londini*. *Chryſoſtomus* Magnetius Cl. Profeſſor Papienſis unà cum plurimis aliis alioquin doctis & probis Viris, doctrina Humorum occæcatis, diu anceps hærebat de uſu *Chinæ-Chinæ*, quod Febres hujus uſu fugatas abſque ſenſibili quacunque evacuatione curatas obſervaſſet. Plurimæ futiles & inanes Controverſiæ ex hac doctrina Humoriſtarum ortæ per decennium agitatæ, ad annum ſcilicet ſalutis 1663. Haud parùm famæ Corticis offecerunt qui ejus Cauſam tueri ſuſceperant. Argumentis ex eadem Pharetra Humorum depromptis. Vis Corticis Febrifuga non conſiſtit in tenuitate Partium ad Mentem Cl. *Antymi Conygii*. Nec in caliditate, & ſiccitate manifeſta, juxta Opinionem Cl. *Gaudentii Brunabii Romani*. Caliditas & Siccitas Corticis non impedit vim ejus Febrifugam, ubi objectiones Profeſſorum celeber. *Planentin.* & *Mediolanenſ.* expenduntur. *Criſtoph. Paravicinus* Med. *Cl. Mediolanenſis* ad Partes vocatur. Cortex non eſt frigidus, & Narcoticus, neque proinde, ad mentem *Cl. Rochi Caſæti*, è cenſu Febrifugorum ſalubrium jure merito amovendus. Obiectiones *Cl. Joannis Jacobi Chiſletii* adverſus Corticem, in ejus Caliditate, ſiccitate, Stipticitate, obſtruente & adſtringente

gente Qualitate fundatæ convelluntur. Calumniæ Cl. *Vopisci Plempii* adversus Corticem, quasi Pharmacum Deleterium, Phthiseos, Cachexi pluriumque aliorum morborum prolificum, diluuntur. Surditas temporanea ex usu Corticis. Cortex non est causa Tabis, Cachexiæ, *&c.* Non est quid Venenatum, nisi ex accidenti, ob Idiosincrasiam; Neque in censum Toxicorum, & Deleteriorum relegandus. Revirescentia Febris, vel Pullulatio dirorum Symptomatum in genere Nervoso nimis parco, vel non satis repetito Corticis usu suborta nullatenus hoc Pharmacum velut insalubre arguunt. Decennio jam ad minimum, à primo Corticis appulsu in Europam elapso, demùm anno Salutis 1659. *Rolandus Sturmius*, Med. Cl. *Delphensis* ejus Vindicias Argutè admodum scriptas, sed veterem Humoristarum Hypotesin sapientes edidit. Post hunc Clariss. *Badus* Medicus *Genuensis* anno 1663. quippe à Vopisco Plempio anno 1655. ad exequias *Corticis Peruv.* vocatus, pro virili; eius causam egit; Isque ferè primus pro sagacitate sua, idque posthabita Humorum, & Evacuationum sensibilium, atque Qualitatum manifestarum doctrina, ab eiusdem occultis Qualitatibus. Vires magni huius Remedii Febrifugas deducere sategit. Populares rationes contra salubritatem, atque huius Remedii utilitatem propositæ solvuntur. *Obj. prima*, à recidivatione Febrium Cortice curatarum, caterva morborum funestorum à fæcibus morbi prioris suppressi, vel remedii exhibiti, intus delitescentibus subortorum. *Obj. II.* à constipante & obruente corticis Natura; quasi Energiam suam, constringendo Humores, exerceret; atque proinde non posset messi morborum funestorum amplæ ansam non præbere. Vis Corticis Febrifuga unde. Non ab Evacuatione Humorum sensibili; Nec à quacunque manifesta Qualitate, sive Caliditate & Siccitate sive Narcotica, & figente facultate, sive à dissolvendi partium Corticis tenuitate, ad mentem Cl. *Rolandi Sturmii*. Sententia. Cl. & Doctiss. *Badi* proponitur, ubi propemodùm demonstratur, non à Qualitate quacunque manifesta, verùm potiùs ab occulta, Corticem singulari hac Efficacia præditum esse. Sententia Doctiss. *Protospatarii* ferè eadem cum nostra proponitur scil. quòd *Cortex Alexipharmaca sua vi Venenatum Fermentum Febrile in Spiritibus delitescens delet atque subigit*. Venenum quid; Spiritus Animales esse Subjectum primarium & immediatum Veneni probatur. Venenum non agit primario in Humores secundario. Veneni effectus in Corpore. Modus, quo Venena operantur, à posteriori tantùm cognoscibilis. Virulentia non consistit in Qualitatibus manifestis. Antidotorum modus operandi. Fermentum Febrile est Venenum. Symptomata Febrilia Veneni affectus. Veneni mitissimi Symptomata in Febre Intermittente. Veneni fortioris Symptomata in Febre *Synocho* Veneni prorsus Deleterii Symptomata in Febre *Synochei* Veneni Symptomata in omnibus Febribus promiscuè, pro ratione ac indole Veneni varia, admodum diversa. Venenum Febrile genii Emetici in Febribus Intermittentibus. Venenum genii Deleteriè Cathartici in Febribus Continentibus, vel Emetici juxta ac Cathartici, vel quidem Mercurialis. Venenum Cantharidibus congener ansam dat Febri Diabeticæ, quin & Scorbuticæ. Venenum peculiari modo poros Cutis petens in Febribus Colliquativis malignis. Fermentum Sphacelans, Causticum & adurens in Peste. *Cortic. peruv.* Antidotum esse Veneni Febrilis variis *Argumentis* probatur. *Corrollaria* quatuor. *Primùm*, Fermentum Febrile non in posterum quærendum esse in Massa Sanguinis, ejus Caliditate, Frigiditate, Acrimonia, aliàve quacunque Qualitate exuberante; neque Medicamentis contraria Qualitate imbutis ritè petendum. Illud autem Febrifugum certissimum est, quod sive Calidum, sive Frigidum, Fermentum Humores exagitans, atque irritans penitus subigit atque delet. *Secundum*, Fermentum hoc Massam exagitans in Spiritibus Animalibus tanquam primo, & immediato suo Objecto delitescit, atque proinde inibi deleri debet. Quomodo

ope-

operentur Remedia externa in Febrium Curatione. *Tertium*, Fermentum Febrile (excepta solum Ephemera) semper est plus minùs Venenatum. *Quartum* Febrifugum propriè ita dictum, quod ad hunc Fomitem subigendum destinatur, oportet esse Antidotum; Amicissimum Spiritibus; verùm Fermento inimicissimum.

CAPUT VIII.

De Corticis Præparatione, atque Exhibitione.

COrticis Electio. Cortex Officinarum sæpissimè adulterinus, vel saltem magna ex parte effœtus est. Corticis genuina Criteria. Modus præparandi Corticem. Modus & Methodus eum præscribendi. Cortex in quocunque alio Liquore æquè ac in Vino Albo ministretur. Dosis est incerta, pro conditione Corticis plus minus genuini ac vegeti, à ℥ii. ad ℥i. ii. iii. Tota Dosis non simul una vice, verùm potiùs partitis vicibus, scilicet ℥i. tertia vel quarta quaque hora exhibenda est, In intervallis Paroxysmorum præsertim ministrandus est. An Cathartica usurpanda sint ante usum *Corticis*. An *Cortex* sit in Lecto sumendus, & cum Regimine? Febre à Cortice fugata, non tantum a solenni quacunque Evacuatione, saltem per spatium Lunæ unius abstinere necesse est, quin & Prophylaxeos gratia, ejusdem repetitionem post intervallum octo vel decem dierum imperare. Fasciculus Canonum de Corticis usu. Formulæ Corticis præscribendi elegantiores Forma *Haustus*, *Boli*, *Julapii* cum Bolis propinandi, *Electuarii*, *Pilularum*, *Tincturæ*, seu *Apozematis*. Quomodo Cortex exhibendus sit in Diarrhœa. Pilulæ in Diarrhœa. Quomodo in infarctione Pulmonum. Formula Linctus, Apozematis Pectoralis, Pilularum, & Apozematis cum Pilulis ministrandi.

CAPUT IX.

De Proteiformi Febris intermittentis genio.

SYmptomata à Fermento Febrium Intermittentium suborta nonnunquam adeò vehementia observantur, ut inde Vita Ægri in præsens discrimen adducatur, & Typus Febris in variis suis Stadiis penitus abscondatur sub larva Algoris Funesti, Vomitionis indesinentis, Diarrhœæ Torminosæ, *&c.* Exempla proferuntur. Mors subitanea à gradu Veneni Febrilis intenso, quo Spiritus oppressi à primo insultu nunquam sese expandere potuerunt. Historia Domini *Amblar*. Altera ejusmodi. Febris Intermittens Vomitionem simulans. Historia Dominæ *BaKer* Febris Intermittens Diarrhœam Torminosam simulans. Tandem in Ophthalmiam mutata Historia Dominæ *Harcourt*, & Dominæ *Hudson*. Febris intermittens Diarrhœam, & Phthisin simulans. Historia Dominæ *PeoK*. Febris Intermittens Choleram Morbum simulans. Historia Domini *Atwood*. & Dominæ *Arris*; Tertia ejusmodi. Febris Intermittens in Continuam cum Syncope, Ægritudine, Sudore Colliquativo, *&c.* sociatam; idque sine Exacerbationibus, & Remissionibus degenerans. Historia Dominæ *Fendall*. & Dominæ *Tompson*. Febris Intermittens Typum spasmi Universalis primùm induens. Historia juvenis habitantis in vico dicto *Covv-Croff*. Febris intermittens Spasmum Diaphragmatis, & Partium Respirationi inservientium simulans. Historia *Dom. Ernley*. D. D. *Grear*, atq; duorum aliorum. Febris Intermittens in Infante Convulsiones simulans. Historia Filiæ Domini *Sayers*, Filiolæ Dom. *Melvin*. & Filii Domini *Gouge*. Tertiana Colicam Ventriculi simulans in Ophthalmiam degene-

generans. Historia Dominæ *Kirch*. Febris Intermittens Colicam Intestinorum Periodicam simulans. Historia Dominæ *Vvilson*. Febris Intermittens sub initium Colicam horrendam simulans, demùm in Malignam mutata. Historia Domini *Johnson*. Febris Intermittens cum Spasmis Lumborum, & Abdominis, Dolores Partus simulans. Historia Dominæ *Gamble*. Febris Intermittens sub larva Doloris punctorii Lateralis (reapse Rheumatici) diu latitans. Historia Dominæ *Hamm*. Febris Intermittens primo insultu Peripneumoniam Acutissimam simulans. Historia *Fabri Lignarii* in *Cursiters Alley*, Febris Intermittens Rheumatismum ferè Universalem simulans. Historia *Tinctoris Pannorum* in vico dicto *Vvhitecross street*. Febris Intermittens sub larva Febris Scarlatinæ, ac Choleræ Morbi delitescens. Historia Domini *Dun*. Febris Intermittens sub larva Febris Scarlatinæ, & Vomitionis diu latitans. Historia Dom. *Langley*. Febris intermittens Apoplexiam simulans. Historia Filii Reverendi admodùm *Episcopi Glocestrensis*; Domini *Izatt*. Hemicrania Periodica in meipso Cortice Peruv. curata. Historia Dominæ *Bodington*. Altera ejusmodi. Febris Intermittens cum extremo Dolore Nephritico conjuncta. Historia Dominæ *Fox*. Febris Intermittens Febrifugo nostro curata, cùm Vires Corticis deficerent. Historia Dominæ *Royston*. Febris Intermittens Specifico nostro curata, ubi Cortex ab Ægri Idiosyncrasia irritus reddebatur, Historia Filioli Domini *Barnard*.

EXERCITAT. II.

De Febribus Continuis, præsertim Remittentibus, Συνεχέσιν sive Continentibus.

CAPUT I.

De Febribus Continuis in genere.

FErmenta Febrilia, in quantum Specie Febrium discriminant, à se invicem gradu tantum modò differunt. Quoties Spiritus robore nativo pollentes & miti Veneno obsessi Victoriam spatio 24 horarum reportare valeant, ut ut posthac statis Periodis fomes Venenatus recrudescat, Febris inde formatur verè Intermittens. A proximo Veneni gradu cum Spiritus quadantenus fracti, licet perciti, & irritati, toto suo nisu & conamine Hostem, unius vel alterius diei spatio, excutere nequeant: Hinc formatur Febris *Synechis*. A gradu verò Veneni adhuc intensiori, ubi Spirituum Expansio non tantùm valde deficiat, verùm etiam cum multo nisu, & labore ad metam Elasticitatis, quam assequitur, pertingat, Spiritus inde excandescentes in Statum Explosivum adiguntur, varios Dolores in Universo Systemate vel parte aliqua Singulari excitantes, & enormes Vomitus, Secessus vel utrosque per Partes Glanduloſas efficientes; Febris hinc orta *Inflammatoria*, vel *Colliquativa* seu *Glandulosa* audit; Pro diversa Symptomatum conjunctorum ratione Typum simulans *Rheumatismi* Universalis, vel Particularis, *Pleuritidis*, *Peripneumoniæ*, *Erysipelatis*, *Anginæ*, *Ophthalmiæ*, *Febris Scarlatinæ*, *Variolosæ*, *Morbillosæ*, *Diarrhœæ*, *Dysenteriæ*, *Choleræ Morbi*, *Colicæ* Ventriculi, Vel Intestinorum, *&c.* Ex Periodica Exacerbatione, & Remissione horum Symptomatum clariùs quam à Calore Febrili aucto vel diminuto Genius harum *Synecheon* dignoscitur. A gradu Veneni intensissimo suboritur Febris *Synochos* quæ semper plus minùs Maligna est, quippe Spiritus primo ictu Mortificati Luctæ instituendæ impares redduntur. Febres Benignæ mutantur in Malignas.

gnas & vice versa. Febres ipsæ Pestilentiales in Principio ut plurimum sunt Continentes seu Benignæ. Ubi Venenum Spiritibus implicitum iis debilius sit, suboritur febris *Synechis*, ubi æquale vel fortius *Synechos* plus minùs Maligna, unum tenorem servans. Febris *Synechis* simplex non est fatalis. Quoties autem funesta evadit, à gradu Veneni aucto, Typum suum mutando, in Malignam transit. *Synechis* autem Spuria, ob funestum aliquod Symptoma à nisu & Lucta Spiritum suborturn, haud rarò Ægrum interimit. Febris *Synechos* semper alicujus Malignitatis particeps est atque antequam sanetur, Typum suum mutat, & fit *Synechis*, vel Benigna. Pro hac ratione præsertim Prognosticon salutare, vel funestum habendum est: Quin & Methodus Curationis, durante Cursu unius ejusdemque febris jure merito varianda. Vires *Corticis Peruv.* in quacunque *Synechei* æque certò, ac citò efficaces in Intermittente curanda. *Synechis*, Spuria; quæ Speciem exhibet Inflammatoriæ vel Colliquativæ febris, ut ut in sese sit salutaris, utpote viribus Cor ticis victricibus cessura; Propter Symptomata tamen vehementia, à nisu & lucta Spirituum difficili orta, Lethalis sæpius evadit, atque multas alias Indicationes præter subactionem Venenati Fermenti ministrat, quibus Medicum primo loco satisfacere oportet. Febris *Synechos* unam tantùm generalem Indicationem suppeditat, scilicet ut Expansione Spirituum promota, Æger semi mortuus ab Orci faucibus liberetur. Medici interest ante omnia, Febrem curandam certis Citeriis posse dignoscere, num scilicet Benigna, Maligna vel Mixta sit, & varias Metamorphoses, quas eadem Febris subit, animadvertere.

CAPUT II.

De Febribus Continuis Remittentibus, ab antiquis Synechesi *dictis, iisque tam Spuriis, quàm Simplicibus, earumque Natura, Causa, Continente, & Typo vario.*

FEbris *Synecheos* descripto. Est Simplex & Pura, vel spuria, seu Mixta, vehementi quippe aliquo Symptomate stipata. Quomodo *Synechis* Simplex ab Intermittente discriminatur proprio suo Typo. Typus *Synecheos* Simplicis. Quare Algor, Rigor, *&c.* non singulas, Exacerbatione Febris Remmitentis æquè ac Intermittentis comitentur.

CAPUT III.

De Febris Continentis Signis Diagnosticis.

Synecheos Simplicis Criteria Diagnostica à quatuor fontib. potissimum petenda. Primò, A manifesta Symptomatum exacerbatione & Remissione, singulis vel alternis diebus periodicè revertente. Secundo, A Pulsu qui, Saltem durante Paroxysmo, Magnus, Celer, Fortis, atque unum tenorem servans. Tertio, Ab Urina; quæ post primum insultum, rubedine multa tinguntur, contentis copiosis saturatur, vel hypostasin laudabilem deponit. Quartò, A sudoribus Periodicis, quibus sub finem cujuscunque Paroxysmi, Æger perfunditur, Signa Diagnostica *Synecheos* Spuriæ. Propter vehemenria Symptomata conjuncta Typus hujusce Febris multum obscuratur. Calor Febrilis uno tenore pergit, remissus & mitis. Externa nonnunquam algent, Pulsus fit Debilis & Celer Urina (durante Paroxysmo) tenuis, & copiosa; Periodicæ Exacerbationes, & remissiones sæpius exulant, vel saltem incertò, atque frequenter in eodem die recurrunt. Methodus Curationis Symptomata vehementiora adjuncta, æquè ac ipsum Morbum respicere debet Signa Diagnostica potiùs à Symptomatis vehementioribus adiunctis,

ctis, quam à Typo Morbi, qui jam obscuratur, petenda sunt. Si Symptomata ejusmodi, fuerint quæ robur Spirituum, ut ut jam ex parte obrutorum, aut saltem eorum forte conamen arguant, si cum Magna Violentia invadentia, febrem Inflammatoriam, vel Colliquativam denuncient præsertim si hæc Symptomata observantur post Periodos certas recurrere, atque, saltem durante Remissione, Urina & pulsus sese habeant ut in Febre *Synechei* genuina, admodum verisimile est hancce, qualiscunque sit ejus Typus, esse de genere *Synecheon*. Efflorescentia quasi Erisipelatosa circa Nares, Labia, vel aliam quamvis partem quasi signum Pathognomonicum Febrem *Synechis* indicat.

CAPUT VI.

De Febris Continentis Causa evidenti.

CAusa Procatarctica huius Febris est Atmosphæra. Inde ferè ubique Endemia est Aere Palustri, Maritimo, vel Arboribus plurimum obsito: Atq; quovis ferè loco, Epidemia, tempestate Autumnali.

CAPUT V.

De Febris Continentis Signis Prognosticis.

1. FEbris *Synechis* Simplex, qua talis, & quàndiu talis, rarò admodum, si unquam, est funesta 2. Simplex *Synechis* priusquam Exitialis evadat, Typum, ac genium suum mutat, & transit in *Synochon* Malignam. 3. Febris hæc Benigna, prope statum Morbi, in malignam facillimè transit 4. Ex temeraria, & incauta symptomatum *Synechi* Spuriam comitantium sublevatione, hæcce Febris, momento quasi, malignam speciem induit 5. Quo plura Malignitatis indicia cum hac Febre conjunguntur; eò periculosior est, & eventus eius incertior, & vice versa 6. Spirituum Robur ex pulsu ante omnia certissimè explorandum est 7. *Synechis* Spuria; sive mixta, ut ut in sese minùs funesta sit, ratione tamen Symptomatum adiunctorum, Ægrotantes haud rarò è vivis tollit. 8. Quo plura, vehementiora & curatu difficiliora sint hæc Symptomata, eò magis funesta (ex accidenti licet) ritè habenda est ipsa Febris 9. Febris primo instanti *Synechos* & Maligna (si salutaris Crisis contingat) illico mutatur in *Synechi* & bonum Prognosticon suggerit. 10. *Synechis* nonnunquam post Statum morbi in Intermittentem transire solet; Febris autem huiusmodi Intermittens præ cæteris curatu difficilis, & ad Recidivationem proclivis est 11. Judicatio Febris *Synecheos* ut ut mitis, ac benignæ viribus Naturæ solummodo facta, admodum longa, ac incerta est *Cortex* autem certius, atq; citius, sine dierum Criticorum Expectatione, victoriam reportare solet, 12. Quo Exacerbationes; & Remissiones diei hora magis certa redeunt, & quo Remissionis magis sunt protensæ eò melius, & vice versa. 13 *Synechis* Simplex viribus Corticis æquè certò cedit, ac ipsa Intermittens. 14. Efficacia *Corticis* Febrifuga in *Synechei* Spuria debellanda est propemodum æque certa, ac in simplici (modo ritè ministretur, respectu ad Symptomata Vehementia habito) non autem adeo cita est. 15. *Synechis* Simplex vel spuria solius Naturæ ope sanata rarissimè recidivam habet, Cortice autem, vel alia quavis Antidoto subacta non rarius quam ipsa Intermittens recrudescit, semper tamen sub specie Intermittentis 16. Hoc non obstante, ob varias rationes hic modus curandi priori præferendus 17. *Synechis Cortice* curata rarò admodum cum evidenti aliqua Crisi terminatur, 18. Evacuationes in *Synechis* à Natura institutæ ferè semper sunt infidæ, atque ut plurimùm Symptomaticæ. Evacuatio Critica, & salutifera fit solummodo per Sudores.

dores, vel Salivationem. Prior est magis cita, & Acuta; altera verò æquè certa, licet tarda, & molesta. 19. *Synochis* Simplex (ubi Curatio vi Expansiva Spirituum solummodò perficitur) sæpenumero longa est, & Crisis nonnunquam tarda, & molesta; Spuria verò ob Naturæ impensas, & Symptomata vehementiora adjuncta, plus minus Acuta est. 20. Crisis Febris *Synecheos* (ubi Materia colliquata per plures Portas eliminantur) tardiùs procedit, quam ubi unica via extruditur. Febris *Synecheos* ubi solis Naturæ viribus Curatio perficitur, post Statum Morbi mutata in *Synochi*, ut plurimùm sub secundi Paroxysmi finem, Criticis Sodoribus perfectè terminatur; Indeque dies iste Indicatorius habetur, quo prima Remissio contingit, & Criticus in quo secunda, Febris *Synochi* speciem referens. in primo Morbi limine, facillimè in *Synochi* mutari potest. 23. Durante Morbi augmento, præsertim prope Statum, pessimum signum est si Urina sensim in tenuem & pallidam mutetur, si Pulsus magis, celer, debilis ac vacillans evadant, multò magis si subsultus Tendinum, Loquacitas, Insomnia terribilia, & Phantasmata inusitata accedant: E contra Pulsus Fortis, & constans, Urina Rubedine multùm tincta; & contentis saturata, multò magis quæ Hypostasin Laudabilem deponit, ubi Morbus ad Statum pervenerit, optimum præsagium exhibet, ut ut reliqua Symptomata contrarium Prognosticon denunciate videantur. 24. Omnis Epidemia Febris, Autumnalis, & Castrensis, quando primùm invadit, ut plurimùm *Synochis*, Simplex scilicet vel Spuria.

CAPUT VI.

De Febris Continentis Indicationibus Curativis.

IN genere unicè indicatur Deletio Fermenti Venenati, quod Naturam ad certamen irritat, atque provocat. Hoc enim sublato, Lucta Febrilis sponte cessat, *&c.* Ubi Spiritus Veneno graviori lacessiti à nisu suo immodico in Explosionem adiguntur, aut Humores inde Colliquati à Glandulis immodicè excernuntur, vel denique ubi Febris à nimia Spirituum depressione in Malignam transit; plures, eæque admodum diversæ Indicationes subministrantur, quæ mox in Methodo Curationis explicandæ veniunt. Deletur Venenatum Fermentum vel à Naturali Spirituum Expansione, vel *Cortice Peruviano*, aut altera (si qua sit) Antidoto incunctanter exhibita. Prior Methodus magis incerta est. Medicus in hac duntaxat Naturæ ancillatur. Medicum hac methodo utentem oportet esse cautum admodum, atque sagacem, nihilque temerè aut officiosè moliri, neque unam semper viam in Febribus sanandis pertinaciter calcare. Adhibita tamen summa diligentia, fallax admodum est & lubrica hæc Rationalis Febres curandi Methodus, Ut ut verò hæc se habeant, proponitur ejusmodi Methodus juxta nostram Hypothesin delineata, qua Medicus institutus, nusquam in toto Morbi curriculo, Empirici partes sustinere cogatur, vel dubitanter Artem suam exerceret.

CAPUT VII.

De Methodo Curandi Febrem Continentem Rationali.

STadia Varia hujus Morbi, atque Symptomatum inde succrescentium diversa Indoles Augmentum hujusce Febris juxta ipsius Naturæ leges. Hoc Stadium Natura non uno, eodemque temporis spatio perficit. Status Morbi. Quare in hoc Morbi Stadio Lassitudo Ulcerosa, Cæphalalgia, cæterique Dolores, sive fixi, sive versatiles, Lege Naturæ, jam sensim declinare incipiant, qualiscunque futurus sit

eventus. Hoc Stadium, ſpatio temporis determinato, quaſi Cancellis, circumſcribere haud fas eſt: Verùm pro ratione Spirituum plus minus vigentium atq; Veneni primarii magis, minuſve Deleterii, citiùs, vel ſeriùs finitur. Ubi parile eſt Virium & Veneni robur; Status Morbi diutius protrahitur, atque etiam Criſis, quæ eſt æque tarda, ac infida. Lympha Colliquata in hac Criſi non per unam Portam confertim protruditur, verùm, pro diverſo Febrilis Fermenti genio, nunc per hanc, nunc illam, nunc per plures, ſimul, vel ſaltem ſucceſſivè. Ætiologia Salivationis, Aphtharum, & Singultus, hoc Morbi Stadium Comitantium. Declinatio Febris in hac Criſi Morbi tarda evidens. Symptomata Febrem *Synochis* in Malignam & Funeſtam mutatam comitantia. Errores Practicorum in Febris Continentis Curatione. Regimen in Curatione harum Febrium juſtum ac debitum Alimentum. Remedia Pharmaceutica. In Alvi Adſtrictione. In Fluxu Alvi Symptomatico. In Vomitione. In Dolore Capitis, Artuum & Lumborum inſolito. In Statu Spirituum Exploſivo. In Incendio inſolito. Ubi *Synechis* incipit degenerare in *Synochon*. Uſus Alcalium. Uſus Veſicatoriorum. Uſus Suppedaneorum. Uſus Alexipharmacorum. Opiatorum uſus. Catharticorum uſus ſub finem *Synecheos*. Eorum formulæ.

CAPUT VIII.

Methodus Exhibendi Corticem in Curatione Febris Continentis.

SImplex *Synechis*, quamdiu talis, nil præter Antidotum, forma Ægrotanti gratiſſima, exhibendum exigit, idque partitis vicibus, & durante Remiſſione. Quid agendum ubi *Synechis* primum incipit in Continuam vergere. Quid in Vomitione externa, vel inſolita. In Fluxu Alvi. In Fluxu Alvi cum Vomitione conjuncto. In Statu Sanguinis Inflammatorio. In Statu Spirituum verè Exploſivo. Ubi *Synechis* in *Synochon* verè jam tranſit.

CAPUT X.

De Proteiformi Febris Continentis Genio.

FEbris Remittens ſub larva Vomitionis, & Nauſeæ diu latitans. Hiſtoria Dominæ *Blackerby* Febris Remittens Diarrhœam Torminoſam in puerpera ſimulans. Hiſtoriæ *Puerperæ* Febris Remittens Diarrhœam Torminoſam Periodicam ſimulans. Hiſtoria Dominæ *Brent*. *Synechis* Choleram Morbum ſimulans cum Spaſmis Thoracis, & Abdominis. Hiſtoria ſervi Domini *Hall*. *Synechis* ſub larva Lienteriæ; Colicæ, Vomitionis diu latitans. Hiſtoria Dominæ *Maſchall*. *Synechis* Colicam ſimulans in Puerpera. Hiſtoria Dominæ *Thornburg*. *Synechis* Vomitionem immanem. Spaſmos Thoracis, ac Abdominis, & Strangulationem ſimulans. Hiſtoria Filiæ Domini *Thatcher*. *Synechis* Pleuritidem ſimulans. Hiſtoria Domini *Stradvvich*. Febris Remittens ſub larva Doloris Lateralis (reapſe Rheumatici) diu latitans. Hiſtoria Domini *Gumley*. *Synechis* Rheumatica in Malignam demùm mutata. Hiſtoria Dominæ *Patchin*. *Synechis*, Spuria Rheumatica. Hiſtoria Domini *Guttur*. Hiſtoria Domini *Glaſcoch*: Hiſtoria Domini *Kemp*. *Synechis in Synochon* mutata. Hiſtoria Domini *Shachell*. Hiſtoria Dominæ *Lechmere*.

APPEN-

APPENDIX.

FEbris, *Synechis*, Simplex vel Spuria frequentissima, & inter cæteras Febres maximè Vulgaris. Febris hæcce, Mensibus Autumnalibus, ubique per Angliam ab anno 1658. ad annum 1664. Epidemia, Ejus Historia compendiaria. *Pestis* Epidemia anno 1665. & 1666. Ejus Historia Compendiaria Sæviente hac Peste non penitus defecerunt Vestigia nonnulla Febris *Synechcos*. *Diarrhœa*, & *Dysenteria* Torminosa Mensibus Autumnalibus Londini grassata ab anno 1666. ad annum 1672. Ejus Historia. Fluxus & Tormina Symptomatum duntaxat rationem habuerunt, Morbus ipse Febris erat *Synechis* Spuria, à Fermento genii *Cathartici* Venenato oriunda. Fæliciſſima ejus Curatio ex usu *Cortic. Peruv* cum Laudano commixti. *Morbilli* Epidemii anno 1672. Mensibus Autumnalibus publicè grassantes hanc Dysentericam Febrem subintrantes, eam penitùs profligarunt. Morbillorum Epidemiorum Historia compendiaria. Quantum *Synechcos* Febris genium hic Morbus induebat; atque usus Corticis efficax in ejus Curatione. *Synechis* Simplex unoquoque Autumno, ab anno 1673. ad præsentem annum 1692. plus minùs Epidemia.

Ad Clarissimum Sagacissimumque Virum Dominum Richardum Mortonum, *M. D. Coll. Med.* Lond. *Socium, & ex Censoribus unum, in* Πυρετολογίαν *suam accuratissimam.*

MOrborum jam sæva Cohors invaserat Orbem,
Inque acie prima *Febris* anhela stetit.
Insanas dederat strages: Plaudebat Avernus,
Dum caderet Stygio Victima grata Deo.
Ingemit his Visis *Mortonus*, & Impiger Hosti
Occurrens, Undas Ignibus oppositit:
Nempe *Apollineas* Herbas, & Pharmaca Phœbi,
Niliacos succos, *Peruviæque* librum.
Terga dedit *Febris* Victa, occultamque parabat
Instaurare Aciem, Remque agere insidiis.
Nec tamen hic latuit *Mortonum*: Providus Arma
Corripit, & Galea se Clypeoque tegit.
Interea Scriptis Morborum Tactica pandit,
Telaque, queis Febris bella movere solet.
(Seu magè *Continuos* gestit jaculariter *Ignes*,
Seu malit *Faucibus Frigora* mixta suis.
Seu *larvata* Lues Artus proserpat in omnes.
Extaque, quæ variis scit cruciare modis.)
Quoque Veneno Urbes populetur lurida *Pestis*
Detegit, & *Virus* narrat, & *Antidotos*,
Macte tuis Scriptis. Vos, *Parcæ*, parcite Vitæ.
Parcite dum scribit, perdite cùm renuit.
Ille tamen *Fati* bene gnarus scribat in Ævum,
Et Morbos pandat jam *Chronicus Chronicos*.

Ita Vovet Johannes Bateman, M. D. C.
Mert. Soc. Collegæ, & Co-Censor.

Viro Cl. Domino Doctori MORTON, *in ejus* Puretologiam.

DUm circumvolitans Medicinæ culta, prioris,
Sicut Apes, libas, Ævi Monumenta, legisque
In proprios usus quæ præsens protulit Ætas,
Qui relegunt Tua Scripta, Negotia cætera credunt
Intermissa Tibi; Qui Tanta Negotia cernunt,
Semineceſque Tuos, quos Arte reducis ab Orco,
Mirantur Tibi quæ scribendi suppetat hora,

Amato tenues qui res scrutantur ocello,
Ancipites quærunt, quo Mens Tua Numine plena,
Ignorata diu promit Miracula rerum;
Agnoscit vanæ Chymicus Mendacia flammæ,
Nec totam ulterius Medicinam quærit in igne.

India, quæ Gemmas dederat, fulvumque Metallum
Luxuriæ fomenta & Mortis semina fœta.
In Morbos Mortemque eadem tulit utile Lignum,
Quod penè incassum nostras transmisit in oras:
Nam tractata Manu indocta sordesceret Arbor,
Ni vires, dandique Modos, & Tempora certa
Librares Trutina: Quærenti talia Turbæ
Non incerta Tui reddunt responsa Labores,
Nam Daphnem olim non sic dilexit Apollo,
Ut Tua Te speciosa magis nunc diligit Arbor.

Ante rogum veri liceat modò visere Fontem.
Sique fidem hypothesis non omnis imagine falsa
Laudat; vera Tua est; decorat quàm Lucidus Ordo,
Artis quam præcepta regunt, ususque magister,
Quamque nec Ætatis Dens invidus atteret unquam,
Sed stabilis series fugientium longa Dierum.
Jam Phthisis elapso grassata est parciùs Anno,
Victa tuis Armis, & præsens temperant Annus:
Febrilis Æstus, Quid non fœcunda datura est
Annorum series? Nunc en Strumæque Lepræque
Atque Maligna Cohors, quam Sydus mittit iniquum,
Vertere terga parat. Sic cum Gulielmus Hibernos
Prima acie fudit, venturi conscia Fati
Turba, intacta retro cessit, non Oppida lapsos:
Non Galli tenuere, animosve dedere paludes.

* Det Veniam Coi Venerabili umbra magistri,
Dum sic arte nova producas Stamina vitæ,
Dum facias Artem succinctam, & signa tuorum
Pressa Pedum calcantem haud Experientia fallat.

Th. Sutton, M. B. è C. C. C. *Oxon.*

* Ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρή, &c. Hippocrat. Aphorism. prim.

RICHARDI MORTON M. D.

Et Regii Collegii Medicor. Lond. Socii,

TRACTATUS

DE

MORBIS UNIVERSALIBUS ACUTIS.

Apparatus Curationis Morborum Universalium.

Medicina est ars medendi, sive sanandi corpora humana invaletudine aliqua affecta, ejusmodi sc. remediorum usu, quorum necessitas ab uniuscujusq; morbi causis atque symptomatis indicatur.

(*a*) Est igitur generale hujus artis subjectum *Corpus Humanum*; speciale autem *Ægrotatio*, sive morbosa ejus affectio; Instrumenta sunt *Medicamenta* tam simplicia quàm arte aliqua composita. Ex quibus liquidò constare potest, oportere Medicum ad curationem morborum rite peragendam instructum esse Universi *Corporis humani* ratione generali, omniumqne ejus partium situm, fabricam atque usum callere, nec non perspectas habere omnium morborum causas & symptomata, Medicamentorumque tam simplicium quàm arte aliqua paratorum virtutes tenere.

(*b*) Constat igitur universus artis medicæ *apparatus* ex istis fere partibus, primò *Anatomia*, quæ singularum humani corporis partium in statu naturæ sano situm, figuram, atque usum αὐτοψίᾳ ipsi ostendit; secundariò *Pathologia* atq; *Ætiologia*, quę in statu naturæ morboso omnium morborum discrimen, causas atque symptomata tradunt; tertiò *Physiologia*, Scientia Simplicium Medicamentorum à natura nobis suppeditatorum, quæ naturales singulorum vires atq; virtute ad medendi artem spectantes edocet; quartò *Pharmaceutica tam Chymica quam Galenica*,

(a) *Definitio Medicinæ*, (b) *Medicinæ Apparatus.*

nica, ut ex justa ac dedita Simplicium Medicamentorum Commixtione, Composita ad compensandum simplicium defectum aptè conficiantur.

Lubet igitur licet strictim in omnes istos titulos commentarios nostros subnectere. *Anatomiam* tamen, *Pathologiam*, atque inde natam morborum *Atiologiam* de industria conjungimus atque una eademq; Opera pertractamus, eò quòd *Contraria juxta se posita magis eluceſcunt*, & quòd *Rectum index sit sui & obliqui*. *Pathologia* enim atque *Atiologia*, sive vera causarum atque Symptomatum descriptio ex *Anatomiâ*, seu defunctorum cadaverum inspectione maximè petendæ sunt [a]Siquidem ejus ope, status naturæ tàm sanus quàm morbosus, morborùmque causæ & effectus, atque horum rursus qualitates atq; gradus facillimè in conspectum veniunt. Conclusiones aliis fundamentis innixæ mihi videntur nugæ, & vana hariolantium insomnia, quandoquidem *Indicationes Curativæ* vera & certa morborum *Atiologia* solummodo desumendæ sunt, atque *Atiologia* istiusmodi certa ac demonstrativa ab *Anatomia* sola sit expectanda; Tantum momenti habet in apparatu Jatrices causas morborum ex Anatomia cognitas habere. Philosophus quidem minutissima quævis naturæ mysteria, speculandi gratia, cultro Anatomico subjicit, Medicus verò disquisitione Anatomica, veras morborum causas investigat, ut paratior accedat atque instructior ad easdem ope remediorum eradicandas. Ideoque impræsentarium, Originem tantum, Nexumque partium humani Corporis perquiremus, ut inde veras *Morborum Universalium* causas ante omnium oculos ponamus; Cùm verò ad morbos partium filo sermoni deducamur, Viscera varia venient exactius perpendenda, una cum eorum singulorum situ, textura & usu, cæterisque omnibus, quę ad causas morborum particularium eruendas, & clarius explicandas conferre possint. Prima Fœtus origo, uti mihi observatione constat, *Cerebrum* est, proximum huic *Cor*, seu punctum saliens. Indeque cerebrum fœtus seu Embryonis proportione cæteras partes semper superat; Ex hoc stamina totius corporis sensim & seriatim producuntur. Quod autem ad texturam cerebri peculiarem attinet, sic se habet: Corpus est spongiosum, glandulæ ad instar, conflatum extenuissimis fibrillis circumvolutim complicatis. Medulla oblongata & spinalis eodem modo formatæ sunt. Fibrillæ tam Cerebri, quàm medullæ spinalis in nervos compinguntur, qui sive intra Cranium à Cerebro & Cerebello, sive extra cranium à medulla spinali oriantur, Canalium instar, Spiritus animales per totum corpus placidè deducentes, sensum motumque corpori impertiunt, cæterisque muneribus ad vitam necessariis funguntur (b) Eadem Cerebri & Cerebelli propagines ulteriùs continuatæ in membranas, vasa sanguifera, viscera, & musculos concinnè expanduntur, iterum constrictæ in forma tendinum & Cartilaginum colliguntur, immo ulterius compactæ in ipsa Ossa indurescunt. A cerebro igitur, tanquam fonte quodam, tota compages corporis omniumque ejus viscerum, & vasorum, ortum habet, à spiritu, instar fulguris, è cerebro perpetuò derivato, animata, ad usus proprios & destinatos apta evadit. Quin etiam in statu præternaturali, Spiritus Animalis, non secus ac massa Sanguinis, fermento peregrino inquinatus, morbosum characterem recipit. Ex quo non tantùm morbi cephalici, uti *Apoplexia*, *Vertigo*, *Lethargus*, *Coma*, *Epilepsia*, *Convulsio*, *Mania*, *Melancholia primaria*, &c. verum etiam *Incubus*, *Hysterica* passiones, affectiones *Hypochondriacæ*, *Paralysis*, cæterisque morbis generis nervosi, immò & *Febres* cujuscunque generis, *Variolæ*, Morbilli, *Scorbutus*, *Chlorosis*, & generaliter loquendo, omnes morbi sive Acuti sive Chronici generantur, præter eos qui evidenter à mala diathesi alicujus visceris vel partis specialis oriuntur. Indeque *Atiologia* omnium Morborum *Univer-*

(a) *Anatomię necessitas*. (b) *Origo membranarum, Tendinum, Ossium à Cerebro*.

versalium, qui totum corpus primario afficiunt, æquè ac Cephalicorum, & nervosorum propriè sic dictorum, ab hinc ritè petenda est. Et quidem juxta hanc hypothesin, horum morborum *Pathologia* certior & rationi longe congruentior concinnari potest, quàm ex doctrina Humorum à Priscis tradita. Forsan etiam *Indicationes curativæ*, quę adhuc desiderantur, ad hos morbos *Universales* magis aptæ, Medicorum expertorum sagacitate & industria, in magnum ægrotantium solatium, exinde excogitari possunt. Licet non inficiet *Indicationes* communes à vitiato statu sanguinis, & humorum desumptas, suos usus habere. Nam sicut à morboso Spirituum statu, tanquam à præternaturali fermento, illicò massa Sanguinis morbo afficitur, ita etiam æger spirituum status ut plurimùm, à vitiata crasi sanguinis (qui quidem eorum pabulum & fomes est) dependet.

(a) Quo verò hypotheseos nostræ de morborum *Universalium* origine veritas illustretur, priusquam ad specialem *Atiologiam* & *Pathologiam* descendamus, ut quædam generalia nobis concedantur, postulamus, quæ tamen, pro viribus, & quantum rei natura patitur, demonstratione evidenter probare conabimur. De Morbis partium postea suo loco dicendum est.

Postulata sunt quæ sequuntur, nempe; Dari revera spiritus animales, eosque in singulis fibrillis totius machinę hospitari, à cerebro & medulla spinali promanare; Eorum canales esse nervos, promptuarium verò Cerebrum & medullam antedictam; Spiritus esse τὸ ἐνεργητικὸν, seu primum principium activum totius Machinæ; Atque eorum unionem cum sanguine esse intimam; Eorum œconomiam sæpissimè perverti, Crasin sãguinis ab eorum morbis semper immutari, atque à morbosa spirituum affectione, & inde consequenti eversa sanguinis crasi morbos *Universales*, quotquot sunt, immediatè oriri, mediatè autem etiam morbos partium.

(b) *Quod* autem *revera dentur Spiritus Animales* quantum res patitur, suo modo scil. ab effectu demonstrari facile potest. Demonstrationem à priori rei Natura non permittit, quoniam hi Spiritus omnium fere nostrorum sensuum captum longe superant; Cùmque secundum Philosophorum axioma, *Nihil possit esse in Intellectu quod non priùs fuit in sensu*, nec ratio ipsius naturæ atque substantiæ horum spirituum (qui quia sensus omnes præter Tactum effugiunt, ideo metaphoricè tantum describi possunt & solent) à nobis requiri potest, nec alia aliqua demonstratio illorum existentiæ, nisi quæ à posteriori & ab eorum effectibus, qui tàm in statu naturæ integro, quàm in morboso sensui patent. Hoc modo existentia Spiritus animalis atque Animæ ipsius æqualiter demonstrari potest, adeò ut utriusque existentia pari ratione vel agnoscenda vel neganda sit. Est enim (ut mihi videtur) Spiritus iste immediatum Animæ organon, & vitæ ipsius subjectum, qui ideò mediam quandam naturam inter Corpus & animam participat, ut vinculum sit, quo Anima Corpori uniatur, & totam suam energiam vitalem exerceat. Sicut enim in statu sano, per continuatam horum spirituum irradiationem à cerebro, tota corporis compages ad vitales & animales suas functiones, motum scil. & sensum, ritè & facile exequendas apta redditur, ita in statu morboso propter horum radiorum influxum, sive à strangulatione, sive à compressione spinalis medullæ impeditum, omnes subjectæ partes illicò exsolvuntur, ab irritato verò & explosivo eorum statu tota compages variis hic illic spasmis agitatur & distorquetur, denique ubi à mala diathesi cerebri & principii nervorum hi spiritus à naturali suo statu in stupidum torporem degenerant, ut ut partes adhuc sint animatæ illico inutiles, & sensui atque motui.

(a) *Origo morborum universalium.*
(b) *Existentia Spirituum Animalium.*

rui impares redduntur, uti in *Paralysi* clarè conspicitur. Indeque facillimè concludere licet, præter animam & fistulosam corporis compagem, dari etiam spiritus (cujuscunque naturæ illi sint) minutissimis quibuslvis fibrillis totius hujus organi hospitantes, quorum ope, quamdiu munus suum debitè exequuntur, Anima cum singulis partibus sese communicat, & cùm eos deficere contingit, vel morbo affici, anima ipsa languescit, & brevi, disruptis carceris sui repagulis, aufugiens cadaver deserit. Insuper ex sensu Tactus, qui solus ex sensibus spiritus animales percipit, evidenter constat, non solùm hos spiritus reapse existere, quin etiam naturam verè corpoream participare; Ex constrictione enim diuturna partis cujuscunque dependentis, quivis in sese facile sentit non tantùm intumescentia partis à recursu sanguinis impedito, verùm etiam à præpedito spirituum influxu stuporem nec non debilitatem, & pro tempore, Partis *Paralysin*, imò etiam per aliqua momenta à constrictionis Remissione pūsturam quandam percipit, à renovato scil. spirituum influxu, quæ molesta sensatio eousque durat, donec pars spiritu animali placidè iterum, sensimquè ut antè irrigetur. Quandoquidem autem nihil quod non est revera corporeum, ligatura seu compressione externa; ab influxu solito impediri potest, nulliusque rei nisi corporeæ motus à sensu quocunque percipitur, demonstrativè concludere licet non tantum dari reipsa spiritus animales verùm etiam illos suo modo esse corporeos, ut ut omnes sensus nostros, præter Tactum solum, ob tenuitatem suam fugiant. Spiritus igitur tollendi omnino non sunt, quia præcisè definiri nequeunt. Siquid tamen conjectura judicare licet, qui Fulguris aerem irradiantis, vel Auræ animalis ideam iis affingat, non multùm forsan à scopo aberrabit; Saltem hoc modo varia sanitatis & invaletudinis Phænomena promptè explicabit, Corporei sunt & maximè fluidi, tactu judice; quòd etiam subtilissimi sint, necesse est, cùm per fibrillas cerebri, omnium partium, ut mihi videtur, subtilissimas & tenuissimas transeant, & ex iisdem eliciantur, atque inde, communi consensu, spirituum nomine indigitantur, quia præ minutia sensibus percipi nequeunt. Porrò, ob vim Elasticam seu explosivam, qua pollent, aeream plane naturam referre videntur, & maxima ex parte intra cerebri officinam confici ex aeris particulis singulis momentis cum sanguine, mediante pulmone, in hunc finem mistis, quo nomine, forsan sine ἀκυρολογίᾳ, hos spiritus Auram animalem seu Aerem exaltatum nominare soleo.

(a) *In singulis autem fibrillis hos spiritus hospitari* status coporis tam sanus; quàm valetudinarius indicat, quandoquidem minutissima quæque fibrilla ab iis animetur & sensu gaudeat, contusionem, sectionem vel aliam quamvis continui solutionem sine tristi & molesta sensatione sustinere non potest. Præterea fibræ, modo adsit diathesis spirituum explosiva, vellicantur & spasmis torquentur, in diathesi narcotica sensus expertes manent.

(b) *Promanare verò hos spiritus à cerebro, uti radios à sole*, in totum Systema corporis influere, inibique perenni novarum copiarum appulsu singulis momentis instaurari quivis in se facile experiri potest. Namque ex vehementi constrictione, partes infra ligaturam sitæ illico sensu privantur; præterea, quoties ex materia morbifica cerebro impacta Tonum ejus everti contingat, vel quoties canales Nervorum inde obstruantur, præ defectu spirituum influorum partes subjectæ illicò paralysi afficiuntur.

Nervos esse Canales Spirituum, (c) ex eorum fabrica, nexu, usu, & ramificatione satis fere sensui patet; Formantur enim instar Canalium, sive partem interiorem & medullarem, sive exteriorem seu tunicam spectemus, ortum etiam suum habent singuli à Cerebro vel.

(a) *Spiritus animales in omnibus fibris hospitantur.* (b) *Cerebro promanant.*
(c) *Nervi sunt Canals Spirituum.*

vel spinali medulla, at neque motui, neque sensui inservire videntur nisi quatenus Spiritus in musculos & cæteras partes motui & sensui dicatas transmittunt; Denique, eodem prorsus modo, quo venæ & Arteriæ, sanguinis & succi nutritii Canales, per totam corporis molem affabrè, & quasi Naturæ consilio in hunc finem ramificantur.

(*a*) *Cerebrum esse Officinam & quasi Cisternam communem Spirituum* ex illius fabrica peculiari patet; namque non sine causa è subtilissimis fibrillis pars ista constat, quæ tantæ functioni à natura destinatur, quæ commune proptuarium est quod toti compagi sensationem suppeditat, quæque levissimæ cujusque impressionis capax esse debet. Porrò magnitudo hujus partis in Embryone cæteras proportione excedens, continuatio & nexus reliquarum partium corporis, quarum stamina à cerebro & medulla spinali propagari videntur, ut etiam subita & universalis sensus privatio in *Apoplexia* aliisque, cerebri morbis, qui influxum seu dispensationem spirituum aut penitus tollunt, aut diminuunt, huic rei fidem faciunt.

(*b*) *Spiritus animales esse* τὸ ἐνεργητικὸν seu primum principium activum & quasi Fermentum universale totius corporis, à quo sanguis & humores variè agitantur & immutantur non dubito. *Hi sunt Helmontii Archæas*, Sanitatis & invaletudinis, vitæ & necis totius machinæ princeps & moderator. Verosimile etiam est *Hippocratem*, magnum illum Medicinæ parentem, idem sensisse, ubi morbi θεῖον inesse asseruit; Verùm, missis istis authoritatibus, certum est, quòd Spiritus, sanitatis tempore, placidè, instar radiorum solis, omnes recessus minimasque fibrillas totius machinæ permeant atque implent, sanguinem intra fibrillas fluentem actuant, crasin ejusdem integram conservant, & irradiatione perpetua vitalem Characterem ei imprimunt. ubi verò morbo tentantur, sanguis ipse, & tota humorum massa conturbatur, nec non fermenta in singulis glandulis hospitantia varias alterationes subeunt.

(*b*) *Vnionem Spirituum Animalium cum sanguine esse intimam* facilè demonstratur ex verissima illa hypothesi quæ supponit totam texturam corporis esse *Vascularem*, ad mentem *Hippocratis* asserentis esse ἐν σώματι ζῶντι πᾶν σωματῶδες καὶ συρφετῶδες. Namque jam ante probavimus spiritus non detineri in claustris nervorum tenuissima licet ramificatorum, sed per minimas fibrillas musculorum & membranarum exspatiari, quo fit ut cum sanguine non possint non commisceri; Eodem enim modo Sanguis non arcto venarum & Arteriarum spatio inclusus irrito fluxu & refluxu Cor perpetuo petit deseritque. Verum ab extremis cujusque Arteriolæ capillaris in Corpus musculorum, membranarum &c. effusus fibrarum tubulos implet, unaquaque cordis Systole novo flumine à tergo pressus, lento motu habitum corporis pervadit more Scaturiginis è terræ visceribus repentis, donec tandem Oscula venarum capillarum subintret & deinde recta via ad Cor iter faciat. Hanc sententiam plurimis argumentis confirmare licet: Primò quia sanguinis tantillum ex minima quavis sectione vel punctura sive musculi sive cutis ubicunque instituta illico efluit. Secundò quia nisi hujusmodi Sanguinis è vasis in habitum corporis effusio concedatur, ratio reddi vix potest, quo modo Succus nutritius partibus alendis apponatur, Et frustra sanguinis intra vasa solummodò fluxum refluxumque natura instituisset, cùm nullis corporis partibus nisi forsan vasis sanguiferis aliquid Emolumenti esset in hac perpetua circulatione sanguinis. Insuper, ubi jam fere ab omnibus conceditur nullam dari Anastomosin Venarum cum Arteriis, impossibile erit absque hac Hypothesi motum sanguinis circularem explicare, qui tamen ab omnibus Medicis defenditur. Denique quid opus verbis? Cùm res tota experimentis plurimis comprobata sensui ipsi in singulis cor-

(*a*) *Cerebrum Spirituum promptuarium.*
(*b*) *Spirituum Energia.* (*c*) *Intima unio Spirituum cum sanguine.*

corporis viſceribus, quæ hujuſmodi experimenti ſunt capacia, manifeſta ſit; Injecto enim lacte, atramento, vel aliquo alio liquore coloris ſaturati per arteriam *Coronariam*, non tantùm vaſa ſanguifera, verùm etiam totum parenchyma cordis illicò albeſcit vel nigreſcit: itidemque liquor per arteriam injectus idem numero iterum per venam redditur. Idem etiam in *Renibus* ab injectione ejuſmodi liquoris per arterias Emulgentes, in *Liene* per Splenicam, in *Hepate* per venam Portæ conſpicitur & dubitari non poteſt, quin idem quod in his viſceribus ſenſu percipitur, in reliquis machinæ partibus circulationis lege fieri debeat.

(a) *Quod Spirituum œconomia perverti poſſit* idque *primariò*, & ſine antecedenti humorum dyſcraſia, plurima exempla probant. Quam frequenter enim in rheda vel navi vehentes, vel fumum *Tabaci* haurientes vomitiones bilioſæ, eæque immanes, Lipothymiæ, Vertigineſque à ſolo irregulari Spirituum motu adoriuntur? Quis autem ab humoribus aut craſi ſanguinis prædiſpoſita hoc evenire aſſeret, qui ſerio perpendit quàm citò inordinatus iſte motus, aeris & loci mutatione compeſcatur, & omnia Symptomata quantumvis dira evaneſcant; *Melancholia* etiam *Hypochondriaca* ut ut varias mutationes in ſanguinem & humores ſæpiſſime inducat, indeque Venæ ſectione, medicamentis *Chalybeatis*, lenibus *Catharticis*, &c. alleviari poſſit, evidenter tamen Cerebrum ipſum, genus nervoſum, & Spiritus in iis hoſpitantes, tanquam immediatum morbi ſubjectum primario afficit, plurimaque Symptomata, cum quibus hic morbus ſociatur, nempe *Jactatio*, *Inquietudo*, *deliria*, *Vigiliæ*, *Intenta Cogitatio*, *Dolores* vagi ſpaſmodici, generi nervoſo omnia non humoribus accepta deferenda ſunt. Quid; quòd plurimos iſtiuſmodi ægrotantes memini, qui obſtinatione quadam contendere ſoliti ſunt Animam ſolùm ſuam ægritudine affici, nec quicquam emoſumenti à medicamentis expectandum eſſe, cum pertinacia affirmantes non niſi rationibus & Colloquiis Philoſophicis curationem tentari oportere. At conſilia ſine medicamentis nullius momenti eſſe experientia compertum habemus: Nam, recrudeſcente paroxyſmo cùm novæ tenebræ offunduntur, delirium illico, conſilio non obſtante, revertitur, unde liquet non Animam, ſed Spiritus animales, quorum ope Anima corpori unitur, eſſe immediatum hujuſce morbi ſubjectum, (*a*) Porrò, in morbi ex Contagione, vix quiſquam concipere poteſt craſſam & ſegnem humorum molem ab effluviis quibuſcunque extraneis, in tot enormes, tam efferos & ſubitaneos motus concitari poſſe niſi Spiritus ipſi contagionis miaſmate contaminati totam humorum maſſam inficerent. Denique res clariſſimè apparet in *Paſſionibus Hyſtericis*, reliquiſque morbis quamplurimis tam Chronicis quàm Acutis, qui ortum ſuum evidenter ab animi Pathematis ducunt. Hæc enim Pathemata cerebrum & genus nervoſum immediatè afficiunt; & naturalem Spirituum diatheſin evertunt; Affectiones autem morboſæ, quotquot ſint, quæ exinde in ſanguinem, aut viſcera quæcunque particularia inducuntur, naturalem diſpoſitionem ſpirituum everſam aptiſſimè conſequuntur. Quamplurimos autem morbos, eoſque cum Symptomatis vehementiſſimis ſociatos non tantùm in genere nervoſo, ſed etiam in arterioſo & venoſo hac origine prognatos quivis in medicina mediocriter verſatus facilè agnoſcet.

Imò, quis unquam ſanguinem & humores, qui ſenſu prædiți non ſunt, ægrotare aſſeruit; Revera totus Homo, (*viz.* compages corporis è muſculis, viſceribus, membranis, nervis eorumque fibrillis, unà cum humoribus contentis) eſt ſubjectum adæquatum ægrotationis; at proximè & immediatè in ſpiritibus & genere nervoſo Morbi radices

(a) *Spirituum œconomia poteſt primario perverti.*
(b) *Spiritus ſunt ſubjectum Morborum Contagioſum.*

dices habent, ubi etiam tantummodo ab ægrotantibus percipiuntur.

(*a*) Ne quis vero, hanc nostram hypotesin, tanquam plane *Helmontianam*, & in perniciem medicinæ rationalis excogitaram, & ad liquorem *Alkahest* seu Medicamentum universale adaptatam repudiet; statuimus non uniusmodi esse Spirituum morbos, sed humorum morbis inde consequentibus numero pares, & modum, quo Spiritus afficiuntur, ab istis morbis indicari: *v. g.* A *Spasmis* intelligitur quod spiritus nimis explodantur: Ab affectibus Hypochondriacis & Hystericis, quod sint flatulenti, crudi & in officina Cerebri non bene elaborati: A *Scorbuto*, quòd sint segnes & naturæ crassioris, A *Rheumatismo* & quacunque diathesi inflammatoria, quod sint nimio sicci & inflammati; A *Paralysi*, quod sint stupidi. Est ubi hi morbi intra generis nervosi limites continentur: Est ubi in tota massa Sanguinis imprimuntur: Est ubi unum aliquod corporis colatorium præ reliquis, uti *fecur*, *Lienem*, *Renes*, vel *Ventriculum* labefactant, fermentaque in illis hospitantia pessundant: Sin nos, dum sermonem de iis quæ sensus nostros superant habemus, hallucinari & cespitare contingat veniam expectamus, quandoquidem nullo alio Ariadnes filo utimur ad varias Spirituum ægrotationes explorandas, nisi effectibus Spirituum sensibilibus in corporis staminibus & humoribus impressis.

(*b*) Causa varietatis hujus in Spirituum morbis [quantum mihi vel Anatomia vel conjectura judicare licet) à duplici fonte petenda est, sc. à crasii Sanguinis alterata, cerebri vel Nervorum tono everso: ubi enim à longo abusu sex rerum non naturalium debitam Crasin Sanguinis (qui Spirituum pabulum est & fomes] conturbari contingat; mirum non est, si spiritus animales inde formati eandem dyscrasiam participent; ubi etiam à flacciditate & humiditate nimia Cerebri, vel ejus siccitate & calore præternaturali ortis ex intensa cogitatione & diuturna liquorum spirituosorum ingurgitatione, &c. à sphacelatione, nimia ventriculorum ejus distentione à cruore extravasato; à fibrarum ejus præternaturali tensione, à frequenti spirituum explosione, vel tandem ab inflammatione, à circulatione Sanguiuis impedita & ejusdem stagnatione, officina spirituum, Cerebrum morbosque afficiatur; quis spiritus inibi formatos, varios morborum typos induere miretur? Jam sc. nimis calidos esse & ad fermentationem proclives, jam segnes & torpidos, aut è contra explosivos & nimis elasticos evadere? Ubi tandem Fibræ in principiis nervorum, & spinalis medullę humiditate laxatæ & resolutæ fuerint (quod sæpe in *Paralyticis* observavimus) vel Tonus nervorum imbecillis, minus firmus & Athleticus à frequenti Spirituum explosione seu influxu nimis violento, & distentione fibrarum nervosarum à vehementibus animi pathematis reddatur, quid mirum si ex præternaturali spirituum dispensatione morbi quamplurimi in genere nervoso, uti Paralytici, Hysterici, Spasmodici, &c. proveniant?

(*c*) Non autem medendi metodum: usum per tot sæcula probatam quæque Venæ-sectiones cathartica, Emetica, Alterantia, *&c.* cum successu adhibebat, hac hypothesi convellimus. Nam non tantùm à morbis Spitituum Sanguinem & humores, varias mutationes subire contendimus, quod in Titulo sequenti ex professo demonstrare conabimur; verum etiam quandoquidem Spiritus animales è sanguine, materia sc. habili & idonea eliciantur & renoventur, ut plurimum morbosa quædam dispositio sensim in sanguine facta, non tantùm in *Scorbuto*, *Chlorosi*, aliisque morbis *Universalibus* Chronicis: quin etiam in *Febribus*, *Variolis*, *Morbillis*, cæterisque morbis acutis ad hanc Spirituum ægrotationem viam sternit: Quippe vitiata sanguinis diathesi, spiritus inde eliciti labem non participare nequeant

(a) *Morbi Spirituum sunt multiplices*, (b) *Varietatis morborum in Spiritibus Causæ.*
(c) *Spiritus afficiuntur ab humorum dyscrasia.*

ant. Et quidem quoties à massa humorum, ex abusu sex rerum non naturalium sensim in morbosam dispositionem redacta, hos spiritus ægrotare contingat; morbus magis habitualis, contumax & curatu difficilis evadit. Ubi verò systema Spirituum à meris animi pathematis, aut aeris externi injuriis, sine antecedenti humorum vitio alterati contingat, quoniam morbi fomes in genere nervoso maxima ex parte continetur, appropriati alicujus & specifici medicamenti ope, motus hic spirituum præternaturalis compesci solet, & nullum post se relinquit miasma in sanguine, quod usum methodicum vel alterantis vel evacuantis cujuscunque, remedii postulat, quod clare conspicitur in febribus *Intermittentibus*, & etiam *Remittentibus* usu *Corticis Peruviani* sanatis; in affectione *Hypochondriaca*, *Scorbuto* & *Chlorosi*; *Chalybe*, arte vel natura præparato profligatis; in morbis *Hystericis* & *Spasmodicis Cinnabari* nativa, *Visco quercino*, *Ungula* Alcis, aut alio appropriato specifico in ordinem redactis. Verùm circulus hic contra argumentationis leges committi forsan videatur, dum sanguinem à spirituum morbis turbari, itidemque spiritus à sanguinis dyscrasiis affici contendimus: verùm quid vetat circulum quendam causarum & affectuum in microcosmo æquè ac in macrocosmo fieri; Annon quotidie videmus terram à pluvia humectatam, iterumque circulatione quadam, à vaporibus è terra in aerem erectis pluviam renasci? Annon in corpore humano cibum seu pabulum sanguinis, ope salivæ & fermenti Stomachalis parati novimus, quæ nihilominus ex ipso Sanguine mediantibus glandulis perpetuo supplentur? Quare igitur absurdum habeantur circulationem hanc inter Spiritus & Sanguinem, in Ætiologia morborum explicanda admittere? Hoc unicè volumus, quod ut ut ex massa humorum conturbata corpus nonunquam ad morbos sit prædispositum; Morbus tamen ipse (saltem *Universalis*) primo instanti, ab ægrotatione Spirituum formetur, qui orgasmo suo, & motu efferato, eòque præternaturali, primum insulutum faciunt, eumque subitum & instantaneum, quo tota corporis compages illicò afficitur.

Quorsum verò hæc omnia, & cui bono, tanto cum labore subtilem hanc Hypothesin (& uti forsan quibusdam videatur inutilem) stabilire aggredimur? respondeo, Quod ex multa morborum observatione, jam diu mihi res ipsa se non habere visa est Medicùmque decere, quantum in se est, rite Philosophari, & rei ipsius natura Hypotheses suas desumere. Porrò, multò clarius ex hac Hypothesi, quam ex Humorum doctrina (licet ex antiquitate æstimanda) non tantum *Ætiologia*, verùm etiam *Pathologia* morborum, & *Indicationes* curative certiùs desumi queant, quod in sequella operis cuiquam spero demonstratum iri. Nec non Medici solertes & sagaces hic instigati alia Specifica excogitare satagent, quæ Spirituum motus efferatos compescendo eorumque morbos sanando varias etiam dyscrasias inde genitas breviori & feliciori compendio tollent, sicut jam inventus *Peruvianus Cortex* febres *Intermitentes & Remittentes* abigit, & *Cinnabaris* nativa non raro *Affectiones Spasmodicas & Epilepticas*, [à veteribus pro Herculeis & insanabilibus habitas] absque magno eòque magis incerto apparatu medicaminum methodicè adhibitorum, sanat.

(a) Quòd *naturalis Sanguinis Crasis à morbosa Spirituum Diathesi perverti & labefactari* soleat, facile probatur; Sicut enim Spiritus à sanguine malè dispositio generati & reparati, non possunt non ægrotare, ita ab ægro Spirituum statu, qui massam Sanguineam æquè in statu morboso agitant, alterantque, atque in statu sano regunt œconomia sanguinis & humorum universalis non potest non perverti. Mihi, sane, & variæ istæ mutationes non aliter fieri videntur in sanguine, quam in vino, cerevisia, aliisque liquoribus generosis à tonitru, vel terræ motu spiritu massam regente ac temperante or-

(a) *Crasis à Spirituum morbis pervertitur.*

te orbatis, qui illico vappescunt, vel acescunt, nec statum pristinum prius recuperant, quam Spiritus depressi partes suas iterum resumant: Hoc facto, uterque liquor in statum naturalem sponte redit. Hæc vis Spirituum maxima conspicua est in morbis *Universalibus* qui totum corpus afficiunt, quique ab universali spirituum tumultu pendet: sive primario, & respectu non habito ad partem aliquam specialem, à spirituum orgasmo initium ducant, quales sunt *Febres* acutę quęcunque, *Variolæ*, *Morbilli*, *Chlorosis*, *Scorbutus*, *Rheumatismus*, &c. Sive particularium viscerum labes cum universa humorum massa sese communicet, eamque contagionis ritu inquinans, morbos *Universales*, licet secundario, producat, quales sunt *Lues venerea*, *Phthisis*, *Hydrops*, *Icterus*, &c. Exemplis igitur ex hac morborum Classe petitis, Hypothesin nostram illustrabimus, potius quam ex classe morborum particularium, qui etiam à spirituum œstro procreantur, sed non immediate. Inter hos morbos *Universales* primum occurrit *Febris acuta*, quæ cujuscunque sit generis, à primo insultu morbi usque ad finem, sive is salutaris, sive funestus fuerit, egregium specimen est hujus Spirituum potestatis: Primo enim morbi momento, cum sc. à frigore in poros cutis admisso, vel aliquo hujusmodi accidente. Spiritus animales ægrotare (quod ex vertigine, dolore, capitis, lassitudine lumborum ulcerosa, tremoribus artuum, aliisque Symptomatis colligere licet) & præternaturaliter algere incipiunt, frigiditas statim in sanguinem inducitur, & quidem tanta, ut sanguinem isto tempore phlebotomia detractum, instar aquæ fluentis frigidum observaverim; verum in progressu morbi, ubi à præternaturali Spirituum motu diutius continuato eosdem æstuare contingat, quanto illico totam massam humorum flagrare & agitari percipimus; Cujus caloris cutis ariditas, inquieta membrorum jactatio, sitis, aliaque symptomata, indicia dant; donec conspicua quædam materiæ è massa humorum agitatorum & colliquatorum secretio fiat per poros cutis, vel aliam aliquam portam convenientem. Hoc facto, tota moles, quiescentibus jam spiritibus qui eam priùs in motus inordinatos ciebant, cum Crisi morbi vel paroxysmi defervescit. Præter has mutationes generales, quas sanguis, durante febre, cujuscunque generis, à spirituum inordinato motu, subit; observatu dignum est Aphthas & fœda oris ulcera febres comitari solita non tantum salivæ acrimoniam, sed sanguinis etiam, unde secernitur saliva; arguere; & hæc ulcera post febrem judicatam, massa sanguinea jam non amplius à spiritibus præternaturaliter agitata, sponte evanescere. In *Febribus malignis* & *Pestilentialibus* uti ex *Bubonibus*, *Carbunculis*, *Ulceribus* varii generis malignis, *linguę nigritie*, reliquisque symptomatis liquet, Humores spacelo s. [illegible] à spirituum venenata qualitate afficiuntur. Denique notatu dignissimum est, quod mihi nuperrimè videre contigit, sanguis nimirum fœminæ cujusdam Febre malignâ quasi Erysipelatosa laborantis per Phlebotomiam extractus, adeo fœtebat, ut ex ejus tetro odore, tam Chirurgus, quàm Adstantes in animi plane deliquium incidebant. Ex dictis igitur constat, in omni febre plus minus sanguinem & alios humores mutationes quosdam subire, easque varias pro genio morbi, quo Spiritus animales inficiuntur qui primum insultum fecerant. In *Arthritide*, *Rheumatismo*, *Pleuritide*, *Peripneumonia*, generaliter loquendo in omni febre inflammatoria & dolorifica autopsia docet serum sanguinis aeri expositum, peculiari modo in gelatinam dive sicolorem concrescere. Non est minus miranda sanguinis conversio in *Variolis*, ubi Exanthemata per totam cutim à sero planè caustico, inflammatorio tandem purulento attolluntur: In *Morbillis* etiam, & congenere morbo, febre scarlatina, totus sanguis ex diutina stagnatione in toto corporis habitu, in colluviem serosam acrem manifestò colliquescit, quæ *Tussi Ferinas*, *Peripneumonias*, *Ophthalmia* in decursu horum.

horum morborum excitat. Neque in morbis Acutis tantùm, verum etiam in Chronicis *Universalibus*, uti in *Scorbuto*, *Affectione Hypochondriaca*, *Chlorosi*, *&c.* insignis hujus alterationis spiritus animales choream ducunt: Nec ab ulla causa, durantibus his morbis, massa sanguinis in acidam, serosam, vel vapidam colluviem, mox stomacacem, exanthemata cutanea, ulcera maligna, sudores & ructus acidum vel salsum redolentes daturam, quàm ab anxietate Animi aut malignitate aeris non perflati, frequentiùs citiusve facessit. Cùmque mala diæta horum morborum rarò admodum causa sit, fas est suspicari humores à spiritibus male affectis hoc pessimo condimento imbui, & hos morbos esse nervosi generis sobolem.

Denique morbi secundariò *Universales*, qui ex partis alicujus privato vitio oriuntur, non aliam causam agnoscunt: Venenum enim sensim à parte affecta serpens miasma tandem universale spiritibus & inde sanguini affingit. Sic ab affecto Pulmone, in *Phthisi Pulmonari* dicta, totus sanguis colliquatus per poros Cutis, Intestina, reliquasque omnes corporis portas succum nutritium exspuit. *Lue Venerea*, quamprimum contagio ab una parte profecta spiritus totius machinæ moderatores infecerit, succedunt *Dolores* spasmodici, & versatiles in toto corpore, *Bubones*, atque Ulcera varia pus copiosè fundentia per totam cutim. Et quidem (quantum mihi observatione notatum est) nullus morbus particularis lethalis evadit, priusquam ex febre per totalem spirituum inquinationem superinducta universalis fiat: Hoc facto, statu humorum penitus everso, tota machina simul corruit.

(a) *Morbos omnes Universales, sive primarios, sive secundarios, immediatè à spiritibus male affectis oriri, atque mediatè etiam morbos partium*, licet ex antedictis sequi videatur, ulteriùs tamen confirmare libet. Quod ad morbos attinet primariò *Vniversales & Acutos*, quorum primum vel insultum comitantur vehementia symptomata; Illi certè à segni humorum massa, quæque è particulis constat crassis, & maxima ex parte motu tantum aliunde communicato præditis, in instanti oriri, concipi nequeunt, sine spiritibus eam agitantibus; præsertim si seriò perpendatur, quomodo sanguis humanus ac alii humores præparari postulant antequam aliquam insignem mutationem subire observentur. Pertinet huc, atque dignissimum est notatu, quòd principio horum morborum tota tragœdia in genere nervoso agitur, antequam sanguinis massam turbari Pulsus indicet, vel aliquam magnam mutationem pati. Quod quidem in *Variolis*, *Morbillis*, *Febribus* cujuscunque generis quotidiè conspicitur, ubi *Æger* primo momento *dolore capitis* corripi solet, & levi quadam vertigine à motu spirituum inordinato, & præternaturali fibrillarum Cerebri & ejus membranarum distentione inde facta; deinde *lassitudine ulcerosa* [quale symptoma fatigatis accidere solet, propter insolitam spirituum agitationem, & transitum per membra nimis acceleratum, & quasi explosivum, fibras ultra tonum naturalem distendentem,] *frequenti etiam oscitatione*, seu motu quodam convulsio musculorum maxillam inferiorem deprimentium sæpius repetito laborat, & tandem *frigoré subito* per totos artus diffuso (quali symptomati Hystericas etiam præsertim hypothymicas à mera spirituum ἀφαξίᾳ frequenter obnoxias videre est,) *Horrore* item, *Rigore*, *Motu tremulo & convulsivo Artuum*, *Lumbagine* à motu elastico spirituum animalium præter modum agitatorum, & è medulla spinali in musculos propinquos explosorum, *Comate*, *Vigiliis*, *deliriis*, *nausea*, *vomitu*, *ægrotatione universali*, quam ventriculus cum tunicis suis nervosis, velut commune sensorium, præ reliquis partibus sensit, aliisque id genus symptomatis quæ spirituum officinam, eorumque canales unicè afficere deprehenduntur: Observatu etiam dignum est pleraque hæc symptomata ad incendium sanguinis sublecuturum viam ster-

(a) *Morbi universales immediatè, particulares mediate à spiritibus oriuntur.*

sternere solere, quo jam flagrante; Oscitatio, Tremor Rigor. Frigus intensum, plurimaque alia symptomata sponte cessant, vel saltem mitigari solent.

(*a*) Similiter, in Chronicis affectibus *Universalibus*, Symptomata in genere nervoso morbum primò produnt. *v. g.* In *Hypochondriaca* & *Hysterica* passione, quarum genus nervosum, ex omnium Medicorum consensu, est Theatrum commune, ubi spasmi, oppressiones gravativæ, & suffocativæ, eructationes & borborygmi frequentes, tragœdiam agunt. Idem dictum sit de *Scorbuto*, & *Chlorosi* (quam ego jamdiu speciem esse Scorbuti particularem existimavi) sicut enim in illo per lumbaginem, lassitudinem spontaneam, debilitatem crurum thoracis oppressionem, aliaque id genus symptomata; Ita non minùs in hac, per cephalalgiam & vertiginem frequenter recurrentem, visus debilitatem, palpitationem cordis, mœstitiam, lassitudinem, insolitam animi anxietatem, aliaque ejusmodi, hostis se prodit. Ad confirmandum hoc argumentum dignum quidem & facile observatu est, quòd cùm à statu horum morborum omnia in pejus ruunt, symptomata nervosi generis aucta sese tandem majori cum evidentia in conspectum dant, sc. vigiliæ pertinaces, affectus comatosi, subsultus Tendinum, Tremor artuum, pulsus debilis, celer, inordinatus, *&c.* idque licet Incendium internum minus vehemens, tactu judice, appareat; Quę quidem omnia quò propiùs fatum instat, eò intensius augeri solent.

(*b*) Causæ præterea evidentes, quæ ad hos morbos universales viam sternunt, Hypothesin nostram non parum suffulciunt. Namque cuiquam in medicina mediocriter versato constat, non tantum morbos *Universales* Acutos, uti *Febres*, præsertim *Pestilentiales* & *Inflammatorias*, sed Chronicas etiam *Contagione* quadam propagari solere. Atqui vix concipi potest quomodo efluvia extranea eaque præ subtilitate sensus nostros plane fugientia, & sæpe en ad punctum temporis permanentia Characterem morbosum in Humoribus imprimant, nisi mediante spiritu animali, cujus particulæ subtiles miasmate s. fermento quodam heterrogeneo contaminatæ excandescunt, & humorum molem variis irregularibus motibus facile *Exagitant*. Deinde quot morbi Universales evidenter (*c*) *Animi Pathematis*, mœrore, ac terrore, anxietate, iracundia, vel insolita quadam & pertinaci phantasia promanant; Nec tamen istæ perturbationes sanguinem alterant nisi quatenus Spiritus, qui totam massam regit, motus efferatos & ἀτακτικὰς suas cum latice purpureo communicat. Abhinc in Passione *Hypochondriaca* & *Hysterica*, nunc salsedine, nunc aciditate, nunc alia peregrina qualitate sanguis imbuitur, imò raro aut nunquam *Scorbutum*, *Atrophiam Phthisin Pulmonarem*, alioque quamplurimos morbos Universales Chronicos deprehendi, ubi cæteris causis evidentibus Melancholia, Anxietas, vel aliquod aliud gravius animi pathema non accesserit. *Rheumatismi* & *Arthritides* eos *maximè* affligunt qui in lauta fortuna consenuerunt; At luxus sui pœnas parcius pendunt, qui eum cum hilaritate animi semper conjunxerunt; duriùs tractantur Theologi, Jurisperiti, Consiliarii Aulici, *&c.* qui studiis intentis, & curis originem nervorum, Cerebrum sc. & Spiritus in eo hospitantes agitarunt. *Chlorosin* etiam ipsam non tam à victu pravo oriri observavi, quam ab imaginationis vitio, peculiaris cujusdam cibi, generis licet euchymi, cupiditate flagrantis, à gesticulationis alicujus singularis affectatione, vel ab amore diuturno, aut alio aliquo ejusmodi pahtemate animi quod Spiritus nimis figit. Quam sæpe etiam *Febres Morbilli*, & præsertim *Variolæ* ex Idea terroris in Phantasiam impressa oriri soleant, satis cuivis medicinæ praxin exercenti notum est.

(*d*) Quantùm etiam *Aeris Constitutio* morbos *Vniversales* promovet, Medicos non

(a) *Symptomata morborum Chronicorum in genere nervoso.* (b) *Contagionis propagatio.*
(c) *Animi Pathemata morborum causæ.* (d) *Aeris Constitutiones morborum causæ.*

non latet. Neque enim tantùm Febrium *Pestilentialium*, *Variolarum*, *Morbillorum*, aliorumqne morborum Acutorum, quoties eos Epidemicos esse contingit, *Aer* inspiratus fons est, & origo, sed pro diversa hujus constitutione, Morbi ante dicti variæ indolis sunt, & diversas Indicationes curativas suggerunt. Ab *Aere* palustri vel marino, immò in cubiculo occluso, modo quispiam sæpiùs in eo versetur, præsertim autem à decubitu in lecto, facie sub stragulis perperam & frequenter eooperta, ita ut aer recrementis corporis inquinatus, diù & repetitis vicibus inspiretur, quàm sæpe capillos decidentes, vultum pallidum & squallidum, gingivas inflammatas & ulceratas, halitum fœtentem, cæteraque signa Scorbuti, aliorumque morborum *Universalium* Chronicorum genuina observamus? Quandoquidem verò Spiritus Animales maxima ex parte naturam aeream sortiuntur, sineque vi elastica & explosiva aeri simillimi, Aer vitæ animalis conservationi summè & semper necessarius sit, spirituum generationi inserviat & eorum materiam suppeditet; probabilius longè est, Spiritus ab Aeris miasmate infectos, quam Humores, morbis, sive acutis, sive chronicis ansam præbere. Denique quam sæpe hos morbos *Universales*, præsertim acutos, ut (*a*) *Febres*, *Variolas*, *Morbillos*, à frigore in poros cutis invadente oriri observamus? At iste præternaturalis algor spirituum, qui ab extremo frigore sponte in calorem intensum excandescunt (quod in natatoribus & itinerantibus, simul ac ab aquæ & aeris inclementia sese subduxerunt, videre est) a poris cutis ad spirituum officinam, cerebrum, continuatus, faciliùs longè corporis compagem afficit, quam si in humoribus primò imprimeretur. Objiciet hic aliquis, memoratas causas non sæpiùs esse morborum effectrices, quàm cruda & dyscepta alimenta, ideoque eorum ætiologiam à crasi sanguinis & humorum vitiata peti posse. Diffitendum quidem non est *cibum & potum* quantitate nimios, vel qualitate peccantes, æquè ac pathemata animi, cæteraque non naturalia, in censu causarum evidentium horum morborum habendos esse. Verùm quandoquidem non tantum constat spiritus animales, quia ex sanguinis massa generantur, à victu pravo ægrotare solere, sed etiam non rarò à victu euchymo eoque moderatè sumpto ansam ægrotandi arripere, modò minùs firma valetudine priùs potirentur; nullus dubito quin alimentum incongruum in causarum remotiorum censum referendum sit, & quòd Spiritus sint ὁ τὲνεργητικον s. immediatum principium morbum formans, & ὁρμὴν s. insultum efficiens, quod quidem totum est quod hic contendimus.

In hac sententi anon parum confirmabar cùm pleraque morborum phænomena hoc pacto explicari posse perciperem, quæ à priscis vel intacta, vel non satis illustrata, tenebris hucusque obruebantur, immo, qnicquid ad eorum solutionem en crassis antiquorum principiis asseritur, mihi planè gratis dictum videtur, atque (ingenue fateor) hoc primùm animum meum anxium & incertum impulit ad hanc novam Hypothesin de ætiologia morborum universalium formandam, quæ naturam morborum clariùs explicat, eorum causas sensui plenè demonstrat, cujus rei in exemplis sequentibus specimen dabo.

(*b*) Quid in enarranda symptomatum aliquot ætiologia, magis apud Priscos decantatum est quam *Sympathia* sive consensus partium? Ex hac, vomitionis à concussione cerebri, vel nephritica affectione causam reddunt: at nisi respectus habeatur ad continuitatem & nexum totius corporis cum cerebro, & origo morborum in cerebro & spiritibus statuatur, vix alias solvi potest hoc Phænomenon; jacto verò hoc fundamento; quòd tota machina è fibrillis cerebri elongatis & expansis conflata, ab eodem dependet, & quòd mala diathesis spirituum & eorum motus inordinati morbum ejusque symptomata formant, quam

(a) *Frigus per Cutis poros perceptum causa Morborum*. (b) *Sympathia partium*.

quam facile concipi potest remotissimam quamvis machinæ partem, & consequenter ipsum ventriculum affici posse? Absque hac Hypothesi explicari nequit Morbi (a) *Metastasis* seu translatio ab una parte in aliam, quæ non tantùm in fatali Febrium Crisi evidenter apparet, ubi Morbus ex habitu corporis translatus non rarò in cerebro, idque subitò, figitur; verùm etiam in *Peripneumonia* frequenter in *Anginam* mutata, super omnia verò in *Rheumatismo* versatili, præsertim spurio & nervoso, ubi morbus ab uno artu in alterum unoquoque die vel etiam singulis horis, imò nonnunquam ictu quasi oculi citiùs transfertur. In sanguine tota humorum massa confunditur, celeri & non interrupto motu agitatur, & per vasa innumera æqualiter diffunditur, adeo ut materia morbifica tam subitò separari nequeat, & ad partem aliquam singularem determinari: Spiritus autem morbo perculsos, pro Genio suo volatili & versatili, alternatim jam hanc, jam illam partem, remotam licet, impetu quodam petere, distendere, vellicare vel spasmodicè constringere, ibidemque morbum hujusmodi vagum producere quid impedit? Cùm sanguinem & humores per eam partem trajectos alterare valent, iisque characterem morbosum imprimere; Atque hæc est ratio metastaseos morborum.

(b) Ut cætera mittam, in *Paraxysmos febrium Intermittentium*, periodicè, stato & certo tempore scil. quotidie, tertio, aut quarto quoque die, ut plurimum eadem hora recurrentium, habet inquirere. Hujus vulgaris Φαινομενων *Ætiologia* heu! quantùm torsit, Philosophorum ingenia non tantùm priscorum, sed etiam neotericorum, quotquot omnium Morborum causas in sanguine & humoribus inveniendas esse hariolati sunt. Qui maximo ingenii acumine freti hujusce Phænomeni solutionem aggressi sunt, *Fomitem* quendam humorosum, Biliosum scil. atrabiliarium vel phlegmaticum statuerunt in viscerum aliquo, aut parte corporis nescio qua delitescentem, progenio suo jam quotidiè, jam tertio vel quarto quoque die moveri, & fermenti instar humores exagitare. At qualis tandem est hic *Fomes*? Humor certè, secundum horum Hypothesin. Qua parte verò stabulatur: Hic inter authores maximum est dissidium, apud alios altum silentium; Ab aliis varia assignantur receptacula, omnia verò ejusmodi, ut aliquam partem materiæ morbificæ continuò massæ sanguinis necessariò suggerant. Hunc Fomitem in venis mesataicis, uti veteres autumarunt, nusquam recondi ab omnibus jam concessum est, namque ex quo sanguinis circulatio inventa est, apparet nullam dari ejusmodi [saltem materiæ à sanguine distinctæ] stagnationem in vasis sanguiferis. Et si concederetur, tamen à perpetuo sanguinis transitu particulæ heterrogeneæ hujus Fomitis eluerentur, & sanguinis massæ commixtæ, eandem indesinenter inquinarent, & à perpetua fermentatione febris continua accenderetur. Non rectiùs iste *Fomes* in *primis viis* collocatur; cùm enim chylus ex alimentis in ventriculo concoctis, & in Intestinis gracilibus ulteriùs elaboratis [per ea saltem transeuntibus] eliciatur, necesse est ut succus chylosus à fermento isto indesinenter depravatus, morbosam qualitatem sanguini impertiat, adeò ut morbus ex ea natus inducias dare non possit, saltem paroxysmus post singulos pastus redeat.

Quod ad eorum sententiam attinet, qui mineram morbi in aliquo glandulosorum viscerum latere statuunt; nullus sanè (quantum scio) locum adhuc assignavit in quo hoc inimicum fermentum stabulari, sanis argumentis demonstrare potest, licet unus *Lienem*, alius aliud ex visceribus gratis incusaverit. Verùm si modò, secundum nostram Hypothesin (quam uti spero satis jam antè demonstravimus) tota corporis compages, præsertim viscerum ipsorum uti *Hepatis*, *Lienis*, &c. sit vascularis, & sanguis, continuato cursu & recursu circumactus per singularum fibrillarum tubu-

(a) *Morborum Metastasis.* (b) *Paroxysmorum Febrium Intermittentium causas.*

tubulos permeet, qua alia parte hic fomes nisi in ipsis fibrosis filamentis delitescere potest, ubi nil, nisi spiritus animales, hospitatur? At cùm isti spiritus à cerebro per totum systema fibrosum, velut per canales ad usus vitæ necessarios exequendos indesinenter deferantur, & pro vario genio invaletudinis, qua afficiuntur, jam quotidie, jam tertio vel quarto quoque die exploduntur, & symptomata, quæ principium Paroxysmi comitantur, inferunt, nempe *algorem*, *horrorem*, &c. deinde fermenti vices supplent, à quo sanguinis massa per fibrillas transiens inficitur, & in paroxysmos febriles periodicè excandescit, quo usque sc. sponte vel arte sedata hac effervescentia spirituum finiatur etiam Paroxysmus, atque saburra humorum in paroxysmorum serie colliquata, per poros cutis, vel aliam aliquam portam commodam (nec jam à calore præternaturali ut priùs constrictam) prorsus eliminetur. Cui sententiæ quivis vel *Medicus* vel *Phylosophus* favere cogetur, qui seriò secum perpenderit, sæpe insultus non tantùm *Hysterici* & *Spasmodici*, paroxysmorum febrilium, saltem sub initium, planè æmuli, ex mero motu inordinato spirituum orti, intervallis licet incertis redeant; verùm etiam insultus *Epileptici*, statis periodis, bis vel ter in Luna, vel hebdomada, ab eadem causa recrudescant.

(*a*) Quid plura? Regimen ipsum à priscis Medicis imperatum, atque multo usu jam per plurima æva comprobatum, nostræ huic Hypothesi ubique quadrat. In morbis enim acutis, uti *Febre*, *Variolis*, &c. ubi invaletudo producitur à vi elastica spirituum irritata & nimis exaltata, & summam quietem, decubitum in lecto, alimentum maximè tenue & parcum, detractionem sanguinis, *&c.* uno ore imperant; unà cum *Julapiis*, *Emulsionibus* & *Apozem.* admodum temperatis, vim spirituum elasticam minimè intendant, sed potiùs minuant. E contrà, in *Febribus* malignis, ubi spiritus à natura veneni deleteria νεκρώσει quadam affecti, elasticitate & vi sua expansiva destituuntur, quàm uno ore usum pulverum *Cardiacorum*, *Bolorum Theriacalium*, *Julapiorum* cordialium, atque hodiè *Spiritus Salis Armoniaci*, *Spiritus* & *Salis* volatilis *CC.* idque posthabita febre præsente, ex industria, & cum optato successu præscribunt. Quæ quidem omnia, non tam segnem humorum molem, quàm Spiritus respicere videntur, qui primario affici solent. In *Scorbuto* verò, *Chlorosi*, aliisque morbis Chronicis *Vniversalibus*, ubi, ab agilitate spirituum imminuta, & eorum statu minùs quam par est elastico, visciditas humoribus, constrictio pulmonibus, rigiditas & stupor quasi Paralyticus Artubus, constipatus obstructusque habitus, isque evidentibus criteriis manifestus universo corpori acciderit; *Exercitia* frequentia, *Aer* tenuis & perflatus, Omnimoda animi *Excitatio*, medicamenta sale volatili abundantia, uti *Cochlearia*, *Raphanus Sylvestris*, *Chalybeata*, *Aloetica*, stimulantia omnia & *Ecphractica*, in methodo curationis utramque implent paginam. Quid hoc autem ad humores crassos nisi mediante spiritu illo animali qui eos regit & actuat?

Quòd autem ad secundam partem hujus propositionis attinet sc. *Quòd morbi partium, qui à peculiari aliqua* ἀταξίᾳ *partis, vel glandulæ alicujus singularis oriuntur, à spiritibus etiam mediate producantur*; Ea non æquè perspicua est ac prior: Namque horum morborum *Ætiologia* remotius petenda est, atque ratiocinando tantùm iuvenienda. Quandoquidem verò Viscerum vel partium singularum affectus à morbosa humorum diathesi oriri constat, atque (quod ex ante dictis manifestò apparet) massam sanguinis, à spirituum animalium, qui ei præsident, dyscrasia vario modo turbari & agitari; fas sit conjicere pro vario dyscrasiæ spirituum genio, jam hanc, jam illam partem, hanc vel illam glandulam,

(a) *Antiquorum methodus medendi, huic hypothesi conformis:*

dulam, uti Jecur, Pulmones, Renes, *&c.* laborare. Indèque medicamenta specifica v. g. [a] *Anti hysterica*, *Antivenerea*, *Antiscrophulosa*, *Antispasmodica*, *Pulmonaria*, *Hepatica*, *Nephritica*, *Vterina*, & si qua sint alia, usu multo contra hos morbos experta & probata, non ejusmodi esse videntur, quæ hanc vel illam specialem partem respiciunt, sed quæ peculiarem spirituum dyscrasiam ad has partes vel glandulas afficiendas aptam, tollant. Quæ quidem remedia mihi inde *Specifica* audire videntur, quia spiritibus, quorum morbi sensus nostros fugiunt, accommodata sunt; sicut enim ex usu *Emeticorum*, *Catharticorum*, *Diureticorum*, *Diaphoreticorum* aliorumque medicaminum sensibiliter evacuantium, moli humorum præternaturaliter colliquatorum & in massa sanguinis coacervatorum subducendæ satis prospicitur: Ita his Specificis, *Hepaticis*, sc. *Hystericis*, aliisque ejusmodi, experientia potiùs quàm ratione primùm excogitatis, & multo usu comprobatis, radix totius mali funditus evellitur, quæ extra sensuum Sphæram in Spiritibus delitescit. Quanta verò pars artis Therapeuticæ in prudenti usu horum specificorum versetur, norunt Medici Practici.

Juxta hanc nostram Hypothesin facile est morbos omnes, qui intus nati, corpus humanum affligunt, in duas classes distribuere, nempe in *Vniversales* & *morbos partium*. *Vniversales* sunt, qui sicut è systemate nervoso, & spiritibus animalibus in eodem hospitantibus immediatè oriuntur, ità totam corporis compagem uno insultu primariò vel saltem secundariò afficiunt. *Secundariò* dico, quoniam morbi aliqui particulares, uti *Lepra*, *Scabies*, *Lues Venerea*, &c. licet contagione ab aliqua parte singulari propagentur, non tamen unius partis, præ altera, labefactationi, nisi ex accidente, ortum suum debent, & Spiritus animales veneno suo universim inquinando, citissimè *Vniversales* evadunt, ideòque in censum morborum *Vniversalium*, licet secundariò talium, referuntur. Morbos autem partium eos voco, qui, à gravi alicujus è visceribus, vel alterius partis singularis labefactatione, oriuntur; ut ut morbosa sanguinis textura, & spiritus animalis dyscrasia iis ut causæ remotæ, ansam præbeant. Præterea quidam, morbo universali laborantes, brevi sanitatem recuperant, vel mortem obeunt, alii leviùs affecti in statu valetudinario vitam diù protrahunt, ideòque morbi Universales, in Acutos, uti Febres, Variolas, *&c.* & Chronicos, uti Scorbutum, *&c.* distingui debent. De morbis *Vniversalibus* primùm, postea de morbis partium seriatim [licet strictim] sermonem instituam, in quo eorum ætiologiam & Pathologiam totam, atque Indicationes curativas tradam, quod pensum, modò feliciter absolvatur, in publicum, forsan, emolumentum haud parùm cedet. Utcunque, satis est in magnis tentasse, &, in re tantis tenebris obvoluta, facem prætulisse & monstrasse viam. Primum lubet, schemate quodam succincto, ex hac nostra Hypothesi deducto, distributionem morborum in varias suas classes præponere.

De Morbis Vniversalibus in genere.

Radix sc. semen horum morborum (sit verbo *Paracelsi* venia) est heterrogeneum quid, sensu vix perceptibile, non rarò autem vi venenata & planè deleteria præditum, tota sua natura flammæ vitali contrarium & inimicum, atque ad eam extinguendam, vel saltem supprimendam aptum, sive intus sensim generatum fuerit, sive à veneno assumpto, morsu Viperæ, vel aere contagioso in corpus admissum; Cujus quidem vis deleteria, si adeò præpolleat, ut subito flammam vitalem penitus obruere possit, Æger statim alget & lipothymicus perit, Natura contrà non certante, utpote à vi superiori jam planè evicta, quod non rarò, præsertim in Constitutione aeris *Pestilentiali* ac *Epidemia* con-

[a] *Medicamenta Specifica.*

tingit. Sin verò venenum paulo remissius, & vigor spirituum animalium fortior, luctatio succedit, in qua, ut ut tota Corporis Machina primo insultu (vi elastica spirituum fere obruta) cum pulsu debili algére incipiat, mox Natura vires quadantenus recolligens pugnam init, cujus præludia sunt dolor leviter *Spasmodicus* & versatilis, *Horror*, *Rigor*, Oscitatio, cæteriquemotus, quibus Spiritus animalis oppressus sese iterum expandere nititur, usquedum tandem, vi spirituum elastica irritata, & supra gradum naturalem evecta, Calor intensus, & febrilis orgasmus excitetur. Ab hoc calore pori cutis, sicut cæteræ Corporis portæ, irritati & occlusi, flammam intestinam acriùs intendi faciunt, donec Veneni pars, à spiritibus jam victoria potitis, expellatur, vel à propria Antidoto subigatur, & tùm demum, pori cutis non ampliùs constricti, colluviem humorum, à præternaturali calore colliquatam, copiosè dimittunt, modò per alvum, aut alio modo id non antè factum fuerit: Vel denique Natura, vi superata succumbit, Æger *Spasmis*, *deliriis*, *subsultibus* tendinum, aliisque diris naturæ triumphatæ & in cassum colluctantis symptomatis, in genere nervoso fatigatus, fatis cedit. Hæc est ratio Formalis morborum *Universalium Acutorum*, & symptomatum eos concomitantium.

Verùm, ubi è contra fermentum morbificum, quo spiritus vel sensim ex abusu sex *non Naturalium*, vel subito & uno impetu à contagionis miasmate imbuuntur, vi non adeò deleteria præditum est, ut vita in subitaneum discrimen ducatur, vis spirituum elastica inde duntaxat quadantenus opprimitur, inde sese ad munera solita more debito minus aptè expandunt, & hostis non tam aperto marte quàm insidiis vitam aggreditur. Inde evenit, quòd spiritus animales, quippe minùs irritati, non tam graviter & acriter contra hostem insurgant, nec certamen Paroxysmo & crisi decernant, ut in Acutis fieri solet, verùm Æger sarcina hac oppressus vitam ærumnosam atque valetudinariam, morbo aliquo Chronico, *Scorbuto*, *Chlorosi*, *Febre hæctica*, &c. afflictam diu protrahit, cum *lassitudine spontanea*, *stupore*, *pondere gravitativo Hypochondriorum*, *somnolentia*, *vertigine*, *lumbagine*, *dolore* versatili, crurum & abdominis, aliisque ejusmodi signis spiritus animalis universim in genere nervoso affecti & depressi. Nec quidem Natura, hoc modo habitualiter oppressa, sarcinam hanc in totum negligere videtur, verùm licet paroxysmorum nixibus, uti in Acutis, ab onere se liberare non moliatur, idem tamen lentè & quasi habitu quodam, per omnes portas, per quas fieri potest, efficere tentat, sc. per *Renes*, ut in Hypochondriacis & Hystericis, qui tanquam Diabetici, tempore paroxysmi, insigni urinæ profluvio non rarò corripiuntur; per *Sudores*, *Diarrhœam*, *Vomitiones*, quibus Hypochondriaci, Scorbutici immodicè plerumque tentantur; per *Tussim*, per *Sputationem largam*, symptoma *Hypochondriacis & Scorbuticis* maxime familiare, quorum saliva particulis adeò acribus & venenatis sæpe saturatur, ut gingivæ & os totum inde inflammetur & ulceribus fœtentibus scateat. Nonnunquam etiam Natura certamen, paroxysmi Acutorum fere æmulum, licet non statis temporibus, in his morbis instituit; quod in Paroxysmis *Rheumaticis*, & *Arthriticis* admodùm dolorificis, & in *Spasmis Hystericis* & *Hypochondriacis* sæpe recurrentibus observatur; In quibus omnibus Natura contra hostem acriter insurgens, saburram extemplò deponere, licet in cassum, satagit.

De hisce omnibus jam, calamo fusiori, disseremus: primùm sermonem instituturi de morbis universalibus Acutis, deinde de Chronicis.

Scho-

Schema Morborum Generale.

Morbi, quibus Corpus humanum affligi solet,

Accidentales & externi, quippe qui ab externo aliquo accidente oriuntur, uti casu, ictu, vulnere, contusione, *&c.* quos omnes jam consulto prætermitto, quoniam eorum Ætiologia facilis, & in promptu est, & ad partem Chirurgicam potiùs quam ad Medicinalem strictè ità dictam spectat.

Vel,

Habituales, qui intùs à Diathesi Spirituum præternaturali, & Crasi Sanguinis eversa immediatè, vel saltem mediatè, aut à Canalium, seu Vasorum hos Spiritus, & Liquores toti Machinæ ministrantium Obstructione, Ruptura, vel aliqua alia mala Affectione nascuntur. Quænam sit horum omnium Causa, quoniam nondum satis constat, de eorum Ætiologia, & Pathologia, fusiùs jam Sermonem habituri sumus, suntque vel

Universales, qui (sc. immediatè à Diathesi spirituum Animalium præternaturali, & Crasi Sanguinis inde labefactata oriuntur; ideòque primò Insultu totum Corporis Systema afficiunt, non autem à vitio singularis cuiuscunque Partis dependent; suntque vel

Primariò ita dicti, qui absque respectu ad Partem aliquam singularem priùs ægrotantem habito oriuntur, suntque vel,

Acuti, qui paucorum dierum circuitu, Crisi finiuntur Funesta, vel Salutari: Uti Febres quæcunque Acutæ, Variolæ, Morbilli, &c.

Chronici, qui similiter, Spiritibus priùs laborantibus, universum Corpus afficiunt, non tamen ruinam tam præcipitem, quàm priores minantur. Indeque Aegri hoc modo affecti, vitam valetudinariam, ad plures, Menses, imò Annos protrahere solent. Huiusmodi sunt Febris Hectica, & Pallida, Chlorosi, Scorbutus, Rheumatismus Vagus, Scorbuticus, Affectio Hypochondriaca, & Hysterica, seu Vapores, Affectus Strumosus, seu Scrophulæ, Rachitis, &c.

Secundariò, qui licèt ex accidente Partem aliquam singularem primò afficere possint: quia tamen Sanguinem, & Spiritus universim illicò inquinando, Naturam Morborum Universalium participant, neque ex propria sua Natura unam Partem singularem præ alia affectant, ritè in Classem Morborum Universalium referendi sunt, & in hoc sensu habendi. Huiusmodi sunt Lepra, Scabies, Lues Venerea, & fere omnes Morbi Chronici ex Contagione propagati.

Morbi Partium, qui à Viscerum aliquo, vel alia Parte singulari laborante immediatè producuntur ut ut Crasis Sanguinis à peculiari Spirituum Vitio labefactata, iis viam remotè sternat; Indeque totum Corporis Systema non nisi ex consequente his Morbis afficitur.

De Morbis Universalibus Acutis.

In hac classe primum sibi locum vendicant *Febres* omnes præter *Hecticam* & *Pallidam* [utpote quæ diutius protrahi, nec more morborum acutorum, crisi evidenti judicari solent] Deinde *Variolæ* & *Morbilli* ad eandem classem pertinere mihi videntur; quippe hi morbi totam machinam primo insultu afficiunt, respectu ad aliquam partem singularem non habito, more etiam cæterorum morborum Acutorum; paucorum dierum circuitu, indicari solent: Ideoque licet contra morem sit, de his morbis sub titulo febrium varioloſarum, & morbilloſarum in generali Febrium doctrinam agam. Primus enim variolarum & morbillorum insultus, non secus ac Febrium, subitus est & instantaneus, isque in genere nervoso, utpote à spirituum animalium ἀπαξία primùm & immediatè factus cum Comate, deliriis, spasmis, vomitione immani, dolore capitis & Artuum, lumbagine, aliisque ejusmodi symptomatis sociatus. Nec non Pathemata animi ac aerem contagiosum pro causis procatarcticis, non rariùs quàm aliæ quælibet Febres, agnoscunt, & in omnibus cum cæteris Febribus conveniunt, nisi quòd in his, quò certamen sit breviùs, eò magis, durante luctatione, urgeant symptomata; Ideò sub titulo morborum *Universalium* Acutorum, inter *Febres* acutas, *Variolas* & Morbillos ordine tractabimus, & ab eorum Ætiologia, & Pathologia, juxta Hypothesin nostram explicata, Indicationes curativas deducemus ad varia horum morborum stadia accommodatas, & quarum ope Medicus in sanandis morbis possit agere Philosophum & non Empyricum.

EXERCITATIO I.

De Febribus Acutis in genere, & præsertim de Febre Ephemera & Intermittente.

CAPUT I.

De Febribus Acutis in genere.

Febris Acuta in genere est Calor præternaturalis, in sanguine accensus à spiritu animali, miasmate quodam deleterio contaminato, & ex accidente quodam irritato, atque inde insolito more præter naturam suam expanso.

Hujus *miasmatis heterrogenei* descriptionem nemo sanè à nobis requirat, quandoquidem omnes nostros sensus planè superat: Quippe non tantùm intùs ex abusu sex non Naturalium generari solet, & inde hanc vim deleteriam sensim acquirere; verum non raro ab effluviis contagiosis cum aere inspiratis, à morsu serpentum, vel denique ab animi pathematis, momento quasi propagatur: Quocirca coniicere fas est hoc venenum, cujuscunque naturæ sit, subtilitate sua genium spirituum, non autem materiæ sensibilis, æmulari, & inde non humores, sed Spiritus animales immediatè afficere atque agitare, ut ut sanguinis massa inde sensim conturbetur. *Pathologiæ* morborum acutorum hucusque tenebris obvolutę quantùm lucis ex hac *Hypothesi* accedat, primo loco videamus.

(*a*) In prima Febris invasione, ab hoc veneno Spiritus animales planè obruuntur, illicò totum corpus, præsertim partes extremæ algent, Pulsus in debilem & celerem mutatur, Respiratio in citatiorem, debilem & anheloſam, tanquam Ægro statim ex Lipothymia morituro: sanguinem hoc tempore, urgentibus symptomatis, detractum, frigescentem sensi. Hoc stadium morbi vix unquam diu protrahitur; siquidem Spiritus irritati & vires suas recuperantes sese

[a] *Febrium acutarum Symptomata.*

ſeſe expandunt, unde, mutata ſcena, Algor in calorem febrilem convertitur, niſi vel venenum ſit in ſummo gradu malignum, vel robur ſpirituum adeo deficiat, ut ſeſe brevi iterum explicare haud poſſint. In iſto caſu, primo inſultui æger ſuccumbit. Juvenem novi paroxyſmo febris tertianæ per triduum algentem, ſine ſubſequente caloris paroxyſmo, & crebris lipothymiis laborantem, è vivis ſublatum; Cui, præ ſummo veneni gradu, & debilitate ſpirituum priùs diu laceſſitorum, neque frictionibus, neque calore externo quocunque modò adhibito, neque cordialium & medicaminum ſpirituoſorum exhibitione, quicquam adjumenti afferre, nec ſpirituum naturalem expanſionem reſtituere potuimus.

Quo intenſius, aut diutius protractum, vel quo remiſſius eſt hoc ſymptoma in primo morbi inſultu, eò magis minuſve deleterium venenum, aut vis ſpirituum elaſtica fortior aut debilior pronunciari poteſt; unde ab ipſo initio morbi de eventu magis minuſve periculoſo & fatali hinc licet judicare.

(a) *Indicationes* in hoc ſtadio morbi ſunt duæ, ſc. ut venenum deleterium Spiritus obruens citiſſimè Antidoto propria (modo ea nota ſit) ſubigatur; & Spiritus algentes & penè enecti, ope ſtragulorum & medicaminum cordialium, iterum ſeſe expandant, & ſubitaneam Machinæ ruinam elaſticitate ſua præcaveant. Manu tamen non admodum prodiga, nec niſi neceſſitas poſtulet, oportet hæc miniſtrari, ne poſt vim expanſivam ſpirituum inde reſtitutam, Æger hujus erroris pœnas luat, aucto gradu *Paroxyſmi* illicò ſubſecuturi. Quamprimum enim Spiritus animalis excitatur vires reſumpſerit, nullas ſibi metas ponit, & dum veneni eliminationem molitur, non raro totam fabricam incendio inteſtino conſumit. Namque in iſto caſu Spiritus ipſi incaleſcunt, & flammam in ſanguine accendunt non priùs extinguendam, quàm venenum expellatur: Siquidem jam morbus nihil aliud eſt quàm mala diſpoſitio totius corporis, orta à motu inordinato ſpirituum, in venenum antedictum inſurgentium, & novum ſymptomatum agmen procreantium: (b) Inter quæ ſicut *gravativa & Comatoſa Cerebri oppreſſio*, & inde totius ſyſtematis *laſſitudo ſpontanea* ab oppreſſione ſpirituum ortæ videntur; Ità *Horror*, *Tremor Artuum*, *Jactatio* inquieta, *Oſcitatio* & *Pandiculatio* niſum ſpirituum ſeſe expandere ſatagentium conſequuntur. *Vertiginoſa* autem affectio ab inordinato ſpirituum motu in Cerebro, ex hoc niſu & labore intenſo fit, ſicut & *Invaletudo Univerſalis*, præſertim ventriculi, cum nauſea & vomitu ſociata; Namque Vertigo, quæ uſum *Opii*, & in curru vel navi vectionem aliquando comitatur, nauſeam & vomitum pariter ſibi adjungit. Igitur quamdiu per totum morbi curſum hæc ſymptomata ſe produnt, conjicere licet vim ſpirituum adhuc à veneno quadantenus opprimi, nec ſe ſatis expandere poſſe in præſens Machinæ tutamen. Atque in Febris continuæ curſu, poſtquam Spiritus expanſi flammam in ſanguine, uno tenore diù ardentem excitarunt, ſi novus horror aut rigor, reliquo hujuſmodi ſymptomatum ſatellitio ſtipatus invadat (quod non rarò in praxi obſervare licet) niſi hoc ex mero accidenti, ab evidenti aliqua cauſa evenerit, aut à mutatione typi Febris in Intermittentem [quod ab horum ſymptomatum, ſtatis periodis, recrudeſcentia unicè conjiciendum eſt] fatalem eventum præſagit, & genus nervoſum à veneno recenti, aut vetere vires ſuas reſumente labefactatum, & Naturam deliriis, ſpaſmis, ſubſultibus tendinum, &c. mox ſubſecuturis victam, manes daturam.

(c) *Indicationes* in hoc ſtadio morbi ſunt ferè eædem cum priùs memoratis, ut *Alexipharmacorum* uſu, & ſtragulorum ingeſtione ſpirituum expanſio accelerentur, & promoveatur, donec vis veneni

(a) *Indicationes primum inſultum febris ſpectantes.*
(b) *Symptomata Febrilia.* (c) *Indicationes in ſecundo ſtadio.*

ni saltem obtundatur. Sicut enim ab aucta spirituum elasticitate symptomata hæc vel evanescunt, vel diminuuntur; Ità etiam, ubi Æger frigori externo expositus fuerit, inexpectatam horroris, rigoris & reliquorum symptomatum recidivam patitur, quo pacto, hoc morbi stadium ultra metam solitam non rarò protrahitur. Hæc verò symptomatum caterva, communiter loquendo, brevi evanescere solet, quippe quàm citissimè locum datura aliis numero pluribus, diutius duraturis, iisque planè contrariis, utpote à contrario spirituum statu ortum ducentibus; Modò, Algoris paroxysmo, Aegrotans non succumbat. Quamprimum enim Spiritus sarcinam excutere incipiant, & flamma in Spiritibus & sanguine accendatur, insequentur, in genere nervoso, *Cephalalgia* immanis, *Vigiliæ* pertinaces, *Deliria*, *lassitudo ulcerosa*, *dolores spasmodici* hinc inde versatiles, vel in parte singulari fixi, qualis est *Lumbago*, *Respirationis* & *Pulsus* celeritas & fortitudo, ac mutationes in humoribus non minores. Nam Urina jam primùm tingi incipit, & contentis saturari, & Aeri exposita non ratò partes nutritias præcipitare: Sitis, ut plurimùm, importuna adest, os arescit, Cutis siccescit, Appetitus prosternitur, Ventriculi digestio evertitur; Nonnunquam gradus aliquis *Choleræ* morbi, aut saltem *Diarrhœa* supervenit, nausea augetur, cum multis aliis; quorum ætiologiam ex hypothesi nostra jam daturi sumus.

(a) Distentio fibrillarum Cerebri, vel ejus membranarum à febrili spirituum expansione *Cephalalgiam* illam immanem producit, quæ febrilem calorem comitari solet, de qua Aegri præ omnibus aliis symptomatis, præsertim in principio morbi, conqueri solent, (b) Eadem distensio in toto corporis habitu, lassitudinem ulcerosam inducit; quale symptoma post equitationem violentam, vel quodcunque aliud insolitum & laboriosum exercitium sentimus, quoniam ab hoc motu fibras ultra tonum suum naturalem distendi accidit. Ex eodem fonte ὀστεοκόπον illum dorsi dolorem, *Lumbaginem* febris insultus comitari solitam, oriri ritè coniiciendum est; quippe in nervos insignes ab hac parte spinalis medullæ propagatos ad usus Artuum inferiorum, Spiritus insilientes & ferociter explosi eos ultra tonum naturalem extendunt. Hinc etiam *Dolores* huc illuc versatiles febrem *Rheumaticam* comitari soliti, & dolores *Spasmodici* in parte singulari fixi, [c] in *Febre* peripneumonica, *Pleuritica*, *Anginosa*, *Arthritica*, vel quacunque alia *Inflammatoria*, oriri mihi videntur. In febre *Rheumatica* dolores sunt versatiles, quoniam distensio compagi musculorum laxiori accidit. In spasmodicis verò, ubi dolor in parte singulari fixus est, explosio contingit in compage Tendinum & membranarum strictiori. At de hoc postea fusius in capitibus de Febribus inflammatoriis & Rheumaticis. In *Vigiliis pertinacibus & delirlis* Spiritus violenter moventur? In *Comate* à veneno deprimuntur; atque inde *coma* expertis Medicis præsagium, magis funestum suggerit, quàm vigiliæ: Namque ab incendio intestino non tam cita mors expectanda est, quàm à summo gradu veneni, quod Spiritus maximo conatu subigere sæpenumerò nequeunt. Denique robur & magnitudo *Pulsus* & *Respirationis* cum orgasmo febrili sociari solita, eidem spirituum expansioni debetur, atque inde abhinc de spirituum robore, de veneni progressu, & consequenter de Febris genio, vel benigno, vel maligno, & de eventu eius, vel salutari, vel funesto certissimè iudicari potest.

[d] Inter *Humorum* symptomata, semper ferè observatur, quòd *Appetitus* prosternatur; & Alimenti assumpti subactio admodum difficilis reddatur, adeò ut Febricitans vix quicquam appetat, & nihil præter potulenta, eaque tenuiora digerat; Quod à fermento ventriculi everso, & alterato fit, quippe fer-

[a] *Causa cephalalgiæ*. [b] *causa lassitudinis ulcerosæ*, &c. (c) *Quare dolor Rheumaticus sit versatilis*. (d) *Symptomata in Humoribus*.

fermentum illud per glanduloſam ventriculi tunicam ſecretum ad alimenta maceranda, è maſſa ipſa ſanguinis miniſtratur, indeque, pro præſenti ſtatu ſanguinis, non poteſt non alterari, neque munere ſuo iterùm fungi, donec ſanguis deferbuerit, & in ſtatum priſtinum redactus fuerit. [a] Similiter *Cholera Morbus*, *Diarrhœa*, *Nauſea*, & ad vomendum propenſio aucta, quæ hunc ſtatum morbi comitari ſolent, à vitio ſucci glandularum ventriculi & Inteſtinorum è maſſa humorum morboſorum ſecreti, producuntur; ſicut & *ſitis ingens* à ſaliva male diſpoſita, *Oris ariditas*, & *cutis ſiccitas* à glandularum ſalivalium & cutanearum conſtrictione, ex calore febrili in humoribus accenſo, efficitur: Denique (b) *Tinctura Urinæ rubra*, & copia *contentorum* ex eadem præcipitari ſolitorum, ab eodem calore dependent; inde enim partes ſanguinis bilioſæ incraſſantur, atque poris glandularum Hepaticarum à ſpaſmodica excandeſcentia ſpirituum conſtrictis, non amplius liberè ſecernuntur, vel in veſicam fellam, vel in porum biliarum; ſed in ſanguine coacervatæ, ſero per renes ſecernendo ſeſe adjungunt, atque urinam intenſa rubedine tingunt: Iſtæ ſunt particulæ unà cum nutritiis, quæ, ſi urina Aeri exponatur, præcipitantur, & eam conturbant.

Modo *Venenum*, omnium horum ſymptomatum fons & origo, ab *Antidoto* propria ſubigatur & curetur, (quod jam ſolummodò Indicatur) *Febris Augmenti*, *Status*, & *Declicationis* tempora non percurrit; &, ſine *Criſi* ſenſibili, redit Appetitus & concoctio; Pulſus, Reſpiratio, Urina, &c. ſtatum naturalem acquirunt. [c] Hæc certa, tuta & jucunda, & ea de cauſa optatiſſima, imò radicalis curandi ratio mihi videtur. At, cùm *Venenum*, in *Continuis*, & *Malignis Febribus*, nullis Antidotis, quæ nobis innoteſcunt, ſuperari poteſt, Medici eſt rem gerendam Naturæ committere, &, ubi non minùs periculum intenditur ab incendio in humoribus, ex inſolita ſpirituum expanſione, quàm è Veneno, pro vario ſtatu morbi, atque ſymptomatum inde natorum, Naturæ ſuccurere; ſive *Enematis*, *Venæ ſectionibus*, *Emulſionibus*, *Opiatis*, alliſve medicamentis orgaſmum ſanguinis compeſcendum, ſive *Vigilias Dolores* immanes, *Inflammationes*, *Excretiones*, aliaque hujuſmodi præſentis incendii pericula prævenienda judicet: Ideoque per totum curſum morbi, jam hoc, vel illo modo, Indicationes curativę, pro re nata, variandæ ſunt. Veriſſimum quidem eſt Spiritus, Veneno non valdè maligno oppreſſos, ſeſe ita aliquando expandere, ut hoſtem prima luctatione vel fugient, vel ſopiant, & inde κάτοχὴν & quiete potiantur, donec à veneni revireſcentia, novum certamen inſtituatur, quod in (d) *Febribus Intermittentibus*, imò quadantenus in *Remittentibus* ſeu *Synecheſi* conſpicere licet. Atque hujus Veneni (modo Natura ſibi ipſi non ſubveniat, abſque ſuppetiis Medicinalibus *Antidotus* Herculea, ferè omnibus nota in promptu eſt, ſc. *Cortex peruvianus*, à cujus juſta doſi tempeſtivè exhibita, illico Æger in ſtatum ſanitatis reduci ſolet. Sin verò, præ gradu veneni ſummè deleterii, vires hujus *febrifugi* planè ſuperentur [quod in febribus verè (e) *Synochois* & malignis quotidie contingit,] Natura, continuata ſpirituum vibratione indies magiſque ad extremum uſque gradum aucta, venenum ſive intus natum, ſive ab extra, contagione communicatum, eliminare molitur, in eo morbi ſtadio, quod Augmentum vocatur. Quo durante, ſicut flamma febrilis, pari gradu, in ſanguine intenſior in dies accenditur, ità *Cephalalgia*, *Sitis*, *Vigiliæ*, *Tinctura Urinę* (& in *febribus benignis*, fortitudo *Pulſus*, unà cum reliquis ſymptomatis à calore aucto provenientibus ſenſim creſcunt; Nec non, ab Inflammatoria humo-

[a] *Cauſa Cholerę Symptomaticæ, &c.* [b] *Cauſa Urinæ turbidæ &c.*
[c] *Febrium Curatio radicalis.* [d] *Febrium Intermittentium & Remittentium Antidotus.* (e) *Quid faciendum cùm Antidotus locum non habet.*

humorum acrimonia ulteriùs exaltata ; *Aphtæ* ſuppullulant *Albę*, vel pro genio veneni magis deleterio *Nigræ*, prout ſalivã è ſanguine magis minuſve venenato ſecerni contingit. Eadem acrimonia, dum ventriculum vellicat, *Singultum*, dum muſculos, membranas, vel partes glanduloſas impetit, *Dolores Rheumaticos*, *Pleuriticos*, *Phreneticos*, *Anginoſos* producit. Et hic quidem *Indicantur* ea omnia, quæ humorum orgaſmum contemperate poſſint, *Julapia* admodum temperata, diæta tenuiſſima, ſumma quies in lecto ſtragulis paucis cooperto in loco tenebricoſo, *&c.* quæ tamen cautè admodum adminiſtrari debent, ne inde repreſſi Spiritus in poſterum impares veneno eliminando reddantur.

Sin è contra, Spiritus jam ſuccumbere contingat, atque *Febris* cum præpropero *ſubſultu* Tendinum, *Delirio*, *Comatoſo* affectu, aliiſq; veneni Efferatioris Symptomatis Malignitatis ſpeciem induerit; vis ſpirituum expanſiva *Spiritibus Volatilibus CC. Sal Armon. Cardiacis* & *Alexipharmacis*, præſertim *Suppedaneis* acribus, & frequentibus *Veſicatoris* excitanda eſt ; Diæta quadantenus ditior indulgeatur, uti juſculum pulli *&c.* Æger à lecto nonunquam transferatur in aerem cubiculi clarum & apricum, ut Spiritus latius expandantur, & ſeſe à ſymptomatis malignis liberent.

Ubi verò, Spiritus jam ſenſim, ultimis conatibus, ſe dilatarunt *Status Morbi* incipit, quem ſępenumerò per plures dies protractum conſpicimus, antequam Natura vel vincat vel vincatur, calore febrili unà cum omnibus ſymptomatis, uno tenore fluentibus. Ideòque non multum nunc à Medico, abſq; urgente neceſſitate; moliendum eſt, verum totum negotium Naturæ ſoli, & *Patiens* regimini debito committendus, eſt niſi quod temperatis *Cardiacis* jam vis ſpirituum fovenda ſit, non *Opiatis* & refrigerantibus, multo minus *Venæ ſectione* opprimenda.

Quamprimùm verò Natura Venenum intus deliteſcens excutere & ſubigere, in agone ultimo, ſemel tenta verit, non diu res manet in æquilibrio, verùm *Criſis* inſtat, Natura quam citiſſimè triumphatura vel triumphanda. Si quidem, cum primum à ſubactione veneni incœpta; Natura quadantenus ſuperior evaſerit, calor febrilis illico mitigari incipit, atque ſymptomata indè provenientia diminui, uti *Vigiliæ*, *Deliria* &c. *Pulſus* fortior, & minus celer ſentitur, atque *Reſpiratio* liberior, *Apthæ* decreſcunt aut ſaltem colorem in melius mutant. Emunctoria corporis calore prius conſtricta reſerantur, atque lympha inutilis & effœta, in habitu corporis prius congeſta qua data porta, libere effluit: Cum per *Renes* excernitur, Urina prius pauca, tenuis, & ſtraminea; jam copioſa redditur, contentis ſaturata, vel ſaltem *hypoſtaſin* aut *enæorema* dimittens: Cum per poros cutis emittitur, *Sudores* ſunt univerſales, iique calidi & ſatis copioſi, & cum εὐφορίᾳ tolerati: Cum è ductibus Salivalibus, Rivulus Lymphæ ſanæ os colluit, Aphthæ abſterguntur, brevi ſaneſcunt, & ſitis extinguitur. Nonnunquam *Criſis* ſit per glandulas Inteſtinorum, ſuperveniente *Diarrhœa* miti, & cum nullis torminibus ſociata. Quæ quidem *Criſis*, in Febribus *Benignis* & mere *Synechęſi*, ſicuti cum agone evidenti, agitatione extrema totius Machinæ accidit [quod à *jactatione*, *Anguſtiis* pectoris *Scintillatione* oculorum, *Hæmorrhagia* narium profuſa, *&c.* præcedentibus concludere licet,] ita brevi finitur, Ægro ſpatio paucarum horarum cum ἀναπαύσει placidum ſomnum capeſſente.

Sudores in hoc morbi ſtadio erumpentes non *Criticos*, verùm reapſe *Effectum* & *Signum* Criſeos incœptæ ritè æſtimo, quippe primum fomitem morbi, non in maſſa humorum ſenſibili, ſed craſi ſpirituum morboſa deliteſcere exantedictis ſatis conſtat, Atque ut ex uſu Remediorum Diaphoreticorum & calidorum, vigente adhuc febre, perperam exhibitorum, pori cutis à calore aucto plus conſtringuntur, ita in *Malignis* febribus, & maximè periculoſis (ubi præ gradu veneni intenſo Spiritus oppreſſi flammam in maſſa humorum accendere nequeant, qua pori conſtringantur) non raro conſpicimus Ægrum, per totum curſum morbi, *ſudoribus colliquativis*, *Diarrhœa* aliiſq;

aliisque evacuationibus confectum. Quæ inde symptomaticæ apud veteres audire solent, & parili gradu, quo augentur, ruinam præsentem minantur. Et quidem in articulo Mortis, ubi jam à veneno prevalente Spiritus enecantur, & expansiva sua facultate privantur, cum flamma nativa, æque, ac præternaturalis extingui incipit, solutis poris calore prius constrictis, quam immanis sudoris rivo Æger madefactus animam efflat. Unde concludendum est, *Sudores*, cujuscunque generis fuerint, immediatè dependere à laxitate pororum; sive Spiritus à veneno diminuti [sicut accidit in symptomaticis & colliquativis sudoribus] poros amplius constringere non possunt, sive Febrili calore in ordinem redacto, pori ante constricti naturalem laxitatem recuperant, quod ante sudores criticos evenire solet; qui non inde Critici æstimari debent, ac si per excretionem lymphe cujusdam [qua totus habitus corporis adhuc infercitur) Crisis fieret; verum quatenus sunt Criseos, per Spiritus ipsos effectæ, signa Diagnostica. *Cutis* nimirum horum sudorum, instrumentum est nervea membrana, & ad nutum spirituum animalium poros suos facillimè contrahit & dilatat, sicut in sudoribus subitaneis perturbationes animi insignes comitantibus, videre est. Et in quavis parte corporis sudore madida si frigido aeri exponatur, statim enim cutis anserinæ pellis contrahitur. Nec frigus tantùm, verùm etiam nimius caloris gradus horum pororum (*a*) constrictionem spasmodicam inferre valet: sicut enim liquorum frigidorum ingurgitatio sudores non rarò provocat, ita è contrà, spiritus vini & càlidorum potatio eosdem temperat ac diminuit. Spiritus enim temperamento moderato, inter calidum & frigidum medio præditi ab utriusque qualitatis extremo gradu in spasmos aguntur; & inde pori cutis à calore & frigore extremo pariter constringuntur.

Febrium Malignarum Crisis uti sensim & sine notabili apparatu fit, ita tardiùs procedit, & tandem, plurium dierum circuitu absolvitur. Sub initium vix percipitur; nisi ex Urinæ copia & Tinctura, unà cum Hypostasi aliquali, sudoribus levibus in dies recurrentibus, miti Diarrhœa, vel *Salivatione*, &c. quippe prout venenum intus delitescens à spiritibus adhuc quadantenus oppressis sensim subigitur: Ita calor febrilis unà cum deliriis, spasmis, subsultibus Tendinum, *&c.* sensim diminuitur, atque liquor effætus, prius congestus per Cutim, Renes, Hepar, ductus Salivales, glandulas Intestinorum, *&c.* protruditur.

Durante (*b*) Crisi, utrum illa fuerat Acuta, vel tarda (quæ etiam veterum sententia fuit) absque urgente necessitate, nil moliendum est. Expansio justa spirituum unicè Julapiis Cordialibus admodùm temperatis, dieta quadantenus ditiori è jusculo pulli tenuiori, atque regimine in cæteris debito fovenda & substentanda est. Sicut enim à cordialorum quantitate nimia, vel qualitate incõgrua, modo eà perperam jam axhibeantur Spiritus priùs nimis expansis, jamque ulterius incitati ferociter insævire solent, Atque *Hæmorrhagiis*, *Sudoribus* immanibus aliisque id genus colliquationibus Ægrum prius debilem affligere, aut calorem *Hecticum* accendere, quo pœnas erroris diuturnas, post Crisin Febris acutæ patiens luat; Ita ab *Opiatis*; *catharticis*, magis vero ab *Emulsionibus*, *julapiis* vel *Apozematis* refrigerantibus, maxime à *Venæ sectione*, absque urgente necessitate, celebrata, non raro contingit Morbum illico recrudescere, Cum enim expansio spirituum hoc modo intempestivè, & perperam præpediatur, Venenum sese in tantum recolligit, ut Natura, jam debilitata, victoriam pene partam vix aut ne vix reportare possit. Quo nomine vehementer oro obtestorque omnes artem medicinalem exercentes, ne, in hoc articulo Morbi, absque urgente necessitate, proprii lucri, vel famæ causa, quicquam moveant, vel quidem tentet, imò, quoties necessarium videatur vel fræno vel calcaribus uti, ut, cum summa cautela, & parca manu, id faciant, satius enim

[a] *Calor sudores impedire potest.* [b] *Quid agendum in Crisi*

enim est Ægros à morbo quàm à Medico trucidari.

In ultima harum Febrium Scena, ubi Natura Veneno victa manus datura est, ubi adsunt diriſſima nervoſi generis ſymptomata, cum Reſpiratione ſuſpirioſa, pulſu tremulo, urina clara & ſtraminea, & madore frigido per totam machinam diffuſo præter caput, quòd jam intenſè incaleſcere ſolet, modo quicquam adhuc tentandum reſtat, unicè indicatur copioſus uſus *Alexipharmacorum*, *Spirituum Volatilium*, acrium *Suppedaneorum*, atque frequentium *Veſicatoriorum*, ut, ex inflammatione artificiali, ſpiritus animales languentes & oppreſſi tandem reſuſcitentur, quo modo plurimos ab Orci fere faucibus revocatos novi.

Hęc doctrina magis illuſtrabitur, cum ad particularium febrium explicationem deſcendemus, quam ſtatim aggrediemur, deſcripto prius ſchemate generali omnium Febrium, de quibus in *Puretologia* noſtra tractaturi ſumus.

CAP. II.

De Febre Ephemera ſive Diaria.

SUpervacanea forſan videatur de hac Febre diſſertatio, ut ut ſuccincta, cum ultro abſque artis noſtræ auxiliò, ſpatio xxiv. horarum finiri ſoleat. Quandoquidem vero *Puretologia* in genere; atque præſertim hypotheſis noſtra de cauſa febris *Continente* & immediata, inde quadantenus illuſtrari poſſit: Necnon, quia ex venenatis principiis priùs in ſpiritibus deliteſcentibus, & jam in actum erumpentibus, vel ex malo regimine, haud raro contingit Febrem Ephemeram in *Intermittentem*. *Continentem*, aut *Malignam* ipſam tranſmutari; Operæ pretium erit, brevi, de genio & eventu hujus Febris obſervationes noſtras ſubnectere.

Febris Ephemera eſt, quæ immediate à mera agitatione, & motu ſpirituum animalium nimio, ab evidenti aliquo externo accidente, ſine apparatu venenato, producitur, ideòque, legitimè tractata, ſpatio xxiv. horarum ſponte ſæpenumero terminatur. Spiritus nimirum diu agitati, ſeſe, pro tempore, more febrili expandunt, ac ſi à veneno aliquo intus nato perciti; indeq; maſſam humorum tandem accendentes, ſuperinducunt (a) *Pulſum* celerem, *Sitim*, *Dolores*, *Lumbaginem*, *Laſſitudinem* ulceroſam; *Rigores* incertos, atque id genus ſymptomata febrilia.

(b) Cauſæ *Procatarcticæ* & Evidentes ſunt Inſolatio, Equitatio, ſive quęvis alia exercitia laborioſa; vigiliæ diuturnę, ſtudia intenſa, & alia quęvis Pathemata animi graviora, ingurgitatio multa liquorum ſpirituoſorum, cæteraque ejuſmodi, quæ niſum, motum, & fervorem inſolitum in ſpiritibus efficiendo, eos in ſummam, licet accidentalem, expanſionem adigunt:

Indicantur unicè quietus admodum in lecto decubitus, atque ſomnus, quo ſpiritus, non amplius jam agitati, ſponte [ſenſim licet] in ſtatum maturalem redigi queant. Quo facto, flamma in ſanguine illico extinguitur, & Febris cum omnibus ſymptomatis, ceſſat, Ægro tandem madore undiquaque perfuſo, ſero per calorem febrilem colliquato, & jam per poros cutis, non amplius fervore inimico conſtrictos, copioſe excreto.

(c) Durante flamma febrili, tenuis ac parca diæta inſtituatur; æque ac in alia quacunq; febre; Copia enim cibi vel potus ingeſta, antequam Ventriculi fermentum reſtituatur, vix minùs quàm veneni in nervis deliteſcentis exſuſcitatio, hanc febrem extendit, eamque mutat in Intermittentem vel Continuam, eamque aliquando malignam; & tunc novę Indicationes curativæ exſurgunt, quę in reliquis hujus Puretologiæ capitibus continentur. Ex dictis conſtat nullum eſſe κριτήριον Pathognomonicum hujus febris, unde ante horas xxiv. certo dignoſci poſſit, nam ſi unius diei limites hæc febris excedat, Typum atq, nomen novum ſibi adſciſcit.

CAP.

(a) *Ephemerę Symptomata.* (b) *Cauſę Procatarticę,* (c) *Diætæ febris.*

SYNOPSIS FEBRIUM.

FEBRIS ab insolita Spirituum expansione in Sanguine accensa oritur, Cujus indicia Generalia petenda sunt à celeritate Pulsus, Siti, Fœditate Oris, ariditate Linguæ, atque tinctura & contentis Urinæ, potiùs quàm ab externo calore, qui pro præsenti Spirituum expansione plus minus aucta, atque diverso Aeris ambientis temperamento variatur.

HECTICA, seu habitualis à miti, verùm permanente Spirituum expansione præternaturali; quippè à Veneno delitescente leniori atque minùs irritante orta, à quo Spiritus minùs lacessuntur, & rariùs tantis viribus insurgunt, ut id quod noxium est, expellere possint; unde lenis, attamen Hectica, & fixa febricula formatur, quæ tandem inflammationem Pulmonum, Hepatis, seu alicujus alterius Visceris, pro genio Veneni speciali, atque Phthisin sui generis inferre solet. Ad hanc Classem referenda est Febris Virginum Pallida seu Chlorosis à Menstruarum purgationum suppressione ut plurimùm orta. Verùm hanc impræsentiarum omitto, quia pertinet ad alteram Classem Morborum Generalium sc. Chronicorum, ubi ex professo de ea tractaturi sumus.

Est

ACUTA, quę sicut oritur à vehementi Spirituum expansione, quæ eos ad ultimum nisum brevi adigit; Ita circuitu paucorũ dierum, vel horarum Critice finiri solet. Estque

Veneni expers, Ab insolatu, Exercitio nimio, vel aliquo alio ejusmodi Accidente externo, sine apparatu præcedenti seu venenato aliquo Miasmate intùs nato, vel Contagione ab extra in Spiritus impresso orta; Unde Spiritus jam ex accidenti, ac si à Veneno agitati, modo Febrili excandescentes, totam massam Sanguinis accendunt, atque Machinam universam lassitudine spontanea, Algore, Calore & Sudore sese vicissim excipientibus, afficiunt; verùm à somno & quieto decubitu in lecto, qui est unica hujus Febris Antidotus, spatio 24. horarum, quiescentibus jam Spiritibus, priùs agitatis, ultrò terminari solet. Et inde apud Veteres *Febris Diaria* audit.

A veneno orta, sivè intùs sensim nato, vel Contagione impresso, quæ diutiùs durare solet usque dum fomes Febrilis ab Antidoto propria vel expansione spirituum justa eliminatus seu subactus fuerit. Estque

Intermittens; Quotidiana seu Tertiana, Quartana simplex, &c. Tertiana, Quartana duplex, &c. quæ more *Febris Diaria* spatio 24. horarum, plùs minùs finitur. Verùm quandoquidem à veneni intùs nati peculiari genio oriatur, quod brevi, scil. singulis vel alternis diebus vel 40. quoque die recrudescere solet, Luctatio inde periodicè tàm diu instauratur, donec ab Antidoto propria, vel saltem justa Spirituum expansione radicitùs hoc venenum eliminatum fuerit.

Continua, quæ plures dies durat, vel uno tenore, vel cum periodicis statis aut incertis exacerbationibus, atque in dies augetur usque ad Statum, nisi Arte priùs sistatur. Estque

Συνοχὴ, seu, *Continens*, quæ quamvis *Continua*, singulis vel alternis diebus stato vel incerto tempore periodicè exacerbatur, ad modum Febris Intermittentis, cui congener videtur, orta à Veneno mitiori quam quod Συνόχους Febres excitat. Nec Spiritus in hac adeò pessundantur, quin fortiter sese adhuc expandere queant, uti ex Pulsu forti, intenso caloris gradu, Urinæ saturatæ rubedine, & copiosis contentis, Aphthisque albis, &c. apparet. Ideòque Venenum non tantùm à *Cortice Peruviano*, sed etiam à frequenti vibratione Spirituum satis expansorum deleri potest. Estque vel

Simplex (Ubi exacerbationes & Remissiones stata dicti hora juxta Typum Morbi genuinum revertuntur.

Mixta — seu Spuria, Ubi ob Symptoma aliquod vehementius adjectum de genere Inflammatorio, vel Colliquativo, œconomia Spirituum adeò conturbatur, & Natura exiude adeò pervertitur, ut Paroxysmi periodici non aliunde quàm ab istorum Symptomatum incerta exacerbatione dignosci queant.

Inflammatoria, Utpote cum insigni alicujus Visceris, Glandulæ, aut Membranæ inflammatione, pro genio veneni, cõjuncta. Quæ quidem Febri Συνόχους congener est, atque à non dissimili Veneno orta; nec non typum Periodicarum non rarò imitatur. Estque

Universalis, in qua habitus totius corporis vel actu inflammatur, vel facile inflammari pósit, quandoquidem nulli particulari Parti determinatur. Estque

Morbillosa — & *Scarlatina*, Ubi scil. Cuticula tota efflorescentia æqua & plana, vel maculis pulicaribus rubris planis hic illic interpunctim distinguitur.

Variolosa. Ubi Cutis ipsa Exanthematis distinctis, vel confluentibus passim inflammatur.

Erysipelatosa. Et *Herpetica*, ubi Cutis tumore notabili corripitur, latè se diffundente, Cutem incrassante & Ulcerante; vel *Inflammatio per Cutem serpens*, antè & post Exulcerationem Semina Milii refert.

Rheumatica — Cum dolore, tumore, & Inflammatione versatili, nunc in uno, nunc in altero Musculo, aut Artu conjuncta.

Vel

Particularis, In qua Pars aliqua determinata inflammatione tentatur. Estque

Soporosa, Phrenetica, Opthalmica, Otalgica — Ubi partes Cerebri Medullosæ, præsertim Corpora striata, Inflammatione afficiuntur.

Opthalmica, Otalgica — Ubi Meninges inflammantur.

Odontalgica — Ubi Glandulæ vel Membranæ, Oculorum, Auris, & Dentium inflammatione corripiuntur.

Anginosa — Cum inflammatione Glandularum in faucibus sitarum comitata.

Peripneumonica — Seu Pleuritica cum inflammatione Pleuræ & Pulmonum conjuncta.

Colica — Ventriculo vel Intestinis inflammatis.

Testicularis — Inflammato uno, vel utroque Testiculo.

Puerpera — Ubi Mammæ, vel Uterus inflammatione tentatur.

Hepatica — Cum Hepatis inflammatione.

Urinalis — Ubi Vesica Urinaria, vel Renes inflammantur.

Colliquativa, Quam excretio humorum per Glandulas aut Membranam aliquam Glandulosam enormis comitatur.

Cum Vomituritione.
Cum Symptomatis Diarrhææ & Dysenteriæ.
Cum Symptomatis Choleræ Morbi.
Cum Salivatione, Ptyalismo immodico.
Cum Fluxu Urinæ nimio.
Cum Sudoribus immensis.

A veneno autem mitiori orta Συνόχους congener est, & sæpè Typum periodicarum exprimit, Comitata Συνόχους, seu Continua, ab initio ad finem ubique æquabilis, sine Paroxysmis, sine exacerbatione & remissione Symptomatum periodica, malignitatis semper particeps à Veneno quod Spiritus superat vel saltem æquat oriunda; & dignoscenda præsertim à gradu caloris externi mitiori & æquali, Pulsu debili ac celeri, Urina tenui & straminea, ad instar Urinæ sanorum, lingua arida, subfusca, Scabiosa, vel aliquando sanorum simili atque Aphthis nigris. Estque

Simpliciter Maligna — Ubi Spiritus Veneno, vires suas æquante obsidentur, ita ut æqualis fiat Luctatio inter Venenum & Spiritus, qui nullo gradu [illegible] jam afficiuntur; Unde humores Sphacelo non corripiuntur: Bubones, Carbunculi, Petechiæ, Exanthemata Miliaria, cæteraque Veneni Spiritus superantis indicia non erumpunt; attamen plerumque Sudores Colliquativi, & Symptomatici malignitatem arguunt.

Febris Pestilentialis — Ubi Spiritus Venenato Miasmate intensè Deleterio ab extra communicato, vel intùs nato imbuti, fere enecantur, humores inde tantùm non Sphacelati malignitatis indicia exteriùs in cute produnt per Petechias, Maculas Purpureas, Eruptiones miliares, Morbillosam in pectore efflorescentiam, &c.

Pestis, — Ab intensissimo Veneno orta, quæ ex Bubonibus, Carbunculis, & Maculis nigris cognoscitur.

Verminosa, quæ nulli è Speciebus memoratis præcisè determinari potest, Quippe unamquamque speciem induit, jam Hectica, jam Acuta; Intermittens, Continua, Συνόχους, Inflammatoria, ut plurimùm autem Colliquativa, vel Συνόχους, & Maligna pro vario gradu Venenati Miasmatis eam causantis. Ideòque ultimo in loco, idque ad modum Appendicis, varium ejus Genium indagare, atque explicare statuimus est.

Inter fol. 204. & 205

CAPUT III.

De Febre Intermittente ejusque causa, Typo & Symptomatis.

FEBRIS *Intermittens* (a) est calor præternaturalis in sanguine accensus ab insolita spirituum expansione, statis periodis, quotidie sc. tertio vel quarto die, vel sæpiùs redeunte, pro genio Veneni eam efficientis, unde *Quotidiana*, *Tertiana*, *Quartana* simplex vel duplex audit. In hac Febre *Algor*, *Rigor*, *Calor* & *Sudores* sese vicissim excipiunt; Nec absunt *Ægritudo universalis*, *Nausea* & *Vomitus*, *Dolor Capitis*, *Lumbago* reliquaque ejusmodi symptomata.

Quid sit hoc Venenum (sive id intùs natum fuerit sive ab extra admissum) haud facile est explicatu, quia sensus omnes nostros plane superat atque fugit, æquè ac spiritus ipsi qui eo imbuuntur. Ideòque satis est ejus talem existentiam à posteriori seu affectu probare, scilicet à veneni symptomatis, quæ in morbo inde formato sese prodere solent, quæ non raro eadem sunt cum iis, quę à veneno sensibili oriuntur, uti *Lipothymiæ*, *Vomitiones* immanes, *Ægritudo universalis*, *dolores spasmodici*, &c.

Verùm, fermentum venenatum hujus *Febris* [quicquid sit] mite admodùm videtur præ fomite Febris cujuscunque alterius: Spiritus enim eo imbuti, quàm citissimè, vi sua elastica jam exsuscitata, in tantum sese expandunt, ut spatio xxiv. horarum venenum subigere veleant; nec non Venenum vires Antidoti vulgaris *Corticis scilicet Peruviani*, brevi, agnoscit. Insuper *Fortitudo pulsus*, *profunda Tinctura* urinæ, *Gradus caloris* febrilis, *immanis Vomitio*, vel *Diarrhœa*, *profusi sudores*, unà cum citissima exacerbatione omnium symptomatum cæterorum; sicuti spirituum fortem expansionem probant, ita etiam genium veneni minùs deleterium, & spiritus agitatos, potius quàm oppressos esse arguunt.

Argumentis, quę in Hypothesi nostra generali attulimus, pensitatis: Nemo (opinor) fermentum hoc venenatum in receptaculis, visceribus aut recessibus nescio quibus, ad mentem veterum collocabit, verùm in gremio spirituum delitescere, atque statis periodis, pro genio veneni, revirescere concedet, præsertim cùm omnes confiteantur fomitem insultuum *Hystericorum* & *Epilepticorum*, qui non rarò stato tempore, sicut Intermittentium Febrium paroxysmi, repullulant, in nervis contineri.

(b) *Causæ procatarcticæ* hujus miasmatis, saltem evidentes, sunt *Frigus* ab ambiente aere, vel decubitu in terra sub Dio, ex quo Spiritus animales, saltem ii qui in extremis plexibus fibrarum & nervorum cutaneorum hospitantur, algentes, tonum suum naturalem quadantenus amittunt, unde œconomiam spirituum illico everti contingit. *Aer* item externus, præsertim *Palustris* vel *Autumnalis* inspiratus, & cum spiritibus commixtus, particulis heterrogenis & venenatis ita nonnunquam refertus est, ut *Febres Intermittentes* non alia de causa in locis palustribus & oris maritimis *Endemiæ* fiant, atque Autumnali tempore fere ubique *Epidemicæ* evadant. Fatendum tamen est à cibo δυσπέπτῳ; subito terrore, cæterisque animi pathematis gravioribus non rarò hoc venenum exaltari, & nullus dubito, quin à longo abusu sex rerum non naturalium hoc Venenum, ut plurimum, intus nascatur, ut ut ab externis evidentibus causis in actum ducatur: unde evenit quod ab iisdem causis externis non omnes parili modo Febre *Intermittente* afficiuntur.

(c) Ubi ab energia Veneni prius intus delitescentis, jam verò à causa aliqua evidente exaltata, Spiritus quasi opprimantur; flamma vitalis ferè extinguitur, Pulsus fit *celer*, *oppressus* & *debilis*; *Urina tenuis* & *Pallida*, Cerebrum *grave* & *Comatosum*, *Algor* etiam totam machinam invadit, qui præsertim prope *Spinam* dorsi; è qua spirituum animalium canales propagantur, atque in naso & extremis artubus sentitur.

Quamprimùm Spiritus cum veneno manus

[a] *Intermittentis Definitio*. (b) *Causæ procatarcticæ*, (c) *Symptomata*.

manus conseruerunt luctationem incœptam esse *vertiginosus*. Cerebri affectus prodit: Sequuntur autem in reliquis machinæ partibus *Vomituritio*, *Oscitatio*, *Pandiculatio*, *Jactatio inquieta & suspirioſa*: *Oppressio Hypochondriorum gravativa*; *Respiratio anheloſa*; *Horror & Rigor vniversalis*, donec flamma in sanguine accendatur, à qua Pulsus *fortis & celer* evadit, Urina *rubedine* tingi incipit à Bile, præ calore, inspissata & inde in sanguine coacervata: nec non contentis plus debito saturari à particulis chylosis eadem de causa colliquatis, & in sero præcipitatis. Incalescit totum corpus, & maximè Artus extremi, qui siccescunt, quia pori cutis à calore contrahuntur: *Sitis* adest, vel quia papillæ salivales constringuntur, vel quia saliva, ab ebulliente sanguine secreta, miti sua & leniente facultate exuitur. *Cephalalgia* meninges, *Lumbago* partes spinæ vicinas, *Lassitudo ulcerosa* universos ferè musculos ac totum genus fibrosum torquet, imò ab insolita distensione musculorum quorundam maximè debilium, spiritibus immaniter explosis, non rarò oriuntur dolores *spasmodici horrendi*, iique hunc illuc *versatiles* more *Rheumaticorum*; vel in membranis compage strictiore donatis fixi, *Pleuriticorum*, *Colicorum*, *Cholericorum*, &c. æmuli, una cum *copiosis vomitionibus* aut *fluxibus* alvi, quoties acrior lympha colliquata, è sanguine ebulliente in ventriculum aut intestina confertim excernatur. Idem perturbatus spirituum motus pertinaces *Vigilias* infert, *Deliria*, durante Paroxysmi febrilis vigore, atque multorum aliorum symptomatum satellitio stipatus est, quę nunc recensere longum foret.

Hæc molesta symptomata ad vii, x, xii, aliquando xxiv. horas durare solent, & circa finem Paroxysmi vehementiora fieri. Primum insultum hujus Febris, præsertim, ubi parvulos ea corripi contigerit, per triduum vel quatriduum protensum, typum *Febris Continuæ* pro tempore induisse, non raro me observasse, memini: Namque, pro genio veneni citiùs aut ferrus Paroxysmus solvitur, & symptomata cessant: Quamdiu autem venenum intus delitescens viget, Paroxysmus elongatur, augentibus symptomatis; donec, ultimo tandem conamine spirituum, veneni vigor subigatur; aut saltem sopiatur. Hoc facto succedunt sudores. Et deinde ἀναθερμία, quę eo usque durat, donec veneno, de novo refervescente, spiritus recens irritati, certamen iterum instaurent, atque inde Paroxysmus febrilis iterum formetur, (*a*) cum symptomatis, prius memoratis, & impensa Naturæ nova. Siquidem hujus veneni indoles peculiaris est, atque ab omni alio fermento febrili planè diversa, licet enim, extrema spirituum expansione in singulis Paroxysmis facta, ejus energia plane vincatur, & subigatur, intus tamen adhuc delitescit, novas tragœdias daturum, usque dum ab arte vel Natura miasma febrile non tantùm subactum, sed & penitus eliminatum fuerit. Quippe mensuram *durationis* cujusque veneni, quod fomitem hisce febribus ministrat (ut mihi videtur) Natura ipsa determinavit, quod exinde, licet ab usu propriæ & potentis Antidoti, aut prępollenti & frequenter repetita spirituum expansione, per plures hebdomadas vel menses subactum videatur; à leviſſima occasione, immò non raro absque evidenti causa revirescere solet, donec metam durationis à Natura constitutam attigerit. Hoc facto vel sponte exulat Fermentum, vel à copioso & repetito Antidoti usu, aut ab expansione spirituum satis valida, Natura hoste superior facta vires veneni prorsus prosternit.

(*b*) Hinc mihi *Corticis Peruviani* justo defensio suscipienda est, Cui salutifere Antidoto à φιλανθρωπία ipsa in levamen ærumnarum vitæ humanæ plurimarum divinitus concessæ convitium faciunt Adversarii, quia febrile fermentum inde subactum, sæpenumero post hebdomadas, vel saltem menses aliquot revirescere solet. Quum revera hocce fermentum (quicquid sit,) durationis suæ spatium fixum & determinatum habeat, jam brevius, jam longius, & sæpius ad plures menses

(a) *Febrium intermittentium duratio.*
(b) *Cortex Peruv. est causa recidivationis Febrium.*

menses imò & annos protensum, adeò ut, priusquàm hic Fomes metam suam ultimam attigerit, Febris inde orta, quocunque modo curetnr, sive alio quocunque *Arcano*, sive more methodico scilicet *Venæsectione*, *Emeticis*, *Cathartici*s, *Epithematis*, *Pericarpii*, *Diaphoreticis*, &c. (modò hæc unquam scopum attingant) vel Naturæ solius viribus, (quod non rarò fit æstivo tempore, cùm ex appropinquante sole vis spirituum expansiva multùm fovetur & augetur) non rariùs tamen Æger recidivam patitur, quàm si Antidoto magna usus fuisset. Indeque Febrium recidivatio soli *Cortici* imputanda non est, potiùs jure lætandum nobis est, quòd Remedium istiusmodi possideamus, quo Naturæ diu oppressæ & attritæ quoties libuerit, succurrere & fatalem hujusce morbi exitum præcavere possimus ut ut à curatione aliquando repullulare soleat. Quinetiam nescio an non à frequenti, atque post justa intervalla repetito ejus usu, eradicatio fomitis ipsius venenati accelerari queat. Certè revirescentia Morbi *Cortice* curati non medicamento, sed Medico vel Ægro accepta referenda est; præsertim ubi jam vili pretio, magnum hoc Remedium comparari possit, & à liberali ejus usu nunquam quicquam detrimenti ægros passos esse, quantum ego scio, hactenus observatum est at à nimis parca ejus dosi hoc incommodi accidit, quòd Morbus exinde vel in propria, vel, *Protei* instar, in alia forma ad revirescendum aptus natus sit.

Quanquam febrilis Paroxysmus *Acutus* sit, Morbus tamen ipse quicunque fuerit ejus Typus, *Quotidianus*, *Tertianus*, *Quartanus*, simplex scilicet vel duplex est ferè semper plus minùs Chronicus, duraturus usque ad perfectam eliminationem (*b*) venenati miasmatis, quocunque modo id tandem fiat. (*c*) Fermentum enim hujusmodi Febrium (quicquid è contra veteres senserint) exinde mihi videtur non multiplex, sed unum idemque esse, quia hæ febres [præsertim ubi diu duraverint] typum suum absque aliqua evidenti causa mutare solent, atque Febris quæ jam *legitima Tertiana* audit, post unam vel alteram hebdomadam *Quotidiana*, *Hemitritæa*, immò non raro *Quartana* evadit, & vice versa. Quid; quod semel observavi, hujusmodi Febrem, ex malo regimine in *Malignam Petechialem* admodùm periculosam degenerasse; cujus curatio maxima ex parte liberali usu *Corticis Peruviani* absolvebatur genio veneni primarii id suadente. Præterea fermentum cujuscunq; Febris intermittentis viribus *Corticis Peruviani* indifferenter cedit; Et observatu facile est, unciæ uni Chinæ chinæ ipsam Febrem *Quartanam*, absque apparatu *Apozematum deobstruentium* à veteribus decantatorum atque solennium *Evacuationum*, æquè cito & certo locum cedere, ac simplicem *Tertianam*, *Quotidianam*, aut quamcumque aliam hujus generis vel levissimam.

CAPUT IV.

De Signis Febris Intermittentis Diagnosticis.

FEbris *Intermittentis* in genere (*a*) aut *Quotidianæ*, *Tertianæ*, *Quartanæ*, *Hemitriteę* in specie genuinæ scilicet signa *Diagnostica* & Pathognomonica enarrare supervacaneum mihi videtur; cùm ea ex paroxysmorum diligenti observatione, nisi *Febris Intermittentis* typum alterius morbi induerit, cuivis innotescant è symptomatis priùs descriptis. Atque symptomatum Diagnosticorum *Ætiologia* vera & satis luculenta ex antedictis peti possit. Verùm quandoquidem aliquando accidit, ob vehementiam symptomatis alicujus singularis cætera omnia in tantum superantis, ut *Algor*, *Horror*, *Calor*, &c. non tantùm Adstantium sed etiam Ægri ipsius sensum planè fugiant, Æger de hoc vehementi symptomate unicè conqueratur, &, durante Paroxysmo, tractari postulat methodo, ipsi morbo, sub

(*a*) *Febris Intermittens est morbus Chronicus.* [*b*] *Omnium Intermittentium fomentum est ejusdem generis.* (*c*) *Diagnostica.*

ſub cujus larva Febris jam latitat, debita; ejus tamen revireſcentia vix aut ne vix præcaveri poſſit abſque *Cortice Peruviano*, vel alia (ſi qua ſit) Antidoto in paroxyſmor. intervallis exhibita; operæ pretium mihi videtur hujus *Protei* varias formas, ſaltem quæ mihi adhuc innotuerunt, enumerare, quin & criteria ſubjicere, unde dignoſcantur à veris ipſis morbis quorum typos mentiuntur.

(a) Quanquam multa arte genium ſuum aliquando diſſimulent *Febres Intermittentes*, certo certiùs tamen ex *Vrina* [quæ jam multùm tincta eſt, contentis ſaturatur, & ſedimentum præcipitat colore plus minùs lateritio, ut in verè Intermittentib. ferè ſemper fit] atque ex ſtatis Paroxyſmorum, & lucidorum intervallorum periodis, & periodica horum ſymptomatum exacerbatione & remiſſione, deprehendi & dignoſci poſſunt.

(b) Ita in aliqua parte *Meningum.* ſpiritibus inibi veneno agitatis & exploſis, *Hemicraniam* intolerabilem ſubortam ſæpiſſimè obſervavi, eamque poſt certas & ſtatas periodos, quotidie ut plurimùm, recrudeſcere ſolitam, verùm abſque aliquo ſolenni *Algore*, *Horrore*, *Calore* & *Sudore*, qui ſeſe alternatim excipiunt in *Intermittentibus legitimis-Vrina* verò multùm tincta & contentis ſaturata, ſpeciem Aquæ cum pulvere lateritio commixtæ ſemper præ ſe ferebat. Morbum ſæpè in caſſum frequenti venæ ſectione in *Jugulari* vel ejus ramulis celebrata, atque æquè frequenti *Epiſpaſticorum* applicatione, uſu *Cephalicorum* omnigenorum, *Errhinorum*, *Maſticatorium*, &c. cicurare tentavi. Verùm *Emeticis*, *Cathartici*s, lenioribus, *Chalybeatis*, *Antiſcorbuticis* &c. ad mentem veterum exhibitis, acuendo & turbando ſpiritus, eam ſemper auxi, donec tandem experientia didiceram, uſu copioſo *Corticis Peruviani* Venenum Febrile, doloris hujus fomitem, penitus poſſe ſubigi.

(c) Parili modo, à præpollenti vi veneni hujus febrilis Cerebrum & origines Nervorum circumquaque obſidentis, atque ſpirituum diſpenſationem prepedientis, iterum iterùmque *Apoplexiæ* ſymptomata obſervavi, certo tempore, tertio vel quarto quoque die recurrentia: ſc. *profundiſſimum ſomnum*, *ſtuporem & ſtertorem* Urina intereà [uti ſolet in Febribus Intermittentibus] ſemper rubedine multùm tincta, contentis ſaturata, atque, cùm aeri exponeretur, ad præcipitationem ſedimenti lateritii valdè proclivi. Hos Ægros, durante Paroxyſmo, methodo *Apoplexiæ* debita, copioſa ſc. *Venæ ſectione*, *Epiſpaſticis* frequentibus, *Emoticis*, atque *Cathartici*s acrioribus, *Sternutatoriis*, *Cephalicis*, aliiſque ejuſmodi *Remediis ſtimulantibus*, cum felici ſucceſſu, excitare ſategi; nunqnam verò revireſcentiam Paroxyſmorum præpedire potui abſque *China China*, intervallis lucidis, manu liberali; idque confertim miniſtrata. A quo tempore Ægros, quamvis ab *Apoplexia* liberatos, ſæpiùs tamen diuque recrudeſcentiæ Paroxyſmum *Febris intermitentis* obnoxios obſervavi, unde de origine & vero Fomite hujus morbi *Apoplexiam veram* mentientis non ampliùs dubitavi.

(d) Centies obſervavi *Colicam Ventriculi*, vel *Inteſtinorum Pleuritidem* acutiſſimam & verè ſpaſmodicam, *Rheumatiſmum* univerſalem, vel particularem, Febrem *Scarlatinam*, *Eryſipelatoſam* cum ſymptomatis Pathognomonicis intenſiſſimis ab expanſione exploſiva ſpirituum hoc veneno nimis irritatorum, orta fuiſſe. At iſta ſymptomata ſtatis periodis redibant; Urina reddebatur qualis in Febribus Intermittentibus apparere ſolet: Et has febres, cùm vel ſponte ſua vel arte coactæ larvas deponunt, China citò ſemper, & feliciter curare ſoleo.

(e) Denique, quoties hocce venenum, vel Emeticum & *Arſenicale* vel Cathartico eſt vel ſimul utramque evacuationem inducit: Morbus induit Typum *Choleræ morbi*, *Diarrhææ* torminoſæ, *Dyſen-*

(a) *Febris intermit. aliam febrem ſimulantis Diagnoſtica.*

(b) *Febris intermittens Hemicraniam ſimulans.* (c) *Febris Intermittens Apoplexiam ſimulans.* (d) *Febris intermittens Colicam, Pleuritidem, &c. ſimulans.*

(e) *Febris intermittens Choleram morbum, Diarrhæam &c. ſimulans.*

senteriæ, vel simplicis *Vomitionis*. Verum statis periodis revertitur, vel saltem exacerbatur, atque semper Urina rubra turbata est, ac si pulvis laterum cum Aqua confunderetur; & qualis in *febribus Intermittentibus* ferè semper conspicitur. Hic verò, licet Paroxysmos *Laudano* sæpius repetito, *Enematis*, *Aqua pulli* copiosè propinata, aliisque ejusmodi debita methodo ministratis curavi; Revirescentiam tamen Paroxysmorum vix unquam absque liberali usu *Chinæ-Chinæ* cum *Laudani* moderata dosi commixtæ & frequenter remissionis tempore exhibitæ, præcavere potui. Ubi verò à *Corticis* justa dosi venenum hoc Emeticum vel Catharticum subductum fuerit, colluvie humorum colliquatorum versus ventriculum & Intestina jam minus tendente, facillimè cum, vel absque *Laudano* horrendæ istæ excretiones ultro cessant: Aliquas Historias è plurimis aliis selectas in majorem sententiæ nostræ & praxeos elucidationem atque confirmationem, in fine hujus exercitationis subnectere non pigebit.

CAPUT V.

De Febris Intermittentis Prognosticis.

PRognostica quod attinet, illa duntaxat proferre lubet, quorum veritatem longus usus & experentia comprobavit, & quæ sunt principiis nostris prius stabilitis conformia. 1. In uno eodemque paroxysmo *febris intermittentis*, post expansionem spirituum incœptam (ex qua Naturam, hac vice, quadantenus victricem fere conjicere liceat) non amplius Ægro periculum intenditur, modo Morbus typum legitimum non mutet & symptomata aliqua vehementiora non superinducantur; Omnes enim, quos in Paroxysmo, pereuntes ego observavi, algentes satis cedebant fere statim à primo insultu paroxysmi atque licet *Algor* ad biduum vel triduum aliquando protractus fuit; ope tamen caloris externi, & artificialis ministrati, nullam omnino spirituum expansionem sentiebant tanta fuit veneni vehementia! 2. Quotiescunque, ob vehementiam præsentis alicuius symptomatis ex insueta spirituum sive expasione sive oppressione orti, contigint febrem typum suum nativum mutare in speciem *apoplexiæ pleuritidis*, *colicæ*, seu *Choleræ morbi*, &c. Unoquoque paroxysmo Æger in discrimen adducitur, plus minus, pro ratione symptomatis urgentis, atque gtadu veneni ansam symptomati ministrantis. Indèque symptomata hæc insolita, quæ subitaneam totius Machinæ ruinam minari videntur, curam præsentem Medici applicationemque remediorum sibi debitorum (posthabita Febre & veneno, à quo ortum ducit) postulant. 3. Symptomata isthæc vehementiora sub finem paroxysmi (modo Æger superstes fuerit) ultro cessant, vel saltem plurimum mitescunt, donec à renovato veneni vigore, in paroxysmo proximo recrudescere incipiant; atque proindè Medici est, in hisce intervallis, copiosa eaque satis repetita Antidoti propriæ ingestione, subactionem veneni morbifici quam citissimam, totis viribus, moliri, ut saltem symptomata hæc venenata & lethifera, si non ipsum paroxysmum subsecuturum tollere queat. 4. *febris intermittens* genuina, (eaque non tantum *Quartana* verum etiam ipsa *Quotidiana & Tertiana*) respectu ad seriem paroxysmorum, & somitem eorum deliteścentiam habito typum Morbi *Chronici* induit, ut ut singularis quisque paroxysmus fuerit *Acutus*, imo peracutus, quippe paucarum horarum spatio omnia sua stadia decurrens 5. Fermentum Febris *Quartanæ* maxime omnium fixum est atque durabile, quippe, priusquam vires *Corticis peruviani* præpotentes in hisce morbis debellandis cognitæ erant, hæc Febris, præ cæteris omnibus *Opprobrium medicorum* jure merito habebatur, neque unquam (quantum ego scio) nisi forte fortuito, ab arte vel Natura, nisi tempore æstivo, sole appropinquante & expansionem spirituum multum adiuvante, curationem admittebat, quin etiam, præ cæteris omnibus, Febris hæc

curata, ſive arte, ſive natura, ad revireſcendum mirum in modum proclivis eſt, 6. *Omnis Febris Intermittens*, ubi jam annoſa & valde chronica evaderet genium *Quartanæ* imitari videtur; & ſicut *Quartana*, poſt longa intervalla, cum, vel abſque evidenti cauſa, incertis periodis, non raro recrudeſcit, & typum ſuum ſæpius mutari ſolet, adeo ut quæ uno menſe fuerit *Quotidiana*, altero evadit *Tertiana*, *Hemitritæa*, *Quartana* & vice verſa. Quo diutius autem typum *Quartanæ* ſervet, eo magis chronica redditur, atque eo plus ab ea Natura patitur. 7. *Febris Intermittens*, quæcunque fuerit, Quartana non excepta in ætate juvenili, atque æſtiva tempeſtate, viribus ſolius naturæ ſepius curatur, juventus enim, æquè ac verna ſen juvenilis anni tempeſtas, expanſioni ſpirituum favet; at ætate provectiori, & hyemali vel Autumnali tempore, ſole in dies magis magiſque recedente, vix aut ne vix abſque ope generoſæ illius Antidoti febrifugæ *Corticis ſc. peruviani* curationem admittit. Satis igitur aſtutè à Medicis antiquis, [qui hujus morbi non minus veram cauſam quàm remedium ignorabant,] quaſi totidem ignorantiæ ſuæ Aſyla, excogitata fuerunt proverbia illa ad vulgus decipiendum, quæ in mente plebis, non ſine ſummo Ægrotorum detrimento, hactenus fixa manent, ſc. *Quod hæ febres non debent præproperè ſanari*, quum revera certam eas curandi methodum planè ignorabant. Quod *olfactus Roſæ hunc morbum ſolvit*, cum reverà non niſi æſtivo tempore hoc remedium comparari poſſit. Quod *Febris Intermittens verna ſit*. *Remedium Regium*; *h. e.* Salutiferum & cæterorum morborum prophylacticum; quippe, appropinquante jam ſole, brevi ac ſponte evanitura, cum inſtauratione univerſa naturæ à ſarcina ſua hoc pacto liberatæ. 8. Ante tertium paroxyſmum, *Emetico*, *Pericarpiis* vel quocunque alio levi remedio facillimè nonnunquam tollitur hæc Febris, poſt hæc autem difficilius. Quo enim magis Chronicus, eo magis curatu difficilis hic morbus evadit, quippe cum malis ſymptomatis ſociatus; Indeque nulli Author ero, uti vel ſecundus Paroxyſmus ultro permittatur. Cui enim bono? Eſto morbus *Cortice* hoc modo derepente ſublatus recrudeſcere non raro ſolet: Atqui à *Corticis* exhibitione poſt debita intervalla frequenter repetita, hoc etiam incommodum præcaveri poteſt; Neque quidem ex uſu præpollentis Antidoti nativa duratio venenati fomitis elongatur, ſed inde ejus vires plurimum peſſundantur. Quinimo, nonne ſatius eſt [licet duratio hujus fermenti inde non brevior fiat) naturæ laboranti, & peſſimis ſymptomatis, circumcirca obſeſſæ Antidoti ſuccurrere, quàm permittere, ut abſque ope artis languens natura, ſymptomatis novi alicujus morbi ſuperinductis, penitus ſuccumbat: Quo nomine non poſſum non gratias maximas referre *Deo Opt. Max.* qui tantis viribus hunc ſimplicem Corticem inſtruxit, ut ab eo omnia fermenta febrilia acuta, ſaltem mitiora, penitus tolli queant; adeo ut inter *Opium*, *Mercurium*, *Chalybem*, *Aquas Minerales* & cætera Remedia maximè generoſa & quadantenus univerſalia, utpote ad plures morbos accommodata, locum mereatur. Hæcce Febris, quoties ab arte Natura exſtinguitur in ἀκμῇ ſua, abſque ſignis concoctionis in urina præcedentibus, faciliùs revireſcit; ubi verò ſenſim deficit, ita ut tandem ſine *Algore*, *Rigore*, *Horrore*, aut dolore *Spaſmodico* evidenti, Paroxyſmi invadant, à veneno ſenſim languente, utrùm id arti vel naturæ debeatur, Revireſcentia ampliùs vix aut ne vix expectanda vel metuenda eſt. 10. Febris hæc quoties legitima eſt, rarò admodum eſt funeſta; Atqui quotieſcunque eam eſſe Chronicam contingit, viam ſternere ſolet ad plures alios morbos eoque maximè funeſtos, uti *Hidropem*, *phthiſin*, *Icterum*, *Scorbutum*, &c. qui quidem omnes *Cortice peruviano* copioſe exhibito atque ſæpius repetito, feliciter curantur (cui obſervationi fidem facient hiſtoriæ aliquot fini hujus Exercitationis adjectæ; atque abſque ejus ope vix

aut

aut ne vix curationem integram admittere possunt. 11. Denique hæcce Febris, ubi vel Chronica fuerit vel malè morata, mutari solet in *Febrem continuam* languidam & fatalem, perpetuò conjunctam cum omnibus diris simis symptomatis in genere nervoso, *Lipothymiis*, *Vomitionibus*, *Suffocationibus*, *Vigiliis*, *Ægritudine universali*, &c. ac si Æger animam quovis momento efflaturus esset. Quæ omnia prægrandia symptomata, [modò *Cortex*, decurrente morbo, priùs exhibitus fortè fuerit] generoso huic Remedio, ut Probra, vulgo objiciuntur, cùm quidem post cætera *Febrifuga*, *Cephalica*, atque *Hysterica* omnigena, intùs & extrà in cassum tentata, illa ipsa symptomata *Corticis* usu recens repetito unicè tollenda sint. In cujus rei testimonium unam vel alteram historiam calci hujus Exercitationis bona fide subjiciam.

CAPUT VI.

De Febris Intermittentis Indicationibus Curativis.

INdicatio (a) Generalis, pro vario statu veneni morbifici, duplex est sc. Una Vigente paroxysmo, verùm in intervallis planè Altera.

In ipso insultu paroxysmi, ubi tota Machina, præsenti vigore veneni, evidenter in periculum adducitur, atque Natura inde expergefacta, expansione spirituum insolita, contra vires ejus deleterias sese munire satagit, *Indicatio* curativa est unica, sc. *ut expansio spirituum iusta atque debita conservetur*, ità ut Spiritus à vi veneni lethifera, quam primùm liberentur, & tota Machina à funestis incendii intestini symptomatis immunis servetur. Siquidem ab excessu expansionis, ad gradum usque explosivum æquè ac à defectu, Naturam detrimentum capere sæpiùs conspicimus: Indeque Medici est, qui Naturæ unicè ancillari debet, ad Naturæ normam omnia sua mandata diætetica & pharmaceutica dirigere, sc. ut Nimiam spirituum expansionem reprimat deficientem (quæ plus periculi habet) adaugeat, moderatam vero justo regimine, eodem tenore pergere sinat, nihil officiose & sine urgenti necessitate tentans, verùm totum negotium Naturæ ipsi ad quam jure pertinet, permittens nec quidquam in regimine, vel in apparatu Medicaminum, suæ, vel adstantium rationi dissonum committat, ut, quicunque tandem fuerit Morbi eventus, egregie officio suo functus sit, sine vel famæ suæ, vel conscientiæ jactura.

Quòd spectat ad *Regimen*, durante vigore veneni, in ipso sc. paroxysmo, huic morbo debitum, id paucis absolvam.

Diæta sit admodum tenuis, uti *Avenacea*, *Panatella*, *Hordeacea*, &c. jusculum pulli, vel Cerevisiam crudam sub initium paroxysmi, & bihorio vel trihorio ante paroxysmum Æger ne gustet: quippe fermentum ventriculi jam e massa spiritu venenato labefactata secretum vix quicquam præter potulenta & pultacea, eaque, quæ particulis fermentescentibus, quantum possibile est, privata, à forma Chyli minimùm distant, potest concoquere: & ab ingestis quibuscunque, quæ facultatem ventriculi superant, Natura antè fatigata, nova & molesta sarcina inde superinducta, in cassum premitur, *Ægritudo* vero perpetua *Nausea* & *Vomitio* immanis, *Gradus Caloris intensior*, plurimaque alia id genus symptomata succedunt.

Durante *Algore*, atque etiam ipso *Horrore*, scil. donec Spiritus motus quadantenus liberiori sese expandere incipiant, Æger prope ignem luculentum multa veste indutus sedeat, vel potius gressu citatiori obambulet, vel aliquo alio modo vires suas exerceat, quo vis spirituum venena oppressa excitetur, & liberius sese expandat.

Calore vero Febrili jam ingruente, potius decubitus isque admodum quietus, atque in loco tenebricoso eligendus est, ubi strangulis Æger cooperien-

(a) *Indicationes*.

riendus est; sed non nimijs; ut somnus conciliari, atque inde fervor sanguinis, ac incendium intestinum ab expansione spirituum ortum, temperari queat, & consequenter dolores spasmodici in capite, reliquisque partibus, cum aliis id genus symptomatis ab explosivo statu spirituum oriri solitis, præveniantur. Quo pacto, paucarum horarum spatio, ab ipsis naturæ viribus hocce veneno quadantenùs è debellato atque cicurato, paroxysmus quam citissimè sudoribus subsequentibus sponte finitur; Calore febrili sensim prius decrescente, prout ejus fomes subtrahebatur.

Pharmaceuticam partem quod spectat; durante paroxysmo, modò expansio spirituum ritè se habeat, neque vel excessu vel defectu peccet, nullum remedium officinale indicatur, nisi quòd ad spiritus refocillandos, fermentum ventriculi confortandum, & calorem sanguinis temperandum, *Julapium* Cordiale temperatum concedatur ad libitum sumendum, quem in usum, sequens aut aliud simile ego præscribere soleo. ♃. *Aq. Card. Ceras. nigr.* an. ℥iv. *Cinnam. hord. Ment. Epidem.* an. ℥iß. *Salis Absynth.* ℈j. *Syr. è Limon. vel Carioph* ℥iß. *M. F. Julap.*

Ab *Emeticis*, ut ut lenioribus, à *Catharticis* licet benignis, uti *Decocto* amaro, *Manna*, &c. vel ab *Enematis* ipsis, hoc tempore officiosè, atque sine urgenti Indicatione ministratis, multum detrimenti pati solet Aeger, si vita ipsa non exinde in subitum discrimen adducatur. Instante *Crisi*, sine evidente ratione nil arte moliendum est, ne Natura inde interturbetur; præterea cùm fermenta ventriculi & Intestinorum veneno activo imbuantur, si à pharmaco levissimo vel enemate eam stimulari contigerit, quàm enormes evacuationes cum magna & periculosa virium jactura, inexpectato insequi quotidie conspicimus.

(*b*) Nec minùs Venæ sectio, præsertim in primo insultu paroxysmi, priusquam Spiritus sese liberè expandant, perperam celebrata, Spiritus labefactando, venenatum fomitem ad lethalem usque gradum statim exaltare solet, aut saltem *Febrem Intermittentem* in *continuam*, si non *Malignam* cum dirissimis symptomatis in genere nervoso sociatam mutat. Idem non rarò in praxi observare licet, ubi à Natura ipsa magnæ *Hæmorrhagiæ* in primo paroxismi insultu contigerint.

(*c*) Itidem *Diaphoretica*, præsertim *Opiata* (qualia sunt *Theriaca*, *Mithridatium*, *Diascordium*, &c.) sicuti sub finem paroxysmi exhibita, absque manifesta Indicatione, nihil ad curationem promovendam conducere observantur; ita in primo insultu Spiritus præpropere agitando, atque interturbando, Naturam in maximas, si non lethales, angustias inducere solent, à quibus Spiritus prius confusi difficulter admodum sese liberare queant. Verùm *Opiata*, justam spirituum expansionem præpediendo, indeque gradum veneni deleterium multùm promovendo, paroxysmum *Febris Intermittentis* legitimum haud raro in funestam *Apoplexiam*, vel *Coma*, vel alium aliquem peracutum & lethalem morbum convertunt. Hoc pacto celeberrimus ille vir *Andreas Mervill* cum magno Reipublicę (præsertim literariæ) detrimento (ex ignorantia Medici senis atque superciliosi, cui in more erat contra *Corticem peruvianum*, quasi communem pestem, immaniter ubique debacchari) e vivis ante diem, sublatus fuit. Siquidem, postquam absque evidenti aliqua Indicatione, in intervallo post tertium paroxysmum *Febris Tertianæ* legitima, præparationis gratia [uti omnia methodice fieri viderentur] sanguis ab Aegro ætate provecto, post enematis rejectionem, libere extractus fuisset, & in subsequenti intervallo, Alvus decocto amaro subducta, & paulo ante tertium peroxysmum *Emeticum* propinatum; Hoc modo strata via, sub initium paroxysmi subsecuturi exhibebatur magnum *Febrifugum*, haustum scil. ex *Aqua Theriacali*, &c. Aeger stragulis opertus, vel potius sepultus jussu Medici, ad somnum & sudores sese componebat, ut

(*a*) *De Emeticorum & Catharticorum incommodis.*
(*b*) *De venæ sectionis incommodo.* (*c*) *De Diaphoreticorum & Opiatorum incommodo.*

ut saltem *Algorem* & *Horrorem* primum insultum paroxysmi comitari solitos evitaret, & brevi, somno profundissimo & sudoribus colliquativis correptus, spatio horarum xxiv, tempore paroxysmi, *Apoplecticè* periit: Qui tamen ex unica uncia *Corticis peruviani* ritè ministrata (uti ego Medico hanc historiam fronte satis perfricta narranti excandescens regerebam (spatio xxiv horarum Orci & morbi fauces facile evasisset. Ob talem praxin Mulierculæ reprehendendæ sunt, & acriter corripiendæ, multò magis Medici & Philosophi; quos oportet nihil Empyricè nihil absque urgente ratione multò minùs contra maifestam Indicationem præscribere.

(*a*) Denique, *Cortex Peruv.* nec aliud quodcùnque *febrifugum* tempore paroxysmi propinandum, est, sed in *Intervallis*, (modo ea sint satis protensa, eòque nomine ad *Febrifugi* ingestionem accommodata) Nam durante vigore veneni, vires *Antidoti* à fermento ventriculi venenato plurimùm fractæ, haud liberè sese explicare possunt, & totis viribus in hostem insurgere; sicut in Intervallis paroxysmorum (in quibus venenum imbelle est, & sine viribus delitescit) & possunt & solent. Prætereà cùm liquor glandulosus, in ventriculum, cibi fermentandi gratia, continuò depositus è massa sanguinis venenata secernatur; necesse est *Ægritudinem*, *Nauseam*, *Vomitionem* vel *fluxum alvi* œconomiam ventriculi eoùsque subvertere, ut Æger nutrimentum tenuissimum vel deglutire non possit, vel illicò sursùm aut deorsùm rejiciat; multò minùs remedium officinale amarum, & forma ac quantitate, æquè ac sapore ingratum. Imò sæpe observatum est, quòd ii qui lubentissimè in paroxysmorum intervallis *Cort.* deglutiunt, atq; facilè retinent ingruente paroxys. sursùm vel deorsùm eum semper rejiciant; unde iniquum videtur, Ægros tempore paroxysmi sarcina morbosa plus satis pressos, absque urgente necessitate, ampliùs ingratis medicamentis plecti.

(*b*) Sin verò, ob expansionem spirituum hoc tempore deficientium, aut nimis exaltatam, durante paroxysmo, vita Ægri in discrimen adducatur, cùm scil. *febris* alterius morbis symptomata vehementia & lethifera sibi adsciscit; *Morbus iste adscititius* eadem methodo tractandus est, ac si esset *Originalis*, ut ex Orci faucibus Æger quam citissimè liberetur; Post quam verò hæc nova symptomata cessent vel mitigentur, assiduè atque copiosè exhibendus est *Cortex peruvianus*, seu aliqua alia (si qua sit) generosa Antidotus Febrifuga, qua vires veneni morbifici frangantur, & paroxysmus futurus, vel saltem symptomata peregrina, præcaveri possint. *v.g.* cùm Æger funesto *Algore* correptus, quasi moribundus & languens per plures dies jaceat, expansio spirituum quam citissimè calore multo externo, frictionibus duri *Iulapiis cordialibus*, *spirituosis*, *spirituum & salium volatilium* repetitis dosibus, frequentibus *Vesicatoriis* (quæ flammam artificialem in spiritibus excitando præ reliquis hic conducunt) & quocunque alio modo convenienti promovenda est.

(*c*) Ubi verò (quod non rarò accidit) à mitiori veneno Spiritus non extinguantur, verùm toto paroxysmi tempore opprimantur & langueant, unde (*d*) Æger *Comatosus* evadit, & sudoribus *frigidis* perfunditur, tanquam mox lipothymicè animam efflaturus; Indicantur *Iulapia Hysterica*, & *Cephalica* paulò calidiora, *Spiritus & Salia Volatilia*, aliàque ejusmodi, præsertim verò *Vesicatoria*, quæ ad quamcumque partem, præsertim verò ad totum Caput applicata egregiè conferunt.

(*e*) Quoties ob tonum cerebri & nervorum peculiari modo debilem atque ad obstructiones aptum, Spiritus veneno morbifico perciti, per nervos non transmittantur, & sanguis, circuitu impedito, in Cerebro stagnet, præter medicamenta

(a) *febrifugum non est propinandum Paroxysmo durante*,
(b) *Quomodo tractanda sit febris Intermittens cum symptomatis alterius morbi*.
(c) *Algor, quomodo tractandus* (d) *Coma & Sudores frigidi*. (e) *Apoplexia*.

Cephalica Spirituosa & Epispastica priùs memorata, indicantur insuper *Phlebotomia* copiosa, sæpe repetita, & si opus fuerit in *Vena jugulari*; *Cucurbitulæ* inter scapulas cum profunda scarificatione, *Sternutatorias*, &c. Remedia *Antapoplectica*.

Feb. hæc Proteiformis, typum *Rheumatismi*, *Colicæ* ventriculi aut Intestinorum, *Choleræ* morbi, *Diarrhœæ*, *Dysenteriæ*, *Febris Scarlatinæ Erysipelatosæ* &c. induit, ubi venenum morbificum non valdè deleterium est, & Spiritus animales veneno irritati hoste longè superiores. Cùm igitur symptomata hæc oriantur à nimia spirituum elasticitate; *Venæ sectione* & *Opii* usu copioso & repetito, paroxysmi tempore, in ordinem felicissimè rediguntur; extra paroxysmos verò *Cortice Perv.* cum *Opio* commixto, venenum hisce symptomatis, & eorum recrudescentiæ ansam præbens, radicitus tollitur.

Hac methodo Ægris consulendum est, ubi Spiritus nimiùm expansos confertim in *Musculos & Tendines* irruere contigerit, (*a*) eosque ultra tonum solitum distendere, & Spasmos cruciantes, hinc inde versatiles excitare, atque præterea, sanguinis circuitum præpediendo, seri acris secretionem in partibus unà cum tumore & inflammatione inferre, ita ut paroxysmus febrilis jam planè latitet sub specie *Rheumatismi*. Ubi verò à nativa, vel accidētali, a frigore suscepto debilitate partis contigerit hanc explosionem spirituum fieri in partibus *Thoracicis*, præsertim in *Membrana costas succingente*, *Musculis intercostalibus*, aut reliquis membranis & musculis *Respirationi* dicatis durante Paroxysmo, Morbus planè, simulat speciem (*b*) *Pleuritidis* vel *Peripneumoniæ*, quippe cum *dolore laterali* atque *Tussi* immani, & Respiratione difficili sociatur; & vehementia symptomatum insolita (hic enim, præ doloris & strangulationis vehementia, pulsus fere obruitur, atque extrema algent, ac si Æger illicò expiraturus foret) *Pleuritis* hæc *Symptomatica* à *Genuina* præcipuè dignoscenda est. In hoc casu ut *Pulsus languor*, & *Algor* extremorum contra indicare videantur, Venæ-sectione tamen copiosa in brachio lateris affecti sine mora celebrata, & repetita, Opii ingestione liberali, *Lenimentis*, & *Fotibus* anodynis externè applicatis, hæc explosio spirituum tollenda aut saltem minuenda est; Spasmis enim hoc modo sublatis, dolor lateralis horrendus, *Dyspnœa* & *Tussis* sine medicaminum *Pectoralium* ope (quæ in hoc casu nihil valent) sponte cessant, Pulsus robur naturale, atque calor extremorum redit.

[*c*] Sin fortè *Febris* hæcce *Colicam ventriculi* aut *Intestinor.* vel *Iliacam passionem* simulet, expansionem spirituum spasmodicam cohibere necessarium est Venæ sectione copiosa, applicatione calida *Lenimenti Anodyni* ad partes affectas, *Enemate carminativo*, dein *Cathartico acriori* cum Laudano commixto, & [si opus fuerit) *Aquarum mineralium purgantium* coctarum, & lacte alteratarum dosi liberali, unde, saltem finem paroxysmi febrilis, solutio horum symptomatum, bombi & dejectiones copiosæ expectari possunt.

(*d*) Denique, ubi *Febris Intermittens* sub Typo *Diarrhœæ torminosæ*, *Dysenteriæ* vel *Choleræ morbi* latitet; quampri. mum venenum in singulis Paroxysmis exaltari de novo incipiat, Spiritus in ventriculo & intestinis recens exploduntur, & momento quasi *Tormina*, *Vomitiones Dejectiones* enormes, ac si à pharmaco aliquo deleterio sumpto, recrudescunt. In Paroxysmo igitur Vena secetur, *Opiata* & *Astringentia* ad spasmos sublevandos & colliquationem inhibendam repetantur, humoris venenati in ventriculum & Intestina excreti acrimonia obtundatur copia liquoris mitioris in os atque anum ingesta, v. g. *Decocti pulli* tenuissimi & simplicissimi. Et, denique partibus ab hujus humoris transitu inflammatis, & tantùm non Sphacelatis, applicatione *fotuum*, *Sacculorum Aromaticorum* in vino & aqua ferrata coctorum & expressorum, *Lenimentorum*, vel *Emplastrorum*

(a) *Rheumatismus Symptomaticus*, (b) *Pleuritis & Peripneumonia Symptomaticæ*, (c) *Colica symptomatica*. (d) *Diarrhœa Symptomatica*.

rum Carminativorum tempestivè prospiciatur.

In *Cholera morbo* præcepta ante memorata observentur, nisi quòd raro aut nunquam venæ sectio celebranda sit.

In *Diarrhœa* verò & *Dysenteria* periodica (sive torminosa, sive sine torminibus.) *Decocto albo*, vel *aqua Pulli* in locum cujuscunque liquoris fermentescentis pro potu ordinario substituta; Venæ sectione, & *Laudani* tertia vel quarta quaque hora repetitione usque ad finem paroxysmi, expansio spirituum, & liquoris venenati colliquatio refrœnanda est.

Scarlatinam & Erysipelatosam Efflorescentiam in cute periodicam consultè sileo, quia eas semper *Diarrhœæ* vel *Choleræ* periodicæ conjunctas observavi, atque eadem methodo tractandas.

Extra Paroxysmum *indicatio* generalis est (*a*) Unica, scilicet ut *Venenum morbificum in nervis delitescens perfectè extirpetur*, ut, spiritibus non ampliùs irritatis, œconomia humorum in posterum sarta tecta conservetur, & paroxysmi cujuscunque revirescentia præcaveatur.

Nemo igitur miretur veteres Medicos (*b*) frutilem atque inanem operam navasse huic morbo debellando: Sensibus enim magis quàm par est confisi, humores in receptaculis nescio quibus stagnantes fomitem morbi fuisse somniarunt, indeque toto cœlo errantes, utramque curationis paginam longo apparatu medicaminum *Deobstruentium* & *Evacuantium* impleverunt, idque methodicè, licèt absque certa aliqua indicatione è natura rei ipsius desumpta, sed in propriis ipsorum Musæis excogitata. Cumque morbificum hunc fomitem penitus eradicati impossibile crederent, absque sensibili humorum evacuatione, copia medicaminum *incidentium* humores præparabant, ut Remediis evacuantibus magis obsequentes fierent. Ad hos ipsos Medicos appello, noverint ne unquam, nisi fortuito, hac methodo, ut ut diutius protracta, quenquam perfectè sanatum? Me quod attinet, ego simplicem *Tertianam*, eamque admodum benignam & legitimam inde non raro in *Hemitritæam*, vel *Quartanam* mutatam esse cum *Hydropicis*, aliisque duris symptomatis sociatam observasse memini: Natura hisce Venæ sectionibus & purgationibus in cassum lacessita. Hujus malæ & infelicis praxeos [quæ per multa sæcula cum magno Ægrotantium incommodo inter nostræ Artis professores invaluit] πρῶτον ψεῦδος est falsa Ætiologia: Non enim, nisi ex accidenti, ut in *Plethora*, *Cachexia* insigni, &c. [de quibus post hac dicetur] ulla omnino evacuatio indicatur; verum, ut plurimum istæ evacuationes, Naturam inaniter lacessendo, veræ curationi multum officiunt, saltem copiam Antidoti admodum ingratæ multo majorem necessario requiri faciunt.

Nuperi quidam Medici, postquam methodi veteris infelicem eventum observassent [licet hypothesin veterem palàm & ex professo mutare hucusque iis visum non sit] ac si consilium commune cepissent, in *Arcanis Febrifugis* inquirendis occupantur, quæ ex proprietate substantiæ [uti loqui amant] vel qualitate occulta morbum eradicent, vel, quod idem ferè est, venenatum morbi fomitem pessundent atque subigant. Atque in hac sententia sunt Neoterici omnes, quotquot in verba Magistri non jurarunt, verum ad praxin medicinalem propriam attenti liberam philosophiam amplectuntur. Tacitè enim, licet, non πλατῶς atque palam, hypothesi nostræ de *Ætiologia* & curatione hujus morbi Herculei authoritatem tribuunt; dum aliqui *Terriculamentis* prope insultum paroxysmi Ægro inopinato oblatis, sese hunc morbum sæpius prostrasse gloriantur; Alii *Amuletis*, *Pericarpiis* aliisque *Epithematis* externis imo *Carminibus* [quæ omnia Spiritus animales, & non humores immediatè afficiendo, scopum attingere credibile est] eundem effectum sese consecutos esse jactitant. Inter *Pericarpia* innumera, duo sequentia ego ipse aliquando satis felici eventu comprobata expertus sum, ex gr. ℞. *Terebinth.* (*c*) *Vent. pulv. oliban.* an. q. s. m. & extend. super alutam. F. *peri-*

(a) *Indicatio extra paroxysmum.*
(b) *Antiquorum mala praxis.* (c) *Pericarpiorum Formulæ.*

carpia duo ad pulſus ipſos applicanda, paulo ante paroxyſmum Vel ℞ *Fol. Chelidon. maj. Rutæ*; an. *Mi. Fuliginis è lignis combuſtis*, *ſapon. Venet. Salis marin.* an. q. ſ. m. cum *Acet. acerrimo* F. Maſſa pro *pericarpiis*, horis duabus ante paroxyſmum expectatum applicanda.

Nec minus *Helmontiani* pro more jactabundi, *Arcana* quædam *Chymica*, pro certiſſimis Febrifugis venditare ſolent: vires nonnullorum ex iis ego ipſe cum aliis Medicis (priuſquam *Herculea Antidotus Cortex. peruv.* mihi innotuiſſet ℔ ſæpe incertas, haud rarò tamen cum felici ſucceſſu efficaces expertus ſum. Inter hæc *Vinum Benedictum* ſeu *Infuſio Croci metallorum*, facilè famam cęteris præripit (præcipitato *Diaphoretico paracelſi* non excepto, quod *Gabriel Fontanus* in Apologetico, omnem ſanare Febrem, ſi ſemel exhibeantur, ſatis impudenter atque falſiſſime jactat.) A juſta doſi *Vini Benedicti* trihorio ante tertium paroxyſmum expectatum exhibita ſæpiùs *Febrem Tertianam* curatam novi, verùm non tam ab evacuatione (uti mihi videtur] quàm ab Orgaſmo intervomendum in Spiritus impreſſo. Quo pacto etiam *Vertiginem*, *Rheumatiſmum*, & nonnunqnam *Apoplexiam*, atque alios ſpirituum animalium morbos, illico curatos haud rarò conſpicimus. Sępè etiam granis vii. *Antimonii Diaphoretici* in vehiculo quocunque convenienti exhibiti, paulò ante inſultum paroxyſmi, *Febrem Intermittentem Tertianam ſimplicem*, & *Hemitritæam ipſam*, abſque quacunque ſenſibili evacuatione humorum ſuſtuli; Unde mihi penè perſuaſum eſt in *Antimonio* particulas aliquas latitare, quo mereatur in claſſe *Febrifugorum* proximùm *Cortici peruviano* locum (*a*). *Sal Abſynthii* etiam inter decantatiſſima *Febrifuga* (antequam vires *Coritici peruviani* exploratæ fuerant) à clariſſimis Medicis prædicabatur; & ad hunc uſq; diem novi quoſdam è ſeniori-bus, qui *Hauſtum*, qui ſal illud recipit, paulò ante expectatum paroxyſmum, propinatum, *Cortici peruviano* præferunt; Quem Hauſtum, quoniam in *febribus Intermittentibus* magis benignis aliquando proficuum expertus ſum, non pigebit hic loci deſcribere, & anſam inde arripere palam proponendi cætera Febrifuga quæ mihi contingit uſu comprobaſſe.

℞. *Aqua Card. Theriacal. ſtillat.* an. ℥. ij. *Salis Abſynth.* ℥. ß. *Syr de Limon.* ℥. iß. *Miſceatur* Sumat Æger dimidiam partem trihorio ante expectatum Paroxyſmum, reliquam verò in primo inſultu paroxyſmi.

[*b*] Efficacia plurimorum *Amarorum* uti *fol. Abſynth. Matricar. fol. & Sem. Cardu. Benedict. Sem. Citri Rad. Gentian. ſumit. Centaur. minor. flor. Chamæmel.*, &c. prę omnibus aliis, in hoc morbo debellando, diu antequam vires *Corticis peruviani* ſatis exploratæ fuiſſent, multo uſu [eventu licet ſæpe incerto] comprobata fuit. Immò, poſthabitis omnibus aliis *febrifugis*, nuperrimo ſæculo, *Amarorum* uſus invaluit, non tantum apud vulgum qui communi quaſi conſenſu, hauſtus largos liquoris *Poſſetici* foliis *Cardui Benedicti* alteratos paulò ante expectatum inſultum Amicis ægrotantibus propinabant, unde aliquando *febris Intermittens* mitior atque recens ſublata eſt, vel diminuta; Quin & *Profeſſoris Medicinę*, præſertim Obſervatores perſpicaciſſimi, & uſu longiſſimo inſtructi, hujuſmodi remediis *Amaris* locum inſignem in curatione *febrium Intermittentium* concedere dignati ſunt. Et non tantùm decantatum illud Febrifugum, *Decoctum Amarum*, ex *Amaris*, quæ viribus Febrifugis maximè pollere experientia docuit, conflatum [quod jam demùm loco in *Pharmacopœa Londinenſi* cohonestatur] palam ubique in hunc uſum propoſuerunt, verum etiam ex *Abſterſiva* & *Ecphractica Amarorum* natura, eorum efficaciam, ratione & more Philoſophico (an ritè vel non jam haud diſputo) demonſtrare ſategerunt. Formulam hujus decocti mihi familiarem, à comuni aliquatenus diverſam & modum utendi ſubjicere hic loci non pigebit, quoniam aliquando *febres*

Inter-

[a] *Sal. Abſinthii.* (b) *Febrifuga Amara.*

Intermittentes mitiores, præsertim verno tempore, eo curatas observavi.

[*a*] ℞. *Fol. Matricar. Cardu. benedict. Comar. Absynth. summit. Centaur. min. Flor. Chamæmel.* an. *Mi. Semin. Cardu. Benedict. Citr.* an. ℥i. *Salis Absynth.* ℥ij. Coq. in Aq. F. q. s. ad ℔ij. Colaturæ ℥ii. iii. iv. pro ratione ætatis bibat Æger quarta quaque hora extra paroxysmum.

Sin alvum subducere Medico visum fuerit; sive *Vomitio* immodica, sive alia *Cachexiæ* signa id suaserint, omni alio *Cathartico* longe tutiùs & melius operatur Infusio Calida ℥i. ℥ß. ℥ii. vel iii. (pro ætate & εὐφορίᾳ purgationis] *Fol. Sennæ* primo hausti decocti prædicti.

Porrò Clariss. meus *Collega*, iisque vir integerrimus atque Medicus expertissimus DD. *Elisha Coysh* jam μακαρίτης, sæpius sincero animo mihi asseruit, sese vires Florum (*b*) Chamæmeli subtilissimè pulverisatorum, in vehiculo convenienti exhibitorum, atque post debita intervalla repetitorum, æquè felices ac certas in hoc morbo debellando expertum fuisse, ac ipsius *Corticis peruviani* Penes Authorem fides sit. Me quod attinet, ego nusquam efficaciam hujus simplicis Remedii tentando exploravi, verùm eodem medicamento cum aliis commixto filium *Domini Bernard*, Jurisperiti Londinensi *febre Hemitritæa* laborantem, quem *cortice peruviano* diu & copiosè adhibito ne quidem ab uno Paroxysmo liberare potui, spatio bidui, perfectè in sanitatem restitui; Nec non Dominam *Gumley* vetulam *febre Tertiana* decumbentem (postquam diu & ad nauseam usque vires *corticis peruviani* irritas experta esset) ope ejusdem *Arcani*, post debita intervalla exhibiti, spatio etiam bidui sanavi. Itidemque uxorem Vetulam Domini *Royston Bibliopolæ Regis* ferè septuagenarium, postequam ad biennium *febre Intermittente*, nunc *Tertiana*, nunc *Quartana* vel *Hemitritæa* laborasset, spatio duorum dierum eodem Remedio, perfectè & absque recidivatione curavi. Fateor equidem me nunquam (quod scio) in quocunque alio *febre Intermittente* laborante huius remedii periculum feciſse, quippe vix unquam [si rectè meminerim] præterquam in hisce tribus Ægrotantibus, Antidotus illa Herculea *cortex stil. peruvianus* spem meam fefelit, proindeque nec licitum, nec decorum esse duxi in humano corio, experiendi gratia, ludere, & certo atque experto Remedio, magis incertum & minus exploratum præferre, Utcunque eius Formulam describere, in gratiam Curiosorum, operæ prætium duxi, ut ii possint, modò vellint, experiri, nùm hoc etiam sit certum *febrifugum*, vel saltem nùm (ut mihi evenit] vires *Corticis* deficientes supplere queat. Formula pulveris est quæ sequitur.

℞. *Flor. chamæmel. subtiliss. pulveris.* [plus minus pro ætate] ℈i. *Antimon. Diaphoret. Sal. Absynth.* an. ℈ß. *M. fiat pulvis* sumendus in hausti *Possetalæ*, vel cuiuscunque *Julapii temperati*. Aut in formam *Boli* cum *Syrup. Caryoph.* vel in formam *pilularum cum mucilag. gum. trag.* redactus, sexta quaque hora per biduum vel triduum repetendus.

[*c*] Unde *Amara* vi Febrifuga adeò præpollenti donentur, forsan non facilè explicatu est. Verissimum quidem est *Amara* fere quæcunque facultate, plus minùs *Abstersiva*, & *Ecphractica* pollere, uti à curatione *Scorbuti*, *hypochondriacæ* affectionis & *Chloroseos*, ex eorum usu, omnibus in Medicina leviter Exercitatis abunde patet. Nùm verò energia eorum Febrifuga, in hac facultate *Abstersiva*, & *Ecphractica* speciatim vigeat [quicquid cæteri Professores opinentur] non ita liquidò mihi constat; præsertim, cum *Chalybeata* medicamenta, quæ, omnium consensu, multò magis hac vi præpollent, nihil ad *Febrium* curationem conducere observentur, quin potiùs Spiritus incassum agitando, & turbando multum officere. Insuper *Ecphractica*, & *Abstersiva* medicamenta, annuente tota

[a] *Decocti amari formula.* (b) *flores Chamæmeli.*
(c) *Vis amarorum febrifuga in quo consistit.*

tota corona Medicorum, inde præsertim ad curationem morborum conferunt, quatenus humores præparant, quo magis sequaces, atque vi *Catharticorum* evacuanti obtemperantes fiant; cum quidem *Febres Intermittentes* (quoties eas ope *Amarorum* curari contingit) sæpissimè, immò felicissimè, absque ulla evacuatione præcedente, comitante, aut subsequente (quod Medici hodierni norunt) solvi soleant. Quid; quòd hæc sententia, falsæ illi veterum hypothesi innixa est, quæ fomitem Febrium in *Humoribus*, non autem in *Spiritibus* delitescere statuit, atque oportere eum remediis evacuantibus penitus eradicari: Contra quam sententiam ubique militat (uti priùs innuimus) non tantùm ratio, verùm etiam Experientia ferè universa.

Restat igitur, ut hæcce Remedia, proprietate quadam naturæ, seu qualitate occulta, scopum suum in *Febribus* profligandis, attingat, vel, quod idem est, ad instar Antidoti, vi nativa fomitem venenatum in spiritibus delitescentem subigant: Sique ratio efficaciæ hujusmodi Febrifugorum à me requireretur, ego hisce tenebris, in causis rerum indagandis, obrutus, multò potiùs in peculiari *Amaritudine* sensibili, quam in nescio qua *Abstersiva* facultate inde consequenti, vim illam collocarem: quia plurima *Amara*, admodùm grata esse ventriculo, nervis, & spiritibus animalibus, multo usu comprobantur; & ferè singula, suo gradu, scilicet hæc plus, illa minùs, verùm præ ceteris omnibus *Cortex Peruvianus*, ob excellentem suam amaritiem, vi Febrifuga a Natura donatur, qua Fermentum Spiritus accendens immediatè destruitur. Et quidem *Febres Intermittent.* recentiores atq; benigniores, præsertim verna & æstiva tempestate, ab *Amaris* vulgaribus haud rarò curari contingit & forsan sæpiùs quàm à quibuscunque aliis Febrifugis. Illud verò Ἱερὸν πικρὸν *Cortex scilicet Peruvianus* (cui nihil præter nomen gratum deest ut ut opinione vulgi commendatur (à quo tempore *Europæis* innotescere cœpit, consensu Medicorum omnium ferè expertissimorum, Febrifugum *Catholicon* esse comprobatur, quòd omnes *Febres Intermittentes*, & alias plurimas (uti posthac dicetur) in quavis anni tempestate, in omni sexu, ætate, & Temperamento radicitus & penitus, citò, tutò & feliciter sanet. Ego sanè, qui jam ad viginti annos, & quod excurrit, hoc Polychrestum remedium ferè quotidie præscripsi, vix aliquid incommodi Ægrotantibus ortum inde observavi (quidquid clamosè atque falsò oggerant malè feriati quidam atque ignorantes) quin etiam, non nisi ter, uti sincero animo prius asserui, in *Febribus* Intermittentibus spem meam frustratus est: Utinam idem dicere licuisset de quoquam alio quantumvis celebri Remedio in cæteris humani corporis affectibus debellandis decantato. Certè non est ut Medici ingenia sua ampliùs torqueant in aliis Febrifugis explorandis, modò hujus usum satis perspectum habuerint. Neque justum aut æquum est, methodis antiquorum incertis, sine *Indicatione* vera, sine successu, gratis stabilitis, in posterum insistere; aut novum aliquod & minus probatum *Arcanum* prædicto anteferre; verum, sicut oriente sole, stellæ minores disparent, ita cætera Febrifuga, è tribu *Amarorum* aut alia quavis petita, huic unico locum cedere oportet.

Verum enim verò, cùm jam ab omnibus Mebicis *Corticis* hujus efficacia comprobata sit, & communi consensu, titulo Febrifugis, κατ' ἐξοχὴν jure insigniri incipiat; posthabitis reliquis Febrifugis, de hoc unicè in posterum sermonem habere lubet, ejus *Naturalem Historiam* succinctim enarrare, rationem efficaciæ ejus Febrifugæ explicare, ejusque justam causam adversus malevolos atque ignorantes detractos suscipere, & denique modum eum præparandi, eoque utendi varium, unà cum justis, & usu probatis Canonibus atque regulis huc spectantibus subijcere.

CA-

CAPUT VII.

De Cortice Peruviano, seu China China, atque Virtute ejus Febrifuga.

LOcus natalis Arboris, quæ hoc Cortice [a] obducitur (referente *M. Anton. Bollo* Mercatore *Genuensi* in Epistola sua Italice scripta) est Regnum *Quitense*, præsertim propè *Loxam* in *America Peruviana*. Arbor non procera est, sed in ramulos insigniter divaricata, Folia habet, qualia sunt *Prunorum* rubeorum, neque minus patula, neque acuminata, quæ saporem Aromaticum, nullatenus Amarum, quippe è particulis acribus & pungentibus conflata, in lingua imprimunt. Floribus albis, & cæruleis, ad instar *Mali Granati* eximiè ornatur. Nullum tamen fructum parit, ac si in pompam unicè cum tanta luxuriantium florum copia nata fuisset: At istum defectum abunde compensat Cortex ejus *Febrifugus* in sanitatem gentium, proculdubiò, *Deo Opt. Max.* conditus. Cujus gratia *Arbor Vitæ* si qua alia, saltem nobis nota, jure merito appellari potest.

Lignum [b] autem hujus Arboris, atque etiam Flores, uti nullam amaritiem habent, ita [testante Clariss. *Hieron. Bardi*] nulla Febrifuga seu medicatrice virtute donantur. Verùm *Resina*, quæ è ligno, præsertim verò è Cortice exsudat, atque etiam Semina, quæ Hispanicè *Pipita de quina* vocantur; atque Semina *Cucurbitæ* plane referunt, virtutem non dissimilem, sed inferiorem longè, quam Cortex ipse sortiuntur. Unde evenit quod Authores, post habitis cæteris, quibuscunque partibus hujus Arboris, Corticem duntaxat pro decantato *febrifugo* venditent.

Arborem hanc salutiferam [quam Incolæ *Gannaperide* vocant] ab ipsis Mundi primordiis ibi loci satam, sponte crevisse nullus dubito. Virtutem *Febrifugam* quæ ejus Cortici à Natura inest, *Indis* hominibus jam olim innotuisse refert idem *Bollus*: Verum à quo tempore Heros ille [c] *Genuensis Christophorus Columbus* hanc plagam mundi primum detexerat, usque ad annum salutis millesimum, sexcentesimum quadragesimum, ex odio Indorum erga *Europæos*, præsertim *Hispanos* concepto, magnum hoc Remedium de industria celabatur.

Quo modo verò magnum hoc *febrifugum Hispanis*, (d) cæterisque *Europæis* primum patefactum fuerit, narrat idem Author fide dignus: Nimirum forte fortuitò, in civitate *Limensi* quæ est Metropolis Regni *Peruviani*; Uxor *Proregis*, qui tum temporis erat *Comes del Cinchon*, Febre tertiana sævissima (qualis illic loci Epidemia esse solet) correpta funestè decumbere videbatur, Rumor (uti semper de magnatibus) per urbem divulgatus, tandem per finitima loca ad *Loxam* usque pervenit. *Hispanus* illius loci tunc temporis præfectus, per litteras *Proregem* monebat, in Arcanis sibi esse Remedium, cujus auxilio *Proreginam* illicò revaliturum spondebat: Lubentissimè annuens *Proregina*, Corticem præparatum sumpsit. Quid fit? Stupentibus omnibus, dicto citius convaluit. Hinc fama hujus Arcani titulo *Pulveris Comitissæ* insigniti, ubique per civitatem *Limensem*, totamque *Americam* Hispanicæ ditioni subjectam, brevi, multum inclaruit. Discedente autem *Prorege* ex *India*, Ubi in *Hispaniam* reversus est, illicò percrebuit ubique rumor de novo hoc *febrifugo* quod, post experimenta frequenter facta, votis Ægrorum semper & ubique respondet. Circa annum salutis 1649. famam suam in dies magis, magisque provexit, non tantum per *Hispaniam*, verum etiam *Italiam*, *Romam* usque, conatibus imprimis *Ioannis Cardinalis de Lugo Soc. Iesu*, & cæterorum *Collegii Iesuitarum Romæ* Patrum, qui eum gratis religiosis & pauperibus largiebantur: Ubi infausto omine, atq; in vulgi Reformati terrorem ac Scandalum, *Pulvis Patrum* vulgo audit (Anglice *The Iesuit's Powder.*) Quo nomine plurimos, eòsque non fortis grega-

(a) *Historia naturalis Corticis Peruviani.*
(b) *Lignum & flores non habent facultatem febrifugam.* (c) *Virtus febrifuga olim Indis nota.* (d) *Unde Europæis innotuit.*

gariæ, in hunc usque diem, ab ejus usu abhorrere contigit, si, non naturale remedium fuisset, sed factitium, diabolicum, & venenatum arte Jesuitarum paratum, potius quam divinæ Φιλανθρωπίας donum. Historiam non injucundam huc spectantem refert *Cl. Badus Anast.* lib. ii. Cap. vi. de matronis duabus Londinensibus, quam audiverat ex *Joanne Luca Durante* Oratore Reipubl. *Venetorum* ad *Carolum* Secundum. Qua de causa obnixè cupio, ut suo proprio, ut antiquo *Chinæ Chinæ*, *Chinæ febris*, *Gentianæ Indicæ*, *pulveris comitissæ*, vel *Peruviani*, aut aliquo altero minus infami nomine, communi Medicorum consensu, in posterum appelletur, & à præjudicio, ob Nomen, liberetur.

Quàm celebri gressu fama hujus *febrifugi* per totam *Europam* spargebatur, & ipse Cortex ubique gentium à Professoribus ferè quibuscunque in usum recipiebatur, facilè potest quivis conjicere ex ipsis verbis *Clar. Badi* qui lib. primo *Anastas. corticis peruviani* (quem typis dedit anno 1653. Cap. 20.) Medicos Londinenses increpat. Quippe *Fama mendaci potius quam propria experientia instructi, salubberrimam hanc Medicinam respuebant, quum tot alii Medici in omni Europa sive in Gallia, sive Hispania, Germania, Flandria, Italia eam nedum usurpent, quin & miris laudibus extollant.*

Verissimum quidem est, non defuisse nefarios quosdam detractores ubique, præsertim qui *Londini*, (a) dolo malo consilium cœperunt de hujus Febrifugi fama præmaturè supprimenda, ne scilicet hac succincta methodo febres obtruncandi, Ægrotantium crumenas emulgendi occasio tolleretur; De hac conspiratione sæpe palam verba habuit Dominus Bertram Pharmacopola jam defunctus, cui fidem in hac re promptè adhibui? quia nequam quidam & ignavi, quorum nomina honoris causa silco, memetipsum, iisdem illecebris, in suas partes trahere tentarent. Temerè igitur & sine experimentis prius institutis, magnum hoc Remedium condemnarunt, & famam ejus fictis calumniis ubique insectabatur, sese severissimos *chinæ chinæ* speculatores & judices ultro constituerunt si forte fortuito, licet post annum ab ejus usu elapsum, symptoma aliquod minus solitum supervenerit, Eheu! quot convitiis Herculea & divina hæc Antidotus extemplo jactabatur, ac si quid diabolicum in hoc *Equo Trojano* latuisset? Fæces, nescio quas deleterias, & fermenta morbosa post se in corpore semper reliquisse asseruerunt, unde novæ tragœdiæ, & funestissima symptomata repullulabant. Hoc modo, si quidmali unquam aliunde subsecutum erat, id omne Medicamini ut probrum obiiciebant, licet symptomata ad morbum primarium nimis parco corticis usu imperfectè sanatum, reapse pertinerent. Nec minus iniqua mente, ab Amaro & Ecphractico hoc pharmaco habitum corporis denuò obturatum & obsessum iri prætenderunt, atque inde neminem ad septennium ab ejus usu superstitem fore reclamante experientia universa. Hinc Medici *Londinenses* inexperti; atque Ægrotantes, ab usu hujus *febrifugi* diu perterriti abstinebant; Interim Medici antiquis methodis longis, eoque magis incertis insistentes, famæ & fortunarum suarum; Ægroti verò vitæ ipsius dulcissimæ jacturam fecerunt; qui ope Chinæ Chinæ spatio bidui vei tridui, facile convaluissent.

Insuper, præter hos nefarios detractores, non defuerunt plures, cæteroquin Viri docti & probi, veteri tamen & crassa humorum sensibilium, & qualitatum hypothesi occæcati, qui de usu Chinæ Chinæ multum ancipites hærebant, quandoquidem Febres absq; sensibili quacunque evacuatione curatas ejus ope observassent; Quod quidem gravissimum erat argumentum *Chrysostomi Magnesii* Professoris *Papiensis*, ut in ejus Epistola ad *Hieron. Bardi* data 9. *April.* 1652. patet.

Quamplurimæ etiam futiles & inanes con-

[a] *Consilium de cortice supprimendo.*

controverſiæ, nugæ ſanè & tricæ, ex doctrina Humoriſtarum ortæ, inter doctiſſimos viros cum eruditione, ſpecie tenus, & zelo agitatæ ſunt per decennium & quod excurrit, ſcil. à primo corticis in Europam adventu uſque ad annum ſalutis 1663. quas enumerare vix operæ pretium duxi. Febrem enim in humoribus qualitate peccantibus locantes, Remedium qualitate contraria præditum requirebant, &, Hi propter *ſiccitatem*, Illi propter *Caliditatem*, aliaſve qualitates manifeſtas *cortici* adſcriptas, ejus uſum impugnarunt & apud vulgum ſuſpectum reddiderunt.

Nec minus equidem mihi à ſcopo erraſſe videntur; vel famæ corticis minus offeciſſe, qui ex eadem pharetra, manifeſtarum ſcil. qualitatum doctrina, Argumenta deprompſerunt, quibus *corticis* cauſam ſerió tuerentur.

Horum [a] *Anteſignanum* invenio eximium *Antymum Conygium*, qui efficaciam *Febrifugam* in tenuitate partium *corticis* collocat, unde craſſos humores incidit, & cauſam Febrium tollit; ac ſi craſſum hoc Pharmacum cæteris quibuſcunque, partium ſubtilitate præiret: aut *Aromatica* & ſpirituoſa quæcunque, ut pote partibus ſubtilibus inſigniter prædita, eo etiam nomine, Febrifugorum titulum ritè mererentur.

Gaudentius (b) *Brunaccius Romanus* forſan non minus, etſi cum ſpecie magnæ eruditionis, nugatur, dum in libro ſuo *Venetiis* cuſo an. 1661. ſtrenuè contendit, *Chinam Chinam* caliditate ac ſiccitate ſua manifeſta haſce Febres (quas authoritate *Avicennæ & Helmontii* in Frigido & Humido conſiſtere ſtatui) præpollenter & efficaciter ſubigeret: Ac ſi *Calida & Sicca*, qua talia, vim febrifugam ſortita eſſent; atque omne Pharmacum hiſce facultatibus imbutum, ea de cauſa (licet experientia univerſa & ratione ubique reclamante) in numerum febrifugorum adſciſcendum eſſet. Verum, ut paucis ex rei ipſius natura petitis, velitationem hanc dirimam & abſolvam; Sciendum eſt, Frigus æquè ac Calorem haſce febres comitari ſolita, effectus eſſe potius *Febris* quam cauſas? Quorum prius à ſpirituum oppreſſione, poſterius ab eorundem expanſione nimia (ut ante demonſtravimus) oritur. Cauſa verò febris eſt venenatum quid, & deleterium, ſpiritibus ipſis inimicum, quod propria ſua Antidoto (ſive calidum vel frigidum vel neutrum fuerit) unicè ſubigi poteſt; Atque proinde fruſtra, eo quod qualitatem aliquam evidentem poſſideat, vim *corticis* febrifugam vel ſtabilire vel convellere aggredimur; præſertim cum ex teſtimonio *Pet. Apon. c* 45. *de Rem.* veneni, atque *Hier. Card.* lib. de Venenis, conſtet, ab eſu *Ficuum Pharaonis* calidarum & ſiccarum in *Inſula Sardinia* creſcentium, quæ inde Febriferæ appellantur, febres *Tertianas* æquè certò induci, ac à Cortice iiſdē qualitatibus evidentibus imbuto ſanantur.

[c] Porrò non defuerunt Medici celebres, qui vim corticis febrifugam, ob ejus ſiccitatem & caliditatem aliaſque evidentes qualitates, majori veritatis ſpecie, mordicus atque acriter impugnarunt: Hoc fecerunt celeberrimi Profeſſores *Placentini* & Mediolanenſes anno 1661. ubi res agebatur *Cardinalis Doughi*, febre Tertiana notha laborantis (referente *Clariſ. Bado* lib. j. c. xv. *Anaſtas.* (quin & Medici ipſi *Londinenſ.* in caſu *Johannis Lucæ Duratii* Legati antedicti. Sed agedum, expendamus rationes.

Primùm *Chriſtophorus Paravicinus* Med. Clar. Mediolanenſis, ut ut in *Quartanis Chinæ Chinæ* uſum commendet; in *Biliofis* tamen, & *Mixtis febribus*, ob caliditatem eam improbat, metuens ſcil. ne calore humorum inde aucto, febris etiam adaugeatur. Itane vir Clariſſ.? Verum quis febrem, cujuſcunque fuerit generis, unquam ab uſu *corticis* auctam vel duplicatam hactenùs obſervavit? Appello ſenſum, atque Experientiam univerſalem. Porrò, an non *Hippocrates* ipſe, *lib. de Acutis*, *Vinum* febricitantibus conceſſit? Quin etiam in curatione Febris *Tertianæ* ſuc-

[a] *Vis febrifuga non conſiſtit in tenuitate partium.* (b) *Nec in caliditate & ſiccitate manifeſta.* (c) *Caliditas & ſiccitas corticis non impedit vim ejuſdem febrifugam.*

ſuccum *Silphii* & ſemen *Trifolii* in Vino propinabat? Annon *Galenus* lib. 1. *ad Glauc. cap.* 10. in Nothis *Tertianis Piper* ipſum, & in *Quartanis Theriacam* præſcripſit, atque alibi *Abſynthium*, *Centaurium minus*, *Myrrham*, *Diatr. Piper*, &c. Dic ſodes! Quis æquus judex gradum caloris in *Cortice* magis intenſum, quàm in hujuſmodi medicamentis ſenſit, vel ratiocinando, vel quidem ſomniando id hariolari potuit? Verùm ut rem ipſam dicam, Nullus dubito, quin in genere *Calidorum Febrifuga* inveniri poſſint, quæ, proprietate naturæ venenatum fomitem in ſpiritibus latitantem ſubigendo Febrem tollere valeant, quandoquidem vera & genuina Febrium Ætiologia, non à quacunque humorum qualitate, verum à ſtatu ſpirituum venenato-ritè deducenda ſit, ut ante demonſtravimus. Atque meherculè! haud parùm lætatus ſum, cùm viderim perſpicaciſſimum & doctiſſimum *Badum* diù abhinc (*pag.* 139. *Anaſtas.*) in hanc ſententiam hac ipſiſſima obſervatione coactum tranſiviſſe.

(*a*) Clariſſ. *Rochus Caſatus* in Tertianis puris vel Spuriis, & in ipſis *Quartanis* uſum Corticis convellit, quia cum *Frigida* & *Narcotica* natura eſſe ſuſpicatur, unde [ut aſſerit] Spiritus pro tempore quadantenùs forſan obdormiſcunt, & velut à ſuccis narcoticis hebetantur, at, poſt inducias, Paroxyſmi vehementiores: & humore peccante inde vel aucto, vel in partes nobiliores translato, vel magis putreſcente, diriſſimi morbi ſuccedunt: Si pace tanti Viri liceat proferre quod ſentiam, totum hoc gratis dictum eſt, & merum Authoris commentum, cui experientia refragatur. Quis enim præter *Illum* uſquam vel ſomniando Corticem in claſſe *Narcoticorum* poſuit? Quanquam *Hippocrates Febres Quartanas Soporiferis* medicamentis feliciter ſe expugnaſſe aſſerat.

Præ cæteris, hoſtes Corticis acerrimi erant Viri clariſſimi *Joannes Jacobus Chifletius & Vopiſcus Plempius*.

[*b*] Primum *Chifletii* argumentum adversùs *Corticem* ſumitur à recidivatione Febrium poſt ejus uſum; Cui populari objectioni ſuo loco reſponſum dabitur. Deinde *Corticis* caliditate queritur, metuens ſc. [*c*] *ne ejus igneo calore* (ſunt ipſius *Chifletii* verba) (*d*) *ſiccet, accendat & torreat imbecilla præcordia, nativum calorem diſſipet, vitæ pabulum depopuletur & neſcio quos humores noxios ad partes ab ortu infirmas inde propellat.* Bona verba quæſo *Chifleti!* Mehercule? Quæ ſpectra & terriculamenta hic finguntur de calore *Corticis* prorsùs igneo depopulante, diſſipante, torrente, accendente, ſiccante? Quis unquam *Cauſticam* hanc & *deleteriam* vim *Corticis*; vel actualem, vel potentialem, præter *Te* vir Clariſſ. hactenus expertus eſt? Pudeat doctum virum principio precario, & contra ſenſum, & experientiam univerſi generis humani ficto, argumentum ſuum adversùs Pharmacum ſalubre induſtriò ſuffulciſſe: Verùm de calore *febrifugorum* ſatis, paucis licet verbis, priùs diximus. Pergit *Chifletius* lib. ſui cap. iv. (*e*) Et tertio jaculo Corticem petit his verbis *Vtut à reſolutione partium humoris ſubtiliorum ex caliditate Corticis exhibiti, paroxyſmi tollantur, pars tamen craſſior magis incraſſatur, & quodam modo lapideſcit, indeque poſt paucas inducias extemplo ferocit iterum febris.* Necnon cap. vj. ejuſdem lib. *Inde Bilis flava in ſuo folliculo, nigra in Liene, pituita ſalſa in ventriculo & inteſtinis coquuntur, denſantur, immobiles fiunt, quibus putreſcentibus, liquefactis, & in ſubſtantiam partium adjacentium imbecillem quaquaverſum effuſis, ac impactis, diuturni & exitiales morbi, etſi lentè ac ſerò pullulare ſolent.* Adeò nihil niſi humores & manifeſtas qualitates crepans, Vir Clariſſ. toto cœlo à vera genuina Febrium Ætiologia aberrat! At non ſic *Hippocrates* qui in medicinæ praxi, ad.

[a] *Cortex eſt non frigidus & Nercoticus.* [b] *Objectiones Chifletii adverſus Cort.*
[c] *Prima.* (d) *Secunda.* (e) *Tertia.*

ad primas haſce medicamentorum qualitates parum reſpexit, quippe perſuaſum ei fuit, omnibus morbis τὸ θεῖον ineſſe, atque perinde τὸ ἐνεργητικὸν, ſeu primum impetum faciens, extra ſphæram ſenſuum poni, neque ſenſibilium quarumcunque qualitatum poteſtati ſubjici. Porrò hæc figens, craſſeſcens, lapideſcenſque vis Corticis (quam gratis ſtabilire conatur Vir Clariſſ.) nec demonſtratu facilis eſt, nec docti ac experti cujuſvis Medici aſſenſum meretur, adeò magnificum hoc effatum inter quiſquilias & deliramenta jure merito haberi debet! Denique, *ne brevibus pereat ſua charta libellis*, aut ſaltem uti aliquo ſtigmate infami Cortex notetur, is ipſe Vir Clariſſ. qui modò ei calorem exurentem & cauſticum, atque dein neſcio quam figentem & craſſeſcentem qualitatem objiciebat, jam cap. vj. Eadem libertate Poetica, potiùs quàm Philoſophica, in Febribus curandis ſuſpectam habet *Adſtrictionem* ejus, & obſtruentem *Stipticitatem*, *quippe viarum apertione ſolvuntur, febres, Conſtrictione excitantur*. Ex eodem Ore calidum & frigidum ſpiranti, jure merito dolus & fucus olim in *Apologo* objiciebatur. Atque profectò Clariſſ. *Chifletius* ſuam integritatem in *Cortice* impugnando, inde præſertim mihi maximè ſuſpectam reddit, quia poſitus videtur in contraria cauſa, & accuſationi Corticis prævaricatur. Quis enim facilè crediderit *Corticem* prorſus igneum & adurentem, ſua *Caliditate* cogere, aut repellere, aut figere, aut humorem incraſſare poſſe, & cæteros *frigoris* effectus producere? Quæ etenim ſunt calida & ſicca [teſtante *Galeno* Meth. medendi *l.* 4. *c.* 7.] quod reliquum eſt humoris prorsùs abſumunt. Aſt cùm reliqua Amara, uti *Abſynthium*, *Gentiana*, *Centaurium minus*, *Caſtoreum*, *flores Chamæmeli*, atque decantatiſſimum *decoctum amarum* ex his factum (quæ ferè omnia *febrifuga* & *Ecphractica* habentur, atque proinde, omnium Medicorum conſenſu, tutò ad *febres Intermittentes* curandas adhibentur) ipſum Corticem *Adſtrictione* & Caliditate, ſenſu judice, ſuperent vel ſaltem æquent; quare *huic amaro* cæteris vi *febrifuga* longè præpollenti. *Stipticitas* & *Adſtrictio* unicè objicitur? Fateor equidem levem quandam *Adſtrictionem* ſive *auſteritatem Cortici* ineſſe: Atqui inde eo inferciri viſcera, vel habitum corporis obſtrui vehementer nego. Nonne *Aloe*, *Rhabarbarum* atque ipſe *Chalybs* adſtringente ac ſtiptica qualitate, æquè ac calida imbuuntur? Quis autem ea uſquam in *Obſtruentium* claſſem hactenùs reduxit? Dic ſodes! quare *Cortex* ſolummodò propter levem ſuam ſtipticam acerbitatem in numerum Obſtruentium illicò relegandus ſit. Audiamus *Galenum* de *Rubia* loquentem, lib. vj. *de ſimp. Medicam.* *Quandocunque Amaritudo & Adſtrictio in uno medicamento ſimplici concurrunt, poſſunt hæ qualitates ſimiliter coeuntes Jecur & Lienem expurgare, Menſes & Vrinas ſanguinolentas evocare, idque ratione Amaritudinis; poſſunt & eadem Adſtrictionis virtute vaſa claudere & adſtringere.*

(a) Poſt *Chifletium*, Clariſſ. *Vopiſcum Plempium* audiamus, alterum Corticis acerrimum hoſtem *Chifletio* coætaneum, quem *Cl. Badus* lib. 2. cap. 8. Anaſtas. ait *malè dicendi libidine ductum, ore, dente, lingua, calce, calamo in corticem irruiſſe*, Ille pallium Philoſophicum deponens, Hiſtoricum agit. Experientiam appellat, atque tela inde acuminata in Corticem collimat. Cap. 3. lib. ſui anno æræ *Chriſtianæ* 1665. typis mandati hæc habet, *plures* 3. *vel* 4. *reciderunt* (Ad quam popularem objectionem ſuo loco reſpondebimus.) *Plerique cachectici facti, nonnulli mortui. Item Magnates hujus Aulæ nominare poſſem, qui ab uſu pulveris extenuati ſunt, & ad Phthiſin præcipites niſi uſu longo lactis Aſinini reſtituti fuiſſent.* Hæc *Plempius*.

Quam egregiè verò reprehenſus fuit & falſi convictus hicce *Corticis* calumniator à Clariſſ. *Bado* in reſponſione ſua *Genuæ* typis data anno 1656. cui Author nun-

(a) *Objectiones Plempii*.

nunquam hactenùs aliquid regerere ausus, *Responsio* consulatur. Me quod attinet, Ego fidenter dico, idque postquam jam ad 25. annos quotidiano usu, ejus vires explorando expertus sum, me nusquam novisse aliquid mali ab usu Corticis cuiquam evenisse, præter (a) *Surditatem* aliqualem tempore usus molestam, quippe, à motu spirituum inordinato & lucta inter Venenum & Antidotum ortam, quam sponte illicò à morbo evicto, vel pulveris omissione cessare semper observavi: (b) Me hujus remedii nunquam pœnituit, nunquam aliquem cachecticum, tabidum, aut quocunque alio morbo affectum; multò minùs quasi toxico interfectum novi, atque ter tantum [uti olim innui] optato eventu, in Febre Intermittente ope ejus sananda, destitutus sum. Verùm res ipsa loquitur. Quo pacto enim Pharmacum amarum, quod *Menses* ciet, *Obstructiones* aperit, *Ventriculum* atque *genus nervosum* universum confortat, *Cachexiæ*, vel *Tabis* futuræ, multò magis mortis repentinæ, inopinatæ fundamenta jaciat, difficillimum est conceptu. Fateor equidem (quod etiam Cl. (c) *Badus* innuit) propter *antipathiam* quandam naturæ adversùs hoc medicamentum, ex *Idiosyncrasia* ortam, ejus usui subitas & enormes Vomitiones, Lipothymias, aliaque dira symptomata, quasi à veneno, excitata, supervenire posse. Verùm quid inde? Nonne hoc ab usu *Casei*, *Anatis*, aut cujuscunque alius saluberrimi edulii, vel ab aspectu solo, vel præsentia *Felis* in eodem cubiculo, vel à Pharmaco saluberrimo sæpiùs evenit? Idem sanè à tantillo *Mellis*, *Syrupo caryophyllorum* & *Oculis cancrorum* nonnunquam accidisse memini. An inde hæc omnia in censum deleteriorum & toxicorum protinùs releganda sunt? Porrò quoties à nimis parco, vel non satis frequenter repetito usu *corticis* contigerit *fermentum* venenatum febrile vi suppress. sum esse, potiùs quàm penitùs subactum, Æger recidivam non rarò patitur, & aliquando, ubi fomes venenatus, *Cortice* quadantenùs irretitus & subactus, febrilem paroxysmum haud ampliùs formare possit, in statu valetudinario, cum appetitu prostrato manet, atque sæpe symptomata dira, præsertim in genere nervoso, formam & speciem induentia nunc lipothymiarum, nunc spasmorum dolorificorum, aliarumque affectionum id genus, peculiari nomine haud designatarum sustinet. Quæ omnia à repetito & justo usu Corticis, absque quacunque alia methodo, sponte cessant. Verùm quid hoc ad *corticem*; Culpentur Medici qui ipsum satis copiosè non exhibuerunt, aut Ægri qui ejus repetitionem respuebant, non verò pharmacum quod insons est.

Corticis, ad decennium præjudiciis *Vulgi*, & *professorum* laborantis, vindicias *Rolandus Sturmius* Medicus Clariss. *Delphensis* edidit anno 1659. stylo compto, & perquàm eleganti scriptas, sed veterem Humoristarum hypothesin sapientes. Is pag. 3. disertè ait, *Febrifugum Peruvianum hactenus penè sopitum, jam demùm ob experimenta varia ejus præpollentis energiæ in Quartanis profligandis, anno 1658. frequenter habita resuscitari cæpisse*. Et paulò post de Medicis Coævis hoc modo clarè sententiam suam profert, *Medicamentum sc. quod noverant, ausi sunt non modo alto supercilio despicere, sed etiam sesquipedalibus verbis idem prosequentes eliminare*. Post hunc Clariss. *Sebastianus Badus* Medicus *Genuensis*, quippe à *Vopisco Plempio* in libro suo typis dato anno 1655. ad exequias corticis Peruviani vocatus, tandem libro, cui titulus *Anastasis* Corticis, an. 1663. edito, pro virili *corticis* causam agebat; Quo in libro, ut ut aliqua superstitionem regionis redolentia Lector inveniat, maxima tamen ex parte, Cl. Authorem sentiet in scriptis ubique eruditionem multifariam, ac profundam spirare, atque judicio admodum limato præpollere, quod quidem præsertim liquet, ubi Doctissimum *Chifletium*. *Plempium*, reliquosque corticis hostes acerrimos argumentis vere

Elen-

(a) *Surditas ex usu Corticis.* [b] *Cortex non est causa Tabis, &c.*
(c) *Non est quid Venenatum.*

Elenchicis redarguit, atque vires corticis salutares plurimis iisque ampliſſimis teſtimoniis comprobat, & cauſam *febrifugi* penè proculcati, & triumphati, doctè adeò & argutè vindicat, ut vix quiſquam è turba Medicorum poſtea adversùs *corticem* hiſcere auſus ſit. Quin & exinde, de acri, atque purgato hujus magni viri judicio ritè conjectura facienda eſt, quippe is ferè primus, pro ſagacitate ſua, idque jam olim, poſthabita humorum & evacuationum ſenſibilium, atque qualitatum manifeſtarum doctrina, vires hujus magni remedii *febrifugas Anaſtas.* lib. 1. cap. xiij. ab ejuſdem occultis qualitatibus deducere ſatagebat, atque amplexus eſt illam ipſam Hypotheſin, quam nos mox proponere, explicare, atque ſtabilire conabimur, ut ut veteri humorum doctrina imbutus, atque implicitus, non admodum clarè & congruè ſenſu ſua ubique proferat.

Ità tandem, licet difficillimè, atque multo labore, obſtetricantibus plurimis Medicis doctis & probis, qui ex veris vel falſis principiis ejus cauſam defendebant, Pharmacum hoc divinum, & in plurimis aliis morbis, æquè ac in *febre Intermittente* proficuum anno 1663. poſt varia Abortionis ſigna, & pericula, feliciter in lucem editum, & ſuffragio Profeſſorum penè univerſali, in cenſum Medicaminum ſalubrium, atque maximè efficacium adaptatum eſt. Nec de ſuo jure apud doctos probos Viros decedet ante conſummationem ſæculorum, ut ut ex aſtutia, malitia, temeritate, aut ignorantia non deſinant aliqui huc uſque obſtrepere oggannire.

(*a*) Verum agedùm; ſecundo loco expendamus rationes populares contra ſalubritatem atque utilitatem hujus Remedii, quotquot ſunt, quibus vulgus perterritum anceps adhuc, & dubium manet.

[*b*] Primò & præcipuè objicitur, febres hoc pacto curatas ſæpe in forma priori, vel deteriori recrudeſcere, indèque potiùs ſuppreſſas quàm ſublatas videri, cùm fæces morbi intùs adhuc cohibeantur. An igitur *cortex* ea de cauſa male audiet? Ecquis præter unicum *Conygium* in ſalubris hujus *Pharmaci* parte terreſtriori portiunculas quaſdam deleterias, & febriles, in ſubtiliori verò *febrifugas* deliteſcere, contra univerſalem experientiam vel ſomniando hariolatus eſt: Febres ſanè, *ſubſtantia corticis* citiùs ac certiùs, quàm quacunque ſpecioſiſſima ejus *Tinctura*, *Extracto* vel *Elixire* fugari, atque fugatas ad recidivationem minùs aptas eſſe certo certiùs conſtat. Non igitur medicamentum, ſed Febris indoles in culpa eſt, ſi à perenni humorum fonte enutriatur, & non ab Aere maligno, aut alio accidente externo; Sive enim Natura, ſive arte quavis ſanetur, ad revireſcentiam valdè proclivis eſt. Multa enim experientia fretus, fidenter affirmare audeo Febrem à *corticis* uſu fugatam, & demum recidivantem, licet quacunque alia methodo, vel *febrifugo*, vel viribus Naturæ ſubacta fuiſſet nihilo ſecius redituram fuiſſe. Atque hanc ſententiam ego eò lubentiùs amplector, quia *Febres Continentes Inflammatoriæ*, æquè ac Intermittentes hac Antidoto penitùs abſque aliqua recidivatione quotidie evincuntur & extinguuntur. Imò *Intermittentes Febres*, maximè pertinaces, *Cortice* frequenter repetito, & ad prophylaxin, poſt debita intervalla, exhibito, abſque recrudeſcentiæ periculo, funditùs tollere facillimum eſt (uti mox in Methodo exhibendi hoc Pharmacum oſtendemus) quod quidem nec alia quavis methodo curationis, nec alio quocunque *Febrifugo* præſtare licet. Neque eſt, cur quiſquam multum corticis uſum noxium eſſe, ac deleterium ſuſpicetur, ut ut *Phthiſis*, *Scorbutus*, *Icterus*, *Hydrops*, atque alii Morbi immanes aliquando febres Chronicas inſequantur; atque affectiones etiam nervoſi generis quoties nimis parco *febrifugi* uſu fermentum ſupprimitur potius quam ſubigitur:

(a) *Solutio Objectionum.* (b) *Objectio.*

tur: Nunquam enim me pœnituisse memini, quòd corticem frequenter & copiosè exhibuerim; Inde enim sæpe appetitum magis firmatum, concoctionem alimentorum in ventriculo restitutam, generi nervoso robur adjectum, & habitum corporis, à statu tabido in Athleticum mutatum observavi. Quod ad *Fæces febris* spectat, quæ in corpore delitescere dicuntur post sublatam Febrem, illas palam profiteor me penitus ignorare, æquè ac Fæces ipsius Pharmaci, quibus Vulgus perteritum, post usum *corticis* Cathartica medicamenta perperam efflagitare solet. Fæx quippe unica, seu fomes febris, juxta nostram hypothesin, est venenatus spirituum status, qui inde humorum massam variè agitant; Hoc autem à propria Antidoto subacto, humores in statum naturalem sine fæcibus redeunt. Qui igitur, post victoriam à *Cortice* de veneno reportatam, de fæce morbi adhuc solliciti sunt, mihi videntur *nodum in scirpo quærere*, modo absit manifesta *Cachexia* quæ huic veneno primum ansam præbuerit. Quod quidem rarius me observasse memini.

Secundò objicitur, (a) *Corticem* energiam suam *febrifugam* exercere *Constringendo Humores* (uti ajunt) unde habitus corporis non possit non *constipari* atque *obstrui* [unde messis morborum funestorum ampla, *Hydropum* sc. *Icterorum*, &c. expectari possit] & vix quenquam ab usu corticis ad septennium superfuisse. Bona verba quæso! Quot ego ipse post quatuor lustra annorum, & quod excurrit, ab usu *corticis* vegetos, atque firma valetudine utentes vidi, & magis Athleticos quam prius. Fortè illi qui hæc objiciunt vix per septennium ejus vires experti sunt. Quo pacto autem Pharmacum quod more *Cathartici* operari aliquando observatur, quòdque in *Puerperio* salubriter ministratur, inter *Obstruentia* numerari potest? Veteres isti Philosophastri, qui Ætiologiam omnium morborum ex humoribus & manifestis qualitatibus petendam esse duxerunt, ubi, sine aliqua evacuatione sensibili, febriles fermentationes, illicò à justa dosi *corticis* exhibita, sopitas viderunt, inde, experientia reclamante, & rei ipsius natura, nescio quam omnipotentem *Constringendi & Obstruendi* facultatem Pharmaco huic inesse commenti sunt. At sanè, *Cortex* febriles fermentationes neque facultate obstruente, neque deobstruente sistit, verùm vi sua *Alexipharmaca*, qua eximiè præpollet. Quocirca non est, quòd quisquam hisce terriculamentis, in somniis, & deliramentis Philosophicis abusu *Polychresti* hujus Pharmaci terreatur.

(b) Denique Objectionem tertiam contra usum corticis allatam me planè referre pudet, qua non tantum à Pharmacopolis quibusdam avaris, verùm etiam à Professoribus ipsis iisque viris doctis, nonnunquam me petitum memini, sc. quòd ab hoc brevi & Laconico modo febres curandi, ars Medicinalis multum detrimenti passura sit, præsertim, si vires hujus Antidoti efficaces atque præpollentes in *febribus continuis*, æquè ac jam in *Intermittentibus* profligandis, vulgò passim innotescant. Hinc enim quivis fiet sibi medicus, & Medicorum lucrum eripietur; Totam enim cantilenam ex hoc pendunt, ut quamplurimum lucri faciant. Apage! Decetne Medicum probum emolumento publico proprium lucrum anteferre, aut Dei munificentissimi dona in sudario abscondere? Longè hoc à Nobis absit! Nec Ars nostra in levamen ærumnarum, & tutamen vitæ instituta, in artem crumenas emungendi degeneret. Nonne Medicus misericors gemitu, & lacrymis Ægrorum tangitur, cum iis, præ artis nostræ defectu, subvenire haud possit? Quanta verò lætitia perfunditur quoties desperata sanitas iis restituatur? Nigro equidem carbone notandi sunt, qui cùm possunt: nolunt ægrotantibus manum adjutricem porrigere. Quid? quod in honorem Artis nostræ deceat

Me-

(a) *Objectio*. (b) *Objectio*.

Medicum ab Orci faucibus quamplurimos liberare, quod qui fecerit, optimè famæ, quin & crumenæ suæ consulit, siquidem omnes Ægrotantes eum accersunt qui sese citis, tutis, & jucundis curationibus prius insigniverit. Denique, ut ut certum atque efficax sit hoc Remedium manu experti Medici ministratum, adeò tamen *Proteiformis* est *febris Intermittens*, & multò magis *Continua*, uti præter ipsius Antidoti exhibitionem, Medici auxilium & præsentiæ sæpiùs requiratur, ut *Phlebotomia*, *Vesicatoria* aliaque ejusmodi plurima præscribantur, quæ non tantùm morbus verùm etiam symptomata varia inde suborta, postulant atque exigunt.

(a) Restat jam tertio loco, pro modulo nostri ingenii, eruenda & accuratiùs pensitanda *Causa* genuina efficaciæ corticis Febrifugæ, mirabilis sanè ac stupendæ, qua ratione scilicet hasce suas vires in *febribus* subigendis tam certò & citò exercet.

Hoc non fieri per sensibilem quamcunque humorum evacuationem, (b) *Salivationem*, sc. *Vomitum*, *Secessum*, *Urinam*, vel *Sudores*, clamitat universalis experientia. Hoc Amici æquè ac Osores corticis pro confesso habent. Fateor equidem *Vomitum* vel *fluxum* alvi, quin & *Sudorem profusum* [evacuationem autem aliam sensibilem inde consecutam haud novi] ab usu corticis aliquando accidere. Nullatenùs verò istæ evacuationes Criticæ, verùm potiùs symptomaticæ reputandæ sunt, quippe ex amari hujus Pharmaci particulis pungentibus, atque membranas ventriculi & Intestinorum lacessentibus, maxima ex parte ortæ; Pluries verò idque certiùs & feliciùs absque quacunque hujusmodi evacuatione scopus attingi solet.

(c) Æquè etiam certum est non ab evidenti aliqua *corticis* qualitate humores attenuante febres fugari, ut ut *Gaudentius Brunaccius*, lib. sui, cap. 1. ex principiis gratis stabilitis sese torqueat, ut probet vim *corticis febrifugam* in *Caliditate & Siccitate* contineri. Quam quidem ob causam doctiss. *Chifletius*, aliique, majori rationis specie, cum prorsùs è censu *febrifugorum* exulare debere putant. Ecquis enim sanæmentis hac in re *Gaudentio* usquam assensum præbere queat, nisi qui *Spiritum Vini*, vel aliud quodvis siccissimum & calidissimum Remedium, eodem jure inter febrifuga numerandum, & *cortici* præferendum ducat.

Quid sentiendum sit de Clariss. *Casato*, qui in facultate corticis narcotica & figente (gratis sæpè ei adscripta) totam ejus vim febrifugam ponit; uti & de *Antymo Conygio*, qui in subtilitate ejus partium egregiam hanc potestatem inesse opinatus est, ex antedictis satis constat.

(d) *Rolandus Sturmius* Vir ingenio verè *Spargirico*, hypothesi quadantenus nova, hanc vim dissolvendi partium *corticis* tenuitati acceptam refert. Ait enim Part. 2. p. 36. 37. libri sui. *Eum separare humorem febrilem, priùs massæ sanguineæ more continuo, sive contiguo, intimè unitum: quo, compage humorum vi corticis soluta, pars febrilis, progenio & aptitudine sua, per omnia Colatoria eliminatur, pars crassior sc. per Intestina, tenuior per Urinam, Sudores, & insensibilem Transpirationem*, Hypothesin fateor summo ingenii acumine excogitatam esse, & tanto viro dignam: Quæ tamen, pace Cl. Authoris, mihi videtur principiis prorsùs precariis inniti: Non obstante enim docto illo, ac acuto sermone de *Natura Dissolventium*, atque variis *Dissolutionum* modis, Ecquis *corticem* crediderit, quem ille ipse *Sect. 3. p. 46. 47.* verissimè calidum, siccum & amarum, unà cum reliquis febrifugis participare, atque nullam extremam qualitatem possidere (cui rei sensus testimonio est) particulis adeò præpollenter pungentibus, & penetrantibus esse refertum, ut humores varios cum sanguine inti-

[a] *Vis Corticis febrifuga unde.* (b) *Non ab evacuatione humorum sensibili.*
[c] *Non è manifesta qualitate.* (d) *Sturmii Opinio.*

mè unitos, fluxu & refluxu perpetuo agitatos, ad instar ignis aut fermenti summè activi, dissolvere queat. Neque facilius demonstrare potest Vir Cl. Evacuationes per *Sedes*, *Vrinam*, *Sudores* atque *insensibilem transpirationem* sempet à *corticis* usu insequi, quoties vires suas Febrifugas cum optato successu exerceat, quod prius innuimus. Quid? quod tota hæc hypothesis crassa humorum & qualitatum manifestarum doctrina innititur.

Ad *Transpirationem humorum* insensibilem à *cortice* effectam quod attinet, hoc mihi videtur etiam gratis dictum, quippe ut ut effluvia humorum, eaque copiosa, per poros cutis perpetim avolare lubentissimè concedam, difficile tamen admodum probatu est à *corticis* usu copiosiore fieri, vel saltem particulas Febriles inde hac via protrudi, quandoquidem id sensibiliter fieri affirmetur, Atqui minimè decet Philosophos istos omniscios, qui minutularum quarumcunque rerum rationem sese reddere posse jactitant, atque inde adversùs occultas qualitates debacchantur, ad hoc Asylum ignorantiæ confugere.

[a] Clarissimus atque doctissimus *Sebastianus Badus*, pensitatis undique, atque demum refutatis variis hisce celeberrimorum Authorum sententiis *lib. 1. Anastas. Cortitis cap. xiij.* à certa atque subita ejus efficacia, in omni Sexu, ætate, atque temperamento; Quia non ratione, verùm usu atque experientia primùm inventus, & demum comprobatus erat, aliisque Argumentis vere *Elencticis* probat & propemodum demonstrat, non à qualitate quacunque manifesta, verum potius ab *Occulta* Corticem singulari hac efficacia præditum esse, quem igitur Antidoti nomine sæpius cohonestavit. Neque est cur quisquam hanc qualitatem esse ignorantiæ Asylum Philosopho indignum objiciat (quod sibi vir doctissimus reponi posse præsensit) quippe, ubi de Anima, Spiritibus, eorumque affectionibus, & ægrotationibus, aliisque ejusmodi, quæ sensum superant, ratiocinemur, Demonstratio nisi ab effectu expectanda non est, atque satius est, hoc ritu, modestè ignorantiam confiteri, quam superbè ὑπερφρονεῖν. Quam funesti errores ex hypothesi malè formata, & in Philosophia, falsò sic dicta, precario fundata, praxi Medicinæ sæpe committantur, à *cortice* ipso exemplum peti potest, adversus cujus salubrem usum Philosophi in doctrina Humorum & Qualitatum manifestarum præoccupati strenuè arietarunt. Sufficit Medico ad paraxin instituendam, si noverit à posteriori seu effectu, rem ita se habere, licet τὸ διότι, seu quam ob causam contingat, plane nesciat.

Plurimum lætatus sum, cùm in tanta Medicorum multitudine unus tandem repertus esset, doctissimus sc. & sagacissimus *Protospatarius*, qui eandem propemodum nobiscum sententiam amplexus est, cujus verba hæc sunt. *Meliùs ergo ad fermenti extinctionem recurrendum, cùm potiùs fermentatæ materiæ augeantur & effervescant. Ad quam, ædepol! fermenti extinctionem nulla est necessaria subsequens evacuatio, cùm sæpe illud in spiritibus velut indivisibilibus consistat. Non enim benè capio humores esse febris causam immediatam, nam aliàs omnes homines febricitarent: Sed potiùs quid humores agitans & fermentans, in miasmate existens, quo sanè ablato, Natura sese corrigit.*

Ut verò Hypothesis nostra de vi corticis *Alexipharmaca* magis illustretur pauca in genere de Natura, Subjecto, & variis differentiis *venenorum*, atque *Antidotorum* [quantum rei natura patitur] prælibare necessarium duco, quatenùs ad naturam & causas *febrium* cognoscendas, easque curandas conducere videantur.

(b) *Venenum* seu *Toxicum est quid deleterium, atque vitæ principio seu Spiritibus animalibus inimicum, unde facultas eorum Expansiva penitùs obruitur, & flam-*

[a] *Badi Sententia.* [b] *Veneni Definitio.*

& Flamma vitalis necessariò extinguitur.

Spiritus, tanquam subjectum primarium & immediatum, à veneno affici constat 1. Quia à minima quantitate materiæ peregrinæ citissimè afficiantur, quod innuit *Iul. Cæsar Scaliger. Exerc.* 218. 5. 8. atque etiam *Galenus quinto de Simp. Medicam. cap.* 19. & *lib.* 1. *de semine cap.* xvi. hisce verbis. *Minima portiuncula lethalium Venenorum, quæ deleteria appellant, Ubi in animalium corpora ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat.* Ecquis verò segnem humorum massam à grano uno vel altero Pharmaci deleterii, eò quòd evidenti quacunque qualitate prædituum est, tam subitò, & quasi momento tantas mutationes subire posse facile credet? (*a*) Quod autem à *Toxico* exhibito ante aliquam sensibilem humorum alterationem, Principium vitæ petatur, Animi deliquia frequenter recurrant, Genus Nervosum undiquaque vacillet; atque variis *Spasmis* dolorificis tententur, Intestina torqueantur, Cerebrum *deliret*, & *vertigine* afficiatur, oculi *obtenebrentur*, *Cor trepidet*, multaque alia symptomata spirituum animalium morbo affectorum vehementiora accersantur observatu non indignum est. Fateor equidem nonnunquam venenatum hunc fomitem ex abusu longo sex non Naturalium in massa sanguinis intus nasci, atque inibi paratum cum Spiritibus perpetuo commisceri; Hoc tamen unicè contendo eum nunquam nomen *Toxici* mereri, nec quidem *Veneni* speciem induere, donec Spiritus eo inquinentur, atque agitentur, & inde totum systema nervosum præmemorata symptomata patiatur. Præterea, à morsu *Viperæ* vel *Aere* contagioso inspiratione hausto, ubi procul omni dubio, Spiritus, non massa humorum, primario afficiuntur; æquè certò ac citò tota corporis compages Veneno contaminatur.

(*b*) Quandoquidem autem tota œconomia sanguinis & humorum, horum spirituum regimini subjecta sit, & vitalis character in humoribus à Spiritibus imprimatur, mirum non est, si ab hoc statu Spirituum Venenato, atque varia eorundem agitatione, illicò [uti solet] tota Machina idem virus participet, ac variis, ilsque diriissimis Symptomatis laboret, atque per Corporis Colatoria, progenio *Veneni* vario, excretiones copiosæ & virulentæ, nonnunquam Colatorii Sphacelationem minitantes, extemplò fiant Nec non à subactione viroli fermenti, per propriam Antidotum, vel expansionem Spirituum, excretiones sistantur aut interea temporis, *Lacte*, *Aqua Pulli*, *Oleo*, aliisque ejusmodi liquoribus Lenientibus humorum excretorum acrimonia plurimum mitigetur.

(*c*) Hoc pacto, à Veneno hausto (modo præ gradu *Toxici* summè deleterio non contigerit instantanea spirituum extinctio, & subita Mors) Æger illico Febre mali moris detinetur, variè sese jactitat, immaniter sitit, *Lingua* fœda atque arida evadit, *Algore*, *Horrore Tremore*, atque *Calore*, alternis laborat (prout sc. Spiritus plus minus *Veneno* perciti sese expandere incœperint aut tentaverint) *Pulsus* sit celer, *Debilis*, *Inordinatus*; variis *doloribus* horrendis & spasmodicis Patiens hinc inde corripitur, *Cutis* ubique rubedine suffunditur, vel *exanthematis*, *Maculis* purpureis, aut *Ulceribus* sparsim sçdatur. Accedunt *Mictus Sanguineus*, atque *Dysuria*, velut a *Cantharidibus* devoratis; Ubi Natura, progenio Veneni peculiari, humores venenatos per *Renes* deturbare satagit; Aut *Spasmi* ventriculi, ac Intestinorum lancinantes, unà cum *Vomitione* immani, *dejectione* frequenti, vel *Fluore* Alvi cruento, *Choleram* morbum, *Diarrhœam* tormino sam, aut *Dysenteriam* simulantibus, ubi venenatus fomes genium *Emeticum*, *Catharticum* aut utrùmque sapiens humores infectos & colliquatos per ventriculi & Intestinorum glandulas enormiter protrudit. Quoties autem venenum de genere *Mercurialium* fuerit, ad glandulas salivales peculiari modo tendit,

(a) *Venenum non agit primario in Humores.* (b) *Sed Secundario.*
(c) *Veneni effectus in Corpore.*

& ſuffocatione moleſta, atque Pryaliſmo Ægrum è medio tollit. Quæ quidem morboſæ humorum excretiones eouſque tantum durant, donec *Venenum* vel ab Antidoto propria, vel à ſpirituum expanſione ſubigatur. Atqui, hoc facto, maſſa humorum ſponte quieſcit, & in ſtatum naturalem & ſanum ultro redit.

(a) Quid autem ſit hoc Venenum, quod tam ſubitò Principium vitæ adoritur: tot tantaſq; mutationes in tota Machina efficit; vel in quo præſertim ejus *Virulentia* conſiſtat, narratu haud ita facile eſt; neq; quique id jure merito à nobis exigere poteſt: Quia, ſicut Spiritus, quos immediatè afficit, ſenſus noſtros planè fugit, & à poſteriori duntaxat intelligi poteſt. Ut ut enim vehiculum hujus virulentiæ, nempe *Cicuta*, *Antimonium*, *Mercurius*, *Arſenicum*, *Cantharides*, vel quodcunq; ſit, ſenſui pateat, quippe quid quantitativum, & palpabile, his, vel illis manifeſtis qualitatibus præditum, virulentia tamen ipſa, in quo conſiſtat, non ita liquidò apparet; neque, ut plurimùm, à quavis qualitate evidenti, *Caliditate*, ſc. *frigiditate*, *Siccitate*, *Acrimonia*, &c. dependet, proindeque in Claſſe Ineffabilium, quippe ſenſu non perceptibilium, uti *Anima*, *Spiritus* animales, aliaque id genus colloca nda eſt: Satiùs enim eſt Philoſophum ſana mente quædam ignorare, quàm inſane nugari & delirare. (b) Quòd autem reverà *Virulentia Toxicorum* à ſenſibilibus eorum qualitatibus deduci nec poſſit nec debeat, verùm potius à peculiari ſpirituum animalium fabrica, cui virulentia infenſiſſima eſt, exinde conſtat; quia nonnunquam ſaluberrimum Pharmacum, aut Alimentum, ratione *Idioſyncraſias*, *Toxici* partes obtinet. Plurimos novi à Pharmacis aut alimentis ejuſmodi in enormes vomitiones atque dejectiones incidiſſe, ac deliquia perpeſſos, ac ſi Toxico maximè virulento perciti fuiſſent; Salubria autem hujuſmodi Pharmaca, atque Alimenta, non, quia ſanguis & humores, verum quia Spiritus peculiari modo prædiſpoſit ſunt, hos effectus producunt: Namquei quantitas eorum tanti motibus atq; alterationibus in mole humorum immenſa ciendis planè impar, licet inopinato deglutita; Rei odio habitæ conſpectus, aut ejuſdem Idea in Phantaſiam fortiter impreſſa, eos motus excitat, qui ægrè admodum conſopiuntur, priuſquam *Idea* in Spiritus impreſſa deleta fuerit.

[c] Diſquiſitione generali peracta, de veneno, ejus cauſa, ſubjecto immediato, atque Differentiis, ſuccincta licet; non opus eſt ut in natura, cauſis, & differentiis variis *Antidotorum*, atque rationibus operandis deſcribendis diù moras traham; *Contraria enim juxta ſe poſita magis eluceſcunt*. Sufficit nobis modeſtam Philoſophiam unicè profeſſis, noſſe ὅτι, ſicut venena immediatè Spiritus afficiunt, ita etiam *Antidoti*, hæc miaſmata in Spiritus impreſſa delendo, vires ſuas Alexipharmacas exercent, quanquam διότι ſeu per quam manifeſtam qualitatem id efficiant, nos prorsùs neſcire ultrò confiteamur. His non contenti, ignorantiam nobis objiciant, ſi voluerint, atq; è Cathedra Verbis ſeſquipedalibus & altiſonis, naturam Spirituum, eorùmque morbos, & curandi rationem unà cum reliquis, quæ ſenſum æquè ac Intellectum longè ſuperant, diſertè deſcribendo & dogmaticè definiendo pulmones rumpant; quod ad me attinet, ego non facilem præbebo aurem: De iis, quæ extra ſphæram ſenſuum poſita ſunt ratiocinari, quid aliud eſt quàm eruditè delirare, præſertim, ubi vera *Indicatio* curativa [quæ quidem hic una tantummodò eſt, ſcilicet, ut opportunè exhibeatur juſta quantitas *Antidoti* certo uſu comprobata] abſque his argutiolis innoteſcat.

Ut vela igitur contraham, totum hunc noſtrum ſermonem de *Venenis* ac *Antidotis* ad Febres accommodare jam aggredior, Argumentis à rei ipſius natura petitis oſtenſurus, fermentum Fe-

(a) *Modus, quo Venena operantur, a poſteriori tantum cognoſcibilis.*
(b) *Virulentia non conſiſtit in qualitatibus manifeſtis.*
(c) *Antidotorum modus Operandi.*

Febrile esse quid deleterium in Spiritibus delitescens ; Atque *Corticem* , more *Antidoti* , virulentiam Febrilem subigere , & vires suas Febrifugas exercere .

(*v*) Quod ad primum attinet . Quam facile observatu est à supremo gradu Fermenti febrilis , Spiritus adeò esse oppressos , ut ne certamen quidem cum hoste instituere queant (sive fermentum hoc à longo abusu sex non Naturalium intus natum fuerit , sive ab Aere contagioso , vel frigore externo , Corpori immissum) Ægrum primo insultu prorsùs *Algentem* , frequentia animi *Deliquia* patientem , tanquam à Toxico lethifero propinato Mortem oppetere? Quod quidem in constitutione pestilentiali *Epidemica* (ut in olim innuimus] sæpius evenit .

Quoties autem mitior sit Veneni natura , Spiritus vires suas tandem exercent , atque , quæ sequuntur symptomata Febrilia , eadem prorsus sunt cum iis , quæ à *Toxico* quocunque mitiori sese alternatim excipientia , quotidiè producuntur , scil. *Algor* , *Languor* , *Animi deliquium* , *Jactatio* , *Horror* , *Rigor* , *Oscitatio Pandiculatio* , *Vertigo* , *Dolores Spasmodici* , *Debilitas pulsus* , *Ardor* , *Sitis Linguæ Ariditas* . Porro massa sanguinis , & humorum à fermento Febrili easdem planè , easque æquè repentinas mutationes subit , ac si Veneno esset inquinata . Quippe , jam pro Febris peculiari genio , per totam cutim *Rubedo* ubique suffunditur ; aut *Labiis* , *Naribus* , & aliis quibuscunque corporis partibus *Exantemata* varia Pustulæ , atque maculæ *Petbechiales* , rubræ , vel purpureæ efflorescunt , vel *Bubones* Alas & Inguina , cæteras Partes *Carbunculi* , *Furunculi* , *Tumores* atque *Ulcera* varii generis obsident .

(*b*) Denique , à vario hujus virulenti Fermenti genio , non tantum typorum varietatis , sed etiam symptomatum Febrilium inde consequentium ratio , clariùs quam à quacunque alia hypothesi deduci potest (quod à Philosopho non nihili habendum est) *v. g.* [*c*] Ubi Fermentum mite Spiritus exagitat , victoria de Natura non reportatur , verùm Spiritus ferè integri , quamvis irritati , vi majori in hostem irruunt , atque , qua data via , *Successu* , *Vomitu* , *Sudore* enormi , *&c.* (pulsu interim forti ac celeri permanente) undiquaque id eliminare satagunt . Inde symptomata vehementiora momento quasi suborta virulentiam fermenti mitiorem , ac vires Naturæ magis integras , ut ut lacessitas ostendunt . Ita nonnunquam viginti quatuor horarum spatio , plus minus ab hac extrema expansione spirituum , virulenti Fermenti activitatem planè subactam videre est , atque Ægrum inde in statum Ἀποκατάστασιν restitutum , nisi post status periodos , singulis , alternis , vel quarto quoque die , suo more recrudescat , atque , viribus resarcitis , Natura de novo lacessat .

(*d*] Quoties autem , præ gradu Fermenti Febrilis magis deleterio , accidat vires Spirituum eò esse pessundatas & labefactatas ; ut nequeant prima sua expansione , de Veneno activo , quo imbuuntur , penitus triumphare , *Febris* suboritur ab antiquis dicta Συνεχὴς sive *Continens* , continua quidem , at certis ac statis Paroxysmis , atque Remissionibus interpuncta . Cui etiam congener est Febris *Inflammatoria* , sive *Rheumatica* , *Erysipelatosa* , *Pleuritica* , *Peripneumonica* , &c. Quam quidem Febrem , ut ut dira aliqua symptomata , *Spasmi* nempe dolorifici in genere nervoso , aut *Diarrhœa* , *Cholera* , morbus , *Vomitio* , &c. in Emunctoriis , ab insultu Naturæ in hostem provenientia , à primordiis ipsis morbi comitari soleant , quia tamen Venenum non summè deleterium est , *Febris* minùs lethalis sit ; At unoquoque congressu victoriam [licet non adeo perfectam ac in

[a] *Fermentum febrile est Venenum* . [b] *Symptomata Febrilia Veneni effectus* . (c) *Veneni Symptomata in Febre Intermittente* . (d) *Veneni Symptomata in Febre Continente* .

febre Intermittente) Natura de Morbo reportat. Hinc *Exacerbationes* & *Remissiones*, toto morbi decursu, statis periodis sese alternatim excipiunt.

[*a*] Ubi verò, Veneno prævalente, vires spirituum nativæ potiùs delentur, quàm opprimuntur ac irritantur, ab initio sine violento aliquo symptomate, Æger ferè *Synechéis* jacet, cum Urina sana, Pulsu debili, vel saltem moderato ut ut celeri ac inordinato, Siti pauca, Languore virium summo, si non deliquio frequenti detentus, ac madore frigido ubique perfusus, *febris* uno tenore pergit, sine exacerbationibus & remissionibus periodicis, estque ut plurimum periculosa & *Maligna*, Æger autem fatis cedit dirissimis symptomatis in genere nervoso confectus, quia Spiritus animales ab initio veneno adeò potenti inquinabantur, ut certamini instituendo impares, Fermentum neque subigere neque minuere valerent.

[*b*] Quoties Venenum Febrile genii *Emetici* est, Ventriculum petit, per ejus glandulosam tunicam virulentiam suam excernere satagens [quod in *Febribus Intermittentibus* præsertim videre est.] Quam enormi Vomitione, vel saltem Nausea, durante Paroxysmo, ac si ab *Antimoniali* haustu epoto, Ægrum perpetim lacessitum conspicimus? Viribus autem veneni in decursu Paroxysmi fractis atque subactis, momento quasi, hæ turbæ sponte compescuntur; donec, recrudescente veneno, massa sanguinis, ac si ab *Emetico* recens propinato, de novo inficiatur. Præterea *febres continuæ* dictæ *Synechéis* æquè ac *Intermittentes*, durante Paroxysmo, *Diarrhœam* serosam & torminosam, *Dysenteriam* vel *Choleram* morbum simulant; Ægri enim fluxu Alvi enormi, aliquando cruento; aut excretione humorum colliquatorum immani sursum ac deorsum, cum *Spasmis* horrendis, quasi à *Colloquintide*, *Arsenico*, vel forti ac deleterio quocunque Pharmaco exhibito, corripiuntur: Quippe fermentum Febrile naturam *Arsenicalem* vel aliam aliquam ejusmodi deleteriè Catharticam sapiens, glandulosam Intestinorum tunicam ultro petit. Colliquatio verò, finita exacerbatione, sponte cessat, aut saltem mitigari incipit, atque viribus *Opiatorum* ac *Adstringentium* citius longè, & certius cedit, quam vigente paroxysmo. Porrò, in Medicina Tyrones non possunt non sæpiùs observasse *febres Synechéis*, & *Inflammatorias* Continentibus congeneres; præsertim *Autumnales*, atque ab habitu Scorbutico oriundas, *Salivatione* legitima per dies xxx. plus minùs durante, cum *Aphthis*, *Tumoribus* oris, & Faucium *Ulceribus*, cæterisque symptomatis omnibus, præter halitum fœtentem, *Mercurialem* ptyalismum comitari solitis sociata, criticè terminatas: Quippe Fermentum Febrile humores exagitans veneno *Mercuriali* imbutum, suapte sponte ad fauces, & glandulas salivales tendit. Insuper, sicut in *febre Diabetica* symptomaticè; ita in nonnullis aliis *febribus*, præsertim *Scorbuticis* copiosam serosæ colluviei separationem Criticè fieri per *Renes* nonnunquam conspicimus, à fermento virulento proculomni dubio *Cantharidibus* congeneri, vel ejusmodi alicui sine nomine *Toxico*, quod *Renes* præ aliqua quavis parte petat. Neque multum forsan à vero aberrare videamur, si statuamus Febrem illam *Pestilentialem* Epidemicam, *Sudorem Anglicanum*, à *Polydoro Virgilio* descriptam, & reliquas Febres istiusmodi *Colliquativas* malignas, à venenato Fermento peculiari (ut ut proprium ejus nomem hactenus non sit designatum) quod virulentiam suam per poros cutis eliminare satagat, ortum ducere. Uti & *pestem*, aliasque Febres mali moris congeneres, *Anthracibus*, *Carcinomatis*, nigris *Maculis* in cute efflorescentibus, *Crusta* nigra ori & linguæ obducta, reliquisque ejusmodi symptomatis notatas, à Sphacelante, & causlico quodam, seu aduren-te Fermento oriri: Quippe ipsissima eadem symptomata à *Venenis Caustícis* intrò sumptis passim proveniunt.

Qua-

(a) *Veneni Symptomata in febre Continua.* [b] *In febribus omnibus promiscuè.*

Quamobrem, modò de hisce rebus quæ sensus planè fugiunt ac superant, liceat à posteriori, seu effectu ratiocinari (quod jure merito negari haud potest) concludendum est hoc Fermentum, *Veneni* reapse semper plus, minùs particeps esse.

(a) Hoc concesso, quid opus verbis ut demonstrem *Corticem Peruvianum* vim suam Febrifugam, *Antidotorum* more, exercere, scilicet venenatum hunc fomitem expellendo & subigendo? Ecquis enim hactenus aliquo Remedio Arte parabili, nisi *Antidoto* seu *Alexipharmaco* venenum vincendum esse somniavit? Et quam inani labore Medicamentis contrariis qualitatibus imbutis, adversus effectus & symptomata morbi militamus dum ejus Fomes, seu Causa integra & salva intus maneat? Huic nostræ sententiæ de virtute Corticis *Alexipharmaca* fidem facit Modus, quo hoc Remedium operatur; Quàm subitò enim & inopinatò vires suas exercet, atque in Febribus fugandis scopum attingit *Fracastorius* olim *lib. 3 de Contag. Morb. Curat.* de *Boli Armenæ* vi Alexipharmaca notavit, quod ea *homini intumescenti, & in agone à morsu Aranee posito, exhibita, vox statim rediit ac vita*. Non autem à manifesta aliqua alteratione in humoribus inde effecta (quam momento fieri posse nemo opinabitur) verùm uti ab *Antidoto*, quæ venenum propria sua substantia delet, effectus hic verè mirabilis & stupendus ex improviso producebatur. Ergo eodem planè jure *China-China* in classem Antidotorum, quo *Bolus Armena*, adsciscitur potest. Porrò non minus huc spectat *Corticis* efficacia in omni sexu, in ætate senili ac infantili, in puerperio ipso, in quavis anni tempestate, atque in Temperamentis diversis prorsus, & contrariis: Certa enim experientia comprobatum, est Medicamenta, quæ sensibili quacunque qualitate humores alterando, finem assequuntur, pro vario Ægri temperamento, ac causa morbi varia, oportere variari, adeò ut quivis Medicus doctus ac expertus, formulas suas in eodem morbo, & eadem persona curanda necessario sæpè mutare cogatur: Quinetiam Empyricum, ac Medico indignum hucusq; semper visum est, inter unius Receptæ Formulæ vel Schedulæ cancellos comprehendi. Observatu etiam dignum est quàm parva quantitas *Corticis* febrem, quantumvis confirmatam, imò ipsam *Quartanam* fugare valeat. Licet enim, præcopia Corticis *Spurii*, *putridi* & *Effœti*, qui vulgo venalis prostat, medicamentum hoc magnum, ab indole sua nativa multùm degenerasse videatur, & Dosis ejus, cùm minus sincerus sit incerta, ad ʒi. ij. iij. in eos Ægri nauseabundi necessariò ingerenda sit, priusquam optatum eventum assequi possimus [de quo jam olim conquerebatur *Cardinalis de Lugo* in Epistola sua ad *Sebastianum Badum*] At quamdiu genuimus ad nos afferebatur; scilicet ab anno 1649. ad anum usque 1663. (testante *Bado*) juxta primam Formulam *Schedulæ Romanæ* solenni Drachmarum duarum Dosi febris, quæcunque *Intermittentes*, & *Quartanæ* contumaciſſimæ profligari solebant. Imò Cl. *Andreas Nicolaus* in epistola, ait sese Drachma una *Quartanas* fugare solere. Alii *Scrupulo uno* vel ℈ß. Febres infantium sese subegisse affirmant. Atque equidem Ego ipse, ante annum 1678. cùm circumforaneo *Tabor* non innotuit, nec apud Medicos increbescere cœpit, & Mercatores quidvis putidum ac effœtum, proprji lucri causa, pro Cortice genuino non vendebant, nusquam in febre curanda sive *Intermittente* sive *Remittente* ʒii. excedere solebam: Qua dosi, æquè certò optatum eventum assequebar ac hodie Uncia una vel altera. Ecquis autem à tam pusilla quantitate Medicamenti generosissimi totam molem sanguinis & humorum, momento quasi, adeò mutari posse concipere queat, morbus contumax, qualis est Febris *Quartana*, inde fugari possit. Præterea nulla extrema qualitate hoc Pharmacum præditum est, qua humorst insigniter alterare valeat (ut olim observavit

[a] *Cortex Peruvianus est Antidotus Veneni Febrilis*

vavit Doctiſſ. *Sturmiùs*) & ob eandem cauſam non ratiocinando inventum, & ad uſum medicinalem primùm adaptatum erat; verùm ſicut aliæ Antidoti, *Caſu atque Experientia*. Præterea [quod prius innuimus) abſque quacunque humorum evacuatione ſenſibili ſcopum ſuum attingere ſolet.

(*a*) Diſſertatione de Operatione Corticis peracta, quædam exinde Corollaria deducemus. Primo, ex prædictis Quivis facilè concludere poterit, decantatum Febrile fermentum, ſive id quicquid ſit, quo *Archæus* [verbo Helmontiano ſit venia) irritatur, atque unde moles Humorum in febribus variè agitatur, non ampliùs quæri debere in maſſa Sanguinis, ejuſve Caliditate, Frigiditate, Siccitate, Humiditate, acrimonia, aliave quacunque Qualitate exuberante, quippe hæ omnes Qualitates manifeſtæ ſecundario in Sanguine ſuccreſcunt, à Fermento alibi ſito, atque proinde medicamentis contraria qualitate imbutis; in Curatione Febrium, unicè fidendum non eſt. Illud autem *Febrifugum* certiſſimum eſt, quod ſive calidum, ſive frigidum, Fermentum hoc Humores exagitans atque irritans penitus ſubigit atque delet.

Secundò, *Fermentum* hoc, quod Principium vitæ petendo, primum Spiritus irritat, dein totam maſſam Sanguinis & Humorum diverſimodè conturbat, in Spiritibus animalibus tanquam primo atque immediato ſuo ſubiecto deliteſcere, atque proinde inibi deleri debere. Quam quidem Hypoteſin, ut ut in Apparatu noſtro priùs palam demonſtravimus; haud parum tamen lucis ei inſuper accedit ab obſervatione efficaciæ Remedio exterius applicatorum: Quantum enim Cerebrum, atque Genus Nervoſum afficiuntur ab *Emplaſtro de Galbano* (*b*) umbilicali, & à variis Odoramentis fœdis aut *Moſchatis*, ut in *Hyſtericis* videre eſt? Quantum à Cataplaſmate ex *Allio* plantis pedum applicato, paucarum horarum ſpatio, Natura patitur ut facile cum ſuo damno quivis in ſeipſo experi-

ri poteſt? Quantum deniq; à *Suppedaneis Pericarpiis*, *Veſicatoriis*, *Epithematis*, *Cataplaſmatis*, atque *Emplaſtris* variis Curatio Febrium promoveri ſoleat, Medicis Tyronibus ſatis notum eſt. Num autem ab hiſce *Externis* maſſam Sanguinis derepente mutatam atque alteratam eſſe facilè quis credat; Multo clarius mehercule! hujus rei ratio reddi poteſt ab effluviis horum remediorum exterius applicatorum tranſmiſſis per poros cutis ad Spiritus in fibrillis Membranarum hoſpitantes, unde Fermentum in partibus nervoſis deliteſcens Immediatè, Secundariò verò maſſa ſanguinis alterari facile poteſt; Neque eſt, cur quiſquam dubitet, utrum Spiritus hi, quippe naturam maximè agilem participantes, hujuſmodi Fermentorum, quæ ſtatis periodis deliteſcunt, atque iterum revireſcunt, poſſint eſſe ſubjectum capax; modò ſerio ſecum perpendat in hiſce Spiritibus potiùs quàm ſegni Humorum mole principium Fermentationis ac motus cujuſcunque, ſive continuus, ſive periodicus fuerit, primum ineſſe. Tertiò Fermentum hoc Febrile plus minùs eſſe venenatum ex jam dictis abundè conſtat. Atque proinde quartò, *Febrifugum*, propriè ita dictum, quod ad hunc Fomitem ſubigendum deſtinatur, oportere eſſe veram ejus *Antidotum*, Amiciſſimum ſpiritibus, verùm Fermento Inimiciſſimum, Uſu & experientia potiùs quàm ratione excogitatum; Cujus parva quantitas ſcopum ſuum in fugandis *Febribus*, quarum Fermento par eſt, citò, certò, &c. attingit. In morbis *Partium Viſcerum & Emunctoriorum*, ubi Fomes in humoribus præter naturam alteratis immediatè latitare videatur, Medici intereſt cauſam Morbi ex peculiari humorum Affectu accurate erruere, quo melius inſtructus Medicamenta qualitatibus evidenter contrariis ad eos impugnandos imbuta, eligere queat. Verùm ad hos morbos *Univerſales* curandos ſatis eſt noſſe Antidotum certo uſu comprobatam, quæ cauſæ morbificæ contraria, eam deleat

& Mor-

(a) *Corollaria.* (b) *Quemodo operentur Remedia externa in Febrium curatione.*

& Morbum penitus diruat. Qui hac in re altius sapiunt, procul omni dubio in puteum erroris incident, & credulos ac sequaces Discipulos una secum abducent.

CAPUT VIII.

De Corticis Præparatione atque Exhibitione.

AD [a] ultimum sermonis nostri stadium jam demùm deventum est, ubi Iustus *Modus Corticis præparandi atque exhibendi* tradendus est, isque certis Regulis, ac Canonibus usu multo comprobatis comprehendendus. Quod pensum brevi, at pro virili absolvere satagemus.

(b) Atque sanè primò loco, idque accuratissimè cavendum est, ne *Cortex* non sit genuinus & vegetus: Siquidem ubi fortè *Antidotus* ipsa, quà utimur, putida, effœta, malè electa aut spuria fuerit: nulla Arte præparandi, nulla methodo ministrandi, hunc defectum compensare possibile est. At heu! præ socordi incuria, vel sordida avaritia eorum, quorum interest huic provinciæ diligentius prospicere; quàm sæpè Apothecæ Pharmacopolarum, & Capsæ Mercatorum, adulterino nescio quo *Cortice* implentur, vel *Cortice* genuino, præ ætate autem, vel alio accidente planè effœto, Insipido, putido, ligneo, atq; proinde nullius pretii? Adeò nonnunquàm vix decimam ejus partem genuinam, aut saltem vegetam deprehendi. Hoc autem in pollinem redacto, ob veri & vegeti Corticis partem commixtam, fucus non facilè percipitur. Ego sanè vix oculis solis, nisi prægustaverim, in Electione Corticis credere soleo, atq; equidem, ubi negotiis impeditus *Cortic.* non coram elegi & probavi, anxius ac tremulus eum semper præscribo, ut ut, eo nomine, aliquos adversus me vehementer succensentes atque palam excandescentes probè noverim; Quocirca *Apotheca publica* lege sancienda, & curæ doctorum ac proborum virorum demandanda multum optanda est, Vitæ & Palatis ægrotantium, necnon famæ Medicorum & Pharmaci *Polychrestì* consulatur: Dum enim spurium, effœtum & putidum nescio quid, loco hujus generosi Medicamenti; indiscriminatim vendatur, nauseabundi Ægrotantium Ventriculi immensa quantitate ingrati Pharmaci inferciuntur, & ipsa vita nonnunquam in discrimen adducitur, quia in præcipiti morbi cursu tempus sæpenumero non datur adeò immensæ *Corticis adulterini* quantitati deglutiendæ par. Sæpe etiam Medicum ipsum de quantitate Corticis exhibendi incertum manere necesse est, & haud rarò expectationem ejus decipi, unde Ars Medicinalis, Medicus, & præsertim Pharmacum *Polychrestum* non possunt non apud vulgum famam existimationemque amittere. Quam ob causam nemo ampliùs miretur, si inter plebem adhuc adversùs *Corticem* præjudicia fiant, & Medici vires ejusdem minùs pespectas habeant, atque nonnulli eorum sententiam minus æquum de eo adhuc proferre soleant.

(c) *Corticem* autem qui prostat in Officinis venalis, reapse, maxima ex parte esse spurium, effœtum, ac putidum, testes appello Medicos omnes æquos, expertos, quos ego ipse sæpenumero audivi hac de re impensiùs conquerentes. Quin & res ipsa idem clamitat: Quare enim dosin solennem drachmarum duarum Adultis olim præscriptam, hodie in Febribus curandis ad tot uncias augere coacti sumus? Quando primùm invaluit *Corticis* usus, scilicet ante *Annum* 1660. fucum ac neglectum hunc pestiferum à *Pharmacopola* Collegii *Romani* jam dudum detectum fuisse constat, ex propriis ejus verbis, quæ hic non pigebit transcribere. Queritur autem *Plurimum ejusmodi fictitium Corticem aquæ Aloes lavatum, quo amaritiem conciliet, Roma tunc temporis advehi, quin*

& ad

[a] *Corticis Electio.* (b) *Quod cortex Officinarum sit Adulterinus, &c.*

& ad alios locos proseminari, ideoque Aromatarios, Pharmacopœos, ac Medicos seriò monet, ut sedulò super hac re animadvertatur, ut Cortex, *quem emunt, sit germanus, non fucatus.* Atque alibi in Epistola sua ad Cl. *Badum April.* 9. 1659. data, hisce verbis: *Repeto vestræ Dominationi, quotidiè magis observari falsitatem Corticis invectam causa mercimonii, adeoque nocumento fuit in regione Pedemontana duobus, qui post octiduum ab ejus sumptione obierunt.* Et posteà, *Innotuit damnosum istum Corticem non fuisse genuinum, sed adulteratum, cujus viginti capsulæ Neapolin pervenerunt, & multæ cistellæ Romam.* Ipse etiam *Cardinalis de Lugo* cujus industria vis Corticis Febrifuga Romæ primùm innotuit in *Epistola* ad eundem *Badum* de *Cortice* scribens ait. *Id autem mali est, quòd ob ejus usum frequentiorem, jam Romæ incipit deficere, & iis qui venum exponi poterit, nescio quamdiu immunis esse poterit à Mangonum periculis, ut in aliis pretiosis, & exoticis Medicamentis accidit.* Quid autem jam expectandum est, postquam ejus usus & fama per totam *Europam* increbuit? *Vincentius* etiam *Protospatarius* doctiss. atq; clariss. Medicus *Neapolitanus* in *Epistola* ad eundem *Badum* disertè ait, *Sese duplicem observasse Corticem, Alterum illegitimum, cujacem verò nescit, sed, ad mercimonii augmentum, à pessimorum quorumdam sorditie invectum, nigrescentem, non amarum, non friabilem, sed austerum & viscidum quid ex attritu dentium exhibentem, sapore non aromaticum, sed injucundum potius ac insuavem. A cujus usu D. Alphons. Gaglia Tertiana affectus, post quadraginta dies summum obiit diem, & Domino Matthæo Sacconi simplex Quartana duplicata fuit.*

(a) Lubet igitur *Criteria* genuina adiicere, ex quibus verum à supposititio Cortice distinguere liceat, quæ Articulis perpaucis facilè comprehendentur, *Genuinus Cortex* colorem *Cinnamomi* visui refert: *Nigricans* colorem suum ab *Aloe* aut aliquo alio ejusmodi proculdubiò mutatus est: Genuinus *Sapore* satis grato ac aromaticè amaro est: Injucundè *Amarus* ac intensè *Acerbus* pro suppositititio habendus est: Genuinus *Olfactui* odorem spirat peculiari modo *Mucidum*, attamen suavem, gratum, ac aromaticum; Atque huic Sensui in *Cort.* genuini sinceritate deprehendenda præ cæteris omnibus, ego credere soleo, & *Corticem*, cui gratus hic ac peculiari modo Mucidus odor deest, qualemcunque saporem vel colorem referat, semper suspectum habeo. Denique *Genuinus* dentibus attritus, vel quocunque alio modo fractus, *Friabilis* est, non viscidus & glutinosus, quem utpote liquore aliquo tenaci imbutum ac saturatum rejiciendum duco Corticem etiam *male electum* sensu facilè deprehendemus, num scilicet sit crassus, ligneus, quippe *tenuis* ille, qui à ramulis raditur, est maximè vegetus, quia succo recenti saturatus. *Effœtus* ac annosus fere omni sapore, præsertim Amaritie privatur. *Putridus* etiam, modò frangatur, sese palam oculis prodit: Cùm multa tamen diligentia hoc scrutinium fieri oportet, quippe ex vafritie & avaritia *Mercatorum* ac *Aromatariorum*, mercimonii causa, sæpissime ad parvam quantitatem genuini ac vegeti *Corticis* pars multò major spurii, effœti ac male electi adjicitur, qui fucus haud ita facile deprehenditur; ubi in pulverem *Cortex* redigitur.

(b) Quod ad modum *Præparandi Corticem* spectat, non est quòd diù moras traham in *Tincturarum* inde elicitarum, *Spirituum* destillatorum, *Elixirium*, *Extractorum* formulis elegantioribus describendis, cùm multa ac diurna Experientia fretus, palam affirmare audeam *Chinam Chinam* simplicem, & in substantia, forma Aegro gratissima, exhibitam (modo in pollinem seu *Aleobol* arte priùs redacta fuerit, ut minori tædio deglutiatur, atque ventriculum minus oneret, ac citius per corporis habitum trajiciatur) certius ac compendiosius vires

suas

(a) *Corticis genuina Criteria.*
(b) *De modo præparandi Corticem.*

ſuas exercere; atque finem optatum attingere, quam ſi multa arte, aut igne torqueatur, ac nativis viribus ſpoliata, more pompoſiſſimo, exhibeatur; Adeò ut in iſtis præparationibus Oleum ac opera perdatur. Neque cuiquam author ero ut nugas hujuſmodi captando, atque reapſe nihil efficiendo, temporis pretioſiſſimi jacturam faciat, ſiquidem uti *Cochleariam*, reliquaque *Antiſcorbutica* atque [generaliter loquendo) *Specifica* cætera, quotquot ſint, ita *Chinam-Chinam* felicius atque compendioſius operari Experientia didicimus, quo ſimplicior & minus fucata fuerit.

(a) Copia *Formularum* elegantiſſimarum præſcribendi; atque exhibendi *Corticis* Medicus inſtructus eſſe debet, ſcilicet ut Pharmacum ſua natura non admodùm gratum in *Hauſtum*, *Bolum*, *Electuarium*, *Apozema*, aliamve quamvis Ægri palato gratiſſimam formam redactum miniſtretur, & nauſeabundi Ægrotantis tædium methodo exhibendi honeſtè decipiatur; Et nonnunquam Ægro præjudiciis in Corticem præoccupato remedium ſalutiferum, nihil tale ſuſpicanti ingeratur, atque denique, ut additamentis aliquibus, quæ vel Medicamenti ingratum ſaporem corrigant, vel à ſymptomate aliquo vehementiori indicantur, locus detur opportunus.

In *Schedula*, *Romana*, *China-China* pulveriſata in Unciis quatuor *Vini* Albi generoſi propinanda primùm præſcribebatur. Quam formulam Medicos diu ſolenniter atque religioſè obſervaſſe abundè conſtat: Nihilominus hodie in hauſtu *Julapii* cujuſcunque temperati. *Cereviſiæ* fortis vel tenuis exhibitam, æquè certò ac tutò eundem effectum producere Experientiam comperimus.

In eadem *Schedula* Doſis ℥ij. præcisè Adultis præſcripta erat; jam autem quia *Cortex* adulterinus eſt, coacti ſumus ſaltem ℥j. nonnunquam ij. vel iij. ingerere, priuſquam ſcopum attingere poſſimus. Drachmas duas vix jam ſufficere infantium ac puerulorum Febribus fugandis, cuilibet in Medicina exercitato notum eſt.

Tota Doſis præſcripta ſimul unica vice exhibebatur; cùm hodiè, ne ventriculus nimium oneretur à tanta mole confertim ingeſta, Medicis viſum ſit [ratione ac uſu comprobante] partitis vicibus *Corticem* miniſtrare, ſcilicet drachmam unam tertia vel quarta quaque hora quouſque una vel altera uncia abſumpta fuerit.

Solenniter etiam in Schedula præfata ſub inſultum Paroxyſmi Pharmacum miniſtrandum præſcribitur; At hodiè, cum majori ratione, atque ſucceſſu magis felici, in *Intervallis* paroxyſmorum duntaxat exhibetur, quo tempore uti faciliùs abſque Nauſea admittitur, certiùſque retinetur: ita (quod haud quaquam flocci habendum eſt) veneno ſopito atque deliteſcentes, vires Antidoti magis integræ in Corpus tranſmittuntur, quippe fermento ventriculi ſalubri adjutæ.

Secundùm eandem *Schedulam*, ante exhibitionem Corticis Alvus Medicamentis *Catharticis* ſæpiùs ſubducenda eſt, licet *Indi*, teſtante *Bollo*, neque ſeſe purgabant, neque, quocùnque alio modo, ante ejus uſum præparare ſolebant; quin & Excellentiſſimus *Badus Anaſtaſ. pagin.* 119. aut ſeſe æquè certò, atque feliciter ſine *Cathartico* [morbo urgente ac ſuadente] *Febres Cortice* fugaſſe, ac corpore prius purgato. *Nicolaus Imperialis* Vir doctiſſ. & rei Medicinali ſcientiſſimus, jure merito, adversùs hos ſuccenſet, qui adeò tardè *Corticem* Febricitantibus exhibent, cum non minus tutò abſque ſpecioſo hoc apparatu eos curare potuiſſent. Quin & res ipſa idem clamitat: Quid enim (b) *Cathartico* cum Antidotis commune eſt; Vel quis hactenus Corpus purgandum eſſe ante uſum alterius cujuſcunque Antidoti duxerit, certò

[a] *De modo & methodo præſcribendi.*
[b] *An Cathartica uſurpanda ſint ante uſum Corticis.*

certo præterea scimus, à lenissimo quovis *Cathartico* [quia vires *Naturæ* ac *Antidoti* inde franguntur] *Febrem Cortice* sanatam repullulare solere. Proinde *Purgatio* ita necessaria ante *Corticis* usum æstimari non debet, quæ posteà damnosa ac periculosa esse conspicitur. Verùm hic Canon ad Corticis usum spectans ab *Authore Schedulæ Romanæ*, *Chifletio*, cæterisque Humorum, & Qualitatum manifestarum Patronis primùm procul omni dubio, in errore fundatus erat, & veterem illam doctrinam jam ubique explosam redolere videtur. Me quod attinet, ut ut, nausea insolita suadente, lenius *Emeticum* ante usum Corticis præscribere nonnunquam necessarium duxerim; Et in *Plethora*, vel Immani *Dolo Spasmodico*, aut alio Symptomate vehementiori *Phlebotomiam* suaserim, & in *Cachexia* insigni *Catharticum* propinaverim, Nullo modo autem, absque evidenti Indicatione, quicquam horum, præparationis gratia, ministratum Curationi conducere multo usu expertus sum. At è contrà; cùm, ratione symptomatum, liberiores evacuationes (cujuscunque generis fuerint) instituere coactus sum, eò majorem *Corticis* copiam præscribi semper necessarium observavi.

Canone alio *Schedulæ* Romanæ sancitum est, ut *Æger illicò à poculo Febrifugo propinato protinùs lectum petat, inibique stragulis coopertus maneat*. Quorsùm autem hæc; Si *Febris* præsentis gratia Æger in lecto claudatur; quandoquidem sub ingressum paroxysmi Pharmacum hoc deglutiri debere prius decretum fuerat, mitto [a] Sin ab insensibili aliqua evacuatione, aut Sudore inde elicito effectus Medicamenti expectetur; hanc legem non accipio, quia Febris in Humoribus primariò sita non est. Præterea *Cortex* in Aere aprico versantibus, atque solitis muniis fungentibus propinatus scopum tàm certò attingit, quàm si patiens intra lecti cancellos incarceretur. Quorsùm igitur molestis hisce tædiis quasi lege sancitis, nulla necessitate suadente, Ægros ultrò lacessimus: Durante Paroxysmo, regimen Febricitantibus debitum Ægro imperetur; Delitescente autem Veneno; in Paroxysmorum intervallis, sicuti victu quocunq; euchymo carnibus non exceptis ad vires resarciendas lautè & copiosè Ægrum nutrire licet, nec in lecto jacere, nec alias Regiminis regulas observare tenetur: Quippe non *Antidotus*, verùm Febris præsens, seu activum Venenum hoc regimen exposcit: Ecquis autem hactenùs in gratiam cujuscunque Antidoti necessarium duxerit Ægrum solita libertate privare, vel regimine aliquo circumscribere?

Denique, eadem *Schedula* monet, ne quatriduo post Corticis usum ullum aliud Medicamentum admittatur. Medicamentum hic loci procul omni dubio *Catharticum*, vel saltem *Evacuans* intelligitur, quippe ab eorum usu vires Naturæ, ac Antidoti franguntur, &, venenato Fomite inde repullulante, Febris sæpenumero revirescit, quod vel ab *Enemate Cathartico* non tantùm post quatuor dies, verum post tot hebdomadas injecto eveniisse sæpiùs memini. Quocirca, à Corticis usu Ego, nisi evidenti Indicatione coactus, nusquam intra quatuor dies, ne quidem hebdomadas, vel menses, donec ex appropinquante sole tempestas anni immutetur, solennem evacuationem instituere ausus sum, aut saltem facti me pœnituit, nisi toties quoties hoc malum repentina Corticis repetitione averiuncassem. Neque duntaxat à *Cathartico* Febrem Cortice fugatam revocari conspicimus, verum sæpenumerò à minimo *frigore* percepto, vel ultrò, absque Causa evidenti, cum magno Medici & Medicinæ opprobrio, nisi tempestiva, ac frequenti Corticis repetitione ei obviam eatur. Quocircà *febre* priùs Cortice fugata, Ego prophylaxeos gratia (ut Medicum decet) solennem ejusdem repetitionem, post Intervallum octo vel decem dierum bis terve imperare soleo, sc. donec Luna stadia sua singula semel

(a) *An cortex sit in lecto sumendus & cum Regimine.*

ſemel decurrerit, quam ſtatis Curſus ſui periodis, vi exſuſcitandi Fermenta Morboſa, quæ in Spiritibus deliteſcunt (ut in inſultibus *Epilepticis*, præſertim circè *Novilunium* & *Plenilunium* periodicà repullulantibus) maximè pollere conſpicimus. Atque hoc modo Febres *Intermittentes* maximè pertinaces certiſſimè ut plurimùm ſanantur, quas, ut ut vigeſies *Cortice* fugatas, poſthabito hoc Canone, iterum ſeſe in ordinem recolligere quotidie videre eſt.

Faſciculum Canonum de Corticis uſu, quos mihi ratio ac Praxis ſuppedita-vit, hic adjiciam.

[*a*] Primum Medico multum intereſt [neq; eo nomine nimis officioſæ ſedulitatis incuſari debet, ubi vitæ Ægri, & famæ propriæ conſulit] diligenter proſpicere ut Cortex, ſecundum Criteria prius memorata, ſit genuinus & bene electus Deinde, ut in ſubtiliſſimum pollinem reducatur, quo facilius deglutiri, digeri atque per habitum corpori trajici queat. Formulas elegantiores mihi hactenus notas mox ſubjiciam. Adultis præſcribendus eſt, prout plus minus genuinus ſit, ab ʒß. ad ʒvj ʒj. ʒß. ʒij. Infantibus ac pueris pro ratione ætatis à ʒj. ad ij. iij. iv. Neque tantum molem unica vice ingerere neceſſarium eſt, cum ſatius ſit partitis vicibus, ʒj. ſc. ʒß. ℈j. quarta quaq; hora, reſpectu ad Aetatem habito, miniſtrare; Non autem in Paroxyſmo, ob rationem olim redditam, verum potius in Intervallis: Neque equidem præparationis gratia, alia aliqua Medicamenta, uti *Vomitoria*, *Cathartica*, &c. Niſi in intervallis, ubi aliqua vehementiora Symptomata ea poſtulant, miniſtrari convenit. Hoc autem in caſu, ſi Natura à veneno morbifico vehementius irritetur, & Aeger inde *Cephalalgia*, aut *Rheumatico* quocunque dolore graviori correptus detineatur (quod nonnunquam accidit) *phlebotomia* ante uſum pulveris, abſente Paroxyſmo, ſpirituum nimis irritatorum furor compeſcendus eſt. Vel ubi, præ *Nauſea* Ventriculo à præcedenti Paroxyſmo relicta, impoſſibile fuerit *Febrifugum* niſi difficulter admodum deglutiri aut retineri, non abs re erit *poſſetalam* foliis *Cardui Benedicti* alteratam copioſè propinare, vel *Vomitorium Antimoniale* levius exhibere; Aut ſaltem ubi ſigna *cachexiæ* evidentia adſint, *Decoctum Amarum* purgans, *Tincturam Sacram*, vel aliquod ejuſmodi lene Catharticum, in Intervallis, ſemel vel bis præſcribere. Conſuetudinis autem gratia, ac, abſque evidenti indicatione, aliquid hujuſmodi imperare irritum eſſe docet experientia æquè ac ratio, proindeq; Empyrico dignum potius quàm Medico quem omnia ſua mandata ad normam rationis, non proprii Arbitrii, dirigere oportet. Æquè etiam abſurdum eſt Intervallis paroxyſmorum, durante *Corticis* uſu Aegrum in lecto, vel cubiculo, vel domo incarcerari, aut Diæta parca ac tenui ſolummodo nutriri, aut quocunque alio regimine circumſcribi; modo paulo ante paroxyſmum Ventriculus non repletus fuerit alimento, cui digerendo ejus Fermentum mox veneno inficiendum haud par ſit? Atque durante Veneni vigore, parca ac tenui Diæta contentus fuerit Aeger, in lecto etiam [Febre id tunc temporis exigente] decumbat. Fugata aut à *Cortice* Febre, oportet Medicum attentè proſpicere, ne iterum revireſcat, neque officio ſuo ſatis ſe functum eſſe credat cum Febrem ſuſtulerit, ſi non Ægrum cõtra ejuſdem recrudeſcentiam ſartum tectum muniverit. Quocirca jubeat ut Æger ab injuriis Aeris, atq; erroribus in Diæta (quantum liceat] ſeſe incolumem ſervet; Cibo euchimo [tantillo vini etiam quotidie indulto] vires languentes quàm citiſſimè reſarciat, ut Natura virulentiam deliteſcentem & ſeſe jam, vel *Appetitu* deficiente, vel, *Sudoribus* nocturnis prodentem, prorſus eliminare ac ſubigere queat. Caveat maximè à *Venæ ſectione*, abſque evidenti neceſſitate; aut *cathartico*, ſeu quocunque alio Medicamento, unde Natura fatigata impenſas virium majores ſuſtinere cogatur. Ante omnia [præſertim ſi ab

Ap-

[*a*] *canones de uſu corticis.*

Appetitu minus vigente recidivationem mox futuram præsagire liceat) saltem ad spatium Lunæ unius, Intervallo 8 vel 10 dierum, ut ut firma valetudo videatur, repetatur uncia una *Antidoti*, cujus Drachmam unam in Forma quavis gratissima, ter die, horis Medicinalibus Patiens deglutiat, superbibendo post singulas Doses haustum vini admodùm generosi. Hoc Canone observato, haud ita frequenter *Febrium Cortice* curatarum recidivationes famam Medici & remedii minuerent.

(a) Formulæ Corticis præscribendi elegantiores, mihi usitatissimæ sequuntur. ℞. *Aq. Card. ben.* ℥ij. *Aq. Epidem. Syr. Caryoph.* an. ℥ii. *Chin. Chin. El. & subtilissimè pulv.* ℈j. *M. F. Haustus*, qui, absente Paroxysmo, illicò propinetur, repetaturque tertia vel quarta quaque hora ad viii. x vel xii. vices: Pulvis hac forma exhibitus, ut plurimum, præ *Bolo* aut *Electuario* arridet, & minori cum molestia deglutitur; si verò forma *Boli* aut Electuarii magis placeat.

(b) ℞. *Cortic. Peruv. Elect. in subtilissimum pollinem redacti* ℈j. *Syrup. Caryoph. Melissophyl. aut cujuscunque gratioris q. s. M. F. Bolus* mollis statim sumendus, repetenduque tertia vel quarta quaque hora extra Paroxysmum ad viii x. vel xii. vices, post singulos Bolos superbibendo Cochlear. iv. v. vel vi. Julap. sequentis, de quo etiam bibat ad libitum, præsertim vigente Paroxysmo. (c) ℞ *Aq. Card. Melis. Cerasi nigr. Cinnam. bord.* an. ℥iij. *Aq. Epidem. Stephan. Syrup. Caryoph.* an. ℥jß. vel (si Ægro *Julapium Perlatum* magis arridet) *Margar. præpar.* ℈jß. *Saccbar. albiss.* ℥y. vel vi. *M. F. Julap.* (d) Vel ℞. *Pulv. Subtiliss. trit.* ℥i. *vel* ℥iß. *Syrup. è Rub. Idæ* (à quo modo recens fuerit, sapor magis gratus Medicamento concilietur) *q. s. Balsam. Peruv* ℈i. vel ℥ß. *M. F. Electuar.* de quo sumat Æger quantitatem *nucis Juglandis vel Moschatæ*, tertia vel quarta quaq; hora extra Paroxysmum, superbibendo post singulas, Doses haustum *Julapii* priùs præscripti vel cujusvis alterius ejus æmuli. Hac forma pulverem pro pueris præparari jubere soleo: ita ut exinde sumant quantitatem *Nucis Moschatæ* parvæ, vel dimidiatæ, solutam in Cochleari *Julapii* supra præscripti, superbibendo unum vel alterum; quomodo facilè, accū minima Medicamenti jactura, in os Infantium puerulorum ingeri potest; vel si Forma *Pilularum* Ægra magis arrideat.

(e) ℞. *Pulv. Febrifug. Elect. & subtiliss. trit.* ℥i. *vel* ℥iß. *Mucilag. Gum. Tragacanth. Aq. Plantag. Extract. q. s. M. F. Pilul. mediocres, deaurand. quarum viii. x. xii.* quarta quaque hora Intermissionis deglutiat, & superbibat haustum *Julapii* supra præscripti. Hac Formularum copia instructus, Ægros honesta fraude, atque cum proprio suo emolumento, fallere soleo, & unius formulæ pertæsos, ut Remedium idem nova specie, una, vel altera indutum quamdiu opus fuerit, admittant, facilè suadeo.

In eorum gratiam, qui ægrè admodum ferunt Pulveris crassiorem substantiam, quacunque forma, sive *Boli* sive *Electuarii* sive *Haustus* exhibeatur *Tincturam* sequentem ex eo eliciendam excogitavi. Qui quidem liquor (modò *Cortex*, quo saturatur, genuinus fuerit) est admodùm ventriculo gratus, neque Palato injucundus; atque sanè, postquam fundamenta curationis priùs in aliquot Drachmis pulveris in propria substantia ministrati jacta fuerint; facillimè ope hujus *Tincturæ* perficitur atque felicissimè absolvitur, Tinctura est quæ sequitur.

(f) ℞. *Cort. Peruv. Crassè pulverisat.* ℥iij. *Coq. Leniter in Aqu. F.* ℔j. *ad dimid. part. consumpt. deinde fiat Colatura, atque reliquias decocti eadem Aq. quantitate recens effusa Coq. & cola iterum; hoc modo repetendo Operationem ad tertiam vicem, vel donec tota Corticis Amarities fuerit extracta. Denuò omnes Colaturas commisc. & add. Aqu. Epidem. Syrup. Cary.* an. ℥iv. *vel* v. *M. F. Apozem. sive Tinctura*, de quo sumat Æger ℥iv. v. vi. quarta quaque hora extra Paroxysmum, vel sæpiùs ad libitum.

Si

(a) *Haustus* (b) *Bolus*. (c) *Julapium* (d) *Electuarium*.
(e) *Pilulæ*. [f] *Tinctura*.

(a) Si ob laxitatem Alvi nimiam, vel præsentem *Diarrhœam*, quam stimulanti sua Amarire *Cortex* multùm promovent, vires suas Febrifugas exercere non posse ritè metuatur, utatur Æger *Decocto Albo*, vel Vino *Clareto* cum Aqua commixto, loco *Cerevisiæ*, atque *Opiatum* aliquo *Cortici* addatur (quod ei admodum amicum, atque in eundem scopum quadantenùs collimare usu comprobatus) plus minùs pro Ætate, atque rarius vel frequentius pro Symptomatis vehementia. Exempli gratia.

Primæ Dosi Pulveris, pro iis quorum Alvus fluit [quacunque forma ministretur] & deinceps omni Dosi nocturnæ adsocientur *Laudani liquidi Helmont. gutt.* pro Ætate atque *Opii* Euphoria iv. viii. xii. xx. vel *Laud. Londinens. à Semigran. ad gr. j. gr.* jß. Urgente autem *Diarrhœa torminosa* (quod non rarò acccidit) necesse est, ut singulis Dosibus adjiciatur tantillum *Laudani*, quantum ad Alvum frænandam seu cohibendam sufficiat, scil. gut. iv. viii. x. xii. *Laudan. Liquid.* vel more sequenti Cortex præscribatur.

(b) ℞. *Cort. Peruv. Elect. & subtilissimè pulverisat.* ʒi. *Confect. Fracastor q. s. M. F. Pil. Mediocres deaurand.* quarum viii. vel xii. Æger deglutiat repetatque quarta quaque hora extra Paroxysmum in lecto decumbens [ne ob *Opium* commixtum *Vertigine* afficiatur] & superbibat haustum *Julapii* supra præscripti post singulas Doses. Hoc modo ab *Opiato* cum *Cortice* commixto [ut ut Cortex Amaritie sua Alvum sollicitet] Diarrhœam truculentissimè torminosam citius curatam semper observavi, quam à *Laudano* ipso in dupla licet quantitate per se exhibito, Quippe Fermento Febrili humores exagitante, fundente, colliquante ac per alvum deturbante à Cortice subacto, *Diarrhœa* ultrò sistitur, aut saltem Dosi *Opii* admodum exigua frænatur ac cohibetur.

Sin Ægi Pulmones infarcti sint, satiùs est post extractionem sanguinis liberã *Corticem* cum *Lubricantibus* atque *Incidentibus* ministrare more sequenti,

(c) ℞. *Ol. Amygd. d. rec Syrup. ex Erysimo* an. ʒii. *Pulv. subtiliss. atque Elect.* ʒi. *Sacchar Crystal. alb.* ʒß. M. exactissime *F. Linctus*, quem Æger à Paroxysmo liber capiat è Cochleari; repetatque quarta quaque hora superbibendo ʒiv. Apozem. sequentis calid.

[d] ℞. *Decoct. Pector. optimè depurat.* ℔iß. *Tinctur. Croc. Aquâ Theriac. Extract.* ʒß. *Syrup. e V. Rad.* ʒiß. M. F. *Apozem.* Vel.

(e) ℞ *Chin. Chin. Elect. & subtiliss. pulveris.* ʒß. *Ammoniac. optime depurat.* ʒi. *Flor. Benzoin.* ʒß. *Syruq. Balsm. q. s. M. F. Pil. Mediocres deaurandæ*, quarum sex Cap. quarta quaque hora Intervallis paroxysmorum superbib. ʒiv. *Apoz.* sequentis calid.

(f) ℞ *Cortic. Peruv. Elect. crassè trit.* ʒii. *Cochinel. Croci in nodulo ligat.* an. ʒß. *Balsam. Tolutan.* ʒi. *Ingred. Decoct. Pectoral. q. s.* Coq. in suffic. quant. *Aqu. Font.* ad ℔ß. Colaturæ adde *Aqu. Epidem* ʒiv. *Syr. Balsam. ex Erysim.* an. ʒiß. vel. ʒii. M. F. *Apozem.* turbidè propinandum.

CAP. IX.

De proteiformi Intermittentis Febris genio.

EXempla Febrium Intermittentium *Cortice peruviano* curatarum adjungere, irritum planè atque inutile esset, postquam Cl. *Badus*, *Sturmius*, cæteriquè Remedii hujus Polychresti Fautores hanc Provinciam jamdudùm susceperint. Et nemo hodie (quod scio) de viribus hujus Remedii Febrifugis dubius hæreat. Quandoquidem autem, ob vehementiam Symptomatum, ubi Natura ferè integra, acriùs stimulatur ad luctam cum veneno hostili instituendam, hæ Febres haud raró pleroſque alios Morbos, eosque acutissimos simulare soleant, *Corticis* tamen viribus cedant, & si *Cortex* non exhibeatur sæpiùs funeste

(a) *Quomod. Cortex Exhibendus sit in Diarrhœa.* (b) *pilulæ in Diarrhœa.* (c) *Tinctus.* (d) *Apozema pectorale.* [e] *pilulæ* (f) *Apozema.*

evadant; Operæ pretium duxi Exempla aliquot hujuſmodi Febrium, quas nuperrimè obſervavi, ſeligere, ſcriptis mandare, atque publici juris facere. Atque equidem hoc penſum eò lubentiùs aggredior, quia Nemo adhuc (quantum ſcio) hoc ſubjectum tractavit, cujus cultura ad Praxin Medicinalem promovendam maximi momenti mihi eſſe videtur. Siquidem inter innumera illa ſymptomata haſce Febres comitari ſolita, nullum eſt quod non aliquando adeò vehementer ſeviat, ut vita Ægri inde in præſens diſcrimen adducatur, & *Typus* Febris in variis ſuis ſtadiis *Algoris*, *Caloris* & *Sudoris* abſcondatur penitùs, & opprimatur, ita ut neque ex Urina, Temperie, Pulſu, vel alio quoque ſolito modo diſtingui poſſit; verùm ſub larva *Algoris* funeſti, *Vomitionis* indefinentis, *Diarrhœæ* rorminoſæ, *Choleræ* morbi, *Colicæ* ventriculi, *Hemicraniæ* periodicæ, *Apoplexiæ*, *Syncopes*, *Rheumatiſmi*, *Spaſmi* univerſalis, *Pleuritidis*, *Peripneumoniæ*, *Doloris lateris punctorii* vel alterius Morbi ſecurè deliteſcens, Medicum à ſcopo ſuo non rarò abducat. Symptoma quidem intereà Remediis propriis, ſed in caſſum tentatur; Nam, poſthabito Fermento Febrili, proxima efferveſcentiæ periodo, priora, aut deteriora ſymptomata inexpectato recrudeſcunt, Medicus Siſyphi ſaxum volvit, atque Æger vitæ dulciſſimæ diſpendio, aut ſaltem magno ſumptu, ignorantiæ vel incuriæ Medici pœnas ſerò luit.

Sic ubi, præ gradu Veneni ſummè Deleterio, Spiritus adeò perculſi ſunt, ut à primo ictu ſeſe iterùm nullatenùs expandere valeant, *Algor* qui primum horum paroxyſmorum inſultum, ex inſtituto Naturæ, comitari ſolet, eoùſque protrahitur, donec Æger *Deliquiis* frequenter recurrentibus confectus, tandem Fatis cedat. Intereà Remedia intùs vel extra ad flammam vitalem reſuſcitandam in caſſum applicantur, Febris autem nullo indicio ex Urina, Temperie, Pulſu, accuratiſſimo Obſervatori ſeſe prodit.

Parili modo, ubi in primo Stadio Paroxyſmi, Fomes Venenatus Spiritus tantùm opprimat, ut non ultrà ſolitam Spheram ſeſe poſſint expandere, abſque indiciis *Febris* præſentis, *de Nauſea*, *Ægritudine*, & *Vomitione* Æger unicè conqueritur, donec Veneno à *Cortice Peruviano*, vel alia Antidoto ſubacto, Spiritus in nativum ſtatum reſtituantur.

Nonnunquam Venenum Febrile ſub initium Paroxyſmi glandulas Inteſtinorum petit, & *Fluxum Alvi* torminoſum, vel Dyſenteriam excitat. At, cùm Spiritus diù uno tenore opprimuntur, hæc ſymptomata ut ut continua, ſtatis periodis exacerbantur & periodica evadunt, ſine Febris indiciis manifeſtis, & vires *Opiatorum* & *Adſtringentium* longè ſuperant, donec à *Cortice Peruviano* cum *Laudano* commixto, Cauſa ſc. *Fermentum* Febrile, Maſſam colliquans, æquè ac Symptomata inde orta auferantur.

Ubi Venenum *Emeticam* ſimul ac *Cathartícam* naturam participat, Æger frequenti vomitione & dejectione detinetur; &, niſi Spiritus in primo Paroxyſmi Stadio expanſione legitima virulentiam excutiant, formatur inde *Cholera* morbus, Febre neque per Pulſum, Urinam vel Temperiem ſe. manifeſtante. Ventriculo intereà, aut Inteſtinis, aut utriuſque ſimul ab acrimonia Humorum intenſiſſimè venenata Sphacelatis, Æger brevi fatis cedere cogitur, aut ſaltem poſt Inducias infidas datas, à veneno, proximo Paroxyſmo recrudeſcente, Symptomata eadem crudelia & funeſta revireſcunt, niſi à tempeſtiva *Antidoti* Febrifugæ exhibitione antevertantur.

A parili gradu Veneni non rarò obſervavi Ægros, præſertim antiqua & confirmata hujuſmodi Febre laceſſitos, denuò (typo Febris legitimæ amiſſo) perpetua *Nauſea*, *Ægritudine*, *Vomitione*, *Sudore colliquativo*, *Suffocationibus Hyſtericis*, cæteriſque id genus Symptomatis in Genere Nervoſo penè confectos atque Anima quaſi derepente efflaturos, quos debita doſi *Cort.* [nulla alia arte ſanabiles] illico reſtitui.

Uri-

Unicuique etiam in Medicina versato notum est horrendos Dolores (& iis qui à Toxico propinato proveniunt non minores) Lumbos & Crura spasmodicè lancinantes, non rarò primos insultus *febrium Intermittentium* legitimarum, præsertim *Quartanam* comitari solere, durante *Algore & Rigore*, donec Spiritus multo nisu expansi, ac agitati pares sint Veneno activo eliminando, Flamma autem indè accensa, *Spasmi* dolorifici sensim cessant: Verùm, ubi Spiritus vi veneni non tantùm deprimantur, sed etiam in statum Explosivum universim adigantur, nonnunquam deprehendi totum Corporis Systema inde perpetuò algens, idque diù, ac sine ulla Febris nota, totam autem Machinam intereà Spasmis universalibus, iisque horrendis, & versatilibus hinc inde vellicatam & lancinatam. Nec mirum est, si Aeger perpetua Aegritudine, Vomitione, atque deliquiis inde confectus (ut fieri solet) brevi mortem oppetat, nisi Ars tempestivè Naturæ languenti succurrat.

Haud rarò etiam Spiritus à nativa sua debilitate, vel obstructione, atque præsertim à Frigore percepto, alia qua vis causa evidenti ansam præbente, in statum Explosivum adiguntur unde partes aliquæ singulares, præsertim *Thoracicæ*, *Pulmones*, scil. *Pleura*, *Diaphragma*, aut *Ventriculus* ac *Intestina* vellicantur, & Spasmis lancinantur. Aeger præ atroci dolore, perpetuò alget, atque *Deliquiis* frequentibus *Suffocationibus*, & *Vomitionibus* fatigatur, sine aliqua nota Febris evidenti; Urinam claram reddit, & sine Pulsu Moribundus jacet, quousque Spiritus veneno icti Arte vel Natura expansi, flammam in Massa denuò excitarint. Morbus autem à *Cholera* morbo *Pleuritide*, seu *Peripneumonia* duntaxat ex *Tussis*, & *Pulsus* defectu, *Vomitionis* & *Doloris* excessu, *Deliquiis*, & extremorum *frigiditate* dignoscendus est.

Sæpe etiam Aegros de dolores lateris unius aut alterius punctorio conquerentes novi, in quibus tamen Febris κρυπτην deprehendere non potui per plures dies, nisi quòd Pulsus paulò justo celerior erat. Postquam aut *Venæ sectione*, & usu *Laudani* cum *Alexipharmacis* commixti, isti *Spasmi* mitigabantur, atque inde vis Spirituum Elastica nativa aucta fuit; signa flammæ in Massa accensæ, quàm citissimè sese prodiderunt; *Urina* tincta est & turbata. *Pulsui* fortitudo ac celeritas pari passu accessit. *Temperies* universim incaluit, sitis clamosa evasit, *Aphthæ* linguam atq; Os cooperuerunt. At, ad Flammæ, & doloris Exacerbationem statis periodis recurrentem semper, quasi ad Cynosuram auspicatò cursum meum dirigens; Copia *Corticis peruviani* cum *Laudano* commixti, & intervallis Paroxysmorum exhibiti Venenum subegi, & Ægrotantes à Febri, ac dolore penitùs liberavi.

Præter cætera omnia Mihi pluries mirari contigit, post subactionem Veneni Febrilis ab Expansione Spirituum quadantenùs effectam, cùm ex *Pulsu* forti ac celeri, *Urina* intensè rubra, ac turbata, *Temperie* calida, cæterisque Indiciis, Febris sese palàm ostendat; Artus hisce Doloribus spasmodicis, statis periodis recurrentibus, & more Rheumatismi versatilibus esse affectos, cum Tumore & Ardore partium laborantium, à nisu Spirituum in his partibus sese expandere satagentium. At hosce *Dolores* adhibita *Venæ sectione* debita, usu *Corticis peruviani* copioso extra Paroxysmum ministrato feliciter semper profligavi.

Denique Cerebrum, primo insultu Febris legitimæ affici, non tantùm *Vertigine*, à Spiritibus veneno Activo oppressis ac turbatis, verùm etiam Dolore *Acuto* vel *Gravativo*, à nisu Spirituum in membranis sese expandere satagentium, cuivis Medico notum est. Nonnunquam autem Spiritus hoc tempore Febris adeò opprimuntur & turbantur, ut Ægrotans more Apoplecticorum, durante toto Paroxysmo, sine Febris indiciis, Mortuo similis jaceat, & eadem Symptomata simul cum Paroxysmo subsequenti sæpe recrudescant: Quibus Symptomatis ut ut *Venæsectione*, *Vesicatoriis*, cæterisque ejusmodi *Apoplexiæ* veræ Remediis, jure merito succurrendum sit, Revires-

gentia tamen eorum sine *Cortice* præcaveri nequit.

Hemicraniam Periodicam etiam observavi, à nisu Spirituum in membranis Cerebri sese expandere conantium, quam spatio bidui *Venæ sectione* & usu *Corticis* penitùs sustuli; licet in hujus Symptomatis Curatione, *Venæ sectio*, *Vesicatoria*, *Emetica*, *Cathartica*, *Errhina*, *Masticatoria* ad hebdomadas aliquot spem meam deceperant.

Quò genius Versatilis morbi hujus Proteiformis ad vivum depictus dignoscatur, & ut inde sciatur, quo pacto Naturæ, hisce Symptomatis laboranti tempestivè succurri possit, *Historias* huc spectantes hic subnectam, quibus unam Historiam admodùm raram subjicere non pigebit. *Febris* à dolore *Nephritico* ortæ, Symptomatis horrendis spasmodicis stipatæ, & Cortice curatæ; uti & efficaciæ nostri *febrifugi* priùs memorati, ubi vires Cortici, ob diutinam assuefactionem, vel peculiarem Aegri dispositionem, defecerant.

HISTORIA PRIMA.

(a) Dominus *Amblar* habitas in *Mile-End*, Vir quinquagenarius, macilentus & quadantenus valetudinarius, Febri Intermittenti contumaci, ac cum vehementibus Symptomatis sociate, ex leviſſima quacunque occesione sæpe antehac obnoxius, anno 1690. à Frigore vehementi in Aere pluvioso primum suscepto, ac à vectione super Thamesin diutius protracto, domum reversus *Rigore*, & *Horrore* immani derepente corripiebatur; quibus succesſit *Algor* universalis; quo durante, Pulsus vibratio vix percipi potuit, *Vomitione*, *Dejectionibus*, & horrenda ventriculi Oppressione & *Ægritudine* (sicut in *Cholera* morbo) affatim lacessebatur, *pharmacopola* advocatus stragulis multis impositis, ac *Bolis* Cardiacis, atque *Julapiis* Cordialibus exhibitis, flammam penè extinctam resuscitare, atq; reliqua dira Symptomata corrigere tota Nocte in cassum tentavit. Manè enim sequenti ego accersitus, inveni faciem planè Hippocraticam, totum Corpus instar Glebæ frigidum & madore perfusum, *Cutim*, præ Sanguinis Congelatione, nigredine tinctam, vires perpetua ægritudine, nc evacuatione Bilis diversicoloris per Os, & Cremoris fœtidi albescentis per Anum penè exhaustas. Appropinquantem Mortem omnia ostendebant, quippe Principium vitale, seu Spiritus animales à Veneno adeò deprimebantur, ut sese iterum expansuro spes non esset. Ad demulcendam autem malignam humorum Acrimoniam e Glandulosa Ventriculi & Intestinorum membrana perpetim excretorum, eaque lacessentium jussi, ut *Aqua pulli* Aegro copiosè propinaretur, & per Anum Siphone injiceretur; ut Regio Ventriculi affatim *Sacculis* nostris Aromaticis calide foveretur, & *Bolus* summe Cardiacus, &, pro Aegri viribus *Opiatus* ad Expansionem Spirituum promovendum, & Colliquationem humorum præcipitem compescendam, quarta quaque hora, cum haustu *Julapii* & *Alexipharmaci* exhiberetur. A tertio vel quarto *Bolo* deglutito, Pulsus rubor plurimùm restitutum sensi, nigredinem Cutis evanescentem, Calorem in Extremis Partibus redintegratum, Evacuationes enormes quadantenùs suppressas, Sudores Colliquativos diminutos, jactationem minus inquietam, & Somnos, breves licet, tamen minore ægrotatione finitos. Quocirca Venenum, durante hac Symptomatum Remissione, *Cortice peruviano* cum Laudano commixto, quarta quaque hora in forma Haustu propinato aggredior, probe sciens vires Aegri secundo prælio non esse pares. Verum ante tertiam Dosin Corticis, Veneno inexpectatò recrudescente, Paroxysmus recens, cum prioribus Symptomatis diris sociatus, atque funestus invasis: Unde misellus Aeger spatio xxiv. horarum fatis cessit.

HIS-

(a) *Mors subitanea à gradu veneni febrilis intensa, quo Spiritus oppressi, à primo insultu, nunquam sese expandere potuerunt.*

HISTORIA SECUNDA.

(a) Filius unicus *Mercatoris* prædivitis, X. annos natus, qui etiam jamdiu valetudinarius fuerat, circiter annum 1676. *Febre Tertiana* correptus, in manus *Pharmacopolæ* per tres hebdomadas curandus tractabatur. At qua methodo, durante hoc spatio, tractabatur, nescio. Tandem à Veneno Febrili intenso Spiritus animales opprimebantur, & extinguebantur, & Miserrimus Puer, per triduum ab insultu Paroxysmi ultimi, continua ægrotatione, ac Vomitione pressus jacebat; cum pulsu formicante, inquietus, immensè sitiens, & Madore frigido undiquaque perfusus. Die secundo paroxysmi, Ego advocatus, virulentiam humorum per glandulas ventriculi excretorum copiosa ingestione *Aquæ pulli* demulcere sategi, stragulis etiam, Calore externo, *Sacculis* aromaticis Vino Clareto incoctis & expressis, & ad Ventriculum exterius applicatis, nec non Spiritu C.C. *Julapiis*, *Speciebus* & *Bolis Cardiacis*, & Vino copiosè propinato, Expansionem Spirituum promovere, & flammam vitalem penè extinctam resuscitare pro virili conabar. Incassum autem omnia; quippe Spiritus Veneno summè Deleterio, à primo paroxysmi insultu, plane extincti fuerunt. Puer autem languens & Algens, tandem sub finem tertii diei Lipothymicè obiit, toxico prægrandi proculdubio interemptus.

HISTORIA TERTIA.

(b) Nuperrime accersitus à Domina *Baker* Vetula, habitante in vico dicto *Fleet street*, eam inveni continua ægritudine & vomitione, à quatriduo, oppressam, & jam pene confectam; omnia ingesta illicò rejicientem, & inde animi deliquium sæpius perpessam; pulsum deprehendi celerem & debilem, temperiem autem, præ languore & perpetua ægritudine, mitem, & quadantenus frigidam: urinam ferè sanam. Insomnis jacebat, & tantùm non delirabat; De *Nausea* verò & *Vomitione* unicè conquerebatur. Mihi de singulis diligenter percontanti narratum est, Fœminam à sex hebdomadis præteritis valetudinariam fuisse, frigore & calore præternaturali sese excipientibus tentatam, nec non periodis incertis, Nausea & vomitione frequenter laborasse. Unde, jure merito, conjeci eam Veneno febrili mitiori diu infectam fuisse, quod tandem ex incuria eoùsque prævalebat, ut Spiritus animalis inde penè extingueretur. Ægra, ac si toxico propinato, Vomitione perpetua laboraret, & brevi fatis cessura esset, nisi veneni viribus, ope *Antidoti*, sine mora fractis, Tonus Spirituum & Crasis Sanguinis illicò restituerentur. Igitur postquam præscripseram *Bolum & Julapium Cardiacum*, atque *Vesicatoria* ad Expansionem Spirituum promovendam, & pro potu ordinario, *Aquam* pulli ad demulcendam acrimoniam humorum in Ventriculo excretorum, *Julapium Sale Absynthii* & succo *Limonum* saturatum, ad ventriculum confortandum cochleatim hauriendum; jussi ut *Cortex Peruvianus* exhiberetur copiosè ad venenum Febrile subigendum, in formam *Haustuum Tincturæ* redactus, addendo bis vel ter die gut. x. vel xij. Laudani liquid. Vehementis vomitionis gratia, quæ tam alimentorum quam Medicamentorum retentionem impediebat: Inde spatio unius diei, Ægritudine & Vomitione diminutis, criticè succreverunt *Aphthæ* albæ per totum *Os*, urina multa Rubedine tincta & contentis saturata reddebatur, & cætera indicia expansionis Spirituum Febri is Caloris redintegrata aderant, & brevi, Morbus propriam formam *Tertianæ* legitimæ induebat; Frigus, Calor & Sudores sese alternatim excipiebant, quæ ex continuato usu *Corticis*, post circuitum duorum paroxysmorum profligata sunt, & Ægra ab omni Symptomatum satellitio liberata.

Morton Opera Medica.

(a) *Altera ejusmodi.* (b) *Febris Intermittens Vomitionem simulans.*

HISTORIA QUARTA.

[a] *Domina Harcourt* Vidua habitans in vico dicto *Neuvgate-ſtreet*, poſtquam per tres hebdomadas Febres Intermittente legitima laboraſſet, ubi tandem ob malum regimen, Febris in *Continuam* degeneraſſet; Natura virulentiam per glandulas Inteſtinorum & Ventriculi protrudere ſatagente, ſingulis Exacerbationibus, in novum morbum incidiſſe videbatur, *Diarrhœam* ſcil. torminoſam ac truculentam, cui adjuncta erat inſuper levis ad *Vomendum* diſpoſitio. Frigore, Calore, cæteriſque Febris ſignis planè evaneſcentibus, miſera Muliercula unicè conquerebatur de *Fluxu* Alvi immodico atque horrendis *Torminibus*, quibus, durante Paroxyſmo, adeò excruciata & confecta erat, ut illicò moritura ſibi videretur. Ex inſpectione autem Urinæ intensè rubræ ac turbatæ (qualis Febre Intermittenti Laborantium Urina eſſe ſolet) atque obſervatione Exacerbationum hujus Fluxus, & Alvi Torminum, probè novi moleſta hæc Symptomata à Venenato Fomite febris Intermittentis ortum ſuum habuiſſe. Proindèque ſuppreſſionem dirorum horum Symptomatum *Laudano*, cæteriſque ejuſmodi fruſtra tentandam duxi, niſi Fermentum, horum omnium Symptomatum cauſa, propria Antidoto prius ſubigeretur; & quamprimum Natura, à recenti veneni vigore, irritata virulentam materiam, more ſuo, per Alvum deturbare iterum ſategerit, Symptomata priora, diſruptis ubique repagulis, recurſura; aut, ſi fortè ab *Opiatis* ſiſterentur, pejora, atque magis funeſta, in genere nervoſo, in eorum locum ſucceſſura. Quocircà, quamprimum *Aqua Pulli*, & *Decocto Albo* in locum potus ordinarii ſubſtitutis, atque *Bolo Opiato* Symptomata præſentia compeſcueram, atque, finita exacerbatione, inducias obtinueram, illico *Corticem Peruvianum* abſque vel cum *Laudano*, prout Symptomata id requirebant, confertim ingerendum curavi, unde non tantum à *Diarrhœa*, & Torminibus periodicis, verum etiam à latitante febre prorſus liberabatur, Urina etiam in ſanum colorem reſtituebatur, atque appetitus rediit. Indèque Ægram, abſque alio aliquo præſcripto, dimiſi, ſolummodò ad ptophylaxin, *Corticis* poſt debita intervalla, repetitionem ſuaſi, quandoquidem Morbus cum diris ſuis Symptomatis *Cortice* ſolo profligatus eſſet. Hoc Conſilio à muliere jam valetudine integra utente ſpreto, quaſi officioſo & ſupervacaneo; Totum Genus Nervoſum, poſt duas hebdomadas elapſas, virulentia recrudeſcente, Univerſali Dolore ſpaſmodico verſatili, mirum in modum excruciabatur, & tandem Morbus prior revireſcens, Speciem *Ophthalmiæ* dolorificæ, ſeu Inflammationis Oculi ſiniſtri induebat. Ego advocatus, ubi obſervaſſem urinam denuò reddi intensè rubram ac turbatam ut prius, ſitim urgentem, pulſum celerem & fortem, atque ipſam *Ophthalmiam* alternis diebus, ſtatis Periodis, exacerbatam, & reliqua indicia Febris primariæ; ritè conjeci flaturam à Fomite venenato iterum laceſſitam, nova hæc Symptomata Proteiformia produxiſſe. Indeque, licet, ad relevationem Symptomatum urgentium, Sanguinem è Vena *Jugulari* extrahi, Alvum bis, terve, diebus alternis. *Decocto* Amaro, *Decocto Sennæ Gereonis* ac *Manna* atque tandem *Decocto Sennæ* cum *Syrupo de Spina Cerv.* ſubduci, atque *Collyrium* anodinum *Fotum*, ac *Cataplaſma* ad Oculum exterius applicari juſſeram; diebus tamen intermediis, *Electuarium* è pulvere *Corticis Peruv.* confectum, exhibendum præſcripſi: Probè ſciens hoc Symptoma Medicamentis fruſtra impugnari, ſi cauſa ejuſdem virulenta propria Antidoto non ſubacta fuiſſet. Atque, hac methodo, à Febre, æquè ac Ophthalmia, brevi, liberata revaleſcebat, atque hactenus optima valetudine utitur.

HI-

[a] *Febris Intermittens Diarrhœam torminoſam ſimulans, tandem in Ophthalmiam mutata.*

HISTORIA QUINTA.

(a) *Domina Hudſon* vidua, circa annum ætatis ſuæ triceſimum à mutatione aeris, ac frigore inde ſuſcepto: *Diarrhœa*, torminoſa & *Vomitione* adeò atroci corripiebatur, ut in xxviij Paroxyſmi, præ vehementia Spaſmorum ventriculi ac Inteſtinorum, animi Deliquium ferè ſemper inſtare videretur. Ego durante vigore Paroxyſmi quinti, media nocte, accerſitus, Symptomata urgentia facillimè ſuſtuli. Præſcripſi enim *Aquam Pulli*, & *Decoctum Album* pro potu ordinario, & gut. xiv. *Laudani* liquid. in hauſtu *Julapii Hyſterici*, quarta quaque hora exhibendas. At poſt horas xxiv. recens lucta inſtituta eſt, quo tempore, non obſtante regimine præfato, ac uſu *Laudani* repetito. Symptomata cum priori ſævitia recrudeſcebant; Quod cùm ſemel aut bis obſervaſſem, Urina interea intensè Tincta, atque Aeri frigido expoſita ſedimentum Colore lateritio deponente; jure meritò ſuſpicatus ſum [ut ut cætera omnia ſigna Febris Intermittentis Diagnoſtica hoc Symptomate obſcurata diſparebant] cruciantem hanc Diarrhœam à Veneno Febrili prodiiſſe, quod ſingulis Paroxyſmis, ad Inteſtina protruſum, recrudeſcentiæ dirorum horum Symptomatum anſam præbebat. Indeque ut ut *Laudano* ſymptomata cederent, revireſcentia eorumdem, ſine ſubactione Fermenti Febrilis, præcaveri non potuit. Quocircà (annuente *Cl. Collega* D. D. *Daniele Cox*, qui unà mecum Ægræ ſaluti conſulebat) Drachma una pulveris *Chin. Chin.* cum guttis xii. *Laudani* liquid. in Paroxyſmorum intervallis, in formam *Hauſtus* redacta quarta quaque hora propinabatur, unde (quamprimùm ʒvi. vel ʒj. conſumpta eſt) Febre, ac Symptomatis inde ortis jam evictis, Ægra illicò prorsùs revaleſcebat, Urina, ac appetitu in ſtatum integrum reſtitutis. Nobis autem nihil amplius agendum reſtabat, niſi ut, repetitione Pulveris poſt debita intervalla, revireſcentiam Morbi anteverteremus.

HISTORIA SEXTA.

(b) Uxor Domini *Peck*, habitantis ſub Inſigni *Leporis*, in vico dicto *Ruſſel-ſtreet in Covent-Garden*, anno 1688. *Hetico* calore alternis diebus aucto, *Tuſſi* importuna, *Dyſpnœa*; ante omnia *Nauſea* & *Vomitione*, præſertim verò *Diarrhœa* torminoſa correpta, plurimùm inde emaciata & viribus ſpoliata, alium Medicum (Me abſente) accerſivit. Qui, Symptomata ſuborta, cauſa eorum poſthabita, aut ſaltem non probè perſpecta, ſpatio hebdomadæ, variis Remediis in caſſum impugnavit. Mihi tandem vocato, *Fœmina*, in ultimo Stadio *Phthiſeos* acutiſſimæ verſari videbatur, donec ex Hiſtoria Morbi clare admodùm deprehendi, Fermentum Febrile, Fomiti Intermittentium non diſſimile anſam præbuiſſe huic Symptomatum catervæ, in Pulmonibus, Ventriculo, & Inteſtinis ſubortorum. Indeque ut ut *Venæ ſectione*, *Linctu* & *Apozemate* pectorali Pulmonibus plurimùm infarctis ſuccurrere; atque *Opiatis* & *Adſtringentibus* Fluxum Alvi Colliquativum compeſcere ſategerim; Probe tamen ſciens Cardinem Curationis in hoc verti, ut uſu *Corticis Peruv.* Fermentum Febrile Venenatum ſubigeretur; (Colliquatione enim Humorum, eorùmque excretione in Pulmones, Ventriculum atque Inteſtina hoc modo impedita, *Dyſpnœa* & *Dyarrhœa* torminoſa non amplius duraret) Unciam unam, vel alteram Polychreſtæ hujus *Antidoti* cum *Laudano* ob præſentem Diarrhœam commixtæ, ſpatio tridui, partitis vicibus, miniſtrandam juſſi, forma Ægræ gratiſſima. Quo facto, illicò à *Febre*, *Diarrhœa*, & quadantenùs ab affectionibus Pulmonaribus liberata (appetitu etiam, ac urina integrè reſtitutis) multò meliùs ſeſe habuit, quocirca Eam in aerem ruſticanum dimiſi, ut Pulmones ab infarctu penitùs liberarentur: Atque ibi, uſu Corticis: poſt debita Intervalla, ex meo Conſilio bis terve repetito, prorsùs revaleſcebat. Anno 1690. eadem impræegnata, fere toto Ingravidationis tempore *Diarrhœæ*

a) *Altera ejuſmodi.* (b) *Febris Intermit. Diarrhœam & Phthiſin ſimulans.*

torminosæ, incertis periodis recurrenti obnoxia erat, unde, mense puerperium præcedente, adeò excruciabatur, ut operam meam iterum petere coacta sit. Ubi *Opiatis* & *Adstringentibus* hunc fluxum sistere in cassum tentassem, qui posteà, tempore puerperii, auctus, solitam ac debitam perspirationem penitùs impedivit, unde magnum aliquod incommodum subsecuturum, jure merito, suspicari fas erat, tandem memor Historiæ priùs narratæ, auspicatò judicavi, Diarrhœam hanc torminosam, ut ut Chronicam, à Fermento Febrili Venenato delitescente subortam fuisse: Indeque *Corticis* ℥j. cum *Diascordio* commixtam forma Pilulari, quam Ægra elegerat, exhibendam, & quarta quaque hora repetendum jussi. Unde, sine cujuscunque alterius Remedii ope, spatio bidui, *Sudore* & *perspiratione* solitis redeuntibus, à *Diarrhœa* & *Torminibus* planè liberabatur; Nihilominùs (quod apprimè notatu dignum est,) fermento Venenato post unam vel alteram hebdomadam elapsam iterum recrudescente, duos vel tres Paroxysmos *febris* Intermittentis Legitimæ, Tertianæ, cum nulla *Diarrhœa* vel *Torminibus* sociatæ, successivè passa est: At febrem repetito *corticis* usu facillimè penitùs evici.

HISTORIA SEPTIMA.

[a] Dominus *Atwood*, habitans sub Insigni *Lunæ dimidiatæ*, in dicto *Cheapside*. Vir sexagenarius, postquam ad tres vel quatuor dies, statis periodis, jam febricitaret, jam melius se haberet, tandem, quasi instanti, diris Ventriculi ac Intestinorum Spasmis, Vomitionibus & Dejectionibus immanibus *Choleram* morbum referentibus correptus, & penè confectus, in hoc mortis procinctu stans opem meam efflagitavit. In levamen Symptomatum illicò imperavi, (quod mihi in *Cholera* Morbo solenne est) *Aquam Pulli* copiosè, unicèque bibendam; atque etiam ad humores per glandulas Intestinorum excretos demulcendos, *Enema* ex eodem liquore extemplò injiciendum: Tandem, regione ventriculi *Sacculis Aromaticis*, in Vino Clareto & aqua Ferrata coctis & expressis, prius calidè fota; ad Spasmos prorsùs sublevandos, guttas xij. xiv. xv. *Laudani* liquidi in Haustulo *Julapii Carminativi*, singulis vel alternis horis exhibendas, donec, torminibus & evacuationibus diminutis, placide obdormiscere cœperit. Hoc pacto, Paroxysmo soluto, evictisque Symptomatis inde ortis, Vita Ægri in vado esse visa est. Quandoquidem autem ex urina sedimentum colore lateritio præcipitante, aliisque indiciis probe noverim dira hæc Symptomata sobolem esse Venenati Febrium Intermittentium Fomitis; Indeque eorum revirescentiam die secundo vel tertio rite expectandam esse; Præservationis gratia, præscripsi haustum Febrifugum cum ℥j. *Cortic.* & *Laudan.* liq. gut. x. tertia vel quarta quaque hora propinandum, ad fermentum febrile subigendum, & recrudescentiam dirorum Symptomatum antequam Dosis Pulveris satis larga ingeri potuit, derepente, absque evidenti occasione quaque, Paroxysmus *febris Tertianæ* Intermittentis legitimus repullulabat, non autem diris Symptomatis, ut ante, sociatus; quandoquidem ab usu *Antidoti*, licet hactenus nimis parce ministratæ, vires Venenati Fermenti quadantenus fractæ fuerant. Ex continuato verò usu Haustuum, sub finem Paroxysmi repetitorum, absque aliquo alio additamento, plane revalescebat Æger, urina atque appetitu in statum pristinum restitutis, atque huc usque post plurimos annos superstes manet, optima valetudine utens, inde præsertim (ut arbitror) quia Mandatis nostris morem gerens, post *febrem*, & *Choleram* Morbum fugatas, usum Corticis, bis terve, post stata ac debita intervalla, Prophylaxeos gratia repetebat.

HISTORIA OCTAVA.

(b). Domina *Arris*, postquam diversata fuisset in aere rusticano, ubi tunc temporis *febris* Intermittens *Endemia* gras-

[a] *Febris Intermit. Choleram morbum simulans.* [b] *Altera ejusmodi.*

graſſabatur, *Londinum* reverſa, *China* Morbo derepentè corripiebatur acutiſſima; adeò ut è lecto ſuſcitatus primo mane, feſtinanterque accerſitus ſim ad eam inviſendam: Etenim præ vehementia Spaſmorum, Evacuationem ſupra & infra, vita Ægrotantis in ſummum periculum adducta videbatur. Extrema quippe algebant, Pulſus deficiebat, & inordinatus evaſerat, Patienſque Ægritudine immenſa, ad deliquium uſque, penè confecta erat. A quibus Symptomatis eam brevi reſtitui, Methodo in priori Hiſtoria deſcripta. Paroxyſmo autem finito, ubi Urinam intensè rubram ac lateritio colore, inſpexiſſem; Hauſtus Febrifugos cum *Laudano*, Prophylaxeos gratia, propinandos juſſi; quos cùm ſeſe bene habere jam ſenſit, planè neglexit, quaſi oficiosè, atque abſque neceſſitate præſcriptos. Hujus autem negligentiæ die ſequenti pœnas luebat, recrudeſcente Paroxyſmo Febrili, cum diris *Choleræ* Morbi Symptomatis ut ante ſociato. A quibus Symptomatis ubi ſeſe liberaſſet ante præſcripta Methodo; Ipſa ultrò à me petebat Hauſtus Febrifugos Prophylacticos, quos illa jam æque diligenter deglutiebat, ac Ego lubenter præſcripſeram. Atque, hoc pacto, à Febre ac diris hiſce Symptomatis liberata, protinus revaleſcebat, & uſu *Pulveris*, poſt debita intervalla, bis terve repetito, hactenus à v. vel vj. annis ſana manet.

HISTORIA IX.

(a) Ante tres menſes accerſitus eram ad inviſendum puerum tres annos natum, ad Inſigne Regii Capitis in *Fetter Lane*. Inveni eum immensè ſitientem, hebetem ac attonitum; Aderat extremorum frigiditas, & pueri ſalus à Parentibus deſperabatur. Quippe per horas xii. *Cholera* Morbo acutiſſima pene confectus erat. Ubi eum ab imminente ſymptomatis periculo, Methodo præfata, ſpatio unius diei liberaſſem, ex Urina lateritia de Fermenti Febrilis deliteſcentia certior factus, Pulveris *Febrifugi* ℈j. cum gut. v. *Laudani* liqui. in Cochleari Julapii Cordialis, quarta quaque hora exhibendum juſſi. Poſt tres Drachmas hujus *Antidoti* miniſtratas, virulentia Febrili ſubacta vegetus ac ſanus puer evadebat, Appetitu ac Urina [ſtupentibus omnibus Amicis] ſpatio tridui integrè reſtitutis.

HISTORIA X.

(b) Domina *Fendall*, Matrona generoſa ſane ac formoſa menſe *Septembri* anno Dom. 1672. & Ætatis ſuæ quadrageſimo, Febre *Quartana* correpta, Curæ Pharmacopolæ ſeſe committebat; Medicamentis autem, neſcio quibus, juſſu ejus, perperam tractata, & in ſtatum deploratum inde redacta; media Bruma, ubi ab una vel altera hebdomada lecto perpetuo, præ languore, affixa eſſet quaſi animam illicò efflatura, Me accerſebat. Deprehendi Pulſum ejus debilem ac celerem, *Ægritudinem* ventriculi immenſam, perpetuam, *Lipothymias*, frequentes, *Vigilias* pertinaces, *Nauſeam* ac *Vomitum* indeſinentes, *Sudores* multos & Colliquativos, *Sitim* inextinguibilem, *Sputationem* magnam, continuam Jactationem ac inquietudinem, *Appetitum* ſummè proſtratum, *Suffocationes Hyſtericas*, cæteraſque ejuſmodi affectiones in genere Nervoſo; hæcque omnia Symptomata; noctu dieque, ſine quavis Remiſſione, perpetuò urgentia. Unde Ægra in dies ſeſe ult. diem oppetituram rata, recidivationem Febris primigeniæ obnixè optabat, modò ea lege, ab hiſce miſeriis variis ac perpetuis liberaretur. Ubi applicatione *Emplaſtri Hyſterici* & larga quantitate *Julapii Cordialis*, & *Cephalicorum*, viribus proſtratis, & ſuffocationibus ſuccurrere in caſſum tentaram, nec *Opiata* ſomnum conciliare poterant, niſi quem ſemper

Ægri-

(a) *Tertia ejuſmodi.*

(b) *Febris Intermittentis in Continuam cum Syncope, ægritudine, Sudore Colliquativo ſociatam ſine Exacerbationibus & Remiſſionibus degenerans.*

Ægritudo immensa excipiebat, firmiter statuebam *Cathartici* lenioribus Morbum hunc in pristinam suam formam restitui debere. Quocira, *Potionem Amaram* cum ℥ß. *Sennæ* duntaxat, ob debilitatem virium, lubricitatem alvi solitam, propinandam, atque per tres dies continuos repetendam jussi. Dejectiones inde habuit singulis diebus viij. x. xij. Unde, quamvis debilior quadantenus evaserat, hoc tamen commodi [prout vota feceramus] reportavit, quòd remissiones & ferè intermissiones Symptomatum urgentium inde perceperit, & morbus pristinum typum resumpserit: In singulis enim Paroxysmis *Horror*, *Ardor*, & *Sudores* copiosi sese invicem iterum excipiebant. Quo observato, à purgatione ulteriori prorsus abstinui, atque *Pilulas* è *Cortice* Peruviano exhibendas quarta quaque hora præscripsi Spatio bidui, cum primum Pulveris Febrifugi ℥ß. (qui tunc temporis vegetus ubique venalis prostabat) devorasset, à Febre atque satellitio dirorum Symptomatum eam comitantium liberabatur, atque hucusq; in vivis est, optima valetudine utens, ut ut recidivationi simplicis *Febris* Intermittentis, ex levi quacunque occasione, sæpius obnoxia fuerit.

HISTORIA XI.

(*a*) Domina *Rhompson* circiter annos 34. nata, vicina Dominæ *Fendall*, ubi ad tres Menses Febre *Quartana*, non obstante Pharmacopola, qui ei Medicinam faciebat, laborasset, ac jam symptomatis ferè iisdem, quibus nuper Domina *Fendall*, confecta esset, adeo vix sese in lecto ab una ad alteram partem movere posset sine deliquio; Cum Vicinam suam subito ac inopinato restitutam esse fama accepisset, me etiam accersivit. Ego hanc etiam, Methodo in Historia præcedente descripta brevi restitui: Verum ob pertinaciam morbi, Pulverem Febrifugum ad ℥iß. in variis formis, exhibere coactus sum. Inde vero, absque additamento cujuscunque alterius Medicamenti, præter spem omnium Amicorum, qui eam pro deplorata habuerant, planè convaluit, à variis atq; horrendis Symptom. liberata.

HISTORIA XII.

(*b*) Anno 1682. invisi Juvenem habitantem in vico dicto *Covvs-Cross*, quem à Frigore susceptо inveni derepentè Dolore universali acutissimo, *Rheumatismum* Spasmodicum referente correptum quo jam ad horas xii. ad minimum, excruciatus fuerat; adeo ut præ Doloris vehementia & diuturnitate, sine viribus, & anhelus jaceret, ac si illico esset animam efflaturus. Urinam autem [uti spasmodicè affecti ubique solent] reddebat tenuem, claram & copiosam, Pulsus erat admodum debilis & celer. Dirum hoc Symptoma illico, pro virili, sublevare sategi, efferatum Spirituum motum primum *Venæ sectione* (quam in brachio statim celebrandam juffi) compescendo, dein leni *Vomitorio* (quippe vires *Emeticorum* egregias in *Rheumatismo* universali debellando jam sæpius expertus fueram) & denuo, gut. xv. *Laudani liqu. Helmont.* quarta quaque hora exhibitis, in Haustulo *Julapii* Cordialis, quousque doloris perseverantia indicaret. Hoc pacto, nisu Spasmodico, seu efferato Spirituum Orgasmo jam diminuto, manè proximo ex Pulsu in fortem & celerem mutato, atque Urina contentis saturata, & rubedine profunde tincta atque ejusdem, cum aeri exponeretur, colore lateritio, æque ac ex præsenti Ægri Temperie, Febrem manifesto deprehendi. Paroxysmo autem, more solito, subsequentibus copiosis Sudoribus, finito, ut reliquias Febrilis efferyescentiæ tollerem atque Symptomatum dirorum recrudescentiam præcaverem. Venenati Fomitis subactionem larga quantitate *Corticis* cum *Laudano* commixti festinanter & cum successu moliebar. Æger morigerus spatio xxxvi. horarum inde plane in.

(a) *Altera ejusmodi.*

(b) *Febris Intermittens Typum Spasmi universalis primùm induens.*

ne in ſtatum ἀπυρεξίας redactus, ex Orci faucibus evaſit; Urina ſimul & Appetitu jam integre reſtitutis adeo ut brevi, muniis ſolitis, cum firma valetudine, fungi potuerit. Ut ut *corticem* prophylaxeos gratia non repetens, poſt x. dies elapſos negligentiæ pœnas luebat, uno vel altero *Febris* Tertianæ legitimæ Paroxyſmo, tunc tempor s revireſcente, non autem cum diris Symptomatis ut prius ſociato. A qua *febre* etiam, repetito uſu *chinæ chinæ*, ſtatim liberabatur, & bucuſque [quantum ſcio] optima valetudine utitur.

HISTORIA XIII.

(a) *Dominicus Ernly* Juvenis, ſervus Domini *VVood* habitantis ſub inſigni *Leporis* in vico dicto *Pater-Noſter Rovv.* Poſt ingurgitationem nimiam *Vini Clareti*, cùm primùm die ſequenti Menſis ſc. *Auguſt.* 3. 1690. pranſus eſſet, Horrore, Rigore, atque Frigore intenſiſſimo corripiebatur, unà cum dolore horrendo regionem *Diaphragmatis* occupante, unde Algens, Anhelus, & imbecillitate ac languore confectus, ad plures horas, quaſi jam jam moriturus, jacebat Arteriis interim, ſenſu judice, vix ſeſe vibrantibns. Ego advocatus ſtatim deprehendi Spiritus à Venenato Fermento Febrili non tantùm irritatos eſſe, verùm etiam plurimùm oppreſſos; atque eò magis, quia Ventriculum, cùm Fermentum Stomachicum activo veneno labefactum cibo macerando haud par fuit recens ſaginaverat, Ideòque, ut Ventriculus à moleſta ſarcina quam citiſſimè liberaretur, juſſi, *Salis Vitrioli* ℥iß. cum Oxymel Scillitic. ℥iß. commiſcendam, atque *mixturam* illicò Cochleatim exhibendam; liquore *Poſſetico* inter ſingulas Doſes calidè & copiosè ingeſto. Æger, finita Vomitione, in lecto decumbens, & multis ſtragulis coopertus Cochlearia iv. vel v. *Iulapii* ſequentis Cordialis ſæpiùs ad libitum ſumpſit, donec ab expanſione ſpirituum inde reſtituta, flamma in maſſa Sanguinis accendi incœpit: Deinde juſſi ut, ad ſpaſmorum ſolutionem promovendam, ℥viii. Sanguinis è brachio mitteret *Bolum* ex *Theriaca Andromach. & pulv. e Chelis Cancr. Comp* an. ℥ß. confectum: ad ſpiritus refocillandos: Spaſmos ulteriores compeſcendos, & Sudores ciendos devoraret, ſuperbibendo Hauſtulum *Iulapii* Cordialis ſequentis. ℞. *Aqu., Meliſſ. Cenig.* an. ℥iv *aqu. pœon. Comp. Epidem. Syrup. Caryop.* an. ℥iß. *M. F. Iulap.* die proxima ſc. *aug.* 4. ubi obſervaſſem Alvum eſſe adſtrictam, atque Pulſum à remiſſione Febris quadantenùs debilem (ut ut Aeger à Spaſmis immunis eſſet) ne ex nimia Spirituum depreſſione Febris in Malignam mutaretur; poſt rejectionem *Enematis* è *Decoct. Emollient.* ℥x. *Mercur. & Saccharo rubr.* an. ℥ii. & Spec. Hier. Picr. ʒii. confecti, juſſi illicò ℥ß. *pulveris e chel. Canc. comp.* è Cochleari *Iulapii* exhibendam, & ſexta quaque hora repetendam Tria etiam ampla & acria *Veſicatoria* ad *Nucham* ſc. & *Carpos* internos ſupra Pulſus applicanda, & *Bolum Theriacalem*, hora ſomni miniſtrandum. *Auguſt.* 5. Aegrum fere ἀπυρετον inveni, atque omnia (uti Mihi videbatur) in vado. Indeque duntaxat juſſi repetitionem *Iulapii cardialis*, & *Enematis* quinta Pomerid. (ſi Alvus adſtricta id requireret) iniiciendi, & *Boli Theriacalis*, hora ſomni exhibendi, & ut ℥iv. *Decoct. Amar. purgant.* craſtino manè in promptu eſſent, quo Alvus (ſi ita viſum eſſet) leniter ſubduceretur. Media autem nocte, inexpectatò, Spſamis adeò horrendis iterùm corripiebatur, ut pluries deliquia inde perpeſſus ſit, atque ad ſex horas, ad minimum, Algens, & Anhelus, velut illico exſpiraturus iacebat: A quo diſcrimine Aegrum haud abſque *Laudano* liberare potui, quod inde manu liberali, repetitiſque vicibus miniſtrandum juſſi. Spaſmis autem hoc modo ſolutis, Spiritus iterùm ſeſe expandere incipiebant, & flamma in Maſſa flagrare: Quocirca ℥viii. *Sanguinis* iterùm detraxi, & ne Spiritus inde labe-

(a) *Febris Intermittens Spaſmum Diaphragmatis & partium Reſpiratione inſervientium ſimulans.*

labefactati derepente corruerent, *bolum Theriacalem* ſtatim à Venę ſectione deglutiendum juſſi, ut & *Empl. Hiſtericum*, Galbano in Margine obductum circa Umbilicum applicandum, & duas *pilulas* ex *Ammoniaco*, *Galbano*, *aſſa Fœtida & Caſtoreo* confectas tertia quaque hora exhibendâ, unà cum Cochl. iv. vel v. *Julap.* ſequentis, quandoquidem genus Nervoſum, velut in Hyſtericis, multùm pati videbatur. ℞. *Aqu. Meliſſ. Rut. Ceraſ. nigr.* an. ℥iij. *Aqu. Pæon. Bryon. comp.* an. ℥iß. *Tinctur. Caſtor.* ℥iß. *Sp. Sal. Armon.* ℥ß. *Syr. Pæon. comp.* ℥iß. M. F. *Julap.* Hiſce autem non obſtantibus, nocte ſequenti recrudeſcebat paroxyſmus cum ſpaſmis *Diaphragmatis* & cæterarum partium Reſpirationi inſervientium horrendis, & Deliquiis frequenter recurrentibus ſociatus; Quæ ſymptomata non ſine largo & repetito uſu *Laudani* ſuperare potuimus. Cùm hac tertia vice *Spaſmos* periodice recurrere obſervaſſem, & ab inſpectione urinæ jam multùm tinctæ, & in colorem lateritium præcipitatæ; deprehendi Proteiforme Venenum à Fomite Intermittentium febrium non diverſum, ſub hac larva deliteſcens anſam hiſce diris Symptomatis præbuiſſe. Ad venenatum igitur hoc ſeminium penitùs eradicandum, Hauſtum ſequentem febrifugum illicò exhibendum juſſi, & tertia quaque hora ad xij. vices repetendum, ſemper addendo *Laudan. Londinenſ.* gr. iß. hauſtui nocturno, ut, tempore Paroxyſmi, Spaſmi præpedirentur. ℞. *Aqu. Cardu.* ℥ij. *Pæon. Comp. Syrup. Caryoph.* an. ℥ij. *Pulv. Cortic. Peruv. Subtiliſſ. trit.* ℥j. M. F. *Hauſtus*. His miniſtratis plane convaluit Æger, abſque quocunque alio Medicamento niſi quòd ℥j. Corticis ſemel atque iterùm, poſt juſta intervalla, repetendam juſſerim, partitis vicibus miniſtrandam, ut recrudeſcentia diri hujus morbi præcaveretur: atque ſanè votis omnia fauſtè reſponderunt.

Eadem æſtate, *Fabrum Ferrarium* habitantem in vico dicto *Covv-Lane* prope *Smithfield.*, aliumque idem myſterium exercentem in Platea dicta *St. John's ſtreet*, eodem fere modo, poſt *Crapulam* correptos conſpexi, diù ſcil. Algentes, Anhelos, Imbecillitate virium ferè ad Lipothymiam uſque confectos, adeò ut præ atroci & ineffabili dolore, regionem *Diaphragmatis* & *Abdominis* totius occupante, ſeſe illicò perituros crederent. At poſtquam præſentem Orgaſmum Spirituum, atque Spaſmos inde ſubortos Venæ ſectione priùs cohibuiſſem; *Bolo Theriacali* & *Opiato*, atque *Veſicatoriis*, juſtam Spirituum expanſionem promoviſſem, Dolor mitigatus eſt, flamma (ut ex vibratione arteriarum & tinctura urinæ apparebat) in ſanguine accendebatur, facillimè *Hauſtibus* noſtris febrifugis Opiatis, quarta quaque hora per biduum repetitis, febris cedebat, integrè & ſine alterius Medicamenti auxilio, ambo ſanabantur.

Nuperrimè etiam, ſcil. die inſtantis *Februarii* decimo ſexto, poſt Meridiem, Pharmacopola diligentiſſimè me accerſivit ad inviſendum Collegam eximium D. D. *Grear*, qui poſtquam ſeſe, horis matutinis, injuriis aeris, poſt intenſum frigus præcedens mox regelantis, incaute expoſuiſſet, Spaſmis adeò atrocibus & horrendis totam pulmonum, & Diaphragmatis regionem occupantibus derepente corripiebatur, uti inde anhelo-ſum, & ad deliquium uſque preſſum, velut illicò animam efflaturum, ſedentemque eum invenerim; Decumbere etenim nullatenùs potuerat: Extrema frigebant: urina erat tenuis, & clara; Vibratio arteriarum tarda & oppreſſa, atque per plura momenta nedùm explorando perceptibilis: Ferè per quadrantem horæ attonitus, ſtertore quaſi apoplectico afficiebatur. Accerſito igitur Chyrurgo, ℥xiv. *Sang.* illicò è Brachio detrahendas juſſi? *Pilulam* item ex *Ammoniaco*, *Galbano*. *Caſtoreo* & *Aſſa fœtida* confectam unà cum hauſtu *Julapii Cephalici*, *Spir. Salis Armon. Tincturæ Caſtor. &c.* ſaturati ſæpiùs exhibendam: Atque Frontem, tempora, & extremos artus *Spir. Sal. Armon.* imbutos, frictionibus aſperis agitandos. Quamprimùm autem Spaſmi, horum uſu ex parte ſublevati fuerunt, quo decumbere poterit, cum in lecto priùs calefacto poſitum ſtragulis

ope-

periendum imperavi, unde sæviens dolor, post trihorium quadrantenus mitigari cœpit: Pulsus, oppressus licet, ordinatior fuit: Vires aliquatenus resarcitæ, Respiratio liberior, Indeque (annuentibus Eruditiss. Collegis D. D. *Martin*, & D. D. *Havers* quos in hoc præcipiti casu accersendos duxeram) ad reliquias excruciantium spasmorum penitùs tollendas, post Enematis rejectionem [quod jam in promptu erat] Haustus Pategoricus cum ℥iij. *Syr. de Mecon* gutt. xiv. Laud. liqu. & gr. v. Salis Volatil. C. C. illicò propinabatur. Quin & quarta quaque hora, ad orgasmum Spirituum nimium prorsùs compescendum, repetebatur: Ne Spiritibus autem inde præter modum depressis & irretitis, febris in Malignam fortè degeneraret, Vesicatorium insuper amplum & acre ad Nucham applicandum jussimus. Quid fit? Mane sequenti invenimus Cl. Virum, à spasmis dolorificis, deliquiis juxta, ac anheloſa respiratione liberatum, atque sudore (uti in fine paroxysmi febrilis) undique perfusum: Pulsum verò citatiorem ac fortiorem: Et urinam intensè rubram, & frigido aeri expositam colorem lateritium referentem: Unde ritè conjectantes, catervam hanc symptomatum dirorum, à Febrili Fermento deliteſcente profectam, atque brevi (si venenum Antidoto exhibita non maturè subactum fuerit) repullulaturam; jussimus ℥j *Chinæ-Chinæ* illicò forma haustus exhibendam, & quarta quaque hora repetendam, addendo haustui nocturno Laud. Lond. gr. j. Die morbi tertio, Veneno recrudeſcente, spasmodico dolore in cruribus, ad modum rheumatismi levioris, afficiebatur: Ex continuo autem corticis usu, quarto die convaluit, à dolore penitùs liberatus: Quin exinde appetitus rediit, atque sanum planè colorem urina induit. Post verò spatium tridui elapsum, absque evidenti quacunque causa, recidivam passus est, spasmis Thoracinis, licèt non adeò truculentis ut priùs denuò correptus est. Urina primùm clarè & pallidè reddita, demum verò intensa rubedine saturata. Nullo autem alio indicio febris præsentis ex pulsu vel siti, apparente; ab hac exacerbatione verò, spatio bidui ex repetita venæ sectione, usu Laudani & corticis restitutis, per quatuor dies iterùm convaluit; tum demum, ex veneno recrudeſcente, levem quandam spasmorum revireſcentiam iterùm in Pectore sensit, à qua, venæ sectione & Bolo ex *Theriac. Androm.* & *pulv. Goan.* an. ℥ß. & Laudan. Lond. gr. j. confecto ac exhibito; spatio unius noctis. Sudoribus undiquaque scatens penitus liberabatur: urina: quæ nocte præcedenti clara & tenuis apparebat: mane sequenti colorem lateritium referente; tertiò autem die, ab usu corticis sana planè apparente; Ideòque consului, ad futuram horum paroxysmorum sextanorum recrudeſcentiam antevertendam, ut quarto quoque die unciam unam corticis, electi, Forma sibi gratissima, devoraret ad tres vel quatuor vices.

HISTORIA XIV.

(a) Filia Domini *Sayers* Procuratoris in *Doctors Commons*, menses xiij. nata, nuperrimè à veneno Febrilis Spiritus deprimente, ad unum vel alterum diem jacebat pallidula, attonita, suspiriosa, ac anheloſa, tanquam illicò moritura [quippe cerebrum & pulmones plurimùm opprimebantur] & eo prorsùs modo quo Infantes Spasmis obnoxii, in paroxysmorum Intervallis, affecta: Verùm *febris* præsens ex temperie vel pulsu dignoscenda non erat. Ego advocatus jussi ad Spiritus exsuscitandos *Emplast. Cephalic. cum Euphorb.* ad plantas Pedum, atque *Vesicatoria*, *applicanda* ad *Nucham* & *Carpos* internos, *Linctum* etiam *ex Oleo Amyg. d. rec. Syrup. ex Erysim.* & *Sacchar. Cant. alb.* confectum, & in *Decocto Pectorali* solutum, Cochleatim, idque sæpiùs exhibendum: *Linimentum* etiam ex æqualibus partibus *Vaguent. Dialtæ.* & *Oleum Nucis.* pectori exterius illinendum, atque gr. vj.

(a) *Febri Intermittens in Infante Convulsiones simulans.*

gr. vj. *pulv. è Chel. Cancr. Comp.* cum æquali quantitate *pulv. de Guttet.* commixta, quarta quaque hora è Cochleari *Julapii Cephalici* exhibenda. Horum usu Infantula, die sequenti, à prædictis Symptomatis plurimum liberata est: Febris (Spiritibus jam sese expandere incipientibus) manifesta apparuit, atque Typum primò *Quotidianæ*, dein *Tertianæ* induit, à qua *pulv. Peruv.* ʒß. soluta in Cochleari Julapii Cephalici, & quarta quaque hora repetita, spatio quinque dierum, *Infantulam liberavit*.

HISTORIA XV.

[a] Eadem hebdomada accersebar, ut inviserem Filiolam Domini *Melvin* habitantis in vico dicto *Little St. Hellens*, vix xij. hebdomadas natam, quæ ad quatriduum, singulis diebus, Paroxysmum octo horas durantem perpessa erat: Tempore Paroxysmi, clausis oculis perpetuò jacebat, pallidula, attonita; frigus extremas partes occupabat, tanquam illicò esset moritura, neque vagire valebat, ne quidem respirare, (quanquam non aderat evidens *Spasmus* partium Respirationi inservientium,) quippe Pectus simul ac Cerebrum opprimebatur. Ad resuscitandos Spiritus *Vesicatoria* iij. ad *Nuchã* & *Carpos* illicò applicanda jussi, & ad Respirationem relevandam, totum Pectus *Linimento* in præcedente historia memorato illinendum; atque, durante Paroxysmo, *Linctum* pectoralem ex *Oleo Amygd. d. & Syrup. ex Erysim. & Julapium Cephalicum* Cochleatim ingerendum; extra Paroxysmum verò *pulv. Peruv.* ℈ß. cum *pulv.* de *Guttet.* gr. ij. commixtum in Cochleari ejusdem *Julapii* ministrandum: A quorum usu, spatio bidui, Febre ac Spasmis liberata (stupentibus, quotquot aderant), revaluit, & hucusque valet.

Februar. 21. 690. accersitus invisi Filium Domini *Gouge* habitantis in *Bulland: Mouth Street* mensis xiij. natum, *Gravedine* periodica Cerebri & Pectoris correptum, durante Paroxysmo, quasi attonitus jacebat. Post applicationem *Vesicatoriorum* ad Carpos, *Bolum theriacalem* ad expansionem spirituum promovendam exhibitum, & *Linctum* Pectoralem ministratum, ʒiij. *Corticis peruv.* partitis vicibus è Cochleari *Julapii* Cephalici propinatis. Puerulum spatio bidui (Deo favente) perfectè restitui.

HISTORIA XVI.

(b) Domina *Kirk* quadragenaria, Mulier proba ac honesta, quarta die *Aprilis* 1689. Frigore ex mutatione aeris suscepto, derepente immani *Vomitione*, ac *Spasmis* Ventriculis adeò atrocibus ac truculentis corripiebatur, ut toto cursu Paroxysini (qui ad octo horas durabat, atque demùm Sudore subsequente finiebatur) continuum ferè deliquium pateretur, ac si, quovis momento, animam efflatura: Die uno interposito, iterum, eadem ferè hora, recrudescebat Paroxysmus, & Symptomata priora, sed gradu aucta. Ego igitur festinanter accersebar, ne fortè, ante adventum meum, subitò periret; Ægram inveni *Vomitione*, *Dolore* ac *Languore* penè confectam, pulsus insuper erat celer ac inordinatus, extremaque frigebant; urina autem intensè rubra ac contentis saturata, qualis redditur à febre Intermittente laborantibus. Calore urinæ, ac spasmodicorum Paroxysmorum revirescentia periodica observatis, ritè conjiciebam hosce *Spasmos* à Fomite Febris Intermittentis ortum suum duxisse, humoribus inde venenatis, per tunicam Ventriculi Glandulosam secretionem & excretionem sui moliri satagentibus. Indeque ubi larga quantitate *aquæ pulli* pro potu ordinario, & *Opiato*, præsentis Paroxysmi solutionem, atque Symptomatum inde dependentium allevationem tentassem; ut Paroxysmi recrudescentiam anteverterem, Corticis largam quantitatem, forma haustus exhibendam, ad Fomitem venenatum subigendum præscripsi; singulis etiam haustibus

[a] *Altera ejusmodi.* (b) *Tertiam Colicam Ventriculi simulans, in Opbthalmiam degenerans.*

bus nocturnis *Laudani Lond.* gr. j. commiscendum jussi, ut Spirituum Elasticitas aliquatenus tolleretur; & paulò ante Paroxysmum expectatum *Pericarpia* ex æq. part. *Oliban ac Terebinth.* commixti applicanda, ut ab intrà ac ab extra recrudescentia morbi dir. ac atrocis præverteretur. Die octavo, ubi nullus novus paroxysmus invaserat, repetitionem *Corticis*, prophylaxeos gratia ante Pleniluniun & Noviluvium præscripsi, & Ægram dimisi. Venenato autem Fomite, die decimo tertio, præter expectationem revirescente, Ægra febricula *Ophthalmica* admodum dolorifica illico corripiebatur (quod olim etiam sibi contigisse affirmabat ante recrudescentiam *Febris Intermittentis Cortice* Peruviano, consilio Medici rusticani, curatæ, quam ob causam huic methodo ægrè jam consentiebat.) Quocirca ℥x. Sanguinis illico è brachio detrahendas jussi, & postridie ℥iv. *Decocti amari cum dupl. Sennæ* propinandas, unde parcè admodum dejiciebat. Igitur, ut somnum, in levamen virium dolore Ophthalmico plurimùm exhaustarum, conciliarem, atque deturbationem alvi citatiorem ac copiosiorem promoverem (siquidem à restitutione febris genuinæ *Ophthalmiam* hanc admodum molestam ritè profligandam duxi) nocte sequenti ℈j. *pilul. Stomach. cum Gum.* & *Laudan.* gr. j. exhibui, atque mane proximo *potionem amaram* ut priùs. Die decimo quinto, *Collyrium ex aqu. plantag. Troch. alb. Rhas. sine Opio*, & *Sacchar. Crystal. alb.* ad dolorem mitigandum, oculis sæpius instillandum, & *Haustulum paregoricum* hora somni propinandum præscripsi: febre Intermittente, hisce evacuationibus peractis, in propriam suam formam, absque prioribus *Spasmis* restituta, sponte denuò evanuit gravis hæc *Ophthalmia*. *Febrem* autem Intermittentem post hasce evacuationes recrudescentem, usu *corticis* repetito illico penitus sanavi.

HISTORIA XVII.

(a) Uxor Vicini Domini *Vvilson*, habitantis sub insigni Septem Stellarum, in vico dicto *Nevvgate street*, nuperrimè correpta erat *Spasmis* Intestinorum adeò atrocibus & excruciantibus, unà cum *Vomitionibus* immanibus, continua ventriculi *Nausea* & ægritudine, uti, præ vehementia Symptomatum, ad plures horas, extrema frigescerent, & illico animam expiratura videretur. Collega noster *Cl. DD. Carolus Goodall*, morbum hunc *Colicam* genuinam esse opinatus, præscripsit *Linimentum* anodynum, partibus affectis calidè applicandum, atque Pilul. ex *Extract. Rud.* ℥ß. & *Laudan. Lond.* gr. jß. confectas statim exhibendas; *Clysterem Carminativum* (si opus foret) injiciendum, unde cum bombis copiosæ dejectiones sequebantur, tormina & vomitio cessabant, fœmina revalescere videbatur. Die tertia verò, recrudescebat Paroxysmus, eadem ferè hora, sine evidenti occasione, cum symptomatis prius memoratis sociatus, qui usu *Opiatorum* cum *Cathartici* commixtorum, iterum, spatio xxiv. horarum, sudore copioso exceptus, finiebatur. Inde ex præscripto Collegæ Clariss. ad recrudescentiam *Colicæ* antevertendam *aquæ Minerales* Cathartica coctæ, & lacte alteratæ primo mane calidè propinabantur. Paroxysmo autem inopinato revirescente; Intestina spasmis torminosis recens vellicata nihil dejiciebant, cuncta autem ingesta inter horrendam & continuam ægritudinem, Vomitione rejecta sunt. Ægra per plures horas, frequentes Lipothymias perpessa est, atque extremorum frigore tertia, sese illico morituram credebat Collega verò alibi occupato, Ego incunctanter accersebar. Colore vero urinæ lateritio, recrudescentia paroxysmorum periodica, & pulsus celeritate pensitatis, ritè conjiciebam hanc colicam (ut ut nullum febrilem calorem deprehendere possem, & totum Corpus frigesceret) esse symptomaticam è venenato febris Intermittentis Fermento ortam. Indeque Spasmos compescendos, & reliqua symptomata vehementia inde succrescentia sublevanda, *Clysterem Carminativum* statim injiciendum, atque Pilul. ex *Extract. Rud.*

(a) *Febris Intermittens Colicam Intestinorum periodicam simulans.*

Rud. & *Laudan.* repetendas, atque totum Abdomen *Panno Vvallico Linimento ex unguent. Dialth. Ol. Lil. alb.* & *Laterit.* prius illito, calidè fovendum juſſi. Unde, ſub Veſperam, Alvo iterum cum bombis copiosè ſubducta, Ægra Sudore univerſali perfuſa, placide dormiebat. Mane ſequenti verò, ad præcavendam revireſcentiam paroxyſmi futuri (annuente Clar. Collega) ℥j. *pulv. Peruv.* tertia quaque hora in forma *Hauſtus* incunctanter exhibendam juſſi, donec ℥j. Pulveris abſumeretur. Quo facto ſine quocunque alio Remedio revaluit, neque ullam aliam Morbi recrudeſcentiam paſſa eſt. *Cortex* autem, ex communi noſtro conſilio, poſt debita intervalla, iterumque repetebatur.

HISTORIA XVIII.

(*a*) Dominus *Johnſon*, habitans in *London-Houſe Yard*, Spiritibus à venenato fermento febrili plurimùm jam laceſſitis, irritatis atque demum in ſtatum exploſivum adactis, dolore Inteſtinorum ſpaſmodico primùm leviori, verùm per triduum continuato, corripiebatur, qui tandem quarto die adeò ſævire cœpit, uti præ horrendis *Spaſmis*, *Vomitionibus* & *Deliquiis* frequentibus, in ſummo diſcrimine verſari videretur; Indeque Medicum magni nominis accerſi curavit; qui, poſtquam *Enemate* Cathartico, fotu externo & *Laudano* copiosè ac frequenter exhibito, Ægrum ſpatio xxiv. horarum à ſymptomatis hiſce diris liberaſſet, nullo reſpectu ad Febrile fermentum habito, ei, quaſi in ſanum ſtatum integre reſtituto, valedixit. At poſt inducias xxiv. horarum infidas, Veneno recrudeſcente atque pro gradu virulentiæ aucto, Spiritus jam potiùs ſubigente quàm irritante; Æger, à febre in *Malignam* jam mutata, frequentibus Lipothymiis, nullis autem *Spaſmis* dolorificis affectus, ſeſe illico animam miſſurum credebat; Indeque Me primo mane feſtinanter advocari juſſit. Ego ab urina rubedine tincta, pulſu celeri, ut ut debili; *Aphthis* in gutture ſuccreſcere incipientibus, ac *Deliquiis* frequenter recurrentibus, cum nullo dolore ſociatis, monitus, claré perſpexi Venenum ſub initium morbi mitius (quale eſt fermentum febrium Intermittentium & Remittentium) in magis malignum degeneraſſe, ex vi Spirituum *Laudano* multo obruta & oppreſſa; dum intereà fermentum Venenatum plane negligeretur. Igitur *Veſicatoria* frequentia illico applicanda juſſi, ut Spiritus exagitarentur, & flamma in maſſa ſanguinis denuò exſuſcitaretur, & in eundem finem *Bolum ex Theriac. Androm. Confect. Alcherm. & Pulv. è Chel. Canc. Comp.* an. ℥j. confectum unà cum hauſtu *Julapii* Cardiaci, ſexta quaque hora exhibendam. Unde, die ſequenti, pulſum fortiorem, deliquia verò, cæteraque ſymptomata minora deprehendi; Æger placidè dormiebat; paroxyſmus intereà, cum levioribus deliquiis conjunctus, alternis noctibus recurrebat, *Aphthæ* cum inflammatione, ſalivatione & levi ſingultu [uti aſſolet] conjunctæ, per totum os ſerpebant. *Tincturam* igitur *corticis* ſæpiùs & copioſius exhibendam, *Gargariſmos*, cæteraque pro re nata præſcripſit: Uſu verò *Bolorum Alexipharmacorum* & *Julapiorum* Cardiacorum continuato, tandem, ſpatio ſex dierum, mirum in modum miſellus Æger revaleſcebat. At quia paroxyſmus, tempore ſolito, adhuc recurrebat, cum magno ſucceſſu *corticis*, ſubſtantiam exhibendam, & quarta quaque hora repetendam juſſi modo ſequenti. ℞. *Aqu. Carda.* ℥ij. *Epidem Syrup. Caryoph.* an. ℥ij *Cortic. Peruv elect. & Subtiliſſ. pulveriſ.* ℈ij. *Theriac. Androm.* ℈j. M. F. *Hauſtus*. Cùm ab his ferè in ſtatum [illegible] videretur, inſigni & perpetua *Salivatione* Natura per ductus ſalivares virulentiam, quaſi criticè, propellere moliebatur. Quocirca ad deliteſcentes veneni reliquias penitùs ſubigendas, Hauſtus febrifugos bis ſcilicet, vel ter in die, ad ſpatium bidui, adhuc, repetendos duxi, unde æger, urina, pulſu, temperie, & appetitu, integrè, reſtitutis ex orci faucibus liberatus, plaudentibus & mirantibus & Amicis, convaluit.

HI-

[a] *Febris Intermittens ſub initium Colicam horrendam ſimulans.*

HISTORIA XIX.

(*a*) Uxor Domini *Gamble*, habitantis in Platea dicta *Foster-Lane*, die *Januar.* 24. 1690. quinto ingravidationis suæ Mense, immani dolore Lumborum primùm correpta, dein Spasmis dolorificis quasi circum cincta, ut ut Alvum, more solito, quotidiè dejiceret, *Vomitione* tamen affecta, ingesta quæcunque, illico rejecit, atque, præ vehementia Spasmorum, ferè perpetuò ad modum parturientis, gemens vociferabatur. Post triduum hisce Sympomatis penè confecta; Obstetricem accersivit, ex cujus consilio, ad *Abortionem* præveniendam, ℥vij. Sanguinis è brachio misit. Dolore autem nullatenus inde mitigato, Ego die 28. suadente Obstetrice, advocatus sum: Ubi autem ex Pulsu, Temperie, Lingua & Urina Febrem præsentem senserim, & ab Adstantibus narratum sit, dira hæc Symptomata, à primo morbi insultu, alternis diebus, more Paroxysmorum, repullulasse, & Obstetrix, exploratione factà, os uteri internum strictissimè clausum esse affirmaverit; nec guttula una Sanguinis menstrui effluxisset, Jure meritò opinatus sum Spasmodicos hosce dolores non esse uterinos, & *Abortionem* præsagientes, verùm Intestinales, Spiritibus à Fermento Febrili irritatis, & sese in hisce partibus expandere conantibus Indeque *Venæ sectione* ad efferatum hunc motum Spirituum compescendum, celebrata, *Haustum* Febrifugum illico, cum Pulv. Corticis ℥j. propinandum jussi, atque tertia vel quarta quaque hora repetendum, ad Fermentum venenatum eliminandum, singulis Dosibus addendo *Laud. liqu. Helmont.* gutt. xiv. ut, Spasmis inde sedatis, Remedium, suapte natura ingratum, in ventriculo nauseabundo & vomituriente melius retineretur. Postridie Ægram inveni ferè ἀνυπέρθετον, atque à *Spasmis* dolorificis prorsus libetatam. Quandoquidem verò tædio Pulveris in propria substantia exhibiti jam afficiebatur, *Tincturam* nostram *Corticis* in ejus locum substitui, cum *Laudano* quarta quaque hora repetendam, ut priùs. Die autem sequenti, recrudescente Paroxysmo, quadantenus febricitare cœpit, non autem *Spasmis* dolorificis & Vomitione uti anteà afflicta. Quocirca repetitionem Haustuum Febrifugorum ad sex vices iterum præscripsi, adjiciendo alternis Haustibus tantillum *Laudani*, nè fortè revirescerent *Spasmi*. His autem absumptis, sine additamento cujuscunque alterius Remedii, prorsus revaluit Ægra, Appetitus, & Urina inregrè restituebantur, nec minimum Abortus Symptoma apparebat.

Uxorem Domini *Moodey* habitantem in Platea dicta *Fanchurch-street* iisdem Symptomatis, & animi insuper Deliquiis laborantem, à septimo mense gravidam, hoc ipso anno, eadem ferè Methodo liberavi; Quæ macilenta licet, elumbis & valetudinaria fuerit, tandem, tempore debito, vivum infantem peperit, & hucusque benè valet.

HISTORIA XX.

(*b*) Domina *Hamms* sexagenaria, habitans in vico dicto *Bull-and-Mouth street* (cùm jam per multos retroactos annos, *Tussi & Pulmonum* infarctui, *Colicæ* ventriculi; ac *Ictero* frequenter recurrentibus, ex obstructione Hepatis obnoxia, valetudinariò admodum degissет] postquam per v. vel vi. dies dolore punctorio Hypochondrium dextrum occupante affecta fuisset, die *Martii* 26. 1690. à Me opem petiit, de hoc Symptomate duntaxat conquerens: Ubi autem observassem eam more solito vestitam, carnibus vescentem, & in cubiculo obambulantem, neq; ullo insigni indicio, ex Tussi, Respiratione, Pulsu, Lingua vel Temperie *Febrem*, *pleuritidem*, vel *peripneumoniam* dignoscere valerem; Urinam autem multum tin-

(a) *Febris Intermittens Spasmos Lumborum & abdominis, & dolores partus simulans.*

(b) *Febris Intermittens sub larva doloris punctorii lateralis* [*reapse Rheumatici*] *diu latitans.*

ctam, & in colorem lateritium præcipitatam vidiſſem, ratus hoc Symptoma ab Hepatis Affectione oriundum, ad *Icterum* ſtraviſſe viam, juſſi ut ℥x. Sanguinis illicò è Cubito dextro detraherentur; & Cochleare unum *Linctus* ſequentis cum ℥iv. *Apozematis* calidi quarta quaq; hora exhiberetur. ℞ *Ol. Amygd. d. rec. Syr. ex Eryſim.* an. ℥iß. *Sacchar. Cryſtal. alb.* ℥iß. M. exactiſſimè F. *Linctus* ℞ *Rad. Petroſelin. Fœnicul. Gramin. Aſparag. Cichor.* an. ℥ij. *Rad. Curcum. Corticis interior. Berber.* an. ℥j. *Uvar. Corinthiac.* ℥ij. *Raſur. C. C. Ebor.* an. ℥ß *Croci in nodulo liga i* ℥ß. *Sem. Aniſ.* ℥j. *Coq. in Aqua* F. q. ſ. ad ℔ii. Sub finem ebullitionis addendo *Vin. Alb.* ℥viij. Colaturæ adde *Aqu. Lumbric. Mag. Syrup. è* V. *Radic.* an. ℥iij. M. F. *Apozema*. Die autem 27. quum ex difficili Reſpiratione pulmones etiam affectos eſſe, ſimul ac Hepar ſuſpicarer, juſſi tres *Pilular.* ſeq. horis medicinalibus degluriendas è Cochleari Linctus, ſuperbibendo hauſtum *Apozematis*, & pannum VVallicum linimento ſequenti imbutum calidè ad partes affectas applicandum, ℞ *Milleped præpar.* ℥iß. *Ammoniac. depurat.* ℈ij. *Flor. Benzoin.* ℥ß *Extract. Croc. Balſam. Peruv.* an. gr. v. *Balſam. Sulph. Terebinthinat.* q. ſ. M. F. *Pil.* mediocres deaurand. ℞ *Unguent. Dialth.* ℥ß. *Ol. Lil. alb. Laterit.* an. ℥iij. M. F. *Liniment.* Die autem 28. cùm ex Dyſpnœa cum dolore conjuncta ſuſpicatus ſim obſtructionem Bronchiorum à phlegmate viſcido Symptomati huic pertinaci anſam dediſſe, *Apozema* ſequens præſcripſi copiosè propinandum. ℞ *Decoct. Pectoral. depurat.* ℔jß. *Tinctur. Croc.* ℥j. *Syrup. è* V. *Rad.* ℥jß. M. F. *Apozema*. Vigiliis etiam, & Febricula præſenti indicantibus, *Bolum* ſequentem unà cum hauſtu *Apozematis* Pectoralis, hora ſomni deglutiendum juſſi: ℞ *Theriac. Androm.* ℥ſs. *Pulv. è Chel. Canc. Comp.* gr. xxv. *Syrup. Caryoph. q. ſ.* F. *Bolus* Die 29. ad lubricanda Bronchia, Alvi adſtrictionem tollendam, & inde dolorem mitigandum præſcripſi Cochl. ij *Ol. Lini* recens ſine igne extracti, ſecunda quaque hora, unà cum hauſtu *Apozemat. Pectoralis* miniſtranda; & hora ſomni, Febriculę gratia & Vigiliarum, *Bolum Theriacalem* repetendum. Die 30. cum tædio *Olei Lini* affecta fuiſſet, atque gradus *Dyſpnœæ* ferè in *Aſthma*, forſan à *Bolo Theriacali* exhibito & repetito actus id requireret, lenem Vomitionem cum *Oxymel. ſcillitic. & Aqu. Cinam. fort.* an. ℥j. ciendam, & *Linctum* unà cum *Apozemate* Pectorali continuandum juſſi, atq; inde Reſpiratione multum liberiori facta, eandē *Mixturam Emeticam* ipsa Ægra petente, die 31. repetendam, & Fluxu Alvi nimio jam ſuadente, *Bolum Theriacalem* iterùm hora ſomni præſcripſi ſumendum. Die 1. *Aprilis*, ubi Languorem ſenſeram una cum Febre auctum, Coch. iv. vel v. *Jula.* Cordialis ſequentis ad libitum propinanda juſſi. ℞ *Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr.* an. ℥iv. *Aqu. Cinnam. hord. Epidem.* an. ℥ij. *Marg. præparat.* ℥jſs. *Sacchar. alb.* ℥v. M. F. *Julap.* Sanguinis etiam ℥viij. illicò è brachio detrahendas: Et ad infarctionem Pulmonum minuendam *Rad. Ireas: Enul. Camp.* ℥ß. Ingredient. *Apoz.* Pectoralis adjiciendam atq; ℥ſs. Pulv. ſequen. quarta quaque hora in Cochleari *Julapii* exhibendam. ℞ *Coral. Rub. Marg. præparat. pulv. è Chel. Canc. Comp. Salis prunel.* an. ℥ſs. M. pro iv. Chartulis, & denique, in ſubſidium generis Nervoſi (quod jam laborare incipiebat) *Veſicatoria* duo ampla & acria ad interna brachia applicanda. Die ſecundo *Aprilis*, phlegma glutinoſum Pulmonibus impactum copiosa *apozematis* ſequentis exhibitione diluere, & temperare tentávi. ℞ *Rad. Scorzoner. Hiſpan.* ℥ij. *Liquir. raſ.* ℥ſs *Uvar. Corinthiac.* ℥iij. *Coq. in aqu. Hord.* q. ſ. ad ℔iv. Colaturæ adde *Syrup. ex Acetoſitate Citri Viol. Balſamic.* an. ℥iſs. M. F. *Apozema* In ſubſidium autem Tuſſis & Vigiliarum (quæ jam urgebant) *Bolum* ſequentem hora ſomni præſcripſi ℞ *Theriac. Androm. Balſam. Lucatel.* an ℥ſs. *Conſerv. fruct. Cynosbat.* ℥j. M. F. *bolus*. Hoc pacto, doctè & argutè deliranſ quippe falſa principia ponens, & apparentibus Symptomatis deceptus, Ægram Febre, Vigiliis, Deliriis ac dolore penè confectam ad Orci fauces duxeram, donec Febre, quotidianis & ſtatis periodicis Paroxyſmis jam tandem typū ac genium ſuum palàm prodente, ſuſpicatus

catus sum fermentum febrile Venenatum deliteſcens, & Spiritibus implicitum, Symptomati huic dolorifico admodum moleſto, anſam prębuiſſe. Quocirca (annuente Cl. Collega DD. *Hulſio*, qui mecum in conſilium vocatus eſt) ad niſum Spirituum efferum (quem cauſam eſſe doloris deprehendi) minuendum, die tertio *Aprilis Venæ-ſectionem* iterum in brachio celebrandam juſſi; & ad ſeminium venenatum delendum, ℥xii. *cortic. peruv.* cum æqualibus partibus ſacchari albi commixti, partitis vicibus, ſcil. ℥ii. quarta quaque hora exhibendas, & *pannum Wallitenum oleo palmit.* illitum ad partem affectam calidè applicandum: Et in *Languoris* relevationem Cochl. iv. vel v. *Iulapii* ſequentis ad libitum ſumenda. ℞. *Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr.* an. ℥iv. *Epidem.* ℥ii. *Confect. Alcherm. S. Moſcho* ℥ii. *Fol. Aurum.j Syrup. Carioph.* ℥i. M. F. *Iulap.* Hiſce finitis, die quinto, præter ſpem Amicorum, aut meam, conſpexi Ægram ἀνυποστόν, placidè dormientem, hilarem, vegetam, à Symptomatis univerſis, & dolore ipſo penè liberatam; Ideòque duntaxat repetitionem *Linctus* ad expectorationem promovendam præſcripſi; & *boli balſamici* hora ſomni exhibendi. Die ſexto autem, Ubi gradum febrilis caloris quendam leviorem jam reſtantem, atque cum Tuſſi conjunctum obſervaſſem, juſſi ℥iv. *Tinctura* Corticis ſ. Apozematis noſtri febrifugi, ad reliquias venenati fermenti delendas, quarta quaque hora exhibendas, & *bolum balſamicum* hora ſomni miniſtrandum. Die 7. febre jam plane profligata, *pilul.* narcoticas ſequentes præſcribere jam auſus ſum, hora ſomni ſumendas; Spaſmi & reliquiæ Doloris lateralis inde penitus tollerentur.

℞. *pilul. è Cynogloſſ.* gr. viii. *Extract. croc.* gr. ii. M. F. *pil.* ii. deaurand. Ne autem Pulmones inde infarcti quicquam detrimenti paterentur, *Linctum* pectoralem repetendum, eumque ſæpiùs Cochleatim exhibendum juſſi, Die octavo quia Pilulæ nocte præcedenti præſcriptæ ex ſententia ſucceſſerant, eas iterùm hora ſomni repetendas duxi; & die nono, quandoquidem venenati Fermenti revireſcentiam jam futuram ſuſpicabar; *bolum* ſequentem, ter die deglutiendum juſſi ℞. *pulv. Subtiliſſ. cort. peruv. Elect.* ℥i. *Sacchar. alb.* ℥ß. *Ol. amygd. rec.* q. ſ. M. F. *bolus*, addendo ſemper doſi nocturnæ *Laudan. liqu. Helmont.* gutt. xiv. Decimo autem die, ubi Ægram, more Hyſtericarum, ſtrangulatione quadam levi affectam obſervaſſem, duas *pilul.* ſequentes, quarta quaque hora exhibendas præſcripſi, unà cum ℥iv. vel v. Apozematis. ℞. *Ammoniac. gum. galbam.* an. ℥ß. M. F. pilul. xiv. deaurand. ℞. *Rad. Scorzoner. biſpan.* ℥iß. *Uvar. corinthiac.* ℥ii. *liquir.* ℥ß. *Coq. in aq. Hord.* ℔ii. *ad* ℔iß. Colaturæ adde *Tinctur. Croc.* ℥i. *Syrup. de Eriſimi.* ℥ii. M. F. *Apozema.* Infarctione autem pulmonum, ac diminuto appetitu id ſuadentibus, die 12. Ægram in aerem ruſticanum dimiſi hac lege, ut quamdiu, ob *Tuſſi* & *Dyſpnœæ* gradum leviorem adhuc reſtantem neceſſe foret, tres *pilul.* ſequentes, omni mane deglutiret ℞. *Ammoniac. depurat. Flor. Benzoin.* an. ℥. ß. *Balſ. Sulphur. Aniſat.* q. ſ. M. F. *Pilulæ* mediocres deaurandæ. Atque omni nocte gr. viii. *pilul. è cynogloſſo*: Et denique ad revireſcentiam venenati fermenti prævenientem, poſt x. dies *pulver. febrifug.* ℥vi. repeteret partitis vicibus; *Emplaſtrum* etiam *paracelſ.* & de *Minio* an. p. æqu. commixit. partibus diuturno dolore labefactatis ſuperimponi juſſi. Unde, brevi, præter ſpem Amicorum, integre reſtituta eſt; & hucuſque optima valetudine utitur.

HISTORIA XXI.

[a) *Faber Lignarius* habitans in vico dicto *Curſiteris alley*, circiter annum Dom. 1684. horis matutinis, Horrore, Frigore, & inde Dolore lateris ſiniſtri adeò excruciante corripiebatur, ut ſub veſperam ejuſdem diei, præ vehementia Spaſmorum, univerſim algens, imbecillitate confectus, & more *Peripneumonicorum* penè ſuffocatus, Me diligenter accerſi juſſerit, ſingulis momentis ſeſe animam efflatu-

[a] *Febris Intermittens primo inſulto peripneumonicam acutiſſima ſimulans.*

rum credens: ex *Tussi* autem inani (cùm adveniſſem) ſuppreſſa, & anheloſa reſpiratione, Proclivitate ad vomendum, & dolore intenſiſſimo regionem *Pulmonum & pleuræ* occupante, probè intellexi cuncta hęc Symptomata diriſſima, & præſertim ſpaſmodicam Pleurę & pulmonum conſtrictionem, ortum duxiſſe è veneno Febrili cum Spiritibus implicito. Indeque, poſt *Enematis* Carminativi rejectionem, Sanguinis è brachio lateris dolentis ad imperum Spirituum demulcendum ℥x. detrahendas juſſi; Spaſmis dolorificis, Madore frigido & Pulſu Ægri formicante non obſtantibus. Ad ſolutionem Spaſmorum ulterius promovendam *fotum* præſcripſi ex *Rad. petroſelin. Fœnic. Semin. Lin fœnugr. flor. Chamæ mel. & Melilot. in Aqu.* coctis conficiendum atque in Veſica Bubula ſemiplena calide ad partes affectas applicandum, & in ejus locum (quoties eum amovere viſum fuerit) pannum *Vvallicum* calide illitum *Linimento* ex *Vnguent. Dialth. ol. lil. alb. & lateritan.* p. æq. ſubſtituendum; Et dein ad Orgaſmum Spirituum amplius compeſcendum gutt. xv. *Laudan. liqu.* in Hauſtu *Julapi* Cordialis exhibendas, & quarta quaque hora (ſi dolor perſeveraret) repetendas. Ad lubricandas autem fiſtulas pulmonares, quo facilius phlegma bronchiis impactam rejiceret, juſſi ut *Linctus* ex *Ol. Amygd. d. rec. ſyrup. capil. Ven.* an unc. iiß. *ſacchar. Cryſtal. alb.* ℥iß. Cochleatim deglutiretur quarta quaq; hora, ſuperbibendo unc. iß. Apozematis calid. ex. ℔iß. *decoct. pectoral. depurat. Tinctur. croc.* unc. j. *& ſirup. capill. Ven.* unc. iß. Efferato Spiritum niſu inde ſedato, & ſolutis *Spaſmis*, Pulſus ſtatim augebatur; Æger à Dolore liberatus univerſim incaleſcere, & ab expanſione Spirituum evidenter febricitare incepit, unde tandem poſt mediam noctem pudore calido perfuſus, Reſpiratione allevata, & viribus inſtauratis finito Paroxyſmo, obdormivit. Inſpecta autem Urina die ſequenti multum tincta & lateritia, illico Hauſtum febrifugum *cortice* imprægnatum juſſi exhibendum, ad recrudeſcentiam paroxyſmi expectati anteverten dam: & quarta quaque hora repetendum (addendo ſemper Hauſtui nocturno *Laudan. Londinenſ.* gr. j.) donec Urina (quod ſpatio bidui evenire obſervavi) tandem colorem naturalem recuperaret & contentis debitis ſaturata redderetur. Quo pacto Ægrum quarto die, ſine quavis morbi revireſcentia planè convaleſcentem, cibo Euchymo nutriendum Adſtantium curę tradidi, nec quicquam amplius præſcripſi præter Corticem poſt decem dies repetendum, ut venenati Fomitis recrudeſcentia anteverteretur. Hoc vero Conſilio poſthabito, pœnas poſt duas hebdomadas luebat, recidivatione Febris Tertianæ legitimæ, cum diris vero Symptomatis, ut priùs, non ſociatæ, quam repetitione *Corticis* facilè admodum & perfectè curavi, Et Æger hucuſque (quantum ſcio) firma valetudine utitur. Eadem plane methodo inſuper *Vitriarium* habitantem in Burgo dicto *Southvvar* K. & *Viduam* in Parochia *Sanctæ Helenæ minoris*, & pleroſq; alios (quos recenſere nimium eſſet] Symptomatis horrendis *Peripneumoniæ* acutiſſimæ correptos, iiſque diu, in febrium Intermittentium initiis, protenſis, feliciter, atque ſpatio breviſſimo curavi:

HISTORIA XXII.

(a) *Tinctor pannorum* in vico *White-Croſs-ſtreet*, à frigore ſæpius ſuſcepto, dolore *Rheumatico* fere univerſali, per omnes artus hinc inde verſatili correptus; Ubi prę gradu doloris Spaſmodici *Deliquium* ſępenumero perpeſſus, de vita deſperare cœpiſſet, tandem Me advocavit. Cum autem obſervaſſem Urinam profunda rubedine tinctam aeri expoſitam ſedimentum lateritiũ depoſuiſſe; Atq; ab Adſtantibus narratum eſſet, Dolores ſtatis periodis ſingulis ſc. vel alternis diebus, augeri ſolere, atq; ſumma Ægritudine concomitante exacerbari (ut ut ex pulſu vel Temperamento certa indicia febris, prę Symptom. vehementi, deprehẽdere haud potuerim) rite decrevi *ſpaſmos* hoſce dolorificos ortum ſuum duxiſſe ex venenato *feb. Intermit-*

(a) *Febris Intermittens Rheumatiſmum ſimulans.*

mittentis Fomite Spirituum animalem adeò irritante, ut ad gradum usque Explosionis adversus venenum, præsertim in paroxysmo, sese expandere moliretur. Quo circa in præsens dolorum levamen ℥xii. Sanguinis è brachio illicò detrahendas jussi, atque post intervallum sex horarum *Vomitorium Antimoniale* mitius propinandum; Quo pacto *Spasmi* derepentè minui cœperunt: Ut autem morbi fundamenta penitus eruerem ℥i. *corticis* cum guttis aliquot *Laudani liquidi* tertia vel quarta quaque hora *exhibendas* jussi; eo modo subactionem Veneni morbifici moliens nè Spiritus inde recens irritati novum paroxysmum reducerent, postquam sesquiunciam *corticis* [qui genuinus eo tempore erat ac Vegetus) devorasset, illico, ebsque quoquunque alio Remedio ministrato, à *febre ac Spasmis Rheumaticis* liberatus, Urina ac Appetitu derepente restitutis, revaluit Æger nisi quod hebes & quadantenus attonitus per triduum manebat, Spiritibus animales à *Laudano*, plus quam à Fermento Febrili depressis. A quo Symptomate, applicatione *Vesicatorium*, prorsus liberabatur, licet post xiv. dies elapsos quamprimùm scil. energia *Corticis* deficere cęperat, denuò recidivationem *Rheumatismi* perpessus sit, quæ æquè facilè *Cortice*, post *phlebotomiam*, repetito (nullo alio Medicamento exhibito) brevi sanata erat; uti iis accidere solet, qui Febris Intermittentis revirescentia afficiuntur.

Historiam Dominæ *Lane* congenerem notavi in *Phthisologiæ nostrę* lib. 3. cap. xi. Verum nimius Lectori viderer, si recenserem singulas Historias quas observavi hunc spectantes, quę penè innumerę sunt. Plures autem ejusmodi, posthac graphicè descriptas inveniet Lector sub Titulo Febris *Synechęos*, ac Rheumaticæ combrehensas.

HISTORIA XXIII.

[a] Dominus *Dum* Tinctor Sericorum, habitans in vico dicto *Noble street*, Vir quadragenarius, à frigore frequenter suscepto, demùm Mensis *Maii* die 7. 1690. ac si à Toxico quodam sumpto Venenatus, vehementi Ægritudine, immani Vomitione ac Dejectione, torminibus immensis, ac universali *Rheumatismo*, sive Spasmis totum Corporis habitum cruciantibus illico corripiebatur, Cutis rubedine intensa ubique perfundebatur, Urina erat non tantum rubra etiam contentis saturata; Paroxysmus ferè ad horas x. durabat, atque tandem Sudore copioso exceptus finiebatur, ut ut absque evidenti quocunque Algore, Horore, Oscitatione, cæterisque Febris Intermittentis Symptomatis usitatis invasisset. Die nono, eadem ferè hora diei, inexpectato recrudescebat Morbus, cum prioribus Symptomatis adeo vehementibus ut illico sese animam expiraturum fore crederet Æger, indèque me protinus advocari jussit. Ad Spiriuuum explosionem nimiam compescendam, ac dolorem vehementem inde auctum leniendum ℥x. Sanguinis e Cubito mox detrahendas curavi; Atque deinde *Bolum* sequentem ad Sudores ciendos exhibendum (quo citius præsens paroxysmus finiretur) una cum *Julapio* temperato, de quo post *Bolum*, atque etiam ad libitum Coch. iv. vel v. sumeret, & ut, durante paroxysmo, à cerevisia abstineret, contentus *aqua pulli*, *decocto Albo*, &c. ℞. *Theriac.* ℥ß. *pulv. è Chel. Cancr. comp.* an. ʒi. *Syr. Carioph. q. s.* M. F. *Bolus* ℞. *Aqu. Melliss. Cerasor. nigr.* an. ℥iv. *Epidem.* ℥ii. *Sirup. Caryoph.* ℥x. M. F. *Julap.* Finito autem paroxysmo, ad Fomitem Venenatum subigendum [ut recrudescentia morbi prę-caveretur) Haustum febrifugum sequentem hora somni propinandum præscripsi, repetendumque, Aurora sequenti, atque, deinceps quarta quaque hora, semper addendo Haustui nocturno *Laudani Londinensis* gr. j. ad cohibendum Spirituum Orgasmum, & præcavendum dolorem ventriculum ac Intestinorum

[a] Dominus *Dum* Tinctor Sericorum, *Morton Opera Medica*.

[a] *Febris Intermittens sub larva febris Scarlatinę ac Colerę Morbi dilitescens.*

Spaſmodicum, modò paroxyſmus reverteretur. ℞. *Aq. Card.* ℥ii. *Aqu. Epidem. Syrup. Caryoph.* an. ℥ii *pulv. Subtiliſſ. Cortic. peruv. Elect.* ℥i. Miſceatur fiat Hauſtus.

Verùm quia *Cortex*, quem pharmacopola paraverat, fuit minùs vegetus, ne dicam planè effœtus, Die undecimo, eadem fere hora diei, novum paroxyſmum Æger perpeſſus eſt, non autem tandiu protractum, neque equidem Symptomatis ita vehementibus ſtipatum, ut priùs, Indèque *Julapium* ſequens, durante paroxyſmo ſæpius propinandum præſcripſi. ℞. *Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr.* an. ℥iv *Epidem Cinnam. Hord.* ℥. iii *Pœon comp.* ℥. ß. *Sacch. alb.* ℥v. M. F. *Julapium*. Juſſi etiam *Corticem* magis vegetum à pharmacopœio parandum, atque ut Æger in ejus uſu, durante paroxyſmorum intervallo, diligentiſſimè perſiſteret, ut priùs. *Maii* verò 13. à paroxyſmis prorsùs liberabatur, atque planè convaluit, ut ut ob neglectam repetitionem *Corticis*, quam præſcripſeram, poſt duas hebdomadas, recrudeſcente Febre Intermittente, licet non ita diris Symptomatis ſtipata, probe ſenſerit ſeſe pœnas hujus negligentiæ, jure merito dediſſe, Repetito autem deinde Curſu *Corticis* bis terve, poſt debita intervalla, firmam valetudinem recuperavit, & ea adhuc (quantum ego ſcio) utitur.

HISTORIA XXIV.

[a] Dominus *Langley* habitans prope Hoſpitium dictum *Bridevvel*, Ubi à Frigore ſuſcepto, valetudinario ad unam vel alteram hebdomadam degiſſet, tandem *Nauſea*, Ægritudine & vomitione per quatriduum continuata affectus, atque etiam *efflorescentia*, per horas quatuor à primo decubitu, ſingulis noctibus recurrente, & febrem *Scarlatinam* ſimulante, per totam Cutim ſparſa, unà cum *Puritu*, ac Calore inflammatorio admodum moleſto afflictus, a Me nuperrimmè opem petiit. Symptomatis autem ſerio penſitatis, præſertim ubi Urinam multa rubedine tinctam & contentis ſaturatam inſpexeram, Fermentum febrile fontis Intermittentium æmulum percepi. Indeque ad demulcendam irritationem Spirituum præternaturalem à veneno inflammatorio ortam, & maſſæ Sanguinis communicatam ut ℥xii Sanguinis è brachio illico extraherentur, juſſi, utque alvus manè ſequenti ℥iv. *Decoct. Amari* & ℥ß. *Syrup. de Spin. Cerv.* ſubduceretur. Ne autem Spiritus ab hiſce evacuationibus depreſſi, Veneno eliminando prorsùs impares redderentur, & Morbus inde in Malignum mutaretur, *Bolum* Cardiacum præſcripſi è *Theriac. Androm. & pulv. è Chel. Canci comp.* ℥ß. confectum, hora ſomni, poſt Venæ-ſectionem exhibendum, itidemque poſt purgationem repetendum, & *Julapium* Cordiale temperatum ad libitum propinandum. Denique poſt hæc Uncia una *Corticis peruv.* forma Ægro gratiſſima partitis vicibus, ad ſpatium xxiv horarum, Fermentum febrile aggreſſus ſum. Æger verò à *Nauſea*, *Vomitione*, *Pruritu*, cæteriſque Symptomatis moleſtis liberatus, Urina ac Appetitu reſtitutis, ſpatio tridui integre revaleſcebat.

HISTORIA XXV.

(b) Accerſitus anno Dom. 1680. ad inviſendum Filium Reverendi admodùm D. *Fovvler*; nunc *Epiſcopi Glouceſtrenſis*. Puerum circiter annos xii. natum; Eum obſervavi ſummo ſtupore correptum, ſtertentem, cæteriſque *Apoplexiæ* fortiſſimæ Symptomatis affectum: Et à ſomno iſto profundo. *Phlebotomia* in Vena *Jugulari* celebrata, applicatione *Cucurbitularum* intra Scapulas cum *Scarificatione* profunda. Injectione *Enematis* acris, exhibitione *Potionis Cathartic*æ, *Veſicatoriis* frequentibus, *Sternutatoriis*, aliiſque ejuſmodi Remediis evacuantibus ac ſtimulantibus

Puerum

[a] *Febres intermittens ſub larvâ febris Scarlatinæ & Vomitionis diu latitans.*
[b] *Febris Intermittens Apoplexiam ſimulans.*

Puerum excitare ſategi. Die ſequenti eum inveni (mirum dictu) non tantum expergefactum, verùm etiam, abſque minima habetudine erectum, in lecto ſedentem, atque cum ſociis ludentem, à Febre perfecte liberatum, ac victum petentem. poſtridie autem, eadem ferè hora diei, advocatus, ubi eum *Apoplexia* iterum, ut priùs, laborantem obſervaſſem, Methodo prius memorata Apoplectica ſymptomata ſuſtuli. Obſervatione hac bis facta nullus dubitabam Fermentum *febris Intermittentis* ſub Proteiformi hac larva delitescens Apoplecticis hiſce Symptomatis anſam dediſſe, neque abſque venenati hujus Fomitis ſubactione, reviresentiam *Apoplexiæ* præcaveri poſſe. Quo circa (annuente Collega meo eximio D. D. *Daniele Cox*, qui jam mecum in conſilium adhibitus erat.) Statutum eſt, Prophylaxeos gratia *Cortice* Peruvianum in Paroxyſmi intervallo copioſè miniſtrandum eſſe. Quo exhibito, *Apoplexia* nunquam iterum rediit, ut ut Puer, poſt unam vel alteram hebdomadam elapſam, Paroxyſmos aliquot *Febris Intermittentis*, Primum *Tertianæ*, dein *Simplicis Quotidianæ* perpeſſus ſit; à quibus, repetito uſu *Corticis*, facillimè liberabatur.

Hiſtorias ejuſmodi plures ſub finem Capitis de febre Apoplectica & Paralytica videre eſt.

HISTORIA XXVI.

(*a*) Circiter annum 1683 nunciatum eſt, Avunculum meum Dominum *Izatt* (qui ferè per annos xv. retroactos obeſus, habes & ſomnolentus fuerat, & jam annum Ætatis ſexageſimum quartum agebat) poſt triduum valetudinariò tranſactum, demùm *apoplexia* correptum fuiſſe in domo mea ruſticana, cùm ibi loci febres Intermittentes, conſtitutione aeris conſpirante, Epidemicè graſſarentur; Ego quippe multis negotiis *Londini* implicitus, imperavi à Fratre meo dilectiſſimo atque Collega Cl. D. D. *Tyſon* ut eum inviſeret, quod lubenter fecit, inſtructus prius Lanceola ad extrahendum ſanguinem (ſi viſum fuiſſet) *Veſicatoriis*, *Julapio Cephalico*, *pilulis Catharticis*, *Sternutatoriis*, aliſque ejuſmodi Medicamentis in curatione Apoplexiæ neceſſariis. Inſuper, Me ſuadente, Unciam unam *Corticis* Peruviani ſecum tulit, quem [cæteris omnibus poſthabitis] jugiter ingerendum conſului, modo, ex ſpontanea Symptomatum Apoplecticorum remiſſione id fieri poſſet. Ritè etenim conjiciebam, ex conſtitutione tunc *apoplexiam* præcedere, gravem hunc Morbum potius ſymptomaticum eſſe ac à Fermento febrili ortum, quam primarium atque genuinum; Proindeque deſinente Paroxyſmo, inducias ultro conceſſurum eſſe. Uti è contra, ſi Morbus fuiſſet primarius, ob Ætatem Æger provectiorem atque ſtuporem ſolitum, & habitualem, planè funeſtum fore, atque ſupra Medicinæ Sphæram poſitum Clariſſ. D. D. (itinere jam peracto) ubi, ob omnium Symptomatum remiſſionem, obſervaſſet Ægro quadantenus à ſomno ac ſtupore ultro reſtitutum, atque ſenſus, hebetioris licet, compotem, indeque Pulveri deglutiendo parem; ſpatio ſex horarum ℥ j. *Corticis* ei miniſtrari curavit (cæteris omnibus ad *apoplexiam* ſpectantibus poſthabitis) unde, licet poſt bihorium, Paroxyſmum febris Intermittentis legitimum perpeſſus ſit Æger, nullis Symptomatis, Apoplecticis denuo tentatus eſt atque quidem in poſterum, abſque exhibitione cujuſcunque alterius Remedii, per tres vel quatuor Hebdomadas à Febre liber manſit; ut ut per totam hyemem inſequentem, recidivationi febris Intermittentis ſimplicis, jam Quotidianæ, vel Tertianæ, jam Quartanæ, ſæpenumerò obnoxius fuerit. A qua tandem, verna tempeſtate ſequenti, uſus *Corticis* perfectè liberatus optima valetudine per plures annos utebatur, multo minus hebes ac ſomnolentus quàm priùs.

(*a*) *Febris Intermittens apoplexiam ſimulans.*

HISTORIA XXVII.

(a) Anno 1690. à Frigore ſuſcepto, *Ego ipſe*, ad quatriduum, inſolito faciei calore periodico, præſertim à paſtu, affectus ſum: Dein per tres vel quatuor dies continuos *hemicraniam* moleſtam, ſiniſtram capitis partem occupantem, ab octava hora matutina ad quintam uſque Veſpertinam protenſam, quotidie patiebar: Quod cætera firmè valebam, &, dum appetitu integro, muniis ſolitis fungebar. Quandoquidem autem hunc Morbum, antehac in aliis, non obſtante repetita *Venæ ſectione*, applicatione *Veſicatoriorum*, *Cucurbitularum*, *fotuum errhinorum*, *maſticatoriorum*, & exhibitione methodica *catharticorum*, *emeticorum*, cæterorùmque id genus, ad mentem Veterum, valde Chronicum & contumacem ſæpius obſervaſſem; atque moleſtum hoc Symptom. à fermento febrili deliteſcente ſubortum eſſe ſuſpicatus eſſem, ut ut nulla febris præſentis indicia apparerent. Poſt extractionem ℥. xii. Sanguinis è brachio ſiniſtro, Pulveris febrifugi ℈i. ſpatio bidui devoravi, Poſtquam *corticis* ℥v. abſumpſiſſem, dolorem multo mitiorem, die ſequenti [periodicè licet & deſignato tempore recurrentem) paſſus ſum. Penſo vero abſoluto, die proximo prorsùs liberatus ſi. Poſt tres autem hebdomadas recrudeſcebat dolor [ſicuti in febre *cortice* curata ſolet] quem non ſine *chinæ chinæ* ℥iß. jam ſuperare potui, quippe Vegetam & genuinam penes me tunc temporis non habui. Repetito autem *cortice* poſt duas hebdomadas, Prophylaxeos gratia, hucuſque, ſive quocumque alio medicamento exhibito, optima valetudine utor.

Ad dominam *Bodington* habitantem in vico dicto *Lothbury*, *Hemicrania* periodica per tres hebdomadas, eodem fere modo affectam, niſi quod, ex mora Paroxyſmorum longiori, tandem quadantenùs febricitare inceperit, accerſitus ſum. *Corticis* autem ℈i. exhibita, poſt detractionem Sanguinis, applicationem *Veſicatorii ad Nucham*, & *bolum theriacalem* priùs miniſtratum, ſpatio bidui planè convaluit.

HISTORIA XXVIII.

(b) Domina *Fox* Vidua elegans & robuſta, quæ à multis retroactis annis affectiones *Hyſtericas* atque etiam *nephriticas* poſt longa intervalla recurrentes perpeſſa fuerat, *calculos* plures è renibus excreverat: Et anno Ætatis quadrageſimo, fere ad duodecim Menſium ſpatium, menſtruarum purgationum ſolitarum omnimoda ſuppreſſione laboraſſet; demùm lumborum dolore atroci correpta, incertis Spaſmis, verum ut plurimùm quotidie revertentibus excruciabatur. Plurimis, iiſque maximi nominis Medicis (qui variis methodis, jam ut *Nephriticam*, jam ut Menſtruis purgationibus deſtitutam eam tractarunt) per ſpatium trimeſtre in caſſum conſultis; denuò, ubi dolores pene continui facti ſunt, atque adeò exacerbati, uti extremæ partes inde algerent; atque præ Spaſmorum vehementia, Mulier ferè perpetuo Lipothymica jaceret, noſtram opem petiit. Poſt rejectionem *Enematis* Carminativi (Spaſmis vehementioribus id indicantibus) Venam lateris affecti in Brachio tundendam, atque Sanguinis ℥xviij. illicò detrahendas juſſi; partes affectas etiam coram luculento igne, *Linimento* ex *Unguent. Dialth. Ol. lil. alb. laterit.* anp. æqu. confecto, illinendas; & demùm *Extract. Rad.* ℥ß. cum *Laudan. Lond.* gr. iß. commixtam, forma Pilulari in lecto deglutiendam præſcripſi; atque *apozema* noſtrum *nephriticum* ex Semin. *Malv. alth.* &c. libere propinandum *Julapium* etiam *Hyſtericum Spiritus Salis Armon.* ſaturatum ſæpius exhibendum juſſi. In caſſum autem hæc omnia, quamprimùm enim vis *Laudani* anodyna deficere incipiebat, Vomitio, algor extremorum, Lipothymiæ & Spaſmi horrendi, ut prius, recrudeſcebant, quos allevare non potui abſque quantitate *Laudani* adeo larga & frequenter repetita ut miſel-

(a) *Hemicrania periodica Cortice peruviano curata.*
(b) *Febris Intermittens cum dolore Nephritico conjuncta.*

miſella Ægra, inde perpetuò delirans, ſtupica ac attonita jaceret. Ubi autem inde tertio obſervaſſem Urinam multa rubedine tinctam, contentis ſaturatam ac in colorem lateritium præcipitatam clarè perſpexi Fermentum Febrile (ut ut ex vehementia Spaſmorum extrema jam frigerent (ſub hiſce Spaſmis deliteſcere; Indeque H *auſtum* noſtrum Febrifugum *Corticis* ℥j & *Laudani* liquid. gutt. xx. ſaturatum ſtatim propinandum & quarta quaque hora duxi, Unde poſt horas xxx. (reſtituta jam Urina in colorem naturalem, atque diſpoſitione ad vomendum plurimum evicta) dolor multò magis allevabatur, quam ubi longè majori *Laudani* Doſi Aegra hebetabatur: Appetitu inſuper reſtituto, carnibus veſcebatur, atque magis vegeta ac vivax quam antea apparebat. Quandoquidem autem à Spaſmis dolorificis immunis non erat, niſi quamdiu *Laudano* repetito Renes ſenſu privati narcoſi afficiebantur, eam, per ſpatium duarum hebdomadarum, omni die à purgatione libero, in *Balneum* artificiale ex *Aquæ & Lactis* an. p. æqu. confectum, Herbis, cæteriſque Ingredientibus lubricantibus ſaturatum, quotidie immittendam duxi, ut, lubricabatis meatibus urinariis, *Calculi* Renibus aut Ureteribus impacti, facilius deturbarentur; &, in eundem finem, tertio vel quarto quoque die, Alvum *Bolo Cathartico*, *Lenitivo*, hora ſomni exhibito, & *Aquis Mineralibus* coctis, cum vel ſine *Manna*, prout opus fuit, mane proximo ſubducendam juſſi; ante & poſt ſingulas purgationes & Balneationes Doſin *Laudani* ſatis largam miniſtrando. Unde dolores & *Spaſmi* adeò allevabantur uti Fœmina, quæ priùs ob acutos & vehementes dolores vix à Lipothymiis, vel in lecto, immunis eſſe potuit, jam non tantum in cubiculo obambularet, ſed etiam foras exiret, atque frequenter (me iubente) Currum, ad extruſionem calculorum promovendam, conſcenderet, licet omni nocte doſin *Laudani* largam, ad acutos Spaſmos antevertendos, repetendam iuſſerim; atque Alvum, poſt debita intervalla, Pharmaco *Cathartico* leniendam; ne ex ejus conſtrictione dolor Nephriticus [uti ſolet] adaugeretur; *Cereviſiam* inſuper ordinariam, ſacculo Ingredientium *Antiſcorbuticorum* alterandam, atque Hauſtum ex *vini chalybeati* & *Decocti amari* ſine purgantibus an ℥iß. omni mane à purgatione libere propinandum juſſi: Quippe ex Diatheſi manifeſto Scorbutica & Hypochondriaca, menſtruis purgationibus ſuppreſſis, æque ac à *calculis* in Renes aut Ureteres impactis, hoſce *ſpaſmos* ſubortos eſſe jam ſuſpicari cœperam. Hac methodo *menſibus* demum reſtitutis, & calculis plurimis majoribus excretis, prorsùs convaluit, & huc uſque à dolore omni libera, paludentibus Amicis, optima valetudine utitur, & hilaris ac muniis ſolitis fungitur.

Eadem fere Methodo Coquum habitantem in vico dicto *Te Old Change* liberavi ab horrendis Spaſmis Calculoſis cum Febre conjunctis.

HISTORIA XXIX.

[a] Domina *Royſton*, Vetula, elumbis ac Paralytica, circiter annum Dom. 1678. & Ætatis ſuæ 67. *febre intermit. Tertiana*, tempore verno, correpta, Cujus paroxyſmis adeò protenſis atque cum diris admodùm Symptomatis ſociatis ubi vires ſuas haud pares ſufferendis ſenſit, ſeſe in manus Medici conſueti arq; Collegæ mei Clarifs. curandam dedit. Ille autem, ut ut ſenex, atque exercitatiſſimus in arte Medicinali, quandoquidem vires *Corticis* Febrifugas, haud ſæpe exploraſſet, ab ejus uſu planè abhorruit atque potiùs *Veneſectione*, lenibus *Cathartics*, *Emeticis*, *pericarpiis*, atque longo uſu *Decocti Amari* ſine purgantibus, cæterorumque ejuſmodi Febrifugorum fallacium ac incertorum, curationem perficiendam duxit. Inde, ſpatio Lunæ unius, viribus Ægræ plurimum attritis, præſertim à Febre jam typum

(a) *Febris Intermitens febrifugo noſtro curata cum vires Corticis deffecerunt.*

pum suum in *Duplicem Tertianam* mutante, universa Symptomata cum subito virium collapsu in pejus ruebant; Ego igitur à perterritis adstantibus etiam accersebar, ut unà cum Clariss. Collega de nova curationis methodo instituenda consulerem. Ego autem, experientia virium *Corticis* multifaria fretus, animum dedi Cl. Collegæ, ut lubentissimè vires ejus in hac *Vetula* experiretur, non obstante provectiori ejus Ætate ac *paralytica affectione*, quas ob rationes hactenus eum præscribere non ausus fuerat, *Cortice* autem ad ℥vi. spatio tridui exhibito ac devorato, planè convaluit Ægra, quo circa, ne officio sus viderer, Memet ultrò subduxi, atque Aegram in Cl. Collegæ manu reliqui, postquam eum clam monuissem usum *Corticis*, ad recidivationem antevertendam; post debita intervalla repetendum esse. Verùm hoc sano Consilio (utrùm Aegræ vel Medici culpa nescio) post habito, sæpiùs, sc. post intervalla unius, duorum, vel trium Mensium, ad spatium sesquianni recruduit Morbus, toties à *cortice* profligatus, quoties eum revirescere contigerat: At seminium penitus hucusque deletum non erat. Unde anno 1679. media hyeme, Ego solus à Vetula perterrita, attrita, & imbecillitate penè confecta advocor, ubi vix ulla spes revalescentiæ affulsit, unoquoque paroxysmo cum diris Symptomatis sociato, & jam singulis diebus revirescente, atq; ad spatium horarum xviii. vel xx. protenso. Invenio mulierem præjudicio adversus *corticem* præoccupatam, quippe duas ejus libras, ad minimum, nullo cum fructu sese devorasse affirmabat & ego ipse observaveram ab uncia una *corticis* vix unum paroxysmum differri potuisse; adeò sese Vetula huic Remedio assuefecerat. Statutum est igitur in gratiam Mulieris, ut ut Vetulæ, tamen vitæ amantissimæ, Vires febrifugas alterius *Specifici* experiri, cujus efficaciam ante multos annos, priusquam *Cortex* mihi notus fuisset, in debellandis hujusmodi Febribus sæpiùs comprobatam. Quandoquidem autem pharmacum erat admodum ingratum; in formam pilularem redactum, ut ejus Sapor Vomitionem minùs provocaret, modo sequenti exhibendum præscripsi ℞. *pulv. flor. chamæmel. subtiliss. trit.* ℥i. *Antimon. Diaphoret. Salis Absynth.* an. ℥ß. *Mucilag. Gum. Trag. q. s. M. F. pil.* mediocres deaurandæ, quarum quatuor capiat quamprimùm unà cum Haustu *Julapii* Cordialis quod in promptu est, repetatque sexta quaque hora. Unde, spatio bidui, præter spem Adstantium, à Febre; brumali tempestate, & concrescente ubique gelu, penitùs liberabatur, neque posteà unquam morbi revirescentiam passa est. Nec non (quod equidem notatu dignissimum est) appetitum integrum, & firmam valetudinem, brevi, consecuta, quasi iterum juvenescere quadantenus visa est; & jam ubi octuagesimum Aetatis annum penè attigerit, vultu vivaciori, ac animo hilariori prædita est, Corpore magis erecto, & gressu magis citò ac firmo incedit, quàm ante Febrem. Quod meherculè multo & diutino *corticis* usui maximè acceptum referendum duco, præsertim, quia nonnullos alios etiam, è multo hujus pharmaci usu, è statu valetudinario in habitum corporis magis Athleticum & robustum quàm prius, restitutos sæpiùs vidi. Quocirca, hoc vivum ac præclarum exemplar ob oculos eorum ponere soleo, præsertim seniorum, qui opinione nescio qua præoccupati ab usu hujus Remedii timent. Siquidem mihi iam multa experientia freto persuasum est, nihil inauspicatum ab huius pharmaci usu unquam eventurum esse (modò infelix *Idiosyncrasia* absit) ubi manu sat liberali fuerit exhibitum.

HISTORIA XXX.

[a] Circiter annum 1685. accersitus, invisi Filiolum Domini *Bernard.* Jurisperiti, vix duos annos natum, quem inveni plurimùm Febricitantem, atque, more Infantium denturientium, *Pulmonum infarctu*, *Cerebri oppressione*, ac hebetudine laborantem unde Spasmos

[a] *Febris intermittens specifico nostro curata ubi Cortex ab Ægri Idiosyncrasia irritus reddebatur.*

mos mox ſubſecuturos, iure merito ſuſpicabar. Quocirca ad Spiritus reſuſcitandos, *Suppedanea* acria ad plantas pedum, & *Veſicatoria* ad *Nuchan* & *Carpos* applicanda juſſi; quinetiam *Iulapium* Cephalicum ad libitum pitiſſandum, & *pulver. è Chelid. Cancr. comp.* gr. vi. cum pulv. de Guttet. gr. iv. commixta, ſexta quaque hora exhibenda. Unde plurimum à Symptomatis, prædictis liberatus videbatur. Febrili autem paroxyſmo, iiſdemque Symptomatis, unoquoque die, atque eadem ferè hora, iterum atque iterùm periodice recurrentibus, nullus dubitabam recrudeſcentiam Symptomatum, unà cum febre, *cortice* tollendam eſſe. Cùm autem pueri *Idioſyncraſia* ſpem meam fruſtrata eſſet, poſtquam ſpatio v. dierum prope ʒ vi. pulver. Peruv. nullo cum fructu, illi miniſtraram, vita pueri in maximo diſcrimine iam verſante, gr. xv. *pulv. noſtri febrifug.* e Cochlear. *Julapii cephal.* exhibenda iuſſi & ſexta quaque hora repetenda. Unde ſpatio bidui, à Febre atque omnibus Symptomatis liberatus reconvaleſcebat puer, & adhuc valet.

Hoc etiam Remedio Domina *Gumley* Febre Tertiana, quæ ob Fœminæ *Dioſyncraſiam* vires Corticis ſuperaverat, correpta, brevi liberata eſt.

EXERCITATIO II.

De Febribus Continuis, præſertim Remittentibus *Synecheji* ſive Continentibus.

CAPUT I.

De Febribus Continuis in genere.

IN (a) priori Exercitatione generalem *febrium* rationem, & Continentem earum cauſam, in Venenato Fermento Spiritibus Animalibus implicito conſiſtere docuimus, & Symptomata multifaria, quæ Febricitantibus accidunt inde dependere demonſtravimus: Febrium etiam *Intermittentium* Ætiologiam, Pathologiam atque Indicationes curativas ab hoc fonte clare & perſpicue deduximus. Reſtat iam, ut ad hanc Cynoſuram Theoria Febrium *Continuarum Synecheon* ſc. ſimplicium & mixturam, *Inflammatoriarum*, *Colliquativarum*, & *Synochon*, quæ ſupereſt excolenda, dirigatur; Indicationes curativæ elicianter, & denique methodus medendi cum ratione ac experientia congruentior ſtabiliatur, quam ea quæ olim Humorum & qualitatum evidentium doctrinæ innitebatur.

(b) Ante omnia hic loci notandum venit, *Venena* in genere, ſeu *fermenta febrilia*, quotquot ſint, eandem ipſiſſimam naturam ſortita eſſe, atque, ut ut iam vi *Emetica*, iam *Cathartica*, &c. eximiè prædita ſint, unde vehementia, eaque admodùm multiplicia Symptomata proferre apta nata ſunt; in quantum tamen ſpecies *Febrium* diſcriminant in *Intermittentes*, *Remittentes*, *Continuas* vel *Malignas*, ad invicem gradu ſolummodò differre; prout plus minùs principium vitæ, ſeu Spiritus Animales obruunt aut delent, indeque mutationes in maſſa Sanguinis, ac Symptomata in genere Nervoſo variantia producunt. Exempli gratia, Quoties Spiritus robore nativo pollentes, miti Veneno obſeſſi, adeò firmi, ac conſtantes ſunt, uti ſpatio xxiv. horarum victoriam reportare valeant; licet deliteſcens Fomes ſtatis periodis nunc his, nunc aliis, ad recrudeſcendum aptus ſit; *febris* inde formatur vere *Intermittens*, de qua in priori Exercitatione ſat ſuperq; ſermonem habuimus. A proximo Veneni gradu Spiritus quadantenus fracti, licet perciti & irritati, toto ſuo niſu & conamine hoſtem, unius vel alterius diei ſpatio, excutere nequeunt: Hinc formatur *febris Synechis*, ubi Aeger continuò Febricitat; exacerbationes tamen & remiſſiones, ſtatis periodis ſentit: Licet enim Natura in unoquoque certamine, quotidie ſuperior evadat, quia tamen victoriam admodum di-

[a] *De febribus Continuis in genere.*
[b] *Fermenta febrilia à ſe invicem gradu tantùm differunt.*

diminutam, ob deficientem Spirituum expansionem, semper reportat; nusquam, in statu prorsùs κ'πυρέτω, de hoste triumphat. Si gradus Veneni sit adhuc intensior, & Spirituum expansio non tantum valdè deficiat, verum etiam cum multo nisu & labore ad metam Elasticitatis, quàm assequitur, pertingat; Spiritus inde excandescentes in statum explosivum adiguntur, varios dolores in universo Systemate, vel parte aliqua singulari excitantes, aliquando Vomitus, vel secessus enormes, vel utrosque simul efficientes. Febris hinc orta, pro diversitate Symptomatum vehementium, nunc *Inflammatoria*, nunc *Colliquativa* seu Glandulosa, jure merito denominatur, & Typum *Rheumatismi* universalis vel particularis, *Pleuritidis*, *Peripneumoniæ*, *Erysipelatis*, *Anginæ*, *Ophthalmiæ*, *Febris Scarlatinæ*, *variolosæ*, *Morbillosæ*, *Diarrhœæ*, *Dysenteriæ*, *Choleræ morbi*, *Colicæ Ventriculi* vel *Intestinorum*, &c. pro genio Fermenti vario, & partis affectæ debilitate simulat; Exacerbatio insuper, & Remissio periodica ex hisce Symptomatis clariùs quàm à calore Febrili aucto vel diminuto dignoscitur: Calor enim, sæviente Symptomate, præ languore mitescit, remittente, augetur, & evidentius se prodit. A gradu Veneni intensissimo suboritur Febris *Synochos*, ubi, ut ut mitia sub initium cuncta appareant Symptomata, quia Spiritus primo ictu mortificati, luctæ instituendæ impares redduntur; *febris* tamen plus minus Maligna est: Spiritibus enim mortificatis, *Antidotus febrifuga* nullius usus est, donec Arte vel Natura Venenum quadantenus subigatur, & Febris typum Benignæ, seu *Synecheos* inducere incipiat.

(a) Varia hæc Venenata Fermenta (ut Febres inde ortæ typo, Symptomatis, & Methodo Curationis toto cœlo distent) non specie, sed gradu tantùm, ab invicem differre ulterius constat; quia non tantum Febres *Remittentes*, verùm etiam nonnunquam *Intermittentes*, ex mala Praxi, in verè *continuas*, *malignas*, *pestilentiales* mutari contingit; Et è contra Malignas, præsertim Autumnales, non rarò in Remittentes vel Intermittentes terminari (b) Nec non facilè observatu est, Febres summè *malignas*, idque in constitutione Epidemica [ubi Venenum ab extra admissum, vi deleteria, si quod aliud, maximè præpollere videatur] primo insultu typum *febris Synecheos* induere, atque tertio die, si non etiam quinto, & septimo, inducias dare, cum evidenti Diaphoresi ac Remissione conjuncta: A quo tempore, gradu veneni jam aucto, & morbo ad Statum properante, in *Synochon* degenerant, & *petechiæ*, *eruptio milliaris*, vel aliæ aliquæ Malignitatis notæ quam citissimè efflorescunt. Ex adverso, Febres *petechiales*, *purpureæ*, & ipsæ Pestilentiales, prope Crisin (quoties eam contingit esse salutarem) Veneno quadantenus subacto, & Spiritibus prius implicitis sese expandere incipientibus, in *Benignas* & *Synecheis* Putridas dictas, transeunt, Sudore, singulis vel alternis diebus, stata hora, pro ratione Paroxysmi antecedentis, plus minus copioso excipiuntur, quem sequitur somnus placidus, *Delirii*, cæterorumque id genus Symptomatum Remissio; Aliaque Naturæ victricis indicia ab Urina, Pulsu, & Temperie desumenda; donec tandem Æger tota materia Febrili deflagrata, & Veneno penitus subacto, Spiritibus pristinam expansionem recuperantibus, sensim in *apirexias*, restituatur. Insuper, Febres *Synochois*, præsertim Infantium, uno tenore per quatriduum progredientes, non rarò observavi, quinto vel sexto die, Veneno ex regimine debito quadantenus diminuto, in *Synecheis* vel ipsas *Intermittentes* terminari. Imò nuperrimè in familia Vicini mei Domini *Man* [ubi octo ad minimum simul decumbebant, uno eodemque modo primùm correpti] sex, quos invisi ante tertium diem morbi, scilicet priusquam venenum ex mora exaltaretur, mera *corticis* exhibitione, cum, vel sine *Venæ sectione*, pro ratio-

[a] *Febres Benignæ mutantur in malignas, & vice versa.*
(b) *Febres pestilentiales in principiis sunt continentes.*

pro ratione Symptomatum, ſpatio bidui vel tridui integrè reſtitui: Dominum verò ipſum, atque ejus conjugem (qui opem Medicam ad diem ſeptimum vel octavum diſtulerunt] ex Orci faucibus, non niſi ſpatio Lunæ integræ, idque difficulter admodum, uſu frequentium *Veſicatoriorum*, *Alexipharmacorum*, cæterorumque ejuſmodi *Antipeſtilentium* Remediorum liberare potui. *Cortex* hic nihil valebat; Delirabant enim, Lipothymia, ſubſultibus Tendinum, cæteriſque diris in genere Nervoſo Symptomatis afficiebantur Patientes, *Pethechiis* etiam, atque *Eruptione Miliari* quaqua verſùm interſperſa notabantur.

Hoc conceſſo, Theoria Febrium Continuarum generalis facilè & breviter explicari poteſt. Venenum enim Spiritibus implicitum (quod Naturam ad certamen irritando, hiſce febribus anſam præbet) iis vel *Debilius*, vel *Fortius* vel *Æquale* eſt: Modo Debilius ſit, Natura, unoquoque certamine, quadantenùs ſuperior evadit, indèque oritur febris *continua* Benigna; dicta *Synechis* ſeu putrida; ab evidenti Paroxyſmo ac Remiſſione, ſingulis, vel alternis diebus periodicè recurrente, dignoſcenda. Si verò Æquale ſit, multo magis ſi fortius, febris inſequitur *Synochos*, unum tenorem ſervans.

[a] Hinc ſequitur febrem *Synechi* ſimplicem, qua talem, & quamdiu talem, nunquam eſſe funeſtam: Quippe Natura quovis certamine victoriam reportat, imperfectam licet; Quoties autem à gradu Veneni aucto lethalis evadit; paulò ante funeſtum diem, typum ſuum mutando, in Malignam tranſit: Simplicem, inquam, *Synechi*; Namque à niſu & lucta Spirituum haud rarò funeſtum aliquot Symptoma ſuboritur, *Rheumaticum*, *pleuriticum*, *peripneumonicum Eryſipelatodes*, *Dyſentericum*, vel *Cholera* Morbus, *Diarrhœa* Torminoſa, *Colica* Ventriculi aut Inteſtinorum Symptomatica, unde Æger interimatur, ut ut *Febris* fuerit, uti ajunt, *putrida & benigna*, & Venenum unoquòque certamine quadantenus domitum. E contra, affirmo, febrem quamcunque *Synochon* ſemper alicujus Malignitatis participem eſſe, quia Venenum Spiritibus ſuperius, vel ſaltem æquale eſt; nec unquam poſſe ſanari, donec a ſubactione veneni, & expanſionis Spirituum reſtitutione, Typum ſuum mutet, ac fiat *Synechis* ſeu Benigna. Quo igitur Febris plus minus accedit ad naturam *Synecheos* vel *Synochoy*, hoc eſt, pro ratione expanſionis Spirituum, Prognoſticon ritè faciendum eſt, vel funeſtum vel ſalutare, atque Methodus curationis (durante curſu unius ejuſdemq; morbi) jure merito varianda. Siquidem, quandiu *Febris* ſpeciem *Continentis* (b) induerit, Spirituum robur ſupereſt, quod ſufficiat ad vires *Antidoti* in actum deducendas, cujus exhibitio ad Veneni reliquias frangendas, apprimè neceſſaria eſt, *Cort. ſc. Peruvian.* cuius vires in hac, æquè certò & citò efficaces, ac Intermittentes curandæ, multo uſu, & communi Medicorum conſenſu comprobantur; Ubi autem Venenum magis deleterium eſt, & Spiritus non ſine multo niſu & conamine ſeſe expandere valent, unde varii Spaſmi, & prægrandes Excretiones præſertim ſub initium uniuſcujuſque Paroxyſmi excitantur, ut ut Febris ſit revera *Synechis*, ſpeciem tamen exhibet alterius febris, *inflammatoriæ*, ſcil. *Colliquativæ*, &c. Unde fit, quòd hæc febris, licet in ſe ſalutaris, & viribus *Corticis* victricibus, (quas Spirituum robur ac vivacitas hactenus ſuperſtes regere ac in actum deducere valet) ceſſura; Propter Symptomata tamen vehementia à niſu hoc & lucta difficili orta, ex accidentis, lethalis ſæpiùs evadant. Quapropter, præter ſubactionem fermenti venenati febrilis, multa alia indicantur à niſu Spirituum & parte affecta, quibus (poſthabita generali Indicatione) Medicus quivis ſeſe priùs ſatisfacere debere noverit. Febris *Synochos* unam tantum generalem Indicationem ſuppedit, ſcil. ut expanſione Spirituum promota, Æger in extremo diſcrimine verſans, & quaſi gradu quodam Mortuus, ab Orci faucibus liberetur. A *Cortice* Peruvian. vel alia quacunque Antidoto, nihil opis omnino

(a) *Febris* Synechis *non eſt fatalis.*

[b] *Methodus curandi in uno eodemque morbo aliquando varianda eſt.*

nino jam expectandum est, donec Spiritus *Antidoti* vires regere possint, & à veneno sopiti *Cordiacis*, *Alexipharmacis*, &c. exsuscitentur, & muniis suis iterùm fungantur. Quo facto Febris genium suum non mutare, & in *Synechi* Benignam transire non potest, ejusque mutationis specimen exhibere in Exacerbationibus & Remissionibus periodicis, singulis vel alternis diebus recurrentibus, & pro ratione victoriæ partæ plus minus manifestis.

(*a*) Quandoquidem hæ Febres indole admodùm diversa sint, indeque Prognostica diversa suppeditent, & Methodum Curationis variam postulent, & eadem ipsa Febris, brevi temporis spatio, genium suum sæpiùs mutare soleat, Medici interest, ante omnia, Febrem curandam ex certis Criteriis posse dignoscere, scilicet num, *benigna*, *Maligna*, vel *mixta* sit, & varias Metamorphoses, quas eadem *febris* subit, animadvertere; ut inde, tanquam Cynosura ductus, non temerariò, & more Empyricorum *febres* omnigenas, vel eandem ipsam, in diversis suis Stadiis, heu quantum mutatam! una methodo, absque discrimine tractare; Verùm pro ratione Veneni aucti, vel diminuti, & expansiva Spirituum facultate inde plus minùs læsa, ad normam rationis, *Prognostica* sua dirigere, & methodum Curationis, pro re nata, multiplicem instituere valeat. Exempli gratia, si Febris a primo insultu, mali Moris sit, & Mors quasi ab initio præ foribus adstet; Prognosticum funestum faciendum est, Indicatur verò expansio Spirituum, ab ipso initio, *Alexipharmacis*, *Vesicatoriis*, &c. promovenda. Sin Spiritus, qui primò prævalebant, ex mala praxi, vel alio quovis accidente, durante certamine, deficiant; & venenum prope statum Morbi Spiritibus superius evadat, *febris*, quæ primùm fuerat *Synechis* in *malignam* transit, fatale Prognosticon suggerit, & Methodum Curationis mutandam postulat. Sin Artis vel Naturæ ope, Spiritus, instante morbi Statu, extremo nisu, quantum possunt, sese expandant, Veneno inde quadantenus subacto, *febris* quæ prius erat *maligna* & *Synochos*, mutatur in Benignam *Synechi*, evidentibus Exacerbationibus & Remissionibus interpunctam, & faustum eventum præsagientem; præsertim quia Antidotis specificis utendi occasio datur, unde citò ac certò, Venenum Febrile subigi potest; Quocirca tam Prognosticon, quàm Methodus medendi, pro præsenti Morbi genio, jure merito variari debet.

Ideam harum febrium Graphicè depingere, ita ut certis quibusdam Criteriis ab invicem, & à cæteris morbis congeneribus discriminentur & dignoscantur; Fontes etiam variorum Prognosticon ad normam rationis adaptatos ostendere; necnon methodum Curationis ad diversas hasce Febres accommodatam rationi innixam stabilire, qua in variis hujus morbi versatilis Stadiis, Symptomata diversa sublevari possint, est pensum illud, quod adhuc superest filo sermonis jam texendo absolvendum: Id autem à *febribus Synechesi* sive Continentibus consultò cospicamur; quoniam istæ *intermittentibus* magis affines videntur, quam *malignæ*, vel *inflammatoriæ* aut *Glanduloſæ* seu *colliquativæ*, quæ a Fermento magis Deleterio, vel saltem magis irritante originem suam trahunt.

CAP. II.

De febribus continuis Remittentibus, ab Antiquis Synechesi *dictis, iisque tam simplicibus, quàm spuriis; earumque Natura, Causa Continente, ac Typo Vario.*

FEbrem illam *Remittentem*, seu *Synechi* voco, quæ licet Continua sit, manifestò tamen atque ut plurimùm periodice, exacerbatur & remittit. Hæc Febris vel est *Simplex* & pura, vel *Spuria* seu mixta, vehementi quippe aliquo Symptomate stipata.

(*b*) *Synecheos Pure & Simplicis* Typus, ex manifesta Exacerbatione & Remissione,

[a] *Methodus Curandi in uno eodemque morbo aliquando varianda est.*
[b] *Febris* Synecheos *descriptio.*

ne, singulis ut plurimùm, vel alternis diebus, stata & certa hora, Periodicè recurrentibus facillimè dignosci potest; Atque equidem, ab *Intermittente*, inde duntaxat discriminatur, quod Calor Febrilis in Intervallis hujus Febris nunquam penitus extinguatur; & primus solummodò Paroxysmus, cum solenni *algore*, *horrore*, & *rigore* incipiat. Unde operæ pretium vix erit, in hujus morbi Criteriis, sive signis Diagnosticis diu morari, postquam Typum eius Graphicè descripserimus.

Cum primùm Spiritus, ex improviso, aura Venenata inficiuntur & obruuntur, tota machina *Algore* universali corripitur, eousq; durante, donec sese expandere iterùm nitentes, hostem adoriri incipiant; Quod sine *horrore*, *rigore*, *oscitatione* frequenti, *pandiculatione*, *Vertigine*, cæterisque id genus levioribus Spirituum oppressorum & confusorum Symptomatis [quæ in primo uniuscuiusque Febris limine molesta sunt] fieri non potest. *Urina* etiam tenuis, pallida & copiosa redditur, atque *Pulsus* in Celerem, verùm debilem & suppressum mutatur (veluti in Histericis, cæterisque affectibus Nervosis accidere solet) donec Spiritus nisu, & motu nonnunquam vehementi excandescentes, atque inde præter solitum expansi, flammam Febrilem in Sanguine accendant: Tota autem massa jam flagrante, *Temperies* illico mutatur in fervidam & æstuosam, *Pulsus* in celerem fortem & magnum; *Urina* multa rubedine tingi, & Colliquatione facta, Contentis saturari incipit: Poris a calore insolito constrictis, *Cutis* arescit; accedit *Sitis* ingens, & Linguæ summa ariditas; & quia Fermentum Ventriculi à massa Sanguinis flagrante secernitur, ipse Ventriculus *Dyspepsia*, *Ægritudine*, *Nausea* & proclivitate ad vomendum derepente afficitur: Cerebrum, a Veneno non adhuc penitus excusso, *Gravitate* molesta laborat; & Artus *Lassitudine* ptemuntur: A motu Spirituum inordinato sese ulterius expandere contendentium, *Vigiliæ* pertinaces oriuntur, atq; iactatio Corporis inquieta: A Fibrarum Membranacearum distensione *Dolor* Capitis prægrandis, & *Lassitudo* Ulcerosa totius Corporis; præsertim verò prope exitum Nervorum è Spina, insignis *Lumbago*, hanc Febrem ferè semper comitari solita, ortuum suum ducit. Atque omnia hæc Symptomata vigent, & crescunt, donec Spiritus, expansivam suam vim exercendo, Venenum quadantenus subegerint, postquam ad spatium unius vel alterius diei acriter certaverint: Tunc tandem Febris (subortis sudoribus) mitior evadit, *jactatio*, *vigiliæ*, *ægritudo*, *sitis*, *cephalalgia*, *lassitudo*, cæteraque omnia Symptomata sensim atque ultro decrescunt, donec Venenum, vi potiùs suppressum quam subactum, novas vires resumat, & certamen de novo instituat, quod iam sine solemni *algore*, *horrore*, *& rigore* incipit, quippe Spiritus, durante remissione, ultra solitum expansi, ex improviso non adeò deprimi possunt, Quamdiu Febris hunc typum servet, iure merito *Synechis* seu *Continens* audit: Ubi verò venenato Fermento aucto sponte, vel ab *Evacuationibus*, vel *Opiatis*, perperam & in larga nimis quantitate exhibitis, vel quocunque alio accidente, *Febris* typum suum mutet, & uno tenore progrediatur, illicò *Maligna* fit, Prognostica diversa ministrat, & Methodum Curationis admodum diversam postulat. At de *maligna febre Exercitat.* quinta uberiùs loquemur.

CAPUT III:

De Febris Continentis Signis) Diagnosticis.

CRiteria (*a*) Febris *Synecheos* simplicis Diagnostica à quatuor fontibus potissimum petenda sunt. 1. scilicet à manifesta Symptomatum exacerbatione & remissione, singulis vel alternis diebus periodice revertente; Quo autem magis evidens fit Exacerbatio & Remissio, quove magis certa sit harum exacerbationum & remissionum periodus eò

[a] Synecheos *simplicis signa Diagnostica.*

eò genius *Synecheos*, clariùs seſe prodit. 2. à Pulsu, qui ut ut durante remissione, mitis sit, vigente Paroxysmo augeri solet, & mutari in fortem, magnum ac celerem, æquali & constanti tenore, pro vigore Spirituum influorum, pergentem; Quo propiùs autem Pulsus ad hoc exemplar accedit, *Synechis* eò magis simplex & pura est. 3. Ab Urina, quæ post primum insultum, durante Paroxysmo, rubedine multa perpetuò tingitur, & contentis copiosis saturatur; durante verò Remissione hypostasin laudabilem utplurimùm deponit. 4. à Sudoribus periodicis, quibus sub finem cujuscunque Paroxysmi Æger perfunditur.

(a) Spuriam autem *Synechis* non adeò facile est ad vivum depingere, ut non adhuc ingenia doctissimorum & exercitatissimorum Medicorum, in ea exploranda & dignoscenda, torqueantur; Nam, urgente Symptomate, quodcunque illud fuerit, haud raro *Febris* Criteria priùs memorata plurimùm desiderantur; siquidem à nisu violentiori, Spiritus in statum explosivum quedantenus adiguntur: Unde Symptomata in genere Nervoso suboriuntur *Dolores* in musculis, tendinibus & membranis *Rheumatismum*, *Pleuritidem*, *Colicam*, cæterosque id genus morbos inflammatorios & Spasmodicos simulantia, & è partibus Glandulosis enormes subsequuntur humorum Excretiones, *Vomitio* scilicet in modica, *Cholera* Morbus, *Diarrhœa*, *Dysenteria*. Unde Natura jam prorsus languens, in veneno adoriendo, intra cancellos solitos seſe circumscribere nequit, indèque typus *Sinecheos* multùm obscuratur, neq; facile è notis prius descriptis dignosci potest, siquidem, præ vehementia Doloris, Inflammationis, vel Evacuationis comitantis, Spiritus, ut ut adhuc contendere persistant, multùm tamen obruuntur, atque Natura inde labefactata plurimùm defici adeò ut donec Symptoma allevetur, & Spiritus seſe iterum expandere incipiant, Calor Febrilis uno tenore pergens (externis jam ferè semper frigentibus) remissus & mitis sentiatur, Pulsus sit debilis ac celer, Urina pallida, tenuis & copiosa (sicut in Febribus *Malignis*) Typo Febris genuino ex periodicis Exacerbationibus & Remissionibus dignoscendo, plane exulante: Vel ubi Symptomata (quod sæpe fit) alternatim exacerbantur & remittunt, Paroxysmi periodici inde incertò, & nonnunquam sæpius eodem die recurrere solent, scilicet Evacuatione, vel dolore aucto, Calor & Pulsus minuuntur: His autem diminutis, illi augentur. Donec hæc symptomata releventur, non sine maxima difficultate, experto & exercitato Medico typum & genium Febris hariolari licet; Quocirca, uti jam necesse est Methodo quadantenus diversa, quæ scilicet Symptomata vehementiora adjuncta, æquè ac morbum ipsum respiciat, Febris curationem feliciter absolvere, ita non minùs ex aliis fontibus, quàm ex typo ipsius Febris signa ejus verè Diagnostica petenda sunt; præsertim scilicet à Symptomatis vehementioribus, quæ, si ejusmodi fuerint, quæ robur Spirituum, ut ut jam obrutorum, aut saltem forte conamen arguunt, &, si cum magna violentia invadentia, Febrem *Inflammatoriam* vel *Colliquativam* denuncient, præsertim, si hæc Symptomata observentur post Periodos certas recurrere; atque, saltem durante Remissione, Urina reddatur, qualis in *Sinechei* genuina reddi solet, & Pulsus etiam congruat; admodùm verisimile est hancce Febrem (qualiscunque sit ejus typus) esse de genere *Sinecheos*, atque ejus Curationem usu *Corticis Peruviani* ritè ministrati respectu scilicet ad Symptomata urgentia habito, feliciter absolvendam. Ex. gr. Ubi Febris [quomodocunque typus ejus nativus à Symptomatis suppressus obscuretur] insolita & intensa Nausea vel Vomitione stipetur, adeo ut Æger vix quicquam Medicamenti vel alimenti retinere, vel suscipere queat quin illico Vomitione sursum id rejiciat, Vel ubi flux. Alvi immodicus adsit, ita ut omnia ingesta confertim deorsum ejiciantur; Vel ubi, sicut in *Cholera* Morbo leviori sursum ac deorsum propellantur; Vel ubi prægrandi aliquo & Spasmodico Capitis, Artuum vel cujuscunque partis dolore,

Co-

(a) *Signa Diagnostica* Synechecs *Spuriæ*.

Colico, *Pleuritico*, *Rheumatico*, &c. Patiens torqueatur, & de Symptomatis vehementia duntaxat conqueratur; Expansione Spirituum, unde Febris typus sese aliàs palam ostendisset, jam præpedita, Vel denique, Ubi circa *Nares*, *Labia*, aut aliam quamvis partem *Efflorescentia* quasi *Erysipelatosa* (quæ ferè semper Febrem Intermittentem genuinam comitatur) in Cute appareat; præsertim verò, si hæc Symptomata singulis vel alternis diebus, post certas Periodos, revirescere & declinare observentur; atq; saltem durante declinatione Urina, & Pulsus sese habeant, ut in Febre *Sinechei*, Febrem hancce classem *Sinecheon* quę viribus *Corticis* ritè ministrari fugari solent, jure merito adscisçere licet. Atque sanè, ab hisce Criteriis, rarissimè, si unquam Memet deceptum memini, in genio hujusce Febris dignoscendo, quomodocunq; typus ejus à typo simplicis & puræ *Sinecheos* differebat: Vires etiam *Corticis* æque efficaces hic etiam ut plurimum sensi, ac in *Continente* simplici, vel ipsa *Intermit.* modo Methodo ad variantia Symptomata accommodata exhibitus fuerit; quam methodum, proprio loco, sub hujus Exercitationis finem explicabo.

CAPUT IV.

De Febris Continentis Causa Evidenti.

REstat (*a*) jam, ut de Causa harum Febrium Procatarctica sermonem habeamus, quæ cùm sit ut plurimùm *Atmosphæra*, Sententia, nostra de Causa harum Febrium continente non parum stabilitur, quandoquidem Spiritus multo faciliùs & clarius ob ambientis *Aeris* impuritatibus, & injuriis inficiposse ac turbari, quam humorum segnem molem, ab omnibus libenter conceditur.

Ambientem autem *Aeram* reapse hisce Febribus primum ansam dare solere, exinde constat, quia ubique ferè *Endemiæ* sunt in Aere *Palustri*, *Maritimo* vel *Arboribus* plurimum obsito, qui heterogeneis particulis refertus & minus perflatus, mirum in modum, non raro stagnat & putrescit: Atque quovis fere loco Epidemicæ sunt, tempestate Autumnali, cum, Sole recedente, Aeris Temperies admodum inæqualis redditur, mane sc. & Vesperi gelida, meridie autem intensè fervida. Unde incauti, & eodem modo semper vestiti, postquam medio die æstuarunt, & sudarunt non possunt horis matutinis; præsertim vero vespertinis in poros cutis, præcedente Calore apertos frigus non suscipere, unde Spiritus derepente Algentes & à naturali Temperie recedentes, ex improviso conturbantur; Et Calor in massa Sanguinis ab hoc motu accenditur, saltem Ephemerus, & pro ratione cachochymiæ prius congestæ, plus minus ad repullulandum proclivis.

CAPUT V.

De Febris Continentis signis prognosticis.

(*a*) EX hac Febris *Remittentis Æ*tiologia *Prognostica* sequentia verissima desumuntur. 1. Febris *Synechis* simplex, quà talis, & quamdiu talis, raro admodùm, si unquam funesta est. 2. Simplex *Sinechis* priusquam exitialis evadat, typum ac genium suum mutat, ac transit in *Sinochon* Malignam. 3. Febris hæc Benigna propè statum morbi (veneno vel sponte; vel ex mala praxi aucto & Spiritus obruente) in Malignam facillimè transit; Unde Methodus curandi admodùm diversa requiritur, & eventus vel dubius vel funestus prædicendus est. 4. Ex temeraria & incauta Symptomatum *Sinechi* Spuriam comitantium sublevatione, sive ex nimio *Evacuantium* & *Opiatorum* usu, sive *Venæsectione* perperam, & prodigè ministrata, sæpissime contingit, quovis Morbi tempore, Naturam adeo pessundari, & spiritus inde labefactari, uti hæcce Febris, naturaliter Benigna, momento quasi Ma-

[a] *Causa Procatarctica harum Febrium.* [b] *Prognostica.*

lignæ ſpeciem induat; Quæ Febribus *Erysipelatoſis* à frequenti & nimia Sanguinis detractione; & aliis cum doloribus Spaſmodicis vel fluxu Alvi nimio ſociatis, à profuſa *Laudani* exhibitione contigiſſe ſæpiùs memini. Quocirca, uti cautela maxima in horum uſu ritè requiritur, ita, admiſſo hoc errore, qui ex ſubita pulſus mutatione apprimè dignoſci poteſt: Naturæ languenti incunctanter & aſſiduè *Alexipharmacorum*, & *Veſicatoriorum* uſu ſuccurrendum eſt, ut vis Spirituum expanſiva ſuſcitata jam demum, iterum promoveatur; prognoſticon etiam de eventu morbi à priori diverſum faciendum eſt. 5. Quo plura malignitatis indicia cum hac Febre conjunguntur, eò periculoſior eſt, & eventus ejus incertior: Quo autem pauciora, eò major ſpes affulget: præſertim, quia Venenatum Fermentum, *Corticis* vel alterius cujuſcunque Antidoti vires non ita promptè eludere poteſt. 6. Spirituum robur, ex pulſu ante omnia certiſſimè explorandum eſt; Modus enim influxus Spirituum, atque expanſionis eorum gradus, ac Venenati Fermenti vis major aut minor, hac via, maximè ſeſe produnt: Indeque pulſus fortis uno tenore pergens, ut ut *Delíria*, *Tremores*, *Tendinum* ſubſultus, cæteraque dira in genere Nervoſo Symptomata ſubitam ruinam minari videantur, ſemper bene præſagit: E contrà verò pulſus celer debilis ac vacillans Mortem præ foribus adſtantem indubitanter prædicit, ut ut reliqua Symptomata adblandiantur. Quamobrem Medicus, qui ad hanc Cynoſuram ſua prognoſtica dirigit, rariſſimè à ſcopo aberrabit, &, qualiſcunque fuerit eventus, ſeſe ipſum & Artem Medicam honeſtabit. 7. *Synochis Spuriæ* ſive *Mixta*, ut ut in ſe minus funeſta ſit ope tamen Symptomatum adjunctorum Ægrotantes haud rarò è vivis tollit. Quocirca, primò omnium ea Symptomata auferenda ſunt. 8. Quò plura, vehementiora, & curatu difficiliora ſint hæc Symptomata, eò magis funeſta (ex accidenti licet) rltè habenda eſt ipſa Febris 9. Febris primo inſtanti *Synochos* & Maligna, ſi ſalutaris Criſis contingat, illicò in *Synochi* tranſit, & bonum prognoſticon ſuggerit; Et quò paroxyſmorum & Remiſſionum alternatio conſpectior fuerit, periodi certæ obſervantior, eò melius. 10. *Synochis* nonnunquam, poſt Statum Morbi, in *Intermittentem* tranſire ſolet. Febris autem hujuſmodi *Intermittens*, uti præ cæteris curatu difficilior, ità ad recidivationem, præ cæteris, proclivis eſt 11. Indicatio Febris *Synochcos* ut ut mitis ac Benignæ, viribus Naturæ ſolummodò facta, admodùm longa ac incerta eſt; Quippe, Veneno circa Morbi Statum aûcto Natura ſæpiſſimè ſuccumbit; Unde Febris facillime in *Malignam* tranſit: *Cortex* autem certiùs, atque citiùs, ſine dierum Criticorum expectatione, victoriam reportare ſolet. 12. Quo Exacerbationes & Remiſſiones diei hora magis certa redeant, & quo Remiſſiones magis ſunt protenſæ, eò meliùs: è contra incerti paroxyſmi ſæpiùs in die recurrentes atque Remiſſione obſcuriores prognoſticon peius vel ſaltem magis dubium miniſtrant: Namque vel malignum quid deliteſcit, vel Natura vehementiori aliquo Symptomate opprimitur. 13. *Synochis* ſimplex viribus *Corticis* æque certò cedit, ac ipſa *Intermittens*: quippe gradus Veneni in utraque fere idem eſt. 14. Efficacia *Corticis* Febrifuga *Synochis Spuria* debellanda eſt propemodùm æque certa ac in ſimplici (modo rite miniſtretur, reſpectu ad Symptomata vehementia habito) non autem adeò cita eſt; Quia, uti Venenum Febrile in hac intenſius eſt quàm in priori (ita parili modo, non niſi exhibitione ejuſdem Antidoti in quantitate longe majori, ſubigi poteſt. Indeque, ut ut ſimplex *Synochis* uncia *Corticis* genuini & vegeti una æque certò ſubigitur ac ipſe *Intermittens*, *Rheumatica* tamen; *Erypelatoſa*, *Dyſenterica*, vel quæcunque alia Inflammatoria, aut Colliquativa, à Veneno intentiori orta, haud rarò quantitatem duplo maiorem irritam reddit. 15. *Synochis* Simplex vel Spuria, ſolius Naturæ ope ſanata rariſſime recidivam habet;

Cor-

Cortice autem, vel alia quavis Antidoto subacta, non rariùs quàm ipsa *Intermittens* recrudescit (semper autem speciem *Intermittentis* simulat) si repetito eiusdem Specifici usu non prævenìatur. Verùm; hoc non obstante, hic modus curandi propter certitudinem & celeritatem, cuicunq; alteri, iure merito, longe præferendus est 16. Curatio *Synechcos* quæ Cortice, vel alia (si qua sit) Antidoto perficitur, sicuti, quocunque Morbi tempore, principio scil. Augmento, Statu, vel Declinatione, sine longa dierum *Criticorum* expectatione ad umbilicum ducitur; Ita *Vesicatoria* & multa alia excruciantia, minusque grata Remedia supervacanea reddit, nec non Ægrotantem, brevissimo tempore, ad pristinum Statum, vel forsan magis Athleticum certissime restituit; Quo nomine omnibus aliis Methodis curandi, iure merito, antecellit, 17. *Synechis Cortice* curata rarò admodum cum evidenti aliqua Crisi terminatur: Si qua verò Crisis per salivationem & inde succrescente *Aphthas* albas contigerit, Veneno evicto; sponte ac citò solet terminari. 18. Evacuationes in *Synochei* à Natura institutæ, scil. Hæmorrhagia, Vomitio, & Fluxus Alvi fere semper sunt infidæ, atque ut plurimum Symptomaticæ, quippe a nimia irritatione ortæ. Evacuatio Critica & salutifera fit solummodo per *Sudores*, vel *Salivationem Aphthas* albas comitantem. Prior quidem est magis cita & acuta, paucarum enim horarum spatio finitur, arguitque præsentem Spirituum expansionem vegetiorem; Altera vero est æque certa, licet tarda & molesta à robore Spirituum minùs vegeto orta 19. *Synochis Simplex* (Ubi Curatio vi expansiva Spirituum solummodo perficitur] sæpenumero longa est, & Crisis eius nonnunquam tarda, cum molesta salivatione *Aphthis*, & singultu pertinaci coniuncta: Quæ Symptomata durant, donec à Venenati Fermenti subactione Massa in statum integrum restituatur; Saliva inde & Sanguine restitutis, sponte ac cito cessant: *Spuria* vero ob Naturæ impensas, & Symptomata vehementiora, magis acuta est, imo pro ratione Symptomatum, præsertim si sint de genere Spasmodico vel Inflammatorio, & imitentur *pleuritidem*, *Peripneumoniam*, *Colicam*, *Choleram* Morbum &c. peracuta; sin *Diarrhœam*, *Vomitionem*, &c. simulent, non adeo acuta 20. Crisis Febris *Sinechcos*, Ubi materia colliquata per plures portas eliminatur, utrùm id simul, vel successive fiat [tardius procedit, quàm ubi unica via extruditur; & copia materiæ peccantis hinc arguitur, viriumque defectus unde Spiritus massam non adeo constanti tenore, eodemque modo regere, & disponere valent. 21. Febris *Sinechcos*, ubi solis Naturæ viribus curatio perficitur, post Statum morbi mutata in *Sinechi* ut plurimum, sub secundi paroxysmi finem, Criticis Sudoribus perfecte terminatur; Indeque dies iste *Indicatorius* habetur, in quo prima Remissio contingit, & *Criticus in quo* secunda 21. Febris *Sinochoi* speciem referens in primo morbi limine, scil. ad triduum, vel quatriduum priusquam venenum valde auctum sit, facillime ab *Enemate* iniecto, & *Venæ sectione* moderata inde celebrata, atque *Bolo Alexipharmaco*, & *Theriacali* demum exhibito in *Sinechi* mutari potest; unde occasio *Corticem* exhibendi datur, eoque Curationem perficiendi & accelerandi. Durante Morbi Augmento, præsertim prope Statum pessimum signum est, si Urina rubra & contentorum copia saturata, sensim in tenuem & pallidam mutetur; Si pulsus magis celer, debilis ac vacillans evadat, multo si subsultus Tendinum, loquacitas, Insomnia terribilia, & phantasmata inusitata accedant, quippe iam *Coma*, *Vigiliæ*, *Deliria*, cæteraque pessima *Febris* in *Malignam* transeuntis Symptomata, iure merito expectanda sunt quibus *Cortex* impar est, Atq; hoc Antiqui practici, Humorum patroni perceperunt dum materiam in Cerebrum transferri asserebant: E contra, pulsus fortis & constas, Urina rubedine multum tincta & contentis saturata, multo magis quæ hypostasin laudabilem deponi, ubi Morbus ad Statum pervenerit;

rit; uti Febrem genium ſuum primarium Benignum ſervaturam cum Paroxymorum, & Remiſſionum alternatione ſignificant, ita eventum fauſtum ac proſperum brevi expectandum prænunciant, ut ut reliqua Symptomata contrarium præſagire videantur. 14. Omnis Febris *Epidemia*, *Autumnali*, & *Caſtrenſis*, quando primum invadit, eſt ut plurimum *Synechis* Simplex ſcil. vel Spuria: ut ut, quovis morbi tempore, ex malo regimine vel prope Statum, ſuapte ſponte ad degenerandum in Malignam mirum in modum apta ſit.

CAP. VI.

De Febris Continentis Indicationibus Curativis.

(a) QUo pacto hæcce *Febris* ſive *Simplex*, ſive *Spuria* tollenda ſit, & quæ ſint *Indicationes* Curativæ in Morbo, reſtat inquirendum. In genere unicè indicatur deletio Fermenti Venenati, quod Naturam ad certamen irritat atque provocat: Hoc enim ſublato, lucta Febrilis ſponte ceſſat; Spiritus enim non ampliùs laceſſiti tonum naturalem illico recuperant, atque maſſa Humorum quieſcit, indeque nulla paroxyſmorum revireſcentia expectãda eſt.

Ubi vero Spiritus veneno graviori irritati, à niſu ſuo immodico in exploſionem adiguntur; aut humores inde Colliquati e Glandulis immodice excernuntur, plures, eæque, pro ratione Symptomatum, admodum diverſæ *indicationes* ſubminiſtrantur; quas Medicum apprime reſpicere oportet; Quippe ab his Simptomatis, haud raro, vita Ægri in præſens diſcrimen adducitur; plus quam à Veneno primario. Quo pacto hoc fieri debeat mox in methodo curationis explicabimus.

Deletur Venenatum Fermentum, vel à naturali Spirituum expanſione ſæpiùs repetita, donec ad extremam activitatis ſuæ Sphæram ſenſim perveniant; vel *cort. peruv.* aut altera [ſi qua ſit] Antidoto incunctanter exhibita, quæ, cùm adhuc vivaces ſint, quocunque morbi tempore illicò Venenum ſubigere valet. Prior methodus magis incerta eſt: Atque, Febre jam in *Inflammatoriam* vel *colliquativam* mutata, Æger incendio inteſtino, vel evacuatione immodica confectus haud rarò perit: Iam à Spirituum nimia depreſſione *febris*, nullo non tempore, præſertim prope *criſim*, in *Malignam* & funeſtam facillimè tranſit, Medicus interea Naturæ tantum ancillatur; regimen univerſum ritè imperando, atque Spiritus; ubi depreſſiores Febrem in Malignam tranſituram indicant, *Veſicatoriis*, *Alexipharmacis*, cæteriſque id genus ſtimulantibus excitando; Aut *Venæſectione*, *Enematis*, *cathartici*s Benignis, *Emulſionibus*, *Apozematis*, *Julapiis* contemperantibus, fervorem ac Orgaſmum eorumdem minuendo, quoties æſtum; ac Diatheſin inflammatoriam moli humorum impertiant, unde dolores *Spaſmodici*, & *Rheumatici*, & reliqua id genus dira Symptomnon raro producuntur: Vel denique *Opiatis* Spirituum motum compeſcendo, quoties *Vomitio* enormis, *Diarrhœa*, aut alia quævis excretio Colliquativa inordinata ac ſymptomatica id requirat. Medicum hac Methodo utentem oportet eſſe cautum admodum, atque ſagacem, nihilq; temere aut officioſe moliri [neque unam ſemper viam in Febribus ſanandis pertinaciter calcare; verum, pro ratione Simptomatum varia, atque præſenti Febris genio, in unum vel alterum extremum tendentis, Methodum ſuam ſæpius atque incunctanter, quoties opus fuerit, cum ratione mutare. Omnibus verò hiſce Canonibus diligentiſſimè obſervatis, Eheu! quot à Symptomatis ex improviſo ſubortis, vel Ægrotantis *Idioſyncraſia* ante non percepta, hac methodo, Arte Medicinali ad Orcum demittuntur, quanquã fidei exercitatiſſimorum Medicor. commiſſi, qui ſæpiſſime Scillam evitantes in Charybdim incidunt, Tanta eſt ingeniorum acutiſſimorum hebetudo, atque in morbis indagandis vel tollendis vacillatio, tamque fallax & lubrica eſt rationalis Febres curandi Methodus! Ut ut vero

hæc

[a] *Indicia.*

hæc se habeant; in eorum gratiam, qui à modo febres curandi compendiario, ex præconcepta opinione, abhorrent, lubet primùm, pro virili juxta nostram hypothesin, methodum curationis rationalem certam ac perspectam, multo usu mihi comprobatam delineare: Siquidem, licet hac ratione non cum æquali certitudine optatum eventum consequatur Medicus, nunquam tamen, in toto morbi curriculo, Empyrici partes sustinere cogitur, vel dubitanter artem suam exercere; Ratio enim docet quid agendum sit, ut ut scopum assequi sæpiùs non detur, atque meherculè animus noster haud parum oblectamenti capit [qualiscunque fuerit eventus] quoties conscii sumus nos ritè, atque ad normam rationis, unoquoque morbi tempore, quod nostrum est, præstitisse *κ'δ'ν κ'κῆ κδὲν πκρρκ'ν*.

CAP. VII.

De Methodo curandi Febrem Continentem rationali.

(a) UT Methodus hæcce rationalis febrem curandi clariùs innotescat, necessum duco, de variis hujus morbi stadiis, cùm naturæ soli committitur, atque Phænomenon inde succrescentium diversa indole aliquid præfari. Quamdiu Spiritus veneno contaminati & depressi vigorem naturalem recuperare nisu quodam moliuntur, *Augmentum* morbi durat; atque intereà omnia symptomata Febrilia, [b] *Dolor* scil. *Lassitudo* Ulcerosa, *Ægritudo*; *Jactatio*, *Vigiliæ*, *Calor* intensus, *Sitis*, *Celeritas* & *fortitudo* pulsus, *Tinctura* & *Contenta* urinæ, *Ariditas* oris, &c. juxta naturæ leges, in dies augentur; paroxysmi magis protensi; Remissiones autem minùs sensibiles observantur; Atque equidem hoc symptomatum Incrementum ritè expectandum & optandum est. Natura hoc stadium non uno eodemque temporis spatio perficit, verùm quo mitius venenum est, & Spiritus vegetiores, eo citiùs percurrit ante quintum scil. septimum vel nonum diem: quo gravius autem, & à veneno magis Deleterio pessundentur Spiritus, eò diutiùs hoc morbi Stadium (modò eventus salubris futurus sit) protrahitur, nimirum ad xi. vel xiv. diem. Quamprimùm Spiritus ad activitatis suæ *ἀκμὴν* perveniant, ultrà quam sese ampliùs expandere haud valent, illicò fit *Status* morbi, in quo usque ad Crisin instantem, paroxysmi & remissiones uno eodemque tenore ferè amussim procedunt; urina, pulsus, & lingua planè eodem modo se habent; eadem symptomata, idem symptomatum gradus fixus manet, præter *Lassitudinem* ulcerosam, *Cephalalgiam*, cæterosque dolores, sive fixos, sive versatiles qui lege naturæ jam sensim declinare incipiunt, qualiscunque futurus sit eventus; nisu enim Spirituum sese expandere molientium jam sponte finito, fibrillæ membranarum, musculorum, & tendinum non diutius lacerantur, convelluntur aut distenduntur. Hoc etiam stadium (sicut de priori dictum est) spatio temporis determinato, quasi cancellis circumscribere haud fas est; siquidem, pro ratione Spirituum plus minus vigentium, atque veneni primarii magis minusve deleterii, citius vel serius finitur; Cùm enim Spiritus ad extremam expansionis suæ sphæram exaltari, veneno longè superiores evadant, *Status* morbi adeò brevis & imperceptibilis redditur, ut hypostasi laudabili prænuncia sese in urina prodente, Spiritus illicò summè efferati, & hostem adorientes, jactationem inquietam, varios dolores extemplò revirescentes, oculorum scintillationem, Pruritum narium, tensionem Hypochondriorum summam producant, & perfecta *Crisi* venenum eliminent. Lucta, victoria jam parta, cessante, calor sponte mitescit, & Lympha in præcedenti agone colliquata, ubique per poros cutis excernitur, &, ductibus salivalibus à præternaturali constrictione liberatis, Os scatet saliva;

[a] *Methodus Curandi febrem Synochi rationalis.* [b] *Augmentum febris.*

sitis extinguitur, & Spiritibus haud ampliùs lacessitis, somnus placidus ægrum invadit; *Jactatio*, *Delirium* (& si qua sint alia symptomata graviora) penitus remittunt, & febris finitur die septimo, nono vel ad summum undecimo; Jamque declinationem sensibilem frustrà expectamus, cùm uno ictu Critico, & perfecto, bellum decernitur, Parili modo, ubi Spiritus, in statu morbi, ad ultimum expansos venenum sponte, ex mala praxi, aut quocunque alio accidente longè superet; *Status* morbi quam citissimè, funestè terminatur, cum *pulsu* scil. admodùm debili & celeri, *urina* pallida & tenui, *lingua* nigra & arida, subito *Vigiliis*, *Deliriis*, cæterisque id genus vacillantium & Enecatorum Spirituum indiciis sociatus, febre jam perpetim in *Malignam* transeunte, idque non rarò ante diem morbi decimum, vel xii. At, ubi parile est virium & veneni Robur (quod ut plurimùm sit) & æquali prope Marte dimicatur, in æquilibrio res diu pendet: atque proinde *Status* morbi diutiùs protrahitur ad xvij. xxv. diem & ultra, de victoria intereaque ambigitur; Quo spatio, febris media esse inter *Synephsi* & *Synopbon* videtur. Quin etiam ipsa *Crisis* quæ hoc morbi stadium à tergo sequitur, fit æquè tarda ac infida, non rarò per dies vj. viij. 10. 12. protracta, quippe natura non una dimicatione; verùm prælio sæpiùs instaurato, sensim & cum difficultate, victoriam jam reportat; Nec non Crisis, hoc modo feliciter cœpta, sæpissimè ex improviso interrumpitur, ac funestè terminatur. Lympha insuper colliquata, non per unam portam confertim protruditur, verùm pro diverso veneni febrilis genio, nunc hanc, nunc illam; nunc per *Transpirationem* insensibilem; jam per *Sudores* paucos & periodicos; jam per *Hæmorrhagiam* sæpius recurrentem, jam per *Fluxum Alvi* lentum & periodicum è Membrana Intestinorum Glandulosa deturbatur; præsertim verò, ubi venenum sit de genere *Mercurialium*, Lympha, in tarda hujusmodi Crisi, sæpissimè Glandulas salivales atque totam Membranam, Os, œsophagum & ventriculum investientem petit: Unde nova, eaque satis molesta Symptomata hoc morbi Stadium, ab initio usque ad finem comitentur: scil. *Salivatio*, eaque interdum adeò copiosa atque diutina, ut rivulus acris & venenatæ Lymphæ ad tres hebdomadas continuò scaturiat; Et *Aphthæ* Albæ, sive ulcuscula totam Membranam oris, Linguæ, œsophagi, & nonnunquam ventriculi Glandulosam occupantia ab acrimonia Lymphæ ex his partibus excretæ orta, quæ continuò succrescunt & revirescunt, donec veneno, Crisi perfecta, penitùs subacto, tota massa deferbuerit: Denique *Singultus* horrendus, isque fere perpetuus, atque cum præfocativa strangulatione conjunctus, quamdiu scil. in Ventriculum Lympha hæc Venenata excreta, hanc partem inflammet atque exulceret.

(a) Ubi salubris & fida futura est *Crisis* hujusmodi tarda Febris ad stadium suum ultimum, *Declinationem* scil. sensim pervenit, atque inde remissiones redduntur longiores ac magis conspicuæ, paroxysmi verò in dies breviores & minùs atroces; donec æger tandem prorsus ἀναφορὰς evadat, vel saltem febris Typum suum mutet, ac speciem verè *Intermittentis* referat. Tunc omnia sunt in vado, pulsus magis constans ac vegetus fit, urina rubedine satis tingitur, ac hypostasin vel saltem Enæorema præcipitat: *Aphthæ* magis Albæ ac deciduæ neque amplius ad revirescendum aptæ sunt, Vigiliæ, Deliria, sitis unà cum reliquis id genus symptomatis in dies decrescunt.

Ubi verò è contra, febris jam fiat ferè *Continua*, urina sensim à rubra & turbata mutata, primùm hypostasin levem, vel Enæorema ostendat, dein verò in claram & pellucidam transeat, pulsus magis celer, debilis ac vacillans fiat, *Aphthæ* nigrescere incipiant & minus inflammari, atque, deciduæ licet, iterùm repullulare; Lingua fiat tremula, arida, vel scabiosa; salivatio derepentè sista-

[a] *Declinatio*.

ſiſtatur, accedentibus ſubſultu *Tendinum*, *Comate*, *Deliriis* cæterisque id genus febris malignæ ſymptomatis: Procul omni dubio, venenum in ultimo agone, de Spiritibus victoriam reportavit, atque, ut ut natura languens Criſin moliatur, nullam tamen aſſequitur niſi infidam & imperfectam, quam, mors, brevi, acceptura eſt, ſi, aſſiduo *Alexipharmacorum*, *Veſicatoriorum*, cæterorûmque malignitatis remediorum uſu, id non poſſit evitari.

Idea hujuſce febris, ex rei ipſius natura, hoc modo ritè formata, admodum quivis in medicina mediocriter verſatus, veram atque genuinam eam curandi methodum, ratiocinando aſſequi poteſt, & cæterorum practicorum errores convellere.

(a) Antequam igitur ulteriùs progrediamur, errores illorum, in praxi admodùm pernicioſos levi Cenſura perſtringere lubet, qui humorum ac qualitatum evidentium doctrinæ fidem dantes, in provinciam ipſius naturæ verè latricam ſeſe audacter immittentes, atque propriæ ὑποθέσεις δολεύοντες, neſcio quas methodos haſce febres ſine Antidoto aliqua, curandi; eaſque pro ingeniorum ſuorum luxuriantium moduſo, multiplices perperam excogitarunt, ad phænomena ac ſymptomata non vulgaria in humoribus orta duntaxat accommodatas, nec tam naturæ morborum medicatrici ſuppetias adferre, quàm ipſius vices agere gloriosè venditant: Siquidem hi *Galeni* Sectatores Calidum & Siccum, frigido & humido regimine; lege contrariorum, ritè ſubigendum ducunt, neſcientes meherculè τὸ ῥεῦμα, ſeu venenatum illud fermentum ſenſus noſtros longè ſuperans, quod *Hippocrates* aſſerit morbis ineſſe, & Calorem illum ſiccum & febrilem, à lucta Spirituum adverſùs venenum febrile ortum ſuum ducere; Quem, niſi fortè juſtos cancellos tranſgrediatur, & totius machinæ ruinam & incendium minetur, *Venæ ſectione* profuſa, *Opiatis*, *Catharticis* vel *Emulſionibus*, *Julapiis* & *Apozematis* refrigerantibus officiosè minuere, durante Augmento, præſertim verò morbi ſtatu, vel Criſi haud impunè licet, ne febris inde, à nimia Spirituum diſſipatione in malignam & funeſtam degeneret. Illi verò, neſcio cui Hypotheſi innixi, igne ignem extinguere moliuntur, dum paginam utramque in curatione febrium (cujuſcunque fuerint generis) non exceptis Inflammatoriis, *Cardiacis*, *Alexipharmacis*, atque *Veſicatoriis* indiſcriminatim adhibitis complent, ac ſi oleo flamma eſſet ſupprimenda; Unde ægri incendio Inteſtino, atque ſymptomatis inde ſuccreſcentibus, haud rarò confecti, miſerrimè pereunt, qui forſan, debito regimine imperato, abſque hac officioſa ſedulitate prorsùs evaſiſſent. Alii, cæteroquin eruditi; quippe Spargirica Doctrina imbuti, atque Chymiæ nimium dediti, nil præter *Salem fixum*, *Acidum*, *Volatilem Alcali*, *Sulphur*, cæteraque id genus Chymica crepant, atque ex diverſis horum mixturis & effervescentiis in Sanguine factis, univerſam febrium rationem explicant, atque inde curationem inſtituunt: Cùm equidem prædicta ſalia, &c. Formaliter Sanguinis maſſæ ineſſe, atque inibi varias hujuſmodi effervescentias excitare, quales exteriùs arte fiunt, gratis admodùm aſſerant; & licet forſan aliquid analogum in Sanguine etiam ſanorum ſemper reperiatur; Verùm, ubi hæc principia juſtum modum excedant, indeque morboſo condimento maſſam imbuunt, Spiritus venenati omnino in cauſa ſunt. Unde *Siſyphi* Saxum volvere mihi videntur, quotquot hiſce principiis innixi, poſthabito veneno in Spiritibus deliteſcente, humores alterare ſolummodò moliuntur, atque methodum febrifugam inde conflare. Sæpiſſimè etiam Pharmacopæi, Chyrurgi, aliique nonnulli indocti, qui in meſſem alienam falcem audacter intrudentes, atque artem medicinalem modo Empyrico exercentes, quique febres quaſcunque ſine delectu, eodem planè modo, curare ſatagunt, non rarò in primo curationis limine,

(a) *Errores Practicorum in febris Continentis curatione.*

ſive negligentia, ſive officioſa ſedulitate, febres haſce reapſe Benignas, *Pharmacis Emeticis*, *Catharticis*, *Venæ ſectionibus*, præſertim autem *Opiatis* [quæ ad ſubitaneam Symptomatum moleſtorum relevationem, & opinionem vulgi inde captandam profusè perperam exhibent] depreſſis Spiritibus, in Malignas citiſſimè immutant. (Quod ex ſubſultu tendinum, cæteriſque id genus indiciis immediatè conſequentibus liquidiſſimè conſtat:) Aut, ex æquè intempeſtivo ac exuberanti *Cardiacorum*, *Alexipharmacorum*, *Veſicatoriorumque* uſu, Spiritus nimiùm incitant, & has febres in *Inflammatorias* aut *Colliquativas* adigunt. Neque mehercule! Medicus exercitatiſſimus, ſeriùs advocatus (ut ſolet) hos Empyricorum errores facilè corrigere poteſt, quorum pœnas Æger vitæ ſuæ, Medicus verò famæ diſpendio tandem luere ſolet. Ut ut enim, pro ratione Spirituum juſto plus minùs expanſorum, in curatione febris *Synepheos*, præſertim *Spuriæ*, locum nonnunquam habent *Emetica*, *Cathartica*, *Venæ ſectiones*, eæque repetitæ, *Opiata*, *Emulſiones*, *Apozemata*, & *Julapia* attemperantia, vel equidem *Alexipharmaca*, *Salia Volatilia* & *Veſicatoria*, non tamen, niſi ratione ſymptomatum vehementiorum, unde Spiritus multùm & diù laceſſuntur, in naturæ medicantis auxilium ea miniſtrari oportet: Rarò enim aliquid hujuſmodi officiosè committitur & impunè. Methodum autem certam febrifugam & conſtantem, his principiis innitentem inſtituere, ſive hanc, ſive illam, planè delirare eſt; Siquidem methodus febrifuga rationalis univerſa duobus articulis comprehenditur; ſcil. Ut imperetur regimen juſtum, & ut natura variis methodis refocilletur, prout opus fuerit; natura nimirum Medici partes hic ſuſtinet, Medicus ipſe duntaxat ancillatur.

Quod ad *Regimen* ſpectat, Oportet ægrotantem ſtragulis moderatis coopertum, in loco tenebricoſo, in lecto ſeſe continere, inibique ſine amicorum colloquiis, vel Interpellationibus, ſomnum, quantum poteſt, captare? Siquidem ab erecto corporis ſitu, multò magis à motu & exercitiis, à ſtragulis multis ad Sudores eliciendos perperam impoſitis, ab aere luculento, & adſtantium confabulationibus, Spiritus ultrò ſeſe expandere molientes, cum ægrotantis damno evidenti & laceſſentis alicujus Symptomatis ſuperinductione, plus debito irritati facillimè excandeſcunt.

(a) Victus, licet ad Spiritus refocillandos, ſæpiùs miniſtrari oporteat; unoquoque tamen paſtu ſit parcus admodùm, iſque tenuiſſimus, maximè præſente exacerbatione, atque durante febris augmento; Veluti *Avenacea*, *Panatellæ*, *Bordeacea*, *Liquor Poſſeticus Salvia* alteratus, *Cereviſia* tenuis pane toſto calefacta, *Alamaciata*, *Ptiſana*, &c. Ne fermentum ventriculi veneno priùs peſſundatum, ab alimenti copia, & ſarcina Chyli crudi ac indigeſti jam prorsùs obruatur, atque æger nauſea & vomitione inde provenientibus, ſimul ac veneno febrili conflictetur. In ſtatu morbi, præſertim prope Criſin, plurimùm confectis Victus manu liberaliori, atque quadantenus lautior, uti *Juſculum Pulli*, *Vinum* lymphatum, vel ipſum *Merum* concedi poteſt, ne in ultimo agone, Spiritus prius confracti & diſſipati, præ languore, prorſus ſuccumbant. Atque equidem Regimine, à primo morbi inſultu, hoc modo imperato, quamplurimas febres benigniores ab ipſa natura curatas, pluries novi ſine remedio quocunque Officinali; multò magis abſque apparatu medicaminum pompoſo, quod cæteros etiam exercitatos Medicos vix puto latere; Econtrà verò ab officioſa, & repetita profuſa *Venæ ſectione*, à *Julapiis*, *Apozematis*, & *Emulſionibus* refrigerantibus, præſertim verò ab *Emeticis*, *Catharticis* & *Opiatis* perperam exhibitis; febres haſce mitiores jugiter in malignas degeneraſſe, & à *Cardiacis*, *Alexipharmacis* & *Veſicatoriis* officiosè miniſtratis, eas in *Inflammatorias* perpetim mutatas ſæpiùs deprehendi.

(b) Quandoquidem autem à mole fæcū

in

(a) *Regimen alimentum.* (b) *In Alvi Adſtrictione.*

in Inteſtinis congeſta, Calor præternaturalis fruſtra augetur, exploſio ſtatuum præpeditur, & Aegrotans inde moleſta ſenſatione afficitur; In hoc Statu, Alvus adſtricta, ſingulis vel alternis diebus lubricetur *Enemate è Lacte ſaccharato, floribus chamæmeli* alterato. Vel ℔ *Decoct. Emollient.* un. x. *Sacchar. rubr. Mell. Mercurial.* an. un. ij. *M. F. Enema.* Ubi Alvus admodum difficulter ſeſe reddit, inſuper addi poteſt *Electuar. Lenitiv. Diacathol.* vel *caſſiæ* un. ß. & ad Fæcum indurat arum lubricationem *Ol. Oliv. Violac. amygd. d.* un. j. ſi opus fuerit. In alvo laxiori; Ubi fluxus nimius ab *Enemate* inſecuturus ritè metuatur, ſufficit *Glans ex Spec. Hier. picr.* ʒß. *Alumin. Mell.* an. *p æq.* in debitam conſiſtentiam concoctis confectus, qui Oleo prius illitus, hora opportuna, durante ſc. Remiſſione, intruditur. Imò, Vbi ob conſtipationem Alvi inſolitam Fæces neq; Glande intruſo, nec Enemate educi queant, *Decoctum amarum* cum Dup. Sen. extra tempus Paroxyſmi propinare licet.

(*a*) Quoties verò *Fluxus Alvi*, præſertim torminoſus ſupervenerit, qui non rarò à primo Morbi inſultu invadit Symptomaticè, & cum maximo Aegrotantis damno (Spiritibus enim inde multum diſſipatis, & à iuſta expanſione præpeditis, Febris facile in *Malignam* degenerat) neceſſaria eſt abſtinentia omnimoda à *cereviſia, alla cruda* vel Cocta, imò liquore *poſſetico*, vel alio quoque *floribus cereviſiæ* fermentato, qui Colliquativam hanc *Diarrhœam*, præ omnibus aliis, vi peculiari promovere ſolent; Illorum verò loco, ad ſitim moderandam, propinetur *Tinctura Roſarum* Saccharo albiſſ. gratè edulcorat. *Vinum claretum* multa aqua dilutum, præ reliquis autem *Decoctum album*, copioſe, & ad libitum, calidiuſcule verò hauriendum, quod non tantum ad humorum fervorem compeſcendum, & ſitim minuendam grate conducit, at inſuper ex præpotenti *alcali* C. C. C. quo ſaturatur, acorem lymphæ ſtimulante plurimùm obtundit. In eundem uſum *Teſtacea* omnia, & *alcalizata* hic locum ſibi vendicant, quæ (modò larga Doſi & ſæpius repetita exhibeantur) Acrimoniam tundendo, *Opiatis* partes, feliciſſimè ſuſtinent; Atq; Tormina ſimul ac Alvi Fluxum, ſine ullo Ægrotantis damno, ſiſtunt. Quo Arcano palam facto Clariſſ. noſter Collega D. D. *Harris*, pro Candore ſuo, in libro nuper Edito *Morbis Infantum Acutis* facultatem noſtram adauxit. Quo nomine gratias illi iam lubens refero. Ex. gr. ℔ *Ocul. Canc. præparat. pulv. è Chel. Cancror. Simp. Comp. Coral. rub. præparat.* an. ʒi. *Margarit. præparat.* ʒii. *M.* pro Chartulis quatuor quarum unam capiat ſexta quaque hora, unà cùm Cochlear. v. vel vj. Iulap. ſequent. de quo etiam bibat ad libitum, ℔ *Aq. Lact. alexiter.* un. viij. *aq. Cinnam hordeac. Epidem.* an. un. ij. *Syr. Caryoph.* un. iß. *M. F. Iulap.* Sin hoc modo Fluxus Alvi non ſiſtatur, ad ipſa *opiata* confugiendum eſt, quæ tamen parca manu, & repetitis vicibus miniſtrari debent, atque cum *Alexipharmacis* & *alKaliſatis*, quæ ſimul Spirituum expanſionem ſuſtinent ac promovent, commixta; Ne, Spiritibus inde obrutis, Febris jugiter in *Malignam* tranſeat. Ex. gr. ℔ *Theriaca Androm. pulv. è Chel. cancror. Comp.* an. ʒß. *coral. rubr. præparat. gr. xv. Syrup. carioph. q. ſ. M. f.* Bolus, illico ſumendus, & ſexta quaque hora (ſi opus fuerit) repetendus, ſuperbibendo poſt ſingulos Bolos Coch. iv. vel v. Iulapii ſequentis, de quo etiam, ad Spiritus, refocillandos Æger bibat ad libitum ℔ *aq. Meliſſ. ceraſ. nigr.* an. un. iv. *aqu. cinnam. hord. Epidem.* an. ʒii. *Syr. caryoph.* ʒx. *M. f. Iulap.* Nec non (modò Fluxus, præſertim verò Tormina adhuc urgeant) nocturno Bolo addantur *Laudan. Liqu. helm.* gut. 12. vel *Laudan. Lond.* gr. j. Inſuper *Enema* ſequens ad Excretricem Inteſtinorum facultatem ſopiendam, & tonum eorundem confirmandum, ſemel in die injiciatur. ℔ *Lactis chalibeat. flor. Roſ. rub.* Saturat. *vn. vi Diaſcord.* vel *Theriac. androm. vn.* ß. *M.* & Cola pro uſu.

(*b*) Cùm à *crapula*, vel Alimento aliquo δυσπέπτῳ Febris ortum ſuum duxerit, unde

[a] *In fluxu alvi Simptomatico.* [b] *In Vomitione.*

unde Ventriculus Sarcina Chyli crudi, & inani Vomitione jugiter laceſſitur, curatio à leni *Vomitorio* ritè auſpicanda eſt. v. g. Liquore Poſſetico, foliis *Card. Benedict* alterato copiosè ingeſto, addendo inter vomendum (modò opus fuerit) bis, terve ʒß. *Salis Vitrioli*, vel *Oxymel Scillitic.* Cochleare unum vel alterum Solut. in Hauſtu liquoris. Religiosè autem ab *Emeticis*, *Antimonialibus*, cæteriſque ejuſmodi violentioribus abſtinendum eſt, ne in hac Craſi humorum Venena evacuatio nimia inde excitetur, unde Spiritibus jam multum diſſipatis & oppreſſis, Febris in Malignæ ſpeciem facilè degenerare poteſt. Ubi verò Venenum Febrile fit de genere Emeticorum, ſponte petit Ventriculum, atq; copiosè humores Colliquatos inibi excernit, unde adeò enormes & continuatæ Vomitiones Biliosæ & diverſicolores excitantur, Ægrotans vix quicquam vel Medicamenti vel Alimenti retinere valeat; Hanc exacuationem, quippe Symptomaticam, vel minimo quidem *Emetico* promovere haud fas eſt. Verùm potiùs *Aqua pulli*, loco Cereviſiæ copiosè propinanda, Venenatam & laceſſentem humorum acrimoniã demulceri convenit, atque Remediis appropriatis, quæ etiam quadantenus Febrifuga ſint, tonum Ventriculi jam nimium laxatum firmari. Ex. gr. ℞. *Succ. Limon. unc.* vj. *Salis abſynth.* ʒjß. M. Sumat. Cochl. ij. ſingulis horis. Delicatulis Cochl. v. vel vj. Julap. ſequentis ſingulis vel alternis horis propinentur. ℞. *Aqu. Menth. Cinnam. bord.* an. unc. iij. *Aq. Stephan.* unc. j. *Sal. Abnth.* ℈ij. *Syr. Lim.* ʒjß. M. Imò, ad compeſcendum hunc ventriculi Spaſmodicum motum, ut ſaltem aliquam partem *Remediorum* & *Alimentorum* retinere valeat, *Laud. liquid.* gutt. xij. [modò Æger *Laudanum* cum δυσπεπτω toleret, atq; eidem jam aſſueverit] in Hauſtul. Julap convenientis, ſexta quaq; hora concedantur, & Regio ventriculi *Sacculis Aromat.* in Vino Clareto & Aq. ferrata coctis, & calidè expreſſis, bis in die foveatur.

(a) Sin dolor Capitis, *Lumborum* vel *Artuum* prægrandis, à primo Morbi inſultu vel durante ejus augmento, Ægrotantem plus ſolito affligat, & ſimul adſint *Jactatio* Corporis, & *Vigiliæ* pertinaces, & à nimio Spirituum in ſeipſis expandendis niſu, Febris genium Inflammatorium ac Rheumaticum quadantenùs ſortiri videatur; apprimè convenit (modo cætera id ferant) in ipſo exacerbationis articulo, poſt reiectionem *Enematis* (ſi hoc indicetur) *Venam* tundi, atque Sanguinem ad unc. viii. xxii. pro gradu doloris, reliquorumque Symptomatum exigentia, & præſenti Plethorico, vel Athletico, Ægrotantis Statu, è Vena Jugulari, vel Brachii Lateris maximè affecti detrahi, ut hæc Symptomata vehementia diminuantur. Quin etiam, durante Morbi Augmento, Venæ ſectionem in ſubſequentibus Paroxyſmis iterum, iterumque celebrandam eſſe nonnunquam eadem ratio ſuadet; Cautè tamen admodum, atque non ſine urgenti neceſſitate, operatio hæc primum inſtituenda, multò minus iterum repetenda eſt; unde ſcil. non Febris curatio vel Symptomatum ſublatio, ſed eorum tantum ſublevatio exſpectetur; Nullatenus verò in *Stata*, aut propè Morbi *Criſin*, niſi ob Symptomatum exceſſum, Vitalis Indicatio id neceſſarium fecerit, ſiquidem à detractione Sanguinis officioſa, vel debito ſæpius celebrata, præſertim propè Morbi *Criſin*, haud rarò vis Spirituum Elaſtica adeò præpeditur, ut, Febre inde in Malignam tranſeunte, Spiritus in poſterum plane ſuccumbant, neque amplius debito modo ſe expandere valeant, & Ægrotans *Vigiliis*, *Delirlis*, tendinum *Subſultibus*, &c. inde conſequentibus confectus, cum magno Artis noſtræ opprobrio, potius occidi, quàm ſponte mori videatur Eheu! quam ſæpe Medici temeritatis pœnas luit miſellus Æger? Quàm circumſpecte autem, & quanta cum animi applicatione oportet Medicum Sagacem, Pulſu prius diligentiſſime explorato; cæteriſq; Aegrotantis circumſtantiis ſeriò penſitatis, hanc ſui muneris partem obire, cum Aegri vita vel mors ſæpenumero à cuſpide lanceolæ pendeat. Officioſe, temere, atque

(a) *In dolore Capitis & Lumborum inſolito.*

atque ſine evidenti neceſſitate venam iam tundere, ac prodigam purpurei liquoris jacturam facere, quid aliud eſt niſi in Corio humano ludere, atq; lanionis partes agere? Venæ ectione autem hoc modo peracta, æquum eſt, toties quoties ope *Cardiacarum* & *Alexipharmacorum* Elaſticitati juſtæ Spirituum ſuſtentandę proſpicere, ne deliteſcens Venenum, data hac occaſione in eos graſſetur. Tantillum etiam *Opiati* ad demulcendos Spiritus, & ſudores eliciendos adjicere jam licet, modo ſequenti. ℞. *Theriac. Androm. pulv. è Chel. Canc. Comp. vel Goan.* an. ʒß. *Syr. b. Caryoph q. ſ. M. F.* Bolus mollis hora ſomni, poſt Venæ ſectionem, deglutiendus, ſuperbib. Cochl. iv. vel v. Julap. ſequentis de quo bibat Æger ad libitum. ℞ *Aq. Meliſſ. Ceraſ. nig.* an. ʒiv. *Aq. Epidem.* ʒij. *Syrup. Caryoph.* ʒx. M. F. Iulap. Vel ℞ *Aq. Cardu. Bened. Lactis Alexiter.* an. ʒiv. *Cinnam. hord.* ʒiii. *Peon. Comp. Epidem.* an. ʒi. *Margar. præparat.* ʒvi M. F. Iulap. de quo bibat Coch. v. vel vj. [agitata phiala] tertia vel quarta quaque hora.

(*a*) Sin ob genium Veneni admodùm laceſſentem & ſtimulantem, Spiritus adhuc multo robore pollentes, à niſu, quo ſeſe expandere moliuntur, in motus adeò efferos adigantur, ut partes aliquas, præſertim *Præcordia*, reliquaſque vicinas reſpirationi inſervientes, tempore exacerbationis, Spaſmis horrendis torqueri ac convelli contingat: Extremis jam præ atroci dolore frigentibus, atq; Pulſuum vibratione depreſſa, adeò ut vita Ægrotantis in præſens diſcrimen inde adduci videatur. Neceſſe eſt, in ipſa exacerbatione, ad niſum hunc Spirituum inſolitum minuendum, ut non tantùm Vena tundatur, & Sanguis liberali manu, toties quoties, detrahatur, verùm etiam, ut copioſo ac repetito *Laudani* uſu, efferus hic Spirituum motus compeſcatur. Ex. gr. Tertia vel quarta quaque hora (quamdiu opus fuerit) exhibeantur guttæ 15. vel 20 *Laudan. liqu. helmont.* in Hauſtu *Julapii Antiſpaſmodici* ſequentis ℞. *Aq. Flor. Chamœmæl. card. Benedict. Rut.* an. ʒiii. *Aqu. Pæon. Bryon. comp.* an. ʒiß *Tinctur. caſtor.* ʒi. *Spirit. Sal. Armon* ʒß. *Syr. Pæon. comp* ʒiſs. *M. F. Iulap.* Spaſmis autem hoc modo ſolutis; *Bolum Alexipharmacum* antè præſcriptum, vel quodcunque aliud viribus iiſdem præditum, ad expanſionem Spirituum renovandam exhiberi conveniet; ut illi *Opiatis* priùs irretiti liberentur, atq; Paroxyſmus, Sudoribus, more ſolito, finiatur; ne Febris, à nimia & diutina Spirituum depreſſione (exulante omni Remiſſione & Exacerbatione) in continuam & *Malignam* degeneret.

(*b*) Ubi autem (ut in *febre Ardente*) Sanguis œſtro Spirituum flagrantium percitus atq; agitatus, plus juſto ebulliat, & ab Incendio, magis quàm à Veneno Febrili vita Aegrotantis in diſcrimen duci videatur; Præter Venæ ſectionem liberalem & repetitam (quæ jam apprimè neceſſaria eſt) nimius Maſſæ fervor & Ebullitio copioſum ac frequentem uſum *Iulapiorum*, *Apozematum*, *Emulſionum*, cæterorumque id genus attemperantium poſtulat. Ex. gr. ℞ *C. C. C.* ʒi. *Cruſtæ Panis alb.* ʒiii. *Macis* ℈i. *Sacchar. albiſſ* ʒ. iß. Coq. leniter in Aq. F. ℔v. ad ij. Liquorem abſque expreſſione colatum bibat Aeger copioſè ad libitum, Vel, ℞. *Semin Melon. Pepon.* an. ʒii. *Sem. papav. alb.* ʒß. *Amygd d. decorticat.* nvii. His ſenſim affund. in Mortario Marmor. continuò agitando. *aq. hord.* ℔iß. F. *Emulſio* ſ. a. Cui add. *aq. Roſ. rub* ʒii. *Sacchar. alb.* ʒiß. Bibat Aeger Hauſtum prælargum ſubtepidè, ſaltem tertia, vel quarta quaque hora. Vel, ℞. *Rad. Scorzon. hiſpan.* ʒii. *Raſur. CC. Ebor.* an. ʒß. *Fol. Lujul Salv.* an. *Mi. Flor. Borag. Bugloſſi.* an. Mß. *Uvar. Corinthiac.* vn. iii. *Coqu. in aq. f. vel hord. purificat.* q. ſ. ad ℔ii. ſub finem Ebullitionis addendo *Glycyrriz. hiſpan.* vn. ß. Colaturæ album Ovi clarificat. add. *aq. Theriacal. Stil.* vn ii. *Sacchar. Caut. alb.* vn. i ß. Vel *Syr. ex acetoſ. Citr. Violac.* an. vn. iß. M. F. Apozema, Cujus cap. vn. iv. calidiuſcule tertia quaq; hora, vel ſæpiùs ad libitum. Vel ℞. *Aq. Lactis Alexiter.* vn. viii. *Aq. cord. frig. Saxon. cinnam.*

(a) *In Statu Spirituum Exploſivo.* (b) *In Incendio Inſolito.*

nam. hord. an. *vn. iii. Marg. præparat.* ʒii. *Saccbar. alb.* ʒvi. *M. f. Iulap.* de quo bibat Æger Cochl. vij. vel viij. [agitata phiala] ad libitum. Apprimè autem cavendum est, ne nimia attemperatione, Spiritus Elasticitate sua plus justo orbeatur, & ansa præbeatur Venenati Fermenti Augmento, unde Febris Ardens inopinato in *Malignam* mutetur. Quocirca, si ex intumescentia aut Angustiis *hipochondriorum*, vel quocunque ejusmodi criterio, fas sit hunc eventum suspicari, Medicus, vel ad id genus attemperantibus prorsus abstineat, vel eorum usum parciorem imperet, & *Iulapio perlato, aq. Epidem. vn. ii.* adjiciat; Apozemati verò sub finem coctionis, *Vini albi* vel *Rhenan.* ℔ß. Et Emulsioni *aq. cinnam. hord.* vn. iij. vel iv. Iusuper, saltem singulis noctibus, Bolum sequentem ministret. ℞. *Theriac. androm. pulv. Goan.* vel e *chel. cancr. comp.* an. ʒß. *Sirup. carioph.* q. s. M. F. Bolus mollis. Post singulos Bolos superbibat Aeger Cochl. v. vel vj. Iulapii sequentis, atq; etiam inter singulos Apozematis vel Emulsionis Haustus, aut sæpiùs ad libitum. ℞. *aq. Meliss. ceraſor. nigr.* vn. iv. *aq. puleg. Epidem. pæon. comp.* an. vn. *i. Sir. cariop.* unc. iß. M. F. Iulap. Vel ℞. *aq. card. Benedict. ceraſ. nigr.* an. un. 4. *Epidem* vn. ij. *pulv. e chel. cancr. comp. Lap. contra ierv.* an. ʒi. *Saccbar. alb.* ʒvj. M. F. Iulap. Sumat exinde Aeger Cochl. v. vel vi. (agitata phiala) quarta quaque hora.

[*a*] Denique, ubi Elasticitate Spiritum, à vi Veneni, sponte sua vel aliquo accidente aucti, multum depresso; Febris *Synechis* Exacerbationibus & Remissionibus exulare jam incipientibus, recta via tendit ad *Sinochon*, Methodus medendi priùs tradita, pro gradu mutationis, plus minus alteranda est, donec ab usu repetito *alexipharmacorum, alcalium, Salium Violatilium*, cæterorumque, Curationis utramque paginam in *febre Malignu* complentium, Spirituum expansio iterum instauretur, idque incunctanter & sine mora, priusq; Spiritus, vi veneni intensioris, in Statum Sphacelatum (quod quàm citissimè fieri solet) adigantur; Tunc enim de vita Aegrotantis pene conclamatum est: Quippe totum negotium extra Artis nostræ Sphæram ponitur, ubi Linguæ nigrities, tenuitas & pallor Urinæ, mentis vacillatio, subsultus tendinum, cæteraque id genus funesta Symptomata sensim succrescentia hanc Spiritum *ruinam* palam prodant. Atq; ob hanc causam necesse est, ut Medicus sæpius in die Aegrotantem invisat, præsertim Statu Morbi durante, & Crisi; Et unoquoque congressu, summa cum animi applicatione, Pulsum Patientis exploret, varias Urinæ alterationes serio pensitet, atque Adstantium relationes animadvertat, ut Naturæ, pro gradu languoris, tempestive succuri queat: Hoc etenim in casu si usquam alias, *Quod citò fit, bis fit.*

[*b*] Ubi à debilitate Pulsus primùm animadversa, Paroxysmorum protensione & Remissionem incertitudine ac brevitate hanc Febris degenerationem suspicari liceat, ne prorsus corruant Spiritus, *alcalia*, quotquot sunt, in auxilium adsciscantur, quæ licet nullo calore sensibili prædita sunt, ex conflictu tamen, quem cum particulis Acidis in ventriculo & Sanguine delitescentibus, instituunt, effervescentiam in Massa recens excitant, atq; inde Spirituum expansionem resuscitant ac promovent. Ex. gr. Infantibus sæpiùs propinentur Cochl. iij. vel 4. *iulapii* speciebus *alcalisatis* saturati, quod commate priori jam jam descripsimus, adultis autem huiusmodi *Testaceorum alcalium* Dosis largior exhibeatur, & quarta quaque hora repetatur Ex. gr. ℞. *Pulv. e chel. canc. comp. vel pulv. Goan* ʒß. Sumat Aeger e Cochl. Iulap. sequentis superbibendo iv. vel v. repetatque quarta vel sexta quaque hora. ℞. *aqu. Melis. ceraſ. nigr. Scord. com.* an. *vn. iii. aq. Epidem. pæon. com. Sirup. carioph.* an. *vn. iß. confect. al. Kerm. dr. iß.* M. F. Iulap. de quo bibat ad libitum. Vel, ℞. *ocul. cancr. præparat. pulv. e chel. canc. Simp. comp.* an. *dr. i. m. Lap. contraierv. dr. i. coral. rub. præparat.*

ʒß.

[e] *Ubi* Sinechis *incipit degenerare in* Synophon (b) *Vſus alcalium.*

℥ß. *M.* pro Cartulis ſex, quarum unam capiat ſexta, quaque hora, ut priùs, Vel *℔. Coral. rub. præparat.* ℥ii. *Margar. præparat. Spec. Confect. de Hyacinth.* an. ℥ß. *Bezoar. Oriental.* ℥j. M. pro Chartulis ſex vel octo, ſumendis, ut antea. In eundem uſum Iulap. Perlatum admodum gratum more ſequenti parari poteſt, ſumendum ad libitum (agitata phiala) *℔. Aqu. Lact. Alexiter. Cardu. Benedict. Cinnam. Hord.* an. ℥iv. *aqu. Epidem. pæon. Comp.* an. ℥iß. *Margar. præparat.* ℥ii. *Sacch. alb.* vn. j. M. F. Iulap. Poſt ſingulas autem hujuſmodi Doſes, & Julapii Perlati ſingulos Hauſtus, Æger os & fauces gargariſando colluat lotione aliqua abſterſiva, vel ſaltem Cereviſia tenui, ne ex adhæſione Pulveris ad partes oris exſiccatas ſitis augeatur atq; rigiditas ingrata ac moleſta partibus deglutioni inſervientibus ſuperveniat.

[a] *Veſicatoria* plurimùm in hunc uſum conducunt, non ob copiam Lymphæ, quam eliciunt, quæ non magis morboſa mihi videntur, quàm Urina, & reliqua Colluvies ſeroſa inſenſibili tranſpiratione aut Sudoribus per poros cutis continuò excreta; Verùm ideò præfertim quòd partes ſubjectas corrodant ac inflamment, atque conſequenter Diatheſi inflammatoriam Maſſæ humorum impertiant; Spiritus autem ab hac inflammatione artificiali non poſſunt pro tempore expandi & excitari, indeque à vacillationes immunes, robore iis Arte conciliato, conſervari; Adeò ut Deliria, ſubſultus Tendinum, reliquaque ejuſmodi Symptomata antevertantur, & jam ſuborta certiùs curentur, quàm à quocumq; alio Remedio intus vel extra adhibito. Ex quo conſtat magnum hoc Remedium perperam à vulgo Medicorum in quibuſcunque Febribus indiſcriminatim adhiberi, Siquidem in *Inflammatoriis*, niſi cùm ſuapte ſponte in *Malignas* degeneraturæ ſint, aut à profuſis Venæſectionibus præcedentibus, vel aliis evacuationibus, nimiis, vel ſaltem uſu Laudani immodico Spiritus profligati imbelles reddantur; plurimùm nocent, ac flammam flammæ adiiciendo, Curationi officiunt. Neque equidem in quacunq; Febre præter *Synochon*, aut quæ huc tendit, ubi à Veneno, plus quàm ab incendio Ægrotans in diſcrimine verſatur, reapſe indicantur. Neque in *Malignis* ipſis, ad Medici arbitrium, abſque evidenti neceſſitate, fas eſt Ægrum imbellem ac confectum denuò iterum, iterumq; *Epiſpaſticorum* tortura lancinari, verum pro exigentia Naturæ, & Spirituum maiori, vel minori vacillatione, eorum applicatio primum imperanda eſt? Medicus autem eorum numerum definiat & magnitudinem, & durante curſu Morbi, recentem eorum applicationem ad partes quaſcunque opportunas imperet V. G. ad *Nucham*, *Brachia interna*, *Carpos* ſupra *Pulſus*, pone *aures*, ad interna *Femora* & denique (ſi opus fuerit) ad *Tibias* internas: Ad partes autem a corde remotas dependentes, ultimo loco, nec abſque evidenti neceſſitate *Veſicatoria* adhibere ſoleo; ſicuti enim ſerius, ac cum minori certitudine *Epiſpaſtica* in hiſce partibus, a Fonte vitæ longius diſtantibus Scopum ſuum aſſequuntur; Ita, in hiſce Artibus dependentibus, haud rarò, a Venenato humore traiecto Ulcera Maligna ac curatu admodum difficilia, & ipſæ Gangrænæ, præſertim in ſenioribus, oriuntur, unde miſellus Ægrotans, a Medico manumiſſus in Chirurgorum ditionem redigitur, quod gloriam victoriæ Arte Medicinali prius partæ haud parum obſcurat.

(b) In eundem finem etiam *Suppedanea* acria & ſtimulantia, vel Spiritus foventia ac inſtaurantia, ad plantas Pedum, vel ad Pedes totos applicari convenit: Si quidem hæc cutis pars præ cæteris, quippe ex filamentis nervorum extremis conflata, ſenſu pollet egregio, undè ad fibrillas cæterarum Membranarum & Muſculorum; & exinde ad Nervos ipſos & tandē continuitate quadam, ad Cerebrum, per hos poros cutaneos particulæ activæ facillimè traiiciuntur Unde Spiritus vel ſtimulati, vel confortati ſeſe recolligunt, ac demum expandunt indeq; cum maiori robore ac conſtantia in partes ſubiectas influunt. Horum formulas mihi

fami-

[a] *Uſus Veſicatoriorum.* [b] *Uſus Suppedaneorum, &c.*

familiares hic loci adjicere, non pigebit. Ex. gr. Ubi à *Comatoso* affectu Spiritus ad gradum ἐκρώσεος seu stuporis deprimuntur, sequentia applicentur ad plantas pedum ℔. *Empl. Cephalic.* cum *dup. Euphorb. Galban.* an. q. s. *Ol. Succin.* gut. iv. M. & extend. super alutam. F. Suppedanea duo. Vel ℔. *Fol. Rut. M. ij. Rad. recent. Tormentill. Aristoloch. Long.* an. un. ß. *Fæcul. Bryon. alb.* un. iß. *Sapon. nig.* q. s. M. Contund. in mortario, F. Cataplasma, quo toti pedes calidè involvantur, Renovando applicationem semel vel bis in die quoties scilicet ob calorem partis, massa sicceſcere incipiat. Vel ℔. *Fol. Rut. Chelidon. maj.* an. *Mi. Rad. Raphan. rustican. Contus.* ʒii. *Carmen. Hælec. muriat. num. i. Sapon. nig. Salis Marin.* an. ʒß. *N. M. sciss. num. i. Ferment. acris Acet. acerrim.* an. q. s. Contund. & F. Cataplasma, quo toti pedes calidè involvantur.

Ubi verò, non tam extincti & dissipati quàm agitati & explosivi fuerint Spiritus ab œstro, quo perciti ac irritati sunt, tota Machina Spasmis variis hinc inde versatilibus torquetur ac convellitur (quod Phreneticis post pertinaces Vigilias accidere solet) *Partes Animalium vivas*, cæteraque ejusmodi, quæ, particulares congeneres ac amicas potiùs quàm acuentes aut irritantes communicando, Spiritus demulcere atque refocillare queant, ad hasce partes applicanda censeo; Ex quibus somnum placidum Febricitantibus, post pertinaces *Vigilias*, *Spasmos*, ac *Deliria*, sæpissimè conciliatum memini. Vegetus aut *Pullorum Columbinorum* calor Medicos suasit, quasi uno consensu, eos in hunc finem cæteris omnibus Animalibus anteponere: Ut ut sint, qui explicatione *Offæ bovinæ* calefactæ, aceto irroratæ, ac demum Pulvere N. M. aspersæ eundem scopum sese sæpiùs assecutos esse gloriantur. Procul omni dubio, Cerebrum etiam vires Anodinas *Pulm. Anginor. Vervecinorum* vel *Vitulinorum* recens extractorum, atque, dum adhuc naturaliter calent, ad plantas pedum applicatorum multo faciliùs ac commodius, atque cum minore frigoris inde exterius suscipiendi periculo percipit, quàm cum ex jussu Medicorum solenni (quod fieri solet) Capiti cum molestia priùs raso imponantur, Omnia autem hujusmodi sive *Animalia*, sive *Animalium partes*, sicuti naturali calore prædita ritè applicanda sunt, ita sæpiùs scilicet sexta vel octava quaque hora renovari postulant, ne ex putrefactione contracta Spiritib. animalibus potiùs officiant quàm prosint: Ex. g. Applicentur ad plantas pedum *Pulli* duo *Columbini* recens mactati, atque per Spinam sciss: amputatis priùs Capite, Alis & Cruribus, & renoventur octava quaque hora: Vel toti pedes involvantur calidis *Pulmonibus Agni*, *Vituli*, aut *Vervecis* recens mactati. Renovando applicationem saltem ter in die. Vel *Offæ* duæ *Bovina* recentes ad plantas pedum alligentur bis terve in die. *Cataplasma* etiam è *Theriaca Londinensi* recens confecta, cum pannis lineis duplicatis totis pedibus superinductum in hunc usum, scilicet ad irritatos Spiritus compescendos atque demulcendos plurimùm confert.

(*a*) Sin ab hisce tam intùs quàm exterius exhibitis, Spirituum expansio, atq; justæ in Massa flammæ exsuscitatio illicò non promoveatur, nè, à Spiritibus penitus obrutis, atque inde quadam ἐκρώσει affectis, *Febris Continua* prorsùs in *Malignam*, *Pestilentialem* ac funestam mutetur, Spirituum Elasticitatem, Alimentis & Medicamentis generoso calore imbutis *Alexipharmacis* dictis, veluti *Vino* generoso, *Sp. CC. Diascord. Mithridat. Theriac. Androm.* cæterisque id genus confectionibus, quin & ipsa radice *Serpentariæ Virginianæ*, excitare necesse est. Si quidem jam non ab incendio, sed à Veneno Deleterio & Sphacelante metuendum est. Ex. gr. Concedatur Ægro sæpius jusculum *Pulli*, vel *Vinum* generosum, idque *Sp. CC.* saturatum: *Alexipharmaca* etiam bis, ter quaterve in die cum *Alcalisatis* commista. Ex. gr. ℔. *Theriac. Androm. Mithridat. vel Diascord.* ʒß ♃. *pulv. è Chel. Cancr. comp.* ʒß. *Syrup. Cariop.* q. s. M. F. Bolus mollis hora somni unà cum Hausto Julapii exhibendus, atque manè sequenti re-

(*a*) *Usus Alexipharmacorum.*

petendus, vel sæpius scilicet octava vel sexta quaque hora, prout gradus Veneni Deleterius atque Sphacelatio Spirituum requirat. Imò ubi linguæ nigrities, subsultus Tendinum, cæteraque præsentis Spirituum Sphacelationis indicia exigant gr. viij. x. xij. *Radic. Serpentar. Virgin.* Vel *Electuarii de Ovo* ad singulos Bolos adjiciantur; Quo pacto plurimos ab ipsius Orci faucibus liberatos memini. Phlogosi autem Spirituum ac Sanguinis hoc ritu restituta, ne incendium funestum inde suboriatur, prorsus ab hujusmodi calidiorum usu tempestivè abstinere, oportet, aut saltem, eorum Dosis minuenda, & sæpiùs repetenda est, De hisce autem sermonem fusiùs habituri sumus in quinta *Puræologiæ* nostrę Exercitatione ubi ex professo de Febribus Continuis *Malignis* & *Pestilentialibus* tractaturi sumus.

(a) Crisi Febris peracta (quocunq; modo eam fieri contigerit) *Opiata*, ut ut sub initium, in Statu, instante Crisi, noxia esse, atque lethifera (ubi nullum vehemens Symptoma eorum usum indicat sæpissimè observantur, quia Elasticitatem Spirituum justam ac debitam præpediunt haud rarò admodum proficua sunt, & Symptomata quædam molesta, *Tussim* scilicet, *Diarrhœam* & *Vigilias* immodicas compescunt. Imò, ab Haustu sequenti, vel alio congenere Ægrotantem priùs hisce Symptomatis plurimùm lacessitum atque confectum, spatio unius noctis, mirum in modum restitutum sæpiùs novi. ℞. *Aq. paralys. Cerasor. nigr.* an. ℥iß. *Aq. Epidem.* ℥iii. *Syrup. de Mecon.* ℥vi. ℥i. M. F. Haustus.

(b) Denique, quam primùm à perfecta Febris indicatione vires Ægrotantis & Appetitus resarciri incipiant, apprimè necessarium est saburram humorum effœtorum in præcedentibus agonibus colliquatorum, atq; jam in habitu Corporis delitescentium *Cathartici*s repetitis, primùm lenioribus, deinde acrioribus per alvum subducere atque deturbare, ne ex iis diutius in habitu Corporis congestis *Cachexia* suboriatur, quæ *Tumores Artuum œdematosos*, *Scorbuticam* vel *hypochondriacam* affectionem, aut graviorem aliquem Morbum *Chronicum* (ut sæpè fit) producat, & misellus Æger novo morbo multatus, potiùs quàm sanatus videatur. Formulas mihi usu comprobatas adjicere lubet. ℞. *Fol. Senn. Optim.* ℥ij. *Cassiæ cum cannis confract.* ℥ß. ℥vi. *Semin. Anis. Coriand. præparat. Cinnam. acut.* an. ℈ß. Coq: in *Aqu. hord.* ℥xii. ad viij. In Colatura dissolve *Mannæ* selectissimæ ℥j. vel ℥iß. M. F. Potio larga, cujus partem dimidiam sumat Æger calidiusculè primo manè, reliquam post bihorium [si opus fuerit] Vel ℞. *pil. Ruff. Alæphang. Aloes rosat. è Succin. Stomach. cum Gum.* ℈i. vel ℥ß. *Ol. Cinnam. Chym.* Opobalsam. gut. iij. M. F. Pil. iij. vel iv. deaurand. quas sumat hora somni, mane sequenti bibendo ℔iv. *Aqu. Mineral. purgant.* ad ℔iij. coct. & ℔ß Lactis alterat. Vel ℞. *Decoct. Sennæ Geron.* ℥. iij. *Aqu. Cinnam. hord.* ℥ß. *Syrup. Cichorcum Rheo* ℥j. vel *Mann* ℥vi. vel *Syrup. de Rhamno Solutiv.* ℥ß. Potio. Vel ℞. *Mass. pil. fœtid. Coch. min.* an. ℥ß. *Salis Tartar.* gr. iv. *Ol. Juniper. Chym.* gut. iij. M. F. Pil. viij. deaurand. quas sumat manè, vel à primo somno cum Regimine. Vel pro delicatulis, ℞. *Elect. Lenitiv.* ℥ß. ℥vj. *pulv. Semin. Anis.* ℈ß. *opobals.* gut. iv. M. f. Bolus post mediam noctem exhibendus. Vel ℞. *Cassiæ recens è Cannis extract.* ℥ß. ℥vi. *cum Saccbar. aspers.* F. Bolus hora somni deglutiendus cum libera custodia. Junioribus Pulverem sequentem è Cochleari Lactis frigidi manè ministrandum, repetendumque semel in hebdomada cum regimine præs. scribere soleo, quippe minori cum tædio in os ingerendum, atque *Vermibus* [quibus Iuniores obnoxii sunt) inimicum, unde post unam vel alteram Vomitionem, copiose atque cum ὑγροῖς dejicere solent. ℞. *Calomelan. Diagrid. Sulphurat.* an. gr. v. vj. vij. viij. vel ℈ß. pro ætate, M. f. Pulvis.

Quod spectat ad reliqua Symptomata particularia, & magis accidentalia, quæ varia hujus Morbi Stadia comitantur, quo pacto scilicet tractanda sunt *puretologiæ* nostræ Exercitationem 6. ubi

(a) *Vsus Alexipharmacorum.* (b) *Cathartcorum usus sub finem* Synecheos.

ubi de Febrium Symptomatis πυρῶν locuturi sumus, consulat Lector.

Ego (liceat sine jactatione profiteri) huic methodo rationali innixus, Naturæ hasce Febres Medicanti sæpiùs felicitèr ancillatus sum, atque penes me habeo plures hujusmodi Curationem Historias quas consultò omitto; Siquidem probè novi quas moras hæc methodus trahat, atque quam dolorifico Remediorum Apparatu miselli Ægrotantes inde affligantur, ac quanto cum discrimine ac incertitudine optatum eventum tandem assequantur; dum ex relationibus Adstantium incertis Medicorum perspicacissimorum observationes ut plurimùm pendeant, atque ex incertis istis conjecturis Methodus medendi primùm instituatur, dein varió mutetur. His addatur lubrica hujusce Febris indoles, quæ suapte vel à minima Medici hallucinatione, aut quocunque alio accidente unde Venenum augeatur, præsertim propè Crisin, in Continuam malignam facillimè degenerat, quam in pristinum suum Statum & magis Benignum redigere (si non primo instanti obviam eatur) difficillimum est; Atque insuper, inadvertentia & hallucinatio; cui Medici Exercitatissime, quippe multis negotiis impliciti, in ratiocinando sæpenumero obnoxii sunt, unde vitæ Ægrotantium ab eorum calamo dependeant. Hisce (inquam) pensitatis, à multis retroactis annis; scilicet à quo tempore vires *Corticis* in hisce Febribus, æque ac in *Intermittentibus* debellandis certas atque efficaces multo usu comprobaveram; in hisce Febribus tàm *Spuriis* quàm *Genuinis* curandis totus me contuli ad usum Polychrestæ hujus Antidoti Et cum felicissimo successu, in omni ætate, sexu ac temperamento citò ac tutò, si non jucundè eas profliga vi. Idque facio Conscientiæ causa, ut ut ex præconcepta opinione reclament Amici, Medici, vel ipsi Ægrotantes? Quorsum enim Natura dubio Marte Venenum aggrediatur, cùm penes nos sit Herculea Antidotus divinitus concessa, quæ vires ejus certò & citò frangere valet; Quantùm dedecet probum ac misericordem Medicum adeò in Corio humano ludere, Artem nostram in Lanienam, frequenti *Epispasticorum* applicatione, convertere, atque tandem Ægrotantis vitam incertis atque hallucinantibus ratiocinationibus nostris temerè subjicere, quarum pœnas Æger, Crumenæ ac vitæ suæ dispendio, non rarò luit;

CAPUT VIII.

Methodus Exhibendi Corticem in Curatione Febris Continentis.

QUocircà, missa hac (*a*) Methodo rationali curandi Febrem *Synechi*, quippe longa ac incerta; totus me demùm accingam ad modum exhibendi Corticis, in *Synechei* tam Spuria quam Legitima describendum, Unde eorum Causa, Venenatum scilicet Fermentum, modo magis compendiario tuto, ac citò subigitur & deletur. Quid opus autem multa verborum ambage, ubi Natura potiùs quàm Arte res agenda sit? Siquidem *Antidotus* quocunque modo exhibita (modo exhibeatur) Venenum delet. Fomite autem subtracto, flamma sponte extinguitur, atque, ubi Natura à Venenato Fermento non amplius lacessitur, lubens quiescit. Ut totam tem paucis absolvam *Simplex* hujusce Febris Natura nihil præter *Antidotum*, forma Ægrotanti gratissima exhibendum exigit, idque partitis vicibus, & durante Remissione, ut Spirituum regimini magis subjecta vires suas felicius exerceat. Indeque quotiescunque ad Ægrum advocor, simplici *Synechei* laborantem; ubi nullum insolitum Symptoma, aut gradum Symptomatis solito vehementiorem deprehendo, si Exacerbationes & Remissiones statis ac certis periodis sese invicem excipiant, absque pomposo quocunque apparatu præcedenti; Prima scilicet Remissione opportuna, illicò *Cortic. Peru. Elect.* in *Subtilissimum Alcohol.* reduct. ℥j. ℥ß. ℈j. ℈ß. pro ætate, forma *Boli Haustus pilul.* vel *Electuarii* (prout Æger ipse maluerit) exhibendum

ju

(a) *Methodus Exhibendi Corticem in* Synechei *simplici.*

jubeo, repetendumque tertia vel quarta quaque hora extra paroxysmum, dum opus fuerit. Atque, ut verum dicam, vix aut ne vix unquam memini Simplicem Synechis post ℥j. Antidoti exhibitam, superstitem fuisse.

(a) Sin adventus meus differatur donec *Febris* hæc in Augmento suo adeò provehatur, in Continuam jam vergat, & Paroxysmi ferè aboliti fuerint, aut saltem periodos suas ac stata, ob *Cephalalgiam*, *Lassitudinem ulcerosum*, aut Symptoma aliquod aliud solito vehementius subortum penè amiserit; post *Clysteris* (modò indicetur) rejectionem Sanguinis ℥vj. viij. x. pro ætate, & Symptomatum exigentia in ipsa exacerbatione; illicò è brachio detrahendas jubeo, atque deinde *Bolum Theriacalem* cum haustu *Julapii Cordialis* exhibendum; qui ad libitum repetatur, ad Spirituum Elasticitatem resuscitandam. Et *Vesicatorium* unum vel alterum, in eundem finem, ad *Nucham* vel *Carpos* internos applicandū præscribo: unde, uti *Vigiliarum*, *Dolorum*, cæterorumq; Symptomatum diminutionem ferè semper subsecutam esse memini, ita insuper inducias Remissionum magis certas ac protensas observavi, qua occasione data, Antidotum incunctanter exhibeo, atque ejus repetitionem, durantibus Remissionibus, jugiter renovandam cum felici successu & optato eventu impero. Quid? quod spatio bidui, scilicet quàm primùm *Corticis* ℥vj. vel ℥j. Æger devoraverit, ἀπυρετὸς fere semper inveni.

[b] Sin, ob præsentem *Vomitionem*, hæc gustui parùm grata *Antidotus* ægrè admodum in ventriculo retineatur; necesse est vel lene *Vomitorium* dare, vel *Tonum Ventriculi* corroborare, atque Fermenti ejus acrimoniam priùs demulcere mixtura è *Sale Absinthii* & succo *Limonum*, cochleatim & sæpiùs exhibita? *Aqua Pulli* in locum potus ordinarii substituta, atque *Bolo Cardiaco* & Opiato hora somni ministrato, cæterisque Cap. ij. Exercitationis 4. memorandis; ubi ex professo de hoc Symptomate tractaturi sumus. Quinetiam singulis vel alternis *Corticis* dosibus tantillum *Laudani* adjici convenit, ut, Spasmis Ventriculi inde sopitis, *Antidotus* eò facilius retineri queat, donec, à Veneno inde subacto, Massa Sanguinis, & consequenter Ventriculi fermentum in pristinum statum reducantur, & hoc Sympt. unà cum Febre demetur.

(c) Ubi verò, ob solitam Alvi lubricitatem aut præsentem ejus fluxum nimium, ritè metuendum sit, ne *Antidotus* stimulanti amaritie præditam Symptoma in *Diarrhœam* vel *Dysenteriam* exaltet, & non tantùm Remedium ipsum festinanter unà cum fæcibus deturbatum, Intestina, re infecta, præterlabatur; verùm etiam, Ægro Torminibus, cæterisque diris Symptomatis provenientibus confecto, Febris in *Malignam* transeat, apprimè necesse est *Bolo Theriacali* priùs exhibito, & *Electuario* adstringente & *Opiato* partitis vicibus sæpiùs ministrato, *Enemate* adstringente injecto, *Decocto* albo in locum potus ordinarii substituto, cæterisque in Cap. iij. Exercitationis iv. memorandis lævitatem Intestinorum quadantenus corrigere, atque liquoris glandulosi ex iis excreti acrimoniam demulcere; & singulis vel alternis Pulveris dosibus *Laudan. Liq.* gutt. x. xij. xiv. pro ætate & Symptomatis vehementia addere; donec Veneno usu Antidoti deleto, Colliquatio inde sensim minuatur, & *Diarrhœa* unà cum Febre jam demùm auferatur.

(d) Sin à veneno [pro genio suo peculiari] Ventriculum simul ac intestina petente, ac utrobique humores Colliquatos eliminante, *Vomitiones* enormes *Dejectiones* cum *Spasmis* horrendis, velut in *Cholera* morbo, adsint; Oportet priùs humorum Venenatorum in Ventriculum & intestina excretorum acrimoniam copia *Aquæ Pulli* in locum potùs ordinarii substitutæ, atque *nemate* ex eadem demulceri; Ventriculum *Fotu aromatico* externè calidè refocillari; atque *Spasmos* & evacuationes per os & anum frænari *Laudan. Liqu.* gutt. xij. xiv. xvj. singulis vel alternis horis in haustu Julapii accomo-

[a] *In* Synechis *Spuria*. [b] *In Vomitione*. [c] *fluxu Alvi*.
[d] *In fuxu Alvi cum Vomitione conjuncto*.

modati propinatis; dein verò singulis vel alterni dosibus *Antidoti* [prout opus fuerit) tantillum *Laudani* adjici. Quo pacto, Veneno febrili deleto, molesta hæc Symptomata, quæ ad hoc fermento solummodò dependent, unà cum Febre illicò corruunt, neque in posterum [modò repetitione Antidoti post debita intervalla præcaverentur] recrudescunt. Verùm de hoc Simptomate fusiùs atque ex professo tractabimus Cap. Quinto Exercitationis quartæ.

(*a*] Quoties, ob Spirituum in suis expansionibus excandescentiam ac nisum, hæcce Febris propè accedat ad Inflammatoriam (sive Inflammatio more *Rheumatismi* versatilis totam machinam hinc inde afficiat,) sive *Pleuram*, *Pulmones*, *Oculos*, *Mammas*, *Testes*, sive aliam aliquam partem singularem prę cęteris occupet, atque itidem paroxysmis & Remissionibus, certis aut incertis periodis recurrentibus insigniatur, in primo Curationis limine, *Doloris* atque *Inflammationis* allevatio *Enematis*, *Venæ sectionibus* in ipsa Exacerbatione celebratis, & (si opus fuerit) repetitis, atque reliquo apparatu (quem pro textura partis affectæ singulari, admodum varium esse ex tertia Exercitatione abunde constabit) molienda est. In prima autem Remissione, atque deinceps, quoties subsequens Remissio occasionem ministret opportunam, Antidotus partitis vicibus jugiter ingerenda est, usquedum à Veneno inde subacto Lucta finiatur, & Febris diro hoc satellitio stipata sponte exulet. Venenum autem, quod Spiritus in motus adeò efferos adigit, rariùs ab una uncia *Corticis* deletur, sæpiùs duplam, triplam quantitatem superat, & Medicus, priusquam scopum hoc modo assequi queat, detractione sanguinis iterum, iterumque celebrata, orgasmum Spirituum compescere, nonnunquam etiam *Cathartica* Lenia, & ipsa *Emetica* in justis Intervallis adsciscere cogitur.

(*b*) Ubi autem Venenum, præter modum, Spiritus velut œstro lacessit, & in statum Spasmodicum adigit, undè *Ventriculus*, *Intestina*, *pręcordia*, *Diaphragma*, cęteręque partes Cordi vicinæ adeò lancinantur & torquentur, ut Æger, vacillante jam pulsu, atque extremis frigescentibus, suffocatus vel lipothymicus periturus illicò videatur. (Quæ Symptomata *Synechi* spuriam haud rarò comitantur, & speciem *Colicæ Ventriculi* vel *Intestinorum*, aut Spasmi Thoracis & Abdominis universalem simulant) necesse est primo loco, efferum hunc Spirituum orgasmum tollere, atque nisum minuere, *Enematis*, detractione Sanguinis copiosa [ut ut Symptomata contra indicare videantur) atque liberali & repetito *Laudani* usu. Cujus dosin duplo vel triplo majorem, ob præsentem Spirituum ὁρμὴν, Æger cum εὐφορίᾳ tolerat, quàm quocunq; alio tempore ubi Spiritus quiescentes Elasticitate duntaxat naturali pollent. Turbis autem hoc modo sedatis, Æger, quamprimùm scil. urinam rubedine tinctam reddat, atque Cutis sudoribus scateat, & induciæ à morbo impetratæ sint, incunctanter *Corticem Peruviano* partitis vicibus jugiter deglutiat: Cujus singulis dosibus tantillum Laudani, ad revirescentiam Spasmorum antevertendam, adjicere fas est. A cujus Venenato fomite deleto, Febris exulat, nec in posterum repullulatio dirorum horum Symptomatum amplius expectanda est.

(*c*) Ubi denique Venenum, sponte vel ex quocunque accidente, adeò, increvit, ut spiritibus jam succumbentibus, Febris degenerare in *Continuam* incipiat, & æquali tenore pergat, ut ut æquum sit in usu Antidoti ad vires Veneni frangendas [quantum Ægrotans ferre potest) pertinaciter persistere, Expansionem tamen Spirituum, ut vires *Corticis* inde depromantur & regantur, omnimodè Medicum promovere oportet *Epispasticorum* frequentium applicatione, commixtione *Alcalium* cum singulis *Corticis* dosibus, vel exhibitione *Boli Alexipharmaci*, atque ejusdem repetitione bis, ter, quaterve in die, prout gradus Veneni & Spirituum obrutorum imbecillitas Indicet.

Verum quandoquidem multifaria hæc res

(a) *In statu Sanguinis Inflammatorio*. (b) *In statu Spirituum vere Spasmodico*.
[c] *Ubi* Synechis *incipit in* Synechon *transire*.

res melius Exemplis quàm Regulis dilucidatur, non pigebit, è multis, præsertim nuperrimis, quas mihi observasse contigit, paucas Historias huc spectantes seligere, easque graphicè depingere, tam ad Theoriæ nostræ ex rei ipsius natura petitæ illustrationem promovendam, quàm ad divinæ Antidoti multiplicem efficaciam confirmandam.

CAPUT IX.

De proteiformi Febris Continentis Genio.

HISTORIA I.

UXor [a] *Domini Blacberby* Iurisperiti habitantis in vico *Chacery Lane* anno 1690. à Suppressione Purgationum menstruarum ad unam, vel alteram Lunam perseverante, Nausea & proclivitate ad Vomendum per quinq; ferè hebdomadas continuata molestè afficiebatur. Symptomata pro signis ingravidationis habita primum æquo animo ferebat Ægra, donec tandem adeò prævalerent, uti Appetitus inde prorsus prosterneretur, ac, Digestione eversa, Ventriculus ingesta quæcunque illico rejicerit; unde, prægritudine, & languore, lecto perpetuò affixa jacebat debilis & insomnis, funestum eventum in dies expectans. Ego ab eximio Collega D. D. *Goodall* consultus, licet, primo adventu, nullum præsentis Febris Criterium in Urina, Lingua, Pulsu vel Temperie deprehendere potuerim, è diuturnitate tamen & vehementia Symptomatum [quod sæpius in aliis Me observasse memineram] multum suspicabar Venenatum Febrile Fermentum delitescens Vomitioni & ægritudini ansam dedisse, atque, prægradu Veneni intenso, Spiritus haud jam satis ad Paroxismos legitimos formandos sese expandere potuisse, Indeque, irritum duxi adversus Symptomata militare, neglecta Causa, Veneno sc. Febrili, quo à propria sua *antidoto* subacto, & Sanguine in statum pristinum redacto, Fermentum Ventriculi non posset non naturalem suum vigore sponte recuperare, & Symptomata urgentia illicò sublevari, Ideoque, ut *Cortex peruvianus* in hunc usum jugiter ministraretur suasi. Quandoquidem, autem Ægra, & Ægræ Amici ab usu hujus Pharmaci plane abhorrerent, impresentiarum, frequenti exhibitione *Salis absynthii* & succi *Limon* Symptomata saltem diminuere tentavimus, atque *aqua pulli* in locum potus orpinarii substituta venenatam acrimoniam humoris bilioši, flavi & æruginosi, in ventriculum excreti demulcere; *Sacculis* etiam aromaticis ac *Emplastris* tonum Stomachi confortare, & tandem frequenti exhibitione *antimonii Diaphoretici* (utpote Febrifugi non ingrati) Febrile fermentum aggressi sumus. Ab horum usu, humor vomitione rejectus, post tres vel quatuor dies non fuit æruginosus & flavus, ut prius; Spiritum etiam, ut ex Temperie, Pulsu, Lingua & Tincturæ Urinæ liquidum erat, liberius sese expandere cœperunt. Quocirca, lene Vomitorium è *Sale Vitrioli* & *Oximelite Scillitico* ministravimus, quod cum εὐφορίᾳ ferebatur; dein ℥vij. Sanguinis è Brachio detrahendas jussimus. At Ægra, *Nauseæ*, *Vomitiones*, cæterorumque Symptomatum vehementia, ac diuturnitate pressa, ac tandem à *Corticis* usu non amplius abhorrente, Eum præscripsimus; singulis dosibus *Laudanum*, Cui jam diu assueverat, addendo, ad præsentem Vomitionem sistendam, unde spatio tridui, ex Orci faucibus planè eripiebatur; à Febre vomitione, Ægritudine, cæterisque horrendis Symptomatis prorsus liberata, Appetitu, & Digestione jam demum integrà restitutis.

HISTORIA II.

Advocatus Ego à Cl. Collega D. D. *Carolo Goodall*, invisi Mulierem *Diarrhœa torminosa* in puerperio excruciatam ac penè jam confectam. A colore Urinæ lateritio, atq; à periodica *Diarrhœæ* & *Torminum* exacerbatione, illicò deprehendi Fermentum Febris Intermittentis,

[a] *Febris Remittens sub larva Vomitionis & Nauseæ diu latitans.*

tentis, aut saltem Remittentis, delitescens, hisce Symptomatis ansam dedisse, ut ut Indicia Febris præsentis neque Ægræ ipsi, neque Adstantibus priùs perspecta fuissent. Ideóque misella Mulier; debito licet Diætæ regimine instituto, Dosibus *Laudani* largis & frequenter repetitis, habetata languebat, ac Madore frigido perfundebatur, mente vacillabat Pulsu interea tremulè ac inordinatè vibrato, tanquam in articulo Mortis. Statis attamen periodis, scil. tempore Paroxysmorum, *Torminibus*, ac *Fluxu Alvi* immani torquebatur, quasi nihil *Opii* sumpsisset, vel debitum regimen adhibitum non fuisset: Aut cum Alvus arte supprimeretur, prægrandem Ventriculi ægritudinem, usque ad deliquium perpetiebatur, Siquidem *Opiatorum Adstrigentium*, cæterorumq; *Diarrhœa torminosæ* debitorum usu, priùs contra Symptomata urgentia pugnatum fuerat; Morbo ipso autem, seu causa morbi integra adhuc intùs manente; quamprimùm Fermentum virosum, sequenti Paroxysmo, recens invigorari contingeret, non potuerunt *Fluxus* Alvi, *tormina*, cæteraque congenera Symptomata non inde illicò revirescere; Natura per glandulas, & glanduloſam Intestinorum Tunicam iterum satagente virulentiæ reliquias excernere, &, ut sarcinam molestam, more solito deponere. Quam ob causam seriò monui, uti durante Paroxysmi remissione *Haustus* cum drachma una *pulv. Chin. Chinæ* tertia quaque hora, Ægræ propinaretur, addendo singulis Haustibus, gutt. *Laudani liq. Helmont.* ad compescendum Fluxum Alvi præsentem, uti simul Symptomati urgenti, & ejus causæ, Fermento sc. febrili, in singulis Paroxysmis humores colliquatos versùs Intestina detrudenti prospiceretur. Indeq; spatio 30. horarum quamprimùm sc. uncia una *Corticis* hoc modo exhibita fuit, Ægra, venenato Fermento subacto, à Paroxysmis *Febrilibus*, *Diarrhœa*, *Torminibus*, reliquisque ejusmodi Symptomatis periculosissimis integrè liberabatur, atq; adhuc Superstes ac sana manet; licet, duplò majori *Laudani* Dosi priùs præscripta *Fluxus* Alvi & *Tormina* cohiberi non potuerint.

HISTORIA III.

(a) *Domina Brent*, habitans in burgo dicto *Southwark* Vidua sanè proba ac elegans, ante sexennium, tempore Autumnali, anno ætatis suæ tricesimo, *Diarrhœa* torminosa corripiebatur adeò atroci ac contumaci, ut Fluxu enormi & Spasmis excruciantibus confecta, lecto perpetuò affigeretur, non obstante debito regimine ac multo apparatu Medicaminum *Adstringentium* & *Opiatorum* à Clariss. Collega, D. D. *Blackmore* imperato, & ad plures dies continuato: Quippe contra Symptomata adhuc duntaxat militatum erat, Fomite veneno febrili, qui Colliquationem effecerat, interea non animadverso, quandoquidem à Languore ex hoc Symptomate vehementi orto nullum Caloris febrilis evidens indicium sese prodebat. Ego autem nono, vel decimo morbi die advocatus; ex Pulsu celeri, Urina rubra ac contentis saturata, & Linguæ ariditate morbum primarium illicò deprehendi, *Febrem* sc. de genere *Remittentium*, quippe Fluxus Alvi inde ortus quotidiè stata diei hora manifestò exacerbabatur, indeq; Consilium dedi, ut Bolus è *Cortice Peruv.* quarta quaque hora, durante Remissione, jugiter exhiberetur, unà cum gutt. x. vel xij. *Laudani Liquid.* ut inde *Diarrhœæ*, ac Fermento febrili Colliquationis causæ, simul prospiceretur: Siquidem ab Opiatis & *Adstringentibus* solis Fluxus enormis non ita cohiberi poterat, quin proxima Exacerbatione recrudesceret, cum causa ejus integra intùs maneret, atque licet multo *Laudano* Spiritus sopiti fuissent, & Fluxus fortè fortuito cohibitus, *Febre* tamen intacta, atq; intùs delitescente, Ægra diris Symptomatis in genere nervoso male multata nihilo seciùs peritura esset. Consensit Collega Cl. & Ægra, licet Remedii saporem molestè ferens; mandata nostra strenuè executa est cum optato eventu. Spatio enim Bidui, postquam ʒvj. *Cortialis* in-

(a) *Altera ejusmodi*

in varias Formulas redactas devoraſſet, multo melius ſe ſe habuit, ut ut *Aphthæ* albæ & benignæ ſub finem Febris ſuppullularent; Tertio autem die, à Febre, diriſque ejuſdem Symptomatis, ac *Aphthis* nuper ſubortis penitus liberata revaluit.

HISTORIA IV.

(a) Servus Domini *Hall*, Pharmacopolæ in vico dicto *Pie-corner*, die 4 Maii, 1691. (Die præcedenti levem Brachii contuſionem perpeſſus, qua ratione, eodem ipſo die, Sanguinem è Brachio oppoſito detrahendum curaverat) horis tribus à prandio, Spaſmo Inteſtinorum immaniter dolorifico, & Vomitione bilis diverſicoloris enormi corripiebatur: Quam ob cauſam mane ſequenti ſcil. die 5. Maii ℥ß. *Extract. Rud.* cum gr. j. *Laudan. Lond.* commixt. ſibi ipſi miniſtravit; unde *Diarrhœa* torminoſa, & levi *Singultu* à ſpaſmis ventriculi ſuborto tota nocte ſequenti continuò laceſſebatur. Die 6. Collega Cl. D. D. *Torleſſe* accerſebatur, qui *Enema* ſequens illicò injicendum imperabat, ℞. *Decoct. Commun.* ℥x. *Electuar. lenitiv.* ℥j. *è Baccis Laur.* ℥ß. *Ol. Chamæm. Chin.* ℥ij. M. Deinde unc. v. *Julap.* ſequentis tertia quaque hora propinavit. ℞. *Aqu. Hord.* ℔iij. *Confect. Fracaſtor.* unc. ß. Coq. ad ℔ij. Colaturæ add. *Aqu. Epidem.* ℥iij. *Sirup. Viol. è Succo Lujul.* an. unc. j. *Sp. Sulph. per. Campan.* ℈j. M. F. Julap. Bolum etiam ſequentem cum Hauſtu hora ſomni exhibendum curavit. ℞. *Diaſcord.* ℈j. *Mithridat.* ℈ß. *Pulv. è Chel. Canc. Comp.* ℈j. *Sirup. Carioph.* q. ſ. M. F. Bolus. ℞. *Aqu. Ceraſ nig.* unc. ij. *Epidem.* unc. j. *Sirup. Cardiac.* unc. ß. M. F. Hauſtus. Ad moleſti Singultus levamen cochl. ij. vel iij. Julap. ſequentis, pro re nata miniſtranda juſſit. ℞. *Julap. Roſat.* unc. vj. *Sacch. Cant.* unc. j. *Aqu. Cardu.* ℥vj. *Moſch. Odorat.* gr. iß. *Amb. griſ.* gr. j. *Croc. in nodulo ligat.* ℈ß. M. F. Julap. A quo Singultus quadantenùs allevabatur; Diarrhœa verò immaniter ſæviebat, cum horribis totius Abdominis Spaſmis ſociata; quocirca uſus ante præſcriptorum repetebatur; atque totum Abdomen, ad excruciantes Spaſmos ſublevandos, Fotu ſequenti calidè fovebatur: ℞. *Flor. Chamæm.* Miij. Coq. in *Spir. Vin. tenuior.* q. ſ. pro uſu. Abhinc materia (ut loqui amant) in Cerebrum tranſlata, illico Æger delirabat, indèque, de dolore Abdominis non conquerebatur; ſub veſperam ejuſdem diei, ad revulſionem materiæ à Cerebro, *Veſicatoria* ad Brachia & Tibias interna, atque *Emplaſtr. Cephalic.* ad plantas pedum applicabantur, & Bolus cum Hauſtu Iulap. ſequentis exhibebatur, ℞. *Rad. Serpentar. Virg.* ℈ß. *Pulv. è Chel. Cancr. Comp.* ℈j. *Sirup. Carioph.* q. ſ. M. F. Bolus. ℞. *Aqu. Cord. Saxon.* unc. x. *Epidem.* unc. iij. *Sirup. Rub. Idæ.* unc. iß. M. Cap. Cochl. vij. ad libitum Maii 8. & 9. cùm *Singultus*, *Vomitio*, *Diarrhœa*, & *Tormina* plurimùm pravalerent; *Aqu. Dullagenſ.* pro potu ordinario ſubſtituebatur; atq; *Alcalium Teſtaceorum* Doſis larga 6. quaque Hora miniſtrabatur, unde die decimo (quo Ego primùm ad vocatus ſum) ut ut Diarrhœa ſublata videretur, & Alvus potiùs conſtricta, Mens tamen adhuc vacillabat, Tormina Ventriculum & Inteſtina diriſſimè excruciabant, atque vomitio porracei nigricantiſque liquoris immanis, & fere perpetua aderat cum Nauſea, ægritudine & ſingultu conjuncta. Ubi autem, ex Pulſus celeritate, colore Urinæ lateritio, ſiti urgenti, & Linguæ mucoſitate Febrem deprehenderam, quàm periodicæ Symptomatum Remiſſiones & Exacerbationes comitabantur; conjiciebam Vomitionem, Diarrhœam, reliquaque omnia Symptomata ab eodem venenato fomite ortum duxiſſe, atque in caſsùm Remediis neſcio quibus tractanda eſſe, dum venenum Febrile, hujus ſtragis fons & origo, integrum & intactum intùs remaneret. Indèque (annuente Cl. Collega) poſt Enematis rejectione, ob præſentem Alvi conſtipationem, & *Aquam Pulli* ob Vomitionem enormem in locum potus ordinarii ſubſtitutum, Bolus *ex Pulv. Cort. Peru. Subtiliſſ.* ℈ij. *Ocul.*

(a) Synechis *Choleram morbum ſimulans, cum Spaſmis Thoracis & Abdominis.*

Cancr. pp. ℈i. & Syrup. Carioph. q. ſ. præſcribebatur illicò exhibendus, & jugiter repetendus quarta quaque hora; addendo gutt. xii. *Laud. Lib. Helmont.* unicuique Bolo, tam ad Spaſmos cohibendos, quàm ut, inde ſopito ventriculi motu, Pharmacum eo melius retineri poſſet. Die undecimo, poſtquam Æger ℥vi. *chin. chin.* hoc modo devoraſſet, Symptomata omnia ſedabantur, Urina minùs rubebat, & hypoſtaſin laudabilem deponebat, ideòque cùm Æger Bolorum tædio affectus eſſet, reliquam Curationem perficiendam duxi. Apozemate in fine *tractatus* noſtri de *cortice peruv.* deſcripto: addendo Hauſtui nocturno gutt. xii. *Laud. Liquid* vel ſæpius, ſi opus foret: Undè idque brevi, integre revaluit.

HISTORIA V.

[*a*) Domina *Maſchall*, Juvencula, Pathematis animi gravioribus diu exagitata, ubi jam fere ad quatuor hebdomadas, à fermento venenato deliteſcente multa, diraque Symptomata ſeſe invicem excipientia, *Diarrhœam* ſcil. torminoſam, *Lienteriam*, *Vomitionem*, *Colicam*, &c. perpeſſa eſſet; & quanquam ab eximio Doctore *VVatſon*, *Laudanum*, *Cathartica*, & reliqua remedia à Symptomatis indicata, miniſtrata eſſent, non tàm ſanitatem recuperavit, quam unum morbum pro alio commutavit, & continuata ægrotatione confecta eſt. Ego nuperrimè accerſitus ut cum Collega de Aegra conſulerem; Eam inveni in lecto decumbentem, perpetua Suffocatione, ac vomitione. Spaſmis ventriculi & Inteſtinorum horrendis, & fere Animi deliquium inducentibus laborantem, ac frigido madore ubique perfuſam; Arteriæ inſuper debiliter admodùm & inordinatè ſeſe vibrabant, Urina verò intenſe rubeſcebat & ſedimentũ lateritium præcipitabat, Cum verò ab Adſtantibus certiores facti ſumus omnia hæc dira Symptomata quotidie, licet non hora certa ac ſtata, exacerbari, Venenum febrile ab indole fermenti Remittentium febrium non diverſam huic funeſtorum Symptomatum catervæ anſam dediſſe non dubitavi. Ideoque primùm *Enemate* injecto, *Aqua pulli* in locum Potus ordinarii ſubſtituta, frequenti *Julapii Hiſterici* exhibitione, & Doſi *Laudan.* ſæpius repetita, mitigationem Symptomatum auſpicatò tentavimus, qua potiti, incunctanter juſſimus ℥i. *corticis* cum *Laud.* liq. gutt xii. in formam *Boli* vel Hauſtus redactam, exhibendam, atque deinde tertia vel quarta hora repetendam: Unciam unam *corticis*, utpote effœti atque omni amaritie privati in caſſum devoravit Ægra; quam primum autem vegeta ac vera *china china*, ad Spatium bidui, miniſtrata eſſet; A febre ac diris omnibus Symptomatis liberata revaluit, ut ut recidivationem aliqualem iterùm, iterùmque perpeteretur, quam, repetito *corticis* uſu, facile ſuperavit, atque jam ſuperſtes optima valetudine utitur.

HISTORIA VI.

[*b*) Uxor Domini *Thornburg.* Mercatoris in *Tovver hill*, ad triduum à puerperio *ſpaſmis doloriſicis* laborans, atque Vomitionibus adeò atrocibus correpta, ut languore ac Suffocatione inde confecta, illicò Animam eflatura videretur; Me nuperrimè accerſivit, ut cum Medico ſuo ordinario Collega meo Cl. DD. *Tyſon* conſulerem de ſublevandis diris hiſce Symptomatis; quæ, ut ut ab uſu *Enematum*, *Opiatorum*, cæterorumque à Collega Eruditiſſimo excogitatorum ſæpius obtunderentur, quotidie tamen recrudeſcebant, & in dies magis magiſque ſæviebant, ſpeſque revaleſcentiæ vix jam affulgebat. Cùm primum advenerim, Ægra ſummè languebat, madore frigido perfundebatur, Strangulatione fere ſuffocabatur, totum Abdomen diris doloribus torquebatur; pulſus erat admodum debilis & celer. Urina verò multum tincta & Contentis ſaturata; Unde febrile fermentum, à fermento *Synechon* non diverſum, ſub horum Symptomatum larva diliteſcere, jure merito, ſuſpicabar. Quorcica, poſtquam ab *Enematis* repetitis, atque Doſi *Laud.*

(a) Synechis *ſub larva Lienteriæ, Colicæ, Vomitionis diliteſcens.*
(b) Synechis *colicam ſimulans in puerpera.*

Laudani sæpiùs exhibita, Symptomata inducias dederant, Haustum febrifugum è ℥i. *cortic. peruv.* & gutt. xii. *Laud. Liqu.* confect. statim propinandum præscripsimus, repetendumque quarta quaque hora, ad revirescentiam Symptomat. antevertendam, Die sequenti Exacerbatio, sed levior, invadebat, ℥. tamen quamprimum scil. ℥j. vel ℥ß. Corticis in varias formas redactas Ægra devorasset, sine cujuscunque alterius Remedii ope prorsùs revaluit, atque eadem Antidoto, post debita intervalla, repetita, à recrudescentia febris ac Symptomatum immunis in posterum manebat.

HISTORIA VII.

(*a*) Collega Cl. DD. *Carolus Goodall*, Maii 28 1691. accersebatur ad invisendam filiam Domini *Thatcher* in vico dicto *Pater-noster Row*, circiter annos xvj. natam, juvenculam sanè elegantem, ac optimo ingenio præditam; indeque Parentibus & Amicis jure optimo charissimam, quæ jam ad triduum Febre *Synochi* laborans, & à Pharmacopola curata, demùm Vomitione immani, Doloribus, cæterisque id genus diris Symptomatis adeo opprimebatur, Temperies non amplius indicia febris proderet. Jussit Clarissi. Medicus *Vesicatorium* amplum ad *Nuchan* statim esse applicandum, & gr. xv *pulv. è Chel. Canc. Comp.* è Chochel. Julap. Seq. exhibenda. ℔. *Aqu. Meliss.* ℥vi. *Protheriacal.* unc. ii. *Syrup. Caryoph.* unc. ii. M. F. Julap. de quo bibat ad libitum *corticis* etiam *peruv.* ℥i. in formam Boli cum Syrup. *caryoph.* redact. sexta quaq; hora deglutiendam præscripsit. Maii verò 29. ob enormem vomitionem gr. xv. *Salis Absynth.* 6. quaque hora è Cochel. j. *succ. limon.* exhibenda curavit; & singulis vicibus Haustulum sequentem propinavit. ℔. *Decoct. cortic. peru.* ℥ß. *Aqu. Protheriac. Gentian. comp.* an. ℥ii. *Syrup. Caryoph* ℥ß. M. Maii 30. Duo *Vesicatoria* ad interiora Brachia recens applicabantur, *decoctum* album in locum potus ordinarii substituebatur, de *Julap. Perlat.* ad libitum bibebat, *Haustus* febrifugos interea non omisit. Maii 30. sub vesperam, Ego in Consilium vocatus, miseram Ægram Vomitione perpetua penè confectam, atque præ Spasmis Thoracis, & Abdominis horrendis, perpetuò ejulantem, & tantum non suffocatam deprehendi; febre jam, præ vehementia Symptomatum, vix ullo modo sese prodente: Urina etenim (ut in Spasmis vehentioribus solet) erat clara ac tenuis, Temperies mitis; Extrema frigescebant, Pulsus erat celer, sed debilis & inordinatus. Ad *spasmos* hosce universales conpescendos *Emeticum* ex *Vin. benedict.* ℥ii. *Oxymel. Scyllit.* ℥ß. *aqu. Card. Benedict.* ℥i. illico exhibendum præscripsimus, liquorem *possetic.* copiosè bibendum inter vomendum, &; (si opus foret) *Vitriol. alb. depurat.* ℥ß. in Haustui Liquoris Possetici solvendam; Finita vomitione *Aquam Pulli* tenuissimam pro potu ordinario propinavimus; Bolum sequentem hora somni Ægra deglutiebat cum Cochl. iij. vel iv. *Julap.* sequentis, de quo etiam bibat ad libitum. ℔. *Theriac. Androm.* ℥ß. *pulv. è Chel. Cancr. Comp. Syrup. ℈i. caryoph.* q. s. M. F. Bolus. ℔ *Aqu. Lact. Meliss.* an. ℥. iii. *Cinnam hord. Epid* an. ℥ß. *Sal. Absinth.* gr. xii. *Syrup. è Succo Limon.* ℥x. M. F. Julap. Vomebat Ægra cum ἐυφορίᾳ, atque à bolo deglutito somnum placidè capessebat, à Vomitione & spasmis dolorificis liberata: Jam demùm verò, in hac Symptomatum Remissione, Urinam redebat rubram ac in colorem lateritium præcipitatam, unde fermentum febrile subesse ritè suspicabar, atque inde repullulationem Symptomatum brevi futuram. Ne autem, ingratum Remedium (quale est *cortex*) præpoperè ingerendo; Vomitioni & Spasmis quæ Symptomata sponte recursura expectavimus) ansam dedisse videremur, præscripsimus solummodò pulverem sequentem ad acrimoniam Humoris Ventriculi obtundendam, tertia quaque hora repetendum, cum haustu *Apozematis* sequentis ℔. *Margarit.* pp. *Ocul. Cancr.* pp. *Pulv. è Chel. Cancr. Symp.*

(*a*) Synechis *Vomitionem immanem, Spasmos Thoracis ac Abdominis, & Strangulationem simulans.*

an. ℈j. *Coral. rub.* pp. ℈ß. M. ℔. *Decoct. Alb.* ℔ *ij. Aqua Cinnamom. bord.* ℥*ii. Ceraſ. nigr.* ℥*iv. Sacch. alb.* ℥iß. M. Tertia hora pomeridiana, ſine evidenti cauſa ultrò recrudeſcebant Symptomata, & plus quàm die præcedenti ſæviebant; Miſella virgo ſuffocata penè ac delira, præ atroci dolore totam Thoracis & Abdominis regionem occupante, ſeſe iactabat & perpetuò vociferabatur, Nec intereà Vomitio ceſſabat: Indeque ſub veſperam, ad dira hæc Symptomata minuenda, Sanguinis ℥vii. è brachio, poſt reiectionem Enematis ſequentis, detrahendas iuſſimus: ℔ *Decoct commun. pro Clyſt.* vn. x. Elect. *è Bacc. Laur.* un. *m. ol. cham. chym. cum fructulo Sacch. Solut.* ℈*i. Sacch. rubr. Mell. Mercurial.* an. vn. i. m. M. *f.* Enema. Exacerbatione Symptomatum hoc pacto diminuta; Hauſtum febrifugum ſequentem ſtatim exhibuimus, qui repetabatur quarta quaque hora, Primo hauſtui addebantur *Laudan. liq.* gutt. xii. Imperavimus etiam ut perſiſteret in uſu *Decocti* albi, *Julap. perlat.* & *Aq. pulli*. Hauſtus Febrifugus erat hujuſmodi, ℔. *Aqu. cardu.* vn. ij. *Aqu. pæon. comp. Syrup. carioph.* an. ℥ii. *pulv. peruv.* ℥i. M. Iunii 1. mane, (& delirio id poſtulante) *Veſicatoria* duo ad internas tibias applicabantur, & *Suppedanea* ex *Emplaſtr. cephalic. cum dup. Euphorbio* & *Galban. is Acet. Solut. & colat.* an. p. æq. ad plantas pedum; Et gutt. xij *Sp.* CC. in unoquoque hauſtu potus præſcripti exhibebantur; & hauſtus Febrifugi 4. quaque hora non omittebantur. Exacerbatione verò Spaſmorum, reliquorumque Symptomatum poſt meridiem, iterum, hora ſolita, recrudeſcente, ſub veſperam præſcripſimus Hauſtum ſequentem anodynum ad Symptomata allevanda, illico propinandum, repetendumque poſt tres horas, ſi dolores adhuc urgerent, ſi verò ſedarentur, Hauſtus febrifugos repetendos iuſſimus. Hanſtus anodynus erat hujuſmodi R. *Aqu. ceraſ. nigr. Rut. Meliſſ. pæon. comp.* an. ℥. *m. Sp. caſtor.* gutt. xij. *Laud. liqu.* xii. *Syrup. pæon. comp.* ℥iii. Totos pedes *cataplaſmatis e Rad. Brion. alb. fol. Rut. Sapon. nig.* & *Sale marin.* confectis, calidè involvendos curavimus; & nodulum ex *Aſſ. fetid. Galban. caſtor. inciſ.* confectum, & aceto irroratum, de collo ſuſpendendum. Iunii 2. Urina reddebatur laudabilis, atq; Symptomata plurimùm levabantur; nihilominus Hauſtum anodynum in promptu eſſe iuſſimus, ſi paroxyſmus recrudeſcere, poſt meridiem miniſtrandam, & extra paroxyſmos, Hauſtus febrifugos repetendos. Exacerbationem autem hora ſolita recrudeſcente, ut ut minùs iam ſævierint Symptomata, ſub veſperam *Pulv. e chel. cancr. comp. Lap. Goan.* an. gr. xii. *Salis prunel. Sacch. alb.* an. gr. iv. Sumpſit, *e chel.* primo Hauſtus anodyni, reliquum ſuperbibendo; Unde ſudore univerſali & calido perfuſa, placidè dormiit, à Symptomatis prorſus liberata, quæ die ſequenti ut priùs non revireſcebant; Urina verò & appetitu integrè reſtitutis, quaſi ex Orci faucibus erepta convaluit. Quocirca poſtquam *Emulſionem* ex *Sem. papav. Melon.* an. ℥i. m. *Sem. papav. alb.* ℥ii. *amigd.* num. v. *aqu. bord. lib.* i. *m. aqu. Ros. rub.* vn. ii. & *Sacch. alb. vn. i.* confect. præſcripſiſſemus, repetitionem *corticis* ter, quaterve in die ad triduum; Ei valediximus: atque equidem huc uſque optima valetudine utitur, niſi quòd, ex præmatura Aeris mutatione ante uſum *corticis*, poſt v. vel vi. dies, levem priorum Symptomatum revireſcentiam paſſa eſt, quæ exhibitione *Decoct. amari purg.* repetitione *corticis* facilè profligabatur.

HISTORIA VIII.

(a) Dominus *Stradwick*, Vir quadragenarius, Amicus meus integerrimus habitans ad inſigne *Alvearis* in Platea dicta *Snow-Hill*, qui à multis retrò annis, ab Hepatis imbecilitate ſæpius in *Icterum* inciderat, & cuius Pulmones Phlegmate viſcido quadantenus infarciebantur, ſub ini-

(a) Synechis *pleuritidem ſimulans*.

initium *Iunii* 1691. à Frigore susceptо Febricitare incipiens, dolore Lateris admodum molestе corripiebatur, & post multa in cassum à mulierculis intus & extra ad dolorem allevandum tentata, sese *Pleuritide* laborare credens, Iunii tertio vn. xij. vel xiv. Sanguinis è cubito detrahendas jussit, dein hora somni, Haustum *Aquæ Theriacalis seu Epidemiæ* à seipso peculiari modo paratę (quam semper laudibus tanquam *panacæam* efferre solebat) deglutiit. Ubi autem Iunii 4. omnia in pejus ruerent, me accersebat. Adveniens, eum inveni vestitum, obambulantem in area domus, nullo Regimine Diætæ circumscriptum. Temperies mitis, Pulsus verò erat celer & Urina intensè rubra atque in colorem lateritium præcipitata; Noctes cum multa jactatione insomnes transigebat, de dolore Lateris, Infarctione Pulmonum, & Tussi duntaxat conquerebatur; Sed *Synechеis Spuria*, cujus Exacerbationes nocte recrudescebant (ut mihi ex Pulsu, & Vrina liquido constabat) erat primarius Morbus, atque *Tussis*, *Infarctio pulmonum* insolita, ac *Dolor* Lateris ab hac *Synechei* Rheumatica ortum suum trahebant, Ideòque, ne Febris, ob Regiminis neglectum, & celebratam Venę sectionem Spiritibus pessundatis, in *Malignam* degeneraret, Bolum ex *Theriac. Androm.* & *pulv. Gascon.* an. *dr. m.* cofect. hora somni exhibendum jussi, cum Cochl. iv. vel v. Iulapii sequentis, quod etiam libitum propinabatur. *R. Aq. Meliss. Cerasi. nigr.* an. vn. iv. *Epidem.* vn. ii. *Syrup. Carjoph. dr. x.* M. F. Iulap. Mane sequenti *dr. i. pulv. peruv.* in formam Haustus redactam præscripsi, quarta quaque hora repetendam? Vt Phlegma viscidum facilius è Bronchiis educeretur; *Linctum* Cochleatim ad libitum sumpsit. Die sequenti, Iulli scilicet 5. à domo sua rusticana in Urbem reversus, Collegam meum Eximium D. D. *Carolum Goodall*, ut mecum consuleret advocavit, qui, tota re audita, lubentissime mecum consentiebat *Cortice peruv.* fomitem Venenatum esse delendum, nec dubitavimus, quin Symptomata inde orta vel sponte exularent vel Remediis propriis facilè cederent; Quandoquidem verò Ægrum iam Haustum tędebat, idem Remedium in Pilulas redactum exhibuimus modo sequenti. *R. Cortic. peruv. Subtiliss. pulverisat.* vn. *m. Mucilag. Gum. Tragac.* q. s. M. F. Pilul. xlviii. deaurand. quarum xii. Cap. quarta quaq; hora, superbibendo Haustum Iulap. priùs præscripti. Ad diluendum Phlegma Bronchiis impactum, *apozema* sequens copiosè propinandum iussimus. *R. aq. hord. cum Rad. Scorz. Hispan.* vn. i. m. *incoct. lib. ii. Syrup. Violac. e Succo Limon.* an. vn. i. m. F. M. Apozema. Ad linguam emolliendam Cochl. unum *Mucilag.* sequenti sæpiùs in ore tenendum jussimus 2*l. Mucilag. Sem. Cydon. Aqua plantag Extract.* ℥vi. *Diamor.* ℥vj. M. Iunii 6. urgente adhuc dolore Lateris, Sanguinis vn. ix. illico è Brachio detrahebantur, atque *pulveris peruv.* in formam Boli cum *Antipleuriticis* sequentibus redactus ministrabantur hora una à Venæsectione, & repetebatur media nocte; & crastino mane, cum *Haustu Julapii* priùs præscript 2*l. Cortic. peruv. Elect. Subtiliss. pulverisat.* ℈ii. *Mandib. Lucii. Dent. aprug.* an. gr. v. *Syr. Capil. Vener.* q. s. M. F. Bolus mollis. Sumpsit etiam Cochl. ix. Apozematis sequentis calidè quarta quaque hora. 2*l. Decoct. pectoral. depurat.* ℔i. *Syrup. è v. Rad. e Succo citri, capil. Ven.* an. vn. ß. M. F. Apozema. *Pannus VValicus* insuper, oleo *palmatis* calidè imbutus ad partes dolente applicabatur, & illinitiones bis in die repetebantur. Iunii 7. Urinam copiosam cum laudabili hypostasi innante reddidit, atque meliùs sese habuit, cunctis Symptomatis jam sensim decrescentibus: Ideòque Bolum ex ℥. *m. pulv. peruv.* ad Venenum penitus tollendum, quarta quaque hora ministrandum jussimus, & Coch. unum vel alterum *Syrup.* sequentium in Haustu largo Aquæ *Hordei* solutorum sæpiùs propinandum, ad expectorationem facilitandam; 2*l. Syrup. e Succ. citr. Violac. e* v. *Rad.* an. ℥ij. M. Præscripsimus insuper Cochl. iv. vel v. *Iulap.* sequentis in Languoribus ad libitum sumenda. 2*l. Aqu. Meliss. Lactis Alexiter* an. vn. iv.

Cin-

Cinnam. Hord. Epidem. an. unc. ß. *Marg. præparat.* ʒiſs. *Sacchar. alb.* M. Junii 8. reverſi, cùm jam Ægrum Bolorum, Pilularum, & Hauſtuum tæderet; Apozematis Febrifugi ſequentis Cochl. ix. quarta quaque hora ad Curationem complendam præſcripſimus 2ſ. *Cortic. Peruv. Elect.* unc. ij. *Aqu. F.* unc. xij. Coq. lento igne ad dimid. & Cola, repetendo Colaturam & coctionem ad omnimodam amaritudinis è Cortice extractionem; Colaturis ſimul mixtis & depuratis add. *Syrup. Capil. Ven.* è v. *Rad.* an. unc. iß. M. F. Apozema. Sub noctis ingreſſum, ab Hauſtu Aquæ ſuæ Theriacalis Epoto, Sudoribus Univerſalibus, quaſi Criticis perfuſus Æger placidè dormiit, Mane ſequenti eum invenimus ἀπυρετόν, à Dolore, Tuſſi, Dyſpnœa, reliquiſque Symptomatis planè liberatum, Urina etiam integrè reſtituebatur, Quocirca ei valediximus, poſtquam in mandatis ei dederamus, ut unc. j. *Corticis*, Prophylaxeos gratia, poſt intervallum octo dierum, in formam ſibi gratiſſimam redactam repeteret. A quo tempore, hucùſque optima valetudine utitur.

HISTORIA IX.

(a) Dominus *Gumley*, habitans ad Inſigne *Cærulei Apri* in platea dicta *Le-Strand*, Vir quinquagenarius, quadantenus obeſus, atque à multis retroactis annis nonnihil Aſthmaticus, ubi jam per quatriduum ad minimum: dolore Punctorio, regionem inter Hypochondrium & Ileum ſiniſtrum ſitam occupante laborarat, noſtram opem petiit, hoc demoleſto Symptomate unicè querens. Alvum dejecit, & Urinam more ſolito reddidit, neque Nauſea; vel Vomitione afficiebatur, adeò ut *Colicam* vel *Nephriticam* affectionem jure meritò ſuſpicari non licuerit; Neque Tuſſis, aut Dyſpnœa aliqua inſolita *Pleuritidis*, vel *Peripneumoniæ* ſuſpicionem fecerit: Neque equidem locus affectus huic conjecturæ minimè favebat: Cùm autem inſpexiſſem Urinam multa rubedine tinctam, & turbatam. Febrile & Venenatum Fermentum Spiritibus implicitum [ut ut neque Pulſu, Siti, Lingua vel Temperie Febrem præſentem dignoſcere potuerim] Cauſam doloris eſſe deprehendi dum Spiritus in hiſce partibus præſertim depreſſi, niſu quodam ſeſe expandere moliebantur. Cui ſententiæ Exacerbatio doloris Periodica multum favebat. Indeque, ad efferum & Spaſmodicum Spirituum motum compeſcendum unc. xij. Sanguinis è cubito lateris dolentis die Decembris 26. 1689. illicò detrahendas juſſi; atque nocte ſequenti Bolum è *Theriac. Androm.* & *Pulv.* è *Chel. Canc. comp.* an. ʒß. confectum, deglutiendum & *Julapium* Cardiacum temperatum ad libitum bibendum, quo vis Spirituum Elaſtica poſt Venæ ſectionem promoveretur. Die triceſimo reverſus, inveni Ægrum Sudore perfuſum, placidè dormientem, neque Spaſmis adeo horrendis ut priùs lancinatum, Urina verò adhuc erat planè Febrilis. Quocirca *Linctum* pectoralem ex *Ol. Amyg. d. rec. Syrup. ex Eryſim.* an. unc. iß. *Sacchar. Cryſtal. alb.* ʒiß. confectum, ad expectorationem Phlegmatis Bronchiis impacti promovendam præſcripſi Cochleatim ſumendum, atque *Hauſtum* Febrifugum cum ℈i. *Pulveris Peruv.* quarta quaque hora repetendum ad ſeptimam uſque vicem, ut inde ſeminium Venenatum Febrile Spaſmos jam efficiens, & deteriora Symptomata denuncians penitus deleretur. Die Januarii primo quandoquidem Æger tædio Hauſtuum afficiebatur, ʒiij. Pulveris Febrifug. juſſi in *Pilulas* 36. redigendas, atque earum ſex, quarta quaque hora, exhibendas. Januarii ſecundo Ægrum præter ſpem inveni evidenter Febricitantem, inter ſomniandum variis Phantaſmatis territum, atque penè delirantem. Indèque, ubi de viribus *Corticis* hoc in caſu dubitare inceperam; Methodum tritam Antiquorum experiri, vacillante licet animo, decreveram;

Bo-

(a) *Febris Remittens ſub larva Doloris lateralis* [*reapſe Rheumatici*] *diu latitans.*

Bolum Diaphoreticum, unà cum Hauſtu Cordiali, hora ſomni repetendum duxi, atque Alvum ʒiv. *Decocti Amari cum dup. Sennæ*, ſequenti, leniter ſubducendam. Die tertio, purgatione jam finita, *Bolum Theriacalem* iterum repetendum juſſi, atque *Emplaſtrum Cephalicum cum Dup. Euphorb.* ad plantas Pedum applicandum. Cùm autem die quarto, ac leni evacuatione Dolorem lateris nullo modo relevatum; Cerebrum autem vacillans, Tendines ſubſultu tremulo affectos, Pulſumque debilem, aliaque triumphatæ Naturæ, & Malignitatis indicia obſervaſſem; multum dolebat Mihi Animus de Amico meo integerrimo ac antiquo, qui jam fere per viginti annos opem Medicam à Me unicè petere ſolebat. Quum autem mente ſeriò revolviſſem Methodum, cui in poſterum inſiſtere Me oportet; tandem, accerſito Pharmacopœo, juſſi, ut potionem aliquam corticis Peruv. qui in Officina tunc proſtabat venalis, mihi adferet. Quo facto, calidè perſpexi Ægrum non ex errore Medici, verùm Pharmacopolæ inſcitia vel incuria, periculo verſari. Bone Deus! qualem Corticem? Spurium, effœtum, inſipidum, carioſum; Vix inter tres libras totidem uncias veri & vegeti Corticis inveni. Utcunque amicitiæ ergò, ex hoc ſterquilinio tres vel quatuor uncias ſelectiſſimi *corticis*, guſtando: ac oculis explorando, ſeparavi, atque in manus Pharmacopolæ, in uſum Ægrotantis, ad Apozemata & Bolos conficiendos [quippe Hauſtus & Pilulas jam faſtidiebat] tradidi, ita ut ʒß. in formam Boli cum *Sirup. Cariophil.* redacta, una cum unc. iv. Apozematis febrifugi, quarta quaque hora miniſtraretur. *Veſicatoria* etiam duo ad expanſionem Spirituum promovendam, atque genus Nervoſum inde ſublevandum, ad internos Carpos applicanda curavi, Qua ratione, die ſexto in vado res erat; febris & Dolor fere exulabant, Appetitus & Urina integre reſtituebatur: Ideoque, ad reliquias Febrilis Fermenti eradicandas, duntaxat ʒii *corticis* in *Bolos* vel Pilulas redigendas (ſicut Ægrotanti maximè placeret) una cum ℔i. Apozematis ʒiß. *corticis* ſaturati, partitis vicibus, ſpatio bidui exhibendas juſſi; & ad firmandas partes dolore Spaſmodico jam diu labefactatas *Pannum Wallicum* imbutum *Linimento* ex *Ung. dialth. Ol. Lil. alb.* & *Laterit.* confecto, applicandum, atque ſepius renovandum. Die nono ubi Ægrum integra valetudine utentem obſervaſſem, ei valedixi poſtquam uſum unciæ unius *pulveris* ad recrudeſcentiam Fermenti Febrilis antevertendam die 14. & 27. repetendum præſcripſiſſem, atque etiam eum ſeriò monuiſſem, uti primo inſtanti Me certiorem faceret, ſi forte unquam poſthac hiſce Symptomatis ſeſe correptum ſentiret. Hujus ſani conſilii memor, die 19. Martii ſequentis, ſcilicet quamprimum, à frigore ſuſcepto ſeſe ejuſmodi Spaſmo dolorifico in latere correptum ſenſiſſet; Me advocavit; Quandoquidem vero nullum Symptoma febrile ex Pulſu, Temperie, Lingua, vel quidem Urina ipſa (quam claram & copioſam reddidit) deprehendere potui, ad efferum & dolorificum Spirituum motum compeſcendum ʒx. Sanguinis illico è brachio detrahendas juſſi, & Julapium Cordiale, ad Spiritus refocillandos pro libitu ſumendum præſcripſi; Atque inſuper *Pil. Stomach. cum Gum.* ʒß. *cum Laudan. Lond. gr* iß. comixtam, hora ſomni deglutiendam; & ℔iv. *Aquar. mineral.* purgantium ad ℔iij. Coct. & ℔ß. Lactis alterat. manè ſequenti bibendas. Die autem vigeſimo, ubi obſervaſem Urinam multa rubedine tinctam (ut ut nulla alia indicia febris præſentis apparuerim] fermentum prius venenatum recrudeſcens huic dolori anſam dediſſe jure merito ſuſpicatus ſum: Ideòque; uti ſeminium hoc Morbi deleretur, Hauſtum febrifugum cum ʒi. *Corticis ſelectiſ.* illico propinandum, & quarta quaque hora ad octavam vicem repetendum juſſi. Unde die 22. ſine quoque alio Remedio miniſtrato, à dolore penitus liberatus convaluit, Urina, & Appetitu jam iterum integre reſtitutis: Neque quidem hac vice, vel in lecto decumbebat, aut quocunque aliud febris ſenſibile Symptoma patiebatur

batur: Præscripsi autem ad prophylaxin *Potionem Amaram* die 30. Martii propinandam, & 15. Aprilis repetendam, atque post unamquamque purgationem ʒi. corticis partitis vicibus sumendam. Die Junii undecimo 1690. [postquam ad triduum sese eodem dolore spasmodico affectum senserat] iterum Me advocavit; ubi jam ex Urina & Pulsu indicia Febris præsentis sese prodierunt; Venæ-sectione autem, & applicatione *Linimenti* cum *Ol. laterit.* &c. atque exhibitione Haustuum Febrifugorum num. xvij. [*Bolo* Theriacali nocte 15. & 18. quoties scilicet Spirituum oppressio] spatio septem dierum plane convaluit: Quocirca eum iterum dimisi, postequam Potionem Amaram die 25. sumendam, & Julii 6. repetendam jussissem, atque ʒi. Corticis post singulas purgationes partitis vicibus exhibendam. Decimo quinto Novembris 1690. eodem dolore correptus iterum decubuit, Febre et. jam evidenti, atque Tussi & Anhelitu, ab infarctione Bronchiorum plus quam antea affectus. Ideoque, post detractionem ʒx. Sanguinis è Cubito lateris affecti, & usum *Linimenti* anodyni, præscripsi *Haustus* xiv. febrifugos cum *Pulv. Peruv.* & *Linctum* Pectoralem ad libitum sumendum. Dein die xviij. *Linctum* Febrifugum, ex ʒv. *Cortic. pulverisat. Ol. Amygd. d. unc. iv. & Sacch. Cant. alb. ʒvi.* conficiendum iussi, quarta quaque hora Cochleatim sumendum una cum Haustu *Apozem.* Febrifugi, & *Emplastr. Cephalis.* ad plantas pedum applicandum. Die vicesimo *Iulap. perlat.* & *Bolo* Theriacali Spiritus oppressos resuscitare moliebar. Die 21. & 22. Haustum febrifugum manè & vesperi repetendum imperavi, & *Apozema* febrifugum horis intermediis; Unde Dolore, ac febre penitus liberabatur; Neque quicquam alius præscripsi præter repetitionem *Haustum* febrifugorum die 22. Novembris; & die primo Decembris sequens, Prophylaxeos gratia. A quo tempore hucusque convaluit, nisi quod nuperrimè eodem dolore stringeretur, ac primo fere momento, ex meo consilio, unciam unam *corticis* devorabat, partitis vicibus, & iterum illico convaluit.

Eodem modo Dominus *Immins* habitans prope *Templum Suecum* in vico dicto *Little Trinity Lane*, hoc ipso anno, acutissimo dolore Hypochondrium sinistrum occupante correptus, præ vehementia Symptomatis ejulans, & penè ad deliquium usque oppressus (figentibus etiam extremis) tandem à Me opem petiit. Celebrata Venæ-sectione, *Bolo* Theriacali, *Iulapio* Cordiali & *Linctu* Pectorali exhibitis, & *Linimento* Anodyno applicato, motu Spirituum effero exinde quadantenus sedato multo melius sese habuit. Nullum indicium febris in Temperie, Lingua vel pulsu se prodebat, Urinam vero multa rubedine tinctam, & in lateritium colorem præcipitatam reddebat. Quocirca, *Pulverem febrifugum* in formam Haustum, Bolorum Apozematum, & pilularum redactum, per plures dies præscripsi; Venæ sectione etiam repetita sæpiùs, pro re nata, atque Alvo tandem; post debita intervalla, iterum iterumque subducta; unde tandem post *Aphthas* in Gutture & Ora succrescentes (licet vix aliud indicium febris evidens adfuerit]dolore inter Latus sinistrum & Scapulam dextram diu versatili, plurimum licet attenuatus & debilitatus, liberatus demùm reconvalescebat.

HISTORIA X.

[a] Uxor Domini *Patebin.* Vitriarii habitantis in vico dicto *Broad street*, nuper; scilicet sub initium Aprilis 1691. cum annum Ætatis suæ circiter trigesimum septimum ageret, a frigore in puerperio suscepto Febricitantis, dolore primùm Maxillæ, dein Lateris Spasmodico; horrendo ac atroci corripiebatur: Unde Medicus ejus ordinarius D. D. *Crell*, eam pro pleuritica curavit. Indèque ʒviii. Sanguinis è cubito detraxit, *Linimento* ex *Ol. Scorpionum* partem affectam illinen-

(a) Synechis *Rheumatica in Malignam demùm mutata.*

nendam, atque *Linctum* ex *Ol. Amyd. dulc. rec. Syrup. Capil. Ven. & Sacch. Cryſtal. alb.* confectum. Cochleatim ſæpiùs exhibendum juſſit. Dolore autem inde à Latere ad Maxillam, & Aurem dextram rursùs tranſlato, Sanguinis ℥viij. vel x. iterùm detrahebantur, &, ad dolorem ſedandum, ℥ß *Syrup.* de *Mecon.* miniſtrabatur. Unde Maxilla & Aure quadantenus relevatis, dolor in Latere recrudeſcens unà cum Febre ſæviebat ut priùs. Vires autem languentes & laceſſitæ, à repetitis *Venæ ſectionibus*, Dolore & Febre plurimùm proſternebantur; Siquidem mulier erat elumbis, & Syſtemate Nervoſo admodùm debili, licet ingenii acumine maximo prædita. Die 5. Aprilis, Ego accerſitus ut de ſalute Fœminæ cum D. D. *Crell.* conſilium caperem, Vires deprehendi multùm depreſſas, Pulſum debilem & celerem, Temperiem mitem, Faciem & Manus madore frigido perfuſas, Urinam verò multùm tinctam, & ſedimentum lateritium deponentem; Dolores, ut ut acerbos, verſatiles tamen, ac periodicè recurrentes. Unde ritè conjeci Febrem propriè eſſe *Synephis Spuriam* ac *Inflammatoriam*, *Rheumaticam* verò potiùs quàm *Pleuriticam*; à repetita autem Venæ ſectione in *Malignam* mox tranſituram; Siquidem Venenum inde auctum vim Spirituum Elaſticam plurimùm obruiſſe videbatur. Quam ob cauſam, ut ut dolor Lateris excrucians urgeret, Sanguinem non ampliùs detrahere auſus ſum, verùm Fotu externo, & uſu *Laudani* interno niſum Spirituum nimium, & Spaſmos dolorificos inde conſequentes compeſcere felici cum eventu ſategimus; donec Venenum, cauſam Febris, & Spaſmorum, *Cortice* ſubigendi occaſio daretur, modo ſequenti ℔. *Rad. Petroſel. Fœnic.* an. ℥ij. *Sem. Lin. Fœnugræc.* an ℥j *flor. Chamæm Melilil.* an. Mij. Coq. in Aq. F. q. ſ. Reponatur Colatura in Veſica bubula recenti ſemiplena, & calidè ad partem affectam admoveatur. Amota Veſica, pannus laneus mollis Linimento ſequenti calidè illitus applicetur. ℔. *Unguent. Dialth.* ℥ß. *Ol. Lil. alb. Laterit.* an. ℥iij. M. F. *Liniment.* ℔. *Aqu. Cardu.* ℥ij. *Epidem. Syrup. Caryoph.* an. ℥ij. *Pulv. Subtiliſ. Cortic. Peruv. Elect.* ℥j. *Laud. Lond gr.* j. M. F. Hauſtus ſtatim ab uſu Fotus propinandus, repetendùſque deinceps abſque *Laudano*, quarta quaque hora ad iv. vices. Junii 6. invenimus Ægram à dolore Lateris Spaſmodico liberatam; Urina verò multa rubedine tingebatur, & ſedimentum lateritium deponebat, Aderant etiam alia *Synechcos* præſentis invidicia. Indèque juſſimus, ut perſiſteret in uſu *Hauſtuum Febrifugorum* adhuc ad iv. vices, &, ut alternis Hauſtibus adderetur *Laudani Lond gr.* j. ad revireſcentiam Spaſmorum antevertendam. *Decoctum album* etiam pro potu ordinario præſcripſimus, ob nimiam Alvi lubricitatem. Junii 7. Febris profligata videbatur; Urina ferè in ſanum colorem reſtituebatur, Pulſus tamen erat languidus, atque Ægra inſomnis jacebat, perterrita, & quaſi delira, unde facilè deprehendi Spirituum Animalium vacillationem & imbecillitatem à debilitate Syſtematis Nervoſi ortam; Indèque in ſubſidium Cerebri & generis Nervoſi *Emplaſtr. Cephalic.* cum *dup. Euphorb.* ad plantas Pedum, *Epiſpaſtica* ab Brachia & Tibias internas, *Hyſtericum* cum *Galbano* in margine, ab regionem *Uteri* applicabantur. *Nodulus* ex *Sem. Rut. Pulv. Caſtor. Galban.* & *Aſſ. Fœtid.* confectus & *Aceto* irroratus parabatur, quem ſæpiùs olfecit, aut ejus loco, *Spirit. Caſtor. & Sal. Armon.* in phiala collo arcto & oblongo prædita. Inſuper, Frons & Tempora ſæpùs illinebantur Manu frigida. *Linimento* ex *Unguent. Popul.* ℥ij. *Acet. Sambuc. Aq. & Ol. Roſ.* an. ℥j. Denique iv. Pilularum ſequentium quarta quaque hora Ægra deglutiit, ſuperbidendo Cochl. iij. vel iv. Julap. ℔. *Pulv. Chin. Chin.* ℥ij. *Caſto. Gum. Galban.* an. ℥ß. *Aſſ. Fœtid.* ℈ß. *Mithridat.* q. ſ. M. F. Pil. mediocres deaurand. ℔. *Aqu. Ceraſ. nig. Flor. Paralyſ.* an. ℥iij. *Pæon. comp.* ℥j. *Tinctur. Caſtor.* ℥ij. *Saech. Perlat.* ℥ß. *Syrup. Flor. Paralyſ.* ℥ß. M. F. *Julap.* Quandoquidem verò nihil profecerimus, Junii 8. ad Spiritus excitandos imperavimus, uti toti Pedes calidè involverentur *Cataplaſmate* ex *Fol. Rut. Sapon. nig.* &

Sale-

Sale Commun. contusis confecto; Et ad fervorem Cerebri inquietum temperandum, Ut Frons & Tempora sæpe frigide illinerentur *Linimento* sequenti. ♃. *Camphor.* ʒ. *ii. Sacch. Staturn.* ℥. ß. *Aq. Ol. Nymph. Acet. Sambuc.* an. tantillum. M. & terantur in formam *Limimenti*; Insuper, ut *Bolus* ex *Ent. Veneris* [cujus vires in Hypochondriacorum & Hystericarum Vigigiliis & Deliriis temperandis efficaces sæpiùs expertus sum) gr. vii. & *Conserv. Flor. Borag.* ℥ß. confectus; bis terve in die exhiberetur cum Haustu prælargo *Julapii* sequentis. ♃. *Aqu. Flor. Paralys. papav. Rhæad.* an. ℔ß. *Aqu. Pæon. Bryon. com.* an. ℥. *i. Tinctur. Castor. Sp. Sal. Armon.* an. ʒ. ß. *Syrup. Flor. Paralys.* ℥ii. M. F. Julap. Sub vesperam ejusdem diei hæc Symptomata, non à debilitate Systematis Nervosi, quàm à gradu veneni aucto ortum suum dexisse suspicati sumus, *Synechi*, scilicet febre à repetita Venæ sectione, & usu *Laudani* in *Malignam Synecheon* mutata; *Bolum* igitur *Alexipharmacum* ex *Theriac. Androm. pulver. è Chel. Cancr. Comp.* & *tantill. Sirup. Cariophil.* confectum, hora somni exhibendum jussimus, ad expansionem Spirituum promovendam, idque cum optato eventu, Somnum enim magis placidum inde capessebat Ægra; à Deliriis & Lipothimiis plurimum liberata. Quocirca eundem Bolum Junii 9. ter in die repetendum duximus; unicuique Bolo addendo *Rad. Serpantar. Vigin.* gr. vij. Insuper, 2. Pilul. sequentium, in subsidium generi Nervosi vacillantis, sexta quaque hora exhibuimus una cum Cochl. iv. vel v. Julap. sequentis, quod etiam ad libitum bibendum erat. ♃. *Gum. Galban. Ammoniac.* an. ʒ. ß. *castor. Ass. Fœtid.* an. gr. vx. M. F. pil. xxiv. optimè deaurandæ. ♃. *Aqu. Rut. Meliss. Cinnam. Hord.* an. ℥ *iii. Epidem. Pæon comp.* an. ℥ ß. *Confect. Alcherm.* ʒ. ß. *Sirup. Carioph.* ʒ. *i.* M. Repetebatur *Cataplasma*. Die 10. eosdem Bolos ter repetendos jussimus, itidemque undecimo, quo die *Glans* ex *Mella* & *alumine* coctis, ob Alvi Constipationem, intrudebatur: Die duodecimo repetebantur *Boli*, ut priùs; Insuper, ad expansionem Spirituum ulterius promovendam *Vesicatoria* duo pone Aures applicabantur, & *Suppedanea* ex *Gum. Galban.* & *Emplastr. Cephalico.* Die 13. Urina rubescere iterùm cœpit, & continentis saturari, atq; Ægra multo meliùs se habere. Ideoque *alexipharmacum* tantum bis in die exhibendum jussimus, atque (ob Alvi adstrictionem) *Glandem* ex *Hiera. pier. alum.* & *Melle* simul coctis intrudendum. Cùm sensim in dies revalescere videretur, die 14. & sic deinceps, usque ad decimum nonum; *Bolum alexipharmacum* hora somni duntaxat deglutiendum præscripsimus, Decimo nono autem *Rad. serpentar.* à Bolo detraximus, & *pilul. Hystericas* repetendas jussimus; Omisso autem Bolo, nocte vigesima multum conquerebatur ex cerebri vacillatione & spirituum languore, adeo ut bolum hora somni exhibendum iterum præscribere coacti essemus, & *Glandem* recens intrudendam; nec non *Epispasti cum* ad *Nucham* de novo applicandum. Vigesimo tertio verò, cum *Sinechis* legitima cum paroxysmis, & Remissionibus periodicis sociata reverteretur, ʒi. *corticis* ter in die, ad triduum exhibendam jussimus, atque *bolum alexipharmacum* manè & vesperi. A quo tempore planè convaluit, multa Artis nostræ ope, eaque diu continuata, difficulter admodum ab Orci faucibus liberata. In aere rusticano quidem, semel, vel bis levem recidivationem, intra spatium duorum mensium perpessa est, illico verò repetito *corticis* usu liberabatur.

HISTORIA XI.

(a) Dominus *Guttur* Ludi-Magister, habitans *Hospicium Ecclesiæ Christi*, Vir habitu œdematoso, à frigore sæpius suscepto anno 1690. subito Algore, Rigore

(a) Synechis *Spuria Rheumatica*.

gore ac Horrore, deinde flagranti Æstu correptus Iactatione, Vigilis, Siti immensa, respiratione anhelosa, Hipocondriorum oppressione gravativa, Vomitione immani, dolore horrendo ac inflammatorio, ab uno Artu in alterum versatili, reliquisque febris vere Rheumaticę & inflammatoriç Symptomatis laborans, tertio Morbi die sub vesperam Me accersivit. Cùm advenissem; pulsum deprehendi fortem ac celerem, Urinam multa rubedine tinctam ac in colorem lateritium præcipitantem; Symptomatum autem vehementia Ægrotans adeo confectus erat, & madore Colliquativo perfusus, ut lacrimantes Amici de sanitate ejus recuperanda desperarent. Ab Adstantibus autem probè intellexi Exacerbationem horũ dirorum Symptomatum quavis nocte recrudescere solere, unde de spe, quam matutinis horis conceperat, sub noctis ingressum decidebat, & vix sese da matutinam sequentem superstitem fore putabat. Præterea, in unoquoq; paroxysmo, Dolor Inflammatorius intactum adhuc Artum in dies corripere solebat, adeò ut manibus pedibusq; mancus prę dolore fere continuo ejularet, ac vociferaretur. Ad efferum hunc nisum & Orgasmum demulcendum, post *Enematis* rejectionem, sanguinem copiosè ad unc. xii. vel xiv. illico Paroxysmi tempore detrahendas jussi. *Tincturam Rosarum* ad Sitim relevandam, Haustum Hypnoticum cum unc. i. *Sirup. de Mecon.* ad Spiritus ulterius compescendos, & *Julapium perlatum* temperatum ad vires refocillandas ad librum pitissandum præscripsi, Quo pacto, post somnum hoc modo conciliatum, mane sequenti, [cum Sanguinem plane mucosum vidissem,] Remissionem evidentiorem nactus, Haustum febrifugum cum ℥i. Corticis ad Veneni extirpationem, quod Spiritus stimulando, eos in os tumultus adegerat & prælium in dies instaurando, idem in posterum sine fine facturam esset, tertia quaque hora ministrandum sine mora jussi: Paroxysmo pro more suo recrudescente, Omnia Symptomata iterùm exacerbari cœperunt; & aliud Membrum dolore & tumore inflammatorio recens invadente, immaniter excruciabatur. Has Exacerbationis vices ad triduum æquo animo tulit Ægrotans, siquidem Curationem se brevi consecuturum hac Methodo expectavit; atque interea temporis probè novit Me (quantum poteram) symptomata sublevasse. Cùm autem post tertium Paroxysmum, atque unc iß. *corticis* in varias formas redacti deglutitam, nihil levaminis sensisset, atque dira Symptomata, stato Exacerbationis tempore, In dies potiùs augerentur, animo despondebat; Neque minùs Ego ipse erubescens atque dolens, demùm anceps hæsitabam, Denuò autem exploratione diligentiori facta, inscitiam vel incuriam Pharmacopœi culpam novi, qui *Corticem* nescio qua ingrata amaritie tinctum, viscidum, & plurimùm effœtum ministraverat. Quotirca, Sanguinis unc. xii. iterum è brachio detrahendas jussi, atque unc. ii. vegeti ac veri *Corticis peruv.* partitis vicibus extra Paroxysmum ministrandas curavi; Unde Æger à febre prorsus liberabatur: Et dolores *Rheumatici* in dies decrescebant, fomite autem febrili hoc modo subacto, cùm vita Ægri in vado esset, neq; amplius à futura recrudescentia metuerem, Humores colliquatos, Artus debilitantes *decoct. amaro* & *Sirup. de spin Cerv.* per Alvum κατ' ἐπικρασιν subduxi semel in hebdomada, post singulas purgationes usum *Corticis* iterùm imperando, ne Fomes Febrilis inde resuscitaretur. Quo pacto, spatio trium hebdomadarum, à reliquo versatili, dolore liberatus [Artubus sensim in dies restitutis] convaluit, atque hucusque sine Recidivatione valet necadeò œdematoso Corporis habitu est, ut prius.

HISTORIA XII.

(a) Dominus *Glascock*, Presbyter Reverendus, Vir valetudinarius, & Systemate Nervoso admodum debili, habitans in *Le-Strand*,

(a) *Altera ejusmodi.*

Le-Strand, à frigore, durante usu *aquarum Mineralium Calybeatarum*, suscepto febre ac Dolore inflammatorio, huic inde in artubus versatili correptus, Junii 18. 1691. à Me opem petiit. Pulsum, exploratione facta, deprehendi celerem & quadantenus fortem, Urinam rubram & contentis saturatam. Appetitus erat prostratus, Ventriculus Nausea & proclivitate ad vomendum affectus: Noctes transigebat insomnes & inquietas, copioso madore semper in lecto perfusus, Exacerbationem quippe sub vesperam quotidie perpetiebatur. Quocirca, in subsidium virium ex perpetuis vigiliis languentium, Curationem, ab Haustu Paregorico sequenti, hora somni propinando auspicatus sum ℞. *Aqu. Meliss. cerasor. nig.* an. unc. iß. *epidem.* ʒiii. *Syrup. de Mecon.* ʒvi. M. F. Haustus. Mane sequenti unc. viii. vel ix. Sanguinis (qui admodum erat) detrahendas jussi, atq; dein ʒi. *pulv. subtilis. peruv.* quarta quaque hora ad viij. vices exhibendam è Cochl. *Julap.* sequentis, superbibendo ejusdem Haustum. ℞. *Aq. Meliss. carasor.* an. unc. iv. *epidem. pæon. comp. Syrup. carioph.* an. ʒiß. M. F. *Iulap.* Junii 20. Pulveris *chin. chin.* sex novas Doses imperavi; Ad sedandam Sitim, *Tincturam Rosarum Saccharo* albissimo edulcoratam, ad libitum bibendam concessi, atq; ante vesperam, si Alvus prius non solveretur, *Enema Lactis Saccharat. Flor. Chamæmel.* alterat injiciendum. Junii autem 26. Æger à febre liberabatur ac Doloribus; Urinam reddit colore & quantitate sanæ similem, Appetitus vero non integre restitutus erat, quocirca tres Haustus adhuc repetendos duxi, ut priùs; atque iterùm, octo diebus elapsis, post exhibitionem unc. iv. *decoct. Amari cum dup. Sen.* & unc. ß. *Syrup. de Rhamno. solut.* ad reliquias Humoris colliquati, & in habitu Corporis congesti subducendas, ʒi. *Chin. Chin.* ter in die ad triduum, prophylaxeos gratia, in Haustu cerevisiæ ministrandam. Die Junii 29. à Concione, priusquam vires resarcitæ fuissent, habita, atque frigore inde poros Cutis suscepto, illicò recruduit *febris*, ac Dolores Artuum inflammatorii & versatiles, Urinam intense rubram Æger reddidit. Pulsus in celerem & quadantenus fortem mutabatur, Appetitus prosternebatur, Ventriculus Nausea Ægritudine & Vomitione afficiebatur, Sitis aderat ingens; Vigiliæ & Sudores Colliquativi, tempore Exacerbationis, scil. per totam noctem durabant, & reliqua febris Inflammatoriæ & Rheumaticæ Symptomata; Ideoque Junii 30. unc. viij. Sanguinis è Crure vel Brachio Lateris maxime affecti iterum detrahendas jubeo, atque x. *Pilularum* sequentium, (quia tædio Haustuum Æger afficiebatur) quarta quaque hora, cum Haustu *Julap.* priùs præscripti exhibendas. ℞. *Cort. peruv. subtilis. pulveris.* ʒiv. *Mucilag. gum. Tragac.* q. s. M. F. Pilul. mediocres deaurandæ Iulii 4. ob Nauseam immensam, & Dolores mobiles in toto Corpore, *Emeticum* sequens sub vesperam cum Regimine exhibendum impero, & Vomitione finita, Haustum Paregoricum sequentem; Die verò proximo ʒiii. *corticis* in pilulas redacti. ℞. *Aq. Card. Vin. bened.* an. ʒi. *Syrup. viol.* M. F. potio Emetica ℞. *Aqu. Flor. paralis.* ʒii. *Epidem.* ʒß. *Syrup. de Mecon.* ʒiv. M. F. Haustus. Iulii 7. reversus, inveni Ægrum plane, κωφεσ, atque à doloribus immunem, licet ab humore Colliquato congesto Artus adhuc rigiditate & Tumore afficerentur; Ideòque ad Humores demulcendos Decoctum *Sarsæ* sequens præscripsi pro potu ordinario ℞. *Sarsæ opt.* ʒiv. *Rad. chin.* ʒii. *Rus. CC. Ebor. Santal. Rub.* an. unc. ß *passul. mai Exacinat.* unc. iij *glycyrriz.* ras. unc. ß. Coq in Aqu. F. ℔xii. ad vi. & cola pro usu. Post iv dies elapsos, saburram humorum *Decocto Ammaro cum dup. Senn.* per Alvum subduxi, atque dein, ter in die Pilulas febrifugas nu. xii. quotidie exhibui, donec unc. j. *corticis* absumebatur; Idem *cathartic.* atque postea *pilulas*, post intervallum octo dierum, prophylaxeos gratia, iterum præscripsi; Interea temporis admonui Patientem; ut à concionando & omni alio vehementior Excretio protinus abstineret. Cui sano consilio morem gerens prorsus revaluit, & hactenus optima valetudine utitur.

Domi

Dominum *BlaKey* Clericum admodum Reverendum, qui à multis retro annis, ex causa leviſſima *Rheumatiſmo* inflammatorio ſæpius obnoxius fuerat eodem ferè modo, à tribus Febribus Rheumaticis, ſpatio trium Annorum, recurrentibus ſine quocunque alio Remedio, brevi, atque integrè reſtitui.

HISTORIA XIII.

[*a*] Dominus *Semyr*, habitans in vice dicto St. *Thomas apoſtle*, Vir quadragenarius, à frigore in poros Cutis ſæpiùs ſuſcepto, dolore tandem verſatili dextram maximè Corporis partem occupante affectus, & in lecto ad tres ſeptimanas detentus, Maii 15, 1690, cùm Me accerſivit, præ dolore, vix ſeſe ab uno Latere in alterum commovere poterat, Sudore perfundebatur, Urinam reddebat intenſiſſimè rubram, ac lateritiam, Lingua erat fœda ac arida, Sitis ingens, Pulſus Celer, Vigiliæ pertinaces, Temperies vero adeo mitis, ut nec Æger nec Pharmacopola Febrem ſuſpicaretur. Æger *Febre* laborat *Synechey Spuria Rheumatica*, Cujus Exacerbationes nocte quavis recrudeſcebant; Tumor cum dolore, ut in vero Rheumatiſmo, non conjungebatur, quia Spiritus irretiti ac impliciti; licet continuo laceſſiti, ultimum expanſionis ſuæ gradum non aſſecuti ſunt: Unde etiam Febris ſe minus prodebat.

Poſtquam *Cortex* ad aliquot vices exhibitus fuerat, reſpectu habito ad Symptomata vehementia, die 25, Æger à doloribus ac Febre penè liberabatur, Pulſus fortis, tardus, ac Temperies mitis evaſit, Sitis penè extinguebatur, Appetitus rediit, Lingua tamen quadantenùs areſcebat, & Urina plus juſto rubeſcebat, unde conjeci rem eſſe in vado, atque Naturam veneni reliquias ſponte deleturam. Quid fit; Spatio unius hebdomadæ *Aphthæ* quaſi Criticę cum Salivatione conjunctæ Morbum terminabant, qui ſolito contumacior erat vel quia à Veneno intenſiori produce-

Morton Opera Medica.

batur, vel quia Æger nauſeabundus vix dimidiam partem Remedii præſcripti deglutiebat: Vel quia *Cortex* parum vegetus miniſtrabatur.

HISTORIA XIV.

[*a*] Dominus *Kemp*, mercator Londinenſis, habitans in vico dicto *Franchurchſtreet*, Maii 14, 1690, Me accerſivit. Ægrota verat per triduum; Horis antemeridianis è lecto ſurgebat, non multum ſitiebat, vel febricitabat, verum adeo Hebes erat ac Mente captus, atque Arteriarum vibratio adeo vacillabat, ut licet Urina eſſet ruberrima & Lateritia, Apoplexiam vel ſimile aliquod Symptoma à veneno Febrili ſuborituram ſuſpicarer. Æger de Languore ſoleo, ac Animi perturbatione conquerebatur, In tutamen Cerebri [ut Mihi videbatur] præcipuè obſeſſi, Sanguinis unc, x, aut xii, illico detrahebantur è brachio, Veſicatoria applicabantur, *Boli & Iulapia* ad Spirituum Expanſionem promovendam cum optato eventu exhibebantur; Die autem 15, Hebetudo diminuta eſt, Pulſus factus eſt æqualis, licet celer, Urina adhuc intense rubeſcebat, ac turbabatur, Dolor moleſtus ac Rheumaticus genu ac pedem ſiniſtrum occuparunt à niſu Spirituum Venenum adorientium ſubortus. Sanguis iterum educitur [qui admodum gelatinoſus erat] deinde *Cortex* illico exhibetur, cum *Laudano* commixtus, cum Dolor & Vigiliæ id poſtularent Quia Femur & Crus dolens grandi Tumore œdematoſo afficiebantur ſequenti *Linimento* bis in die calide inungebantur: *R. Unguent. Dialth.* ℥. *m. Ol. Lil. alb. Lil. alb. Laterit.* an. p. æq. M. Die 21. Febris, Dolor, ac Tumor Femoris evanuerunt; Ægerque de Dolore Humeri conquerebatur: Repetebatur *Cortex* & Venæſectio, & die proximo nempe 22. Ægrum dimiſi perfecte ſanatum, *Corticem* duntaxat prophylaxeos gratia præſcripſi.

Verum, ſi ſingulas Hiſtorias recenſerem *Synechęon* non tantum Legitimarum, verum etiam Spuriarum, quas

[a] *Tertia Eiuſmodi.* [b] *Quarta eiuſmodi.*

nuperrime, ſpatio ſc. unius Menſis, hoc pacto feliciſſime ſanavi, in ſenili vel infantili ætate, atque in ipſo puerperio, nimius eſſem; Fateor equidem, ubi Spirituum Elaſticitas a Veneno ita opprimitur, ut vires *Antidoti* regi & in actum deduci inde non poſſint, & *Sinechis* in *Sinecheon*, *Malignam* degeneret, Me haud raro ſortem caterorum Medicorum participaſſe; & reſtitutionem Elaſticitatis Spirituum Enecatorum fere & ſphacelatorum, Methodo quacunque, ſæpe incerto, ſæpe in caſſum tentaſſe. Palam autem affirmo Me multo plures hujuſmodi Ægrotantes, *Deliriis*, *Subſultibus Tendinum*, cæteriſque id genus Symptomatis Malignis obſeſſos, ab Orci faucibus arte liberaſſe, ubi Antidoti uſus Curationem auſpicabatur, quam cum ab initio, alia quacunque Methodo uteret; modo cum accerſitus primo eſſem, umbra aliqua Remiſſionum & Exacerbationum ſupereſſet. Fundamentum Curationis in *Cortice* ſemper jacio; poſtea pro modulo ingenii, juxta Normam Artis, quod a Symptomatis indicatur efficio, atque haud raro cum optato ſucceſſu Curationem ad umbilicum duco: Coronidis loco unum vel alterum hujuſmodi Curationum exemplum hic addam.

HISTORIA XV.

(*a*) Dominus *ShaKell* Stannarius, habitans in platea dicta *Francburch-ſtreet*. Vir quadragenarius, obeſo quadantenus Habitu, & pulmonibus infarctis, qui jam per quadriennium ſcil. a quo tempore *Rheumatiſmo* univerſali correptus, perperam *Emplaſtris e Limacibus* contuſis fere ad totum Corpus frigide applicatis, cæteriſque ejuſmodi a Medico ſuo ordinario præſcriptis, Cerebri & Syſtematis Nervoſi tanta debilitate laboravit, ut ſæpius in die, præſertim cum eſſet cogitabundus, attonitus reminiſcentia omni plane orbatus ſit; qui inſuper ter, quaterve inſultus *Apoplecticos* leves aut ſaltem *Epilepticos* paſſus eſt; Cum ad bihorium, Algore, Rigore & Horrore adeo vehementi corriperetur, ut mane toto, in Lecto decumbere cogeretur, Morbum aliquem novum, ac inſolitum in genere Nervoſo expectans; Junii 15. 1691. Me accerſebat. Eum autem [præludio Paroxyſmi finito) intenſiſſime febricitantem inveni, immenſe ſitientem, in Hypochondriis inflatum, anheloſa reſpiratione oppreſſum, Seſe inquiete e loco in locum jactabat, facies, quaſi ex ſtrangulatione, rubedine pertundebatur; Urina erat ſanæ ſimilis, quia Flamma in Sanguine vix dum accendebatur; vibrationem Arteriarum (exploratione facta) citiſſimam; conſtantem verò, ac fortem deprehendi: De genio igitur Febris hæſitans, utcunque ab inſolita debilitate Cerebri ſuaſus in ejuſdem tutamen, durante hac effervveſcentia unc. x. Sanguinis e Brachio illico detrahendas juſſi: Ne autem Venenum inde, de Spiritibus prius debilibus victoriam reportaret, Cochl. iv vel v. *Iulap.* ſequentis, ad eorum expanſionem promovendam, quarta quaque hora exhibenda duxi. ℞. *Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nig.* an. ℥iv. *Epidem.* ℥ii. *Pulv. e Chel. Canc. comp. Lap. Contrajerv.* an. ℥ß. *Sirup. Carioph.* ℥x. M. *bolum* etiam ſequentem hora ſomni deglutiendum una cum Hauſtu *Iulap.* præſcripſi, atque tam ad præſentem Alvi fluxum ſiſtendum, quam ad fervorem Sanguinis moderandnm *Decoctum album Sacchar. albiſſ.* grate edulcoratum in locum potus ordinarii ſubſtitui. ℞. *Theriac. Androm. pulv. e Chel. Canc. comp.* an. gr. xv, *Sirup, Caryoph, q, ſ,* M, F, Bolus. Cum die ſequenti ſcil, xvi, reverſus eſſem; Æger Sudore levi perfundebatur, atque Calor poſt ſomnum nocturnum remiſſione erat, pulſus non ita celeriter ut prius, conſtanter verò, ac fortiter vibrabatur, Urina multa rubedine tingebatur, & contentis ſaturabatur; Alvus adſtringebatur. Ideoque, Exacerbatione finita, Enema ſequens injiciebatur. ℞. *Decoct. Emollient*, unc, x, *Mel, Mercur, Sacchar, rub*, an, ℥ii, M, atque dein *Bolus*. Cardiacus repetebatur cum Hauſtu Iulap. ſequen-

(a) Synechis *in* Synecheon *mutata*.

quentis, quod etiam Ægro ad libitum propinabatur, agitata phiala. ℞, *Aqu, Lact, Alexiter*, ℔i, *Epidem, Cinnam, Hord*, an, ℥i, M, Æger *Decoctum album*, loco potus ordinarii, adhuc hauriebat; Quippe a multis annis, ex consilio prioris Medici, ab usu Cerevisiæ prorsus abstinuerat. *Suppedanea* ex *Emplast, Cephalic*, cum *Dup, Euphorb*, in Cerebri tutamen, ad plantas pedum applicabantur: Sub noctem ejusdem diei reversus, Ægrum observavi post Exacerbationem, quæ eodem die recrudescebat, rursus Sudore perfusum; Cerebrum autem, ut ab Adstantibus didiceram, durante Exacerbatione, quadantenus confundebatur; Ideoque *Bolum Cardiacum* hora somni repetendum duxi, atque *Vesicatoria* duo ampla & acria ad internos Carpos supra pulsus applicanda, & Iulap, cum speciebus denuò repetendum, & quarta quaque hora exhibendum. Die xvii, mane, cum manifestior adesset Remissio, *Haustum Febrifugum* cum *pulv, peruv*, ℥i, illico propinandum jussi, atque quarta quaque hora repetendum, donec Exacerbatio redintegrari inciperet, & *Iulap, perlat*, repetendum. Sub vesperam reversus. Remissionem nactus paroxysmi, qui eodem die iterum recrudescebat, Haustus Febrifugos quarta quaque hora repetendos jussi, nec non *bolum cardiacum* hora somni exhibendum, & *Decoctum* album pro potu ordinario hauriendum. Die xviii, ob *Disuriam*, quam *Vesicatoria* effecerant ℥iv, *Emulsionis* sequentis, quarta quaque hora propinavi ℞, *Sem, iv, frigid, maj*, an, ℥i, *Sem, papav, alb, unc, m, Amigd, dulc, decorticat, n*, ix, cum *Aqu, Hord, puriss*, ℔iss, *F, Emulsio*, cui add, *Sacchar. alb*, unc, i, *Aqua Rosar*, unc, ii, M, persistebat Æger in usu *Decocti* Albi & *Iulapii*; Atque *Iulapium* cum Speciebus, quarta quaque hora Exacerbationis exhibebatur, durante vero Remissione Haustus Febrifugos Æger quarta quaque hora repetebat: Sub vesperam, ob Colorem Lateris Spasmodicum, *pannum Wallicum Ol, palmit*, illitum ad Regionem pulmonum applicandum jussi, nec non *bolum cardiacum* hora somni, & Haustum Febrifugum quarta quaque hora exhibendum, Die sequenti, scil, xix, Exacerbatio per totum diem non recruduit; copiosam Urinam reddidit Æger, Urinæ sanorum ferè similem, ac laudabili hipostasi donatam, Dolor Lateris etiam obtundebatur Attamen phlegma pulmonibus impactum ægre admodum egerebatur. Ideoque Cochl, *j, Linctus*, sequentis una cum un, iv, *Apozem, subtepid*, quarta quaque hora ministrandum jussi ℞, *Ol, Amygd. d. rec, Syrup, Cap, Ven*, an, unc, iss, M, ℞, *Decoct, pector, opt, depurat*, ℔iß, *Tinctur, Croc*, ℥ß, *Syrup, de Erysim*, unc, iß, M, Duos etiam Haustus Febrifugos tempore diurno exibendos curavi. Sub vesperam pulsus, Urina &c. eodem fere modo, quo mane sese habebant; A mentis autem levi vacillatione, & Linguæ fœditate ac ariditate aucta, suspicatus sum a veneno Spiritus æquante Febrem in primum Malignitatis gradum transisse, ideoque præter usum Haustum Febrifugorum, *Iulapii* cum Speciebus, & *Decocti* Albi, Bolum Alexipharmacum ex *Theriac, Androm, pulv, Gascon*, an, ℥ß, & tantillo *Syrup, carioph*, conflatum, hora somni ministrandum jussi; nec non *Vesicatorium* amplum & acre ad *Nuchan* applicandum, & Os Gargarismo sequenti sæpius colluendum ℞, *Aq, plantag*, ℥vj, *Diam*, ℥i, *Mell, Ros*, Colat, ℥ß, M, Die 20. (Cl, Collega D, D, *Goodall*, advocato) communi consensu præscripsimus repetitionem *Haustuum* febrifugorum sexta quaque hora, nec non *Linctus, Linimenti, Apozematis pectoral, Iulapii perlati* & *Decocti alvi*, atque insuper (ratione Doloris Lateralis) ℥ix, Sanguinis è Brachio Lateris affecti detraximus Jun. 21. *Enema* mane repetendum jussimus, ut prius: nec non *Vesicatoria* duo ampla & acria ad interna Brachia applicanda, & unc, iii, *Tincturæ* seu *Decocti corticis* quarta quaque hora exhibendas: Sub vesperam *Bolum* ex *Ther, Andr, & pulv, e chel, canc. comp*, an, ℥ß, cum tantillo *Sirup, carioph*, confectum, hora somni exhibuimus, una cum Haustu *Iulap, perlat*, atque post Sudores finitos, Bolum e *cortic, peruv*, ℥ß, & *Sirup, carioph*, q. s, post mediam noctem & quinta & octava matutina.

tina repetendum, cum Hauſtu *Decocti corticis* antè præſcripſi (Quippe *Febris* adhuc aliquo modo exacerbabatur, & remittebat; Atque Cochl. unum *Mucilaginis* ad Linguam emolliendam ſæpius in Ore tenendum, præſertim ante & poſt Bolum exhibitum; Et quoniam Ægrum tandem *Julapii perlati* tæderet, aliud ſubſtituimus, nempe ℔. *Aqu. Meliſſ Ceraſ. nigr.* unc. iv. *Cinnam. Hord.* unc *ij. Pæon. comp.* unc. ij *Sirup. Carioph.* ℥x. M. F. *Julap.* de quo bibat Cochl. iij vel iv. ad libitum Die 22. reverſi, Ægrum invenimus ferè *apireton* Urinæ rubedinem iterum reducem. Pulſum fortem & regularem, & Temperiem mitem; Placide inſuper dormiverat, ſed efflorescentia *Miliaris* ſatis vivida & rubra per collum, & pectus undiquaque ſpargebatur. Indeque, ut efflorescentia hæc Critica promoveretur, vires Spirituum ſuſtentavimus *alcalibus* & *alexipharmacis* modo ſequenti ℔. *Pulv. e chel. cancr. comp.* ℈j. *Sal. prunel.* ℈ß. *Sacch. alb.* xv. M. F. *Pulv. Sumend. e Cochl. uno Julap. cord.* Superbibendo ejuſdem Cochl. iij. repetenduſque quarta pomeridiana. Hora ſomni *Theriacalem* repetendum juſſimus, hora tertia & octava matutina Hauſtum *Apozematis* Febrifugi miniſtravimus, Perſiſtebat Æger in uſu *Linctus Apozematis, Julapii Cordialis & Mucilaginis*. Die 23. *Pulveram Cardiacum* decima matutina & tertia pomeridiana repetendum juſſimus, & *Bolum Theriacalem* hora ſomni exhibuimus, nec non *Linctum, Apozema pectorale, Julapium Cordiale & Mucilaginem* prius præſcripta ad infarctionem pulmonum tollendam. Die 24. diſcedente jam Collega, Ego ſolus præſcripſi pulverem ſtatim repetendum, & *bolum Theriacalem* hora ſomni cum gutt. viij. *Laudani liq.* ob dolorem Lateris Rheumaticum, de quo ſolummodo jam conquerebatur. Die 25. ad dolorem Lateris tollendum, quo adhuc, præſertim inter tuſſiendum angebatur, præſcripſi *Fotum* ſequentem una cum *Linimento* ante præſcripto ad partem affectam applicandum, atque Cochl. unum *Olei Lini* recens ſine igne extract. ſecunda vel tertia quaque hora cum Hauſtu *apozematis pectoralis* exhibendum. Cujus vires anodynas, & deterſivas jam ſæpius expertus eram. ℔. *Rad. petroſel. Fœnic. Semin. lin. Fœnugræc.* an. ℥ii. *Flor. chamæm. Melilot.* an M ij. Coq in Aqu. F. q. ſ. Colatura reponatur in Veſica bubula recenti, ita ut ſemiplena ſit & tepide ad Latus affectum applicetur, ad horæ vel ſemihoræ ſpatium; Amota Veſica, applicetur *pannus Vvotticus* calide illitus *linimento* ante præſcripto, *bolum Theriacalem* hora ſomni, & Hauſtum *Julapii* repetendum juſſi. Junii 26. præſcripſi Cochl. unum vel alterum *Mixturæ* ſequentis, omni nocte ſub ingreſſum Lecti exhibendum, donec Tuſſis (quod Symptoma ſolummodo jam ſupererat) mitigarerur. *R, Sirup, balſam,* ℥iv, *laudan, liqu. Helmont.* ℥j. M. Appetitu vero reſtituto, & viribus jam reſarcitis, tandem ſuboriebatur *Tumor Crurum* ędematoſus, quem facillime tribus vel quatuor purgationibus ſuperavi, poſt quas tamen *corticem* repetendum, & *Vinum chalibeatum* præſcripſi. Ex his Æger integre reſtitutus; optima valetudine hucuſque utitur, plurimum etiam a veteri & aſſueta Cerebri & generis Nervoſi multa affectione liberatus.

HISTORIA XVI.

(a) Domina *Maria lechmere*, habitans in vico dicto *Vvatling ſtreet*. Virgo prudens ac proba, quam ante ſex annos *Sinechtis* ſimplici laborantem integrè, idque brevi, reſtitueram, nuperrimè, ſcil. die Junii 2. 1691. circiter annum Ætatis ſuæ vigeſimum ſextum, ſæpius indies de Frigore & Calore alternatim ſe excipientibus querebatur. Quanquam noctes tranſigeret inſomnes, quia tamen tempore diurno Symptomata remittebat, quotidie è Lecto ſurgebat, obambulabat, atque muniis ſolitis, quadantenus fungebatur uſque ad diem 16, Morbo autem iã plurimum increſcente, *Enema* ſibi miniſtran-

[a] *altera Ejuſmodi*

ſtrandum juſſit, atque dein ℥ix. Sanguinis è Brachio detrahendas, atque Julapium Cordiale Pharmacopœo petiit ob præſentem languorem ad libitum ſumendum. Die 17. in lecto decumbebat, atque cùm jam omnia Symptomata eodem tenore pergerent, Febre *Synecheis* à Veneno per detractionem Sanginis perperam celebratam aucto, mutata in *Synechos*, ſub veſperam Me accerſivit. Adveniens, Pulſum deprehendi debilem & celerem, Urinam verò non multa rubedine tinctam, vel contentis ſaturatam. Caput Ægræ vehementer ardebat, extrema frigebant, Unde plurimum de eventu dubitans, ad expanſionem Spirituum promovendam in præſentiarum duntaxat *Bolum Theriacalem* hora ſomni exhibendum & *Julapium Perlatum* ad libitum ſumendum *Emplaſtrum cephalicum cum dup. Euphorb.* ad plantas Pedum, *Epiſpaſtica* duo acria & ampla ad internos Cubitos, prope Axillas applicanda juſſi, & exſpectavi an fortè, mane ſequenti, Remiſſio ſubſequeretur. Die 18. omnia Symptomata remittebant, atque ab æquali ac moderato Capitis & Extremorum Calore reverſo, expanſionem Spirituum quadantenus redintegratum eſſe judicavis? Ideòque *Hauſtum febrifugum* cum ℥j. *Corticis* iliico exhibui, atque deinceps quarta quaque hora repetebam; & *Gargariſmum* ſequentem, ob Faucium rigiditatem & moleſtam ſiccitatem, Siphone ſæpiùs calidè ingerendum juſſi. ℔ *Fol. Plantag. Roſ. rubr. Summit. Rub.* an. *Mj. Coq. in Aqu. F.* q. ſ. *ad* ℔ iß. *Colatura adde Diamor.* ℥iß. *Mel. Roſ. Colat.* ℥vj. M. Ad expanſionem Spirituum adhuc deficientem promovendam *Bolum Theriacalem* hora ſomni repetendum atq; *Epiſpaſticum* ad Nucham applicandum duxi. Die 19. & 20. epſdem *Hauſtus febrifugos* repetebam, & *Bolum Cardiacum* hora ſomni exhibebam; *Julapii* etiam ſequentis Cochl. iv. vel v. ad libitum ſumendą præſcripſi, quod toto Morbi curſu Ægrę maximè arridebat ℔ *Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr.* an. ℥iv. *Pæon. Com. Epidem.* an. ℥j. *Confect. Alcherm. ſine Moſch.* ℥iß. *Sirup. Cariophb.* ℥iß. M. Die 20. ſub veſperam (exulante jam omni Exacerbationis & Remiſſionis veſtigio, atque, Cute Colli, & Pectoris ubique Veſiculis aqueis, ſine quacunque rubra efflorescentia, interpunctim notata, unde, Spiritibus depreſſis ac tantum non deletis, *Febrem* in *Sinechos* purè Malignam degeneraſſe ſentiebam) plurimùm languebat Ægra, attonita erat, ac tantum non delirabat: Indèque, omiſſo uſu *Corticis* in poſterum, Spirituum expanſionem *Alexipharmacis & Veſicatoriis* duntaxat moliebar; *Epiſpaſtica* nova ad internos Carpos ſupra Pulſus illicò applicanda juſſi, & *Bolum Cardiacum* repetendum, cui addebatur *Confect. Alcherm. ſine Moſch.* ℥ß. Die 21. *Bolum cardiacum* cum *Confect. Alcherm.* abſque *Theriaca* [quippe Coma quadantenùs impendebat) manè repetendum juſſi, eundem verò cum *Theriaca* ſub veſperam: Eodem modo die ſequenti ſcil. 22. pergebat. Quandoquidem verò multum tuſſiebat, atque Phlegma viſcidum Bronchiis impactum ægrè admodum egerebat, ℥iv. *Apozematis* ſequentis calidè, quarta quaque hora propinandas juſſi ℔ *Decoct. Pectoral. depurat.* ℔ ß. *Tinctur. Croc. Syrup. Capil. Vener.* an. ℥j. M. Die 23. *Bolum Cardiacum*, abſque *Theriaca* manè & quarta pomeridiana, ob languorem & deficientem Spirituum expanſionem; Et cum *Theriaca* hora ſomni Ægra deglutiit, unde vires aliquantum inſtaurari videbantur. Ob *Aphthas* verò jam in ore ſubortas præter *Gargariſmum* Cochl. unum *Mucilaginis* ſequentis ſæpius ſuper Linguam tenendum juſſi. ℔ *Mucilag. tenuior. Semin. Cidon. Aqu. Plantag. Extract.* ℥vj. *Sirup. è Rub. Idæ.* ℥iß. M. Die 24. omittebantur Boli per totum diem in gratiam Adſtantium, qui timebant ne Ægra inde nimium incaleſceret, cujus neglectus pœnas vitæ ſuæ diſpendio propemodum luebat ſub veſperam languens & confuſa, & adeò confecta, ut vix reſpirare poterat Quocirca, ad expanſionem Spirituum reſuſcitandam, Cochl. iv. *Julap.* ſequentis tertia quaque hora vel ſæpius in languore exhibenda juſſi (agitata phiala) ℔ *Aqu. Meliſſ. Rut. Ceraſ. nigr.* an. ℥iij. *Epidem. Pæon. comp.* an. ℥iß. *pulv. è Cancr. comp. Lap. Contrayerv.* an ℈ij. *Rad. Serpentar. Virgin.* ℥ß.

Sacch. alb. ℥vi. M. Spiritus etiam *Salis Armoniaci* in languoribus olfaciendus præbebatur. Singulis Bolis gr. iv. *Serpentar. Virgin.* adjicienda jussi, modo sequenti. ℞. *Theriac. Androm. Confect. Alcherm.* an. ℥ß. *Pulv.* gr. xxv. *Serpentar. Virgin.* gr. iv. M. F. *Bolus*. In horum usu, cum, vel absque *Theriaca* bis terve in die persistebat usque ad diem 27. & in dies melius sese habuit: Pulsus quotidie fortior evasit, & Temperies mitior, Pustulæ serosæ, quæ in pectora spargebantur, vivida efflorescentia circumcingebantur, & sensim disparebant, Ægra ab Orci faucibus erepta tandem πυρετός ac sana evasit, nisi quod *Tussis* importuna somnum admodum interturbabat; ad quam minuendam primum præscripsi die 26. *Linctum* ex *Ol. Amyg. d. Syrup. Capil. Veneri.* an. ℥i. & *Sacch. Cant. alb.* ℥i. confect. Cochleatim, urgente Tussi, ministrandum. Hoc autem nihil proficiente, die 27. Haustulum paregoricum cum *Sirup. paralis.* ℥ß. & *Laud. liqu.* gutt. viij. (Febre jam victa) cum magno successu hora somni propinandum jussi, & nocte diei 28. *pilulas* sequentes. ℞. *pil. è Cinoglos. Extract. Glicirriz.* an. gr. viij. M. F. pilul. iij. A quo tempore hucusque optima valetudine utitur, nisi quod, post habito sano meo consilio de *Cortice* repetendo, sub finem secundæ Hebdomadæ languere, appetitu privari, atque, stata diei hora, bis vel ter Algore quodam perfundi cœpit, Repetita autem tandem ℥j. *Corticis* illico convaluit, sine quocunque alio Medicamento exhibito.

APPENDIX.

Secunda Exercitationis, Historiam Febris ΣΥΝΕΧΕΟΣ *compendiariam ab anno* 1658. *ad annum* 1691. *complexa.*

EX quo philosophiæ & Medicinæ principiis mediocriter instructus, Observationibus Medicinalibus faciendis qualitercunque par fui, Naturam atque Indolem Febris *Sinecheos* indagandi studio magnopere incensus fum. Atque equidem quantum memoria repetere præterita possum, Febrem eam, vel *Simplicem* vel *Spuriam* frequentissimam semper fuisse deprehendi, & inter cæteras Febres maximè vulgarem. In nonnullis locis, scilicet Maritimis, palustribus ac Nemorosis ferè perpetuo *Endemia* est, ubique, verò, præsertim durante tempestate Autumnali, & in castris, ubi Corpus externis aeris injuriis perpetuò obnoxium, post statas periodos *Epidemia*; neque in Constitutione ipsa pestilentiali penitus defecit. Necnon Febre *Sinecheoi*, quotquot sint, generaliter loquendo, vel primo insultu *Sinecheon* speciem referunt, aut saltem in eas demum mutantur, quoties Crisi salutifera finiuntur.

Ut autem certior huic nostræ *observationi* fides adhibeatur, lubet *historiam* hujusce Morbi, per triginta annos, & quod excurrit, ordine recensere, atque Graphicè pro virili depingere, ut penes Lectorem sit hac in re æquum judicium facere.

(a) Incipiam ab anno 1658. Æra (Mihi saltem) notabili, quo tempore Febris hæc tàm Spuria quam Simplex, præsertim Mensibus Autumnalibus, ubique per totam Angliam grassabatur (Quod etiam Clariss. noster *VVillisius* in *Pyretologia* sua olim edita testatus est, *Olivarius Cromvvellus* qui temporis rerum Britan-

(a) *Febris* Sinecheis *Epidem. ab anno* 1658. *usque ad annum* 1664.

tannicarum potius est, & Pater meus Reverendus, indemque Medicus Exercitatissimus illo ipso anno, ineunte Septembri, cùm hæc Constitutio ad ἀκμὴν perveniſſet, hac Febre correpti satis cedebant; *Synechi* Natura in utroque succumbente, in *Synechcon* demùm mutata, quam comitabatur deliria, Spasmi, cæteraque funesta Malignitatis indicia. Insuper, postquam conspexeram Matrem meam pientissimam, Fratres & Sorores, Servos, Ancillas; Nutrices conductitias, quotquot etant intra eosdem nobiscum parietes, ac fere omnes ejusdem, ac vicinorum Pagorum Incolas hoc Veneno infectos & decumbentes, forte ejus memoria Mihi excideret, Ego ipse eodem Morbo correptus sum, atque postquam à Morte, in primo ejus insultu, ægre admodum evaseram, spatium trimestre valetudinario transegi; *Synechi* (qua primùm affectus fueram) ubi Venenum ex diuturna & repetita Spirituum expansione quadantenus subactum fuerat, in *Intermitentem* jam *Tertianam*; jam *Quotidianam* demùm facessente. Hoc tempore, si unquam aliàs, ferè tota hæc Insula, saltem Mensibus Autumnalibus, *Nosocomii* publici speciem præ se ferebat, & in nonnullis locis sani vix supererant, qui ad ministrandum valetudinariis sufficerent. Verissimum quidem est, hancce Febrem, ut ut *Epidemiam* & publicè grassantem, minùs funestam fuisse quam Pestilentialis seu Maligna esse solet, quippe à Veneno mitiori ortam; Unde, vel Spirituum sese expandentium vi, aut suppetiis, qualescumque fuerint, ab Arte ministratis [Nondùm enim vires *Corticis* in hoc Veneno subigendo, saltem hic Loci, comprobatæ erant) plurimi licet ægrè admodum ex Morbo evaserunt. Multos autem passim videre fuit, post sextam vel septimam Exacerbationem (ubi Natura à Veneno sensim aucto demùm victa fuerant) exulantibus omnibus paroxysmorum & Remissionum vestigiis, febre Maligna Continua; quam diri Spasmi & deliria comitabantur, decimo septimo, vel vicesimo primo Morbi die è vivis sublatos. Alios autem *Diarrhœa* & *Vomitione*, vel doloribus quasi *pleuriticis*, *peripneumonicis* aut *Colicis*, aut alio aliquo *Synechcos* Spuriæ Symptomate vehementiori attritos & confectos, die morbi septimo, nono vel undecimo, Fato quasi præmaturo occisos, Insuper, qui ex morbo evaserunt, fere omnes, quos Ego novi, Hyemem subsequentem valetudinario transigebant; Durante enim Bruma, *Intermittentes*, *Quartanas*, *Tertianas*, *Quotidianas* ad ejusdem Veneni mitiori gradu oriundas fere æque *Epidemias* videre erat, ac in Autumno *Synechcias* seu Remittentes. Neque mehercule, sæviente gelu, penitus defecerunt istæ Febres *Continentes*, & licet non, ut in præcedenti Autumno, publicè grassarentur, ubique tamen subsequente Vere ac Æstate sporadicè caput suum tollebant, usque ad Mensem Augustum. A quo tempore per totum Mensium Autumnalium decursum, rursus ubique *Epidemiæ* fieri & revirescere cœperunt. Atque equidem hancce febrem hoc pacto sub typo *Synechcos* præsertim simplicis & legitimæ, & quotidianæ scil. vel Tertianæ maximè vulgarem fuisse, & tempore Autumnali plus minus Epidemiam usque ad annum 1664. observavi; Nec non plurimos ab ea demùm in *Synechcon* degnerante in Orcum demissos, non obstante Methodo medendi rationali & excruciante, quæ tunc adhibebantur; Siquidem efficacia *Antidoti peruvianæ* ad hoc Venenatum fermentum delendum, vulgus Medicorum adhuc latebat.

(a) Sub ingressum verò Autumni anno 1664. planè silebat hæcce febris; & ferè omnes Acuti Morbi derepente exulabant, & salubris admodum erat istius Tempestatis Constitutio. Vere artem subsequenti, post brumale gelu præter modum atrox, & Cometam in Æthere calamitatis hujus quasi prænuncium, Venenum sese recolligens, & mirum in modum auctum, hanc *Sinechi* in *Pestem* funestissimam & dirissimam inopiato mutavit, quæ Epidemicè grassata,

(a) *Pestis Epidemia anno* 1665 & 1666.

ſpatio unius anni plus quàm quadraginta millia Hominum è vivis ſuſtulit. Attamen, ſæviente hac ipſa peſte non penitus defecerunt veſtigia nonnulla Febris *Synechcos*: Quotquot enim ex *Peſte* evaſeruntur, utpote mitiori Veneno infecti, robore Spirituum vegetiori prædiți, quamprimùm Natura ſua ſponte, vel Artis adminiculis *Bubones*, *parotidas*, *Carcinomata* matureſcentia, vel quævis alio victoriæ Monumenta ſeu Trophæa de hoſte conſtituere cœperit; ſingulis vel alternis diebus in ſeipſis percipiebant Symptom. *Exacerbationes* & *Remiſſiones*, ſtatis horis alternatim ſeſe excipientes. Unde non temeritatis jure merito incuſandam cenſeo facultatem Medicinale *Neapolitanam*, quæ (referente Cl. *Bade*, *Anaſtaſ.* lib. 1. Cap. 20.) etiam *Corticem peruvianum* in *Peſtis* Curatione adhibendum juſſit; Siquidem ad hoc ipſum Venenum [quoties mitius eſſe contigerit] delendum, & deinceps ad Curationem accelerandam plurimùm conferre queat.

(a) Porrò, *Peſte* hac exitiosa ſub initium anni 1666. exulante, rurſus Febris *Synechis* à Veneno mitiori orta, Spuria autem & *Colliquativa*, nimirùm cum Fluxu Alvi *Torminoſo* aut *Diſenterico* ſociata, ſub initium Menſis Auguſti ſuum caput attollere incipiebat, quæ in dies per omnes Menſes Autumnales magis magiſque ſæviebat, & publicè graſſabatur, nec Mihi pepercit contagio, dum Menſe Auguſto, ſedes *Diſentericorum* minùs cautè inſpicerem; Et ex hoc Morbo ægrè admodum evaſi? Iterùmque etiam ſequenti Autumno, ex eadem occaſione infectus ſum; Adeò Epidemicè jam ubique Londini ſeminium hoc virulentum propagatum erat! Durante verò ejus [illegible] Menſe ſcil. Septembri & Octobri, quo tempore *Sinechis* ſimplex graſſari ſolebat, vix quenquam alium Morbum videre erat. Civitas ferè univerſa hoc Morbo correpta videbatur, atque ſingulis ſeptimani tercenti, quadringenti, quingenti plùs minùs Fluxu & Torminibus, cæteriſque *Diſenteriæ* excruciantis, vel *Diarrhœa Colliquativæ* diris Symptomatis confecti, citiùs, vel ſeriùs, die ſcil. 14. 17. 21. fatis cedebant, non autem abſque *Siti* inexplebili, *Aphthis* albis vel nigris, *Pulſu celeri*, *Deliriis*, cæteriſq; Febris *Epidemiæ* indiciis, Plurimi inſuper, poſtquam Colliquatio & Tormina, & reliqua *Diſenteriæ* Symptomata multo *Opiatorum* & Adſtringentium uſu ſupprimerentur, nihilo ſeciùs ſenſim languentes, & Hectico quaſi calore emarceſcentes demùm extinguebantur. Alios (virulentia per ductus ſalivales Criticè expulſa) ope *Aphtharum* & Salivationis immenſæ ſupervenientis (quod in Criſi Febrium *Sinechcon* haud rarò evenire ſolet) liberatos memini: Siquidem Venenum huic *Diſenteriæ Epidemicæ* anſam præbens, tanquam *Colocinthidis*, aut cujuſcunque alterius Cathartici æmulum, Inteſtina ſponte petens, eademque horrendis ac vellicantibus Spaſmis perpetuò laceſſens, atque per eorum Glandulosam Membranam Serum colliquatum & virulentum copioſè effundens, vires tamen Spirituum non adeò præpollenter ubique proſternere videbatur, ut non Natura ſaltem initium Morbi, poſt ſtatas, vel incertas periodos, vires ſuas plus minùs colligeret, atque inde victoriam, ſaltem aliqualem, ſæpius reportaret; Quod facile obſervatu erat; Unde *Remiſſio* atque *Exacerbatio Torminum*, *Colliquationis*, cæterorùmque truculentorum Symptomatum, ſingulis vel alternis diebus recurrentes, evidenter ſeſe in conſpectum dabant. Durante enim *Remiſſione*, Symptomata cuncta excruciantia nonnunquam ultrò minuebantur; recrudeſcente autem Paroxyſmo *Opiatorum ipſorum* vires ſpernebant. Unde clarè deprehendi *Diſenteriam Simptomatis* duntaxat rationem habuiſſe, Febrem autem [ut ut ob externum calorem à Torminibus & Diarrhœa ſuppreſſum cuivis intuenti ſeſe non proderet] eamque verè *Sinechi* à Veneno mitiori, Cathartico ſcilicet oriendam primarium fuiſſe Morbum. Atque demùm huic Obſervationi inni-

(a) *Diarrhœa & Diſenteria torminoſa Menſibus Autumnalibus Londini graſſatæ ab anno* 1666. *ad annum* 1672.

innixus, ubi cum vulgo Medicorum diu *Sisyphi* saxum volvendo, *Rhabarbaro*, *Myrobalanis*, *opiatis* & *Adstringentibus* intus exhibitis, & *Enematis* Fortibus *Anodynis*, cæterisque decantatis, quibus Authores passim utramque paginam Curationi *Dysenteriæ* implere solent; in truculentis hisce Symptomatis sublevandis, frustrà Curationem tentaveram, cùm intereà venenatum Fermentum intus deliteſceret; non sine rationem consilium novum inii, atque ad *optata* & Adstringentia, quæ ad Symptomata Dysenterica spectant, *Febrifugum* aliquod potentius [si modò ejusmodi Febrifugi compos fieri possem] adjicere statui, quod Venenum Fermentum Febris ipsius ac Colliquationis causam delendo, Febrem simul tollere, & Fluxum sistere, aç Tormina inde consequentia compescere posset. Atque eò potius ad hanc sententiam Mens mea inclinata est, quia sæpius observaram miseros Ægrotantes, non obstante diligentissimo Remediorum *Antidysenteriorum* usu, sævissimis hisce Symptomatis confectos, tandem ad Orcum cacaturientes descendisse: Alios verò multis *Adstringentibus* atque *opiatis* usque ad delirium & deliquium adactos, atque inde inebriatos potius quam curatos, eosque haud rarò inopinatam Symptomatum Disentericorum recrudescentiam perpessos esse, vel saltem cum Pulsu Celeri, Calore Hectico, cæterisque Venenati Fermenti deliteſcentis indiciis emarceſcentes, quieta & adstricta Alio summum diem oppetiisse. Ex alternante autem Torminum & Fluxus Exacerbatione & Remissione (quam sæpenumerò plus minus hunc Morbum, saltem sub ejus initium comitari jam observaram) potius quàm à Calore Febrili, quem pro ratione Symptomatum molestorum quadantenus inæqualem deprehenderam semper autem depressum ac mitem, monitus; hoc in casu vires *Corticis peruviani* cum *Laudano* commixti tentando experiri decrevi. Neque temerario quidem, siquidem ut ut *Cortex* amaritie sua tenera Intestina pruritando, Fluxum Alvi adaugere aptus sit; cum *Laudano* tamen, quod Humorum colliquationem sistit, sensumque Intestinorum exquisitum stupefacit ac hebetat, commixtus, & irretitus, Venenatum Fermentum colliquativum subigendo, ad fluxum & Tormina simul ac febrem ipsa sistendam & compescendam jure merito idoneus haberi possit. Eventus votis respondebat. Primum autem vires decantatissimi hujus febrifugi *Antidysentericas* experiendo comprobavi in Ægro habitante in vico dicto *Loug-Lane*, Disenteria *Tertiana* laborante; Hujusmodi enim aliquæ Mihi in Praxi occurrebant, ubi Tormina & fluxus Alvi mucosus & sanguineus, tertio quoque die, hora stata, non obstante diligentissimo *opiatorum* usu, recrudeſcebant: Cum in intervallis, truculenta hæc Symptomata, adminiculante *Laudani* Dosi pusilla, vel sua sponte sæpius mitigarentur. Arrepta igitur prima Symptomatum Remissionis occasione, sine mora ℥j. *Corticis* cum *Laud. Lond.* gr. j. commixtam, in Haustu exhibendam jussi, repetendamque deinceps quarta quaque hora ad sextam usque vicem. Quid fit; Tantum abesse observavi ut Intestina ab amaritie *Corticis* proritarentur, ut illicò senserim ea facilius à *Laudano* cum *Cortice* commixto, quàm cum *adstringentibus* conjuncto compesci & demulceri; A quinto autem, vel sexto Haustu exhibito fluxum ac Tormina, unà cum febre reliquisque Symptomatis comitantibus, penitus exulasse, neque unquam in posterum Periodis solitis recruduisse: Atque hæc Observatio animos Mihi addidit, ut in ipsis *Quotidianis Dysentericis*, quoties scil. & quamdiu se de genere *Synochæon* ex quantulacunque alternante Symptomatum Exacerbatione & Remissione, & non *Malignas* esse proderent, Pharmaci hujus *polychresti* vires, modo jam memorato experiret: Neque eventus, mehercule, spem meam fefellit. Et nullus dubito quin *Diarrhœa* quævis *Epidemia*, & quæcunque alia cum febre juncta, imò febres *Castrenses* cum hujusmodi Symptomatis ut plurimum sociatæ, nimirum *Synochis* Spuriæ, hac methodo compendiaria multò certius sanari possint, quàm magno illo Apparatu

paratu *Rhabarbari*, *Myrobalanarum*, *Adſtringentium* & *Opiatorum*, quæ Methodum Curationis horum Morborum hucuſque implerunt. At de his poſthac fuſiùs in *Exercitatione* quinta de Febribus Colliquativis. In præſentiarum eas ſupremis labris (ut ajunt) duntaxat delibo eo fine, ut oſtendam *Dyſenteriam* ac *Diarrhœam* torminoſam, quæ ferè per ſeptennium vigebant, ac unoquoque Autumno ab anno 1666. uſque ad annum 1672. ſolenniter hic *Londinenſes* revireſcentes ubique Epidemicè graſſabantur, ſubortas fuiſſe à Febre verè *Synochi*, quam eo nomine appello *Synochi Spuriam*, quia cum vehementi Humorum Colliquatione eorumque per Inteſtina excretione conjungebatur. Atque equidem, ut à vera ac genuina Ideâ hujus Morbi formata, Curativæ Indicationes in poſterum certiores deſumantur, Mihi in votis eſt, ut communi Medicorum conſenſu *Diarrhœa*, & *Diſenteria Caſtrenſis*, ſeu quæcunque alia *Epidemia* nomine proprio *Synochcos Spuriæ ac Colliquativæ* poſthac deſignetur.

(*a*) Quemadmodum Febris *Sinochis* genuina ab anno 1665. (in quo *Peſtis*, Veneno ad gradum ſummè deleterium provecto, caput ſuum extulit (ferè per biennium profligata diſparuit, nec amplius recedente ſole graſſata eſt ut ante; Ad eundem modum *Sinochis* hæc *Spuria* & *Colliquativa*, *Diſenteriæ*, & *Diarrhœæ* Torminoſæ nomine deſignata, quæ poſt *Peſtem* ſubintrans, unoquoque Autumno, ferè per ſeptennium repullulans & longè lateque ſerpens imperium ſuum hic loci exercuiſſet, penitus exulabat. At locum dedit *Morbor. Epidem.* qui ad inſtar Peſtis mitioris nulli ſexui vel ætati parcentes, adeò menſibus anni 1672. autumnalibus *Londini* ſæviebant, ut tercenti plus minùs inde confecti, quaque hebdomada ad Orcum deſcenderent. At hi nunquam Epidemicè in poſterum hucuſque graſſati ſunt. Quantum verò hæc ipſa *Peſtilentialis*, & *Epidemia Febris Morbilloſa*, poſt *Acmin* ſuam, ubi ſcilicet ſalutarem eventum habitura fuit) ſpeciem Febris *Sinechcos* referebat, atque quàm egregiè *cortex peruvianus*, eo nomine, in Curatione ejus perficienda partibus ſuis functus ſit, poſthac ſuo loco enarrabitur; ſcil. in *Exercitationis tertiæ* Cap. II. ubi *Morbillos*, & Febrem *Scarlatinam* ex profeſsò tractaturi ſumus.

[*b*] *Morbilloſa* autem hac Conſtitutione, poſt tyrannidem ad ſex menſes durantem, jam demùm ſub finem hyemis ſenſim declinante, ac tandem penitus exulante Venenum Febriferum deinceps proximo Autumno, ſcil. an. 1673. quadantenus miteſcere & cicurari videbatur, & mitius hucuſque eſt. Unde Febris, quæ unoquoq; anno à Menſe Auguſto uſque ad Solſtitium hyemale antehac epidemicè graſſabatur non amplius *Diſenteriæ* vel *Diarrhœæ* Torminoſæ ſpeciem induit, vel cum quocunq; altero vehementi Symptomate conjuncta fuit; verum typum eundem ad viceſimum uſque annum gerit, quem ante *Peſtem*, quæ annis 1765. & 1666. vigebat, præ ſe tulit: Et forſan eundem typum ſervatura eſt, donec à Peſte aliqua exitioſa in procinctu ſtante Venenatum Fermentum mutari, & in gradum magis deleterium provehi contingat. Fateor equidem à gradu Veneni mitiori, nonnullis annis, præſertim ab anno 1677. ad 1682. (quo tempore circumforaneus ille *Tabor Corticem Peruvianum*, pro *Arcano* cæteris Medicis ignoto venditans, ſeſe Febrium *Æſculapium* unicum jactabunde gloriabatur) Febres *Intermittentis Quotidianas*, *Tertianas*, *Quartanas*, fere pari paſſu cum *Synechcos* Epidemice graſſatas eſſe; Atque annis nuperis, præſertim durante ἀκμῇ Conſtitutionis; Menſib. ſc. *Septembri & Octobri*, à gradu Veneni plus ſolito irritante, has ipſas *Sinochis* aliquan-

[a] *Morbilli Epidemii anno* 1672. [b] Synochis *Simplex unoquoque Autumno ab anno* 1673. *ad præſentem annum* 1692. *Epidemia*.

quando cum vehementi aliquo Symptomate conjunctas, non tantum ſpeciem *Diarrhœæ* & *Diſenteriæ* periodicæ, verum etiam *Choleræ* Morbi, *Vomitionis* immanis, *Rheumatiſmi* verſatilis, *pleuritidis*, *Colicæ* Ventriculi & Inteſtinorum, ſeu alterius alicujus Morbi acutiſſimi induiſſe: Quin etiam has ipſas *Sinechis* non tempeſtive aut rite curatas, à Veneni incremento, in *Malignas* & funeſtas ſæpenumero degeneraſſe; & nonnunquam à gradu Veneni præter modum Deleterio in primo inſultu Malignas extitiſſe, *purpuratas* ſcilicet *petechiales*, vel *Morbilloſa Efflorescentia*, *Veſiculis aqueis* per collum, & Pectus ſparſis, *parotidibus*, *bubonibus*, *anthracibus*, cæteriſque Malignitatis indiciis notatas. Verum cunctæ hæ Febres, ſive *Sinechis* Spuriæ, ſive Malignæ, *Sporadicæ* duntaxat fuerunt, neque contagione, ut in Peſtilentialis Conſtitutione, ſeſe propagabant. Febris unica *Epidemia*, quam ſingulis Autumnis jam per quatuor luſtra annorum ſolenniter repullulare obſervavi, fuit vere *Sinechis* ſimplex & quæ *Cortice* tempeſtive exhibito ſemper cedere ſolebat. Neque Conſtitutio *Varioloſa*, *Eriſipelatoſa*, *Scarlatina*, *Rheumatica*, *Anginoſa*, *Pleuritica*, vel ſi qua ſit alia, in una vel altera anni tempeſtate graſſata, adeò Venenum Autumnale mutavit, ut Febris Epidemia, in tot Annorum decurſu, à Typo ſolito quicquam deflecteret, aut novo diverſoque tenore procederet.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM.

Littera H. *denotat Hiſtoriam.*

A

Abdominis Spaſmis in Febre Intermit. tente. H. Pag. 257
Abdominis Spaſmis in Febre Remittente. H. 290.
Acrimonia Sanguinis Symptomata. 294
Acutus Morbus quid. 208
Acutorum Morbor. Symptomata in genere Nervoſo. 191
Acutorum Morborum Curatio à Veteribus inſtituta, conformis Hypotheſi Authoris de Ægrotatione Spirituum Animalium. 194.
Acutorum Univerſalium, & eorum Symptomatum Ratio Formalis. 195.196
Aeris Malignitatis Morborum Cauſa. 197. 198.
Variolarum & Morbillorum Cauſa. 201 200. 207. 272.
Aetiologia Morborum & Symptomatum ex Anatomia petenda. 181
Alcalium uſus. 284
Alexipharmacorum uſus. 285
Algor præternaturalis. 192
Algor in Paroxyſmo Febris Intermittentis ad triduum continuatus. 198. 199. 209
Algor iſtiuſmodi quomodo tractandos. 213
Algor quo intenſior vel remiſſior in primo inſultu Febris, eò magis minuſvè Deleterium eſt Venenum ſcilicet Fermentum Febrile. 199
Algor Univerſalis. 242. H. 244. 245
Alvi adſtrictio in Febre Continente. 281
Alvi Fluxus Symptomaticus. 310
Vid. Diarrhœa.
Amara Febrifuga. 217
Unde vis eorum Febrifuga. 218. 219
Vi Ecphratica pollent. 169
Anaſtomoſis nulla Venarum cum Arteriis. 145
Anatomia neceſſitas. 181
Anatomica diſquiſitio Medici & Philoſophi eſt diverſa. 182
Andreas Mervill ex ignorantia Medici Fati occubuit. 213
Anginoſorum Dolorum in Febribus Cauſa. 201
Anima non ægrotat. 186
Animi Pathemata. Vid. Pathemata. *ib.*
Antidotorum Modus operandi. 230
Antimonium Diaphoreticum Febrifugum. 216
Antipathia ex Idioſyncraſia orta. 224
Aphthtarum in Febrib. Cauſa. 201
Aphthæ Albæ. 280. 293. 305. 309
Apoplexia Symptomata Febris Intermittentis. 210
Apoplectici tractatio. *ib.*
Indicationes in hoc Morbo. 213. 244. 262. 263.
Appetitus depravatus. 200.
Aqua minerales præparatæ. 214.
Ardentis Febris Symptomaticæ Curatio à à Veteribus inſtituta. 283
Ab Authore inſtituta. 306
Arſenicalis Veneni Symptomata. 232
Arthritis quos maximè affligit. 191

B

Boli Armenæ Vis ex obſervatione Fracaſtorii. 233

C

Caloris Febrilis Symptomata. 189
Calor in exceſſu Sudores impedit. 202
Caſtrenſis Febris. 314
Cathartcorum uſus ſub finem Febris continentis. 287
Cathartica non uſurpanda ante uſum Corticis Peruviani. 238

Niſi

Nisi in Cachexia insigni. Pag. 242
*Cathartico*rum noxa in Febris Intermittentis Paroxysmo. 212
Caustici Veneni Symptomata. 233
Cephalalgia Causa. 190. 199. 271
Symptomacicæ Curatio. 282. 283
Cerebri textura. 184
Cerebrum est totius fœtus origo. 182
Cæteras partes proportione superat. 279
Officina Spirituum Animalium. 185. 188. 190. 189
Chalybeata vi Abstersiva pollent. 218
Chamæmeli Florum virtutes Febrifugæ. 191. H. 221
China china. Vid. *cortic peruv.* 266
Chlorosis Scorbutus particularis in genere Nervoso. 191
Chloroseos Causa. 201
Symptomata. 191
Chalybe profligatur. 187
Cholera Morbi Symptomaticæ Causa. 200
Choleram Morbum simulat Febris Intermittens. 210. 211
Curatio. 214. 215. H. 253. 249 243. 262
Cholera Morbi Symptomaticæ in Febre Remittente curatio ab Authore instituta. 286. H. 290
Chronicorum Morborum Symptomata in Genere Nervoso. 191
Chronicorum Morborum Universalium Curatio. 194
Ratio formalis. 195
Chronicus Morbus Quid. 196
Paroxysmi in *Morbis Chronicis*. 197
Cibus Quantitate aut Qualitate peccans Morborum Causa. 192
Cinnabaris Nativæ Vis. 189. 190
Colicam Ventriculi simulat Febris Intermittens. 259
Curatio. *ibid.* H. 255. 209
Colicam Intestinorum simulat. H. 255. 256
Colicam simulat Febris Remittens. H. 294. 295
Comatis Causa. 200
Coma in Paroxysmo Febris Intermittentis. 247. 200
Indicationes. *ibid.*
Contagionis propagatio. 187. 190
Continuam Febrem indegenerat Febris Intermittens. 209. H. 240.
In *Continuam* degenerat *Continens*. 268. 288. H. 318. 308. 310. 311
Convulsiones in infante simulat Febris Intermittens. H. 264
Corporis Textura est Vascularis. 264. 185. 194
Cortic. Peruv. descriptio. 218
Locus Natalis Arboris. ibid.
Nec Lignum nec Folia sunt Febrifuga. 219
Resina exudans, & fœmina sunt Febrifuga. ibid.
Virtus *Corticis* Indis olim nota. ibid.
Unde Europæis innotuit. *ibid.*
Unde Pulvis Patrum dictus. ibid.
A Comite del Cinchon Quina Quina. ib.
Vis ejus Febrifuga non consistit in tenuitate partium. 221
Nec in Caliditate aut Siccitate manifesta. ibid.
Nec in ulla manifesta Qualitate. 227
Consilium de *Cortice* supprimendo. 220
Caliditas aut Siccitas *Corticis* non impedit ejus Virtutem Febrifugam. 221
Cortex non est Frigidus aut Narcoticus. 226. ibid.
Argumenta contra *Corticem*. 221
Solutiones. 325 & seq.
Unde vis ejus Febrifuga. 221. 228
Vis ejus febrifuga non ab Evacuatione sensibili. 227. 228
Corticis Electio. 235
Corticis Præparatio. 237
Genuini Criteria. 236
Cortex Officinarum maxima ex parte adulterinus. 235
Corticem præscribendi Formulæ. 237. 239
Non sumendus cum Regimine. 238
Canones de usu *corticis*. 238. 239
Cortex non est causa Recidivationis Febrium. 209
Cortex non est causa Tabis. 228
Non est quid Venenatum. 224
Ejus Usus in Febribus Continentibus. 269
Curativa Indicationes unde petendæ. 182
Curandi Methodus in uno eodemque Morbo sæpe diversa. 269. 271. 277
Cutis poros suos ad nutum Spirituum Animalium constringit & dilatat. 201
Cutis Siccitatis Causa. 200

D

Decoctum Amarum Authoris. 217
Deliriis Causa. 208
Diæta in Paroxysmo Febris Ephemeræ. 204
In Paroxysmo Febris Intermittentis. 212

In Febre *Synochi*. Pag. 191
Diaphoretica vigente Febre perperam exhibentur. 202
Incommoda eorum in Febre intermittente. 212
Diarrhœa Causa. 200
Symptomaticæ in Febre Continente Curatio à Veteribus instituta. 281
Ab Authore instituta. 286
Diarrhœa Epidemica. 312
Diarrhœa simulata à Febre Intermittente. 211. 242
Curatio 211. 214. ibid. 246. ibid. 247.
Corticis Exhibitio in Curatione *Diarrhœa*. 242
Diarrhœa simulata à Febre Remittente H. 246. 244. 294
Diaphragmatis Spasmos simulat, Febris Intermittens. H. 250. 251
Dysenteria simulata à Febre Intermittente. 211. 242
Curatio. 209. 214. 215. 246. ibid.
Dysenteria Londinensis Epidemia. 312
Ejus Curatio. 313
Dysuria à Vesicatoriis. 306

E.

Ecphracticorum usus. 194
Emitici usus ante tertium Paroxysmum in Febre Intermittente. 212
Incommoda in Paroxysmo. ibid.
Emetica non usurpanda ante usum Corticis. 238
Emeticum sene propinatur ante usum Corticis, Nausea suadente. 238. 239
Emetici Veneni Symptomata. 232. 282
Empirici. 279
Emplastra Carpis adhibenda. 216
Enemata. 281
Errum Incommoda in Paroxysmo Febris Intermittentis. 211
Entis Veneris usus. 302
Ephemera Febris. 284
Eius Symptomata. ibid.
Causæ Procatarct.cæ. ibid.
Indicationes. ibid.
Diæta. ibid.
Epileptici Insultus periodici. 194. 207
Epidemicorum Morborum causa. 191
In *Erysipelatosa* Febre Sanguinis fœtor. 189
Erysipelatosam Febrem simulat Febris Intermittens. 211
Eius Curatio. 214. 215. 261.
Errores Practicorum in Febris Continentis Curatione. 278
In Curatione Intermittentis. 215
Evacuatio indicatur in Plethora & Cachexia. ibid.

F.

Febris Acuta definitio. 198
Causæ Procatarcticæ. ibid.
Symptomata in primo insultu. 199
Indicationes. ibid.
Symptomata Febrilia. 198. 199
Eadem sunt cum iis quæ à Toxico assumpto sequuntur. 203. 331
Indicationes Febriles. 200
Symptomata in Humoribus. 201
Curatio radicalis Febrium. ibid.
Criseos signa. 292. 203
Crisis. 202
Febrilis Antidotus. 201. 232. 219
Febris Ardens, Vid. *Ardens*.
Castrensis. Vid. *Castrensis*.
Ephemera. Vid. *Ephemera*.
Intermittens: Vid. *Intermittens*.
Maligna si. *Synochos*. Vid.
Maligna si. Synochos.
Synechis *Vid.* Synechis.
Febrium Synopsis. 204
Febres discriminantur à Fermento Febrili. 268
Febres gradu tantum differunt. 269
Symptomata Veneni in *Febribus*. 232
Febrifuga, Pericarpia. 216
Chymica. ibid.
Amara simplicia. ibid.
Febrifugum non est propinandum durante Paroxysmo. 213
Fermentum Universale Totius Corporis. 185
Fermentum Febrile. 207. 231
Est *Venenum*. 231. Vid. *Venenum*.
Fermenta in quantum Febres discriminant, gradu tantum differunt. 268
Fermentum Febrile debilius, æquale, vel fortius Viribus Spirituum diversam producit Febrem. 370
Fluxus Alvi: Vid: *Diarrhœa*.
Fœtus origo prima. 182
Fomes, quem Antiqui causam Paroxysmorum in Febribus statuerunt, reiicitur. 194. 217
Frigus Morborum Causa. 192
Cutis poros constringit & Sudores impedit. 203

Heb.

H

Helmontii Archiæus. 185
Hemicrania Periodica. 209. 244. H. 263
Hemitritæa Febris. H. 217. 265
Humorum Dyscrasia Spiritus afficit. 187
Humorum Sphacelo affectorum Symptoma. 190
Hypochondriaci & *Hysterici* affectus à Spiritibus crudis & flatulentis oriuntur. 187
Chalybe profligantur. ibid.
Illorum Fomes in genere Nervoso. 191. 207
Symptomata. 199
Illorum Vigiliæ temperantur Ente Veneris. 272
Tempore Paroxysmi insigni Urinæ profluvio corripiuntur. 196
Illorum Saliva Acris. ib.
Hysterici insultus Periodici. 194. 199

I

Infusio Croci Metallorum Febrifuga. 216
Intermittentis Febris definitio. 207
Causæ Procatarcticæ. ibid.
Symptomata. 207. 208
Duratio Paroxysmi. 208
Causa paroxysmi. 211. 208
Febris ipsius Duratio. 208. 209
Recidivationis Causa. 209
Diagnostica. 210. & seq.
Prognostica. 211. 215
Indicationes Curativæ. 211
In Paroxysmo. 211. & seq.
Extra Paroxysmum. 215
Curatio. 208. 233. & seq.
Febris Intermittentis tractatio cum Symptomatis alterius Morbi. 213
Paroxysmi sunt peracuti, Morbus ipse Chronicus. 209
Ad Morbos graviores viam sternit. 210
In Malignam Febrem mutatur. H. 256
Cum Dolore Nephritico coniuncta. H. 264
In parvulis in primo insultu Continuæ Typum induit. 208
Symptomata Veneni in *Febre Intermittente*. 231
Intermittens Epidemica. 311
Quo in loco & quo tempore fiunt Epidemicæ. 207. 273

L

Lassitudinis Ulcerosæ Causa. 190. 191
Lateralem Dolorem punctorium simulat Febris Intermittens. H. 257
Lienteria in Febre Remittente. H. 294
Lues Venerea. 188
Lumbaginis Causa. 200. 271
Curatio. 282
Lympha non est Morbosa. 285
Colliquatur in Febribus Continentibus. 284

M

Machina Corporis constat ex Fibrillis expansis Cerebri. 193
Malignitatis Notæ. 268. 316
In Febre *maligna* Sanguinis fœtor. 189
Febrium *malignarum* Curatio a veteribus instituta. 193
Crisis. 202
Indicationes cum Cortex Peruv. Antidotus Febrilis nullius est usus. 192
Febris *maligna* in constitutione Epidemica in primo insultu est Continens. 269
Febres *malignæ* prope Crisim in Continentes mutantur. 268. 157. Vid. Para in *Synochos*.
Medicinæ definitio. 181
Subiectum generale & speciale. ibid.
Instrumenta. ibid.
Eius apparatus. ibid.
Medicamenta Specifica. 195
Eorum notitia Experientia acquiritur. ibid.
Eo melius operantur quo simpliciora. 236
Spirituum Animalium motus compescentia nullum relinquunt Miasma in Sanguine, per aliud Remedium evacuandum. 187
Medicamenta Sale Volatili abundantia. 194
Medico Notitia quæ necessaria. 181
Medici Hypotheses unde desumendæ. 189
Ad Naturæ Normam debet Mandata sua Diætetica & Pharmaceutica dirigere 211
Medicus Naturæ ancillatur. ibid. 280
Medullæ oblongatæ Textura. 182
Melancholia hypochondr. Vid. *Hypochondriacus Affectus*.
Mercurialis Veneni Symptomata. 233. 278
Methodus medendi Antiquis usitatissimus con-

formis Hypotheſi Authoris de Morborum origine in genere Nervoſo. ibid.
Morbilli. 199
Symptomata. ibid.
Epidemii. 313
Morborum Schema. 196
Morborum Semen eſt aliquid Heterrogeneum. ibid.
Cauſæ. 188. ad 189.
Metaſtaſis. 192
Sunt vel Chronici vel Acuti. 195
Morbi Partium mediatè oriuntur ex mala Diatheſi Spirituum Animalium. 190. 194
Morbi partium. 194
Morbi primariò Univerſales ſunt immediate in Spiritibus. 187. 188. 189
Secundariò Univerſales, ſunt immediate in Spiritibus. 189
Morborum Univerſalium Diviſio.

N

Nauſea Symptomaticæ Cauſa. 200
Nauſea Pharmacorum unde. 230
Nauſea Symptomatica in Febre Remittente. 291
Nervi Spirituum Animalium Canales. 184
Nervorum Figura & Ortus. ibid.
Sex rerum *Nonnaturalium* abuſus Morborum Cauſa. 195

O

Obſtructionis aperit Cortex. 224. 225
Ophthalmia Symptomatica.
Opiatorum Uſus. 287
..... Incommoda in Paroxyſmo Febris intermittentis. 211
..... Remittentis. 279
Oris Ariditatis Cauſa. 273
Oſcitationis Cauſa. 190

P

Paracelſi præcipitatum Diaphoreticum non eſt Optimum Febrifugum. 216
Paralyſis fit à Spiritibus ſtupidis. 188
Paralyticorum Fibræ in principiis Nervorum humiditate curantur. ibid.
Paroxyſmorum in Febribus intermittentibus Cauſa. 193. 182. 267
Non fiunt per Antiquorum Fomitem. 192
Paroxyſmi in Morbis Chronicis. 199
Partus Dolores ſimulat Febris intermit. tens. 190
Pathemata Animi genus Nervoſum afficitun. 187. 188 190.
Morborum ſunt Cauſæ. 189. 191. 203
Variolarum & Morbillorum Cauſæ. 200
Pericarpiorum uſus ante tertium Paroxyſmum Febris intermittentis. 211
Formulæ. 216
Peripneumonia à Febre intermittente ſimulatæ Curatio. H. 1623. 214. 258
Peſtis Epidemica. 312
Phthiſis ſimulata à Febre intermittente. H 247
Pharmaceutica ad Praxin neceſſaria. 181
Pharmacorum Nauſea unde. 230
Phreneticorum Dolorum in Febribus Cauſa. 201
Pleuritidem ſimulat Febris intermittens. 210. Eius Curatio. 216
Pleuritis ſimulata à Febre continent. 297
Potus Quantitate aut Qualitate peccans Morborum cauſa. 192
Pullorum Columbinorum Applicatio ad Pedes. 284
Pulmonum & aliarum partium Animalium Uſus. ibid.
Palſus fortioris cauſa. 100
Quina Quina. Vid. *Cortex Peruv.*

R

Reſpirationis inordinatæ cauſa. 200
Rheumatiſmus fit à Spiritibus Siccis & inflammatis. 187
Quibus uſitatiſſimus. 193
Dolores qua Verſatiles. 200
Rheumaticorum Dolorum in Febribus cauſa. 201
Rheumatiſmum ſimulat Febris intermittens. 210. 244. 229
Rheumaticus Dolor Lateralis ſimulatus à Febre *Synochei*. H. 269
Rheumatica Synochis in Malignam mutata. H. 271
Rheumatiſmum ſimulat *Synochis* Spuria. H. 303. & ſeq. 190
Rigoris cauſa. ibid.

S

Sal Abſinthii Febrifugum. 216
Saliva Acris. 199
Sanguinis Ardentis Symptomata. 190
Sanguinis æ pabulum Spirituum. 183. 195

Sanguinis Crasis immutatur à *Spirituum Animalium* Morbis. 183. 185. 189
Sanguinis Circulatio in Corpus Musculorum. 185
Sanguinis vitiata Diathesis Spiritus Animales corrumpit. 187
Scarlatinam Febrem simulat Febris Intermittens. 210
Curatio. 215. H. 261. 262
Scorbutus fit à Spiritibus Segnioribus. 195
Symptomata. 179. 191. 119
Singultus Causa. 201
Sitis Causa. 182. 204
Spasmorum Origo. 184. 185. 187. 190
Spasmos simulat Febris Intermittens. 243. H. 251
Spasmodici dolores fixi. 200
Spasmodici Status in Febre Continente Curatio secundum Veteres. 283
Ab Authore instituta. 290
Spiritus Animales existunt. 182. 183
Primum Principium Activum Machinæ Corporeæ. 183. 186
Eorum Officina Cerebrum. 185. 187
Uniuntur cum Sanguine. 186
Eorum ope Anima Corpori unitur. 184. 186
Eorum Canales. 184. 185
Ex aeris particulis conficiuntur. 185.
Mediam Naturam inter Corpus & Animam sortiuntur. 182
Illorum Vires. 186
Spiritus Animales possunt Morboso Fermento inquinari. 182
Labem Sanguinis participant. 188
Crasin Sanguinis mutant. 186
Ex Animi Pathematis & Aeris iniuriis afficiuntur. 188
Illorum Morbi sunt multiplices. 187
In Morbis Acutis nimis exaltantur. 194
Eorum influxu impedito partes inferiores exsolvuntur. 219
Ab eorum Explosiones Spasmi. 184 185
Spirituum Ægrotantium Symptomata. 189
Plus periculi in Defectu quam in nimia Exaltatione Spirituum. 211
Sphacelationis Humorum Symptomata. 189
Strangulationem simulat Febris Remittens. 295
Sudores signum Criseos. 203
Dependent à laxitate pororum. *ib.*
Sudores impedit aut Calor aut Frigus in excessu. *ibid.*
Sudores Frigidi in paroxysmo Febris Intermittentis. 213
Synochis Febris. 268. 288. 306. 309 267. 269
In *Synochon* mutatur. H. 311. 312
Est vel *Simplex* vel *Spuria*. 270
Simplicis descriptio. *ib.*
Symptomata. 271
Causa Procatarctica. 273
Diagnostica. 272
Prognostica. 269
Indicationes. 270
Curatio à Veteribus instituta.
In *Synochon* mutatio. 284
Ab Authore instituta. 234
Synochos Spuria Diagnostica. 272. Curatio. 131
Symptomata Veneni in Febre.
Synochei. 230
Synochos Augmentum. 269
Status. *ib.*
Mutationis in *Synochon* Signa. 270. 271 280
Crisis. 269. Criseos signa. 270
Declinatio. 271
Methodus Febrifuga rationalis. 280
Regimen in Febre *Synochi*. *ib*
Corticis in Curatione Febris.
Syntocheos. 270. 265
Synochis in Intermittentem sæpe facessit. 311
Synochis Epidemica. 311. 314
Quibus in locis & quo tempore fit Epidemia. 281
Synochos sive continua. 268
In principio continens videtur. 268 310
In infantibus facile in intermittentem transit. 269
In Principio in *Synochi* mutari potest. 274
Curatio. 278
Quid observandum in curatione. 288
Prognostica. 269. 268
Non potest sanari priusquam sit *Synochis*. 270
Symptomata Veneni in hac Febre. 231
Suppedaneorum usus. 203. 204. 286
Surditas ex Usu corticis. 223
Sympathia partium. 193

T

Tactus percipit Spiritus Animales. 184
Tertiana Febris. H. 222. 265. 166
Teſtaceorum Uſus. 281
Thoracis Spaſmi à Febre Intermittente. H.
Topica operantur per effluvia emiſſa. 232
Toxicorum virulentia non conſiſtit in Qualitatibus manifeſtis. 230
Tuſſis Febrilis curatio. 287

V

Variolarum Symptomata in Genere Nervoſo. 191
Variolarum primus inſultus cum illo Febrium convenit. 200
Veneni definitio. 229
Non agit in humores primario. 229. 230
Effectus in corpore. 225
Fons eſt ſymptomatum Febrilium. 200
Modus operandi cognoſcibilis ab effecto tantum. 230
Veneni gradus intermittentem Febrem producens. 267
..... *Synochi* producens. 268
..... *Synochi* Mixtam producens. 268
..... *Synochon* producens. 268. 269
Veneni Symptomata *Emeticam* ac *Cathorticam Naturam participantis*. 242
Veneni Cantaridibus congeneris Symptomata. 233
Veneſectionis incommoda in Paroxyſmo Febris intermittentis. 213
Veneſectio quo in caſu celebranda ante uſum corticis. 242
Vertiginis Cauſa. 191. 200
Vertigo ex uſu Opii. 200
Veſicatoriorum Uſus. 204. 213
Vigiliarum Cauſa. 201. 271
Curatio. 266. 287
Benedictum omnia à Cerebro ortum ducunt. 182
Viſcus quercinus. 188
Ungula Alcis. *ib.*
Univerſales Morbi. Vid. *Morbi*.
Vomitionis Symptomaticæ. Cauſæ. 200
Vomitio Symptomatica in Febre Intermittente. 210. 243
Eius Curatio. 211. H. 242. 262
Curatio *Vomitionis* Symptomat. in Febre Continente ſecundum veteres. 282
Ab Authore inſtituta. 289. H. 209. 295
Urinæ Turbidæ ac Rubedine tinctæ. Cauſa. 200

FINIS.

RICHARDI MORTON

Med. Doct. & Reg. Coll. Med. Lond. Socij.

PYRETOLOGIA,

SIVE

TRACTATUS

DE

FEBRIBUS INFLAMMATORIIS UNIVERSALIBUS

VARIIS HISTORIIS ILLUSTRATA.

RICHARDI
MORTON

Med. Doct. & Reg. Coll. Med. Lond. Socii.

PYRETOLOGIA:

SIVE

TRACTATUS

DE

FEBRIBUS INFLAMMATORIIS
UNIVERSALIBUS

VARIIS HISTORIIS ILLUSTRATA.

AD LECTOREM.

EXercitatione duas de *Febribus Intermittentibus & Remittentibus* antehac editas, en tertia (prout ratio propoſita poſtulat) de *Febribus inflammatoriis Univerſalibus* excipit, quam Clariſs. & Eruditiſſimorum Profeſſorum tum noſtratium cùm exterorum hortatibus incitatus in lucem jam emitto, in qua de Febre Rheumatica, Eryſipelatoſa & herpetica diſſerere, & hanc penſi partem abſolvere decreveram : Verùm Voluminis moles præter expectationem aucta vetat, vetant plurimi celeberrimi Viri, quibus fidem datam manco & mutilo hoc tractatu ſaltem ea parte liberare lubet. Fidem autem datam non fallam, verùm, modò Deus vitam & otium det, opus incœptum pro Virili ad Umbilicum ducere conabor. Non eſt autem quòd ſententiam noſtram in Apparatu harum Exercitationum latam, nimirum quod *Venenum Spiritus inficiens ſit Morborum Univerſalium Cauſa*, rurſus hic loci multa Verborum ambage defendam (quanquam hoc Poſtulatum à priori demonſtrari haud poſſit) cum in morbis, quos jam tractamus & cæteris poſthac tractandis res ipſa clarius loquitur quàm mille argumenta ratione & arte excogitata. Quid? quòd abunde conſtat ad iſthanc Cauſam tanquam ad Cynoſuram reſpicientes, quaſi Ariadnes filo ductos non poſſe non ubique in reconditiſſima Naturæ penetralia certò ac facile penetrare, variam horum morborum indolem & Criteria Diagnoſtica perſpecta habere, præſagia rite proferre, indicationes Curativas elicere, & methodum medendi rationi atque uſui congræentem ſtabilire, & cujuſcunque ſymptomatis ſuborti rationem clare reddere : Quocunque enim nomine hi morbi appellentur, ſive *Morbilli*, ſive *Febres Scarlatinæ*, *Variolæ*, *Rheumatiſmi*, *Herpetes Miliares*, vel *Eryſipelata*, pro ratione Veneni Morbifici Spiritus plus minus peſſundantis, Morbus aliam atque aliam formam induit, atque prout naturam Febris *Synechcos* benignæ, vel *Synochos* mali moris participet, diverſa methodo jure merito tractari poſtulat. Dolet quidem me in hac Diſſertatione à Sententia magni *Sydenhamii* diſcrepaſſe: Sed rationibus in Cap. ſeptimo hujus Exercitationis penſitatis conſtabit me multo uſu fretum atque experientia edoctum non rixandi, vel certandi gratia, verum reluctanti animo contradixiſſe. Pace igitnr magni Viri, mihi etiam liceat liberam Philoſophiam ubique profeſſo, pro modulo meo ſaluti humani generis hoc pacto proſpicere & conſulere. Vale, Candide Lector, & perge benigno animo, quo hactenus ſolebas, incomptum & levidenſe hoc noſtrnm Munuſculum in bonnm partem accipere.

Ad Amicum literatiſſimum, ingenioſiſſimumque R. M. M. D. utriuſque Pyretologiæ Authorem.

MOrtone, dubiam doctus inſequi Febrim,
Quacunque vultus obtegit ſuos larva,
Quum tabe vires gradibus atterit lentis;
Vicibuſve membra ardore vel gelu invadit,
(Menſeſque Juni & Julii ſimul jungens,
Madagaſcaræque clina cum ultima Thule,
Opprobrium uſque huc Pharmaceutices audit)
Coccòve, purpurave epidermidem pingit;
Vel purulentis ora puſtulis fœdat;
Carbunculiſve peſtis egerit virus;
Dum multiformem Protea, (efferum monſtrum
Variabilemque in quodlibet genus monſtri,)
Tu multiformi Pharmaco potens pellis:
Miramur omnes uberem Ingeni venam;
Medicùſque Pergamenus, aut Cous, nobis
Elapſa poſt multa ad ſuperos redux ſæcula,
Epidauriòve Divus Anguis ex Fano,
Aut anguiformis Genitor ipſus Aſclepi,
Videri; Anglos inter ut cluas Arte,
Machaonaſque quoſvis exteros vincas.
Columbe, Mundi incogniti Revelator,
Aurifodinis meritus es minùs laudis,
Quam Patriam amici Corticis recludendo
At noſter à te proximus Revelator
Mortonus audit; nobilis doſes libri
Qui primus omnium ad uncias, drachmas, grana,
Reduxit; docuitque methodos miniſtrandi.
Nonne ergo par eſt, (dicite O ſati Phæbo)
Nè deſit inclyto Alexipharmaco nomen;
Habeatve dubium, (quod propè eſt idem ac nullum)
Cum ſcandalo vocetur; & gravi probro
[Malè nam omne Loyoliticum ſonat mundo)
Noxia putetur Arbor, non ſalutaris;
Mortonianus dicier ut velit Cortex;
Haſce exoleti ſi leves ſenis nugas
Mortone ſumas fronte, qua ſoles, æqua,
Illis Amicos inter & locum doctos
Dignere quemvis dare libri tui in fronte;
Unum hoc viciſſim te ultimo in loco poſco;
Lectoris veniam ut carmini impetres tardo;
Scazonte Jambos reptitante dum frango,
Podagricus Author ipſe cùm ſiem Scazon.

F. FORD, SS. Th. Profeſſ.

Ad

Ad eundem, de Pulvere, ut vulgò vocatur, Jesuitico.

PLanos Sophisticosque Circulatores,
Malè Jesuitas, omine & malo nomen
Suum dedisse pulveri salutari,
Quem præbuit contusus patribus cortex,
Quereris modeste Medicus; at fremit mundus,
Satis impudentèr, more quo solent, factum.
Subit interim ingens dedecus innocens cortex,
Titulo quod isto publicè datur venum.
Ignatianos quippe ut impios, vulgus
Maleficiorumque Archirectonas, horret:
Magicæque credit, Fascinove deberi,
Si Loyolæ quid utile efficit proles:
Illis venena, & toxica imputans ultro.
Scloposque, bombardasque, æneaque tomenta,
Sieasque, gladiosque, & nociva quæcunque
Fauxi cruenti, vel Ravillaci tractant;
Et si quid unquam vulnera aut neces infert,
Ignatianum nullus invidet dici,
Istumve titulum ad ultima ut gerat fæcula;
Pyrioque pulvere nuper esse grassatos
Meminere quivis, ad hominum & urbium stragem,
Regumq; cædes, atque Parlamentorum.
Proinde sapiant, atque propaginem Patres
Animo haud gravato jam suam recognoscant,
Consentiente [quod liquet) palàm mundo.
Et abdicatis salutaribus rebus,
(Quas rarus isti sobrius imputat genti;]
De hinc quibusvis Jesuiticum donent
Pulveribus illud exitialibus nomen.

S. FORD, SS. Th. Profess.

Clarissimo Viro D. Richardo Morton M. *D. Amico suo plurimum honorando.*

INnumeris objecta malis, & mille cadendi
Prona modis humana fuit Gens, undique telis
Cincta Necis, dirisque suas æquare querelas
Ærumnis conata. Manus Natura benignas
Protinus expandens, dedit arma exprompta cavernis,
Et gremio prognata suo medicamina, ut horum,
Viribus evictis morbis, sua fata repellant
Mortales, adeantque gradu testudinis Umbras.
Tunc sibi quisque fuit primò Medicaster, & omnes
Tentabant herbis, ut bruta Animalia, crudis,
Instinctu monstrante, suos pacare dolores.

Poſtea conſilia accedunt Rationis, & Artis
Additur auxilium: Sed jam Medicina nocivis
Obſeſſa eſt tenebris, & cum ſua pocula cæcus
Miſcebat Medicus, ſunt ſæpe illapſa venena.
Ars tamen increvit, Mediciſque oracula magnus
Edidit Hippocrates, cujus reverentia Patris
Tanta ſuos tenuit, vel tanta ignavia natos;
Divini ut placuit jurare in verba magiſtri,
Et ſupra *Herculeas*, quas fixerat ille, columnas
Progreſſa eſt Medicina parum, per ſecula longa
Vix incrementum ſenſit. Sed cura ſalutis
Humanæ movit Cœlos, & talia tandem
Dixere, *Hippocrates* ſis tu, *Mortone*, ſecundus,
Ægris adfer opem, fatales falle Sorores,
Res lima medicas, Orbi nova dogmata tradas,
Et vera, & praxin certam, methodumque politam:
Nec tibi commiſſos ceſſas urgere labores:
Nam tua Sarcophagis damnat medicamina triſtis
Expectatque diu latrante cadavera ventre,
Dum rapis ægrotos, & eorum funera tardas
Dum Tabem extirpas, quæ corporis ulcere fœdo
Partes pneumaticas rodit, duroſque tumores
Pulmonum ſolvendo, novo ſpirare vigore
Cogis, & ex imo Thorace reciprocus aer
Ludit ut in ſanis: Dum ſiccæ incendia Febris
Antidotis ſatagis fidis extinguere, & aura
Arte tua ſpirata ignitos ventilat ægros:
Dumque ſalutifera ſuperatos tota agmina dextra
Arte Morborum; plaudunt omnes, Natura triumphat.
Cùmque anguſta nimi viſa eſt provincia tanto
Ingenio, Anglorum ſolùm vigilare ſaluti;
Humani generis Medicus, Vir magne, remotis
Audis ipſe plagis, exerces praxin ubique,
Dum tua languentem ſpargis præcepta per orbem.

Clopton. Havers, M. D.
è Coll. Med. Lond.

Ad Clariſſimum Fœliciſſimumque Practicum D. D. Morton, *in ſuas Diatribas de Febribus Inflammatoriis, & Colliquativis, Carmen Gratulatorium.*

POſt Phthiſin exutam Spoliis, lentoque veneno
Quo valet, & molles ſpargit ubique neres:
Poſt exarmatas Febres. Flammiſque carentes,
Laurea quot fronti debita Serta tuæ;
Arma iterum ſumis, potuit quaſi facta rebellis
Inſtaurare acies Febris anhela novas:
Inſtaurat! nobis ignes meditatur & undas:

Tor.

Torreat an ſalvat corpora, ſervet opus:
Quaſcunque inſidias quærat Vitæ inſidiatrix,
Tu premis, indicio prodita flamma tuo eſt,
Eruis è cæcis trepidum penetralibus hoſtem,
Atque novas latebras non habet, unde petat;
Regia ſi quatiat ſolidæ Capitiolia Mentis,
Fulmine ut icta uno Machina tota ruat;
Dum tremuli ad Nervos famuli ſua penſa reliquunt;
Pulſus & excubiis Lucidus Ordo ſuis;
Acta licet rabie non ſine incendia pergunt,
Stantia Te Medicum tecta probare ſolent;
Totaque Te Medicum ſentit Nervoſa propago,
Quippe nec hic virus poſſe nocere ſinis;
Nam Tibi Fibrarum patuit levis incola, ocellos
Perſtrinxit radiis Nobilis aura tuos;
Clara Tibi affulget, qua nec divinior unquam
Cælitùs allapſa eſt irradiare diem.
Cernis ut hinc celerem trajecto fomite flammam,
Languida purpurei maſſa liquoris alit;
Concitus utque letex remeantia flumina ſpectans,
Sollicitum attonitus ſiſtit & urget iter,
Atque iræ impatiens ſolvit rupto obice ripas,
Et rapido ſolitas præterit orbe vias:
Hoc facit, ut monſtras, alieno percitus œſtro
Rivus, & ex alio fonte Venena bibit;
Accenſas fert inde faces laxoque Cruoris
Orbe, venenatas ſpargit ubique notas.
Haud impunè licet graſſetur flamma, vetuſtos
Ut mirum in cineres ni ruat uſta Domus;
Viſo hoc *Mortonus* ſubjectos increpat ignes,
Extinctoque nitent tecta ſuperba foco:
Quid memorem veſtras, vexata Cuticula, flammas?
Quidve Cutim, Numen, Diva puella, tuum?
Expedit hic ſordes, ſceleratáque ſtigmata delet,
Atque novas Veneres exhibet alma curis;
Morborum Pigmenta abeunt, vultuſque renitet
Purior, & Speculo lævior ipſe ſuo.
Externas jactare faces ſi laſſa recuſet
Febris, ut ipſa Domus interiora petat;
Corporis inque Adytis Veſtales ſuſcitet ignes,
Uſque vigil vigiles deſtruit Illos focos:
Mille modis teneris miſcere aconita medullis
Si ſciat, Hic novit pellere mille modis.
Febris ſin flammas alieno nomine celet
Extruat atque alios improba facta rogos,
Tu non obeſſæ Stator munimina Vitæ
Deſeris, aut liquida morte perire ſinis;
Fluxam Animam hic revocas, ne ſic retinacula rerum
Solvat, & in medias tota liquefcat aquas.
Nota nimis, poſthac larvata incidere Febris
Ceſſet, & invíſam diſſimulare luem.
Læta tuis Armis Victrix Natura triumphat,

Ultrò

Ultrò hoſtes tali Vindice freta petit.
Nota queror. Quidem tua roderè ſcripta ſolebant;
(Et tamen ingnavum peſcitur inde Pecus)
Dum rodunt, ſcribuntque eadem, Medicumque fatentur
Te ſatis, Authorem te ſatis eſſe negant:
Ecce Canes Domini veſtigia certa legentes!
Nempe Tuam calcant Te præeunte viam.
Te ſequar, ut fas eſt, noſtrum Pecoriſque magiſtrum,
Nam ſuperat Medicum pagina, facte Virum.

Job. Lasher, D. M. *Oxon.*

Clariſſimo, Spectatiſſimoque Viro D. Richardo Morton, *M. D.*

O Qui, medendum Gloria nobilis
MORTONE, Divis protegis Artibus
Vir Britannorum labentes,
Fila ſtudens religare Colothus
Invidit Orbis te ſatis Angliæ:
Nunc Solis inſtar, pluribus utile
Sydus tuis longè remotos
Vis populos recreare libris.
Non vana jactas dogmata, quæ pigro
Diſtans ab ægris feceris otio;
Non lecta ſcribis, quæve inani
Credulus audieris rumore:
Sed illa tradis, quæ labor improbus
Viſùque frequens experientia
Rimata naturam ſagaci
Te ſpatio docuere Vitæ.
Quibus favebunt millia teſtinum,
Quos tabe turpi depoſitos propè,
Morboque languentes maligno
Liminibus revocas ab Orci.
Natum nefandis territus unicum
Per te reducit Variolis parens,
Et ludit, externos avorum
Nomen opeſque ſuis relinquens.
Seu dira tentat ſolvere conjungem
Uxore Febris, mox tua ſpurias
Compeſcit Ars flammas, locùmque
Innocuo dat amoris igni.
Plaudant Britanni, teque ſuperſtite
Jam nullus illum lugeat amplius
Qui * Sanguinis motum retexit,
Aut Sydenham, Williſiùmque magis.
Oblita Belli Gallia te canat,
Cui Benignum Peruviæ librum
Talborus oſtendit, ſed omnes
Non potuit numerare vires.

Oventque

* *Harvæus.*

Oventque Belgæ fordida (a) faucium,
Et Luſitani (b) pectoris Ulcela.
Febremque Germani (c) Roſatam,
Præſide te, facile domantes.
Nec Orbe noſtro fama ſtabit tua.
Mortone, ad orbem perveniet novum,
Et Incolis reddet quietem
Variolas merito perofis.

Jacobus Auguſtus Blondel,
Pariſinus M. D.

Clariſſimo Viro D. Ric. Morton, *M. D. Patri ſuo omni filiali reverentia colendo, in Librum ſuum* De Febribus Inflammatoriis Univerſalibus.

SOmnia biciptis *Parnaſſi* mente repoſta
Non mihi ſunt, ſacro longè impetuoſior œſtro
Hinc vocat in Patrem patroni reverentia Nati;
In Patrem, quo, ſi qua fides, *Epidaurius* ipſe
In ſerpente Deus, non præſtat plura canenda
Ecce colus plena, Vobis, queis jura ſeveri
Staminis, en Parcæ triſti ſub pectore curas
Verſant, *Mortono* duros renovante dolores.
Gratum opus *Angligenis*, quod ſæcula nulla tacebunt.
Laudibus ac dignis celebrabunt ſcripta per orbem
Poſtgeniti, ſitientque avidi tranſmittere honores.
Docte Parens, Ego nunc arrectis auribus adſto,
Meque tua ut magni ſtimulant exempla Patroni.
Tu potis artis ades, quoque fas mihi dicere, vellem
Ut ſequerer tanti veſtigia preſſa Parentis;
Dum te digneris placidus præbere docentem.
Me, ſi Fata volunt, miſeris ſuccurrere doctum,
Lætus in auſpiciis, ego dulcia furta fatebor;
Auſpice te, quis non callere *Machaonis* artes?

R. Morton, M. S.

TRACTATUS

(a) *Eſt quædam Febris maligna in belgio Endemia cum inflammatione & exulceratione linguæ, palati, & faucium, eam vocant* die breun. [b] *Phthiſis Luſitanis eſt familiaris. Vid.* Fernel. *lib. 2. de abditis rerum cauſis.* (c) *Eryſipelas vocatur à Germanis roſa, & eſt morbus illis familiariſſimus, Vid.* Sennert. *de Febrib. l. 2. c. 16.*

TRACTATUS TERTIUS

DE

Febribus Inflammatoriis Universalibus.

CAPUT I.

De Febribus Inflammatoriis, & Colliquativis, in genere.

SPiritus Animales in hisce febribus arctius implicantur veneno quam in febribus Intermittentibus puris vel remittentibus. *Pag.* 345. Venenum vi lacessendi præter solitum donatum est earum causa, *ib.* Febres inflammatoriæ & Colliquativæ sæpissime mutantur in malignas paulo ante mortem. Tunc Inflammatio dolor, aut tumor vel quidem fluxus colliquativus non amplius viget, Cerebrum solum & genus nervosum petuntur; sunt mediæ inter malignas & intermittentes, *ibid.* Si adsint periodicæ exacerbationes, Cortice Peruviano profligantur, *ib.*

CAPUT II.

De Febribus Inflammatoriis in genere.

FEbris inflammatoria est ea quæ habet notabilem membranæ, glandulæ, visceris vel artus inflammationem sibi conjunctam non primariam, *p.* 346. Efflorescentia cutanea est interdum plana & æquali, vel interpuncta, aliquando verò inæqualis, cum vel sine dolore, tumore, ulcere, *ibid.* Febris inflammatoria parum à *Synochei* præsertim spuria distat. Incipientis inflammationis signa sunt dolor punctorius & vellicans, arteriolarum vibratio solito major, tandem tumor, ardor & rubedo, *p.* 348. Durat autem inflammatio donec fiat crisis, *ibid.* Causa continens. Febris inflammat, est spiritus Veneno complicatus. Causa evidens, Atmosphæræ particulæ deleteriæ, *ib.* Symptomata diagnostica desumuntur ex ipsa *Synochei*, dolore cæterisque symptomatis, ex pulsu, Urina, & ipso sanguine, *ib.* Hæ febres in genuinas & spurias distribuuntur. Genuinæ sunt hæ in quibus spirituum vires sunt integræ & inflammatio vivida. Spuria ad malignam accedit, cum Spirituum & Inflammationis languore, *p.* 349. Differentia inter Morbillos genuinos & spurios. Venenum in scarlatina ac morbillosa febre cuticulam sine sensibili intumescentia, ardore aut dolore præter pruritum inflammat. Apparatus efflorescentiæ in morbo genuino spatio bidui vel tridui absolvitur, & hoc durante febris more *Synochis* uno tenore progreditur, efflorescentia autem apparente, status morbi incipit, qui spatio tridui finitur, Febris inflammatio cæteraque symptomata abhinc sponte cessant. Sed in constitutione epidemia, efflorescentia est minùs vivida, status morbi ad x. xiv. xxiv. diem sæpissime protrahitur, cum aliqua Inflammatione glandulosa, & febre ipsi Inflammationi peractæ superstite *ibid.* Differentia inter Variolas spurias & genuinas ex eo petitur quod in variolis genuinis exanthemata intra triduum erumpant & febris inde criticè quasi exulat, cùm in spuriis exanthemata magis frequentia & minus vivida appareant, tardiùs matureſcant, neque febris cesset sed potius die morbi xi. xiv. xvii. interdum in *Synochei*, aliquando verò in *Synochon* terminetur, *ib.* Erisipelatosa febris genuina ab initio usque ad finem est *Synochis*: Spuria *Synochos* à primo insultu vel talis evadit, *ib.* febris Herpetem comitans, omnium mitis.

mitissima & semper benigna, *pag.* 350. Tempore decubitus exacerbari solet, *ibid.* *Febris* Rheumatica nunquam est spuria, *ib.* Ad apostema cur non terminetur: est benigna, intermittenti vel saltem *Synochi* cognata; à repercutientibus muratur in malignam *ibid.* Quoad inflammationes musculorum, viscerum & glandularum, sunt omnes ejusdem Indolis, intra septem vel novem dies ut plurimum in apostemata desinunt; febris etiam est benigna, nisi mala praxi in *Synochon* malignam mutatur, *p.* 350. 351. Prognostica febrium inflammatoriarum: Difficilius curantur quàm *Synochis* legitima, facilius verò quàm maligna, *p.* 351. Genuina inflammatoria minus est periculosa quàm spuria: Febris pro gradu veneni, & pro parte affusa est periculosa. Quamdiu hæc febris *Synochis* refert, quod ad febrem spectat, res in vado, *ib.* Nisi in *Synochon* cum deliriis & convulsionibus transeat, *p.* 352. Febris cum inflammatione visceris, glandulæ vel membranæ intus sitæ periculosior est, cæteris paribus, quàm ubi musculus vel pars exterior afficiatur Inflammatione, *ibid.* Et qua ratione, *p.* 352. 353. Indicationes curativæ duæ, deletio, & nisus Spirituum temperandus, *p.* 353. Ordo hujus tractatus, *p.* 353. 354.

CAPUT III.

De Morbilis, & Febre Scarlatina.

DEscriptio Morbillorum. Hic morbus est Febris conjuncta cum efflorescentia inflammatoria, hic illic totam cuticulam distinguente. A morbillis Febris scarlatina differt per continuatam Inflammationem, *p.* 354. Variolæ autem differunt, quod in pus maturantur, & quod ab ipso initio intumescentia renitente tactui sese produnt, *p.* 354. 355. Natura febris morbillosæ in variis suis stadiis quamvis sit genuina & maximè benigna, est tamen peracuta & citissimè varia stadia sua peragrat. Ex symptomatis venenatis à primo insultu uno tenore progredientibus durante apparatu *Synochon* esse ac malignam suspicari fas est, *ibid.* Apparatus efflorescentiæ & incrementum Febris morbillosæ. Hic præter symptomata, quæ febrem quamcunque comitantur, inveniuntur Pathognomonica quædam, scilicet, pulsus debilis ac celer, respiratio cita & anhelosa, hypochondriorum oppressio, urina tenuis, sopor, &c. Cuncta hæc symptomata in dies augentur, donec Febris paulò efflorescentiam ad ἀκμὴν suam perveniat. In morbillis epidemiis & verè malignis symptomata sub initium non adeo sæviunt & febris tardius ad ἀκμὴν pervenit, *p.* 355. 356. Efflorescentia est Febris status. Cuticula levi ardore & rubedine suffunditur. Glandulæ dolore vellicante, ardore & tumore corripiuntur: tunc febris initio maligna transit in inflammatoriam, Pulsus fit fortis & urina rubra: Ab hac efflorescentia inchoata ad ejus completam eruptionem status morbi & febris: Durat spatio bidui vel saltem tridui in Morbillis benignis & sporadicis, vel usque ad 17. vel 20. usque diem in morbillis epidemiis & malignis, *p.* 355. Efflorescentiæ declinatio & Febris Crisis, *ib.* Demum efflorescentia sensim colorem rubicundum mutat, à quo tempore fluxus alvi subboritur salutaris, nisi diutiùs duret, Febris exulat & reliqua symptomata mitescunt. In malignis autem declinante efflorescentia, Febris manet vel augetur. Et Anginam, peripneumoniam, vel alium morbum peracutum simulat. Quoties autem hæc crisis est salutaris, Febris in *Synochis* plurium dierum vel hecticam mutatur, quæ, nisi cortice peruviano subigatur, in *Synochon* malignam & funestam degenerat, aut morborum chronicorum jacit fundamenta, *p.* 356. Causa morbillorum continens est venenum spiritus inquinans & massam sanguinis in colluviem acrem colliquefaciens. *ib.* Causa procatarctica petenda est ab Atmosphæra, *ib.* Ratio differentiæ inter duas morbillorum species oritur à differenti Spirituum vigore atq; gradu veneni diverso, *p.* 357. Signa morbillos antecedentia & præsagientia sunt ea quæ indolem febris concomitantis peracutam, malignam & colliquativam esse indicant.

pag. 357. Præterea Medicus inquirat an æger antea morbillis laboraverit [nam raro bis redeunt] an constitutio aeris sit morbillosa, an æger familiaritate morbillosorum usus fuerit, *ib.* Signa pathognomonica sunt, 1. Efflorescentia in cuticula, unde morbilli dignoscantur à Variolis, Erysipelate & Herpete. 2. Interpunctio efflorescentiæ quæ differunt à febre scarlatina. 3. Figura & magnitudo incerta efflorescentiæ qua differunt à Petechiis, & maculis purpureis, & variolis confluentibus. 4. Color vividus & vegetus, & tempus efflorescentiæ, unde distinguuntur à Febre Scorbutica & Crapulosa, *p.* 358. A diversa etiam efflorescentiæ indole morbilli ipsi à se invicem præcipui dignoscuntur. *ib.* Prognosis morbillorum, *ib.* Genuini sunt salutares, spurii periculosi. Epidemii sporadicis periculosiores. Morbi stadia insolito more protensa pessimum, *p.* 358. 359. Efflorescentia partialis, aut quæ colorem sæpe mutat, mala, *ib.* Febris efflorescentiæ superstes & symptomata, quæ Crisin imperfectam sequuntur, sunt periculosa, *p.* 359 360.

CAPUT IV.

De methodo medendi Morbillis.

INdicationes curativæ sunt duæ, extinctio veneni & symptomatum allevatio, *p.* 359. 360. Regimen hic morbus exigit cum aliis Febribus commune, diætam admodum tenuem, decubitum in lecto quietum & calorem stragulorum injectorum moderatum, *ib.* Remedia Pharmaceutica & Chirurgica sunt diversa pro indole febris in variis morbi stadiis. Nihil autem in quocunque morbi adeo peracuti stadio temerè tentandum, ubi crisis reputatur, *ib.* Cùm autem ante efflorescentiam febris indoles sit maligna, expansio Spirituum alexipharmacis & vesicatoriis promoveatur, à Venæ sectione & ab opiatis abstinendum, nisi quædam urgeant symptomata, *ib.* Mitiora tamen eligantur alexipharmaca, neq; vesicatoria adhibeantur, nisi spasmi, coma aut indoles morbi maligna id requirant. Diversæ Remediorum formulæ, *p.* 360 Calidiora alexipharmaca & frequentia vesicatoria sint in usu, si febris sit maligna aut pestifera, formulæ quædam Remediorum. *ib.* Quod si paulo ante efflorescentiam contingat aut spiritus sint nimis irritati: tunc eorum nisus compescatur. Remedia quæ conveniunt, *p.* 361. Secundò colliquatio Humorum impedienda, & inde orta symptomata tollenda, *ib.* Palliativa curatio convenit, *p.* 362. Æger urgente Alvi fluxu à cerevisia abstineat; sed Dec. albo, tinctura rosarum & electuario adstringenti utatur. Tussis mucilaginosis, & pectoralibus sedetur. Oculorum acrimoniæ collyrium, sternutationi cohibendæ lac naribus attractum conveniant. Opiata, nisi in extrema necessitate diarrhœæ, non adhibeantur, *ib.* In stadio secundo, ubi febris a spirituum expansione ad statum suum demum pervenerit, Opiata & Venæ-sectio sunt omnino necessaria, *p.* 363 eorum usum omissum in Morbillis epidemiis, Londini publicè grassantibus plurimos è vivis sublatos memini, *ib.* Efflorescentia autem peracta, si febris venenatis symptomatis adjuncta remaneat, actum est de ægro. Contra, si crisis fuit perfecta, cathartica hydragoga ad lymphæ colliquatæ effectus exitiales impediendo,, *p.* 364. Non tamen præpropere massa sanguinis agitetur, antequam Venenum fuerit omnino subactum. Exemplum puellæ extra debitum tempus purgatæ, *ib.* Formulæ catharticorum, *ib.* Sive imperfecta fuerit crisis, & febris *sinochis* sequatur, eam Cortice Peruviano, ante adhibitam purgationem, profligare oportet, *ib.* Multa symptomata remanent post Crisin imperfectam ut ophthalmiæ, coriza, tussis, hydrops, scrophulæ, &c. *p.* 365. Hæc colliquatio curatur. Cortice Peruviano, Opiatis, Venæ-sectione & Purgatione: Cavendum tamen ne Cathartico sint fortiora cùm sæpe augeant colliquationem & funestos eventus habeant, *p.* 365. Tussis post morbillos superstitis Curationibus curatio Ophthalmiæ, *p.* 266. Diarrhœæ, Strumarum, *ib.* Hydropis, 267.

CA-

CAPUT V.

De Febre Scarlatina.

FEbris Scarlatina differt à Morbillis efflorescentiæ modo; alia sunt communia, *p.* 368. Historiæ variæ de Morbillis. Hist. 1. de filia D *Rainsford*. Per unam vel alteram Hebdomadam Colliquationis symptomatis affligitur demum febre correpta est, per triduum symptomata augentur, quarto die efflorescentia morbillosa se prodiit cum quarto efflorescentiæ die, febre, tussi & alvi fluxu vigentibus. Subito Venæsectione sanatur, *p.* 369. hist. 2. de filio D. *Pratt*, febre scarlatina laborant. Venesectio quarto efflorescentiæ die cum successu præscribitur, ib hist. 3. de *Sarach Morton* filia autoris, Morbilli benigni debito regimine curantur, *ib.* Hist. 4. de *Marcia Morton* filia autoris; Febris post quatriduum ab efflorescentia incœpta protensa, atque periodicè revertens venæ-sectione & Cortice Peruviano curatur *p.* 370. Hist. 5. de Muliere quadam, Febris scarlatina post efflorescentiam peractam ad spatium integræ hebdomadæ *Synecheos* tertianæ typum induit, tum in *Synochon* malignam lethalem mutatur, *ib* Hist. 6. de filiola Dom. *Hains*; febris Scarlatina lethalis, *p.* 371. Hist. 7. de filiolo D. *Burren*, Febris Morbillosa absq; ulla efflorescentia vel comitante vel subsequente sanata, *ibid.* Hist. 8. de filiolo Domini *Debilles*, febris morbillosa primùm maligna, dein inflammatoria, & tandem *Synechis*, *ib.* Hist. 9. de filia Dom. *Tim*, febris morbillosa post efflorescentiam peractam in *Synechi* quotidianam, Diarrhœa, Tussi, & languore maximo comitatam mutata *p.* 372. Hist. 10. de filiolo Dom. *Philips*, Diarrhœa pertinax & vires penitus fractæ post febrem scarlatinam, *p.* 373. hist. 11. Febris scarlatina symptomatis diriſſimis & pestilentialibus comitata, *ib.*

CAPUT VI.

De Variolis, earum subjecto, stadiis, & differentiis, nec non de causa Variolarum continente atque Procatarctica.

DEscriptio Variolarum: Hic morbus est febris conjuncta cum cutis veræ & cuticulæ inflammatione, cujus Exanthemata vel confluentia, vel cohærentia vel discreta in superficie corporis appareant. Cutis vera subjectum esse variolarum probatur ex renitenti tuberculorum duritie, ex pustularum maturatione, ex foveis in cute excavatis, *p.* 374. Stadia Variolarum sunt quatuor, Apparatus exanthematum, Eruptio, Maturatio, atq; declinatio, *p.* 375. Apparatus est tempus illud omne à primo morbi insultu usq; ad universalem exanthematum eruptionem inceptam, pustulæ prænunciæ *The Master Pock* dictæ definitio. Post eruptionem fit secundum stadium, in quo Crisis plus minus completa, *ib.* Stadium tertium est totum tempus quod teritur in maturandis Variolis in pus legitimum, à quo tempore incipit stadium ultimum, *ib.* Causa continens Variolarum est venenum activum intime Spiritibus implicitum, *ib.* Frigore, crapula, metu, aeris qualitatibus reducitur in actum: à gradu hujus veneni oritur distinctio Variolarum in benignas & malignas, *ibid.* Nonnumquam spiritus sunt ita deleti; ut æger fere *apyretos* jaceat, & natura in proximo morbi stadio ferme sine ulla eruptione succumbat. Nonnunquam verò spiritus potius irritati quam deleti sunt, & modo in hac contentione totum virus à sinu suo excutiant; Variolæ sunt benignæ inter quas numerantur, Variolæ *Chic Kenpox* dictæ, Variolæ discretæ, *ib.* Si spiritus è contra in primo morbi stadio obruantur, crisis in perfecta & infida sequitur, Variolæ sunt malignæ, *p.* 376. Variolarum malignarum exanthemata, *p.* 378. Cùm autem Venenum per glandulas cutaneas non possit totus excludi in his Variolis, Natura per portas patentiores pulsare nititur. Prior conatus per alvum

est

est fere semper symptomaticus & corruentem naturam indicat Melior & tutior est salivatio, quæ hic describitur, *p.* 379. Proffuvium Urinæ salivationi est succedaneum ib. Malignæ Variolæ ex accidenti, *p.* 380. Infantes rarius quam adulti forte Variolarum confluentium & malignarum admodum dura plectantur, *p.* 382.

CAPUT VII.

De ratione Symptomatum in primo stadio contingentium, de varietate fermenti, & Febris inde ortæ, de signis præsagientibus, Diagnosticis & Prognosticis, nec non de indicationibus curativis, & methodo medendi Variolis durante apparatu.

Symptomata primum morbi insultum comitantia: primò corpus subito algore perfunditur, quem horror, rigor, oscitatio, *&c.* sequuntur; deinde calor febrilis, dolor capitis, jactatio inquieta, ægritudo, nausea, vomitio; dejectiones, stupor comatosum, & è contra interdum vigiliæ, spasmi & insultus Epileptici præsertim in infantibus, tussis, intumescentia tonsillarum molesta, & alia Simptomata hyeme frequentia. Pulsus celer, fortis & magnus, parvus & debilis pro Veneno: deniq; pustulæ quædam morbi prænunciæ veniunt, Unde venenum varioloſum 384. esse naturaliter colliquativum & in lacessendo procax concludimus, 385. signa variolas ante eruptionem in apparatu præsagientia sunt dolor atrox & horrendus capitis & lumborum, & vehementia symptomatum supra numeratorum; consuetudo habita cum Variolosis, tempestas Epidemiea, consanguineus isto morbo laborans, *p.* 386. Criteria maligni morbi dubia & incerta sunt primi stadii duratio brevior vel longior quam decet. Ætas juvenilis, animi pathemata, crapula, spiritus menstruo, puerperio, abortione, cathartico vel emetico vel venæsectione perperam celebratis, aut regimine nimis calido debilitati, frigoris contractio, tempestas æstiva, aut hyemalis, constitutio epidemica, æger cachecticus, *&c. p.* ib. Certa signa sunt pulsus debilis & vacillans, urina clara, tenuis & pallida, micturitio, deliquia, coma profundum usque ad crisin profundum, fixus & spasmodicus lumborum dolor cum *apyrexia* conjunctus. Symptomata vehementia quæ spiritus pessundant. Signa bona sunt, Febris à primo insultu *Synechis* Urina rubedine tincta & contentis saturata, æqualis pulsus tenor, *&c. p.* 387. 388. Indicatio Curativa in hoc stadio est unica, at Venenum ad criticam exanthematum eruptionem subigatur. Neque Cortice Peruviano aut alia quadam Antidoto extinguendum est, ne postea recrudescat, 391. Medendi methodus in hoc stadio, *p.* 391. diæta sit parca & tenuis, *ibid.* Sententia Sydenhamii de frigido regimine improbatur, ibid. De Remediis Pharmaceuticis & Chirurgicis in genere, *pag.* 393. In benigno morbo nihil à Medico agendum est, diæta tantum & regimen conveniens ægro, atque Julapium aliquod temperatum ad spiritus refocillandos præscribantur. Formula Julapii, ibid. In maligno morbi stadio spirituum fere extincto, expansio alexipharmacis generosissimis & vesicatoriis tempestivè promoveatur, Ibid. Formulæ remediorum *p.* 394. In medio morbi statu sufficient alexipharmaca mitiora, & qualia 395. Symptomata autem à nisu Spirituum nimio suborta opportunè mitiganda sunt, cùm sæpè plus noceat quam primarium morbi venenum, ib In fluxu alvi enormi, Æger ab omni Cerevisia abstineat, & in ejus locum decoctum album substituatur: opiata & adstringentia adsciscat, *pag.* 396. Opiatorum usus & qualium. Formulæ remediorum, *ib.* Vomitio non statim supprimenda, potiùs leniter promovenda, sed vomitoria antimonialia non convenient: deinde alexipharmacis & opiatis utendum. Formulæ remediorum, *pag.* 397. De dolore spasmodico fixo, *pag ibid.* De dolore capitis, artuum vel lumborum lancinante & spasmodico. Usus venæ sectionis prodest, *ib.* In dolore pleuritico seu peripneumonico venæ sectio, linimenta, fotus anodyni, opiata cum alexipharmacis commixta:

commixta: Formulæ Remediorum. *pag.* 398. In dolore colico, par est ut venę sectione nisus spirituum minuatur sed etiam ut linimentis anodynis, opiatis, enematis, & catharticis ipsis hoc symptoma averruncetur, *ib.* De Insultibus Epilepticis. Eos semper sequuntur Variolæ regulares. Oportet ut spiritibus fatigatis per vesicatoria, alexipharmaca & cephalica succurratur, *p. ib.* Juniores solummodo huic symptomati sunt obnoxii. Venæ sectio in repetitis spasmis multum prodest, *p.* 399. Sopor est huic malo proprius. Succurritur nimio vesicatoriis, alexipharmacis, & venæ-sectione pro morbi natura, *ib.* De Vigiliis. Vigiliæ sint suspectæ. Indicant in proximo stadio variolas confluentes. Laudanum, post venæ-sectionem celebratum summè necessarium, *p.* 400.

CAPUT VIII.

De Variolarum eruptione, sive secundo morbi stadio, quod ejus statum atque Crisin continet, sive perfectam, sive imperfectam, atque de varia Febris, Exanthematum, cæterorumque Symptomatum Indole pro ratione Criseos plus minusve perfectæ: de signis Diagnosticis Variolarum in genere atque benignarum, vel plus minùs malignarum in specie: de signis Prognosticis ad hoc morbi stadium spectantibus, Indicationibus curativis atque methodo medendi.

SEcundum Variolarum stadium contingit, cùm totis Spirituum viribus venenum per glandulas cutaneas excutitur, *pag.* 401. Eruptio diversa pro veneno, Eruptio Variolarum discretarum benignarum, *ib.* Contingit tertio vel quarto die, & æger *apyretos* manet Symptomatis venenatis vacuus. Intra tridum Exanthemata in summitatibus acuminantur sine ptyalismo, diarrhœa, &c. *p.* 402. Cùm autem spiritus veneno sunt inferiores, variolæ sunt malignæ & eruptio earum quadruplex, *ib.* primus & pessimus eruptionis modus est cum quinto vel sexto die, cutis in instanti, Erysipelatis instar, rubet cum maculis nigris interspersis, & æquali superficie, intumescentia verò nequaquam auget usque ad primum maturationis diem, tunc universa cutis, mutato colore. Pergamenam refert. Nallum hujusmodi ægrotantem ad secundum maturationis diem superstitem novi. *ib.* Secundus modus non differt, nisi quod in artubus & trunco corporis exanthemata sint discreta, à morbillis primo die distinguantur per solam duritiem renitentem, non augeantur, & tandem livescant, ita ut sub initium maturationis æger moriatur, *ib.* Tertius modus est ubi Variolæ quasi discretæ sunt, sed cohærentes, cute solummodo ac si ab urtica exasperata, donec initio maturationis albescentes confluunt: hæc eruptio non est adeo fatalis, sed pauci ad 14. vel 15. diem perveniunt, nisi ope salivationis, *p.* 69. Quartò variolæ erumpunt Regulares, sed cum vesiculis aqueis, Petechiis vel maculis lividis in interstitiis: Ægri ut plurimùm sub initium maturationis symptomate quodam funesto moriuntur, ibid. Ratio symptomatum in eruptione variolarum malignarum, ib: in variolis malignis Febris continua & symptomata venenata remanent post eruptionem, ibid. Ab inani spirituum motu oriuntur subsultus tendinum, coma, deliria, vigiliæ, ibid. Venenum autem, cui excludendo glandulæ cutaneę non sufficiunt, per sudores, diarhœam, salivationem, urinas, hæmorrhagias expellere nititur natura, unde dira symptomata, micturitio, & sæpissimè lethalis urinæ suppressio, *p.* 403. Eruptio variolarum mediarum, ibid. Cùm vires spirituum & veneni sunt æquales, tunc variolæ dicuntur mediæ; secundo tantùm vel tertio eruptionis die Febris intermittit, vel remittit, & reliqua cessant symptomata, donec in stadio maturationis Febrem *Synecheon* & malignam, vel in ultimo stadio *Synechei* & magis benignam venenum deliteścens inferat, ib. variolæ mediæ non eodem die, neque semper per totum corpus erumpunt, ibid.

Ita ut, quæ primò discretæ apparuerint, deinde confluant, sed minutulæ & tardè tumescentes. Ultimo stadii die levis oriri solet Ptyalismus, *ibid.* Variolas Benignas Hyeme salivatio copiosa aliquando comitatur, propter exanthematæ Uvulæ, &c. succrescentia, alioquin salivatio nunquam est symptoma variolarum benignarum, 404. Diagnosis & indoles variolarum in hoc stadio *ibid* Diagnosis variolarum benignarum, *ibid.* In fronte, naribus, labiis, collo, & pectore se primum produnt, *ibid.* Sunt discretæ, rotundæ, tactui renitentes, vivido colore, & intra triduum acuminantur, &c. *ibid.* Diagnosis variolarum mediarum, Variolæ mediæ distinguuntur ab efflorescentia scarlatina & morbillis per duritiem renitentem, ab erysipelate per tumorem non adeo latum & continuum, *p.* 405. Benignis per statum Febris longiorem, *ibid.* Per postularum interpolatam eruptionem, *p.* 406. Figuram & colorem, per Ptyalismum, *ibid.* Diagnosis variolarum malignarum, *ibid.* Dignoscuntur indole Febris concomitantis, quæ maligna est, *ibid.* Efflorescentiæ modo & tempore peculiari, *ibid* Hæmorrhagiis, præter fluxum fœminarum menstruum, debito tempore contingentem, qui non est adeo funestus, *p.* 406. 407. Prognosis variolarum generalis in secundo stadio *ibid.* Prognosis particularis, *p.* 407. Febris continua remanens post eruptionem variolarum, malum, *ibid.* Quo longior morbi status, eo periculosior eventus, *ibid.* Variolæ, *Chi Ken Pox*, dictæ intra quatuor dies exsiccentur, at quo frequentiores sunt postulæ, eo pejus, *ibid.* Efflorescentia universalis erisipelatosa cum Petechiis circa secundum maturationis diem mortem significat, exanthemata in facie tantùm confluent, plerumq; mortem ante decimum diem significant in hac specie accidunt sæpe Hæmorrhagiæ, *ibid.* Petechiæ vel vesiculæ miliares in variolarum discretarum interstitiis ortæ in hoc stadio pejus significant quam in sequentibus, harum insuper macularum diminutio aut recessus bene ominatur, incrementum male, *ibid.* Ptialismus eruptionem variolarum comitans, malus. Qui micturitione laborant, raro ad finem maturationis supersunt, ib. Catarrhus cum Variolis conjunctus salivationem, gutturis inflammationem, atq; tumorem in stadio maturationis inducit. Tussis importuna febrem & venenum auget. Vigiliæ nimiæ phrenesim & Hæmorrhagias inferunt, Variolæ pronunciæ amplæ & turgidæ plerumq; variolas regulares pollicentur, *p.* 408. Indicationes curativę in secundo stadio sunt duæ, reliqui veneni abolitio, & correctio simptomatum, ib. Curatio variolarum benignarum in hoc stadio, ib. Natura non debet lacessi medicamentis. Quod fit officiosè, rarò impunè patratur, ib. Regimen in priori stadio institutum, in hoc atq; reliquis servandum, ib. Curatio variolarum malignarum sive confluentium sive cohærentium in hoc stadio, ib. Opus est alexipharmacis & vesicatoriis non solùm, sed & alexiteriis generosissimis & paregoricis, *p.* 409 Opii dosis augenda est, donec profuerit, ib. Alexiteria cum opiatis miscenda, ib. Methodus nostra medendi in casu deplorato, *p.* 410. Hemorrhagiæ sunt periculosæ, aqua stiptica regia sistuntur, *p.* 411. Sed sine successu, nisi vesicatoriis & alexiteriis spiritus simul excitentur. Venæ sectio obitum ægri accelerat, ib. Micturitio non debet adeo formidari, ac Hæmorrhagia, sed summam spirituum imbecillitatem denotat, ib. Salibus lixivialibus & cineribus bufonum curatur, *p.* 411. 412. Curatio variolarum mediarum in hoc stadio, ib. Spirituum expansio repetitis dosibus mitiorum alexipharmacorum in priori stadio descriptorum promovenda, & vesicatoriis, ib. Si autem febris remittat, vel intermittat, non est, quod naturam remediis fatigemus, sed ægrotans perstet in regimine prius instituto, nisi forte corticis Peruviani vires experiri liceat ad febris repullulationem impediendam, *p.* 413. Simptomata quæ Medici curam postulant, ib. de fluxu alvi immodico. Nullum fatale simptoma ab alvo licet ad vigesimum diem constipata oritur, ib. Diarrhœa torminosa assiduo opiatorum usu cum alexipharmacis generosissimis sistitur, *p.* 413. Duranter alvi fluxu vel in infantili ipsa ætate variolæ ægrè admodum erumpunt, ib. De vigiliis, & subsultibus tendinum. Durante intestino

tumultu,

tumultu, variolæ regulariter erumpere nequeunt, ac proinde ſpiritus opiatis compeſcantur. Veſicatoriis verò & alexipharmacis erigantur, ib. Hoc pacto unius noctis ſpatio mediæ in regulares mutatas vidi, ib. De ſopore profundo. Sopor in hoc uſque morbi ſtadium protenſus, non declinans, ſed augens, non eſt flocci faciendus, *pag* 414 Quocirca frequenti veſicatoriorum applicatione, Spiritu CC. ſerpentaria Virginiana, cæterorumque generoſiſſimorum alexipharmacorum uſu certandum eſt, ib. De ſudoribus profuſis: Vigilias, deliria, fluxum alvi, & Petechias accerſunt, ib. Stragula ſenſim detrahantur. Spiritus laſſati alexiteriis mitioribus refocillentur. Veſicatoriis expandantur, paregoricis ſiſtantur, ib. De tuſſi immani, ib. Paregoricis, mucilagnoſis, atque aliis thoracicis cohiberi & demulceri debet, ib. De fluxu catameniorum & lochiorum. Prava morbi indoles ſicut ab aliis hæmorrhagiis non inde arguenda eſt, 415. Cùm autem ſpiritus inde langueſcant & mala comitentur ſymptomata, remedia cordialia mitiora, opiata, antihyſterica, & veſicatoria ſunt uſurpanda. ib. De dolore gutturis cum levi ptyaliſmo conjuncto, ib. Fauces externæ diligenter ab aeris injuriis pannis laneis mollibus duplicatis muniantur, aquæ plus valent, quam croceata, aut amuleta. Pharmaca cordialia & alimenta calidiora evitentur, ut pulveres craſſiores. Convenient liquor poſſeticus, Decoctum CC. gargariſma, *p.* 416. De Hæmoptoe & inſultibus epilepticis, ib.

CAPUT IX.

De tertio hujus Morbi ſtadio, quòd à Variolarum prima maturatione uſq; ad earundem declinationem protenditur; de varia indole Febris in hoc ſtadio recrudeſcentis, & ſalivationis, intumeſcentiæ extremorum, diabetici Urinæ profluvii, cæterorumque ſymptomatum ratione hanc Febrem ejuſque criſin in hoc ſtadio comitari ſolitorum; De ſignis Naturæ ejus benignæ, malignæ vel mediæ Diagnoſticis, nec non de ſignis prognoſticis, indicationibus curativis, & methodo ad hoc ſtadium pertinentibus.

VAriolarum maturatio, *p.* 416. Variolarum benignarum maturatio. Nulla eſt Febris in hoc ſtadio, quamvis propter dolorem exanthematum arteriæ ſolito fortius vibrentur. Hoc ſtadium intra triduum terminatur. Variolæ benignæ omnium ſunt normæ in maturationis ſtadii, *p.* 417. Excipiuntur tamen illæ quæ Chicken pox dicuntur, quarum apparatus licet habeat triduum, tamen eodem die, maturari atq; declinare animadvertuntur, hac autem brevitate ſtudiorum ab aliis diſtinguuntur, ib. Variolarum malignarum indoles in hoc ſtadio & omnia ſymptomata augentur, efflorescentia interim in albedinem continuam mutata: Exanthemata efflorescentiæ Morbilloſæ ad inſtar vix elevantur, interſtitia ſunt livida, ib. Ptyaliſmus eſt levis, micturitio inutilis. Rarò æger ad tertium maturationis diem ſupereſt; quidam fortiores uſq; ad decimum vel duodecimum diem perveniunt, ſed raro ante decimum ſeptimum vel vigeſimum morbi diem *anorexiam* aſſequitur, *p.* 418. Quidam tandem ſphacelo claviculæ, oſſium maxillarum vel tibiarum inopinato trucidantur, ib. Variolarum mediarum maturatio ib. Variolarum mediarum in malignas tranſeuntium indoles. ib. Æger ut plurimum decimo vel undecimo morbi die moritur, niſi forte robore ſpirituum adjutus venenum ad decimum ſeptimum vel vigeſimum diem protenſum concoquere vel edomare potis fuerit, ib. Interea variolæ ſeſſiles, depreſſæ & aridæ manent, neq; ſalivationem inſignem, intumeſcentiam extremorum aut Urinæ profluvium comites habent, *pag.* 419. Maturatio variolarum mediarum proxime ad benignas accedentium, ibid. Licet primo maturationis die in medio deprimantur, tertio tamen vel quarto acuminantur, quinto exareſcere incipiunt & die morbi decimo tertio vel quarto æger revaleſcit, ib. Maturatio variolarum mediarum cum ſalivatione, Urinæ profluvio, &c. conjunctarum, ibid. Duratio hujus ſtadii incerta, ad dies 4. 6. 8. 12. vel amplius protenditur, *pag.*

492. Salivatio variolis non maturatis declinans; lethalis, nisi compensetur profluvio Urinæ immenso, vel extremorum intumescentia, pag. 421. Maturatio variolarum mediarum sine notabili salivatione, Urinæ profluvio &c. pag. ib. Contingit autem venenum ferè ab hujus stadii initio febrem ciere mitiorem, donec die 17. vel 18. derepente variolæ depressæ turgescere atq; maturari incæperint, & ægrotans illicq revalescat, ibid. variolarum benignarum maturantium diagnostica ib. variolarum primaria malignarum diagnosis. ib. variolarum mediarum in malignas mutatarum diagnosis, *ibid.* Mediarum variolarum ad benignas proximè accedentium diagnosis, *ib.* variolarum mediarum cum salivatione conjunctarum diagnostica, *p.* 423. variolarum mediarum sine salivatione diagnostica, *ibid.* Prognosis variolarum in tertio stadio, *ibid.* Desumitur à Febre, Exanthematum indole, & à symptomatis comitantibus. *Apyrexia* optimè significat, sed pessime febris, quæ in præcedentibus stadiis & in hoc nullas inducias dederit, aut quæ cum maturatione incœptu repullalat, *p. ibid.* Sed non adeo timenda est febris, post quartum vel quintum maturationis diem recrudescens, *ibid.* Exanthematum maturatio legitima, *ib.* Et non legitima, *p.* 424. Salivatio prima m naturæ intentionem elusam esse donat, *ib.* Ptyalismus levis & brevis est malus, *ibid.* Ptialismus copiosus & diu protensus cum capitis & faciei intumescentia, bonus, *ibid.* Salivatio 4. vel 5. die derepente suppressa ante maturationem exanthematum perfectam, nisi profluvio urinæ aut intumescentia extremorum excipiatur, omen malum exhibet, & inde febris revirescit, *ibid.* Salivatione perstante tarda variolarum maturatio, mala, *ibid.* Salivatio redux post profluvium urinæ, &c. vim spirituum denotat, & febrem fugat, *ibid.* Horror & rigor in media salivatione malum Salivatio, profluvium urinæ & extremorum intumescentia modica & parva, salivatio diarrhœa excepta male significant, *ibid* Sicuti deliquia more suffocationum histerica-rum frequentia, deliria, vigiliæ pertinaces, comatosus affectus, deglutitio impedita & respiratio difficilis, *pag.* 425. Indicationes curativę in stadio maturationis *ibid.* Methodus medendi variolis benignis durante maturatione, *ibid.* Optimum regimen sufficit. Juniorum autem dolores laudano liquido alleventur, *ibid.* Methodus medendi variolis mediis proximè ad benignas accedentibus durante maturatione, *pag.* 426. Cardiacis mitioribus & paregoricis opus est. Methodus medendi variolis mediis cum salivatione insigni, &c conjunctarum. Vigente salivatione ab alexipharmacis majoribus abstinendum, *ibid.* Regimen observandum in his variolis, *pag.* 427. Salivatione præpropere declinante quid faciendum sit, consentiente ipso *Sydenhamio*, *ibid.* Methodus medendi variolis mediis proximè ad malignas accedentibus cum levi tantùm salivatione, profluvio urinæ vel tumore extremorum conjunctis in hoc stadio, 428. Expansio spirituum promovenda vesicatoriis & alexipharmacis; motus autem compescendum opiatis, *p.* 429. Si autem febris sub initium maturationis suborta *Synechcos* typum servaverit, alexipharmaca cum opiatis & vesicatoria applicare oportet, & duranre remissione, Cortici Peruviani doses sæpiùs exhibere, *ib.* De variolis malignis maturationi prorsus ineptis, *pag. ib.* De curatione symptomatum hoc stadium comitantium, *p.* 430. Vigiliæ, deliria & diarrhœa, *ibid.* Hæc autem symptomata languidorum spirituum sunt signa, quapropter nova addantur vesicatoria atque doses alexipharmacorum, & opiatorum augeantur, frequentiusque repetantur. *ibid.* Coma & insultus Epileptici rarò jam contingunt, nisi sit error in regimine, *ibid.* Spirituum expansionem vesicatoriis non paucis alexipharmacis & cephalicis erigunt, *pag.* 433. Deliquia & suffocationes Hysericę, prędagium funestum exhibent, nisi frequenti vesicatoriorum applicatione, atq; alexipharmacorum ope, expansio spirituum promoveatur, *ib.* De dolore gutturis Inflammatorio, *ib.* Hicce dolor vel ab acri lympha vel ab exanthematis has partes obsidentibus oritur, *ib.* Fauces panno laneo molli muniantur; vitentur acria, *p.* 432 Dulcia & gargarismata emollientia usurpen-

pentur, *ib.* De deglutitione difficili. Provenit vel ab inflammatione partium vel ab intumescentia glandularum faucium, *ib.* Partes tegantur & gargarisma acidula rum adhibeatur, *p.* 433. De anhelosa & difficili respiratione. Contingit in declinatione salivationis, *ibid.* Respiratio citissima & debilis alexipharmaca indicat, sed ab emeticis abstinendum, *p. ibid.* Respiratio difficilis & suspiriosa à phlegmate viscidiori oritur. Gargarisma absersivum, linctus, apozemata incidentia, & Emeticum absersivum conveniunt, *ibid.* De Narium Infarctione. Turrundæ rigidiore butyro dulci vel Ol. Amygd. dulc. illitæ naribus intrudantur, &c. *ibid.* de Exanthematum dolore inflammatorio, *p.* 434. De Pruritu, *ibid.* De ingenti urinæ profluvio. Potiùs promovendum est quàm cohibendum, *ibid.* De intumescentia extremorum & Præputii. Partes adeo tumefiunt, ut cuivis inexperto metus sit ne subito sphacelo corrumpantur, quamvis nullum viderim inde infortunium. Fotus lixiviales & morbo finito hydragoga, *p.* 435. Salivatio funeste protensa, *ibid.* Duratio hujus stadii pro diversa morbi indole incerta, *ibid.*

CAPUT X.

De Variolarum declinatione, sive stadio Morbi ultimo, ejusq; pro ratione Venenati fermenti diversi varia Indole atq, eventu. De Febre & symptomatis in hocce stadio suboriri solitis. De signis Indole morbi diagnosticis, de Prognosticis, nec non de indicationibus curativis & methodo medendi in hoc stadio, itidemque de morbosis affectibus hunc morbum excipientibus.

STadii ultimi descriptio, *p.* 435. varia indoles & varius eventus morbi in hoc stadio, *ibid.* Declinatio variolarum benignarum & discretarum, *p.* 436. Hæc declinatio *apiretos* absolvitur triduo, Exanthemata autem incrustantur & scabie subflava obduci incipiunt, dein post unum, vel alterum diem in arida tubercula mutantur, quæ sensim emollita sponte evanescunt, *ibid* Declinatio variolarum mediarum prope ad benignas accedentium non multum differt, modo salivatio notabilis, profluvium urinæ, vel extremorum intumescentia adfuerit, quamvis tertium stadium fuerit solito longius, *ibid.* Declinatio variolarum prope ad malignas accedentium, est, cùm defuerit ptyalismus, & tunc febris *Sinechcos* vel *Sinechi* illico revirescit, intumescentia capitis & faciei statim declinant, scabies autem non nisi post quatriduum vel hebdomadam exsiccatur, & cùm pure scateat, tandem in porriginem furfuraceam desinit. Cùm autem venenum non fuerit omnino protrusum, hecticus calor, furunculi, ophthalmia contumax, strangulatio & suffocatio hysterica, tussis arida, Phthisis pulmonaris, tumor œdematosus, stupor; & delirium melancholicum, succedunt sæpissime strumæ, variolis hisce modus, *p.* 438. Declinatio variolarum à primo ortu malignarum & confluentium, *p.* 439. Æger ut plurimùm 6. morbi die moritur, *ib.* Declinatio variolarum secundariò malignarum, sive cohærentium & valde frequentium, *ib.* Si Ptyalismus levis deficiat, plurimi intra triduum nempe 13. vel 14. morbi die fatis cedere coguntur; quotquot autem ope alexipharmacorum, vesicatoriorum & opiatorum evadunt, declinationis stadium diuturnum decurrunt & ærumnosis symptomatis diu male multantur. *p.* 440. vel si omnino defuerit Ptyalismus, æger 9. vel 10. morbi die interrimitur, aut ærumnosis atq; diris symptomatis multatus vix ante vigesimum morbi diem hocce stadium ultimum decurrere potis est. Nonnunquam ad 40. usque diem appetitu privatur, & tandem Ossium sphacelo interficitur, *ib.* Declinatio variolarum malignarum discretarum. Maturationi exanthematum non fidendum, Æger enim non est ex periculo evasus in declinationis stadio, nisi Parotidibus vel aliquo alio modo venenum prorsus eliminetur, *p.* 441. Diagnosis variolarum benignarum in hoc stadio. Nono morbi die declinare incipiunt & demum die saltem 12. in tubercula arida & subfusa sensim mutantur. Æger interim est *apiretos* & appetitu integro

utens, *ib.* Diagnosis variolarum mediarum proximè ad benignas accedentium. A benignis non differunt, nisi quod serius, nempe 13. vel 14. morbi die primum declinare animadvertuntur, *p.* 442. Diagnosis variolarum mediarum proximè ad malignas accedentium, *ib.* Infirmitate spirituum Pyalismus, Urinæ profluvium, & intumescentia capitis & artum de repente declinant, secundò febris revirescit, exanthemata nigrescunt, exarescunt vel saltem pure minus laudabili semiplena manent, phlegma viscidum ægros suffocat, ideo, nisi æger intra triduum moriatur, hoc stadium protrahitur, *ib.* Diagnosis variolarum malignarum in hoc stadio, speciatim confluentium & cohærentium ad malignas prope accedentium. Primò febris est maligna & continua secundo variolæ ne minimam maturationem assequi valent, unde efflorescentia ab ipsa eruptione completa declinat. Hæmorrhagiæ immensæ, petechiæ, maculæ purpureæ & nigræ in Cuticula efflorescentes morbi indolem demonstrant. Plerique intra triduum, octavo scilicet vel nono die trucidantur; qui autem evadunt raro ante vigesimum diem hocce stadium emetiuntur, & quidem hectico calore & *apyretos* fatigati demum 30. vel 40. die Carie ossium obeunt, *pag.* 442. 443. Variolarum cohærentium & admodum frequentium proprius ad medias accedentium diagnosis in hoc stadio. Dignoscuntur præcipuè à mediis febre continua post Crisin. Stadii terminus est incertus; raro in iis qui evasuri sunt; ante 17. vel 18. morbi diem finitur, *pag.* 443. Discretarum variolarum malignarum Diagnosis in hoc stadio. Dignoscuntur, 1. à febre concomitante, 2. symptomatis peculiaribus, & 3. durationc stadii protensiori, *pag.* 444. Prognosi, *ib.* Declinatio morbi cum *apyrexia* & appetitu restituto conjuncta optime significat. Febris declinationem excipiens, male. Febris ab initio morbi continua, & in declinatione variolarum exacerbata, mala, *pag.* 119. Febris, quæ durante exanthematum maturatione intermittit vel remittit, est benigna, sed facillime in malignam mutatur, nisi ante tertium Paroxysmum tollatur. Febris in declinatione exulans, bonum. Petechiæ seu vesiculæ miliares in declinatione variolarum efflorescentes malum, *ib.* Deliria, Vigiliæ, &c. pejus in declinatione quàm in aliis stadiis, Hæmorrhagiæ, maculæ nigræ, micturitio, fluxus alvi, sudores colliquativi, deliquia, anhelosa respiratio, deglutitio impedita malè significant *apyrexia*, calor hecticus, & tussis cariem ossium & Phthisin denunciant. Salivatio declinans ante maturationem exanthematum sine profluvio urinæ febrem reducit, ib. Scabies sanioſa purulenta est causa porriginis & foveārum, *pag.* 446. Indicationes curativæ, ib. In benignis totum naturæ committendum: stadio finito, Catharticis utendum, *pag.* 447. Curatio variolarum malignarum & mediarum ad malignas prope accedentium in hoc stadio, ib. Ipse *Sydenhamius* saltem in hoc stadio alexipharmaca & vinum generosissimum concedit. Febris recidiva in his variolis curatur Cortice Peruviano, ibid. Modus utendi Cortice Peruviano, ibid. *pag.* 448. Curatio variolarum vere malignarum in hoc stadio ibid. Quibus alexipharmacis utendum sit, *pag.* 449. Dosis & tempus exhibendi, ibid. Symptomatum in hoc stadio correctio, *pag.* 450. Methodus Purgandi post variolas, *pag.* 450. Catharsim auspicari par est enematis Catharticis oleosis lubricantibus ob metum colicæ torminosæ. Enema mihi familiare. Fotus tono recti Intestini restituendo idoneus ibid. Fæces induratæ forcipibus ereptæ ex ano, *pag.* 451. Cathartica post variolas, *pag.* ibid. Usus Catharticorum aliquando periculosus in hoc stadio, *pag.* 452. Canones de usu Catharticorum, ibid. Morbosi affectus post variolas suboriri soliti, ibid. Appetitus prostratus cum calore hectico conjunctus, alexipharmacis & Cortice Peruviano curatur. Parotides sub finem variolarum subortæ, *pag.* 453. In his Parotidibus à repercutientibus, Venæ sectione & Catharticis abstinendum, Sudores nocturni, Furunculi, Scabies sanioſa, ulcera mali moris, impetigo furfuracea, ibid. Caries ossium & gangræna carnis musculosæ, *pag.* 455. Cicatrices & foveæ, ibid. A puris diuturniori mora inter cuticulam & cutem oriuntur, ibid. Linimenta parum prosunt, tegumenta &

ta & perforatio exanthematum acu nocent, *p.* 456. Ophtalmia; 457. Tussis atrox & Peripneumonica viam ad Phthisin pulmonarem sternit, *p.* 458. Affectus strumosus, *p.* 459. Delirium melancholicum, ib. Tumor partium extremarum œdomatosus, ib.

CAPUT XI.

In quo varia Exempla multiformis hujus Morbi sincerè proferuntur, diversæ Variolarum indoles, symptomata conjuncta & Morbosi affectus subsequentes illustrantur, atque methodus medendi superius tradita confirmatur.

HHistoriæ diversæ, non solum eorum, qui ex morbo feliciter evaserunt, verum illa potissimum quæ indolem, & symptomata morbi vehementiora illustrant, *p.* 459. Hist. 1. de filio Dom. *Hunt*, variolæ benignæ statim ab eruptione sine præcedenti maturatione exarescentes, atq; demum post annum integrum elapsum repullulantes, ib. Hist. 2. de filiola Dom. *VVarren*, Variolæ maximè benignæ, *Chicken-pox* dictæ, *p.* 460. Scabies Erysipelatosa propter catharticum neglectum superveniens, ib. Hist. de filio Autoris unico. Variolæ regulares, & benignæ, *ibid.* Filia Autoris ante eruptionem variolarum benignarum, spasmis epilepticis correpta, *pag.* 461. Hist. 4. de filio cujusdam Causidici, Variolæ benignæ ob malum regimen funesto exitu terminatæ, sive apoplexia forti, *ibid.* Hist. 5. de filia Dom. *Mitchel.* Variolæ discretæ & benignæ ob malum regimen cum symptomatis pene exitialibus conjunctæ, *pag.* 461. Hist. 6. de filiolo Dom. *Fovvler.* Ubi malum regimen observatur, *pag.* 462. Hist. 7. Ejusmodi de Dom. *Pettifer.* Metus sine aliquo Veneno infert dira symptomata, 463. Hist. 8. de Dom. *Batxer.* Variolæ benignæ post abortionem & usum Corticis Peruviani, *ibid.* Hist. 9. de quadam virgine. Variolæ discretæ cum menstrua purgatione conjunctæ, *pag* 464. Hist. 10. de Servo Dom. *Bradford.* Variolæ admodum benignæ post symptomata vehementiora durante apparatu, *ibid.* Hist. 11. de Nepote Dom. *Major.* Variolæ discretæ ob Hæmoptoen tempore eruptionis contingentem confluentes factæ. *p.* 465. Hist. 12. de filio Dom. *VVheler.* Variolæ discretæ sed admodum exiguæ post insultus epilepticos erumpentes, *ibid.* Hist. 13. Ejusmodi de *Elizabeta* filia Dom. *Bright*, 466. Hist. de Dom. *Sheferd.* Variolæ mediæ admodum frequentes & proximè ad malignas accedentes, *ibid.* Hist. de filiola Dom. *Nois.* Variolæ discretæ bis intra spatium unius mensis erumpentes & declinantes sine maturatione & tandem funesta diarrhœa exceptæ, *p.* 469. Hist. 16. de filio unico Dom. *Hot Ke.* Variol. discret. quarum eruptionem atrox & versatilis dolor quasi Rheumaticus antecedebat, *pag.* 460. Hist. 17. de Dom. *Utpon.* Variolæ discret. sub initium maturationis depressæ & vigiliis ac deliriis per bidui spatium comitatæ, *ibid.* Hist. 18. de Dom. *Terry.* Variolæ discret. cum fluxu menstruo & gravibus animi Pathematis conjunctæ, remediis alexipharmacis non opportune exhibitis, funestæ, *p.* 470. Hist. 19. de puero quodam. Variolæ mediæ pro ad malignas accedentes, *ibid.* Hist. 20. de *Edvvardo Helmes.* Variolæ mediæ prope ad benignas accedentes, *pag.* 471. Hist. 21. de Dom. *Northcott.* Variolæ mediæ prope ad malignas accedentes, *p.* 473. Hist. 22. de *Joanne Jorden.* Variolæ cohærentes & malignæ, *p.* 476. Hist. 23. de *Georgio Reade.* Variolæ mediæ diu depressæ & pene cohærentes cum febre *Synochi* durante maturatione conjunctæ, *p.* 478. Hist. 24. de Dom. *Semith.* Variolæ mediæ post imperfectam maturationem in declinatione febre *Synochi* exceptæ. *p.* 480. Hist. 25. de Dom. *Jones.* Variolæ confluentes & malignæ, demum febre *Synochi* exceptæ, *p.* 480. Hist. 26. de filio Dom. *Reinsfend.* Variolæ confluentes malignæ in declinatione febre *Synochi* exceptæ & non obstante Cortice Peruviano funestæ, *p.* 482. Hist. 27. de uxore Dom. *Poxon.* variolæ confluentes depressæ & tarde maturescentes cum tussi & vigiliis pertinacibus conjunctæ atq; demum furunculis frequentibus exceptæ, *p.* 485.

Hist. 28. de filio Dom. *Durrant*. Variolæ mali moris demùm furunculi exceptæ, *p.* 486. Hist. 29. de Nepti Dom. *CocKerill*. Variolæ discretæ malignæ petechiis interpunctæ & demum Parotide exceptæ, *p.* 487. Hist. 30. de filiolis duobus Dom. *PinKe*. Variol. discret. malignæ paulo ante initium maturationis funestæ, *p.* 489. Hist. 31. de filio Dom. *Ryley*. Variolæ magna ex parte discretæ, verum malignæ, cum maculis purpureis in ipsa eruptione conjunctæ, *p.* 490. Hist. 31. de honoratissimo viro *Tho. Coventry*, nobilissimi Domini Baronis de *Coventry* filio. Variolæ cohærentes & malignæ profluvio urinæ solummodo judicatæ, *p.* 492. Hist. 33. Ejusmodi, de uxore Dom. *Levvis*, 494. Hist. 34. Ejusmodi, de filiolo Dom *Allot*, *ibidem* Histor. 35. de Consobrina Domini *Tipton*. Variolæ cum diris symptomatis ob salivationem intempestivè suppressam sociatæ, quę symptomata suborto urinę profluvio tollebantur, *p.* 495. Hist. 36. de uxore Dom. *Goddard*. Variol. malignæ cohærentes fluxu mensium immodico & diarrhœa suborta die morbi 15. funeste terminatæ, *ibid.* Hist. 37. de filio Dom. *HacKevvill*. Variol. primariò malignæ & universim confluentes, *p.* 497. Hist. 38. Ejusmodi, de quodam Adolescente, *p.* 498. Hist. 29. Ejusmodi, de *Marta Meade*, *p.* 499. Hist. 40. de fratre minore Dom. *VVaren*. Variolę cohærentes atque à primo ortu mali moris, *p.* 500. Hist. 41. Ejusmodi, de furore Dom. *Thomson*, *ib.* Hist. 42. de Servo Dom. *Buss*. Variolæ cohærentes cum atroci lumbagine invadentes, Venæ-sectione, &c. in benignas mutatæ, *p. ibid.* Hist. 43. de uxore cujusdam lanionis. Variolæ admodum frequentes cum strangulatione conjunctæ præ usu sulphuris copioso, *ib.* Hist. 44. de uxore Dom. *Higby*. Variolæ funestæ quæ ob fluxum mensium immodicum & abortionem subsequentem nunquam protrudi potuerunt, *p.* 501. Hist. 45. de *Thomu Tolliff* Armigero, Variolæ ob regiminis defectum in apparatu funestæ, *ib.* Hist. 46. de quodam Socio *Cantabrigensi*. Variolæ ob malum regimen in apparatu confluentes atq; in Febrem *Synochi* funestam desinentes, *p.* 502. Hist. 47. de filia Dom. *Reyner*. Variol. discret. Petechiis comitatæ Alexipharmacis & Opiatis felicissimè sanat. *p.* 503. Hist. 48. de filio Dom. *Owen*. Variol. cohærentes vigiliis pertinacibus comitatæ, usu Opiatorum & Alexipharmacorum fœliciter curatæ, *ibid.* Hist. 49. de *Thoma BrooK* Armigero, Tarda variolarum cohærentium maturatio, *ibid.* Hist. 50. de filio Dom. *Chapman*. variol. in Puero ob diarrhœam diu subsidentes, *p.* 504. Hist. 51. de Servo Dom. *Gossin*. Lumbago atrox sine febre vel vomitione in apparatu variolarum confluentium funestarum, *p. ibid.* Hist. 52. de uxore Dom. *Deacle*. Suffocatio hysterica frequenter recurrens, fluxus menstruus & Petechiæ in variolis cohærentibus mali moris, *ibid.* Hist. 53. de Dom. *Titherlegh*. Salivatio in variolis cohærentibus usq; ad 21. morbi diem funestè protensa, *p.* 505. Hist. 54. de Servo Dom. *PincK*. variol. funestæ à suppressione salivationis subitanea die morbi 17. *p.* 506. Hist. 55. de filio Dom. *Carr*. variol. fatales, in quibus salivatio die 11. supprimebatur cum efflorescentia Erysipelatosa & Miliari conjunctę, pulsu interea forti & appetitu voraci, *ibid.* Hist. 56. de quodam Juvene. Sub declinatione variolarum Phymosis exitus Urinæ præpeditus, Crystallina, *p.* 507. Hist. 57. de filiola Dom. *Hern*. Obturatio narium durante variolarum maturatione molesta & pene suffocativa, *p. ibid.* Hist. 58. de Ancilla Dom. *Strang*. Delirium Comatosum variolas excipiens. *ibid.* Hist. 59. de filia Dom. *Carr*. Caries Ossium Variolas excipiens, *p.* 508. Hist. 60. de filiola Dom. *Boddington*. Grangræna Maxillæ & Tibiæ variolas malignas excipiens, *ibid.* Hist. 71. de filia cujusdam Capsarii, Gangræna ventriculi & intestinorum variolas excipiens, *p.* 509. Hist. 62. de *Cathartica Morgan*. Profluvii Urinæ in confluentibus variolis laborantę suppressio, gangræna excepta, *ibid.* Hist. 63. de *Nicolao Lechmere*. Variolas cohærentes undecimo die funestissimis symptomatis & febre primum *Sinocheo* dein *Sinochi* exceptum demum profluvio Urinæ Salivatione inde reduce judicatæ, *p.* 512. Mictio sanguinea in variolis mali moris usu Alexipharmacorum salubriter superata *p.* 517. spatio duarum septimanarum bis erumpentes *p. ibid.*

RICHARDI MORTON M. D.

Et Regii Collegii Medicor. Lond. Socii,

TRACTATUS DE FEBRIBUS INFLAMMATORIIS UNIVERSALIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Febribus Inflammatoriis, & Colliquativis, in genere.

SPiritus animales in hisce Febribus *Veneno* arctius implicatos, ac longè magis irretitos esse, quam in Febrib. *Intermitt.* puris, vel *Remitt.* abundè probat nisus ille laboriosus, & conatus, quo sese expandere & hostem adoriri moliuntur. A Spasmis fibrillarum, quarum tubulos sanguis præterfluens perpetuò irrigat, Dolores lancinantes; à stagnatione Sanguinis & Ichoris extravasati Tumores dolorifici *Febrium Inflammatoriarum* comites oriuntur. & sensim augentur. Haud dissimilem, sed forsan majorem Spirituum nisu prodit Agitatio illa humorum perpetua, quæ enormes Evacuationes sursum deorsumve, vel utrobiq; in *Febribus Colliquativis* excitat. Quo circa *Venenum* vi lacessendi præter solitum donatum, robore Spirituum interea integro, Causam esse horum Morborum *efficientem* statuo: Spiritus nimirum non uti *in Febribus Malignis* delentur, sed *Veneno* illaqueati irritantur, atque inde insolita luctatione, ac nisu spasmodico orgasmum efferatum concitant, donec eorum robore demum fracto, Natura succumbat. Hasce enim Febres in *Malignas* paulò ante funestum diem mutatas sæpissimè videre est, à quo tempore viribus Spirituum plane deletis, haud amplius viget *Inflammatio*, *Dolor* aut *Tumor*, uti in Principio; plurimùm etiam vel sponte sua vel arte sistuntur, enormes Evacuationes Cerebrum enim ac Genus Nervosum in hac ultima ac fatali scena fere solummodo petitur, atque *Comate*, *Deliriis* cæterisque triumphatæ Naturæ, ac Spirituum dele-

deletorum ſymptomatis laceſſitur. Haud igitur immerito Febris *Inflammatoriæ* & *Colliquativæ* in *Claſſe* Febrium ante *Malignas* locum ſibi vendicant, immediatè vero poſt *Intermittentes* & *Remittentes* quibus ſanè, præſertim *Spuris & Mixtis*, ſunt cognatæ, & periodicis exacerbationibus. Naturam ſuam ſæpenumero produnt, atque in iſto ſtatu *Cortice Peruviano* debito exhibito non minus quam *Synochis* vel ipſæ *Intermittentes* profligantur, Quandoquidem verò iſtæ cum *Inflammatoriæ* tùm *Colliquativæ* pro varietate partium, membranarum, glandularum & viſcerum affectorum, faciem Morborum diverſorum induant, Indicationes quadantenus diverſas miniſtrent, diverſamque curandi Methodum poſtulent; Sermonis generalis filum contraham; & multifarium hoc penſum majoris, perſpicuitatis gratia; in Capita diſtinguam, ac primò de *Inflammatoriis* Febribus dicendum eſt, deinde de *Colliquativis*.

CAP. II.

De Febribus Inflammatoriis in genere.

FEbris *Inflammatoria* ea eſt quę habet notabilem alicujus *Membranæ, glandulæ Viſceris* vel *Artus* Inflammationem ſibi conjunctam, non autem antecedentem. *Notabilem* & *Conjunctam* dico, quia *Furunculi*, aliæque minoris notæ Inflammationes partem aliquam externam paſſim obſident, cùm tamen *Febris* preſentis indicia non abſint, quia iſtę *inflammationes* accidentales à peculiari ſingularis alicujus partis, potiùs quàm ab univerſali ſpirituum & Sanguinis *ataxia* oriuntur: Cùm vero iſtiuſmodi accidentales *Inflammationes* magis notabiles fiant, febrem Symptomaticam nonnunquam accedunt, præſertim ubi Viſcerum aliquod, vel membrana nobilior iis afficiantur, cujus dolor perpetuus, atque in dies creſcens tonum ſpirituum ac Craſin Sanguinis multum interturbat ac demùm evertit. At hanc febrem à ſingularis partis dyſcraſia primùm ortam, quæque, parte affecta in ſtatum integrum reſtituta, ſponte cedere ſolet ab inſtituto præſenti alienam impræſentiarium omitto. In *Morbis univerſalibus primariis* (quæ noſtra provincia ſunt), pro varia partis inflammatæ textura, ſive fuerit Glanduloſa, Tendinoſa, Membranacea, vel Muſculoſa, Speciem admodum variam Inflammatio induit. Interdum Membrana efflorescentia mera, ſine Dolore vel tumore, afficitur; & iſta efflorescentia rurſus vel plana eſt & æqualis, uti *Cuticula* in *febre Scarlatina*, vel interpuncta, ut in *Morbillis*. Aliquando Membrana inflammata inæqualis evadit, atq; ad exulcerandum apta, non ſine dolore & ardore; Talis eſt Inflammatio cutis veræ in *Variolis Erysipelate* & *Herpete*. Glandulę inflammatæ in *Ophthalmia* copiam Icoris puriformis effundunt, glanduloſæ Oris & Faucium partes in *Angina* & *Odontalgia* Lymphæ ſalivalis magnam copiam exſpuunt, non ſine tumore notabili & dolore excruciante, Muſculi autem & parenchyma viſcerum Tumore, Dolore, Ardore cruciantur, & demùm Apozematis pure copioſo refertis fœdantur. Muſculorum Tendines in extremis Artubus aut Articulis conſtricti, ut in *Arthritide* & *Rheumatiſmo* ut ut exquiſitiſſimo dolore, ardore flagrante, ac tumore immenſam molem aucto afficiantur, nuſquam exulcerantur. Adeò diverſa eſt harum Inflammationum, atq; ſymptomatum inde ſubortionum indoles, ut paſſim apud Authores, quaſi morbi toto cœlo diſtantes, nominibus diſtinctis, [*Rheumatiſmi ſcil. Morbillorum, Variolarum, Erysipelatis, Herpetis, Apoplexia, Spaſmorum, Phrenitidis, Ophthalmiæ, Odontalgiæ, Otalgiæ, Anginæ, Peripneumoniæ, Pleuritidis, Colicæ, inflammationis Teſticulorum, Mammarum, Hepatis, Renum, Veſicæ, urinariæ*, &c. deſignentur, reſpectu habito ad Symptomata Vehementia à textura partis affectæ orta, potius quam ad *Febrem Inflammatoriam* & venenatum Fermentum intus deliteſcens, quod ſymptomatis cauſam dat. Unde pagina curationis utraq; *V. S. Epithematis, Fotibus, Linimentis, Hauſtibus anodynis, Emulſioni-*

sionibus, *Apozematis & Iulapiis temperantibus*, cæteriſque id genus Remediis ad Symptomata ſpectantibus adimpletur, dum ſicco pede Morbus primarius, una cum ejus Cauſa præteritur [quod in *Eryſipelatis*, *Rheumatiſmi*, *pleuritidis*, cæterarùmque Febrium Inflammatoriarum curatione; quotidiana Obſervatione patet) & ea ratione Morbi vel diutiſſimè protrahuntur, vel Ægroti artificiosè occiduntur. Quam ob cauſam, haſce Febres, quibuſcunque omnibus ſparſim apud authores hic illic deſignatas, in unum Faſciculum collecta, in ſpecies certas partiri ac dividere lubet, ut Indicationes curativas veras pro ratione partis inflammatæ varia ex rei ipſius natura eruam, atque Methodum Curationis ad Rationis normam acuratam, & minimè Empiricam inſtituam, Diſquiſitione generali priùs habita de Natura peculiari, Cauſas ſtadiis ac gradibus diverſis, Signis Diagnoſticis & prognoſticis, atque Curativis harum Febrium Indicationibus.

(a) Quod ad Natura *Febris Inflammatoriæ* attinet, illa parum à *Synocho* præſertim *ſpuria* diſtare deprehenditur, niſi quod *Horror*, *Rigor*, cæteraque id genus colluctantis Naturæ Symptomata in primo Morbi inſultu, quia Spiritus plus ſolito irretiti, non deò libere hoſtem adoriuntur, magis ingraveſcant, atque diutiùs protrahantur. Quamprimùm verò ſeſe expandere incipiant, Artus aliquis, Membrana, Glandula, vel aliquod ex Viſceribus, ſive quia Venenum hanc vel illam partem præ cæteris petat, ſive quia pars natura debilis, ſit, vel nuper à frigore injuriam acceperit (illico ob ſpaſmodicam fibrillarum contractionem, dolore punctorio & vellicante corripitur, modo ob peculiarem ſuam texturam ejuſmodi Senſationis non fuerit incapax: Atq; inde demum fluxu Sanguinis libero per tubulos fibrillam coarctatarum quadantenus præpedito, ex cruoris ſtagnatione Lympha acris in partibus vicinis extravaſata coacervatur, unde dolore præcedenti tandem Tumor, Ardor & Rubebo ſenſim accedunt, nec non fortior Arteriolarum vibratio, ut Sanguis vi quaſi præternaturali per partes haſce compreſſas & anguſtatas propelli queat, Hæc eſt brevis & aperta incipientis Inflammationis, ejuſque ſignorum Pathognomonicorum deſcriptio, & vera Ætiologia: Durat autem *Inflammatio* donec Arte vel Natura Venenum Febrile [primaria Inflammationis cauſa) deleatur, vel Spiritus ipſi interimantur, hoc eſt, donec Criſi ſalubri vel funeſta certamen dirimatur; licet ut plurimùm, ubi Venenum mitius eſt, & Spiritus quotidie in certamine ſuperiores evadunt, Febris naturam *Synochεos* participat, & Inflammatio exacerbationibus & remiſſionibus ſingulis vel alternis diebus, ſtata hora, alternatim recurrentibus, diſtinguitur. Quod ſæpiſſimè, (præſertim in Febribus *Rheumaticis* & *Eryſipelatoſis*) videre eſt.

(b) Cauſa hujus Febris immediatè *Continens* eſt, Implicatio Veneni ſolito major cum Spiritibus, adeò ut non ſine multo niſu ſeſe expandentes & hoſtem adorientes inſtatum exploſivum adigantur. Cauſa *Evidens* ſeu *procatarctica* ab Athmoſphæra petenda eſt: Siquidem *Anginæ*, *Pleuritides*, *Ophthalmiæ*, *Variolæ*, *Morbilli*, *Febres Scarlatinæ*, cæteræque id genus Febres Inflammatoriæ à particulis deleteriis cum ambiente aere commiſtis ſæpenumero *Epidemiæ* evadunt; Quotieſcunque autem Sporadicas eſſe has Febres contigerit, & tantummodo à veneno intus nato ortas, Frigus aeris externis in poros Cutis invadens, œconomia Spirituum interturbando, atq; inde vires Veneni delitescentis ſopitas excitando, Venenum hoc in actum ducere fere ſemper obſervatur. Hinc ratio reddi poteſt, quare Pars à frigore externo maximè affecta, Inflammationis ſubſecuturæ præ cæteris obnoxia ſit, niſi ob debilitatem texturæ Fibrarum alicujus alterius partis præcedentem, vel genium peculiarem Veneni unam partem præ alia affectantis, id ſecus evenerit.

(b) Signa *Diagnoſtica* Febris enumerare & deſcribere forſan haud operæ pretium

[a] *Febris Inflammatoriæ Natura.* [b] *Cauſa Continens & Procatarctica.*
[c] *Symptomata Diagnoſtica.*

tium videatur, cùm vel ex Inflammatione conjecta, vel si Inflammatio in cute non efflorescat, & αὐτοψία pateat, ex Dolore, cæterisque Symptomatis quæ raro ipsum Ægrotantem latent, Febris hæc naturam suam ac stirpem manifesto prodat. Quia tamen Dolorem Spasmodicum non semper Inflammatio comitetur, necesse est ut *phlegmoneo* in Visceribus & Membranis interioribus Diagnosin ex aliis fontibus petamus; scil. ex *pulsu*, qui licet in primo Febris insultu sit debilis & celer, ob præsentem Spirituum colluctantium depressionem; tamen cùm sese expandere cœperint Spiritus, indèque massam sanguinis accendere, in magnum, & fortem illicò præter modum immutatur; & ex *Urina*, quæ ut ut in principio [uti in affectibus spasmodicis semper usu venit] clara, tenuis & copiosa reddita fuerit, cum primum Spiritibus expansis pars aliqua Inflammatione tentetur, multa rubedine tingitur, contentis saturatur, ac Sedimentum lateritium deponit; & denique ex *Sanguine* ipso, qui non tantum in *Rheumatismo* & *pleuritide*, majoribusque Inflammationibus, verum in ipsa *Odontalgia* vel alio quocunque minoris notæ incendio, ob nimium Spirituum motum ac nisum eundem exagitantem, primùm coccineus, (qualis è Corde vel Arteriis exilit) præter modum apparet. Demùm verò post Venæsectionem sæpe repetitam, sub diu relictus muco multo obducitur, parte serosa ex Inflammatione in Gelatinam albam, flavam, æruginosam, vel purpuream pro præsenti Sanguinis diathesios ratione concrescente, non alias quam in cochleari igni admota concrescere solet.

[a] Hasce Febres in duas Classes distribuere necesse est, quarum prima comprehendit *Simplices & Genuinas* Inflammatorias Febres, in quibus Spiritus viribus integris adversus venenatum Fermentum insurgunt, & libere, ut ut non sine nisu & conamine multo expansi, vividam in parte designata Inflammationem efficiunt. Altera continet *Spurias*, in quibus Spiritus Veneno ferè deleti ac enecati Inflammationem magis languidam producunt, non sine indiciis delitescentis Malignitatis. Siquidem tantum interest inter *Genuinam & Spuriam* Inflammationem, ut Genius ipse Morborum pene diversus videatur, stadia longè diversa decurrant, eventum sæpenumero contrarium sortiantur, atque methodum medendi jure merito valde dissimilem postulent. Præterea, exercitati Medici compertum habent hanc ipsam *Febrem* ad modum *Synechœos* cæterarum sæpenumero suum Genium mutare, eamque quæ primo *simplex & genuina* fuerat, sponte sua vel ex accidente in *Malignam* facilè transire; & vice versa. Adeò ut nisi ad hanc Cynosuram attentè respiciatur, Idea hujusce Febris vera ac genuina haud facile formari queat, vel varia ejus indoles in diversis stadiis, quæ decurrit, describi: Medicum verò in Prognosticis proferendis, Indicationibus curativis eruendis, ac methodo medendi instituenda plurimum hallucinari necesse sit. Verissimum quidem est, Venenum quadantenus diversum esse, pro varietate partium quas affectat, & Virus quod Cutim vel Cuticulam accendit, esse distinctum aliquo modo ab eo quod Artus vel Viscera impetit, & Febrem Inflammatoriam inde ortam, in omnibus suis stadiis variam indolem prodere, quatenus cum Inflammatione hujus vel illius partis conjungitur: Hoc autem jam potissimum contendimus, Febrem eandem ipsissimam Inflammatoriam, (sive fuerit *Scarlatina*, *Morbillosa*, *Erysipelatosa*, *Variolosa*, *Rheumatica*, *Anginosa*, *Pleuritica*, *puerpera*, *Odontalgica*, aut alia quæcunque) plurimum à sese distare quatenus fuerit *genuina* vel *spuria*. Indeq; Medicus qui hisce curationibus præest ante omnia perspectum habeat oportet Febris Inflammatoriæ curandæ genium, & utrùm sit *Simplex* & cum robore Spirituum vegeto conjuncta, an *spuria* & malimoris; vi Spirituum fatiscente. Si quis in hac re rectè judicium fecerit, meth. curationis nihil faciet Empiricè, & rarissimè in eventu præsagiendo à scopo aberrabit.

Ve-

(a) *Stadia & gradus differentes.*

Verum quo ſtadia varia atque gradus hujus Febris diverſi clarius innoteſcant, & inde ejus Theoria generalis accuratior formetur, & Prognoſtica, & indicationes curativæ certiores ſtabiliantur, totam rem [quantum operis inſtituti brevitatis patitur) exemplis ſuccinctim illuſtravimus. (a) Ac primo. Venenum quod propria ſua Natura in *Scarlatina* ac *Morbilloſa* Febre cuticulam petiit, eius Fibrillas contrahit, & Membranam demùm inflammat [ut ut ex hac Tuberculorum conſtrictione & ſanguine inibi ſtagnante rubedo quædam plana & univerſalis vel interpuncta inducatur) ob tenuitatem tamen membranulæ affectæ, vix aliquam ſenſibilem craſſitudinem vel intumeſcentiam creat, nullumque ardorem vel dolorem præter pruritum; quippe textura quadam peculiari fibrillarum providentia Naturæ conflata eſt hæc membrana, quæ ſenſatationem potius habetat quam acuit. Febris hæc, licet *Simplex* & *Genuina*, tamen more *Sinechon* uno tenore progreditur, atque durante apparatu efflorescentiam præcedenti [quod ſtadium ſpatio bidui vel tridui abſolvit) uſque ad ſtatum a veneno Spiritus ſuperante, *Comate*, *Deliriis*, *Spaſmis*, reliquoque id genus Malignitatis ſatellitio ſtipatur. Efflorescentia autem in Cuticula apparente, ſtatus Morbi incipit, qui ſpatio tridui finitur, à quo tempore Febris, nec non Inflammatio, cæteraque Symptomata Febrem comitantia [modo Febris fuerit ſimplex] ſponte & ſenſim Criſi perfecta finiuntur, In conſtitutione autem *Epidemia* ubi à ſpiritibus ferè enecatis, ægrè admodum Venenum ſubigitur, efflorescentia ab initio minus vivida deprehenditur, & ſtatus morbi ad x. xiv. xxiv. diem ſæpenumero protrahitur. Atque hanc Febrem fere ſemper cum *Peripneumonia*, *Angina Ophthalmia* aut graviori aliqua inflammatione glandulosa conjunctam Ægrotantem è vivis ſuſtuliſſe obſervavi. Nonnunquam etiam poſt Inflammationem peractam, Febrem primum in Simplicem *Synochi* atque inde demum in *Synechoon* vere malignam ac funeſtam tranſiiſſe novi, ubi poſthabito *Corticis Peruviani*, vel cujuſdam alterius Antidoti uſu, ſpiritus in certamine *Alexipharmacis* duntaxat ſuffulciebantur.

(b) In Febre autem *Varioloſa* & *Eryſipelatoſa*, ubi Venenum ſponte ſua Cutim veram, ſenſu exquiſitiſſimo præditam, & increſcendi capaciſſimam, ſimul ac Cuticulam petat & inflammet, Rubedo, Dolor, Ardor, Tumor, cæteraque Inflammationis exquiſitæ indicia accedunt. Cutis in Febre *Varioloſa* Exanthematis ubique referta & interpuncta eſt, quæ deinde in Apoſtemata matureſcunt, & tandem in Ulcuſcula abeunt: In *Eryſipelatoſa*, æquali tumore in magnam molem aucto cutis afficitur, & demum exulcerata cuticula à cute ſejuncta, veſiculas Lympha acri vel pure turgidas refert. Spiritus à Veneno in febre *Varioloſa*, ut ut ſimplici & legitima quadantenus deletos eſſe ac depreſſos durante apparatu, ſeu primo Morbi ſtadio, *Comate*, *Vigiliis*, *Deliriis*, *Spaſmis*: cæteriſque Malignitatis Indiciis tunc temporis manifeſtis conjicere fas eſt. Hoc ſtadium vero Morbus ut plurimum bidui vel tridui ſpatio decurrit. Quo finito, intra triduum, cum Exanthemata ſeſe omnia in conſpectum dederint, Febris ſenſim declinat, & demùm Criticè quaſi exulat. Ubi vero Spiritibus à Fermento magis Virulento diſſipatis, hanc Febrem *Spuriam* eſſe contingerit, Exanthemata magis frequentia & minus vivida ab initio apparent, & ob Spirituum debilitatem multo tardius matureſcunt, & veneno adhuc intus delitescente febris per totum Morbi decurſum protenſa demum ſub finem maturationis, ſcil. die Morbi xi. xiv. xvii. primum in *Synochi* & poſtea, idque ſæpiſſimè in funeſta *Synecheon* terminatur. *Eryſipelatoſa* autem febris *Genuina* ab initio uſque ad finem [nimirum à veneno minùs deleterio orta] *Synecheos* indolem refert, & ſingulis vel alternis diebus exacerbationibus & remiſſionibus ſeſe alternatim excipientibus genium ſuum prodit. In ἀκμῇ autem ſingulorum paroxyſmo-

(a) *Differentia inter morbillos genuinos & ſpurios.*
[b] *Differentia inter Variolis ſpurias & genuinas.*

xysmorum inflammatio in partem affectam latius serpit, vel saltem novam occupat, donec demum Arte vel Natura febrile fermentum deleatur aut spiritibus à Veneno prorsùs triumphatis & enecatis, Febris, Natura jam succumbente in malignam *Synechon*, cum Deliriis, Comate, Spasmis & cæt. conjunctam immutetur. Quo facto, Inflammatione declinante mors præ foribus adstat. Ubi vero à Veneno magis deleterio Spiritus irretiti adeò præter modum fuerint prostrati, ut Dolor in parte inflammata mitis sentiatur, atque ardor & Rubedo langueant, febris à primo insultu est plane *Synechcos* maligna, & Eventum funestum denunciat.

(*a*) Quod ad *Herpetem* attinet, venenum istius Morbi author. Cutim veram simul ac Cuticulam sicut in *Erysipelate* petit, & utramque inflammat, inibique tuberculos *Semen Milii* referentes hinc inde conglomeratos, & ad exulcerandum aptos efficit, ardore & pruritu potius quam lancinante & spasmodico dolore molestos, ut ut non procul à partibus *Herpete* affectis, & post eruptionem, dolor *erodens* à spasmodica Fibrarum constrictione ortas ferè semper sentiatur, donec veneno morbifico deleto Spiritus non amplius lacessantur, & Spasmodico statu liberati ultro quiescant. Hoc facto Dolor, una cum Ardore, Pruritu, cæterisque Inflammationis præsentis indiciis evanescit. Febris hanc Inflammationem concomitans est præter omnes alias, quotquot sunt, mitis & benigna, atque ex Urina, Pulsu, Lingua, vel Temperie ægrè admodum perceptibilis, unde de ea apud Authores altum est silentium ratissimè præterea funesta est. Tempore vero Decubitus exacerbari solet & *Vigiliis Iactatione inquieta, calore aucto & Siti*, sese aliquatenus prodere. In singulis hisce exacerbationibus Inflammatio sensim in partes vicinas serpit, vel alias distantes occupare, incipit, indeque nomen *Herpetis* sortita est.

(*b*) Quoties vero Venenum pro genio suo peculiari Artus petat, eosque inflammet (uti in *Arthritide* & *Rheumatismo*) dolor sentitur exquisitissimus à firma ac sensili compage Fibrarum tendinosarum spasmis vellicata ortus, tumores tamen & Ardor non semper eodem modo se habent, sed pro copia & acrimonia serosi laticis, è Sanguine in tubulis Fibrarum Spasmis angustatarum retardato eliciti, ac in earum interstitiis extravasati, nunc majores, nunc minores, reperiuntur, *Rubor* sæpe, præsertim ubi Artus majores afficiuntur, nullus est; quippe Inflammatio ad cutim non pertingit. Nunquam etiam hic Tumor ut ut inflammatus in *Apostema* terminatur, quod colluviei ichorosæ & tendina scatenti proprium est. Febris *Rheumatica* quæ huic Artuum Inflammationi causam dat, quantum Ego observavi, ut plurimum, sicuti Herpetica ante memorata, est Benigna, *Intermittenti* vel saltem *Synechi* cognata, & exacerbatione, & remissione Quotidiana vel Tertiana genium snum prodit, atq; in unoquoq; Paroxysmo, vel in alio Artu novam Inflammationem excitat, vel saltem in priori declinantem instaurat. Ad modum *Intermittentium* sæpius valde Chronica est, & nullo certo dierum termino definita rarissimè etiam invenitur peracuta aut funesta, ut ut viam sternat ad plurimos fatales Morbus; durat etiam quo usque Arte vel natura venenatum fermentum activum subigatur, & ex levissima quavis occasione in Artis nostræ opprobrium revirescere solet. Nunquam autem hactenus febrem hanc *Spuriam* vel malignam observavi, siquidem quoties ab *Epithematis* vel *Emplastris* repercutientibus ad partem inflammatam applicatis, vel quacunque alia mala praxi, vel accidente, venenum derepente auctum fuerit, spiritus inde improviso deleti, sicut in *Apopleticis*, sine lucta, momento temporis corruunt; ubi verò longo & sæpius repetito prælio sensim spiritus vincatur, Chronica quadam *Vomitione Apyrexia Vertigine hydrope*, aut alio id genus symptomate funesto, magis chronico, confectus ægrotans, gradatim & sine Febre ultimum claudit diem. At de *Rheumatismo* fusius post hac agendum est.

Quod attinet ad Inflammationes *Mus-*

cu-

(a) *Febris Herpetem comitans, omnium mitissima & semper benigna.*
[b] *Rheumatismus nunquam spurius.*

culorum, Viscerum & Glandularum, illæ omnes ferè sunt ejusdem indolis, *Pulmo, Renes, Hepar; Mammæ, Testiculi, Uterus Glandulę Pharyngis, Oculorum*, aut aliæ quæcunque; à Veneno peculiarem parte affectante fuerint impetitæ, & cum Dolore, ardore, Rubore & Tumore, cæterisque exquisitissimi hujus symptomatis Criteris conjungitur, & intra circuitum septem vel novem dierum ut plurimum in Apostemata & Ulcera desinant. Febris etiam, quæ harum Inflammationum causa est (sive fuerit *peripneumonica, Nephritica, Hepatica, puerpera à Mammis vel Utero inflammato orta, Testicularis, anginosa, Opthalmica*, vel alia quæcunque, modo fuerit genuina & simplex] est semper begnina, à primo Insultu, usque ad tempus Maturationis, speciem exacerbationis & Remissionis haud levem quotidie exhibens [spiritibus nempe à veneno irretitis potius quam deletis aut fractis.] Posthac vero cum die septimo vel nono Pus fieri incipit, post incertos Rigores, Genium Febris *Remittentis* non *Intermittentis* ipsius palam inducit, cum Algore, Calore & Sudore, qui singulis vel alternis diebus, hora stata sese ordine excipiunt sociata, nisi ex profusis Venæ-sectionibus perperam adhibitis, vel alia mala praxi, sive Accidente spiritus nimium pessundentur, atq; venenum inde vires colligat, & superius evadat; unde febris illicò mutetur in *Synecon* malignam cum sudoribus Colliquativis, vigiliis, Comate, deliriis, Subsultibus Tendinum, cæterisque Malignitatis indiciis conjunctam.

(*a*) Hac febrium Inflammatoriarum *Theoria* ex rei ipsius natura petita, facilè admodum *prognostica* generalia inveniuntur, quorum veritatem ut plurimum eventus comprobabit. Scil. 1. Omnis *Febris Inflammatoria quamvis simplex & genuina*, periculosior est, & curatu difficilior quam *Sinechis* legitima, ob symptomatum vehementiam, quę à nisu spirituum suborta, haud raro vitam Ægrotantis citiùs in discrimen ducunt, quam primarium Venenum: Et quoniam curativas Intentiones plures ministrat, easq; nonnunquam inter se discrepantes. Nullatenus verò hæcce febris, generaliter loquendo] *Malignam* æquat, vel quoad periculum, vel quoad curationis difficultatem; quippe spiritus inordinatos compescere, nõ adeò difficile est ac deletos restituere, quod idem est ac ab Orci faucibus Ægrum eripere: mors enim est solummodo extinctio flammę vitalis, seu omnimoda Spirituum deletio; ideoque Febris maligna est ipsissimo Mors incœpta. 2. *Febris Inflammatoria genuina* cum vegeta Inflammatione sociata quęcunque fuerit, minus in se periculi continet quam *spuria*: siquidem hæc, ut ut cum symptomatis sub initium minus molestis conjungatur, semper Naturæ languorem & diminutum spirituum robur indigitet indeque Comata, Deliria, subsultus Tendinum, cæteræque funestæ Malignitatis notæ subpullulant. Quo igitur hæcce febris magis minusve fuerit *genuina*, eo cęteris partibus plus minus periculosa est. 3. Hæ febres in genere eo magis periculosæ sunt, ac curatu difficiliores, quo intensior gradus Veneni morbifici, & quo nobilior fuerit pars affecta. 4. Quamdiu hæc febris *Synechi* refert evidentibus ac statis exacerbationibus ac remissionibus sese alternatim excipientibus distincta, quod ad febrem spectat, res est in vado. Adeò enim mite est venenum; ut spiritus de illo in unoquoq; certamine victoriã reportent, & crebris expansionibus febrem tandem profligent, vel saltem *corticis peruv.* opportunè & rite exhibendi, unde Febris penitus subigi queat occasionẽ ministrant. Hinc fit quod hæ *Febres* (ac præsertim *Rheumaticę*) nonnunquam diutius protrahantur ac quasi Chronicę evadant, rarius tamen, si unquã, funestę observantur, nisi postquam speciem suam propriam mutaverint. 5. Ubi verò hęc *febris* gradu veneni sensim aucto à *Synechi* in *Synecon* transeat, & cerebrum comate & deliriis, ac Systema nervosum à Spirituum extinctione, subsultibus ac spasmis afficiatur, plurimum funesta est, & curationem admitttit admodum difficilem, si ullam. Quod non tantum in febribus Erysipelatosis, Variolosis, Peripneumonicis, cæterisque pejoris notæ; sed in *Scarlatina, Morbillosa Odontal-*

[a] *Prognostica.*

talgica vel *Otalgica* ipsa passim videre est. 6. *Febris* autem hæc quoties à primo Insultu *Synechis* sit, & malignitatem suam in Cerebro & genere Nervoso prodat (quod in variolosa, Morbillosa & Scarlatina Febre sæpissimè accidit) non adeò funestum Prognosticon exhibet, modo ex insueta pulsus debilitate, & eruptione plus solito languida, extinctorum spirituum indicia non appareant. Namq; brevi ex Naturæ lege quasi perfecta Crisi, Venenum in partes externas exterminatur, quod primo conflictu spiritus fudit ac superavit; Veneno autem [causa Febris] sublato, cessat lucta ac Febris 7 *Febris* hæc conjuncta cum Inflammatione Glandulæ, Visceris, vel Membranæ cujuscunq; intus sitæ, periculosior est, cæteri paribus, quam ubi Musculus vel pars aliqua exterio Inflammatione affecta fuerit: partes enim interiores sunt magis nobiles atque munia vitæ ipsi necessaria haud raro obeunt, indèq; eorsũ quęvis Discrasia, multo magis Inflammatio, functiones lędendo vel evertendo, non potest non plurimùm toti machinæ officere, atq; vitam in subitum discrimen ducere. Ex. gr. In Febre *Pleuritica* & *Peripneumonica* à Spasmodica & dolorifica Pulmonis contractione, ejus Inflammationem comitante, Respiratio adeo ad vitam necessaria, in tantum prępeditur, uti Ægri sępe suffocati brevi fatis cedere cogantur. Idem in Febre *Antigona* non raro accidit, ubi ex Inflammatione & Tumore Glandularum *Pharyngis*, vel potissimum *Laryngis* altius reconditarum, Respiratio simul ac Deglutitio cum summo Ægrotantis discrimine lędduntur, vel penitus abolentur, unde miserrimus Æger famelicus simul ac strangulatus sepenumero summum oppetat diem. Simili de causa *Feb. Phrenetica* fere sempre funesta est ac peracuta: quia, nempe ob viciniam Meningum Inflammatarum, Cerebrum, Officina ipsa ac cisterna spirituum, nec spiritus debitè elicere, nec tori machinæ suppeditare valet: At hac parte œconomię animalis eversa prępipiti lapsu Antomaton corruere necesse est. Pari ratione, ubi *Inflammato Ventriculo* alimentũ ad juges Sang. expensas instaurandas haud amplius in Chylum convertatur; ubi *Pancreate* aut *Hepate* inflammato, liquor pancreaticus & partes Biliosę ægrè in posterum è massa generali secretæ, in ea congestæ maneant, nec ampliùs per proprios ductus in Intestina amandentur ad usus necessarios à natura destinatos: Ubi *Renibus* inflamatis serosæ sang. partes non amplius inibi secernantur, sed in massa sanguinis congestæ, spiritus demum quasi inundant ac submergunt, ac in spasmos fatales adigunt; Febris conjuncta ob partis affectæ usum ac dignitatem, naturam æquè funestam ac priores sortitur, ut ut ruinam non adeo præcipitem inferat, Indèque licet diutiùs protrahatur Morbus, difficillimè tamen curationem admittit. Insuper Fontes ipsius Vitæ *Cor* nempe & *Cerebrũ* cum Visceribus Membranaceis cæterisq; partibus intus sitis præ cæteris communicant, atq; ab iis plurimùm patiuntur; unde tota machina citiùs [ut aiunt) in consensum trahitur: ideoque licet mite fuerit primarium Venenum, Febris tamen conjuncta inde deterior, ac curatu difficilior redditur; quod in *Febre puerpera* ab Inflammatione Uteri orta abunde patet. Denique omnibus in Medicina mediocriter versatis notum est Inflammationem vegetam (ubicunq; fuerit) post septimum vel nonum diem in Apostema & Ulcus facessere solere; Atq; Ulcus illud in partibus interioribus, ad quas *Abstersivorum* & *Sanativorum* Remediorum vires non fractæ vix, aut ne vix pertingere queant, magna cum difficultate curari, & funestos admodum Morbos accersere. Hujus farinæ est *Vomica pulmonum*, cui funesta *Tabes*; atq; ex Vomicæ ruptura haud raro *Empyema* æque funestum, una cum *Febre Hectica* & tandem Intermittente subsequitur, unde Febris primaria ut ut sponte exul altera æque fatali excipitur.

[a) Duo in genere *indicantur* in curatione Febris Inflammatoriæ necessaria: Deletio sc. veneni Febriferi, & Nisus spirituum venenum adorientium immodici Temperatio, & Sympt. molestor. & periculosor. inde subortor. allevatio. Primum indi-

[a] *Indicationes generales.*

indicatur à Febre ipsa, Alterum à genio Febris peculiari quatenùs Inflammationem comitem habeat. Venenati Fermenti virulentiam, indoles Febri varia non uno modo abolendam indicat; sc. vel promovendo spirituum expansionem *Alexipharmacis*, *Vesicatoriis* & reliquis quæ eorum vires sopitas exsuscitare valeant, quoties ex Inflammatione plùs solito languida & genio Febris *Synechon* sapiente eam esse *Spuriam* appareat, atq; spiritus Malignitate deprimantur. Vel tempestivè & copiosè ministrando *Corticem Peruvianum*, sive quamcunq; aliam Antidotum, ubi ex vegeta partis affectæ Inflammatione, atq; manifestis Febris exacerbationibus & remissionibus constet, eam à mitiori veneno oriundam Simplicem fuisse, atq; *Synecheos* indolem induisse, atq; inde sat virium spiritibus supereſse ad facultatem Remedii *Alexipharmacam* in actum deducendam, Nisus verò spirituum, seu Orgasmus eorum efferatus ac Spasmodicus, qui Symptomatis dolorificis & periculosis Inflammationem haud ratò comitari solitis causam dat, cohibendus est *Venæ sectionibus* repetitis, cæterisq; id genus *Evacuationibus*, ac usu *Opiatorum* copioso ac frequenti, &c. Ea lege tamen ut non sine evidenti necessitate, nunquam verò in Veneni incrementum, & spirituum extinctionem promovendam, adeò ut Febris benigna & simplex in Malignam vel spuriam transeat, istiusmodi Remedia exhibeantur.

Diversa autem harum Febrium indoles à Nobis jure merito postulat, abrupto hoc discursus generalis filo in re tanta atq; ad Praxin ipsam spectante, ad species harum Febrium differentes descendamus quas tam à varietate Fermenti venenati, quàm à Textura patris Inflammatione obsessę singulari, adeò longè à se invicem distare observavimus, ut jam vita Ægrotantis à Veneno, jam ab Inflammatæ partis affectu, in discrimen duci videatur; Unde Indicationes Curativæ admodùm diversæ non possunt non ministrari, atq; methodus medendi æquè diversa postulari. Ideòq; pensi quod reliquum est absolvemus pertractando singula Morborum Capita, passim apud Authores invenienda, seriatim secundùm methodum nostram dispositа, Exordium autem sumemus à Morbis illis qui Inflammatione per totam *Membranam* corpus investientem sparsa vel ab una ejus parte in alteram serpente aut singulos Artus simul vel successivè occupante insigniti, præ cæteris titulo *Morborum Universalium* potiri videantur. Cujusmodi sunt *Morbillis* & *Febris Scarlatina* in Cuticula efflorescentiam universalem excitantes, atque *Variolæ*, *Erysipelas*, *Herpes*, qui Morbi exanthematis, & Tumoribus Inflammatoriis totam Cuticulam fœdare solent, & denique *Rheumatismus*, qui unum Artum nunc, nunc alium inflammat ac tumefacit. Posthac descendemus ad Febres cum Inflammatione alicujus Glandulæ, Visceris, vel Membranæ particularis conjunctas, ubi *Apoplexiam*, *Letbargum*, cæterosque Morbos soporosos cum Inflammatione partis Cerebri Corticalis sociatos; Ad *phreneſin*, *Anginam*, *Ophthalmiam*, *Otalgiam*, *Odontalgiam*, *Pleuritidem*, *Peripneumoniam*, *Colicam Ventriculi & Inteſtinorum*. Agmen denique claudent Febres quas Inflammatio Hepatis *Renum aut Vesicæ Urinariæ*, *Testiculorum*, *Uteri vel Mammarum*, comitatur.

A *Morbillis & Febre Scarlatina* incipiam, in quibus venenatum miasma modo singulari massam Spirituum & Humorum exagitat, eamque ita disponit, ut particulæ fermento imbutæ ad poros Cuticulæ adaptatæ, atque inibi secretæ, ejus Fibrillas constringendo, eidem efflorescentiam universalem Inflammatoriam inducant.

CAP. III.

De Morbillis & Febre Scarlatina.

(a) MOrbus, qui passim apud Authores hoc nomine designatur, est Febris conjuncta cum efflorescentia Inflammatoria, hic illic totam Cuticulam distinguente. *Cuticulam* solummodo hac efflorescentia obsessam esse αὐτοψίᾳ constat, quę inde 1. ejus momento ru-

(a) *Morton Opera Medica.*

(b) *Indicationes generales.*

bedine & levi calore ubique perfunditur, deinde in Morbi ἀκμῆ quamprimum sc. acri humore erosa turgescere atq; à cuticula separari incipiat, inæqualem quandam asperitatem prodit, demum verò evanescente efflorescentia, squammarum ad instar decidit. Efflorescentiam hanc semper, interstitiis, figura diversa, oblonga sc quadrata, vel multangula præditis variegatam observare est: namq; non una continuata Inflammatione seu Rubedine, uti in *Febre Scarlatina*, perfunditur Cuticula. Quo Criterio duntaxat hæc efflorescentia ab altera quæ *Febrem Scarlatinam* comitatur dignoscenda est, Dolor autem hanc Inflammationem, ut ut à constrictione Fibrarum Cuticulæ ortam non comitantur, ob causam priùs memoratam. Neque Tumor aliquis palpabilis adest, quippe hæc Membranula tenuissima incrassescere & acuminari more Cutis veræ haud potest; Quo pacto præsertim *Morbilli* à *Variolis* dignosci possunt, quæ ab ipso initio more exanthematum sive tuberculorum intumescentia retinente tactui palpantis, sese palam produnt. Denique liquor ille tenuissimus & acerrimus qui è sanguine in tubulis fibrillarum Cuticulæ coarctatarum stagnante extravasatus eas corrodit, nunquam in Pus maturatur, (uti in *Variolis* solet) ob peculiarem suam indolem, ei affinem, quæ è Tendinibus & Nervis in rheumatica Inflammatione scatet.

[a) *Febris* quæ cum hac efflorescentia conjungitur (quod de *Scarlatina* & *Variolosa* dictum sit) indolem quadantenùs peculiarem sortita est, cùm enim sit *genuina* & maximè *benigna* est tamen peracuta, quam citissimè varia sua stadia peragrat, & nihilominus crisi salubri finitur; unde vires Spirituum Venenum adorientem fere integras esse conjicere licet. Ex *Comate* autem, *Deliriis*, *Vigiliis*, *Subsultibus Tendinum*, cæterisq; id genus vacillantium Spirituum à veneno deleterio percitorum Symptomatis vehementioribus, & uno tenore progredientibus à primo in insultu *Synechon* esse ac Malignam suspicari fas est. Genium autem ac prosapiam hujusce Febris clariùs percipiemus si rationem diversorum Syptomatum in variis ejus stadiis suboriri solitorum consideremus, sc. in Apparatum efflorescentiæ; stadio sc. in quo ex Symptomatis in dies auctis Febris ad Incrementi finem perveniſſe videatur; In efflorescentiæ vigore, qui statum; atque ejusdem declinatione, quæ Crisin Morbi continet.

(b) In apparatu efflorescentiæ, seu primo Morbi stadio, (quod in Morbillis *Benign.* & *Sporadicis* à mitiori veneno intus nato ortis xxiv. horis, aut saltem bidui vel tridui spatio conficitur, ut ut in *Malignis* & *Epidemiis*, id ad septimum aut octavum diem nonnunquam protendatur) præter *Algorem*, quo spiritus à primo insultu veneni improviso fere enecati & extincti tentantur, atq; *Horrorem*, *Rigorem*, *Oscitationem*, *Pandiculationem*, *Ægritudinem*, *Nauseam*, *Vomitionem*, *Jactationem inquietam Vertiginem*, *Cephalalgiam*, *Lassitudinem ulcerosam*, *Lumbaginem*, cæteraque id genus Symptomata à primo, nisu, seu lacta difficili spirituum irritatorum, atque inde hostem adorientium prævenientia; præter *Sitim* immensam, *Fœditatem oris*, *Cuticulæ ariditatem*, cæteraque Symptomata à Calore, & spirituum sese expandentibus orta. Præter hæc generalia Symptomata (inquam] quæ Febrem quamcunq; comitantur, *Pathognomonica* quędam quę nullam aliam præter hanc febrem, *Scarlatinam* huic cognatam, & *Varioloſam* consequuntur, vim Veneni valdè deleteriam, indeq, summam spirituum oppressionem, ac massæ humorum Colliquationem significant: Pulsus nimirum *debilis* ac *celer*, *Respiratio* admodum *cita* & *anheloſa*, *Hypochondriorum oppreſſio* & *anguſtia*, *Urina pallida* ac *tenuis*, vel saltem *Rubedine* non multùm tincta, aut *contentis* saturata, *Affectus Cerebri comatoſus*, vel *vigiliæ pertinaces*, *Subsultus* Tendinum frequentes; nonnunquam etiam à contentione ac vacillatione Spirituum *Spaſmi manifeſti*, & *Deliria prorsùs efferata*, *gravativa palpebrarum debilitas*, *Oculorum Rubedo*, *punctura*

(a) *Natura Febris Morbilloſæ in variis ſuis ſtadiis.*
[b) *Apparatus efflorescentiæ & incrementum febris.*

ctura dolorifica, ac *Lachrymæ involuntariæ*, adeò ut Æger oculos difficulter admodùm aperiat, vel lumen aſpiciat: In *Gutture Dolor ulceroſus* ex acri Lympha per Glandulas Pharyngis excreti, *Raucedo clangoſa* ex eadem Lympha Trachæam ſeu Tympanum ſonorum obducente; Tuſſis perpetuò *moleſta*, immanis ac *ferina*, à Bronchiis eadem acri lympha indeſinenter laceſſitis; ſternutatio nonnunquam fere perpetua ab eadem lympha papillas mammillares irritante. Cuncta hęc ſymptomata, tùm Pathognomonica, cùm generalia in hoc ſtadio Morbi in dies augentur, donec Febris paulò ante efflorescentiam ad ἀκμὴν ſuam perveniat. Atque equidem hæc præpropero Febris incremento, atque repentina ſymptomatum vehementia *Febris Morbilloſa* genium ſuum maximè prodit: atque ab hac lucta ſubita & vehementi non tantum vires ſpirituum fortes & fere integras & veneni gradum moleſtiſſimum eſſe ac delete. rium concludere licet, ſed etiam Febrem ipſam, ut ut à Veneni exceſſu præter modum Maligna in hoc ſtadio videatur ob vires ſpirituum non irritatione diutur na fractas aut fatigatas, Criſin ſalubrem, eamque repentinam habituram fas eſt conjicere, qualem nulla alia Febris niſi *Scarlatina* & *Varioloſa* uſquam habet, Ubi verò in *Morbillis Epidemiis* & verè *Malignis* à veneno ſpiritus plus obruuntur & peſſundantur; minùs acriter hoſtem adoriuntur: & ſymptomata ſub initium non adeò fæviunt; Febris hoc ſtadio longiùs protracto, & Criſi diutiùs expectata tardiùs ad ἀκμὴν pervenit, atque ſpiritibus ex his morbis maximè proſtratis, eventus magis dubius, ac ſæpe funeſtus redditur.

(*a*) Via autem elaſtica priùs à veneno deleterio depreſſa tandem ſenſim reſtituta, ſpiritus novis viribus aucti hoſtem fugare moliuntur, & per Cuticulam & Glandulas, portas à Natura deſignatas, per quas majora venena in ipſa *Peſte* foras feruntur, eliminare ſatagunt. In hoc verò agone fibrillæ partium affectarum à ſumma contentione & orgaſmo ſpirituum admodum ferocientium ſpaſmodicè conſtringuntur ac vellicantur, atque inde partes affectæ varia Inflammationis ſimptomata pro textura ſua diverſa patiuntur; *Cuticula* nempe levi *Ardore* & *Rubedine* ſuffunditur; *Glandulæ* autem inſuper *Dolore vellicante*, *Ardore* & *Tumore* prægrandi corripiuntur. Ab hoc tempore Febris hæcce *primario Maligna* genium ſuum mutat, & tranſit in verè *Inflammatoriam*; ſpiritus venenum jam aliquantum ſuperant, *Arteriæ* fortiùs vibrantur, & *Urina* Contentis ac Rubedine ſaturatur. Atque ad hac efflorescentia inchoata uſque ad ejus completam eruptionem *Status Morbi* durat, & Febris, ejuſque ſymptomata uno eodemque tenore progrediuntur. Citiùs autem vel tardiùs hoc ſtadium decurritur pro differenti ratione, vigoris Veneni & Spirituum, ac diverſa indole *Febris Inflammatoriæ* inde ortæ, in *Morbillis benignis* & ſporadicis, ubi ob vegetum ſpirituum robur Virus confertim ubique per Cuticulam quaſi uno ictu eliminatur. A quo tempore Febris, ut ut cum diris ſymptomatis ante ſociata, tanquam Criſi perfecta ſoluta unà cum efflorescentia derepente evaneſcit. In *Morbillis* autem *Epidemiis* & *Malignis*, quia Venenum intus deliteſcens vigorem Spirituum Elaſticum deprimit, hæc efflorescentia unam partem Cuticulæ poſt alteram occupat, jamque vegeta eſt, jam ſublurida & pallida, prout ſpiritus plus minùs vigent vel deprimuntur. Non rarò autem hoc Morbi ſtadium, ancipiti eventu ad decimum ſeptimum, vel vigeſimum uſque diem protenſum obſervavi, & *Anginam*, *Ophthalmiam* vel *Peripneumoniam* funeſtam inde ſubortam, inflammatis priùs ab efferato ſpirituum niſu Glandulis in Larynge & Pharynge, vel Pulmone fitis, & deinde exulceratis. Unde Tuſſis *Ferina* ac perpetua, *Deglutitio* difficilis, *Dolor* Pectoris lancinans, *Anhelitus*, *Strangulatio* ac *Suffocatio* inſequebantur, & indoles Febris Inflammatoria manifeſtior evaſit.

Demùm verò certamine finito *Criſis*

(*a*) *Efflorescentia*, & *Febris ſtatus*-

Morbi instat salutaris vel funesta! Salutaris, quoties Venenum prorùs eliminatum spiritus non ampliùs lacessat; Funesta, cùm spiritus à veneno triumphari haud ampliùs luctam instaurare queunt. Qualiscunque fuerit Crisis efflorescentia cutanea sensim colorem rubicundum mutat, in dies luridior & pallidior fit, donec tandem prorsus dispareat, quo tempore *Fluxus Alvi* suboritur, Lympha acri à veneno Colliquata, & in habitu Corporis priùs congesta, jam per Intestina deturbata & amandata. Qui Fluxus ut ut primùm levamen Naturæ afferat, modò diutiùs duret, facile in *Diarrhœa Symptomatica*, *Torminosa*, imò *Colliquativa* & funesta terminatur. Hæc *Crisis* in *Morbillis sporadicis & benignis* ut plurimùm est salutaris, & quàm citissimè, uti cætera Morbi stadia, finitur, Fermento nempe penitus exhausto, spiritus non ampliùs lacessiti ultro quiescunt; & massa Humorum inde non ampliùs agitata *Colliquatio* cessat, brevique spatio Febris sponte exulat, Pulsu, Temperie, Urina & Appetitu, intra pauciss. horas restitutis. *Tussis* etiam, *Oppressio Hypochondriorum*, *Respiratio anhelosa*, *Comatosus affectus* & reliqua symptomata sensim mitescunt. In *Epidemiis* autem & Malignis *Morbillis* declinante efflorescentia Febris manet, vel forsan augetur, atque Inflammatione Pulmonis, Glandularum *Faucium* aliarumque partium perseverante, speciem induit *Anginæ*, *peripneumoniæ*, vel alterius Morbi peracuti & funesti, qui Ægrotantes è vivis tollit, vel in Malignam transit. Quoties autem hæc Crisis salutaris est, Febris in *Synochi* plurium dierum, vel *Hecticam* mutatur; quæ si *Cortice Peruviano* vel aliqua alia Antidoto, vel Naturæ Benignitate non tempestivè subigatur; facillimo negotio in *Synochon* malignam & fusestam sæpissimè degenerat; aut Fermento morbifico imperfectè deleto, quo superest veneni post Febris Crisin, *Tussim*, *Respirationem difficilem*, *Inappetentiam*, *Rubedinem* & dolorem Oculorum, aliaque Symptomata infert, & haud rarò fundamenta jacit funestæ *Diarrheæ*, *Phtiseos*, *Pulmonaris*, *Atrophiæ* universalis, *Anasarca* seu *Leucophlegmatiæ*, *Hydropis*, *Ophthalmiæ*, *Scrophularum* aliorumque Morborum Chronicorum curatu admodùm difficilium.

Symptomatum Phænomenis hoc modo explicatis, Genius Morbi & Febris concomitantis Natura perspicuè intelligitur. Atque jacto hoc fundamento Causa tam *Continens* quam *procatarctica* Morbillorum eruitur, differentes eorum species distinguuntur, signa Præsagientia, & Diagnostica investigantur, Prognostica certa ac comperta proferuntur, Indicationes curativæ veræ desumuntur, & denique Methodus Medendi pro indole Morbi ac Symptomatum diversa vera & ratione simul ac usu quodam comprobanda excogitatur.

Causa Morbillorum Continens seu immediata est Venenum spiritus inquinans, quod non tantùm in primo Morbi stadio Malignitate sua spiritus obruit, sed massam (*a*) sanguinis agitando eam in colluviem acrem, præ cæteris omnibus Fermentis colliquefacit; unde ad plures dies Invasionem antecedentes, à quo tempore scilicet massa à Fermento delitescenti interturbari incipiat, Colliquatio hæc inchoata haud rarò sese prodat, & *Tussim Ferinam*, *Oculos Lachrymantes* & *Inflammatos*, cæteraque id genus Symptomata producat, quæ omnia statim à primo Morbi insultu mirum in modum augentur. In statu Morbi Cuticulam copiosa Lymphæ prædictæ colluvies excernitur. Eadem Colluvies tandem Diarrhœa Criticè eliminatur, & (si qui Veneni post Crisin supersit) Diarrhœas novas Symptomaticas, Ophthalmias, & cæteros priùs memoratos Chronico affectus excitat, qui huic Morbo, *Febris Scarlatinæ*, ac *Variolis* præcæteris omnibus supervenire observatur. Causa Procatarctica Morbillor. (sicut & aliarum Febr. Inflammatoriarum) petenda est ab *Atmosph.* quę in Morbillis sporadicis semina Morbi latentia in actum deducit, in Epidemiis miasma venenatum ab extra in poros Cutis immittit & sicut in *peste* momento temporis ac sine Apparatu præcedente spiritus inquinat, & mas-

(a) *Ætiologia Morbillorum.*

massam sanguinis interturbat atque confundit. Quod in morbillis Epidemiis & malignis hic *Londini* post ann. 1670. ad plures menses plublicè grassentibus contigisse memini.

(*a*) Ratio differentiæ inter duas morbillorum Species omnino petenda est à differenti Spirituum vigore, atque gradu Veneni spiritus delentis diverso: Siquidem in morbillis *Sporadicis* spiritus minus fracti & dissipati faciliùs sese recolligunt, indeque brevi spatio morbum salutariter indicant. In *Epidemiis* autem & malignis quasi pestifera aura perciti & prostrati ægre admodum hostem adoriuntur & sæpius superati penitus tandem delentur, aut saltem Crisin tardam ac imperfectam efficiunt, & pluribus aliis morbis exitialibus causam præbent.

Antequam hujus morbi Diagnosin tradam, necessarium duco non minus signa *præsagientia* quę Efflorescentiam in Cuticula subsecuturam antecedunt, observare, quam ipsa *pathognomonica*, ne Venæsectione, Purgatione, vel quacunque alia praxi in Symptomatum allevationem, in primo hoc morbi stadio seu Apparatu ad Efflorescentiam perperam adhibita, præsertim in morbillis *Spuris*, *Malignis* & *Epidemiis*, ubi tardius scilicet 5. 6. 7. die efflorescentia in conspectum ventura est, quidquam patretur, cujus in stadiis morbi subsequentibus Æger pœnas sero luere cogatur.

(*b*) Inter Symptoma quæ efflorescentiam Morbillorum præsagiunt primaria habenda sunt, quæ Indolem febris concomitantis *peracutam*, *malignam*, & *Colliquativam* esse indicant. Febris enim hæc, peracututarum more, à primo insultu sateilitio Symptomatum vehementissimorum stipatur, quæ orgasmum spirituum efferatum produnt, atque Crisin subitam instare prænunciant, ejusmodi tamen sunt, quæ oppressionem Spirituum à veneno valde deleterio presentem indicant, nempe *Deliria*, *comatosus cerebri affectus*, *Subsultus Tendinum*, *spasmi* varii, *Debilitas* & *gravedo palpebrarum*, &c. A. *Morton Opera Medica*.

lia signa Colliquationem Massę in Lympham aerem & serosam inchoatam esse præmonstrant, *Rubedo* scilicet *Oculorum*, *Lachrymæ involuntariæ*, *Tussis admodum molesta*, *frequens*, *pertinax & ferina*; quæ *Opii* ipsius vires sodoriferas plane superat. Veriſimum est, hæc ipsa Symptomata efflorescentiam *Scarlatinam*, atque *Voriolarum* eruptionem (quæ sunt cognatæ affectiones cutaneæ) haud rarò antecedere, vix autem, vel ne vix quidem in gradu adeò intenso usquam observantur ac in hoc ipso. Præterea Medicus accersitus ab Ægro hisce Symptomatis affecto, diligenter inquirat oportet, an Ægrotans unquam antea morbillis laboraverit, unquam enim in tota mea praxi novi quemquam, præter unum puerum, secunda vice hoc morbo correptum. An constitutio aeris præsens sit morbillosa, an Æger nupperrimè consuetudine ac familiaritate Morbillosorum usus fuerit. An aliquis è Consanguineis hoc morbo decumbat, de quibus certior factus cautè prędicet febrem morbillosam esse (ut ut solito tempore efloreſcentia non appareat) vel saltem nihil officiosè tentet, quod vel Ægro vel propriæ famæ officiant, modo postea febris sese ab initio fuisse morbillosam prodat.

(*c*) Certiora autem, atque [ut vocant] *pathognomonica* hujus Morbi criteria ea sunt, quæ efflorescentia peculiaris ubi primum sese in Cuticula ostendat, sensibus nostris palam exhibet. Hic autem morbos adeo peculiari efflorescentia insignitus est, ut inde ab alio quocunque cognato Morbo, *febre* scil. *Scarlatina Variolis*, *Erisipelate*, *Herpete*, *febre purpurea petechiali* vel ipsa *crapulosa* & *scorbutica* huic maxime affini: facilè admodum in ipsius ejus primordis distinguatur. Nempe morbillosa Inflammatio in (*d*) *cuticula* efflorescit, quam quippe crassitudinis palpabilis incapacem, rubedine duntaxat inficit; quo pacto dignosci potest à *Variolis*, *Erisipelate* & *Herpete*, quorum Inflammatio in *cute* vera viget, indeque sub ipsum initium tactui palpantis speciem exanthe-

[a] *Ratio differentię inter duas morbillorum species.* (b) *Signa morbillos antecedentia & præsagientia.* (c) *Signa pathognomonica.* (d) *Quomodo discernantur morbilli à variolis, Erysipelate & Herpete.*

exanthematum; vel tumoris latiùs ſparſi & duritiem renitentem exhibet. Interſtitiis etiam interpuncta (a) eſt hæc efflo-reſcentia, Macularum ſimilibus, incerta admodum magnitudine & figura oblonga ſcil. quadrata, multangula præditis, indeque ob efloreſcentia *febrem Scarlatinã* comitante diſcernitur, ubi tota cuticula continuata quadam Rubedine, quaſi vino rubro perfuſa tingitur. Nec minus ex incerta magnitudine & figura hujus efloreſcentiæ multiplici, eam diſtinguere licet à maculis *Purpureis* & (b)*petechiis* quę præter colorem Scarlatinum vel purpureum, quem obtinent, ſemper hic illic per collum, Pectus, brachia vel Crura figura exquiſitiſſime rotunda ſparguntur, ac ſi à morſu Pulicum ortum caperent. Qua ratione etiam a *Variolis confluentibus* ſecernuntur, quæ, ut ut minutulæ; depreſſæ ac conglomeratæ ſint, ſemper, vel ſub initium figura rotunda donantur. Ab efflore-ſcentia etiam illa (c) *Morbillorum* æmula quæ Febrem Malignam à *crapula* vel *Scorbuto* oriundam ſæpiſſimè comitatur exinde dignoſcitur efflore-ſcentia morbilloſa, quod illa ſemper pallidum & luridum colorem obtineat, utpote à niſu Spirituum veneno fere deletorum languenti ſuborta, rarò etiam ante 7. vel 9. morbi diem in conſpectum veniat, atque jam etiam regionem Pectorii ſolummodo occupet; Hæc vero ſemper vivida ac vegeta appareat, atque ut plurimùm incipiat 2. vel 3. Morbi die, ut ut in *Spuris Morbillis* unam partem poſt aliam afficiat, à facie, collo & pectore incipiens, demum ad Thoracem & Abdomen, & extremos uſque Artus latè ſparſa ſenſim divagetur.

(d) A diverſa etiam Efloreſcentiæ indole Morbilli ipſi a ſe invicem præcipuè dignoſcuntur, *Benigni* ſcil. & *genuini*, à *Spuris* & *Malignis*. Licet enim *Sporadici* utpote à mitiori Veneno intus nato orti, generaliter loquendo ſint Genuini & benigni; *Epidemi* verò, utpote contactu auræ peſtiferæ propagati, Maligni & ſpurii; Longe tamen certiora hujus differentiæ Criteria ea ſunt, quę efloreſcentia ipſa, atque genius ipſe morbi in diverſis ſuis ſtadiis exhibet; de quibus in ſuo loco ante diſſeruimus.

His ita prælibatis, facile admodum eſt hujus Morbi eventum prædicere, atque *prognoſtica*, quæ ratio ſimul ac Uſus veriſſima eſſe comprobabit, ſequentia denunciare. 1. Morbilli *genuini* & *benigni* ut ut à primo inſultu Malignitatis participes videantur, utplurimum eventum habent ſalutarem, viribus ſpirituum ſine artis ſuppetiis ſponte expanſis, quippe ex lege Naturæ, modo nihil injurioſum officioſe perpetretur, Criſin citam ac ſubitam aſſequuntur, quia Spiritus haud diuturno conflictu laceſſiti, viribus fere integris potiuntur, quibus in ultimo agone hoſtem ſtrenuè adoriri valent. Notumque eſt, vel Mulierculas & Nutrices regimine ritè inſtituto ſæpenumero hujus Morbi curationem feliciter abſolvere, ſiquidem peracutus eſt, & minimè periculoſus. 2. *Morbilli* vero *ſpurii* & *Maligni*, licet primo inſultu cum ſymptomatis non adeo vehementibus ob niſum Spirituum languidum ſocientur, ut plurimum more *peſtis* (e) ipſius exitiales ſunt. Hoc Morbo poſt anno 1670. *Londini* publicè graſſante, recentum plus minus ſingulis hebdomadis periiſſe memini, quorum alii *Angina* vel *peripneumonia* acutiſſima laborantes in ſecundo Morbi ſtadio derepente ſuffocabantur; Alii aliis modis antè memoratis diem ſuum obierunt. Et revera tantum diſtant Morbilli *Spurii* à *Genuinis*, ut fas ſit concludere, quo propiùs hic Morbus ad horum vel illorum naturam accedat, eò plus vel minus periculoſum eſſe, & curatu difficilem. 3. *Morbili Epidemii Sporadicis* longè periculoſiores ſunt, quippe à Veneno peſtifero, & magis deleterio ab extra admiſſo orti. 4. Morbi hujus *Stadia* inſolito morte protenſa peſſimum omen ſunt; Gradum enim veneni intenſum eſſe, ac ſpirituum languorem ſummum ſignificant.

(a) *A febre Scarlatina.* (b) *A petechiis & maculis purpureis & variol. confluentibus.* (c) *A febre crapuloſa & ſcorbutica.* (d) *Quo pacto morbili benigni & genuini à malignis & Spuris dgnoſcuntur.* (e) *Vide Hiſtor.* 1. 2. 6. 8. 11.

tant. Quocirca ſera in Cuticula efloreſcentia, ſcilicet 5. 6. 7 8. die mala eſt atque indolem Morbi Malignam arguit Quo ſerior autem, eò pejor, & in morbillis Benignis Sporadicis, ubi Venenum utpote mitius, citiſſime diflatur, raro admodum poſt tertium morbi dein incipit, nonnunquam 2. vel quidem primo inchoata coſpicitur. Efflorescentia autem diutius permanens peſſima ſignificat, & quo longius poſt tertium diem, eo pejus; Namque à febre perſeverante in dies magis magiſque proſternuntur ſpiritus, & in ultimo agone ad criſin completam moliendam minùs habiles redduntur: Venenum autem viribus auctum eſſe inde apparet, quia in hoc ſtatu ſpirituum expanſio & inflammatorio, non raro (a) Pleuram, pulmonem, vel glandulas faucium petere ſolet, & novę febris Inflammatorię, cum funeſtiſſimis Symptomatis conjunctæ fundamenta ponere Efflorescentia quæ lento gradu unam partem Cuticulæ poſt alteram occupat, malum omen eſt, quippe Veneni vigorem, & ſpirituum debilitatem arguit, atque inſuper inſolitam febris durationem præmonſtrat. 6. Efflorescentia quæ à primo momento nullo certo colore tingitur, ſed jam vegete rubeſcit jam ſubluridа & pallida evadit, ſicuti Veneni vires, & ſpirituum Languorem indicat, ita non minus funeſtum eventum præſagit: In Morbilis enim *Benignis* Spiritus Veneno ſuperiores uno certo tenore influunt, & Efflorescentia uſque ad declinationem eodem modo vegeta ac vivida permanet. 7. (b) Febris poſt efflorescentiæ Declinationem protenſa peſſimè ſignificat; inde enim Venenum delitescens & non ſubactam indicatur, quod ſpirituum œconomiam interturbat atque exagitat, atque ſpiritibus deletis, febrem in malignam mutat. Denique *phthiſis*, *Diarrhœa*, *Hydrops Scrophulæ*, *Ophthalmia*, *atrophia univerſalis*, & reliqui affectos morbilos Malignos conſequentes difficiles admodum curatu ſunt; neque equidem methodo vulgari ſanari poſſunt, quippe à ſeminia Morbilloſo poſt Criſin imperfecta ſuperſtite originem trahant; ideòque non niſi reſpectu ad morbum primarium habito, radicitus evelli queunt. Quo nomine ut plurimum exitiales ac funeſtæ habentur.

CAP. IV.

De Methodo medendi Morbillis.

INdicationes Curativæ in genere quæ ſunt in hoc morbo; ſcilicet extinctio veneni febriferi, [c] quod ſpiritus exagitat, ac humores colliquat, atque Allevatio Symptomatum, ab humorum Colliquatione; ac niſu ſpirituum ſubortorum. Quandoquidem verò indoles Febris in variis hujus morbi ſtadiis diverſa, atque Symptomata diverſa inde provenientia plures, eaſque differentes admodum Indicationes ſuggerant, eæ non ſeparatim, ſed ſimul cum *Methodo medendi* tradendæ ſunt; ad quam igitur delineandam me jam accingo.

(d) Regimen propter febrem præſentem hic morbus commune cum aliis febribus jure merito exigit, ſc. Dietam admodum tenuem, Decubitum in Lecto quietum, & Calorem ſtragulorum injectorum moderatum, Sicut enim frigus aeris externi Spirituum expanſionem impediendo Efflorescentiam, in Cuticula retardat, Ita ejus temperies impense calida Spiritus nimium exagitat, unde in ſecundo morbi ſtadio, cum lege Naturæ hoſtem ſuperare incipiant, Glandulis Pharyngis, Pulmonis vel Oculorum Diatheſin inflammatoriam impertiunt, cujus erroris Ægrotans ſerò luit pœnas, Symptomatis *Anginæ*, *Peripneumonię* vel *Ophthalmiæ* perperam atq; officioſe acerſitis, & variis affectibus morboſis qui à Colliquatione nimia poſt Criſin peractam ſæpe ſubpullulant. Quapropter Author omnibus ſum, ut æquabili & moderato regimine ſi in quovis alio, ſaltem in hoc morbo utantur, ubi re Naturæ commiſſa (modo nihil injurioſum officioſe perpetretur) optatum eventum brevi ut plurimum conſequamur.

(e) Quod ſpectat ad Remedia ſive Pharma-

[a] *Vide Hiſtor.* 1. 2. 5. 8. 9. 11. [b] *Vide Hiſtor.* 5. 6 8. 9. 10. (c) *Indicationes curativæ.* (d) *Regimen.* [e] *Remedia pharmaceutica & chirurgica.*

maceutica, sive Chirurgica, ea pro indole febris in diversis Morbi stadiis varia, differenti & sæpe contrario plane modo adhibenda sunt. Nihil autem temere, atque sine evidenti necessitate faciendum est in hoc quocunque Morbi adeo peracuti stadio, ubi Crisis præpropera jure merito, atque Naturæ lege expectatur, & ubi Symptomata efferata quotquot sunt, Crisi instante vel sponte evanitura sunt, vel saltem mitiora evasura, atque intereà robur Naturæ non diuturno conflictu attritum & fractum iis sufferendis sufficiat. Cum autem ante Efflorescentiam ex *Deliriis Spasmis*, *Comatoso affectu*, *Srernutatione indesinenti*, *Tussi ferina Diarrhœa enormi Vomitione inani*, cæterisque Symptomatis hoc stadium morbi comitari solitis, constet; Febris indolem prorsus esse Malignam, scilicet à Veneno, spiritus de præsenti pessundante ortam, quodque massam Sanguinis in fluorem colliquat, duplex in genere indicatio exurgit. Quarum prima est ut *Expansio* Spirituum *Alexipharmacis* & *Vesicatoriis* applicatis si opus fuerit *promoveatur*, vel saltem *conservetur*, ut viribus Naturæ integris Venenum Morbificum Comatis, Delirii, cæterorumque Symptomatum causa deleatur vel subigatur, quod in hoc statu Spirituum depresso, ut in cæteris Malignis Febribus, vires *Corticis peruviani* aut alterius cujuscunq; Antidoti specificæ spernit, siquidem totum negotium jam à spirituum expansione dependet. Ideoque nihil, saltem absq; evidenti necessitate, tentandum est quod Ægrorum vires coerceat vel deprimat, ut symptomata id efflagitare videantur. Quo nomine in hoc Morbi stadio à *Venæsectione* (nisi vasorum Sanguiferorum apertura, vel aliquod aliud grande ac insolitum Symptoma id necessarium fuerit) atque ab usu *Opiatorum* liberali, ut ut Delirium, Tussis, Vigiliæ, &c. ea postulare videantur, apprimè, atq; religiosè abstinendum est, Spiritibus enim quocunque modo dissipatis Venenum augetur, atque inde Morbilli natura *Benignis* in *Malignos* non possunt non transire. E contra verò non quocunque modo atque Remediis sine delectu adhibitis spirituum exsuscitationem moliri jam oportet quippe Crisis in hoc Morbo peracuto haud longè abest, quo tempore Natura proprias vires ultrò, sine adminiculis felicius exercere solet, cùm efferatum orgasmum in Spiritibus ex arte cieri impune non posse sera doceat experientia. Inde enim Inflammatio Glandularum accenditur, ac reliquorum affectuum molestorum & periculosorum strages Crisin comitatur, & consequitur. Quocirca par est ut *Alexipharmaca* mitiora eligantur, atque in dosi solita minori exhibeantur à *Vesicatoriis* abstineatur, aut saltem ab eorum frequentiori applicatione, nisi *Spasmis*, *Coma*, solito majus vel indoles Morbi evidenti *Spuria* & Maligna id requirant. Formulam *Julapii* quod ego in hoc stadio Morbi) modò ex Symptomatis benignus appareat præsertim junioribus, qui præ alis eo sæpissime corripiuntur, feliciter præscribere soleo, subjicere non pigebit. ℞. *Aqu. Meliss. Cerasor. nig.* an. ℥iii. *Epidem.* ℥iß. *pulv. è Chel. Canc. comp. Lapid. Contrajerv. vel Goan.* an. ℈i. *Sirup. Carioph.* ℥x. *vel Sacchar. alb.* ℥ß. *M. F. Julap. de quo capiat Æger cochl. iii. iv. v. vi.* habito respectu ad ætatem, tertia vel quarta quaque hora phiala priùs bene agitata. Ad spiritus etiam refocillandos in promptu sit Julapium temperatum sequens ad libitum hauriendum. ℞. *Aq. Lactis Alexiter.* ℥vi. *Cinnam. hord. Epidem.* an. ℥i. *Sirup. Carioph.* ℥x. *M.*

Sin Febris, hoc Morbi stadio ad 4. 6. 8. diem ante efflorescentiam protenso indolem suam deleteriam ac malignam prodat, ad *Alexipharmaca* magis calida, eorumque Doses largiores tuto ascendere licet, ac ad vires spirituum sopitas exsuscitandas aliquando necessarium est. In quorum usu, in ipso Febris statu, post efflorescentiam inchoatam etiam persistendum, modò efflorescentia alternatim vegeta ac pallida sit vel unam partem Cuticulæ post alteram sensim occupet; vel ex ejus insolita curatione Spiritus imperfectè expandi, & genium Febris deleterium esse certo sciatur. Ex. gr. ℞. *pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrajerv.* an. ℥j. M. & divid. in *iv. vi. viii.* partes

æqua-

æquales, reſpectu habita ad ætatem Ægrotantis, quarum unam ſumat 4. vel 6. quaque hora è Cochl. Julap. ſimplicis ante præſcripti, vel cujuſcunq; alterius ſimilis, ſuperbibendo hauſtum ejuſdem. Vel 2. *Theriac. Androm. pulv. Goan.* an. ʒß. ϑj. ϑß. *gr. v.* reſpectu habita ad ætatem, M. cum tantillo Syr. Caryoph. F. *Bolus* ſumendus unà cum hauſtu Julapii, repetenduſque ſexta quaq; hora. Vel ſpiritibus maximè proſtratis, ubi ex *ſincope* frequenti pateat [eos in conflictu planè deficere, & Febrem indolem planè peſtiferam ſapere, non incommodè in uſum adhibentur remedia maximè Alexiteria Ex. g. 2. *Theriac. Androm. Confect. Fracaſtor. vel Mithridat.* ʒß. ϑj ϑß. *gr. v. Bezoar. Orient. Rad. Serpent. Virg.* an. ϑj *g. xv.* ϑß. *gr. iij. iv. v. M. cum tantillo Sirup. Caryoph. F. Bolus* exhibendus unà cum hauſtu Julapii, repetenduſque ſexta quaque hora, donec efflorescentia vegeta reſtituatur, aut ſaltem inchoetur, & Æger, Pulſu fortiori reddito, à deliquiis liberatus, elaſticitate Spirituum reducere potiatur, Veneno eliminando pari. *Veſicatoriorum* etiam frequentium uſus jam apprimè neceſſarius eſt, ad Spirituum expanſionem promovendam, & flamam in Maſſa ſanguinis ritè accendendam, quæ aliàs à Lympha ſeroſa, in quam Sanguis in hoc Morbo magis quàm in alio quovis liqueſcit, extinguatur. Sollicitè autem cavendum eſt ne nimio horum Remediorum uſu, perperam atq; ſine neceſſitate adhibitorum, œſtro adeò efferato Spiritus incitentur, ut in ſtadio Morbi ſecundo ubi ad *necbi* expanſi, ac ad Criſin parati ſint, hoſtem non tantum Regia via per Cuticulam inſequitur, ſed etiam per *Glandulas Oculor. pharingis*, &c. [quod non rarò accidit] eum propellant, atque inde haſce partes Inflammatione moleſta afficientes ad Symp. funeſtiſſima viam ſternant.

Denique ſi ex ſpaſmis in hoc Morbi ſtadio compertum ſit, Spiritus vi Veneni irritatos in niſus adeò nimios ac efferatos paulò ante efflorescentiam [quod ſæpe accidit] adactos eſſe, ut eorum, atque Veneni vires ſimul præpollentes eſſe deprehendantur; Vita autem Ægrotantis à niſu Spirituum immodico citiùs ac certius quam à Veneno in diſcrimen ducenda eſſe videatur; par eſt ut *Julapium* Cordiale ex *Aquis Cephalicis*, quæ Cerebro ac generi nervoſo opitulentur, cum *Cordialibus* commixtis in promptu ſit atque grana aliquot *Pulveris de Gutteta ſive Antiliſſi* ſingulis Bolis & Pulveris doſibus adjiciantur more ſequenti. *Aqu. Flor. Tiliæ, Rutæ, Ceraſ. nigr.* an. ʒiii. *pæon. Brion. comp.* an. ʒiß. *Tinctur. Caſtor.* ʒj. *Spirit. Sal. Armon. vel. CC.* ʒß. *Sirup. pæon. comp.* ʒiß. *M. F. Julap.* 2. *pulv. è Chel. Cancr. comp. pulv. de Guttet.* an. *gr. xv.* ϑß. *gr. v. M. F. pulvis*, Vel, 2. *Confect. Mithridat.* ʒi. ϑj. ϑß. *gr. v. Bezoar. Orient. pulv. de Guttet.* an. ϑj. ϑß *gr. vj. iv. Sirup. pæon. comp. q. ſ. M. F. Bolus*. Imo ſi niſus Spirituum inde non minuatur, quandoquidem vitalis Indicatio ſit maximi momenti, *Laudan. Liquid. Helmont.* (ut ut ſpiritus diſſipando Veneni vires quadantenus adaugeat) gutt. *iij. v. viij. x. xij.* Singulis Bolis Cardiacis addantur, donec Spirituum niſu diminuto ſpaſmi lethiferi & exitiales ſoluti fuerint.

[a] Indicatio altera in hoc Morbi ſtadio eſt, *Colliquationis* Humorum inordinatè (quoties opus fuerit) moderato; atq; *Allevatio* Symptomatum moleſtorum inde ortorum. Symptomata à *Colliquatione* provenientia pro ratione Glandularum diverſarum per quas Lympha acris & venenata ac ſi per portas patentes protruſa excernitur, ſunt admodum varia, *v. g. Tuſſis ferina & perpetua, Sternutatio moleſta & immodica*, à Lympha papillas mammillares irritante, *lachrymæ involuntariæ* & copioſæ, cum *Dolore Oculorum mordaci* conjunctæ, denique *Vomitio, Fluxus Alvi enormis* & *Tormina*. Verùm cùm in hoc primo ſtadio, omnia hæc Symptomata à Colliquatione provenientia, quaſi intenſione Naturæ in Morbillis maximè Benignis in Machinæ laborantis conſervationem induci ſoleant, atq; omnia (præter *diarrhœam*, quæ jam Symptomatica ſemper habenda eſt, ob languorē Spirituum hanc enormem evacuationem conſequentem, ob incrementū quod

(a) *Quomodo Colliquatio humorum impedienda eſt, & Simptomata inde orta tollenda.*

quod inde Veneno accedit & Febrem quam reddit Maligniorem; atque ob efflorescentiam inde diutius retardatam) omnia inquam præter Diarrhœam, plus molestiæ quàm periculi in se habeant, atque brevi, sc. post Crisin peractam ultrò evanescant, vel saltem mitescant; præsertim verò cùm absque *Opii* usu, aliorumque ejusmodi Remediorum, quæ spiritus subigendo Venenum augent, febrem magis Malignam reddunt, reliquaque Malignitatis symptomata periculosissima & funestissima accersunt, ægrè admodùm curari queant; Satius est *Palliativa Curatione* eorum molestiam, quoties insolito more sæviunt, minuere, quàm contra naturæ legem eas molestias penitùs tollendo. Ægrotantem ipsum occidere; vel eorum allevationem ejusmodi Remediis aggredi, necessariò indolem febris magis exitialem reddant, aut priora symptomata verè funesta, & à vi veneni deleteria orta in gradum intensiorem provehant.

Ut igitur coerceatur efferata & immanis hæc Massæ sanguinis Colliquatio, quoties hisce symptomatis præter modum molestis causam dat, Æger penitùs abstineat à *Cerevisia*, quocunque alio liquore fermentescibili, qui spiritus irritando, & massam humorum inde agitando Colliquationem ullatenùs promovere possit; atque in ejus locum substituatur *Decoctum album Sacchar. albissimo* edulcoratum, *Tinctura Rosarum*, vel *Lac* cum æquali parte *Aquæ* commixtum pro potu ordinario. Insuper Electuarium adstringens ad quantitatem Nucis Moschatæ 4. vel 6. quaque hora exhibeatur cum haustu julapii sequentis, *vers. Pulv. Conf. Ros. rub. Dyacydon. Fruct. Cynosbat. an.* ʒß. *Confect. de Hyacinth.* ʒß. vel ʒvj. *Coral. rub. præp. Bol. ver. an.* ʒj. *Syrup. Myrtill. q. s. M. F. Electuar.* ℔. *Aqu. Germ. Querc. plantag. Cinnam. hord.* an. ʒiv. *Aqu. Stephan.* ʒij. *Syrup. granat. è Succo Citr.* an. ʒiß. *M. F. Julap.* Ad Tussim ferinam ex acri Limpha copiosè per Bronchia, Trachæam, & glandulas Faucium scatente ortam quadantenùs cohibendam, *Saccharum Cant. Succus Glycirrhiz. Hispan.* vel *Trochisci*, *ex Radic. Althææ*, cæterisque *Mucilaginosis* cum *Saccharo* confecti, in ore sæpe & diu teneantur, atque demùm soluti sensim deglutiantur. Haustus etiam *Decocti pectoralis* calefacti, & cum *Syrup. Althææ*, *Capil. Ven.* vel quovis alio Mucilaginoso grate edulcorati, modò fluxus alvi præsens non prohibeat, frequenter exhibeatur, una cum cochl. 1. *Linctus ex Ol. Amygd. dulc. rec. Syrup. Capil Ven. & Sacchar. Cant.* confecti. Ad acrimoniam humoris è Glandulis Oculorum exstillantis demulcendam. *Collyrium ex Aqu. plantag. vel Ros. rub.* ʒj. *Trochisc. alb. Rhas. & Sacchar. Cant. alb. subtilis. trit.* an. ʒß. confectum, sæpiùs guttatim in oculos instilletur. Ad sternutationem frequentem ac molestam compescendam, Lympha acris Papillas mammillares perpetuo irritans *lacte tepido* sæpiùs per nares attracto demulceatur. Ad *Opiata* autem quia febrem, atque comatosum affectum funestissimum febris symptomata augent, non nisi extrema necessitate urgente, sc. in *Diarrhœa* contumaci, quæ omnia alia remedia priùs irrita reddidit, tanquam ad asylum confugiendum est. In isto enim casu vita ægrotantis ex subito virium collapsu, & spirituum extinctione à colliquatione enormi proveniente in citius ac certius discrimen ducitur, quàm ab *Opio* exhibito. Sed jam etiam cautè & parcè, & partitis vicibus ad fluxum minuendum, potiùs quàm sistendum, atque cum *Alexipharmacis* generosis semper commixta adhiberi debent; Adjiciantur nimirum Bolis, vel singulis dosibus pulveris cardiaci ante præscripti, *Laudan. Liqu. Helmont.* gutt. *iij. iv. vj. x. xij.* donec fluxus decrescere incipiat.

(a) In stadio autem secundo, ubi febris à Spirituum expansione, effloreſcentiam incœptam ad ἀκμὴν provecta, ad statum suum demùm pervenerit, indeque genium suum mutando, saltem ubi morbus fuerit genuinus & benignus, speciem *febris verè inflammatoriæ* induerit, & omnia indicia malignitatis penitùs evanuerint, nova planè Tragœdia agitur, in qua

(a) *Quid agendum vigente efflorescentia.*

qua nova Symptomata novam ſtragem edunt. Indicationes etiam planè diverſæ vel penitus contrariæ ſæpius miniſtrantur, eæq; ejuſmodi quæ non tantum *opiata* exhiberi, & Venæ-ſectionem celebrari & repeti cum fructu permittunt, ſed etiam nonnunquam poſtulant, & cardo totius curationis in ejus uſu vertitur: ſpiritus enim jam quaſi vinculis & repagulis diruptis, ferociunt, atque in hoſtem undiquaque inſilientes, uno quaſi ictu propulſare incipiunt, idque ſæpe non tantum per Cuticulæ poros, ſed per glandulas Faucium, &c. ubicunque datur via. Unde Lympha venenata copiosè in his partibus elicita, atq; ab excandeſcentia Spirituum inſolito more calefacta, præſertim ubi error in *Regimine* præcedenti, vel in uſu *Remediorum* præter modum *Calidorum* admiſſus fuerit, non poteſt non partes plurimum laceſſere, & nonnunquam inflammare, ac demum exulcerare, indeque novos quaſi Morbos ad claſſem Inflamatoriorum ſpectantes ſc. *peripneumoniam*, *Diarrhœam* efficere, &c. Quos morbos comitantur *Dolor* excrucians, colliquatæ Lymphæ immodica per Inteſtina deturbatio, *Reſpiratio anheloſa*, *Strangulatio* ſuffocativa, *Deglutitio* læſa, aliaq; Simptomata pro ratione partis affectę (quę omnia *Venæ ſectionem* vel *Opii* uſum exigunt) diriſſima & exitialia. Quibus ſymptomatis laborantes in *Morbilis Epidemiis*, *Londini* publicè graſſantibus, ob Venæ-ſectionem omiſſam vel non maturè celebratam, aut ob prętermiſſum *Opii* uſum, plurimos è vivis ſublatos memini: At poſtquam ex cadaveribus defunctorum qui iiſdem ſymptomatis laborarunt ſæpius inſpectis clare perſpexeram Ægros non tam à *Morbillis* ex Veneno primario ortis, quàm à *peripneumonia*, *Angina* vel *Diarrhœa Colliquativa* periiſſe, à vulgari opinione adverſus uſum Opiatorum & Venæ-ſectionis in quocunq; hujus Morbi ſtadio liberatus ſum, plurimoſque prædictorum Remediorum tempeſtiva & liberali adminiſtratione, (*a*) ab ipſis Orci faucibus in hoc Morbi ſtadio ſubitò & feliciter eripui. Ideòque multo uſu fretus, omnibus Author ſum, ut ſuffocatis & ſtrangulatis in hoc Morbillorum ſtadio (ſive à tumore & inflammatione Glandularum Faucium, ſive Bronchiorum Reſpiratio & Deglutitio læſæ fuerit) non tantùm *Gargariſmi*, *Epithema*, *Emplaſtra*, *Linctus*, & *Apozemata* incidentia & expectorantia, unà cum reliquis poſt hac in *Cap. de Angina peripneumonia* memorandis adhibeantur; verùm præ reliquis, ut ſanguis copioſius educatur, ac ſi Æger Morbilloſo affectu correptus non fuiſſet. Idem in *Ophthalmia* moleſta ac periculoſa faciendum moneo. Atq; equidem in hiſce Sympt. Morbillor. Inflammatoriis eò magis obnixè hoc ſuadeo, quia nulla alia Methodo exulcerationem partis inflāmatę futuram & Phthiſin Pulmonarem, reliquamq; Symptomatum diriſſimorum ſtragem inde edendam, ſi Æger ex præſenti vitæ diſcrimine ſuperſtes evadat, præveniri poſſe certo certiùs ſcio. Ad *Fluxum alvi* compeſcendum (quem in hoc Morbi ſtadio enormem haud rarò obſervare eſt, ut inde Æger Colliquatione feſtina confectus, cum ſummo vitæ diſcrimine, ac ſummo virium collapſu ad Deliquiſi uſq; adigatur) non minùs tutus quàm neceſſarius eſt *opiatorum* uſus, iſq; partitis vicibus pro occaſione miniſtrata repetitus; Jam enim, ſpiritibus expanſis, non eſt quod *opiatorum* vires deleterias ut in priori ſtadio ſuſpectas habeamus, modò non adſi *Strangulatio* prefocativa, quę in hoc caſu eſt funeſtiſſima, & Opii uſum nō admittit

(*b*) Efflorescentia autem peracta, ſi *Febris* (quod in *Morbillis Epidemiis* mali moris aliquando contigiſſe memini) adhuc ſuperſtes fuerit, & Comate, Deliriis, reliquoq; Symptomatum deleteriorum Satellitio ſtipetur, planè conclamatum eſt; namq; Natura poſt Criſin fruſtra tentatam cauſa cecidit, atque proinde Spiritus à Veneno adhuc integro oppreſſi, ope Artis rursùs nequeunt excitari, & recens certamen inire. Sin perfectam fuiſſe Criſin jam conſtet, ex Febre penitus evicta, *Tuſſi*, *Alvi* Fluxu, cæteriſque tam efferveſcentiæ quam colliquationis Symptomatis diminutis ac demum ſublatis, nihil prorsùs agendum reſtat;

Tan-

(a) *Vide Hiſtor.* 1. 2. 4. 8. 9. 11.

(b) *Quid agendum declinante efflorescentiæ*

Tantum Catharticis præsertim *Hydragogis* primùm lenioribus, deinde fortioribus Colluvies serosæ Lymphæ à venenato priùs colliquata, ac in habitu corporis congesta, per alvum deturbetur. Quam evacuationem magis necessariam facit Natura fermenti morbifici quod massam sanguinis præ reliquarum Febrium Fermentis in fluorem colliquat. Lympha autem colliquata nisi Catharticis maturè subducatur, *Tussim contumacem* demùm in *Phthisi Pulmonari* funesta terminaturam, *Fluxum* alvi *Chronicum*, *Ophthalmiam*, *Scrophulosos Tumores*, *Anasarcam*, *Ascitem*, aliósque multos Morbos exitiales passim infert. Non tamen præproperè priusquam reliquiæ Fermenti venenati completa Spirituum expansione penitùs subactæ fuerint massa Sanguinis *Catharticis* exagitanda est, ne Sangnine præternaturali fluore adhuc affecto, fons perennis Lymphæ serosæ non facilè sistendus è Glandulis Oculorum, vel Glandulosa tunica Asperæ Arteriæ, & Intestinorum scaturiat, & *Tussis*, *Diarrhœa*, *Lachrymæ in voluntariæ*, cæteràq; id genus Symptomata augmentum inde accipiant. Novi puellam cui Alvus tertio die à *Morbillis* evanescentibus *Syrup. Cichor. cum Rheo* ℥ß. *& Syrup. de Spin. Cervin.* ℥j. subducebatur, quæ intra spatium tridui fere centies dejecit, & tantùm non ad animi deliquium adigebatur, quam Colliquationem ægrè admodum usu *Laudani* repetito sistere valebam: At ex tunc Puella ad plures annos Tussi perpetua, Ophthalmia molesta & incurabili, & aliis Scrophulosis tumoribus affligebatur, Formulas *Catharticorum* sub finem hujus Morbi exhibendorum mihi usitatas adjicere lubet. ℞. *Calomelan. & Diagrid. Sulphurat. vel Resin. Julap.* an. *gr. iv. vj viij. x. xiv. xvj.* respectu habito ad ætatem, M. lumatur in cochleari lactis vel liquoris Posseticì frigidi cum Regim. Vel ℞. *Decoct. Sen. Gereon.* ℥j. ij. iij. iv. *Sirup. de Spin. Cerv.* ℥ij. ℥ß. ℥vj. ℥j. vel *Sirup. è Flor. persicor.* ℥j. ℥iß. M. F. Potio. Atque hoc modo semel vel bis in hebdomada alvum deturbare soleo, Pharmacum repetendo ad tertiam vel quartam vicem.

Sin ob reliquias Veneni hactenùs non subactas, Crisis fuerit magis imperfecta, ut in Morbillis *Malignis & Epidemiis*, indeque Febris *Sinochets* cum Exacerbationibus & Remissionibus quotidianis conjuncta superstes fuerit, eam incunctanter (a) *Cortice* Peruviano profligare oportet, ne (b) [quod evenisse memini) Veneno sensim aucto Febris pristinam suam malignitatem iterum accersat, (siquidem hanc veneni deleterii recrudescentiam certo certiùs funestam fore ritè exspectandum est] atque finita operatione cujuscunq; dosis Catharticæ ad colluviem serosam deturbandam adhibitæ, usum *Corticis* ejusdem repetendum imperare, ne ex hac Sanguinis agitatione Fermentum non penitùs subactum de novo proritetur atq; inde Febris vel remittentem, vel Intermittentem referens repullulet.

[c] Sicuti autem Venenatum hoc Fermentum sæpenumerò longè ante primum certamen à Natura institutum in Corpore delitescat, & massam sanguinis vario conturbet, in fluorem colliquefaciat; atque Tussi ferina, Lachrymatione oculorum involuntaria, &c. haud obscurè indolem suam prodat, ita reliquiæ hujusce Fermenti quę post Crisin Febri perfectam supersunt, ut ut Naturam ad novum prælium proritare nequeant, haud rarò tamen Sanguinis Massam diu exagitant, & colliquefaciunt, undè post. Morbillos non rarò Oculi *Inflammatione*, Nares *Corzia*, vel *Ozana* molesta, Pulmones *Tussi Ferina* quę ad phthisin funestam viam sternit, perpetuò obsidentur. Vel ex eadem colluvie in habitu Corporis congesta *Hidrops*, *Scrophulæ*, cæterique ejusmodi Morbi subpullulare solent, qui methodo vulgari vix sanabiles sunt. Ideoque *Corollari* loco hic ostendam quo pacto Colliquatio hæc morbosa inchoata sisti, atque Symptomata inde orta curari, vel Morbi subsecuturi præcaveri, aut præsentes tolli possunt. Duo hic in genere indicantur, sc. ut Lympha colliquata in

(a) *Vide Histor. 4. 7. 8. 9.* [b] *Vide Histor. 5. 6.*
[c] *Quomodo Symptomata post Morbillos remanentia tractanda sunt.*

in habitu corporis congesta per sentinam communem deturbetur, atque Colliquatio nova antevertatur extinguendo illud Fermenti quod supereſt & inter spiritus delitescit, ope propriæ Antidoti frequenter & copiosè exhibitæ, ut massa Sanguinis ab illo non ampliùs agitetur: Et orgasmum Spiritum Opiatis & Venę sectione sępe repetitis minuendo, ut in fluorem in posterùm non adigatur. Quo pacto secundum Methodum institutam hisce Indicationibus satis fiat, symptomata hæc sigillatim & succinctè percurrendo liquidò constabit. Apprimè autem hic notandum est, Fermentum hocce superstes quod post Morbillosam Febrem peractam Spiritus implicat, & massam sanguinis in fluorem adigit, prout intensius est aut remissius, varium admodùm esse: jam enim instar *acuti Fermenti* magis vegetum est, atque ut ut non satis virium habeat ad certamen febrile recens instaurandum spiritus tamen ita lacessit & conturbat, ut non tantùm sanguis inde in statu Fluoris permaneat, sed etiam ut calor lentus, & quasi *Hecticus* accendatur. Hic gradus superstitis fermenti *Tussim Immanem*, vel levem & *Chronica*, *Ophthalmiam*, vel *Diarrhœam* ciet. Jam verò magis effœtum & exhaustum more fermenti Chronici Colliquationem sensim & magis tardam efficit, colluvie potiùs in corpore congesta quàm per glandulas eliminata; unde *Cachexia*, *Ascites*, *Scrophulæ*, aliique affectus Chronici & pertinaces oriuntur. Juxta differentem hujus superstitis Fermenti gradum, atque indolem colliquationis diversam inde provenientem Indicationes Curativæ diversæ exurgunt, & Methodus medendi diversa adhibenda est. Ubi reliquiæ magis activi Fermenti supersint, necesse est ut antequam subductio Colluviei liquatæ Catharticis tentetur, Colliquatio futura præveniatur *Cortice Peruviano* copiosè exhibito, ut superstes Venenum deleatur; Atque ut *Venæ-sectione* repetita, & frequenti *Opiatorum* usu Orgasmus spirituum minuatur. Compertum enim est Massam Sanguinis *Catharticorum*, præsertim fortiorum, usu præmaturè exagitatam, ad colliquandum magis proclivem fieri, atque Symptomatis à Colliquatione provenientibus inde plurimum incrementi afferri, unde ad phthisin & alios gravissimos Morbos via sternitur. Atque hercle! non sine delectu Cathartica in hoc casu adhibenda sunt, inter quæ mitiora tantùm eligenda sunt; Cardo enim curationis jam vertitur, non tantùm in colliquati humoris exclusione, quantùm in Spirituum temperatione, & reliquiarum Veneni Colliquationem producentis extinctione. Erroris hac in parte admissi, bone Deus! quam funestos eventus novi, quot Tusses in Phthises consummatas, quot leves Oculorum Taraxes in Ophthalmias veras, quot Alvi fluxus in Diarrhœas colliquativas incurabiles transiisse memini. (a) Quoties igitur Æger post Morbillos Tussi ferina, & perpetua vexetur; primo in loco Venæ-sectio celebretur. & si opus fuerit, post unum vel alterum diem iteretur, & una cum *Linctibus*, *Apozematis Mucilaginosis*, cæterisque Medicamentis *Lenientibus* in *Cap. de Catarrho* memorandis *Cortex Peruvianus* copiosè exhibeatur. Semper etiam addatur, dosi saltem nocturnæ *Laudan. Liquid. Pilul. è Styrace*, *Philon. Roman. pilul. è Cynogloss.* ad ætatem patientis respiciendo, plus minusve dum ex minoratione Tussis, & concoctione phlegmatis constet sanguinem non adeo colliquefieri, ut priùs. Posthac alvum licet leniter deturbare Pilulis sequent. ℞. *Pil. Stomach. cum Gum.* ℥ß. ℈i. *gr. xii. Laudan. Lond. gr.* i semigran. M. F. Pilul. mediocres hora somni exhibendæ, Mane sequenti propinentur Aquæ Minerales purgant. coct. & Lacte alterat, quæ juxtà alvum movent, ac massam Sanguinis leniunt & refrigerant. Quæ quidem Cathartica *4to* vel *5to* quoque die repetantur, ad quartam vicem, Mucilaginosis & Opiatis Medicamentis unà cum *Cortice Peruviano* in Purgationis intervallis jugiter exhibitis. Quo modo Phthisis Pulmonaris à Morbillis orta cura-

(a) *Tussis post Morbillos superstitis curatio.*

curari oportet antehac innuimus in *phthisiologiæ noſtræ Lib. 3. Cap. 12* quam conſulat Lector.

(*a*) In *Ophthalmia* à ſuperſtite Morbilloſo fermento orta. Sanguinis è vena *Jugulari* præſertim detrahatur; quo Remedio Venis Oculorum capillaribus ſubitò depletis, moleſtum hoc Symptoma poſt Venæ-ſectionem prius in aliis partibus in caſſum celebratam, atque plurima alia remedia fruſtra adhibita, Spatio 24. horarum tanquam carmine magico allevatum fuiſſe ſæpe memini. Dein reliquiæ Veneni *cortice peruviano* deleantur, tandem Lymphæ Colliquatę reſiduum Catharticis prius memoratis per Alvum deturbetur, ea lege tamen, ut poſt ſingulas Purgationes *Venæ-ſectio* & *corticis peruviani* uſus intervallis iterentur, quoties opus fuerit. *Veſicatoria* nihil hic valent, ut ut communiter adhiberi ſoleant, ſed potiùs orgaſmum ſpirituum efferatum, & Sanguinis fervorem adaugent. *Collyriorum* Formulæ, & reliquia ad hanc curationem ſpectantia in *Cap.* de *Ophthalmia* poſthac tradentur.

(*b*) Sin glanduloſam Inteſtinorum tunicam, Lympham hoc Fermento venenatam colliquatam Natura deturbare ſatagente oboriatur *Fluxus alvi* moleſtus & contumax, *catharticis* hanc Colliquationem promovere haud omninò congruum eſt, verum potius *Opiatis* Spirituum Orgaſmum compeſcere, & *adſtringentibus* omnigenis fluorem Sanguinis ſiſtere, ac *cortice peruviano* cum *Opiatis* commixto Venenum ſuperſtes delere, more ſequenti. ℞. *Rhabarb. parum torrefact* ℈ℓ. *Diaſcord.* ℈ii. M. F. *Bolus* hora ſomni exhibendus. Bibat etiam Æger *Decoctum album* pro potu ordinario, & ſexta quaque hora capiat ʒiß. vel ʒii. *Corall rubr. ppt. ocul. cancror. ppt. pulv. è Chel. cancr. Simplex* vel alia quæcunque (*c*) Alcaliſata, modo in larga quantitate exhibeantur. Hora ſomni ſumat *laudan. lond.* gr. ii. iß. j. vel ſemigran. Pro ætate. Vel Electuari noſtri Adſtringentis & Opiati in *Cap. de diarrhœa* memorandi: quantitas nucis Juglandis plus minus pro ętate quarta quaque hora miniſtretur. Fluxu alvi quadantenus hoc pacto ſedato, reliquiæ Veneni *cortice peruviano* partitis vicibus exhibito, cum *Laudano* ſemper comixto penitus delendæ ſunt: Ut ut enim viribus *Opiatorum* & *Adſtringentium* Fluxus quadantenus ſiſti poſſit, tamen ex levi quacunque occaſione recrudeſcere ſolet, modo quidquam Fermenti ſuperſit; Eo autem ſubacto, maſſa humorum priſtina firmitate iterum potitur. De his vero fuſiùs & ex profeſſo poſthac in *Cap. de Diarrhœa* diſſeremus.

(*d*) Ubi verò effœtæ ſunt veneni reliquiæ, & Chronici fermenti indolem ſapiunt, Indicationes prorſus diverſæ, ſi non contrariæ exurgunt; nempe ut Catharticis appropriatis *phlegmagogis* dictis, iiſque fortioribus, & ſæpe repetitis, quæ receſſus Corporis intimos penetrent, atque ſaburam inibi deliteſcentem in fluorem adigantur, liquor Colliquatus per ſentinam communem deturbetur: Et ut reliquiæ Veneni effœti, Antidotis quæ ad fermenta Chronica adaptantur, iiſque variis, pro multiplici Fermentorum indole, deleantur. Quoties Lympha in glandulis congeſta, à ſegni hoc fermento, ſenſim lenteſcit, & *Strumoſos Tumores* generat, *incidentibus & Attenuantibus* Remediis [quæ humores glutinoſos abſtergant, in fluorem adigant, ac per Inteſtina, Ureteres, vel poros Cutis excernant res agenda eſt modo ſequenti. ℞. *Calomelan. Diagrid. Sulphurat. vel Reſin. Julap.* an. ℈ß. *gr. xv.* ℈ß. *gr. v.* plus minus pro ætate M. F. *pulvis* ſumendus è Cochleari I. Liquoris Poſſetic. manè frigid. cum Regim. repetenduſque 5. *to.* vel 6 *to.* quoque die dum opus fuerit. Vel ℞. *Flor. Sennæ* ʒiii. *agaric. Trochiſcat.* ʒii. *Semin. aniſ.* ʒi. *coq. in Aqu. F. q. ſ. ad* ʒiv. *Colaturæ add. Syr. de Spin. Cervin.* ʒß. *vel* ʒvi. M. F. potio pro adultis; Detur mane cum Regim. repetaturque quarto quoque die. Diebus inter-

[a] *Curatio Ophthalmię poſt morbillos ſuperſtitis.* (b) *Diarrhœę à morbillis ortę curatio.* [c] *Vide hiſtor.* 10. (d) *Curatio Strumarum à morbillis ſubortarum.*

intermediis bibat Æger Decoctum sequens pro potu ordinario ℔. *Sarsp. optim.* unc. *vi. Rad. chin.* unc. *ii. Lign. Sarsaparr. Santal. rubr. Resur. CC. Ebor.* an. ℥ß. *passul. major.* ℥iii. *Coq. in Aqu. F.* (post debitam infusionem] ℔xii. ad vi. Colatura servetur in lagenis vitreis ad usum prædict. Horis etiam Medicinalibus, diebus à purgatione liberis, Capiat *Emulsionem* sequentem. ℔. *Milleped. vivor.* n. 100. Contunde & tere in Mortario marmor sensim affundo *Aqu. Fœnicul. Petroselin.* an. ℥iß. Colaturæ fortiter expresse adde *Syrup. è v. Rad.* ℥vi. M. Vel. ℔. *Calc. viv.* ℥vi. extingu. *Decocto Sarsæ* ante præscript. ℔iii. dein cola; sumat Æger ℥ii. *iv. vi.* ter in die horis medicinalibus. De his autem fusiùs differendum est in *Cap. de Scrophulis*.

(*a*) Cachexia vero sive speciem induerit *anasarcæ*, sive *Ascitis*, Indicationes quadantenus alias ministrat, atque Methodum medendi aliquatenus diversam postulat. *Chalybs* in utroque affectu multo usu comprobatur, tanquam Antidotus Herculea, quæ sola vires hujus fermenti Chronici frangere & delere potest, atque inde Colliquationem humorum futuram sistere; unde fibræ partium affectarum non amplius humore angustatæ tonum & robur suum nativum sensim recuperant, & interstitia fibrarum non amplius lympha recens Colliquata infarcta & obsessa, ab *Obstructionibus* penitus liberantur. Quo nomine magnum hoc remedium apud veteres Medicos *Ecphracticum* semper audit, ac in Chronicis affectibus debellandis æquè decantatum fuit, hac hodie *Cortex peruvianus* in Acutis. Cardo enim Curationis in quacunque *Cachexia* seu *Leucophlegmatica* sive *Ascite*, in assiduo hujus Antidoti usu vertitur, Licet enim centies Catharticis Lympham congestam per alvum deturbes & subducas, modò fermentum Colliquativum propria suo Antidoto non subigatur, citissimè recrudescit Morbos, Ideoque intervallis ab usu Catharticorum liberis in utroque affectu *Calybeata* assiduè exhibeantur in Forma *Pillularum*, *Bolorum*, *Electuariorum*, *Extractorum*, *Syruporum Tincturam*, &c. quorum formulas Hic loci describere supersedeo cum ad *Cap. de Cachexia*, *Leucophlegmatia & Ascite* spectant.

Lympham autem congestam non eodem modo utroque affectu deturbare licet, namque in *Anasarca* tonus fibrarum universaliter evertitur, unde Æger fortiora Cathartica difficulter admodum tolerat. Satius est igitur ut *tinctura sacra Pilulis Stomachicis* cæterisque leniioribus per ἐπίκρασιν purgantibus, post intervalla longioria colluvies serosa detrahatur, & Colliquatio futura diligentiori, ac frequentiori *Chalibeatarum* usu sistatur.

Ascites autem uti postulat Hydragoga fortiora, ita cum εὐσαρκα eadem tolerat, neque sine præcedenti eorum usu sæpe repetito *Calybs* scopum suum in colliquante Veneno delendo assequi valet formula mihi usitatissima est quæ sequitur. ℔. *Conserv. flor. cichor. pulv. rhei* an. ℥ß. *Resin. Julap. gr. v.* ℈ß. *gr. xv.* pro ætate, *Salis Absinthii, gr. iii. v. vi. Sirup. Cichor. cum Rheo* vel de *spin. Cervin. q. s.* M. F. *Bolus* mane exhibendus, & tertio quoque die repetendus cum Regimine. Vel ℔. *Calomelan.* ℈ß ℈i. *Julap. resinos.* ℈ß. ℈i. *Confect. Hamech.* ℥i. ℥ii. *Sirup. de Spin. Cerv. q. s.* M. F. *Bolus*. Imò pro robustioribus, qui purgationem bene tolerat, adjicere licet *Gutt. Gamb.* vel *Elater. gr. ii. iii. iv.*

CAP. V.

De Febre Scarlatina.

HUnc Morbum [ut ut universali Medicorum consensu titulo peculiari donetur] prorsus eundem esse cum *Morbillis* censeo & solo efflorescentiæ modo ab illis distare. Quæ differentia tanti non est ut alterum Morbum constituat, nisi pari ratione *Variolę confluentes & distinctæ*, *Herpes simplex & miliaris*, *Erysipelas Phegmonodes & Oedematosum*,

(a) *Hydropis à Morbillis orti Curatio.*

ſum, *pulveris vera & Spuria*, cæteriſque Morbi ex accidenti aliquo inter differens, ubi Cauſæ, ſimptomata, prognoſtica, Curativæ Indicationes atque Methodus medendi ab invicem minime diſtent, in diverſos Morbos dividantur; unde Morborum tituli nimis luxitantes fruſtra in Artis noſtræ & profeſſorum damnum mirum in modum multiplicarentur. Ratio differentis Morborum *Nomenclaturæ* ritè petenda eſt à differenti eorum Cauſa, Symptomatis, & Indicationibus curativis differentibus. Quorſum enim, ubi cauſa Morbi eſt eadem fere Symptomata, atque methodus medendi prorſus eadem, nova nomina Affectus imponantur, & Morbi tanquam ſpecie differens ſub alio atque alio Titulo tractentur?

Indolem autem *febris ſcarlatinæ* dictæ, & *Morbillorum* prorsùs eadem eſſe ſequentia demonſtrat. Ab eadem cauſa evidenti, ſcil. ambientis aeris injuriis, ſive frigore in poros cutis admiſſo, ſive miaſmate contagioſo eoſdem poros invadente uterq; Affectus originem ſuam trahit; Uterq; venenatum Fermentum colliquativum & deleterium morbi Cauſam continentem ſortitur; febris primum utriſq; inſultum comitans ſpeciem prorſus eandem inducit, durante apparatu Effloreſcentiam præcedente, & cum *comate*, *deliriis*, cæteriſque Malignitatis indiciis conjuncta eſt, & iiſdem Symptomatis à Colliquatione provenientibus, *Tuſſi* ſcil. *ferina*, *cerebri gravitate*, *Sternutatione* indeſinenti, *Diarrhœa* Lachrymis involuntariis, &c. inſignitur effloreſcentia in utroque affectu eandem partem *Cuticulam* ſcil. occupat, non ſtadia utriuſque Morbi eodem modo progenio Fermenti plus minus deleterii magisminùſve protenduntur: ubi morbus eſt *Benignus* utraque Effloreſcentia 2. vel 3. Morbi die incipit, atque 4. vel 5. die, unà cum febre comitante recedit; Ubi *Malignus* eſt & *Epidemicus*; non raro utriuſque Effloreſcentiæ Apparatus ad 6. *tum*, vel 7. *tum* diem protrahitur, & effloreſcentia uſque ad decimum quartum & ultra durat, & interea glandulæ oculorum, pharingis, Laryngis & bronchiorum inflammantur, Febris Inflammatoria accenditur, Deglutitio & reſpiratio læditur, cæteraque *Anginæ* & *peripneumoniæ* Symptomata ſæpius ingraveſcunt. Nec non Febris poſt utramque efloreſcentiam peractam pro ratione Veneni ſuperſtitis diverſa, naturam jam *Synechcos*, jam *Synechi* & malignæ ſibi adiſciſcit, & deniq; Morbi ipſiſſimi, ſcil. *Tuſſis* & *phthiſis* Pulmonaris, *Ophthalmia*, *Diarrhœa pertinax* & *colliquativa*, *affectus Strumoſus*, *Cachexia*, *Leucophlegmatica*, *Aſcites*, &c. utrumque Morbum indiſcriminatim conſequuntur; uterque eadem prorſus Prognoſtica indifferentes miniſtrat, nec minus eadem planè medendi Method. poſtulat. Adeo ut actum agere videamur, ſi poſt de ſerm. *Morbillis* habitum, filum ejus protrahamus, ut de *febre Scarlatina*, quæ quoad cauſas Symptomata, Differentias, Prognoſtica, Indicationes, Curativas atque methodum medendi, ipſiſſimus Morbus eſt, ulterius diſſeramus. Exulet igitur per me è cenſu Morborum hæcce Febris, niſi cuiquam *Morbillorum Confluentium* titulo eam deſignare in poſterum viſum fuerit. Ideòque ſicco pede eam præterire conſulto ſtatuimus, inter *Hiſtorias* Morbillorum unum vel alterum ejus exemplar proferre lubet, unde conſtare queat, eandem plane Naturam cum Morbillis obtinere.

HISTORIA I.

Filia Domini *Rainsford* habitantis in vico dicto *Butcher hall-lane* annos quinque nata, anno Dom. 1672. (quo tempore Morbilli Epidemii *londini* publicè graſſabantur) ad unam vel alteram hebdomadam *fluxu Alvi*, *tuſſi ferina* & levi *oculorum inflammatione*, ceteriſq; colliquationis Symptomatis afflicta male ſe habuit: demum vero *febre* correpta, delira & comatoſ. per triduum jacebat, & ſymptomata priora in dies augebantur. Quarto die Effloreſcentia *Morbilloſa* ab una parte in alteram per totum corpus ſparſa in conſpectum venit, quæ quidem ſummè inflammata ferè ad inſtar *Eryſipelatis* apparebat, atque ad quartum uſque

diem

diem protensa durabat, Febre unà cum Fluxu alvi, Tussi & cæteris Symptomatis potiùs aucta quam diminuta, adeò ut misera puella indesinenter ejularet, tussiret, anhelaret, atque alvum dejiceret nihil autem intereà præter crudam cerevisiam deglutire voluit. Ego 4. efflorescentiæ die vocatus eam inveni præ pulmonum inflammatorum Spasmis planè strangulatam, atq; tanquam à fascia injecta suffocatam. Efflorescentia derepente hic illic in luridum & pallidum colorem abierat, extrema quadantenùs frigescebant, atque Arteriæ vix, tactu judice, vibrabantur. In hoc præcipiti casu Pharmacopola qui aderat jussu meo illicò *Venam* tundebat: Cùm autem post tres vel quatuor uncias sanguinis detractas strangulationem fuisse diminutam perciperem pulsationem arteriarum fortiorem redditam, atq; colorem vegetiorem efflorescentiæ restitutum, Sanguinem ad ℥vj. vel vij, fluere sinebam. Quo unico Remedio ab ipsis orci faucibus Ægra prorsùs liberabatur, atque adhuc in vivis est.

HISTORIA II.

Advocabar Januar. 27. 86. ad *Filium Dominæ Pratt* habitantis in vico dicto *Paternoster rovv*, sex annos natum, Febre dicta *Scarlatina* laborantem, qui jam primum & secundum Morbi stadium usque ad quartum efflorescentiæ diem curæ trium Pharmacopeorum successivè commissus transegisset, quorum unus Morbum esse *Variolosum* pronunciavit, adeò enim præter modum Cuticula sicut in *Erysipelate* inflammabatur, ut aliqualem intumescentiam retinentem & asperitatem inæqualem referre videretur: Cæteri verò duo efflorescentiam esse *Morbillosam* audacter affirmabant. Unusquisque autem *Remediis Cardiacis* pro modulo ingenii Venenum versùs Cuticulam propellere satagebat: Unde Inflammatio sponte sua nimia, mirum in modum sæviebat, Pulmones *Peripneumoniam* afficiebantur, Febris erat intensa, pulsus celer & debilis, Puer miserellus hebes admodum & attonitus summè languebat & pene strangulatus est. Igitur ad Pulmones liberandos edico, Unciæ sex *Sanguinis* statim è Brachio *detrahantur*, atq; ne inde vires nimium dejicerentur, *Bolus è Pulv. è Chel. Cancr. comp.* & *Lapid. Contrayerv. an. gr. vi.* & *Syrup. Caryoph. q. s.* confectus potest Venæ sectionem exhibeatur, & mane sequenti repetatur, unà cum cochl. *iii. Julap. Cardiac. Temperat.* de quo hibere licuit ad libitum; *Vesicatoria* etiam ad Nucham & Carpos interno, & *Emplastrum Cephalicum cum Euphorb.* ad plantas pedum applicentur, atque *Gargarismus ex Aq. Plantag.* ℥viij. *Diamor. mellis Rosat. Colat. an.* ℥i. in fauces siphone sæpius injiciatur. Die 28. quo Puerum iterùm invisi stupor & strangulatio, cæteraque dira symptomata mirum in modum allevabantur, Pulsus fortior evaserat & minùs celer, Sanguis autem detractus valde floridus colorem Scarlatinum vel in fundo ipso referebat, instar Sanguinis *Maniacorum* vel *Hystericarum*, ubi Spiritus œstro perciti maximam in massa efferveseentiam cient. Ideòque solummodò jussi ut Alvus pigra *Enemate è Lacte Saccharato*, *Floribus Chamæmeli alterat.* stimularetur, atque inde *Bolus* ex *Theriac. Androm. gr. vii.* & *Pulv. è Chel. Cancr comp. gr. vi.* & *Syrup. Caryoph q. s.* confectus, & in Cochleari 1. *Julapii* sequent. solut. exhiberetur, & ut superbiberet ejusdem Cochl *iii.* atque etiam ad libitum, agitata phiala. ℔. *Aqu. Meliss. Cerasor. nigr. an.* ℥ii. *Cinnam. hord.* ℥iß. *Epidem. Pæon. Comp. an.* ℥ß. *Marg. ppt.* ℥i. *Succhar. alb.* ℥iii. M. F. *Julap.*

Exinde Puer post levem Diaphoresin *apyretos* mansit, & à diris Symptomatis, præter spem Adstantium liberabatur. Ideòque die sequenti scil. 29. duntaxat *Linctum* ex *Ol. Amyg. de rec. Syrup. Ven.* & *Sacchar. Crystalin. alb.* confect. ad Tussim moderandam sæpiùs exhibendum præscripsi, & usum *Julapii Perlati* continuandum atque ad alvum adstrictam lubricanda *Poma* tosta, & *Pruna* cum saccharo cocta frequenter ministranda. Denique post triduum peractum, quia Alvus adhuc adstringebatur, usitata Colliquationis indicia recesserant, Bolum Catharticum sequentem manè cum Regi-

mine capiendum jussi, atque semel in hebdomada repetendum ad tres vices. R. *Calomelan. Diagrid. Sulphurat.* an. *gr. ix. Syrup. de Spin. Cervin. q. s.* M. Revalescebat autem puer sine quocunq; Morboso affectu superstite, vel inde subsequenti.

HISTORIA III.

Filia mea dilectissima *Sarah Morton* 8. annos nata anno 1685. Febre correpta, Oculorum inflammatione & Tussi ferina vexabatur. Hisce Colliquationis indiciis certior factus, indolem Febris à primo insultu Morbillosam esse deprehendi, Nihil autem præscripsi nisi *Julapii* sequent. cochl. *iii.* vel *iv.* sumenda 4. quaque hora, & ut debitum Regimen observaretur. ♃. *Aq. Meliss. ceras. nigr.* an. ℥. *iii. Epidem.* ℥iß. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv.* an. ʒx. M. Et quia Pulsus nullum Malignitatis indicium dedit, nec aderant Coma, Delirium, vel aliud ejusmodi Symptoma, *Laud. liquid. gutt. vi.* ad Tussim allevandam & Colliquationem Sanguinis futuram præcavendam in haustulo Julapii singulis noctibus exhibebantur. Quo pacto omnia rectè successerunt, & nusquam in tota mea praxi Morbillos magis Benignos vidi. Efflorescentia erat rarissima, hic illic in Cuticula parcè admodùm sparsa, & citissimè evanuit: Ægra autem à Febre ac Tussi absque Symptomatis cujuscunque molesti suppullulatione spatio bidui ab Efflorescentia incœpta, prorsus liberata integrè revalescebat ac si nunquam decubuisset.

HISTORIA IV.

Filia mea charissima *Marcia* 7. annos nata, anno 1689. in quo *febris* dicta *Scarlatina* tempore præsertim æstivo quadantenus publicè grassabatur, post apparatum *Rigoris*, *Horroris*, &c. plurimùm febricitare incœpit, Nausea, Vomitione, Comate, cæterisque Malignitatis Symptomatis afflicta. Quocirca *Julap. Cord. cum specieb.* in Historia præcedenti descriptum cochleatim exhibendum esse jussi, atq; *Vesicatorium Emplastr.* amplum ad Nucham applicandum. Quandoquidem verò nec Fluxus Alvi, nec Tussis, nec Rubedo Oculorum, aut aliud aliquod usitatum Colliquationis signum Apparatum comitabatur, in isto stadio genium Morbi non clarè perspectum habui. Quarto autem Morbi die efflorescentia non interrupta derepente ubique per totam Cuticulam sparsa, *febris* dicta Scarlatina indolem suam palam prodebat, atq; equidem Inflammatio erat maxima omnium quas unquam vidi, tota cuticula ex Inflammatione sensim crassescebat, æquali quadam ac renitenti intumescentia affecta, & post Inflammationem peractam, non squamarum, verùm Pergamenæ similis dehiscens decidebat. Cùm verò Febris post quatriduum ab efflorescentia incœpta protenderetur, atque periodis certis quotidiè reverteretur, ℥ vi. Sanguinis detrahendas esse jussi, atque ʒß. *corticis peruviani* quarta quaque hora exhibendam, unde spatio bidui ἀπυρετος facta prorsus revalescebat.

HISTORIA V.

Eodem ipso tempore invisi Mulierem in vico dicto *Smithfield*, ad quam accersitus sum, consultandi gratia cum Medico ejus ordinario, magni nominis viro. Mulier Febre Scarlatina laboravit, quæ jam ad diem decimum septimum duraverat, & Medici consueti consiliis usa priora duo Morbi stadia Apparatum sc. & efflorescentiam transegerat. Ego autem certior factus Febrem post Efflorescentiam peractam à reliquiis Veneni imperfectè deletis ad spatium integræ hebdomadæ *Synecheos* Tertianæ typum induisse exacerbatione alternis diebus hora stata semper recrudescente, atque jam ad biduum in *Synochon* Malignam cum Deliriis, Spasmis, Subsultibus Tendinum, cæterisque triumphatæ Naturæ indiciis, sociatam degenerasse, jure meritò Prognosticon funestum proferebam. Probè enim novi, quod Venenum usu *Corticis peruviani* tempestivo prius facile superabile jam non obstantibus Cardiacis, in quorum usu diligenter per-

perseverarat Ægra, spiritus adeò extinxerat, ut nec à *Cortice* auxilium expectari, neque ab Alexipharmacis vires Spirituum elasticæ exsuscitari possent, ita ut pares fierent Veneno eliminando. Nihilominùs *Vesicatoriis* frequentibus, atque *Alexipharmacis* maximè generosis experiebamur, nùm forte fortuitò Spiritus expandere possemus, ut occasionem inde captaremus *Corticis* exhibendi. In cassùm vero omnia, Deliriis nempe, Spasmis, cæterisque deletorum Spirituum Symptomatis jugiter auctis, demùm Ægra confecta fatis cedebat, quæ facillimè ope unciæ unius *Corticis* prædicti, maturè exhibiti, fatum hoc evasisset.

HISTORIA VI.

Paulo post, eodem fere mense accersebar ad invisendam *Filiolam Dominę Haynt* habitantis in vico dicto *Fosser lane*, Inflammatione Pulmonum Scarlatinam efflorescentiam primùm comittante, sed post efflorescentiam jam superstite penè confectam & suffocatam, comatosam etiam, hebetem & deliram. Sub initium *Peripneumoniæ* ante meum adventum Venæsectio ritè celebrabatur, veneni autem Febriferi extinctio [ut ut Febris *Synochis* indolem suam Exacerbationibus atque Remissionibus sese alternatim excipientibus liquido prodiderit) nequaquam tentabatur, unde ab incendio intus continenter instaurato, flamma in Pulmonibus perseverabat, à qua vires Ægræ adeo attritæ sunt, ut sanguinem amplius detrahere non auderem; Expectorantia Remedia & Vesicatoria diligenter adhibeantur; At horum usù non obstante, misella puellula brevi, Peripneumonia suffocata periit.

HISTORIA VII.

(*a*) Filiolus *Domini Buren* Mercatoris habitantis in Vico dicto *Mincing lane*, Infantulus vix integram annum natus, qui in eodem Cubiculo cum Sororcula *Morbillis* afflicta versatus, mense Decembri, anno 1691. Febre corripiebatur cum *Palpebrarum gravitate*, *Capitis stupore*, *Tussi ferina*, *Diarrhœa*, *Rubedine Oculorum* & reliquis febris Morbillosæ Symptomatis sociata quibus soror conflictabatur. Cùm autem aeri Cubiculi aperto diutius expositus fuisset, nulla efflorescentia ad quintum usq; diem Morbi in Cuticula sese prodebat. Quocirca ad expansionem Spirituum Veneno deleterio jam diu nimis oppressorum promovendam *Vesicatoria* incunctanter ad Nucham & Carpos applicanda jussi, & *Julapium* Cordiale ad normam *Julapii perlati*, *pulvere è Chel. Cancr. comp.* & *Lapid. Contrayerv* saturatum sæpius pitissandum; atque Bolum ex *Theriac. Androm.* & *pulv. è Chel. Cancr. comp. an. gr. v.* confectum quaque nocte exhibendum. Quid fit? Octavo Morbi die cuncta Symptomata mitigata sunt, atque febris in novam formam mutata, speciem *Synecheos* cum Exacerbationibus & Remissionibus quotidie hora diei stata alternatim sese excipientibus induebat. Hanc febrem autem facillimè curavi ope ℥ii. *Cortic. Peruv.* partitis vicibus exhibiti, unde perfecte revalescebat Infans & adhuc valet, nec ulla Cutanea Efflorescentia febrem vel comitabatur vel subsecuta est.

HISTORIA VIII.

(*b*) Eodem ipso Mense filiolus Domini *Debilles* Mercatoris habitantis in vico dicto *Bushlane* (cujus sorores *Morbillis* laborantes nuper revaluerant) eodem Morbo correptus, diu & periculosè *Stupore*, *Tussi ferina* & *Diarrhœa* affligebatur, ab his autem reliquisque Symptomatis ope trium *Vesicatoriorum* ad Nucham sc. & Carpos applicatorum frequenti exhibitione *Julapii Cardiaci* Speciebus ante memoratis saturati,

(a) *Febris Morbillosa absque ulla efflorescentia vel comitante vel subsequente sanata.*

(b) *Febris Morbillosa primum Maligna, dein Inflammatoria, & tandem Synochis.*

& *Boli Theriacali* ſingulis noctibus repetiti, brevi liberatus, demum (declinante jam Efflorescentia morbilloſa) Inflammationem Linguæ notabilem atque excruciantem perpeſſus eſt, quæ Veneſectione in Vena Jugulari ſine mora celebrata evanuit; at Febris ſuperſtes deinde ſibi *Synechεos* ſpeciem induebat, & hora 7. veſpertina quotidie cum fixa Genarum rubedine conjuncta recurrebat. Febris verò facillimè exhibitis ℥ii. vel iii. *Cortic. Peruv.* profligabatur, & Puer pro tempore perfectè revaluit, ut ut recrudeſcente Veneno poſt tres hebdomadas elapſas unum vel alterum *Febris Intermittentis* paroxyſmum paſſus fuerit; à qua, *Cortice* iterum iterumque poſt debita intervalla repetito, liberatus hucuſque optima valetudine utitur.

HISTORIA IX.

2 Filia Domini *Tim* ſex annos nata, ſub initium Menſis Aprili, anno 1692. Febre & Tuſſi immani correpta, poſt triduum Morbilloſam Efflorescentiam perpeſſa eſt, quæ ad quinque dies protendebatur. At poſtquam evanuiſſet Efflorescentia, *Febre Synechei* quotidie hora diei ſtata periodicè recurrente, *Diarrhœa* immani, *Tuſſi* importuna & ſummo virium languore Puella afficiebatur[b]. Quo tempore ego accerſitus ad reliquias Veneni morbilloſi (quas ſupereſſe liquidè deprehendi delendas,) ℥ß. *Cort. Peruv.* in formam Boli redactam illicò exhibendam juſſi, repetendamque 4. quaque hora ſolut. in Cochl. Julap. Cordialis temperati. Primæ doſi *Laudan. Liquid. gutt vi.* & deinceps alterno cuique Bolo addendas curavi; unde Febris ſpatio bidui, Tuſſis, Diarrhœa, & reliqua Symptomata multum allevabantur. Ob Phlogoſin autem, quæ certa diei hora præſertim in genis ſeſe quotidie prodebat, adhuc ſuperſtitem, ℥iv. vel v. ſanguinis è brachio tertio die detrahendas juſſi, atq; Bolos Febrifugos repetendos. Unde poſt 24. hor. per totum diem Puella *apyretos* manebat, atque ab omnibus Symptomatis liberata planè revaleſcebat. Hebdomadis autem duabus elapſis, appetitu prius proſtrato, reviteſcentiam aliqualem Febris Periodicam ſenſit, quæ citiſſimè viribus *cort. peruv.* repetiti victricibus cedebat. Quocircà prophylaxeos gratia Alvum poſt octo dies elapſos bis, terve *Decoct. Amar.* & Syrup. *de Spin. Cervin.* ſubducendam duxi, & poſt ſingulas Evacuationes *Corticem* incunctanter repetendum, & inde optimè convaluit.

HISTORIA X.

(a) Accerſitus ad inviſendum Filiolum *Dominæ Philips* habitantis in vico dicto *Le Old Change*, qui ante v. hebdomadas *Febre Scarlatina* laboraverat, cujus efflorescentia minus vigebat, & diutius protendebatur, unde à reliquiis Fermenti iſtius Morbi non ſubactis ad dies 35. continua Diarrhœa Puer penè conficiebatur, cùm primum ad eum acceſſi animadverti os & labia tumida, inflammata & exulcerata, tanquam à toxico epoto & puerulum ad ultimum Maraſmi gradum ex diutino alvi fluxu redactum. Natura autem ob ſummum virium languorem jam planè ſuccumbente ac à Veneno triumphata, nullum Febris præſentis κρατιστεύον ex temperie, Urina, vel Pulſu deſumere potui; ſpiritus enim certamini impares, nihil amplius moliri valebant. Unde *apyretos* venenatus licet, & confectus mihi videbatur. Ideóque ante omnia Symptoma ferale, Alvi nempe Fluxum, *Decoct. alb.* in locum Potus ordinarii ſuffecto, & copioſa Alcalium exhibitione modo ſequenti quadantenus cohibere ſategi. ℞. *Ocul. Cancr ppt. pulv. è Chel. Cancr. ſimpl. Coral. rub. ppt. an.* ℥ß. M. F. Pulvis quem in *Coch. iii. Julap. Cordialis ex Aq. Lactis Alexiter. Cinnam. Hord. Epidem.* & *Syrup. Cariophyl.* confect. mini-

(a) *Febris Morbilloſa poſt Efflorescentiam peractam in* Synechi *quotidianam, Diarrhœam, Tuſſim & languorem maximè comitatam mutata.*

(b) *Diarrhœa pertinax, & vires penitus fractæ poſt Febrem Scarlatinam.*

miniſtrandum juſſi, repetendumque deinceps ter in die ad triduum, Diarrhœa autem hoc modo ſedata, & viribus inde-quadantenus reſarcitis, venenatum fermentum Colliquationis cauſam propria Antidoto aggrediebar, exhibui ſc. *Cortic. Peruv.* ℈j. cum *gutt. iv. Laudan. Liqu.* & *Syrup. Caryoph.* tantillo in bolum redact. ter in die per quatriduum, unde Puer ex Orci faucibus liberatus ſenſim revaleſcebat.

HISTORIA XI.

(*a*) Ante ſexennium media æſtate ſimul decumbebant in domo Amici mei integerrimi *Domini hooK* Mercatoris habitantis in Vico dicto *Pye Ally* prope *Fenchurch-ſtreet*, tres ejus Filiæ, Filiolus unicus, atque *Domina Barnardiſton* ejus Matertera, Matrona annos ſeptuaginta plus minùs nata. Omnes quaſi Veneno deleterio perculſi Febre *Synecheon* unum tenorem ſervante corripiebantur, *Tuſſi Ferina*, *Comate*, *Deliriis*, cæteriſque malignitatis Symptomatis haud obſcuris afflicti. Ideòque natura Symptomatum id exigente, *Alexipharmaca* mitiora exhibenda, atque *Epiſpaſtica* applicanda juſſi. Die autem Morbi 4. 5. vel 6. ſinguli *Scarlatinam* efflorescentiam per cuticulam ubique ſparſam perperiebantur, eamque per 7. 8. vel 10. dies protenſam. Duæ è Filiabus atque Filiolus 4. vel 5. Efflorescentiæ die *Parotidibus* inſignibus affligebantur, unde Deglutitio adeo præpediebatur ut in præſens vitæ ſubſidium (inflammatione urgente, & forti Arteriarum vibratione adhortante) Venam ſecare & moderata manu Sanguinem detrahere coactus eſſem. *Alexipharmacarum* autem & *Veſicatoriarum* continuata Glandulæ *Parotides* (ut ut Venæ-ſectione earum dolor & ardor mitigarentur) debito tempore exulcerabantur, atque Apoſtematis ruptis Pus acre & corroſivum per Nares, Aures, fauces, copioſè egerebatur, unde triginta dierum ſpatio ſenſim revaleſcebant. Filia autem natu ſecunda die 3. vel 4. Efflorescentiæ immaniter vociferabatur pr dolore ingente Axillam ſiniſtram occupante. Quocirca Sanguinem è brachio adverſo detraxi ad dolorem mitigandum ex quo Dolor allevabatur. Continuatis autem Remediis *Alexipharmacis* Tumor increvit Buboni non diſſimilis, qui tandem exulceratus Pus copioſum per plurimos dies effundit, quo demum ſanato integram Sanitatem formoſa ac elegans puellula recuperavit. Verum *Domina Bardaniſton* cum ad plures dies malè ſe habuiſſet, & omnem Remediorum uſum neglexiſſet, tandem, poſt *vi.* vel *vii.* dies elapſos *Carcinomate* paulo ſupra pubem corripiebatur, quod ſpatio unius vel alterius diei præ virulentia Veneni per partem affectam excreti *Grangræna* tentabatur. *Alexipharmacis* autem & *Epiſpaſticis* diligenter adhibitis, & auxiliis Chirurgicis peritè applicatis; præter ſpem Adſtantium ab hac Peſte, licet difficulter admodum evaſit, atque poſtea ad tres annos ſuperfuit, à *peſte* (inquam) evaſit, quoniam Venenum Morbi prædicti, Peſtilentialis fermenti malignitatem adæquabat; & ſi quando Venenum iſtiuſmodi Morbilloſum Criſi perfecta per Cuticulam propelli haud poteſt, tanquam Venenum peſtilentiale Glandulas ſponte petit Narium, Faucium, Inguinum &c. eaſque inflammat & exulcerat, nec non Carcinomata, Bubones & Parotidas excitat. Quantum Tonſillas Uvulam; Fauces, Nares, & quamdiu intumuiſſe vidi! quàm turgida nonnunquam Labia! & quam Sordida Scabie obducta & exulcerata ab eadem cauſa animadverti! ut nuperrime Filio Domini *Blaney* accidit, qui poſt efflorescentiam peractam Febre, Comate, & prædicto Symptomate diu affligebatur.

[a] *Febris Scarlatina Symptomatis ditiſſimis & peſtilentialibus comitata.*

CAPUT VI.

De Variolis, earum Subiecto & Stadiis & Differentiis, necnon de Causa Variolarum continente atque procatarctica.

(a) MOrbus, de quo jam sermonem instituimus, est *Febris coniuncta cum Inflammatione, quæ Cutim veram simul ac Cuticulam occupat, cuius Exanthemata pro ratione Veneni morbifici plus minus deleterii*, vel *in unum confluentia, vel sibi invicem cohærentia, vel penitus discreta in superficie Corporis ubique in conspectum veniunt (b)* Subjectum horum Exanthematum esse *Cutim* veram simul ac Cuticulam probari potest primò renitenti Tuberculorum duritie, quæ ab ipsis eorum primordiis tactu percipitur; Cuticula enim utpote tenuissima membranula nequaquam adeò crassescere & acuminari potest. 2. Ex Pustularum Variolosarum maturatione non minùs idem constat, nam liquor ille tenuissimus in Cuticulæ efflorescentiis è vasis suis secernitur, subtilissimus cùm sit, atque sine ope Glandularum separatus, proindeque illi congener, qui in *Rheumatismo* & *Arthritide*, è Nervis & Musculorum Tendinibus scaturit, ejusmodi Maturationis haud capax est. Denique res ὑποψία patet, namque deformes istæ foveæ in Cute sæpiùs excavatæ, inibi durant postquam Cuticula integrè renascatur.

(c) Apprimè autem hic notatu digna censeo quatuor illa *Stadia* quæ Morbus iste solemniter decurrere solet, *Apparatum* sc. Exanthematum, *Eruptionum*, *Maturationem*, atque *Declinationem*, quippe Morbus adeò insignem mutationem in variis hisce Stadiis subit, [præsertim ubi mali moris fuerit] à peculiari Symptomatum in unoquoque Stadio succrescentium caterva: ut difficile admodùm sit, hac distinctione omissa, veram ipsius Morbi Ideam formare, Symptomatum causas eruere, signa Diagnostica vel Prognostica ritè proferre, vel Indicationes Curativas rationi congruentes elicere, & stabilire. Ideòque primò Ætiologiam hujus Morbi generalem indagare, ejusque causam tum continentem tum procatarcticam eruere conabimur, atque intereà rationem discriminis inter malignas Variolas & benignas non præteribimus, Hoc fundamento posito, ut clarius & distinctius futuri sermonis filum pertexamus, quatuor Morbi *Stadia* seriatim, more historico percurremus ut inde cuiquam in Arte Medicinali exercitato fas sit promptam atque facilem cujuscunque Symptomatis rationem reddere, atq; Indolem Morbi variam sive benignam sive malignam, & certum eventum perspicere, simul & Methodum curandi rationalem in unoquoque Morbi Stadio instituere. Quod Pensum eo nomine lubentissimè aggredimur, ut Medicus in quocunque Stadio advocatus fuerit, sciat expeditiùs quo pacto, & quam ob rationem procedendum sit, potissimùm cùm mos, vel ob Ignorantiam vel Avaritiam Vulgi, fere in hoc Morbo ubique prævaluerit, Medicum seriùs advocandi.

[d] Cùm dico *Apparatum*, intelligo Tempus illud omne à primo Morbi insultu usq; ad universalem exanthematum eruptionem incœptam. Universalem, inquam, namq; haud rarò videre est primo ipso Invasionis die Pustulam unam vel alteram in facie, collo, vel manu, quasi eruptionis futuræ prænunciam, quæ cæteras magnitudine & vigore longè superans, inde à Nutricibus & Mulierculis lingua vernacula nuncupari solet, *The Maester Poyk*. Eruptio autem harum Pustularum Sporadicarum haud jure merito pro Critica habenda est, vel Morbus inde censendus secundum suum Stadium iniisse. In *secundo* enim Stadio, Universali exanthematum eruptione in facie, collo & manibus primùm incœpta, atq; dein in trunco & artubus inferioribus continuata, Crisis, pro ratione Morbi plus minùs benigni, completa, vel saltem incompleta perficitur, Symptomata sal-

[a] *Descriptio Variolarum.* [b] *Cutis vera subiectum Variolarum.* (c) *Stadia Morbi quatuor.* [d] *Descriptio stadiorum.*

saltem in genere nervoso suborta, subito vel evanescunt, vel notabiliter diminuntur, præterquam in Variolis summè malignis, quæ Symptomatis omnibus exacerbatis funesta Crisi in hoc Stadio nonnunquam terminantur. *Stadium tertium* est totum illud tempus quod teritur in maturandis *Variolis*, sive concoquendo Sero Venenato Exanthematum in Pus legitimum. A quo tempore demùm incipit *Stadium ultimum*, in quó Pustulis exarescentibus & scabie obductis, Intumescentia Faciei, Manuum & Pedum undiquaque declinat.

(*a*) *Causa Continentis* hujusce Morbi est Venenum activum, atq; in lacessendo procax, intime Spiritibus implicatum, quod prout magis vel minùs deleterium est, eos magis vel minùs pessundat aut lacessit & interturbat, donec tandem Spiritus totis conatibus Hostem per Glandulas Cutaneas, portam à Natura designatam, Critice persequantur atque propellant, [massa humorum à Veneno peculiari modo in hunc finem prædispositа.] Unde fibrillis Porulorum à nisu Spituum contendentium jam constrictis Cruor tubulos præterfluens, inibi quadantenùs stagnare incipit, atque virulentum ac acre suum serum, in hisce partibus deponere; unde partes affectæ primùm inflammantur, & dein corroduntur & exulcerantur. Hæc Mihi videtur esse ratio formalis hujus morbi.

[*b*] Venenum autem hoc vel sensim intus natum est, vel ab extra ex contagione admissum. Prius in actum ducitur à Frigore in Poros Cutis invadente, aliisve quibuscunque Aeris ambientis injuriis; à Crapula vel Cibis δυσπέπτοις, sive à forti hujus morbi Idea in Phantasia impressa, vel à metu, mœrore, aut quocunque alio animi Pathemate graviori quod Spiritus interturbando eorum œconomiam pervertit, & semina morbosa in eorum sinu delitescentia excitat. Alterum vero, quoties hic morbus Epidemius est, confertim cum Aere vel inspirando hauritur, vel Poros cutis ingreditur, & primo momento Spiritus miasmate deleterio inficit.

[*c*] A gradu hujusce Veneni spiritus minus pessundantis & obruentis oritur distinctio illa *Variolarum* apprimè animadvertenda in *benignas* & *malignas*, in unoquoque morbi stadio inter se valde discrepantes; quas à sese invicem certis Criteriis dignoscere, in medicina exercenda multum momenti habet ut eventum morbi prædicat medicus, ut Indicationes curativas eliciat, atque methodum medendi instituat. In primo morbi insultu ubi Venenum intime spiritibus implicatum est, atque proinde tota fere tragædia in genere Nervoso agitur, ut ut Febris sæpiùs speciem plus minus malignam induat, [uti ex *Delirio, Affectu Comatoso, Subsultu Tendinum, Insultibus Epilepticis, prægrandi Lumbagine*, cæterisque id genus Symptomatis constat) pro præsenti tamen Spirituum vel Veneni robore & præpollentia, Morbus *malignus* vel *benignus* appellari debet. Nonnunquam Spiritus ac si letho icti adeo deficiunt, ut vix Hostem adoriri, seu aciem instaurare valeant, ut ex debilitate Pulsus patet. Æger intereà in statu fere ἀνωμάλῳ jacet, unde Natura in proximo morbi Stadio planè succumbit, (*d*) & nullam Crisin eruptione Variolarum tentat (quod admodum rarum est) vel saltem infidam ac imperfectam assequitur, unde Febris vel adhuc superstes (*e*) *Continua* fit, aut saltem tempore Maturationis vel Declinationis funeste [*f*] revirescit. Nonnunquam vero Spiritus potius irritati quam deleti, multo nisu & conamine Hostem petunt, unde Pulsus fortis & Jactatio inquieta; Venenum per sedes, vomitus, imo aliquando per hæmorrhagias, in cassum licet, atque Symptomatice propellitur: [*g*] Modo Spiritus in hac contentione adeo sese expandere valeant ut totum virus e sinu suo prorsus excutiant, Crisis proximo stadio subsecutura sit fida ac perfecta, *Variolæ* erumpunt

[a] *Variolarum Ætiologia.* (b] *Causa procatarctica.* (c) *Differentiæ inter Variolas Causa.* [d] *Vide Histor.* 39. [e] *Vide Histor.* 28. *&c.* [f] *Vide Hist.* 17. *&c.* (g) *Variolæ benignæ.*

magnitudine, colore, & figura regulari eæque mires ac benignæ, quæ ex vigore Spirituum influorum citò crescunt & maturantur, atque demum tempore determinato declinant & exarescunt, sine Febre quacunque recidiva; adeò ut Æger regimine debito adhibito, sine Remediorum suppetiis sponte revalescat, Hujusmodi sunt Variolæ lingua nostra vernacula dictæ (a) *The Chick Ken Pock's* quarum Pustelæ ut ut solito majores, admodum raræ hic illic spargantur, & post molestos Apparatus labores ad biduum vel triduum exantlatos, Veneno criticè & perfectè eliminato, una nocte turgent, & tertio die post citam Maturationem incrustatæ exarescunt, sine Febre, vel alio quovis molesto Symptomate præter Dolorem partium affectarum inflammatorium. Ad has prope accedunt (*Variolæ* quæcunque perfectè *Discretæ*, modo non adsint Petechiæ interspersæ vel alia aliqua Spirituum deletorum indicia cum Pulsu debili conjuncta; (quæ rariùs Me in hac specie Variolarum observasse memini.) Exacto enim triduo Apparatus, (quo spatio Spiritus cum Veneno colluctantes varia dira Symptomata præsertim in genere nervoso producunt) illico secundo Eruptionis die, Veneno Crisi perfecta exterminato sponte exulat Febris, diraque quæcunque Symptomata; nec unquam posthac (adhibito, regimine, & ministratis Opiatis necessariis) vel in Maturatione vel in Declinatione recrudescunt. Ob vigorem etiam Spirituum influorum minimè jam veneno implicatorum, citissimè, idque spatio determinato, scilicet tridui, maturantur exanthemata, atque demum flavescentia sensim scabie laudabili obducta exarescunt. Siquidem lege quasi unumquodque hujus Morbi stadium Natura ubi Veneno delitescente malo regimine non fuerit impedita, spatio tridui emetiri solet; unde Mulierculæ & Nutrices deceptæ, nonum Morbi diem (cujuscunque speciei Variolæ fuerint) pro Critico habent, ac si Æger posteà extrà periculi aleam poneretur. Cum non insolens sit videre, ob vigorem Spirituum veneno implicatorum depressum, Pustularum maturationem [ut ut tempore designato cætera stadia decurrantur] admodum seram, seram nempe ad diem (c) Morbi decimum quartum decimum octavum vel quidem vigesimum protensam. Verum quidem est quod Variolæ [*Discretæ* licet] ubi frequentiores fuerint; & *Cohærentes* utpote quæ prope ad *Confluentes* accedunt, atque inde Naturam quasi mediam participant, non raro animadvertantur (d) *Depressæ*, *Sessiles*, fero Maturatæ, atq; tempore Maturationis ad instar Malignarum & Confluentium Salivatione, atque Febre recrudescente exceptæ ob Crisin in Eruptione minùs perfectè factam, unde virus delitescens potiùs pro tempore retusum quàm penitus deletum post inducias duorum dierum infidas (veluti Febris Intermittens) revirescente atque prælium instaurare solet: Verùm his haud perfectè *Discretas* censeo; atque proinde ad Classem alteram Malignarum & Confluentium, de quibus jam sermonem habituri sumus, referendas duco.

(c) Ubi igitur Spiritus è contra sive à Toxico summè deleterio in primo Morbi Stadio obruantur & fere extinguantur, sive ob siniſtrum aliquod accidens in regimine, vel in primo, vel alio quovis Stadio pessundentur ut inde certamini impares fiant, (quæ Spirituum prostratio maxime à debilitate Pulsus & Febris mansuetudine dignoscenda est) Crisis, quam Natura in 2. stadio aggreditur, veneno ex parte duntaxat profligato, imperfecta & infida sequitur; cujus defectus Symptomata molesta simul ac funesta inde suboriri solita, in sequentibus Morbi stadiis, scilicet Maturatione ac Declinatione magis quàm in prioribus, in conspectum veniunt, licet in hisce ipsis nonnunquam non pauca adsint. Siquidem Spiritus Veneno adhuc sibi intimè commisto irretiti atque fere enecati haud valent

[a] *Vide Histor.* 2. (b) *Vide histor.* 3. 16. 17. (c) *Vide histor.* 49. 53. &c. [d] *Vide* 15. (e) *Variolæ Malignæ.*

valent massam Sanguinis & Humorum (cui lege Naturæ præsunt) dirigere, atque tempore Crisεos intra cancellos debitos cohibere unde confertim ubique una cum Efflorescentia *Scarlatina* cuticulam occupante [*a*) *Confluentes* vel saltem *Cohærentes* erumpunt Variolæ Malum sane Omnem, atque funesti eventus ut plurimum præsagiunt; eo pejus autem, si in Variolarum interstitiis, vel in ipsarum apicibus *(b)* Petechię, vesiculę aqueæ, maculę purpureę, prę sertim si nigra in cuticula efflorescant; exinde enim de gradu Vereni intus latentis intenso, atq; indole febris Maligna ritè conjicere fas est, quæ quidem jam petechialis, vel purpurata, jure merito audit, vel pestis ipsius Naturam sapit, atque mortem præ foribus in procinctu denunciat. *(c)* Equidem nonnullos Petechiis & eruptione Miliari notatos, ubi Variolæ fuerant Discretæ, Eruptionis 2. vel 3. die inexpectato delirantes, stupore profundo obrutos, vel Spasmis & Lipothymis confectos derepente è vivis sublato memini. [*d*] Ubi vero *Maculas nigras* Spirituum planè deletorum & extinctorum uncias, in Cuticula sparsas conspexerim, compagem Sanguinis adeò solutam, atque ob defectum spirituum regentium mortificatam, & in fluorem conversam observavi. *(e)* ut Exanthemata extra Cutim nusquam propelli potuerint [verùm instar punctorum nutricantium profunde delituerint dum Cuticula intensa rubedine tincta, atque cutis ipsa quasi erysipelate affecta, ubique æqualiter intumuerit, unde Æger ichorem serosum, lintea viridi colore inficientem, è Naribus; Pulmone, Utero renibus. Intestinis, Ventriculo, imò & singulis Dentium alveolis profuderit, demum citius vel serius, semper autem in primo vel secundo Morbi stadio, scilicet ante Maturationem incœptam, Deliriis, Comate atque cæteris istiusmodi vacillantium Spirituum Symptomatis confectus purpuream animam efflaverit; Neque unquam aliqualem hoc modo laborantem (uno excepto) quacunque methodo, quocunque consilio optimorum & expertissimorum Collegarum usus fuerim, evasisse memini. Indeque hanc Speciem Variolarum semper pro peste maximè exitiali, ac quasi morte incœpta, habere soleo.

Licet autem Venenum non in gradum adeo intensum evehatur, nec Symptomata istiusmodi funesta sese in conspectum dent, tamen Variolæ *confluentes* & *cohærentes* pro ratione ac gradu suæ malignitatis, dubium eventum in ultimo morbi stadio semper denunciant: Virulentia enim intus retenta quæ Spiritus debilitando, & imperio in humores quo lege naturæ pollent, spoliando, ansam primam præbuit festinanti huic & præproperæ Variolarum *confluentium* vel *cohærentium* eruptioni in 2. Morbi stadio; non potest non insuper œconomiam spirituum interturbare, atque inde in stadiis reliquis febrilem luctam de novo instaurare, & novas spiritibus molestias perpetim creare. Ea enim est Natura Principii Vitæ, seu Spirituum animalium, ut quamdiu ab hoste lacessantur, non possint non luctari, atque nisu virium, quæ supersunt maximo, adversus illum contendere. Indeque fit quod febris, quæ saltem 2. Eruptionis *Variolarum Benignarum* & Discretarum die, veneno irritante jam prorsus eliminato, unà cum Deliriis, Vigiliis, cæterisque Spirituum lacessitorum Symptomatis exulare solet, in *confluentibus* & *Malignis*, ipsissimis iisdem Symptomatis, vel forsan auctis & gravioribus comitata, *(f)* per reliqua stadia protendatur. Aut si forte ob miasma non adeo intensum spiritibus communicatum 2. Crisεos die, totis conatibus sese quantum potuerant maximè expanderint, Febris quadantenus mitescere & cicurari incipiat; nihilominus post inducias infidas primo Maturationis die, prælio recens instaurato, tanquam febris [*g*] *Synochis* revirescit, atque in dies aucta, nisi Artis suppetiis prę-

venia-

[a] *Vide histor.* 14. 36. 37. 38. *&c.* (b] *Vide histor.* 27. *&c.* [c] *Vide histor.* 26. (d) *Vide histor.* 37. 38. 39. 40. (e] *Vide histor* 44. [f] *Vide histor.* 28. 71 18. 15 *&c.* [g) *Vide histor.* 19. 20. 21 22. *&c.*

veniatur, demùm instanti Declinatione cum Symptomatis funestissimis sociata Ægrotantem è vivis tollit.

(a) *Exanthemata* etiam, ubi in maligno statu vel simul confluant, vel cohæreant (ac si Morbus penitus diversus à *Variolis* benignis foret) à Pustulis *Discretis* in singulis stadiis valdè distant. Primo enim Eruptionis die ob inordinatum Spirituum vacillantium nisum, qui jam Humores certo regimine moderari nequeunt, (b) Pori Glandularum cutanearum ubique & confertim constringuntur, atque ab effrænata & venenata colluvie inibi secreta, sine delectu vel ordine quovis, ac si a plaga Urticæ exasperantur; unde pustulæ fere ut in *Morbillis* formam incertam obtinet, ac distinctæ in unum cofluunt, aut saltem simul cohærent. Secundo vero aut tertio die ob exitialem eorundem Spirituum influorum Languorem Tuberculi recens nati neque bases suas sensim dilatant, neque acuminantur in summitate, verum ut ut numero augeantur *Sessiles*, *depressi*, & sine vivido colore, Semineces & quadantenus luridi vel ad Livorem vergentes manent.

Primo autem Maturationis die, [quo tempore lege Naturæ serum venenatum in tuberculis secretum turgescere incipit, & cuticulam à Cute vera separare, unde apices variolarum utpote Lympha referti derepente acuminari & abescere solent) Apices inquam dicti secretrice glandularum facultate ob spirituum venenatorum languorem jam plurimum deficiente, liquore planè destituti ad instar Squamarum prorsus (c) asperi & aridi reddunter, vel Lympha parcius ministrata in medio depressæ subsidunt. Bases autem *Exantematum* colorem luridum quadantenus livideſcentem quasi strangulatæ referunt, pessimum sanè omnen, atque mortis instantis prænuncium, si non per glandulas *faucium* & *renum* petantiores aut aliam portam convenientem Spiritus Arte vel Natura expansi pestiferum hoc Venenum eliminare moliantur, cui foras amando constrictæ Glandularum cutanearum semimortuarum portulæ minimè sufficiunt. Ab eodem Spirituum venenatorum languore procedit sera admodum *pustularum* in sequentibus hujus stadii diebus *Maturatio*, & hoc stadium, quod lege Naturę tribus diebus sicut præcedens Stadium (ubi Spiritus influxi Veneno prorsus evicto nativo vigore pollent) absolvitur, (d) sæpius ad decimum quartum, decimum septimum, imò vigesimum usque diem protenditur priusquam serum in tuberculis secretum concoqui, & in pus laudabile converti queat. Adeo difficile est hujus Stadii terminum in malignis & Confluentibus Variolis præstituere; Natura siquidem libera ac integra plus unius vel alterius diei cuticulo, quam languida & oppressa viginti diebus efficit, indeq; sæpius videre est *Confluentes* & *Cohærentes* istas Variolas quæ per hebdomadum unam vel alteram flaccidæ, atque sero limpido semiplenæ fuerant, Ægrotante interim molesto *ptyalismo*, atque febre, Deliriis, Vigiliis, cæterisque Spirituum cum Veneno colluctantium symptomatis pene confecto) cùm primùm Venenum per glandulas salivales, vel aliam portam vicariam exterminetur, & Febris, spiritibus non amplius lacessitis, sponte exulet, spatio uniùs noctis, licet decimo quarto vel decimo septimo Morbi die, in partibus extremis ubi prius non exaruerant, prorsus turgidas, acuminatas atque pure laudabili refertas.

Ubi autem in secundo morbi stadio spiritus à prædominante Veneno ita deprimantur, ut in Natura hostem per regiam viam, scil. poros glandularum cutanearum propulsare haud poris fit, necesse est totam Machinam spasmis confectam, acsi venenatam illicò corruere, nisi ab arte vel natura aliunde suppetię ferantur; Ideoq; ad presens fatum averruncandam natura ejus eliminationē per portas patentiores; sc. Glandulas *Intestinorum* vel *faucium* vel *Renum* incunctanter moliri solet. (e) Prior conatus per Alvum est fere semper Sym-

(a) *Variolarum malignarum exanthemata.* (b) *Vide hist.* 36.37.38.39.40. (c) *Vide hist.* 18. 36.37.38.39.40. &c. (d) *Vide hist.* 49. 53. &c. (e) *Vide hist.* 50.

Symptomaticus, atq; languentis & corruentis Naturæ indicium, vires veneni auget, & fatum accelerat; secundo verò modò tanquam Tabula post naufragium, Natura haud rarò cunctando restituit rem, diutino sc. & molesto *Ptyalismo*, qui licet sub finem prioris stadii nonnunquam invadat, usitatò autem incipit, primo Maturationis die, cum molesta deglutitione gutturis, dolore, cæterisq; id genus Symptomatis sociatus, à quo tempore Glandulæ cutaneæ officio suo desunt: modo vires Spirituum pares fuerint huic officio fungendo, & *Salivatio* satis copiosa procedat, atq; per totum Maturationis stadium protendatur, quo usq; sc. hac via vicaria Venenum penitùs ejiciatur, res est in vado. Æger, ut ut molestis Salivationis Symptomatis vexatus, fere ἀπροπὲτος jacet, atq; præsens Vitæ discrimen Crisi licet tarda & succedanea effugit, quomodocunq; Variolæ intereà sese habeant. (a) Si vero ex languore Spiritum huic muneri obeundo imparium, id Veneni quo supereſt Salivatione copiosa non satis propulsetur, pari passu Æger febricitat; Si ob siniſtrum aliquod accidens, uti *hæmorrhagiam*, *Frigus* in poros invadens, vel quodcunq; aliud hujusmodi, quod spiritus pessundet, derepentè ante Maturationem perfectam, sc. priusquam totum virus protrusum fuerit, Salivatio sistatur, illico exanthematis præmaturè & inopinato exarescentibus, Febris pro gradu veneni adhuc superstitis plus minus deleterio, magis minùsve maligna exoritur, quæ ut ut prima invasione *Synochis* fuerit, citissime in *Synochon* malignam & fatalem degenerat, Spasmis, Deliriis, subsultibus Tendinum, cæterisque id genus Symptomatis funestis exitialibus comitatam.

(b) Huic *Salivationi* nimis properè declinanti succedaneum non raro animadverti *Profluvium Urinæ* limpidæ copiosum & fere Diabeticum, cujus eventus secundissimus fuit, atq; Venenum quod supererat per Renum Glandulas propellebatur quod è Glandulis faucium ampliùs excerni non potuit; Cataractis enim hisce referatis, illico Febris, Anhelitus, Pectoris angustiæ, Deliria, cæteraque funesta Symptomata mirum in modum derepentè sublevabantur, & exanthemata ipsa reduce quasi spiritu animata vigebant quadantenus & turgescebant, ac in Pus convertebantur, atque si *Salivatio* ipsa non omnino ante justum tempus defecisset. Insuper hoc *Urinæ Profluvium* Salivatione post unum vel alterum diem redeunte non raro excipi solet, & quidem generaliter loquendo, *Copia Urinæ* in omni hujus Morbi stadio benè præsagit, ejusque *Suppressio* aut frequens & inanis micturitio malè, ut jam diu Medicis innotuit; unde mihi persuasum est hasce Renum Glandulas Salivalibus in hoc Veneno exterminando opitulari, uti Salivales nonnunquam esse vicarias Glandularum cutanearum ante observavimus.

Ubi vero Salivationis ante Maturationem Variolarum completam præmaturè declinantis (glandulosis faciei partibus ubique derepente detumescentibus) nulla alia succedanea Lymphæ venenatæ excretione, defectus suppleatur, provida Natura præsens machinæ tutamen molitur amandando *supereſt* inimici seri in partes quascunq; Corporis extremas, manus sc. pedes, vel scrotum, & (d) præputium ipsum, inibiq; cum bonis avibus deponit congeritque [Variolis interim ex hoc Naturæ conatu matureſcentibus, atque Febre declinante, ac si Salivatio ad debitum tempus supereſtes duraſſet) ut ut hasce partes inde in adeo immensam molem ultra tonum nonnunquam inde distentas viderim, ut metus jure merito mihi incuteretur, nè mortificatio ex subita flammæ vitalis extinctione in partibus intumescentibus mox sequeretur, licet nusquam aliquid hujusmodi hactenus evenisse memini.

Verisimum quidem est me semel [e] Virginem nobilem *Variolibus cohærentibus* undiq; obsessam vidisse, quæ persistente adhuc Salivatione copiosa Variolis interim haud satis maturatis, vel in facie ipsa Scabie obductis, ob Venenum inexhaustum intus delitescens, sine Febre

[a] *Vide hiſtor.* 57. 58. (b) *Profluvium urinæ Salivationi ſuccedaneum.* (c) *Vide hiſtor.* 33. 34. 35. [d] *Vide hiſtor.* 56. [e] *Vide hiſtor.* 53.

bre obſervabili, viceſimo primo Morbi die media Salivatione, fatis cedere coacta fuit; cujus Accidentis in trigin ta annorum praxi nullum aliud ſimile unquam obſervavi.

Neque in ipſo ultimo Variolarum confluentium & cohærentium ſtadio deſunt deliteſcentis Veneni indicia ac Symptomata; imo jam ea quæ ſæpiſſime in gradum funeſtiſſimum evehuntur, unde ii ex certis Morbi ſtadiis ægre admodum evaferant, ſæpiùs derepente ac inopinato confecti ſupremum claudunt diem, cæterique qui artis ope ſuperſtites non niſi multis, iiſque moleſtis ſymptomatis male mulctati, ex Orci faucibus eripiuntur. Atq; horum omnium Symptomatum ratio clara ac evidens à languore Spirituum adhuc Veneno irretitorum jam ſæpius memorato ſolummodo petendam eſt. Siquidem ubi Natura (ſpiritibus à veneno ſuperante jam deletis & fere enecatis) evicta, non amplius par Hoſti eliminando plane ſuccumbat & manus det, exanthemata acri humoris ſecreti virulentia irritata, moleſto pruritu ſtimulantur, & ubique ac confertim (a) *Scabie nigra* quaſi ſphacelo viſu horrendo obducuntur, quæ incruſtata ac rimoſa à Cute turpiter ſanie fœdata decidit; unde Scabies partibus affectis, præſertim faciei recens obducta iterum iterumque revireſcit, Ptyaliſmus etiam illico ſubſiſtit, (Oculis, qui jamdiu occluſi fuerunt, demùm à repentina faciei detumeſcentia quam neq; Profluvium Urinæ, vel intumeſcentia extremorum Artuum excipit, ſponte apertis) unde Æger à reliquiis phlegmatis glutinoſi Bronchiis impacti, atq; lympha recens miniſtrata non ut prius in fluorem adacti ſtrangulatus, brevi anhelo ſus perit: A veneno autem in deleterium ac peſtiferum gradum jam provecto ac intus occluſo recidiva inde ſuboritur Febris, eaq; continua, mali moris ac fatalis, Deliriis, Vigiliis, Subſultibus Tendinum cæterorumq; exitialium & funeſtiſſimorum Symptomatum ſatellitio ſtipata, à qua miſellus & attritus Æger vix aut ne vix, idq; non ſine ſequentib. *Veſicatoriis Alexipharmaci*, *Opiatis*, cæteriſq; Artis ſuppetiis uſquam liberatur, neq; in *Variolis benignis* ubi venenum penitus ab initio extruſum fuerit, cibum appetit, ſed Febricula ex reliquiis Veneni deliteſcentibus quaſi hectica detentus, adhuc ſitit, & appetitu privatur, diutiùs ſæpiſſime languet, quouſq; ſc. Venenum tandem aliquando per (b) *Furunculos* frequentes in extremis digitis, & toto Corporis habitu ſubortos eliminetur, unde Febris in *Synechi* benignam mutata facile ac brevi vires *Corticis peruv.* victrices agnoſcit. Ubi vero Exanthemata ab initio effœta & arida, paxillum tantum Veneni eliminare potuerint, neque iſte defectus à provida Natura Ptyaliſmo, Profluvio Urinæ, vel intumeſcentia extremorum ſuppletus fuerit ut ut Æger multa artis ope, *Veſicatoriis*, *Alexipharmacis* & *Opiatis* ſuſtentatus ſingula hujus Morbi ſtadia decurrerit; Venenum prorſus incluſum adeò ſenſim incrementum ſumſit, ut inde *Febricula hectica* ſub finem 4. ſtadii accenſa ac diutiùs continuata, ac demùm (c) *Sphacelatione* oſſium Cervicis, Maxillæ Humerorum & Tibiarum triceſimo vel quadrageſimo Morbi die miſerum in modum confectus e vivis tolleretur, quod bis vel ter me vidiſſe memini.

Qui autem in hac maligna variolarum ſpecie venenum Morbificum *Salivatione*; *Urinæ profluvio*, vel quocunque alio modo partim excluſerunt, tamen hoc ultimum Morbi ſtadium vix, aut ne vix abſq; ſummis anguſtiis moleſtiſſimiſq; Symptomatis tranſigunt. A veneno nempe quod adhuc ſupereſt Spiritos irritati non poſſunt non luctari, unde (d) Febris recidiva accenditur Benigna licet, quæ more *Synecheos* quotidie exacerbatur & remitttit periodice donec Arte vel Natura ſeminium venenatum penitus exterminatum fuerit. Atque (e) unuſquiſq; hujus Febris ut ut mitis ac benignæ Paroxyſmus, ubi vires priora Morbi ſtadia decur-

(a) *Vide Hiſtor.* 61. 21. (b) *Vide Hiſtor.* 27. 28. 63. (c) *Vide hiſtor.* 59. 60. 61. 62. (d) *Vide hiſtor.* 22. &c. (e) *Vide hiſtor.* 24.

decurrendo fractæ fuerint ac depressæ, Deliriis, vigiliis, cæterisq; ejusmodi diris Symptomatis non rarò comitatus est, unde quam citissimè, sc. post unam vel alteram exacerbationem in *Synechon* malignam ac funestam degenerare solet, unde de vita Ægrotantis jam penè conclamatum est. Natura autem interea; sc. dum Febris *Synecheos* typum servet, quippe quadantenùs victrix & superior; vel jam non definit pro modulo virium quæ supersunt per glandulas salivales vel quidem per Exanthemata ipsa incrustata licet ac Scabie obducta, seu quamcunq; aliam portam patentiorem hostem à tergo prosequi; unde Æger miserè attritus (*a*) ærumnosa Salivatione & Scabie ulcerosa diutiùs mulctatur, atque inde hoc Morbi stadium quod tribus in *Variolis Benignis* decurri solet, non raro, ubi tandem ex morbo Æger evadit, per hebdomadam unam vel alteram protenditur, si Naturæ reliquias Veneni expellēti Antidoto aliqua copiosè ministrata opem nō ferat Medicus. Eò molestior autem jam & ærumnosior est hæc Salivatio recidiva, ob vires priùs attritas, nec non quia vigore Veneni æquè ac Spirituum deficiente, Lympha non adeò copiosè per Glandulas Salivales excreta, tenacem quandam glutinositatem acquirit, unde difficiliùs excernitur, atq; viribus ad profundam expectorationem haud sufficientibus, Æger fere omni momento suffocationis discrimen subit. *Scabies* etiam qua jam Exanthemata obducuntur, quæ in *Variolis Benignis* primo Declinationis die flavescit, secundo penitùs exarescit, & proinde tertio, ferè Squammarum ad instar decidit, jam ex humore venenato subnigra redditur, eoque quasi ex (*b*) perenni fonte in dies ministrato, & spiritus debilitante seriùs concocta diutiùs hæret atq; iterum iterumq; quotidiè renascitur, pure acri & venenato intùs concluso intereà Cutim veram erodente, atq; foveas aspectu turpes ubiq; fulcant; atque hæc Scabies quo diutiùs adhæreat, vel sæpiùs renovetur, eò Cutim magis deformem reddit. Cuticulæ autem elegantem nitorem fortè non minus de formatenuis illa & venenata colluvies, quæ à scabie decidua teneras admodum & raras Exanthematum partes continuò pervadens, sub ultimi stadii finem, hanc Membranam sensim arrodit, Glutinis instar lentore quodam Cuticulam oblinens qui in porriginem furfuraceam sive tenuem scabiem concrescens partes turpiter admodum fœdat, & hi furfures (*c*) renasci non desinunt donec virulentia è Spirituum sinu penitus excussa, Massa humorum benigna & leni sua temperie iterum reduce potita fuerit. *Hydropicos & œdematosos artuum tumores, Ophthalmias, Scrophulas, Tusses pertinaces, Phthises Pulmonares, Deliria melancholica*, cum aliis Morbosis affectibus, Variolas malignas à tergo excipere solitis, enumerare nunc non est locus.

Ratio tantæ diversitatis inter differentes Malignitatis gradus in hoc morbo, (quantum ego Vel conjectura vel observatione assequi possum) petenda est à vi Spirituum animalium expansiva plus minùs deleta aut obruta, sive ob innatam debilitatem primo ictu hæc vis ex improviso pessundetur; sive ex Pathematis animi gravioribus malo regimine, aut sinistro aliquo accidente in quocunque stadio, præsertim verò instante Crisi deprimatur. [*d*] Priori de Causa Morbus iste nonnullis Familiis ipsa Peste non minus exitialis est.

(*e*) Ubi verò ex sinistro aliquo Accidente Venenum hancce indolem acquirat, ut plurimùm non adeò præceps exitium imminet, ut ut enim Deliquia frequentia, & Pulsus debilis primum Morbi stadium comitantia, exanthemata confluentia vel cohærentia in secundo, atq; eorum Depressio; Color subluridus, & sera Maturatio in Tertio, Spirituum languentium & Veneni deleterii indicia haud obscura in toto morbi cursu sese exhibeant, rariùs tamen priusquam ultimum Morbi stadium attigerit, Æger supremū claudit diem. *Petechiæ* etiam seu Ma-

cu-

(a) *Vide* 35. 63. [b] *Vide Histor.* 64. *&c.*
[c] *Vide Histor.* 64. *&c.* (d) *Vide Histor.* 53.
(e) *Variolæ Malignæ ex accidenti.*

culæ purpureæ)si quæ sint)sive quæcunq; alia funesta signa quæ Mortem præ foribus esse denunciant, vix unquam (a)decimum Morbi diem, seu Maturationem mediam antevertunt. Maculas autem nigras haud usquam nisi in primo vel secundo Morbi stadio subortas memini. Quid? quod virulentia hæcce accidentalis rarò vel nunquam primariam ac nativam vi sua deleteria adæquat, sed sensim in gradum istum exitialem evehitur; nonnunquam etiam in tertio aut ultimo Morbi stadio primùm animadvertatur.

Accidentia, quæ spiritus pessundando Venenum in gradum adeò exitialem evehunt, sunt præsertim *pathemata* Animi, vel *Errores in Regimine*; Ad priorem censum refero *Tristitiam*, (b] *Metum*, *Anxietatem*, *Intentam Cogitationem*, *Sollicitum Amorem*, *Iram*, & alia pathemata graviora quæ spiritus deprimunt, delent aut diminuunt, quo minùs hosti adoriendo pares sint; aut saltem eos interturbant ac agitant & [præsertim si Criseos tempore iste tumultus contigerit) vigilias pertinaces accersant, adeò ut humores nullatenus in ordinem redigi queant; sed Exanthemata ubique posteà confertim protrudantur. At illis tumultibus Paregoricorum ope cohibitis, sæpiùs Variolas irregulares in ordinem Discretarum spatio unius noctis redactas novi.

Atque hinc proculdubiò Infantes, κατ' ἐξοχὴν, nimirùm, rariùs quam Adulti forte Variolarum confluentium & malignarum admodùm dura plectuntur. E contrà verò Studiosi, intentè Cogitabundi, Meticulosi, Tristitia depressi, anxii & solliciti Amatores, sæpè pertinaciter vigiles & deliri in ipsis Variolis Discretis supremum oppetunt diem, & in confluentibus, & cohærentibus duriùs tractantur, & ægrè admodùm evadunt; Adeo, ut, si mihi optio daretur; nunquam hujusmodi Ægrotantibus medicinam facerem.

Accidentia autem, quæ in Regmine contingunt, sunt quæcunque spiritus nativa sua ac miti temperie orbant, eos supra modum agitando, calefaciendo, vel refrigerando. Spiritus enim animales calore ac motu moderato gaudent, & quo propiùs ad naturalem temperiem accedunt (quantum ratio morbi patitur) minùs ægrotant, atq; ad justam normam sese magis expandentes, humores faciliùs compescunt & moderantur, cæterisque muniis ad se pertinentibus feliciùs & magis strenuè funguntur. Ideòque quocunque modo Spiritus in quocunque Morbi stadio vel (c) paulo ante primum insuitum, præsertim instante Crisi interturbentur, in efferatos motus adigantur, vel justa ac debita elasticitate privati deprimantur Venenum non potest non in gradum exitialem evehi, cujus erroris Æger in subsequentibus stadiis per totum Morbi cursum seras solet pœnas dare, ærumnosà & protensa admodum symptomatum strage; vel vitæ ipsius dulcissimæ dispendio. Ad hanc Classem refero, *Ingluviem* paulò ante primum morbi insultum commissam, unde spiritus sarcina Chyli crudi in Ventriculo congesti non possunt non opprimi, atque Nausea & Vomitione perpetua lacessi & fatigari; *Exercitia etiam vehementia*, quæ Orgasmum in spiritibus ciendo iis multum officiunt: *Medicamenta* etiam *Calida* copiosè & sine necessitate præsertim instante Crisi propinata, & *Stragula* à Mulierculis & Nutricibus Ægro febricitanti ad sudores copiosos eliciendos perperam ingesta. E contrà verò *Frigus* in poros cutis durante Apparatu, præsertim instante Crisi, vel postea sæpiùs admissum; *Venæ-sectio* officiosè ac sine evidenti causa celebrata; ante omnia verò *Cathartica* paulò ante Crisin exhibita, vel nonnunquam *Emetica* & *Opiata* Spiritus delendo aut fatigando Venenum in pestiferum gradum mirum in modum evehunt. Atque benè novi quosdam post Crapulam, Ebrietatem, Itinera, vel Exercitia alia vehementia, hoc Morbo correptos, qui ab Oeconomia Spirituum interturbata, ac Crasi hu-

(a] *Vide Histor.* 52. 45. &c. (b) *Vide Histor.* 7. 45.
(c) *Vide Histor.* 21. 22. 41. 45. 46. 31. 4. 5. 6.

ſi humorum inde everſa ac penitus ſoluta primo vel ſecundo Apparatus die, loco Variolarum regularium, præpropera Efflorescentia Scarlatina in Cute ac ſi Urticæ plaga exaſperata, & Maculis nigris interſperſis ubique notati purpuream animam Hæmorrhagia per nares, Uterum, Renes, Inteſtina, derepente ſuborta ſub initium Maturationis efflarunt; Natura ut ut incaſſum *Intumeſcentia* faciei, & *Ptyaliſmo* ſuccedaneo aliquali, tentante defectum Eruptionis ſupplere. Alios verò qui frigido Aeri ſeſe diutius expoſuerunt atque Variolatum Eruptione perperam ad ſextum vel ſeptimum uſque diem diſtulerunt, unde Veneno intus diutius concluſo & in dies in gradum magis magiſque deleterium evecto, ſpiritibuſque inde fere deletis & enecatis, hujus erroris ſeras pœnas luerunt *confluenti vel coherenti* ut ut ſera exanthematum eruptione, quæ ab initio livida quaſi & ſemimortua nunquam maturari potuerunt, 4. autem vel 5. Eruptionis die Maculis *Purpureis* vel *petechiis* interſperſa, diſtinguebantur, quæ ſupremum diem non longè abeſſe denunciarunt; Nullo autem tempore hujuſmodi errorum eventum magis funeſtum obſervavi quam Criſi inſtante, ſpiritus enim jam hoſtem aggreſſuri ſi vel cathartico miniſtrato, vel Phlebotomia ſive evidenti cauſa celebrata, frigore in Poros Cutis admiſſo, vel quovis alio infortunio ex improviſo diſſipentur aut debilitentur, vel medicamentis calidis exhibitis, & multis ſtragulis Ægrotanti perperam injectis præter modum agitati excandeſcant, non poſſunt non cauſa cadere, atque proinde nullam, vel ſaltem imperfectam Criſin efficere, à veneno verò in gradum planè exitialem evecto deleti, efflorescentia fere plana & æquali (cui maculæ nigri vel purpureę interſperguntur) Hæmorrhagiæ funeſtæ mox ſubſecuturæ prænuncia, indicia imperii ſui penitus abdicati, craſeos Humorum everſæ, atque mortis appropinquantis haud obſcura exhibent. Ubi verò mitius agitur, Exanthemata erumpunt ſine ordine, *Confluentia*, ſcil. vel *Coherentia*, aut ſi forte fortuitò *diſcreta*, adeo languent, ut ſero admodum vel baſes ſuas ampliet, aut apices tollunt, ſerius autem ſi unquam matureſcant & veneno adhuc ſpiritibus implicato febre continua vel ſaltem continenti Æger demum confectus ſupremum claudit diem, vel non ſine ſalivatione aliiſque ærumnoſis & moleſtis ſymptomatis evadit. Ætiologia hujuſque Morbi à Veneno plus minus deleterio ſpiritus implicato hoc pacto demonſtrata, atque Theoria Variolarum generale ſtabilita *Apparatum* ſeu primo morbi ſtadium plenius tractandum me accingo.

CAPUT VII.

De ratione Simptomatum in primo ſtadio contingentium, de varietate Fermenti & Febris inde ortæ, de ſignis Præſagientibus, Diagnoſticis, nec non de Indicationibus curativis, & Methodo medendi Variolis durante Apparatu.

(a) PRimo hujuſce Morbi momento, quamprimum ſc. ſpiritus venenato miaſmate contaminentur, tota corporis machina derepente *Algore* perfunditur; donec *Horrore*, *Rigore*, *Oſpitatione*, *pandiculatione*, *Vertigine*, cæteriſque id genus Symptomatis primo huius ac aliarum Febrium inſultui communibus, ſpiritus niſus ſui atq; expanſionis inceptæ ſignum dent. Ab hac autem eorum expanſione ſic inchoata Calor febrilis in maſſa ſanguinis accenditur, qui cum *Siti* inexplebili conjungitur; *dolor* ingens Caput ac Lumbos occupat, fibrillis Meningum ſcil. ac Propaginum ſpinalis Medulæ mirum in modum à Spirituum exploſione contortis ac diſtentis, nec non totum corpus eadem de cauſa *Iactatione* inquieta agitatur. Veneno autem inde è gremio Spirituum in purpuream maſſam quadantenus eliminato Humores illico inficiuntur, ac Fermenta quæque tanquam à Toxico præter natu-

[a] *Symptomata primum morbi inſultum comitantia.*

naturam multifariam alterantur; quare mirabile non est si *Ægritudo universalis*, *nausea continua*, *Vomitio immanis*, *Dejectiones frequentes* & reliquæ hujusmodi Symptomaticæ humorum evacuationes inde producantur, Natura per Glandulas qua datur via, hostis infestissimi exterminationem incunctanter moliente. Adde, quòd pro ratione Veneni spiritus plus minùs opprimentis Æger magis minusve *Stupore Comatoso* affectus vix oculos nonnunquam tollere vel lumen aspicere potis est; ex adverso autem cùm spiritus lacessantur & irrirentur, pro ratione nisus quo hostem in certamine adoriuntur, perpetuò inquieti & in feratos motus adacti *Vigilias pertinaces*, *Deliria Phrenetica*, *subsultibus Tendinum*, aliaque id genus dira Symptomata in genere Nervoso (quæ in nulla alia Febre nisi in *Morbillosa* & *Scarlatina* quantum ego scio nisi sub finem Morbi idque paulò ante funestum diem suboriri solent] in hoc primo stadio efficiunt. Eamque Symptomata pro ratione Spirituum magis minusve acriter contundentium in dies augentur, unde sub finem hujus stadii; paulò ante Crisin non raro Ægrotans (præsertim si fuerit Infans teneræ texture) tanquam in articulo Mortis diris (a) *Spasmis* & *Insultibus Epilepticis* visu horrendis corripitur & mirum in modum diu male mulctatur. Insuper *Tussis ferina & suffocativa*, *Sternutatio importuna*, *Vox rauca vel clangosa*, *Gutturis dolor*, *Intumescentia Tonsillarum molesta*, & alia Colliquationis Symptomata pro ratione varia Glandularum diversam per quas Lympham colliquatam excerni contingit, in hoc Stadio istum Morbum, quoties tempestate hyemali vel saltem frigidiori invaserit, haud raro comitantur. *Pulsus celer* redditur ob febrem præsentem, ac *fortis & magnus* in uno Ægrotante, in altero autem *parvus & debilis* pro ratione Veneni magis minusve deleterii. Pariter ob eandem rationem Calor Febrilis varius ac diversus admodum observatur in diversis Ægrotantibus, in uno scil. *acris* & fervidus, in altero *mitis* & blandus. *Urinæ* etiam *Color* non minùs incertus est, sæpiùs scil. rubedine tincta & contentis saturata, nonnunquam clara, tenuis & straminea, qualis in febre Maligna & Affectibus Nervosis reperitur. Denique attentè intuenti in hoc stadio, & nonnunquam primo ejus die, una vel altera *pustula*, morbi futuri prænuncia, sese in conspectum dat; aliquando paulò ante Variolarum eruptionem (licet oppido raro] (b] *Vesicula aqua*, *Petechiæ*, vel maculæ *Purpureæ*, aut *nigræ* in collo vel pectore efflorescentes indolem Morbi intensissimè esse Malignam produnt, ut ante innuimus.

(c) Unde fas est concludere Venenum hocce, quidquid sit, naturaliter esse colliquativum, & in lacessendo procax [quod etiam de febris Scarlatinæ & Morbillosę fermento prius observavimus) colliquativum, inquam, quia humores fundit prę-ter naturam ac in fluorem adigit, ut patet ex *ptyalismo*, *profluvio urinę*, *Intumescentia Capitis & Artuum*, frequentium pustularum eruptione, & in stadiis sequentibus Maturatione, Sudore copioso, Tussi & Sternutatione frequenti, Vomitione, Dejectionibus copiosis & Symptomatis similibus Morbum hunc in primo stadio comitari solitis; procax autem in lacessendo dico, quia spiritus illicò in motus adeò efferatos adigit, ut febris inde orta peracuta reddatur, more paroxysmi Febris intermittentis vel remittętis diutius protensi, accersitis dirissimis Symptomatis, cum pernicitate quadam varia sua stadia peragret. Concludendum etiam est, pro ratione Veneni Morbifici magis minusve exitalis, febrem hanc variam admodum indolem sortiri; Namq; revera pestis ipsius virulentiam æquare vel superare nonnunquam observatur aliquando autem Remittentis vel Intermittentis mitissimæ typum servare; aliquando mediam quandam naturam obtinere, quod apprimè animadvertendum duco in toto morbi cursu, quia variis hujusce morbi speciebus eadem methodo medicinam facere,

(a) *Vide histor.* 12. 39. &c. [b] *Vide histor.* 30. 31. 40. (c] *Indoles fermenti Variolosi in genere.*

facere, non minùs consentaneum rationi mihi videtur, quàm Pesti exitiosissimæ & Scabiei vulgari una, & eadem Methodo mederi, quia in differentibus hujus morbi speciebus, Symptomata, signa Prognostica; & Diagnostica ac Curativæ Indicationes adeò toto cœlo differunt, ut necessariò Medicus indole præsentis Febris non attentè animadversa, dubius & anxius, absque certa aliqua Cynosura in Indicationibus eliciendis hæreat, atque in eventu prædicendo & Methodo medendi adhibenda non minùs cespitet & hallucinetur.

De diversis igitur Veneni gradibus, & varia hujus Febris indole, prout spiritus Venenum superant, vel à Veneno superantur, præcedens Caput consulatur; est autem alia species hujus morbi, in qua vires Spirituum & Veneni aggredientis sunt fere pares, unde diu, durante scil. *Apparatu*; dubio Marte dimicatur, & universa symptomata hoc Morbi stadium comitari solita supra modum exacerbantur, *Algor* nimirùm & *Coma* gravativum à vi Veneni Spiritus opprimente suborta intensius urgent & diutius protrahuntur, *Rigor* autem, & Horror ab impetu Spirituum colluctantium fortiori evidentiùs sese produnt, *Jactatio* enim redditur magis inquieta, *Vigiliæ* & *Deliria* adsunt magis pertinacia, *Nausea*, *Vomitio*, *Ægritudo*, *Sudor Colliquativus*, *Fluxus Alvi* vehementius urgent, *Ardor Febrilis*, *Lumbago*, *Dolor Capitis & Artuum* à nisu vehementi Spirituum sese expandere & extricare contendentium adeò læviunt, ut non rarò paulò ante Crisin Hæmorrhagiæ profusissimæ per Nares, Uterum vel Pulmonem erumpat; Tendines musculorum motibus convulsivis agitati subsilire, & tota machina spasmis contorta convelli animadvertatur, Vehementia autem ista Symptomatum uti procacem & stimulantem Venenati fermenti indolem, ita non minus Spirituum fortitudinem arguit, & melius ominatur quàm cùm Spiritibus sub finē hujus Morbi, sive febris cujuscunq; alterius diu attritis & fatigatis superveniat. Tunc siquidem isthæc Symptomatum vehementia triumphatæ naturæ indicium, fermè semper Mortem præ foribus adstare denunciat, jam vero morbi Crisin à nisi Spiritus contendentium forti, eamque non raro salutarem adesse præsagit. Diutiùs autem, scil. per totum primum hujusce Morbi stadium magis magisque sæviunt hæc Symptomata donec Critica exanthematum eruptione lis dirimatur, certamen finiatur: Durante autem hac colluctatione dubius & incertus admodum est eventus, ubi enim spiritus pari vigore nitentes, debito regimine adhibito, & suppetiis artis ritè allatis, in hoc ultimo agone ad justam normam sese expandant; Febris proximo fere momento prorsus exulat, nec in proximis stadiis recrudescit, symptomata statim cessant, atque exanthemata erumpunt regularia & discreta, spatio certo & determinato in Stadiis subsequentibus maturanda, ac tandem despumanda, nisi à sinistro aliquo Accidenti in Regimine vel Medicamentis perperam ministratis Spiritus dissipentur, & inde certamini obeundo impares reddantur, & Variolæ inde vel confluant vel cohæreant. Dum igitur res Ægrotantis ita in æquilibrio pendent, cautè Medicinam facere oportet, cùm errorem in hoc stadio subsequentibus stadiis corrigere difficillima sit.

Hoc morbi stadium tribus diebus lege Naturę (quoties sc. Variolas esse benignas contigerit ac discretas) fere semper absolvitur, nisi indoles Veneni supra modum procax, vel regimen nimis fervidum intercesserit, unde *pustulæ* sc. die Morbi primo vel secundo erumpant; vel ex adverso, nisi Cathartica perperam adhibita seu fluxus alvi spontaneus, fluxus menstruus, aut alia aliqua Hæmorrhagia seu Phlebotomia absq; causa celebrata, vel Aeris iniuriæ; aut errores in Regimine, aut alia aliqua causa venenum diutius intus cohibeat, unde exanthemata Variolosa seriùs 4. nempe 5. vel 6. morbi die prorumpant, atq; proinde hoc Morbi stadium diutiùs quam par est protrahatur & Morbus fere semper mali moris producatur, sive variolæ in stadiis subsequentibus sine ordine confluant vel cohæreant, sive Sessiles, Subsidentes, Purpurascentes

& ſerius matureſcentes, vigore & colore debito ob veneni exceſſum & Spiritum influorum languore priventur. Quocircà quantum à ſpatio trium dierum hoc ſtadium ultrà citrave deflectit, tantum Morbus Malignitatem ſuam prodit.

Fundamento ad Naturæ normam hoc ritu facto, non adeo difficile eſt vel in Apparatu ipſo, ſc. ante Eruptionem hunc Morbum à quacunq; alia Febre & ejus genium benignum vel malignum ſaltem hariolando prægnoſcere, eventum denunciare, Indicationes curativas elicere atque Methodum medendi certam & rationi congruentem inſtituere & ſtabilire, ad quam penſi partem Me jam accingo.

[a] Sunt autem præter generalia Febris Symptomata quædam quaſi Pathognomonica quæ à primo inſultu hunc Morbum comitantur, tumq; à cæteris diſtinguunt, ſc. *Dolor* atrox & horrendus *Capitis & Lumborum*; cætera autem Symptomata quævis, uti *Tuſſis*, *Coma*, *Delirium*, *Vigiliæ*, *Ægritudo*, *Nauſea*, *Vomitio*, *Fluxus Alvi*. *Jactatio inquieta*, *Subſultus Tendinum*, *Linguæ Ariditas*, *Sitis*, *Inſultus Epileptici*, & quæcunq; alia hoc ſtadium comitantur, adeo vehementia ſunt atq; adeo in dies ab initio ſeviunt & augentur ut ultimum Naturæ conatum arguant; atq; Criſin ſubitam & præproperam inſtantem, (quam nulla alia Febris excepta varioloſa, Morbilloſa & Scarlatina aſſequitur) denuncient, Atq; proinde Medicus ab Ægrotante hiſce Symptomatis violentis à morbi primordiis afflicto accerſitus percontetur oportet num Æger unquam variolis antea laboraverit, (b) rarius enim aliquis hoc Morbo bis tentatur, an ipſe de variolis metuat, Conſuetudinem nuper habuerit cum aliquo iis infecto, an ſint in vicinia frequentes, an illa tempeſtate ſint Epidemiæ an illo tempore aliquis è Conſanguineis iſto morbo laboret. Medicum de his certiorem factum jure merito ſuſpicare licet Febrem præſentem, varioloſam aut Scarlatinam, ſaltem inde moneatur ut nihil tentet venæ-ſectione, Emeticis, Catharticis, vel quocunque alio ejuſmodi, quod oportunam variolarum eruptionem impedire poſſit, vel apud vulgus [modo Morbus tandem hujus generis ſeſe eſſe prodat] propriæ famæ officiat. Cautè tamen ante eruptionem univerſalem ſenſa ſua proferat, niſi ex uno aut altero Exanthemate prænuncio obſervato de Morbi natura certus ſit.

(c) In ſecundo ſtadio, ſc. poſt Exanthematum eruptionem ab ipſa Puſtularum indole atq; cæteris ſymptomatis adeo facile eſt gradum Veneni Morbifici, atq; conſequenter benignam vel malignam Morbi naturam perfectam habere, ut Nutrices ipſæ, modo ſagaces ſint & expertæ, haud raro ſententiam hac in re æquam & certam proferant; Medicum autem & Philoſophum decet, in primo ſtadio, ubi non tam ſenſu quam ratione res agenda eſt excertis criteriis morbi mortem prædicere, ut Methodum veram ac juſtam inſtituendo, ſuppetias laguenti & oppreſſæ Naturæ (quoties opus & quantum Arte fieri poteſt) opportunas ferat, &, fundamentum Curationis rite ponendo, nihil jam omittat vel officiosè patret, unde Æger in ſtadiis ſubſequentibus feras Erroris pœnas luere cogatur.

Criteria Maligni Morbi, ſeu Fermenti Morbifici exitialis & deleterii in primo morbi ſtadio ſunt vel *dubia* & incerta, quæ Medico ſuſpicionem ſaltem dant, & ut cautioribus conſiliis utatur ſuadent, vel *certa & Demonſtrativa*. Prioris generis ſunt quæ ſequuntur, 1. Si (d) primum hoc ſtadium vel contrahatur vel protendatur præter ſolitum, ſi nempe ante tertium diem Exanthemata erumpant, vel eorum eruptio poſt iſtum diem differatur. 2. Si [e] Ægrotans ſtirpe prognatus ſit; cui hic Morbus jure quaſi hæreditario ferme ſemper exitialis & funeſtus fuerit. 3. Si morbus in flore ætatis Ægrotantem invadat, quo tempore ſpiritus fervore admodum vegeto prædi ti ad febriles æſtus & in-

(a) *Signa variolas ante eruptionem in Apparatu præſagientia*. (b) *Vide hiſtor*. 1. 15. 66. [c] *Signa malignitatis vel benignitatis Variolarum futuræ durante Apparatu*. [e] *Vide Hiſtor*. 37. 38. 45. 46. [e] *Vide hiſtor*. 53. *&c*.

& inquietudinem magis propensi sunt. 4. Si Æger Metu, Tristitia vel [a] Amore aut alio quocuque animi pathemate graviori torqueatur, quod spiritus nimiùm agitando, dissipando vel obruendo, vim Veneni deleteriam adaugeat. 5. Si ex Crapula, nimia liquorum spirituosorum ingurgitatione, vehementi (b) exercitio, vel quovis alio accidente id genus infausto spiritus supra modum irritante, & in efferatos motus adigente, adeò ut spiritus Venenum adoriri, vel humores regere minùs apti sint, morbus ansam arripuerit, 6. Si vel in tempore (c) menstruo, vel Puerperio, vel statim post Abortionem, cùm spiritus continuo massæ purpureæ dispendio dissipati & obruti certamini minùs pares evadant, morbus aggrediatur. 7. (d] Si à Cathartico vel Emetico perperam propinato, vel Venæ-sectione officiosè celebrata, sive quacunq; altera ejusmodi mala praxi, vel quidem à Fluxu Alvi aut Sudore colliquatio Spiritus debilitentur & pessundentur, 8. Si ex (e) Regimine nimis calido præcedente, & usu nimio Remediorum Alexipharmacorum Spiritus suprà modum agitati & excandescentes tonum naturalem amiserint, ut non amplius queant humores coercere, vel in reliquis negotiis officio titè fungi. 9. (f) Si Æger injuriis aeris ambientis, durante Apparatu præsertim prope Crisin, sese incautè diuq; exposuerit, unde tempestiva & opportuna Variolarum eruptio præpediatur, & spiritus frigore extremo obruti & oppressi minus partes officiis suis fungendis reddantur. 10. (g) Si Morbus tempestate æstiva vel hyemali invadat, præsertim si hyemali, quia spiritus media, seu moderata temperie maximè gaudent, atq; ea præditi [quantum Morbi patitur) felicissimè munia sua exercent; A quovis autem excessu sive caloris sive frigoris læduntur, à priori nimirum dissipantur & debilitantur, à posteriori vero deprimuntur & enecantur, ut sileam jam Tusses molestas cæteraque id genus gravia Symptomata à tempestate ipsa potius quam a Morbi indole suborta. 11. Si variolosa Constitutio fuerit, Epidemica, quippe in omni Epidemica Constitutione Venenum morbificum at plurimùm vehementius est, & Morbus proinde gravior. 12. Si Patiens sit fœmina gravida vel nuperrimè nupta; Illi enim instar abortionis periculum, atque dispendii virium, & cæterorum Symptomatum inde suboriri solitorum, quibus, ob tædium Morbi & Fœtus egrotationem, fœmellæ gravidæ obnoxiæ sunt; Hinc vero morbus hic infensior esse solet ob vigorem Spirituum frequenti amplexu conjugali diminutum & depressum. 13. Si Patiens sit Phthisicus, Lue venerea infectus vel alia quacunque labe Morbosa contaminatus & diu attritus, hic morbus haud raro funestus & mali moris est; quippe Spiritus languore à priori Morbo affecti haud pares sint veneno recenti eliminando. Denique si plurimùm metuat, Æger de hoc morbo, & sibi fore fatalem firmiter credat, unde perpetuo sollicitus & meticulosus reddatur, pessimè significat, cuncta enim animi Pathemata gravia, qualia sunt Timor, Dolor, Anxietas, &c. Cerebrum & genus nervosum labefactando, & Spiritus in iis hospitantes exhauriendo aciem Veneni mirum in modum adaugeat atque inde Morbum naturaliter Benignum facillimè in Malignum convertunt, ob quam rationem præcipuè [ut ante innuimus) Infantes quia de morbi eventu minas sunt solliciti rarius quam alii deleterias ejus vires experiuntur.

Certa autem & verè Diagnostica seu *Pathognommonica* criteria quæ gradum Veneni morbifici plus minusve exitialem, & Morbum vel Benignum vel malignum fore in hoc stadio certo denunciant ea sunt præsertim quæ ab indole Febris præsentis; atq; symptomatis eam comitantibus petuntur: Exempli gr. 1. Si Febris a primo morbi insultu adeò benigna fuerit ut Typum (b) *Synechcos* statis & pe-

(a) *Vide Histor.* 45. 33. [b] *Vide histor.* 21. 22. [c] *Vide histor.* 18. 35. 36. (d] *Vide histor.* 27. 32. 29. (e] *Vide histor.* 5. &c. [f] *Vide histor.* 46. 59. [g] *Vide histor.* 39. [h] *Vide histor.* 8.

riodicis Exacerbationibus & Remissionibus notatum servet; vel, ut ut Periodicæ istæ Remissiones desiderentur, modo ex forti & æquali Pulsus tenore, & ex Urina rubedine & contentis saturata (in febre *Sinechei*) atq; ex aliis indiciis Naturæ fortiter adversùs Venenum Luctantis, v. g. calore febrili vegeto, Vomitione frequenti, Iactatione inquieta, Dolore atroci (a) versatili. Iusultibus(b) Epilepticis &c. constet. Spiritus veneno superiores aut saltem pares esse, ut ut dira adsint Symptomata, Morbum expectare fas est plus minus Benignum, atque Crisin perfectam salutarem cum eruptione Exanthematum Discretorum & Vegetorum in proximo stadio, quæ intra spatium à Natura determinatum in sequentibus stadiis absq; Febre recidiva vel quocunque altero sævo aut periculoso Symptomate conjuncto, brevi matureścant & exareścant. (c) Ex adverso autem, ubi Venenum adeo spiritus obruat & pessundet ut ii vix contra insurgere valeant; verùm prorsus succumbant, unde Æger febricitare vix sentiatur. Urina sit clara & tenuis; Pulsus ut ut celer, sit debilis, Deliquia more languorum & suffocationum Hystericarum sæpe recurrant. Nullus Dolor præterquam in capite, & Lumbis ad exitum Nervorum è spina adsit, is vero sit atrox pungens & planè spasmodicus, Sitis sit modum parca: Nausea, Vomitio, & Ægritudo fere nulla præsertim autem si Hæmorrhagia magna, aut Fluxus Alvi enormis supervenerit, ex Crasi humorum à veneno soluta, aut quodcunque alterum exiis Symptomatis quæ non Spirituum nisu, verùm prostrationem & ruinam indigitant, aut saltem efficiunt, uti (d) Vigiliæ pertinaces, Coma profundum, &c. & potissimum si [e] Petechiæ, Maculæ Purpureæ vel Nigræ in Cuticula efflorescant, aut Cuticula in Collo & pectore tumore limpido à Cute vera separetur, & more Vesicularum elevetur, ut ut cuncta symptomata præter dolorem Capitis & lumborum in hoc stadio mitia appareant, Morbus à veneno exitiali & intensissimè deleterio procul omni dubio originem habet, quod spiritus adeo pessundat, & *necrosei* quadam afficit, & Febris [quæ in proximo stadio, si Morbus fuerit benignus, Exanthematum discretorum eruptione legitima finiri solet] iam cum (f) Efflorescentia Scarlatina universim, per totam Cuticulam sparsa Symptomatice coniungitur, Deliriis, Vigiliis pertinacibus & reliquorum Symptomatum funestissimorum satellitio stipatur, quæ Hæmorrhagias immanes subsecuturas, atque mortem præ foribus in hoc stadio, vel saltem sub initio Maturationis adstantem certissimè denunciant. 3. Ubi vero ex pari Veneni & Spirituum robore certamen sit ferè æquale (quod ut plurimum in hoc Morbi stadio contigit) [g] & Coma, Delirium, Vigiliæ, Nausea, Ægritudo, Jactatio, Subsultus Tendinum, Dolores versatiles, Insultus Epileptici, durante lucta sæviant atq; in dies augeantur; Morbus est planè anceps & dubius, qui uti supetiis Artis opportunè & ritè allatis sæpissimè Benignus evadit, Crisin perfectam in subsequenti stadio eruptione Pustularum discretarum ut ut frequentium assecuturus, ita ex infausto quovis accidente, vel errore in Regimine commisso, facillimo negotio, in Malignum transit, licet non adeo malignum, ac ubi Veneno deleterio variolæ primum ortum duxerint, unde variolæ cohærentes, si non confluentes in subsequenti stadio apparent, quæ tardè Eruptionis stadium decurrunt, & in tertio stadio diutiùs depressæ manent, & cum molesta Salivatione conjunctę seriùs matureścunt, atque demum exareścunt, pro ratione virium Veneni non ante subactarum Febrem recidivam, vel sub initium Maturationis Continuam & planè Malignam, vel saltem, instante Declinatione, *Sinechei* & magis Benignam, soci-

ha.

(a) *Vide Histor.* 16. (b) *Vide Histor.* 12 13. &c.
(c) *Vide Histor.* 25. 30. 31. 33. 36. 37. 38. 39 40. 10 &c. (d) *Vide Histor.* 48. &c.
(e) *Vide histor.* 30. 31. 40. [f] *vide historia* 37. 38. 39. 40. 41.
(g) *Vide Histor.* 11. 12. 13 14. 16 19 20. 23. 27. 42. 52 &c.

habituræ 4. Sagacis autem & admodùm experti Medici est, durante hoc dubio & æquali certamine, ex Symptomatis præsentibus genium Morbi hariolari, aut saltem certò definire; nostras tamen Observationes, quas multo usu veras esse comprobavimus, lubet hic adjungere. Atq; equidem primò atque præ cæteris Pulsus diligentissimè jam explorandus est, quippe vigor Spirituum influorum hac via potissimùm sese prodit. Ex fortitudine enim, & inæquali Pulsus tenore, ut ut dira sint cætera symptomata, vires Spirituum esse vegetas, & Veneni mitiores, & ex consequenti Eventum Morbi faustum fore concludere æquum est. E contra verò, (a) debilis & vacillans Arteriarum Vibratio, ut ut Symptomata conjuncta fuerint mitiora, semper *necrosin* Spirituum & gradum Veneni deleterium denunciat. Quin & pro ratione Pulsus prope Crisin aucti vel diminuti, potissimum in hoc dubio certamine judicandum est an Natura superior evaserit vel de Causa ceciderit, quæ Crisis expectanda, sida an infida, & quis futurus sit Morbi eventus. 2. Urina ut ut in cæteris stadiis subsequentibus ad genium morbi dignoscendum vel eventum ejus prædicendum parùm aut nihil conferat, in hoc stadio admodùm observatu digna est. Sicuti enim jam [b] rubedine tincta & Contentis saturata Febrem *Synochi* & Benignam indicat; ita clara, tenuis & pallida, præsertim (c) si accedat Micturitio frequens, pessimè significat. 3. Symptomata comitantia ut ut dira & molesta sint, modo ejusmodi fuerint quæ fortem nisum & conamen Naturæ solummodo arguunt, uti Jactatio, Vomitio, &c. ut plurimum Benignam morbi Naturam indicant, & faustum eventum præsagiunt. 4. E contra verò (d) Coma profundum usque ad Crisin protensum, unde Æger jaceat quasi attonitus aut inebriatus, & vix lumen aspicere, vel Interrogatis respondere potis sit, vel atrox, fixus & spasmodicus Lumborum vel Intestinorum dolor, (Colici scilicet vel Nephritici affectus æmulus,) aut quidem totius Corporis, præsertim: si cum *apirexia* conjunctus fuerit, pessimè ominatur. Siquidem extremam esse Spirituum Veneno irretitorum prostrationem aut saltem inanem eorum conatum inde concludere licet. 5. [e] Symptomata vehementia jam suborta, quæ spiritus continuo pessundant atque minuunt, uti *Fluxus alvi enormis*, sudor Colliquativus, Hæmorrhagia immanis, Vigiliæ pertinaces &c. Eventum funestum aut saltem dubium præsagiunt. 6. Ubi [f] paulò ante Crisin Pulsus fiat fortior, Iactatio, Vomitio, Nausea, Dolores versatiles, Epileptici, Delitia & reliqua Symptomata quæ fortem Spirituum nisum & conatum arguunt, augeantur; & Fluxu Alvi, Sudores Colliquativi, Hæmorrhagiæ, Vigiliæ, unà cum reliquis Symptomatis, quæ spiritus pessundant, declinent; Naturam inde victricem, statum Morbi in Benignum mutatum, atque ejus eventum in stadiis subsequentibus faustum ac salubrem fore conjicere fas est.

Genio Morbi in primo stadio ritè perspecto, atque Symptomatis concomitantibus accuratè pensitatis, adeò facile est inde in primo limine eventum ejus futurum ritè prævidere, ut frustraneum videatur Sermonis filum in signis Prognosticis proferendis protrahere.

(g) Hoc Morbi stadio *Indicationem* in genere ministrat unicam, scilicet Subactionem Veneni Varioloſi, eatenus saltem, ut Critica Exanthemata eruptio in stadio proximo subsequatur regularis & legitima, & quantum fieri potest fida ac perfecta. Pensum autem hoc lege Naturæ, non nisi viribus Spirituum ritè expansis feliciter absolvitur. Ut ut enim venenatum hocce fermentum Cortice Peruviano, vel alia aliqua Antidoto tempestivè exhibita, cùm Morbus Febris remissione periodica genium suum benignum prodiderit, nonnunquam eo usque subactum meminerim,

(a) *Vide Histor.* 37. 38. 39. &c. (b) *Vide Histor.* 8. &c. (c) *Vide Histor.* 36. 37. 38. (d) *histor.* 36. 37. 38. 39. 41. 42. 50. 51. &c. [e] *Vide histor.* 50. 48. 27. &c. (f) *Vide histor.* 12. 13. &c. [g] *Indicationes Curatiuæ.*

ut Ægra inde de fato ſuo averruncato ſibi ſeriò (*a*) gratularetur, eadem ſeras, poſt hebdomadas aliquot valetudinario tranſactas, pœnas, morbo eodem poſtliminiò recrudeſcente & quaſi recidivo, in gradum magis exitialem evecto, & vires ſpiritum eius attritas enecante, luebat. Quanquam etiam Variolas ab uſu Corticis inſecutas, (quoties earum eruptio exinde non fuerit præpedita) ſemper (*b*) Diſcretas & Regulares animadverterim; hoc tamen, benigno morbi genio, & mitiori Veneno à quo is ortum duxerat, potius quam Antidoto miniſtratæ acceptum referendum duco. Siquidem Cortex Peruvianus ubi Venenum Spirituum vires vel æquet, vel ſuperet (quod in quaque Febre Maligna ac *Synechi* accidit) nihil omnino valet, ut in *Exercitat. præcedenti* obſervavimus. In *Synechei* autem Varioloſa, ubi ſpiritus Veneno potiores ſunt, Natura propriis Viribus inſtructa Victoriam Criſi perfecta in ſtadio proximo ſponte, ſine ingrati hujus Remedii ope, reportatura eſt. Ideoque nulli Author ero, ut in hoc morbi ſtadio, Venenati Fermenti extinctionem moliatur Cortice Peruviano, ſine quavis altera Antidoto, verùm potiùs, ubi vires ſpirituum ſuppetant ad Venenum eliminandum, ut Naturæ & regimini juſto totam rem commitat; ubi vero deficiunt vires, ut iis ſuppetiis Artis, quoties opus eſt, ancilletur, atque opportunè ſubveniat; Vel denique ubi æquali Marte jam dimicatur, ut Symptomata præter modum urgentia, præſertim ea quæ deleterium Veneni gradum arguunt, aut ſaltem ſpiritus nimium atterendo & peſſundando promovent & adaugent, corrigat & intrà cancellos juſtos cohibeat. Ideoque ut ut generalis Indicatio jam ſit unica, pro ratione tamen veneni plus minuſve deleterii diverſæ admodùm Indicationes ſubminiſtrantur, Atque proinde planè Empiricum & rationi abſonum mihi videtur, & Medico prorsùs indignum, in hujuſce Morbi primordiis (ubi ſumma cautela opus eſt, nec minimus error impunè committitur) eandem ſemper calcare viam, & Alexipharmaca, Emetica, Opiata, Venæ ſectionem, *&c.* omnibus ſolenniter præſcribere, cùm Indicationes ſæpenumero adeo diverſæ, vel quidem planè contrariæ exurgant. Namque ubi ex fortitudine Pulſus, Urinæ rubedine & Contentis, & Febre typum *Synecheos* referente, conſtet Morbum à mitiori Veneno quod Spiritus vix æquet, ortum ſuum duxiſſe, haud quicquam à Medico faciendum indicatur, niſi ut Regimen ita inſtituat ut Naturæ opus minimè interturbetur. Propriis enim virib. jam inſtructa (modo non interpelletur) non poteſt non Variolarum diſcretarum Eruptione mox Criſin perfectam aſſequi, unde Symptomata quotquot adſunt, ut ut dira, quippe à forti Spirituum niſu orta, ultro evanitura ſunt.

Ubi vero ex Symptomatis conjunctis & genio Febris planè Maligno liquet Venenum deleterium ab ipſis Morbi primordiis ſpiritus longè ſuperaſſe, eoſque *necroſei* quadam demùm affeciſſe, vis eorum expanſiva omnimodè atque incunctanter in hoc Morbi ſtadio promovenda indicatur; Veneno enim in ſubſequenti ſtadio, ubi Natura Criſi incœpta cauſa cecidit, mirum in modum provecto, hæc expanſio ut plurimùm quocunque modo in caſſum tentatur.

Ubi autem vi Veneni & Spirituum propemodùm pari, certamen anceps & dubium fiat, Medicus cautis conſiliis utatur oportet, neq; Alexipharmacis perperam exhibitis ſpirituum œconomiam nimiùm agitet, & interturbet, unde ad Venenum Criſi inſtante, eliminandum minus pares reddatur, aut ſymptomata inde ſupra modum vehementia, cum evidenti virium jactura, ſuboriantur, quo Natura labefactata Cauſa cedat; neque è contra, officioſa purpurei liquoris ſubtractione, vel alia quavis evacuatione, vel intempeſtiva & nimia Opiatorum exhibitione eos adeo deprimat & debilitet, ut venenatum fermentum in gradum exitialem evectum eos plane deleat & peſſundet. Prout autem ſymptomata puſtulant, præſer-

(*a*) *Vide Hiſtor.* 37. (*b*) *Vide hiſtor.* 18.

sertim præsens Spirituum expansio, ex varia Arteriarum Vibratione accuratè pensitata dignoscenda, Indicationes aliæ atque aliæ exurgunt, quæ Medicum exercitatum latere haud facilè possunt. Sunt duo potissimum in genere quæ jam indicantur, scilicet Regimen, quantum fieri potest, moderatum, & quam proximè ad spirituum naturam antecedens, ut spiritus minimè Errore aliquo ultrà citrave commisso pessundentur: Et Symptomatum præter modum vehementium, quæ vires labefactant, uti Vigiliarum, Fluxus Alvi; Hæmorrhagiæ. Dolorum fixorum & Spasmodicorum, Comatis admodum profundi, tempestiva & cauta Allevatio. Reliqua Symptomata & Spirituum nisu potius, quàm ab exitiali Veneni gradu orta, uti Jactatio, Vomitio, Deliria, *&c.* ut ut molesta, modo intra Cancellos justos cohibita, permittenda sunt, donec Crisi instante sponte evanescant. Quo pacto autem hisce Indicationibus satisfiat, in Methodo medendi mox fusius ostendemus.

(*a*) *Medendi*, autem *Methodum*, quæ *Diætam*, *Pharmaciam*, atque *Regiminis* rationem complectitur, haud aliam instituere par est, nisi quam vera Morbi causa, scilicet fomes venenatus atq; symptomata inde in hoc stadio suborta jure postulant. Atque servata hac regula non possumus in hoc penso absolvendo à scopo aberrare.

(*b*) Diætam quod attinet, sit oportet [uti in alia quavis Febre] parca, & admodum tenuis, quæ minimas Ventriculo inter concoquendum creet molestias, uti *Avenacea*, *hordeacea*, *Possetala*, *Liquor possetiçus simplex*, vel Foliis *Salviæ rubræ*, & *Rasura CC.* & *Eboris* alteratus; Insuper (modo Alvus non nimis jam fluat) Pulma *pomi cocti*, & *Cerevisia* vel *Ala* mediocris pane tosto tepefacta, *&c.* quippe Fermentum ventriculi è Massa veneno jam infecta secretum, atque inde nativo vigore privatum, ægrè admodum quicquam præter Potulenta, eaque simpliciſſima & tenuissima, digerere valet. Cætera, inutili quasi sarcina pressus ventriculus, cum Ægrotantis tædio & damno illico rejicit.

(*c*) *Regimen* adhibeatur moderatè calidum, quam proximè ad naturalem Spiritum temperiem accedens; in cæteris etiam ita ordinatum, ut ii minimè lacessiti aut labefactati ad officium suum magis sint habiles; Quodcunque enim à mediocritate discedit, iis officit. Sicuti enim à multis strangulis impositis & medicamentis calidioribus perperam atque sine necessitate ministratis spiritus in fluorem nimium & motus efferatos adacti non possunt non dissipari; ita à Frigore nimio & ambientis Aeris injuriis coacti & obruti nequeunt prorsus sese satis expandere, atque robore nativo hostem adoriri. 2. Quo nomine nunquam hactenus in sententiam Clariss. Doctissimique nostri *Sydenhanii* deduci potui, qui frigidum Regimen in variolarum curatione (cujuscunque fuerint generis) ubique idque indiscriminatim adhibendum acriter contendit, & *Spiritu Varioli*, *Decocto albo*, *Syrupo de Meconio*, cæterisque id genus infrigidantibus, & Aere ipso Cubiculi frigido utramque curationis paginam adimplet, adeo autem ab usu *Alexipharmacorum* ab horret, ut ægrè admodum vel tantillum *Aquæ Epidemiæ*, *Theriacæ*, *pulv. è Chel. comp.* vel quidem Liquoris possetici *Florib. Calendul.* & *Rasur. CC.* alterati (ut ut Pestilentialis vel deleterius fuerit morbi genius) concedendum opinetur. Quid? quod magnus ille vir ad doctrinam Humorum & Qualitatum evidentium adhærens, fomitem venenatum intra Spirituum sinum delitescentem prorsus ignorasse, vel saltem ex præconcepta opinione rejecisse videatur atque proinde nihil, quod *proton* ejus *pseydos*, præter caloris excessum pro deleterio habuisse, ac si quicunque hoc morbo interimeretur, quasi calcinatus intestino incendio solummodo periret. Cum quidem iste Calor febrilis in Massa Sanguinis accensus à lucta Spirituum fomite venenato irritatorum, atque motu eorum expansivo inde accelerato, [quod in prima *Exercitatione* demonstravimus]

(a) *Methodus medendi in primo Morbi stadio.* (b) *Dieta.* (c) *Regimen.*

olum & odo oriatur. Hanc flammam autem potius extinctione Fermenti morbosi quod huic luctæ originem dat, quàm frigido quovis Regimine adhibito, quod spirituum vires pessundando Venenum adaugeat, dolore par est. Insuper, cùm hic Morbus funestissimus animadvertitur spiritus prorsus à veneno delentur ac superantur, unde Caloris vegeti defectus magis quàm excessus ex Vibratione Arteriarum debili & irregulari, atque pallido Urinæ colore sese palam prodit. Ecquis autem frigidum Regimen in curatione jam adhibendum duxerit? Prætereà ipse Author Clariss. sæpe sæpius agnoscit Variolas Confluentes nonnunquam Pestis ipsius Virulentiam æquare vel quidem superare; Quis autem huc usque Pestis curationem frigido Regimine absolvit, vel attentando aggressus est? Quod ad Historias Curationem hoc pacto feliciter absolutarum à Cl. Authore relatas attinet, Nullus dubito quin ubi spiritus nimio calore præsertim exterius priùs adhibito, diu & perperam attriti & dissipati fuerint, ad Ægrotantem è lecto derepente exsuscitatum, vel saltem ab onere stragulorum liberatum, aliquid refrigerii & emolumenti accesserit, unde spiritus temperie miti postlimino quadantenus reduce potiti, magis strenuè & feliciter hostem adoriri potuerint; vel in benigno morbo ubi Spiritus venenum longè superarint, injurias hujusce regiminis absque damno quovis insigni tolerarint; Inde autem Regimen frigidum à primordiis ipsis Morbi consulto ac perpetuo, vel ut ex *apirexia* præsenti & pulsu debili constet à Veneno spiritus planè prostratos esse, institui debere pernego. Siquidem Variolas sæpissimè vidi confluentes & maximè funestas, ubi ne (*a*) minima guttula, vel granum Medicamenti cujuscunq; Alexipharmaci, vel Regimen quovis modo Calidum durante Apparatu vel eruptione adhibitum fuisset, & non alia de causa funestatas & mali moris essa fisse vehementer suspicatus sum, quam quòd durante *Apparatu*, &c. priusquam Spiritus *necrosei* afficerentur; eorum vires hujusmodi Remediis non satis tempestivè exsuscitatæ fuerunt, quod multo magis accidit ubi Regimine frigido coactæ deprimantur. In qua sententia eò magis persisto, quia (quod cæteros Professores latere haud autumno) centies forsan memini Ægrotantes regimine nimis frigido prius utentes, atque in proximis Morbi stadiis Vigiliis, Deliriis, Fluxu alvi enormi, frequentibus Deliquiis, Madore colliquativo, aliisque funestissimis Symptomatis malè mulctatos, & Petechiis atque Exanthematis ubique depressis & aridis Carbone quasi nigro notatos ope Alexipharmacorum cum Opiatis conjunctorum & Vesicatoriorum assidua, ab ipsis Orci faucibus aliquando derepente, aliquando sensim ereptos. Cui Observationi fidem faciunt (*b*) Historiæ aliquot huc spectantes è multis aliis selectæ, quas in Calce hujus *Tractatus* haud pigebit graphicè ac sincere depingere, non tamen in istis Historiis intelligi volo variolas intensissimè Malignas, quarum venenum ad summum gradum exaltatum est. (*c*) Est enim ubi venenum à primo insultu, sive postea, à quodam infausto accidente adeò Spirituum vires prosternit, & quasi Sphacelo afficit, ut compage humorum soluta, Mors hæmorrhagia effræni & Maculis nigris in Cuticula sparsis denunciata præfortibus adstet, quam neque Alexipharmaca, nec alia quæcunque Artis subsidia (confitente ipso Cl. Authore) unquam avertuncare valeant. Sileo jam infaustum, ne dicam funestum hujusce frigidi Regiminis eventum, quem non tantùm ejus Assectæ sæpius & Fautores, sed etiam vir ipse Doctiss. non sine opprobrio suo nonnunquam expertus est, quam ob causam in postremis vitæ annis [ut mihi narratum est] disciplinæ hujus rigorem ipso quadantenùs relaxavit. Liceat igitur mihi veritatis ergo, renitenti licet animo, à magni *Sydenhamii* sententia Regimine in hoc morbo discere.

Regimen igitur moderatè calidum ita ordi-

(a) *Vide Hist.* 36. 37. 38. 39. 40. [b] *Vide histor.* 19. 24. 17. 48. 22. 25. 27. 29. 31. 47. 48. 49. 50. (c) *Vide histor.* 86. 37. 31. 39. 40. 41. 64.

ordinetur, ut Calor quam proximè ad ipsam Spirituum temperiem accedat, & æqualem tenorem servet. Quamprimum igitur morbo isto corripitur Æger, lectum petat, ibique decumbat stragulis solitis ac Aeris injuriis munitus, haud tamen nimis opprimatur. A cutis, timore, cæterisque Animi Pathematis (quantum possit) immunem se servet, neque colloquiis quorumcunque interpelletur, verùm somnum aut saltem quietem quocunque modo captet; Aer Cubiculi tempestate hyemali luculento foco accenso temperatur, fervente autem æstate in lecto uti in ergastulo Æger minimè incarceretur. In reliquis Regiminis partibus omnia manu adeò æquabili ordinentur, ut spiritus in efferatos motus minimè adigantur vel dissipentur, aut nimiùm coacti in hoste adoriendo deficiant.

[a] Ad *Pharmaciam* in hoc morbi stadio quod attinet, eam pro diversa Morbi indole, atque ratione Symptomatum conjunctorum diversa, alio atque alio modo immutari pro re nata necessarium est. Symotomatum, inquam, eorum scil. quæ vel supra modum vehementia spirituum vires prorsùs delere, atque officio suo fungendo minùs pares reddere apta nata sunt, vel saltem quæ eorum vires jam penitus prostratas esse demonstrant: Ceterorum enim quæ à vigora Spirituum in hoste adoriendo suborta sunt, & nil mali præsagiunt non eadem habenda est Ratio; quoniam ea, ut ut molesta, ultro, Crisi instante, mox evanitura sunt. Atque proinde Medicum & philosophum ad rationis normam oportet sua mandata semper dirigere; in hoc morbi stadio haud decet eadem semper calcare viam; atque, Empirici ad instar, sese intra eosdem cancellos ubique continere, & Emetica, Alexipharmaca, Opiata, Venæsectionem, Enemata, &c. Ordine & Methodo quavis fixa & stabilita seriatim prescribere, atque in eorum usu pertinaciter sine evidenti Indicatione persistere, est enim ubi singula hæc remedia usum suum habeant; est autem ubi valdè officinat, aut saltem in cassum adhibita curationem nullatenus promoveant. In hoc igitur solertia Medici maximè requiritur, ut certa regula dirigatur, & nihil officio è patret, vel injuriosè omittat. Atque sanè eò magis hac in re summa cura jam adhibenda est, quia in hoc præsertim stadio Vitæ & Nucis jacta est alea, siquidem Natura deficienti post Crisin peractam in cassum subvenire sæpiùs molimur, quæ suppetiis opportune priùs allatis, facilè admodum allevari poterat. Non rarò etiam Remediis perperam adhibitis Natura adeò labefactatur, ut Venenum primò mite, illico in gradum plane deleterium & exitialem evehatur, & post crisin inde imperfectè peractam Æger in stadiis subsequentibus erroris Medici, Vitæ dispendio, vel saltem variis ærumnis feras luit penas. Ad indolem igitur ac Symptomata morbi, ante omnia medicus in hoc obscuro Morbi stadio diligenter respiciat oportet, & accuratè pensitet, ne quid Philosopho indignum agat; & hac regula observata non longe à vero scopo aberrabit.

(b) Ubi periodica Febris conjunctæ Exacerbatione & Remissione, forti & æquali Arteriam vibratione, Colore & Contentis Urinæ, &c. constat Venenum à spiritibus adeò superari, ut sine Artis Suppetiis Natura mox, tempore præstituto, viribus propriis assequi possit, modo non adsint Symptomata vehementiora, quæ spirituum vires evertere valeant [quæ, quo pacto tractanda sunt, mox narravimus) nihil à medico agendum est; (c) Tantum Diætam & reliquum Regimen ordinat, ut Natura in opere suo perficiendo minimè impediatur, atque Julapium aliquod temperatum ad Spiritus in agone refocillandos sepiùs ministret. Mihi familiare est id quod sequitur. ℞. *Aq. Meliss. Ceras. nigr. Flor. Calendul. Cinnam. Hord.* an. ℥iii. *Epidem.* ℥ii. *Syrup. Caryoph.* ℥ß. M. F. *Julap.* de quo cap. Cochl. *ii. iii. iv. vi.* respectu habito ad ætatem, ad libitum. Vel ℞. *Aq. Cardu. Ceras. nigr. Lact. alexiter.* an. ℥iii. *Epidem.* ℥ii. *Pæon. comp.* ℥i. *Pulv. è Chel. Cancr. Comp. Lap. Contrayerv.* an.

[a] *Remedia pharmaceutica & chirurgica.* [b] *In benigno morbo.*
(a) *Vide hist.* 3.

an. ℥i. *Syrup. cariophil.* ℥iß. Vel *Sacchar. alb.* ℥vi. M. F. *Julap.* de quo cap. Cochl. *ii. iii. iv. vi.* (agitata phiala) 4. quaque hora

(*a*) Ubi verò è contra ex petechiis in cute efflorescentibus, Maculis nigris vel purpureis in pectore vel artubus hic illico sparsis; vel eruptione Miliari in Collo fas sit suspicari Humores à Veneno maximè exitiali spiritus delente ac superante gradum *necroseos* aliqualem jam perpessos esse vel quidem (*b*) ubi ex debili & vacillante pulsu, Urina pallida & tenui, & temperie miti constet, spiritus à primo Veneni insultu adeó enecari, vel saltem opprimi ut quanquam velitationem levem & nisum quendam inanem truculentis admodum Lumborum Spasmis, & Spasmodica Ureterum contractione cum micturatione cerebra prodant, nequeant tamen ad pugnam venire, & Symptomata accersere, quæ cùm vires integræ sunt, solent supervenire, scil. Vomitionem frequentem, ægritudinem universalem, Jactationem inquietam, Hypochondriorum Oppressionem sive Distentionem. Tunc universo Remediorum vel *Antipestilentialem* ipsorum apparatu flamma vitalis exsuscitanda est, atque Spirituum ferre extinctorum expansi tempestivè & incunctanter in hoc primo stadio promovenda, antequam inani Crisi tentata de Ægro penitùs conclamatum fuerit. Neque est quod de immodico hujus regiminis calore metuamus; Vita enim Ægrotantis, non tam à Febre quam à veneno ipso Spiritus delente in discrimen ducitur. Ideoque Ægro non tantum Vini generosi momentum sæpius propinare licet, verum etiam *electuarium de Ovo*, *radicem Serpentariæ Virginianæ*, *Theriacam Andromachi*, *Mithridatium*, *Diascordium*, *Aquam*, *Epidemiam*, *Theriacalem*, *Spirituum* &c. *Vesicatoria*, & reliqua remedia generosa in Pestis curatione communi Medicorum consensu adhibita, ministrare. Ex. gr. ad Spiritus stimulandos applicentur jugiter Vesicatoria ampla & acria ad Nucham, carpos sive quamcunque alteram Corporis partem opportunam, in cujus Poros inter tractandum frigus non invadat 2ℓ. *Theriac. Androm. Mithridat. vel Diascord.* ℈ii. *Lap. Contrayerv. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Rad Serpentar. Virgin.* an. *gr. xii. Syrup Caryoph. q. s.* M. F. Bolus, quem Æger deglutiat superbibendo Cochl. *iv.* vel *v. Julap.* sequentis, repetatque sexta quaque hora vel sæpius 2ℓ. *Aqu Flor. Calendul. Meliss. Cerasor. nigr.* an. ℥iii. *Epidem. Theriacal. stillat.* an. ℥ii. *Syrup. Caryoph.* ℥iß. M. F. *Julap.* Vel 2ℓ. *Electuar. ex ovo Theriac. andromac.* ℥ß. *pulv. bezoar. orient. rad. serpentar. Virgin. Cochinel.* an. ℈ß. *Syrup melissophyl. q. s.* M. F. Bolus Sumat cum haustu Julap. sequent. repetatq; sexta quaq; hora ut prius 2ℓ. *Aqu. meliss. Cerasor. nigr.* an. ℥iv. *epidem.*, *Theriacal. stillata* ℥ii, *tinctur. Croc.* ℥ii. *Sp. CC. vel salis Armon.* ℥ß. *Sacchar. perlat.* ℥vi. M. F. *Julap.* Vel 2ℓ. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. contrayerv. Rad. Serpent. Virgin. Bezoa. orient. Cochinel.* an. ℥ß. M. pro Chartul. *iv.* quarum unam capiat 4. vel 5. quaque hora è Cochleari Julap. præscript. superbibendo Haustulum ejusdem. In subsequenti equidem stadio rarò admodum quibuscunque Artis sæppetiis ex Orci faucibus eripiuntur ejusmodi Ægrotantes, cum jam post Crisin funestam Hæmorrhagiis cæterisque mortis adstantis prænunciis Symptomatis tentantur. Ante Crisin verò incœptam adeò impossibile est hac methodo tempestivè & Assiduè usurpata Spirituum expansione promovere, atque fatum Crisi magis fida ac perfecta antevertere.

[*c*] Quod si ex Pulsu forti & æquali conjuncto cum *Vomitione* enormi, sive cum *Fluxu Alvi*, *Dolore capitis*, *lumborum* & *Artuum* versatili, *Epilepticis*, *Jactatione* inquieta, *Hypochondriorum oppressione*, *Sudore colliquativo*, *Deliriis*, *Vigiliis*, cæterisque id genus Spirituum cum Veneno fortiter luctantium Symptomatis constet eorum Vires & Veneni propemodùm esse pares, ut sæpenumerò usu venit, Medici est à partibus Naturæ stare, & Alexipharmacis plus minus adhibitis Spirituum expansionem con-

[*a*] *In maligno morbo.* [*b*] *Vide Histor.* 30. 31. 32. 36. 37. 38. 39. 40. 41. &c.
[*c*] *In medio morbi statu.*

conſervare, vel quidem promovere, atque Symptomata, quæcunque fuerint, quæ in hoc ancipiti ſtatu modum excedere ſolent, Remediis Propriis tempeſtivè allevare, priuſquam ſcil. vires inde multum labefactatæ fuerint; Quantum enim ſpiritus obruuntur, tantum Venenum augeret, atque facile admodum à Symptomate quovis vehementiori in gradum planè exitialem & funeſtum evehitur, ut ut ab initio fuerit mitius, quod à ſubita Pulſus mutatione inde facta, cuivis attentè exploranti innoteſcit. Ad vigorem autem ſpirituum in hoc æquali certamine conſervandum ſufficiunt Alexipharmaca mitiora, uti *pulv. è Chel. Cancr. Lap. Contrayerv. Theriac. Androm. Aqu. Epidem. &c.* Ex. gr. Sæpiùs exhibeatur Julapium Cordiale cum ſpeciebus ante memoratum. Vel, ℞. *pulv. e Chel. Cancr. comp. Lapid. Contrayerv.* an. ℥i. M. pro *iv.* chartulis, quarum unam cap. quarta vel ſexta quaque hora è Cochleari Julap. ſequent. ſuperbibendo ejuſdem Cochleari *iii.* vel *iv.* ℞. *Aqu. Meliſſ. Ceraſor. nigr.* an. ℥iv. *Epidem.* unc. *ii. Tinctur Croc.* ℥i. *Syrup. Caryoph.* unc. iß. M. F. *Julap.* Vel ubi Fluxus alvi aut Vigiliæ adſint, ℞. *Theriac. Androm.* ℥ß. *pulv. e Chel. Canc. comp. Lap. Contrayerv.* an. *gr. xv. Syrup. Meliſſophyll.* q. ſ. miſceatur fiat *Bolus*. Sumat cum Hauſtul. *Julap.* præſcript. repetatque deinceps ſexta quaque hora.

[a] Symptomata eti ã à niſu Spirituum nimio jam ſuborta [quoties ea modum excedere contingerit] opportunè mitiganda ſunt ut ut hoc fieri non poſſit niſi *Venæ ſectione*, *Opiatis*, *Emeticis*, vel *Enematis* & *Catharticis* ipſis cæteriſque id genus, quæ ſpirituus quadantenus minuendo in ordinem redigunt: Expanſionem enim Spirituum Alexiteriis ut ut generoſis adhibitis in caſſum molimur, quos proprio niſu & contentione nimia derepente corruere neceſſe eſt. A quovis enim hujuſmodi Symptomate vehementiori ſpiritus magis deleri, atque vitam Ægrotantis in diſcrimen citius ſæpenumero duci quam à primario Veneno omnibus fere in Medicina exercitatis notum eſt; Cardo autem totius curationis in hoc maximè vertitur, & in hoc ſolertia medici maximè requiritur ut illa Remedia, præſertim quæ ſingula Symptomata vehementiora jure exigunt, adhibeantur, ideque opportunè, priuſquam ſcil. Spiritus hiſce Symptomatis diu attriti quodam *necroſeos* haud facile ſuperando gradu affici, vibratione Arteriarum debili ac inordinata prodant; atque denique ut aſſiduo Alexiteriorum incunctanter poſtea exhibitorum uſu vires Spirituum ſive à ſymptomatis præcedentibus, ſive à Remediis in eorum allevationem miniſtratis priùs deletæ ac fractæ jam demùm Arte exſuſcitentur & in ordinem redigantur, ut articulo Criſeos inſtante officium ſuum ad norman Naturæ ritè exequi valeant.

(b) A *Diarrhœa* præſertim torminoſa [ut ut mitis fuerit) ſpiritus adeo obrui & quidem diſſipari vel nutricibus & mulierculis notum eſt, ut ea perſtante eruptio Variolarum: Saltem genuina & legitima fruſtra expectanda ſit, non ſane eo quod materia Variolarum, ut fere opinio Vulgi, inde ſubtrahatur, (ſic enim via compendiaria morbi Curatio feliciter abſolveretur, quod nuſquam hactenus obſervatum eſt.) Verùm potius eò quod ſpiritus à Fluxu præſertim enormi planè fracti & diſſipati nequeunt amplius venenatum miaſma è ſinu ſuo fortiter excutere; unde neceſſe eſt, ut Machina inani Spirituum irretitorum niſu, Deliriis, Vigiliis, atque variis Spaſmis agitata & confecta (ut quotidie fit) quaſi à Toxico quodam interempta extemplo corruat, Indeque par eſt ut Ægrotans à Cerevisia, poſſetala, ut quovis alio liquore. Floribus Cereviſiæ fermento penitùs abſtineat, eorumque in locum Decoctum album, ſive alium aliquem potum gratum ſubſtituat, qui Colliquationem Humorum, eorumque Fluxum verſùs Inteſtina minime promoveat; Opiata autem & Adſtringentia præterea adſciſcat, ſenſim aſcendo ad eum gradum, quo demùm

(a) *Vide hiſtor.* 12. 14. 16. *&c.* [b] *In fluxu alvi enormi*

demum deleterium hoc Symptomata; saltem ante tempus instantis Crisεos rite coerceatur, siquidem à Fluxu Alvi collapsum virium citiorem, atque Spirituum deletionem magis properam exspectare fas est, quam quacunque repetita licet Laudani dosi convenienti ac moderata in exitialis hujus Symptomatis allevationem adhibita. Ideòque ut ut in hoc Morbi stadio Opiata spiritus sopiant & eorum vires minuant ac coerceant, & quantum fieri potest evitanda sint; urgente tamen hoc; sive quovis altero symptomate deleterio, quod eorum opem jure postulat, (a) non est quod eorum usum ampliùs reformidemus, modo cum Alexipharmacis maximè generosis, quæ Spirituum vires simul fovent ac instaurant commixta adhibeantur, & ad præsens Symptomata ita sint accommodata, ut neque excedant quantitatem à Symptomata requisitam, neque diutius quam res ipsa efflagitat, usurpentur. (b) Ex. gr. ℞. *Theriac. androm.* vel *confect. fracastor.* gr. iv. vi. viii. ʒß. ʒi ʒß. respectu habito ad ætatem, *Spec. confect. de Hiacinth. pulv. è chel. canc. comp. Lap. contrayerv. Serpentar. Virgin.* an. gr. ii. iv. viii. ʒß. *Sirup. carioph. q. s.* M. F. Bolus, quem cap. per se, solut. in Cochleari Julap. sequent superbibendo ejusdem Cochl. ii. iii. iv. v. repetatque quarta vel sexta quaque hora pro re nata ℞. *Aqu. Melissæ. ceras. nigr. Cinnam. hord.* an. ʒiii. *Epidem.* ʒii. *Sirup. carioph.* ʒiß. M. F. *Julap.* de quo bibat ad libitum. Singulis etiam Bolis (modo Fluxus vehementia id postulet) Laudan. liquid. *gutt.* ii. iv. vi. viii. xii. adjicere licet, Vel. ℞. *conserv. Ros. rub. Diacidon. per Setac. traject.* an. ʒß. *Diascord.* ʒii. *Troch. de Carab.* ʒiii. *Bol. ver. Lacrim. Sang. Dracon. pulv. Serpentar. Virg.* an. ʒß. Syrup. myrtil. vel diacord. *q. s.* M. F Electuar. de quo cap. quantum æquet nucem moschatam parvam, Avellanam, vel Juglandem, quarta quaque hora superbibendo haustum Julapii præscripti, Junioribus Cochl. *ii. iii.* vel *iv.* sequentis quarta quaque hora agitata phiala propinanda cum eventu secundissimo præscribere soleo ℞. *Aqu. Ceras. nigr. Cinnhord.* an. ʒiii. *Epid.* ʒi. *Conf. fracastor.* ʒi. *palv. e chel. Cancr. comp. Lap. contrayerv.* an. ʒß. *Sirup. de Mecon.* ʒi. misceatur fiat *Julap.* Fluxu autem cessante, convenit, usque ad Crisin incœptam, spirituum à symptomate præcedenti deletorum, sive an Opiatis sopitorum expansionem moliri, vel saltem conservare continuato Alexiteriorum jam descriptorum usu, demptis Opiatis, aut quidem diminutis.

(c) Vomitionis autem non eadem habenda est ratio ac Diarrhœæ hoc morbi stadium comitantis, quippe hæc uti à spirituum imbecillitate semper oritur, ita in quemcunque gradum evehitur, pari passu eosdem prosternit; illa verò utpote à Spirituum noctem aggredientium nisu primùm orta; ad eorum expansionem debitam conservandam plurimum conducit, modò cancellis justis coerceatur. Ideoque haud statim supprimenda est, licet materia Variolarum secundum Opinionem Vulgi [cui ratio & experientia refragantur] inde non subtrahatur vel diminuatur. (d) Ubi autem crapula vel Ingluvies morbum excitaverit, ubi Ventriculus sarcina chyli aut humorum molesta oppressus, seu quavis alia de causa inani vomendi conatu fatigatur: & sese in cassum ab onore liberare diutius tentaverit (e) haud absonum est facultatem Ventriculi expultricem largis haustibus liquoris possetici foliis *cardui benedicti* alteratis sæpe propinatis vel tantillo *Salis Vitrioli* vel *Oximelitis Scillitici* cum eodem liquore commixti [si opus fuerit) leniter irritare, Spiritus oppressi liberiùs expansi officio suo felicius fungi valeant, licet nulli Author ero, ut Antimoniale, sive quodvis aliud Drasticum Emeticum sine urgenti necessitate exhibeat, ne spe inani Materiæ Varioloſæ inde minuendæ deceptus, revera Spiritus enormi vomitione adeo fatiget & dissipet, ut instante Crisi, Veneno extirpando

legi-

(a) *Vide histor.* 31. *partem ult.* 30. (b) *Opiatorum usus, & qualium.*
(c) *In Vomitione enormi.* (d) *Usus vomitorium qualis.* (e) *Vide histor.* 10.

legitima Variolarum eruptione minùs pares evadant, (a) ut sæpissimè usu venit. Evacuatione autem hac levi peracta, illicò tumultum Spirituum compescere oportet, eorumque vires conservare Alexipharmaco aliquo Remedio cum Opiato commixto, & post intervalla justa, quoties opus fuerit, repetito. Ex. gr. ℞. *Theriac. Andromac.* ℈ß. ℈i. ʒß. *pulv. è Cdel. Cancr. Lap. Contrayerv.* an. *gr. v. x. xv. Syrup. Carioph. q. s.* M.F. Bolus sumat per se vel solut. in Cochl. Julap. sequent. superbibendo ejusdem Cochl. *iii.* vel *iv.* repetatque quarta vel sexta quaque hora. ℞. *Aq. Melis Flor. Calendul. Cinnam. hord.* an. ʒiii. *Epidem. Menth.* an. ʒii. *Salis Absinth. gr. xii. Syrup. Carioph.* ʒß. M.F. Julap. Vel pro Junioribus. ℞. *Aq. Cinnam. hord. Cerasor. nigr.* an. ʒiii. *Epidem.* ʒi. *Confect. Fracastor. pulv. è chel. cancr. comp.* an. ʒi. Colaturæ add. *Syrup. menth. compositi. vel Carioph.* ʒi. M.F. *Julap.* de quo sumat Ægrotans Cochl. *ii. iii. iv.* [respectu habito ad ætatem] agitata phiala, tertia vel quarta quaque hora. Cum autem Vomitio eo processerit, ut spiritus perpetuò fatigati & prostrati Pulsum debilem & inæqualem reddere incœperint, quocunque modo convenienti compescantur oportet & coerceantur: Ex. gr. Fermento Ventriculi venenato largis Haustibus decocti Pulli tenuissimi, liquoris Possetici, sive alterius alicujus mitioris menstrui prius diluto, par est ut Opiatis ipsis sensu ejus quadantenus obtundantur, nec non ope Alexipharmacorum commixtorum vis Spirituum expansiva juxta conservetur & foveatur Formulam mihi familiarem lubet hic loci adiungere ℞. *Aq. Card. Lactis Alexiter. Cinnam. hord. Menth. Stephan* an. ʒii. *Salis Absinth. gr. vii. pulv. Serpentar. virgin. e Chel. Cancr. comp. Lap. Contrajer.* an. ʒß. *Sirup. Cariophil.* vel *Menth. comp.* ʒiß. M.F. *Iulap* de quo Ægrotans Cochl. *ii. iv. vi.* respectu habito ad ætatem (agitata phiala) repetatque quaque hora addendo singulis dosibus *Laudan. Liquid. Helmont. gutt. i. iv. viii. xii.* vel *xiv.*

(a) Est insuper, ubi spiritus in hoc primo Morbi stadio à Venenato fermento lacessiti in motus adeò efferatos ac planè spasmodicos in Capite, Præcordiis, Lumbis, Intestinis vel alia quavis parte adigantur, ut ab atroci & Lancinante Dolore inde orto *Pleuriticæ*, *Nephriticæ*, *colicæ* aut alterius alicujus Rheumaticæ affectionis æmulo tota machina in subitum discrimen ducatur, Pulsus illico in debilem mutetur, atq; temperies præsertim extremorum mitis si non frigida reddatur, unde necessario spiritus labefactantur (quanquam mite fuerit primarium Venenum] & nisi artis ope Symptomata opportunè tollantur, Natura in subsecutura Crisi causa cadit; & Variolæ *confluentes* vel saltem *cohærentes* erumpunt, & Morbus inde in reliquis stadiis malignam & planè funestam naturã induit; Ideoque Medicus ante omnia vehementia hæc Symptomata propriis Remediis tempestivè, sc. priusquam Spiritus quovis *necroseos* gradu inde afficiantur, mitiget oportet, (quanquam Remedia in hunc finem adhibenda, *v.gr. venæ-sectio*, *Opiata*, vel quidem Cathartica ipsa minùs æqua & apta respectu ad venenatum fermentum habito videantur: quod vero violatum est ista praxi compensetur, non procrastinata & liberali Alexiteriorum maximè generosum ope quam primum sc. hæc symptomata, spiritibus in ordinem redactis, sublata fuerint. Atque equidem nullus dubito plures ex Symptomatum horum vehementium neglectu, quam à veneno primario Variolis confluentibus & malignis interemptos periisse; Quo pacto autem Symptomatis à Spasmodico hoc Spirituum statu subortis subvenire liceat, restat iam dicendum.

(b) Quamprimum constet Cerebri Meninges, vel Lumborum aut artuum Musculos huiusmodi Dolore fixo & supra modum truculento excruciari Medicus spasmorum solutionem, Venæsectione

li-

(a) *In Dolore spasmodico fixo.* (b) *In dolore Capitis, Artuum vel Lumborum lancinante & spasmodico; Venæsectionis usus.*

liberali, eaq; [si opus fuerit] repetita moliatur oportet, idq; incunctanter, & si fieri possit, priusquam Spirituum *atonia* inde effecta extremarum partium Algorem, atq; Arteriarum vibrationem debilem & vacillantem induxerit, atque deinceps eorumdem expansionem moliatur Vesicatoriorum applicatione atque Alexiteriis admodùm generosis frequenter exhibitis; ea tamen lege, ut cum Opiatis Alexiteria semper commiscentur, ut Spasmi penitius solvantur, aut saltem eorum revirescentia præcaveatur: Ex. g. applic. *Vesicatoria* ampla & acria ad Nucham & Carpos internos supra Pulsus, & quarta vel sexta quaque hora *Bolus* sequens cum Haustu *Julap.* ministretur. ℞. *Theriac. Androm. gr. v.* ℈ß. ℈j ʒß. respectu habito ad ætatem, *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Serpentar. Virgin.* an. *gr. iv. vj. viij.* ℈ß. *Laudan. Liquid. gutt. iij. v. viij. x Syrup. Carioph. q. s.* M. F. *Bolus.* ℞. *Aqu. Meliss. Rut. Cerasor. nigr.* an. ʒiii. *Pæon. Brion. comp.* an ʒiß. *Tinctur. Castor* ʒiß. *Spir Sal. Armon.* ℈j. *Sirup. Pæon. comp* ʒiß. M. F. *Julap.* de quo Ægrotans bibat ad libitum.

(*a*) Ubi autem Pulmonem, Pleuram (*b*) & reliquas partes Respirationi dicatas dolore hoc fixo horrendo & atroci affici contingit, ad spasmorum horum dirorum allevationem necesse est ut post Venæ sectionem tempestivè celebratam *Linimenta* & Fotus anodyni externè ad partes affectas calidè applicentur, & reliqua posthac in Cap. de *Pleuritide* memoranda adhibeantur, Præ cæteris autem *Opiata* cum Alexipharmacis & Specificis commixta liberali manu atq; repetitis dosibus ministrentur. Ex. gr. ℞. *Theriac. Androm. gr. v* ℈ß ℈j. ʒß. *pulv Flor. papav. Rhœad. gr. v. viij xij. Mandibul. Lucii, Dent Aprugn. Ciner. priap. Cervor. an. gr. iij. v. vij ix. Sirup. Carioph. q. s. Laudan. liquid. gutt. ii, v, vij.* M. F. *Bolus.*

[*c*] Si ab explosione spirituum in Intestinis, vel Intestinorum convolvulo & dolore immani, tanquam in Colica Passione sursum omnia ingesta rejiciantur, par est, ut non tantùm Venæ sectione nisus Spirituum minuatur, & Spasmorum allevatio incunctanter tentetur, verùm etiam ut *Linimentis* anodynis ad partes affectas calidè applicatis *Opiatis, Enematis & Catharticis* ipsis, & reliquis post hac in *Cap. de Colica Passione* memorandis funestum hoc Symptoma averruncetur, Ab eo enim Vita Ægrotantis magis in discrimen ducitur, quam à Veneno primario, vel Remediis in Symptomatis allevationem exhibitis labefactati, quo spiritus minùs pares officio suo redduntur. Adde quòd, Spasmis hoc pacto solutis, facilè admodùm Alexipharmac. cum Opiatis conjunctis Spiritus rursùs expanduntur & excitantur. Post Venæ sectionem igitur injiciatur Enema *Lactis Saccharat. floribus Chamæmel.* alterat: Vel quodcunque alterum ejus æmulum: & foveatur Abdomen Linimento sequenti calefacto, ℞. *Unguent. Dialtheæ* ℥ß. *Ol. Lil. alb. Laterit.* an. ʒiij. M. F. *Liniment.* Quod si Spasmi Dolor & reliqua Symptomata comitantia inde non solvantur: nec fæces cum bombis copiosè dejiciantur, exhibeatur Infantulis & delicatioribus Bolus sequens, ℞. *Calomel. Diagrid. Sulphurat.* an. *gr. vi, viij. x, xij. Sirup. è Flor. Persic. q. s. Laudan. liquid. gutt. iv, vj, vij. x, xij.* respectu habito ad ætatem. M. F. Bolus. Adulti autem & magis robusti Pilulas sequentes deglutiant, ℞. *Extract. Rub.* ʒß *Laud. Lond. gr. iß.* M. F. *Pil. iv.* deaurand. Solutis autem Spasmis, & motu Intestinorum Peristaltico restituto, Fecibus etiam bombis copiose dejectis, expansio Spirituum promoveatur, & Spasmorum recrudescentia illicò antevertatur, diligenter & frequenter repetito Alexipharmacorum & Opiatorum usu. Ex. ℞. *Theriac. Androm. gr. v, viij,* ℈ß. ℈j. ʒß. pro ratione ætatis, *Pulv. Bezoar. Mag. gr. iij, v, viij. x. Pulv. Serpentar. Virg. Bezoar. Orient. an. gr. iv, vj. viij, x, xij. Sirup. Carioph. q. s.* M. F. *Bolus* exhibendus cum Haustui *Julap.* cujuscunque Cardiac. ante memorati.

(*d*) Explosio autem universalis ac versatilis orta ex Spiritibus in ultimo quasi agone contendentibus, in tota Machina In-

(a) *In dolore Pleuritico seu Peripneumonico.* (b) *Vide Hist. 16.* (c) *Dolore Colico.* (d) *In Insultibus Epilep.*

Insultus Epilepticos simulans non adeo formidanda est, ac nisus eorum immanis & crucians & in quavis parte determinata fixus, siquidem universa vis Spirituum in hoste aggrediendo jam occupatur, unde brevi, & sine multa & diutina virium jactura, comate profundo, cæterisque id genus funestis Symptomatis præcedentibus ictu quasi oculi citius ultro evanescentibus Natura sæpius victoriam integram Crisi perfecta reportare solet. Vix enim usquam aliam quam regularem & discretam Variolarum eruptionem post dirum hoc & visu horrendum Symptoma subsecutam memini, quod etiam Cl. noster *Sydenhamius* olim observavit, Non est igitur ut Medicus hac in re anxius hæreat, verum potiùs Amicis Ægrotantis diro hoc Symptomate perterritis animos addat & Spiritibus in hoc agone attritis & fatigatis, *Vesicatoriis*, *Alexipharmacis* & *Cephalicis* opportunè succurrat, ut vis eorum expansiva conservari, & Symptomatis adeò diri recrudescentia anteverti possit methodo sequenti. Applicentur scil. *Vesicatoria* ad Nucham & carpos internos supra pulsus, Remedia autem intus sumenda ut ut repetitis vicibus parva tamen quantitate ministrentur, Juniores enim solummodo huic symptomati sunt obnoxii, ℞. *Aqu. Flor. Tiliæ*, *Cerasi. nigr.* an unc. *iij. Pæon. comp. Epidem. an.* unc. *j. pulv. e Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Serpentar. Virginian. pulv. de Guttet an.* ℥ß *Sacchar. alb.* unc. ß. vel *Sirup. de pæon. comp.* ℥x. M. F. *Julap.* de quo cap. Ægrotans Cochl. *ij. iij, iv.* pro ratione ætatis tertia vel quarta quaque hora, agitata phiala. Durante verò insutu sæpe natibus admoveatur *Sp.* CC. vel *Salis Armoniac.* vel Tempora, Nares & volæ manuum oleo *Succini* sæpius illinantur, Sin Spasmi diutius durant vel sæpius recrudescant, præsertim si Ægrotans hisce insultibus antehàc obnoxius fuerit, & Pulsus interea fortis æqualis permanserit, [a] non abs re erit insuper Sanguinis ℥ij. *iv. vj.* pro ratione ætatis è brachio incunctanter detrahere, ad conservandum tonum Cerebri, & ad Apoplecticum sive quodcunque aliud grave symptoma, durantibus hisce procellis, averruncandum.

(b) *Sopor* seu Gravedo Capitis est affectus [si quis alius] adeò huic Morbo proprius, atque ejus præ humorum in cerebro congestorum & à Veneno agitatorum copia ferè Pathognomonicus; ut dum modum servet non sit quod cura aliqua specialis ad eum tollendum à Medico adhibeatur, in Crisi enim mox subsecutura, cùm Spiritus à Veneno non amplius conturbantur, non potest non sponte evanescere, si non priùs in Insultu epileptico ex prægrandi spirituum nisu fuerit subito solutus (quod sæpe accidit.) Ubi verò præ Humoribus in Cerebrum undiquaque confluentibus [cujus rei Pulsùs magnitudo indicium est] vel deleterio Veneni gradu Spiritus obruente & ferè enecante, Pulsus debilitatur, & Subsultus Tendinum inducatur, & Æger, urgente symptomate, diu plane attonitus fere ad instar Aplopleclici decumbat, par est ut diversimodè pro varia causæ ratione Naturæ languenti vel oppressæ statim succurratur. Ex. gr. ubi Pulsus fuerit debilis, Spirituum expansionem promovere oportet frequenti Vesicatoriorum applicatione, & Alexipharmacorum exhibitione, in modum sequentem, ℞. *Pulv. e Chel. Canc. comp. Lap. Contrayerv. an.* ℥ß. *Serpent. Virg.* ℈i. M. F. Chartul. *iij. iij, iv, v*, pro ratione ætatis, quarum una detur 4 vel 6. quaque hora è Cochl. *Julap.* cujuscunque Cardiac. (c) Ubi verò ex forti & regulari Arteriarum vibratione constat Spiritus esse oppressos potius quam deletos, detrahantur Sanguini ℥ij. *v. vij. ix.* pro ratione ætatis è brachio ante usum Vesicatoriorum & Alexipharmacorum.

(d) Vigilias autem continuas & pertinaces in hoc atque quovis altero subsequenti hujus Morbi stadio, semper, idque jure merito suspectas habere soleo; atque proinde quamprimùm arte allevandas duco. Siquidem à nisu inani & inordinato Spirituum motu provenientes vires

[a] *Vide Histor.* 12. (b) *In Comate supra modum Profundo.*
(c) *Vide Histor.* 12. 41. [d] *In Vigilliis & Deliriis.*

res jam planè fractas atque à deleterio veneno interturbatas ut plurimum arguant: Insuper à jactatione corporis inquieta inde effecta, à motu efferato & Deliriis conjunctis, Spiritus magis magisque in dies labefactati non possunt non demùm subitò corruere. Ea enim est peculiaris hujus venenati fermenti indoles, ut ab ipsis Morbi primordiis usque ad ejus finem Spiritus magis minusve inquietos reddat, qui quò magis agitantur, eo magis debilitantur; unde *Laudani* ipsius [ut ut Spiritus coerceat, ac deprimat] usus in hoc Morbo magis quàm in quovis alio, quanquam mali moris fuerit, adeo necessarius inveniatur, ut sine eo nihil fere in curatione Variolarum perfici possit. Maturationem autem stupendam in deplorato hujus Morbi statu ex paregorico exhibito paucarum horarum spatio sæpenumero effectam, atque [a] plurimos ab Orci faucibus ejus usu repetito liberatos, & varia Morbi stadia, ubi omnia Symptomata exitialem & planè funestum Morbi genium prodiderint, adjuvante somni requie tutò transegisse omnes fere Medici observarunt. At ubi Vigiliæ in hoc stadio pertinaces fuerint, non rarò in proximo stadio Exanthemata confluunt, quorum eruptioni Deliria, Spasmi, cæteraque funesta Symptomata superveniunt, quo nomine hoc Symptoma Venæ-sectione & Opiatis, ut ut Spirituum vires inde minuantur, in hoc stadio opportunè cohibere par est, adhibitis interea Vesicatoriis & Alexipharmacis ad modum sequentem; applicentur scil. illico ad Nucham & Carpos internos *Vesicatoria* ampla & acria, atque Bolus sequens solutus in Cochl. Julap. exhibeatur, & 4 vel 6 quaque hora donec somnus obrepere incipiat repetatur, ℞. *Theri. ac. Androm.* vel *Confect. Fracastor. gr. iij. vi.* ℈ß. ℈j ℥ß. pro ratione ætatis *Pulv. e Chel. Canc. comp Lap Contrayerv.* vel *Goan.* & *Pulv. de guttet. an. gr. iij iv, v, vij.* ℈ß. *Syrup. Pæon. comp.* q.s. M.F. *Bolus*, unicuique verò Bolo addantur *Laudani Liquid. gutt. ij. iv, viij. xii. xx.* imo *xxx.* pro ratione ætatis, Opii *euphoria* & symptomatis vehementia, sensim ascendendo ℞. *Aqu. Flor. Paralys. Cerasi-nigr. an.* unc. *iv. Epidem. Pæon. comp. an.* unc. *j.* vel ℥x. *Tinctur. Castor.* ℥ß. *Syrup. Pæon. comp* ℥*i*, *de Mecon.* ℥*iij.* vel *vj.* M.F. *Julap.* de quo bibat Æger Cochl. *ij, iij, iv, v,* post singulos Bolos atque etiam ad libitum. Sin Pulsus sit fortis & conducet, non abs re erit ut feliciùs scopum assequi possint, imo plurimum conducet, venam priùs tundendo Spirituum orgasmum quadantenus sedare, pro ratione igitur ætatis & virium Sanguinis ℥*iii*, *v. viii. x.* è cubito detrahantur priusquam ex efferato hoc Spirituum motu diutiùs continuato vibratio Arteriarum vacillet, & vires Spirituum adeo frangantur ut Venæsectionem prorsus non tolerent, nec Opiatorum usum salubrem admittant. Atque hæc de hoc primo Morbi stadio dicta sunt.

C. A. P. VIII.

De Variolarum eruptione sive secundo Morbi stadio, quod ejus statum atque Crisin continet sive perfectam sive imperfectam, atque de varia Febris Exanthematum cæterorumque Symptomatum indole pro ratione Criseos plus minusve perfecta: de signis Diagnosticis Variolarum in genere atque Benignarum, vel plus minus Malignarum in specie: de signis Prognosticis ad hoc Morbi stadium spectantibus, Indicationibus Curativis atque methodo medendi.

UBI Spiritus qui in priori stadio, (quod Morbi *principium* & *Incrementum* continebat) cum Veneno crebriùs contenderunt, sensim tandem altissimum expansionis gradum obtinuerint, exordium capit *secundum Variolarum stadium*, quod Febris *Statum* & *Crisin* complectitur, in quo spiritus totis viribus quibus pollent Miasma Venenatum è sinu suo excutere satagunt & per Portam à Natura designatam Glandulas scil. Cutaneas propulsare & persequi moliuntur. *Eruptio* autem *Variolarum* speciem non

[a] *Vide Histor.* 48. 19. &c.

non ſemper eandem induit, ſed pro ratione Veneni plus minus exterminati, atq; vigoris Spirituum magis minuſve inde reſtituti valdè diverſimodam. Quo nomine ſtatus hujus Morbi & Criſis non poſſunt non pro varia Eruptionis ſpecie diverſo admodum modo ſeſe habere.

Ubi Spiritus à veneno penitus liberati haud amplius laceſſuntur atq; inde vigore quo lege Naturæ pollent reduce potiti partes ſuas, humores atq; facultatem univerſæ Machinæ Secreticem atq; Excretionem moderando ſtrenuè exſequuntur, Febris poſt breviſſimum atq; ferè imperceptibilem ſtatum, eodem ipſo die, tertio nimirum vel quarto eruptione incipiente Criſi perfecta exulat nec poſtea [modò juſtum regimen adhibeatur] moleſtias creat, unde Patiens tanquam integra ſanitate frueretur, temperie, pulſu, & appetitu derepente reſtitutis, hoc & reliqua ſtadia tranſigit planè *apyretos* atq; à *Dolore*, *Nauſea*, *Ægritudine*, *Vigiliis*, *Deliriis*, & reliquis Symptomatis Venenatis cum quibus Febris ante ſociata fuerat vacuus. Quid? quod maſſa humorum, Spiritu à Veneno non amplius agitato, ultro quieta in ſtatum ſanum illicò redeat; porro 3. *Exanthemata* parva inſtar Acu-punctarum hic illic primum in Facie, Collo, Pectore, Manibus & Brachiis, dein ſenſim in toto Corpore diſcreta, placidè & quietè erumpunt, nec non ab ipſis primordiis renitentem tumorem & figuram exactiſſimè rotundam obtinent, & rubedine ſaturata imbuuntur; ſecundo die baſes ſuas ſenſim ampliant; tertio verò ultra quem hoc ſtadium non excurrit, in ſummitatibus acuminantur, ſine *Ptyaliſmo*, *Diarrhœa* vel quovis altero moleſto ſymptomate conjuncto, quoniam Venenum per regiam viam ſatis placidè eliminatur.

Ubi verò e contra Venenum ſive primario, ex Accidente ſeu ſymptomate aliquo vehementiori conjuncto deleterium ſpiritus adeo ſuperaverit & enecaverit [non obſtante ultimo eorum niſu in præcedenti ſtadio] ut eo adhuc irretiti, imbelles atque officio ſuo fungendo plane impares reddatur, efflorescentia incœpta, Natura plane ſuccumbens derepente Cauſa cadit, atq; hoſti triumphanti manus dat, Febris adhuc perſtat, vires corruunt, ſymptomata diriſſima accerſuntur & in dies augentur uſq; ad fatalem diem. Compages purpureæ Maſſæ non amplius à ſpiritibus animata in colluviem tranſmutatur, unde nullus omninò Morbi ſtatus ſequitur, ſed efflorescentia quæ pro Criſi funeſta merito habenda eſt, quam Mors ut plurimum ſub initium proximi ſtadii excipit. At cùm diverſi ſint hujus Malignitatis gradus, de ſingulis aliquid dicendum eſt.

(*a*) Nonnunquam ſpiritus adeo ab initio à veneno peſſundantur, & compages Humorum inde adeo diſſolvitur & quaſi ſphacelo afficitur, ut ex efferato & inani vacillantium Spirituum impetu jam præpropere, primo ipſo vel ſecundo Morbi die, jam vero ob defectum juſti regiminis prius adhibiti, vel ob ſymptoma aliquod vehementius conjunctum nimis ſero, 5. ſcilicet vel 6. die (*b*) *Eruptio* ſeſe prodat, & univerſa cutis in inſtanti quaſi, rubedine ſaturata & profunda perfuſa, *Eryſipelatoſi* tumoris ad inſtar, (Maculis nigris hic illic interſperſis cum æquali ſuperficie quadantenus craſſeſcit. Quam quidem Eryſipelatoſam rubedinem cutis univerſa per triduum Eruptionis integrum retinet, Intumeſcentia intereà durante hoc ſtadio, (præterquam in Facie & Labiis, ubi Humores ab inani Naturæ niſu ad Venenum per ductus ſalivales eliminandum quadantenùs congeſti ſunt) nequaquam aucta uſq; ad primum *Maturationis* diem, & tunc demum Cutis univerſa, præſertim Faciei paullo ante fatalem horam colore in album mutato *Pergamenæ* ſpeciem viſu horrendam exhibet: atque hæc eſt peſſima & maxime exitialis *Variolarum confluentium ſpecies*, utpote à veneno intenſiſſime delerio orta, [*c*] neque

(a) *variolarum confluentium & malignarum eruptio.* [b] *vide hiſtor.* 29. 40. *&c.* (c] *vide hiſtor. jam memoratas.*

ſanè quenquam hac Efflorescentia universaliter confluenti affectum, ad secundum Maturationis diem superstitem novi. Proximè ad hanc accedit altera illa magis vulgaris, ubi (*a*) tota Faciei Cutis æquali & plana hac Efflorescentia perfusa, quadantenus ut in *Erysipelate* incrassescit & intumescit, atque primo Maturationis die, Pergamenæ ad instar universa albescere incipit, dum in Artubus & trunco Corporis Exanthemata fuerint ferè discreta; quæ tamen ob Spirituum defectum neque colore, magnitudine, vel figura Variolis regularibus similia sunt, verum quasi Morbillosæ Efflorescentiæ colorem minus vegetum, figuram incertam & diversam admodum magnitudinem obtinent adeo ut primo eruptionis die non nisi ex duritie quadantenus enitenti hæc exanthemata à *Morbillis* veris distinguere liceat, secundo autem & tertio die depressa adhuc & sessilia manent, & vix aut ne vix ob Spirituum languorem apices tollunt, & ob eandem causam ac si stagnaret Sanguis livescunt, unde mortem Ægrotantis sub initium Maturationis vix minus certo præsagire licet, quam si efflorescentia universalis in toto corpore confluëret. Est autem ubi Variolæ quasi *Discretæ*, verum admodum (*b*) parvæ & cohærentes ubique facie ipsa non excepta confertim erumpunt, quæ uti ab initio ob Spirituum languorem nullo ordine disponuntur, ita ob eandem causam in cæteris hujus stadii partibus minimè acuminantur, cute solummodo ac si ab Urticæ plaga exasperata, donec sub initium Maturationis albescentes confluant, & speciem Pergamenæ exhibeant; Quæ quidem Variolarum Confluentium Species non adeo fatalis est ac priores, rarius autem quenquam hoc modo affectum nisi ope Ptyalismi molesti diutius protracti, ingentis Urinæ profluvii, vel Intumescentiæ Artuum diuturnæ ad decimum quartum vel decimum quintum Morbi diem superstitem novi. Est autem denique ubi Variolæ erumpunt (*c*) discretæ, colore, figura ac magnitudine regulari, verum *Vesiculis aqueis*, *Petechiis*, vel *Maculis lividis* in interstitiis, præsertim in collo, Pectore & Artubus distinctæ; quæ maculæ seu Vesiculæ in hoc stadio erumpentes non minus malignam Morbi indolem produnt & funestum eventum præmonstrant, quam efflorescentia confluens universalis jam ante descripta: Siquidem hi Ægrotantes ut ut Variolæ sese habeant. Febre continua, Deliriis, Vigiliis, vel diro aliquo Symptomate à Veneno intus delitescente & Spiritus obruente malè mulctati demum Spasmis inexpectatis vel Comate profundissimo, vel altero quodam funesto symptomate correpti sub initium Maturationis satis derepente ut plurimum cedere solent.

(*d*) Ad quemcunque autem gradum Venenum jam evehatur, atque qualiscunque sit efflorescentia, sive confluens universalis vel particularis, sive discreta cum Petechiis & eruptione Miliari conjuncta, sive aliqua alia species maligna, Febris & symptomata hoc stadium comitari solita eodem ferè modo se habent, siquidem spiritus post Crisin inanem adhuc Veneno irretiantur & obruantur atque proinde Morbus sive hanc sive illam speciem induerit, indolem suam planè malignam plus minus prodit; quam ob causam (*e*) Febrem, eamque continuam & mali moris post hanc funestam Crisin, cum lingua arida temperie miti & Pulsu debili per totum hoc stadium protensam observare est, quæ neque prorsùs exulat ut in *Benignis* Variolis solet, neque ut in *Mediis* remittit vel intermittit; donec enim à Veneno saltem activo liberentur Spiritus, non possunt non luctando febrile certamen quantum possunt continuato nisu protrahere, ut ut viribus fractis in cassum, atque conatu planè impari cum Veneno contendant: Atque ab hoc inquieto motu & inani Spirituum conatu oriuntur (*f*) *Subsultus Tendinum*, *Coma* profundum, vel *Delirium* & *Vigilia* per-

[a] *Vide Histor.* 37. 38. *&c.* [b] *Vide Histor.* 22. 25. 26. 32. 33. 36. 48. *&c.*
(c) *Vide Histor.* 29. 30. 31. 47. (d) *Ratio Symptomatum in eruptione Variolarum malignarum.* (e) *Vide Hist.* 22. 25. 29. 30. 31. 32. 37. 38. 45. *&c.* [f] *Vide hist. jam memoratas*

pertinaciſſimæ, ad quas nulla *Opii* doſis modo ſalubris & tuta vel compeſcendas vel quidem allevandas ſufficit, cæteraque funeſtiſſima ſymptomata quæ mortem inſtantem denunciant & hoc ſtadium exitioſum reddunt. Potro cùm per Regiam viam Glandularum cutanearum Venenum imperfectè protrudatur, Natura ope *Sudorum Colliquativorum* vel *Diarrhææ* immodicæ aut denique *Ptyaliſmi* reliquias ejus amoliri ſatagit, & cùm ſalivalium Glandularum porta non ſatis patula *Profluvio Urinæ* hunc defectum compenſare tentat, unde moleſta illa Symptomatica (*a*) *Micturitio* ortum habet quæ ærumnoſorum ac funeſtorum Symptomatum hoc ſtadium comitantium ſatellitio non raro accedit, & ex ſpaſmodica Renum, Ureterum & Veſicæ urinariæ contractione ab inani & efferato Spirituum niſu in hiſce partibus ſæpiſſimè in totali Urinæ ſuppreſſione terminatur, qua fatalis dies plurimum accelleratur. Denique compage Sanguinis horum Spiritum ſemimortuorum vinculo non amplius cohibiti jam ſoluta, atq; inde in livideſcentem vel virideſcentem ichorem tranſmutata illico ſuboriuntur immanes [*b*] *Hemorrhagiæ* (funeſtiſſimum ſiquid aliud ſymptomata) Uteri, Renum, Alvi, Narium, Aurium, Pulmonis, Faucium, unde Æger ac ſi toxico maximè deleterio aſſumpto brevi purpuream efflat animam, & (*c*) ſanies, quæ lintea conſpurcat, tincturam haud raro lividam vel planè viridem poſt ſe relinquit nullo ſapone facilè eluendam.

(*d*) Ubi verò, ut ſæpè, vires Spirituum & Veneni propemodum æquales fuerint, Criſis non adeo cito ſuccedit, verum Lucta manet ad ſecundum vel tertium diem ab incœpta eruptione, qua durante dubio quaſi Marte dimicatur, (*e*) Febre in eodem fere ſtatu diutius perſtante, & cum Vigiliis, Deliriis, cæteriſq; ſymptomatis prioris ſtadii adhuc ſociata, demum verò ſecundo vel tertio die (Natura victoriam imperfectam licet reportante) poſt Criſin infidam & minus completam Febris intermittit vel ſaltem remittit, Pulſus, temperies & Appetitus reſtituuntur, & ſymptomata reliqua Febrem comitantia ceſſant, donec Venenum intus deliteſcens & non penitus excuſſum in ſtadio *Maturationis* revireſcat, & Febrem [*f*] *Synechon* & quadantenus malignam recidivam inferat, vel in ultimo ſtadio (ut ſæpè accidit) (*g*) *Synochi* & magi benignam. Quamdiu autem duret Febris ſtatus, & Criſis non terminetur, recentia exanthemata quotidiè nunc hic, nunc illic pullulant: Non enim ſimul ubique eodem die, uti Variolæ Benignæ erumpunt, verum primo die in Facie & Manibus, ſecundo in Brachiis & trunco Corporis, demum verò in Cruribus & Pedibus; imo non rarò ob debilitatam Spirituum œconomiam univerſus Truncus ab exanthematis liber animadvertitur, cùm interea admodum frequentia & ferè cohærentia Faciem & Artus ubique occupent. Aliquando verò in Interſtitiis primigeniorum Tuberculorum alia atq; alia quotidie ſuccreſcunt, adeo ut *Variolæ* quæ primo die *Diſcretæ* & ferè (*h*) Benignæ apparuerint, demum tertio die *Confluentium* aut ſaltem Cohærentium Variolarum formam gerant, incerta magnitudine præditæ, ut plurimùm verò ob ſpirituum languorem (*i*) minutulæ, quæ ob eandem rationem in principio eruptionis neque figuram ubique exactè rotundam, neq; ut Benignæ & Regulares, colorem vividum præ ſe ferunt, tardius etiam diebus ſequentibus baſes ſuas ampliant & apices tollunt, & quadantenus ſeſſiles & depreſſæ manent atque tactui palpantis utpote humore non adeo refertæ minus renituntur. Porro ſpiritibus Veneno latente adhuc quadantenus irretitis, provida Natura ultimo hujus ſtadii die priuſquam Febris revireſcere incipiat levi (*K*) *Ptyaliſmo* Fermentum opportunè amoliri ſatagit, quod per glandulas

(*a*) *Vide hiſtor.* 36. *&c.* [b] *Vide hiſtor.* 36. 37. 38. *&c.* (c) *Vide hiſtor.* 39. (d) *Eruptio Variolarum mediarum.* (e) *Vide hiſtor.* 14. 21. 42. (f) *Vide hiſtor.* 1. *&c.* (g) *hiſtor.* 21. 25. 26. 27. 28. 46. *&c.* [h] *Vide hiſtor.* 21. *&c.* [i] *Vide hiſtor.* 12. [K] *Vide hiſtor.* 14. *&c.*

Cutis haud satis amendare valebat, & iste Ptyalismus in ipsis Æstivis Variolis animadvertitur, ubi nulla ex exanthematis Uvulam, Tonsillas reliquasque Membranæ os intùs circumvestientis partes obsideant, & ansam Salivationi ministrent: in hyemali enim tempestate, ubi à frigore in poros Cutis invadente, Morbus hic haud rarò procatarxin habet, unde à Tussi & Exscreatione frequenti sæpe sæpiùs in Uvula, Tonsillis, cæterisque ori partibus æquè ac in externa Cuto Varioloſa hæc Exanthemata succrescere atque demum inflammari solent, haud mirum est Salivationem copiosam Variolas ipsas Benignas [ubi Venenum perfecta Crisi prius eliminatum fuerat] comitari solere. Hoc accidente autem duntaxat excepto, nunquam novi hunc Morbum eruptione regulari indicatum, cum Ptyalismo quovis leviſſimo in hoc aut subsequentibus Stadiis conjunctum, atque proinde *Salivatio* jure merito habenda est Symptoma Veneni per glandulas Cutis ex parte tantùm protrusi, atque ex consequenti Morbi maligni vel saltem medii, ubi Febris recidiva, & eventus saltem anceps expectari possit.

Historia hæc è rei natura petita pensi quod supereſt reliquo facem præfert, cujus ope describuntur facilè Criteria, quibus hic Morbus è Febre Scarlatina, Erysipelatosa, Morbillosa, & reliquis, si qui sint, morbi congeneribus distinguitur, Indoles morbi sive Benigna, Maligna vel Media perspicitur, eventus vel faustus, funestus vel dubius denunciatur, Indicationes curativæ eliciuntur, atque Methodus medendi ad hoc stadium accommodata stabilitur; quæ Capita cum brevitate quantum possumus perspicua seriatim tractare lubet.

[*a*] *Diagnosis* hujus Morbi in genere, atque peculiaris ejusmodi indolis in hoc stadio, potissimùm petenda est à modo Eruptionis & Febre concomitante. (*b*) Ex. gr. Variolæ benignæ ut ut primum in Fronte, Naribus, Labiis, Collo & Pectore se prodant, eodem tamen primo die in universa fere Corporis Cute ad extremos usque pedes æquabili vegetorum Spirituũ moderamini obsequentes discretæ, (*c*) & totidem Acu-punctur is non dissimiles in conspectum veniunt, quarum prima rudimenta vividum colorem, figuram exactissimè rotundam, atque duritiem quandam tactui palpantis renitentem tanquam Tubercula obtinent, & rarò admodùm diebus hujus Stadii reliquis numero augentur; quia Venenum à prima eruptione è sinu Spirituũ penitùs excussum erat, unde etiam Febris cum Deliriis, & Vigiliis, cæterisque Symptomatis repente & quasi momento temporis finitur, secundo die Tuberculorum bases vegeto Spirituum influorum robore mirum in modum ampliatur; tertio autem apices acuminantur, & humore turgescunt, primigenium intereà colorem vividum, & figuram rotundam, sine *Petechiis*, *Vesiculis Miliaribus*, vel quibuscunque aliis Malignitatis notis in interstitiis exanthematum, sartam tectam servantes. Quæ harum Variolarum descriptio cùm satis evidens sit atque à charactere diagnostico *Morbillorum*, *Erysipelatis*, *Febris Scarlatinæ*, sive cujuscunque alterius efflorescentiæ cutaneæ longissimè distet, non est quod multa verborum ambage & Diagnosticorum enumeratione hunc Morbum ab aliis Morbis, vel hasce Variolas à cæteri differentis indolis distinguendo, filum sermonis longius pertexamus. Hæc igitur Variolarum regularium & benignarum norma cùm sui & obliqui index sit, operæ pretium erit, ad eam respiciendo, fusiori stylo ostendere quo modo, & quam ob causam Natura in Variolis Mediis & Malignis formandis ab hac regula deflectat, & quibus Criteriis eæ à sese invicem; atque à Variolis benignis & cæteris congeneribus Morbis discerni possint.

(*c*) *Variolas Medias* (quæ frequentissimæ sunt & maximè vulgares) è quacumque alia efflorescentia cutaneà, sive Erysipelatosa sive Morbillosa vel Scarlatina dignoscere non adeò difficile est. Prima enim eruptione Variolis regularibus simillimæ sunt, tubercula colorem plus minus vividum, figuram rotundam, & duriti-

(a) *Diagnostica* [b] *Variolarum Benignarum* (c) *Vide Histor.* 3.

ritiem tactui renitentem obtinent; quibus notis sese à qocunque alio morbo congeneri satis evidenter distinguunt, quippe in *Efflorescentia Scarlatina* tota Cuticula æquali & continuata rubedine sine quavis renitentia perfunditur, in *Morbillis* etiam efflorescentia sit interstitiis distincta, incertam tamen figuram obtinet, & superficiem planam & æqualem sine duritie quavis renitenti, quia Cuticula, tenuissima Membrana in hisce efflorescentiis, non cutis vera afficitur: in *Erysipelate* autem ut ut cutis vera afficitur & in tumorem elevetur, tumor adeo latus & continuus atque ad partem aliquam singularem determinatus est ut ne minima dubitandi occasio ex hac parte detur. Quo pacto autem & quibus Criteriis hę Variolæ, durante hoc stadio, benignis & regularibus discernantur, restat adhuc inquirendum. Hæc autem Criteria præsertim ex duobus fontibus peti possunt, scil. ex febris comitantis differenti *crisi*, & diversa *Eruptionis* modo inde consequente. Siquidem primo in *Variolis regularibus & Benignis*, ubi à vi Spirituum forti & constanti universum venenū uno quo quasi impetu perfectè eliminatum fuerit, febris paucarum horarum spatio sine perceptili quovis Statu Crisi perfecta finitur, ut ante observatum est; ubi verò è contra ex æquali Veneni & Spirituum lucta ad unum vel alterum diem protensa *Status febris* longior fuerit & magis manifestus, & satellitio symptomatum diro stipatus, Crisis demum succedit imperfecta & minus fida, & febris nonnunquam ægrè admodum (*a*) ultimo hujus stadii die Remissionem tandem assequitur: unde ob reliquias Veneni delitescentes non potest in Stadiis proximis, vel citiùs scil. Maturatione incipiente speciem (*b*] malignam, vel serius instante Declinatione [*c*] *Synecheos* formam indure atque recrudescere. Ipsa etiam exanthemata ut ut in prima eruptione *Variolas discretas* & *benignas* simulent, tamen ante finem hujus stadii *Mediam* summodo naturam sese sortitas esse palam confitentur, imo nonnunquam ex vehementibus symptomatis hunc longiorem Statum comitantibus prope (*d*) ad Malignas se accedere produnt. Quo diutiùs enim protrahitur febris Status, & quo imperfectior Crisis, eò longius Variolæ a norma discedentes propiùs ad *Malignas* deflectunt *secundo*, *Variolæ Benignæ* primo eruptionis die una [*e*] omnes protruduntur, adeo ut tertio hujus stadii die, rarò aliquæ reperiuntur pustulæ, quarum stamina primo die accuratè intuenti non sese in conspectum dederint, unde numerus Variolarum atque earum frequentia isto die rectè cognosci potest: veneno enim penitus eliminato, lite inde dirempta non est quod à superfœtante Natura nova pustularum soboles expectetur; è contra vero in Variolis *Mediis*, à prima eruptione durante toto Status tempore, donec Venenum Crisi aliquali excussum fuerint, Pustulę in dies [*f*] aliæ atque aliæ exsurgunt in tuberculorum priùs natorum interstitiis: unde sub finem hujus Stadii in quibusdam partibus Pustulas ad maturandum aptas, in aliis vero recens natas una videre est; & Variolæ, quæ principio eruptionis Discretę & regulares videbantur, jam frequentes admodum sint & cohæreant, imo ferè confluant. Porò 3. Vigore Spirituum veneno adhuc irretiorum jam quadantenus depresso, iste Variolæ *Mediæ* neque 2. die (*g*) bases suas dilatant, neque tertio turgescunt & acuminantur, more Variolarum benignarum: atque ad finem hujus stadii parvæ, languidæ, quadantenus depressæ, sessiles, & fere ad instar confluentium manent, neque colore vivido tinctæ, neque figuram exactissimè rotundam servantes. Denique 4 Natura, cum præ spirituum Veneno labefactatorum languore haud valeat per exiles tuberculorum semine cum portas hostem amandare, cùm per patentiores ductus Salivales levi [*h*] Ptyalismo exterminare satagit; quem *ptyalismum*, (modo

(a) *Vide histor* 21. *&c.* (b) *Vide Histor.* 21. *&c.* (c) *Vide Histor.* 21. *&c.*
(d) *Vide histor.* 27. *&c.* (e) *Vide Histor.* 3. [f] *vide histor.* 21. 14. *&c.*
(g) *vide histor.* 14. 19 20. 21. 23. 42. 46. *&c.* (h) *vide histor.* 14. *&c.*

(modo non à Variolis in ore ſcatentibus oriatur,) quippe à Veneno imperfectè pro exanthemata exantlato ortum, jure merito habeo pro *Mediarum*, ſi non *Malignarum Variolarum*, Diagnoſtico.

Variolæ autem *Malignæ* parvam ſuam indolem characteribus evidentiſſimis produnt; ex quibus primo intuitu tum à cæteris quibuſcunque Variolis, cum à quovis alio Morbo congeneri facillimè diſtinguantur. 1. Ab Indole febris concomitantis, quę Maligna [a] eſt, cum pulſu nimirum debili & celeri, temperie miti, Deliriis, Vigiliis, Subſultibus Tendinum, reliquiſque id genus funeſtis Symptomatis conjuncta, per totum hoc ſtadium, protenditur: ſpiritibus enim à veneno jam deletis & poſt ultimum agonem ferè enecatis & extinctis, febris funeſta Criſi in hoc effloreſcentię ſtadio ad ἀκμὴν Malignitatis provecta, ut ut præ ſpirituum languore mitis videatur, uno tenore continuo non poteſt non progredi. Cum diriſſimis autem Symptomatis in genere nervoſo ex inani Spirituum triumphatorum niſu ſociatur, quæ neque prorſus exulat, ut in Variolis *Benignis*; vel intermittit, vel quidem remittit, ut in variolis *Mediis* uſu venit, 2. Ab effloreſcentiæ modo qui in hac ſpecie peculiaris eſt, & quamcunque formam induerit, adeò longè à cæterarum Variolarum eruptione differt, ut non admodùm difficile ſit eam ſtatim à Variolis Mediis vel benignis diſcernere; ſiquidem 1. Variolę *Malignæ* rarò admodum regulariter tertio Morbi die a natura præſtituto erumpunt, verùm potiùs aut præpropero [b] impetu primo vel ſecundo die confertim effloreſcunt, aut Regiminis errore proc raſtinatæ, demum 4. 5. vel 6. die, vel quidem [c] ſeriùs; formam licet *Diſcretarum* induant. Ubi verò fortuito more Variolarum *benignarum* vel ſaltem *Mediarum* primò erumpant (quod nonnunquam fit (d) *Fluxum alvi* efferatum, *ſudorem Colliquativum*, *Delirium*, *Vigilias*, vel aliud aliquod Symptoma mali moris conjunctum habent; vel exploratione diligentiori facta, [e] *petechias*. *Veſiculas* miliaris in interſtitiis puſtularum aut aliquas alias exitialis Veneni intus deliteſcentis notas ſaltem ſecundo Eruptionis die in collo, Pectore, & brachiis deprehendere licet, 2. Ubi autem univerſaliter ab initio Eruptionis confluant, facilè à Variolarum benignarum, vel Mediarum (cum quibus vix quicquam habent commune) eruptione, & à congeneri morbilloſa, Scarlatina, vel Eryſipelatoſa hæc effloreſcentia diſtinguetur (f) ſiquidem hęc effloreſcentia eſt plana & continua, nequaquam interpuncta uti Morbilloſa. 2. Rubedine magis ſaturata & profunda quam Scarlatina effloreſcentia, fere ad inſtar Eryſipelatis cutim perfundit, & quadantenus incraſſat. 3. Non autem Cutis inde adeò incraſſeſcit ut in *Eriſipelate*, ne dicam univerſam cutim unquam Eryſipelatoſa effloreſcentia affici atque intumeſcere. Deniq; *ptyaliſmus levis*, atque ejus comes *Intumeſcentia Labiorum* notabilis, frequens *Mingendi Conatus*, aut aliquando totalis *Vrinæ ſuppreſſio* & *Maculæ* nigræ hic illic per cutem rubentem ſparſæ, atque alia id genus Symptomata conjuncta hanc effloreſcentiam quavis alia congeneri ſatis ſuperque diſtinguunt 3. Ubi verò hæc effloreſcentia fuerit ex parte duntaxat ſcilicet in facie *Confluens* [quod ut plurimum fit] minor adhuc ſupereſt dubitandi occaſio, ſiquidem ex eruptione in Corporis trunco & Artubus quadantenus (g) diſtincta, ſatis conſtare poteſt Effloreſcentiam in facie fluentem eſſe revera *Varioloſam*, non autem *Scarlatinam* vel *Eryſipelatoſam*: eam autem non eſſe Morbilloſam probat inæqualis Cutis *Aſperitas* & *Durities* quadantenus renitens Tuberculorum, quæ licet ex incerta & varia figura quam primo Eruptionis die obtinent, morbillos mentiri videantur; revera autem Malignam ſuam indolem, atque vacillantem ſpirituum debilitatorum œconomiam inde ſolummodo oſtendunt, quam poſtremis hujus ſtadii diebus clariùs

pro

[a] *Variolarum malignarum*. [b] *Vide Hiſtor.* 36. 37. 38. 39. 40. 41. [c] *Vide hiſtor.* 37. 38. 39. 40. [d] *Vide hiſtor.* 46. &c. [e] *Vide hiſtor* 30. 31. 47. &c. [f] *Vide hiſtor.* 37. 38. 39. 40. (g) *Vide hiſtor.* 37. 38. &c.

probant, ubi ne minime quidem acuminata, verùm prorsus sessilia, livida, atque quasi mortua ubique apparent. 4. Variolæ quæ primo impetu *cohærens* & confertim erumpentes cutem rubedine saturata ubique perfundunt, eamque quasi Urticæ plaga exasperant, Spirituum debilitatem, & Malignam indolem evidenter probant, & modo Eruptionis peculiari manifesto discernuntur à Variolis cæteris quibuscunque, itidemque à Morbo quovis alio congeneri, ut non opus sit hac in re ulteriori sermone. Denique malignarum harum Variolarum, quamcunque speciem induerint, diagnostica sunt [*a*] *Hæmorrhagiæ* profusæ, præcipue narium, renum & alvi: *fluxus autem Fœminarum menstruus* præsertim si tempore (*b*) à natura præstituto contingerit, & cancellos solitos non excesserit, non est adeò formidandus, ut ut enim ob impensas Spirituum inde factas suspectus sit, Morbi indolens ea de causa jure merito maligna censenda non est.

(*c*) Ex prædictis satis in genere constat qualis eventus hujus morbi expectandus sit, variolas regulares nimirum adhibito justo regimine faustas, malignas autem suppetiis artis quibuscunque non obstantibus ut plurimum funestas, Medias demum dubias fore, & vix aut ne vix sine multa artis ope eventum salutarem assecuturas, ut forsan supervacaneum videatur tempus adhuc terere in prognosiis hujus Morbi proferendis. In Tyronum autem & minùs exercitatorum gratiam non pigebit *prognostica* ad hoc stadium spectantia magis specialia in medium proferre, à Crisi febris, & modo eruptionis differenti desumpta, & quæ multo usu comprobavi, quorum primum sit (*d*) Qui post eruptionem Variolarum, febre, Vigiliis, subsultibus Tendinum, & cæteris naturæ in cassum luctantis symptomatis sine Intermissione vel remissione laborant ineunte stadio proximo moriuntur. 2. (*e*) Quo longè est Morbi Status eò periculosior eventus expectandus est; at cùm secundo Eruptionis die febris intermittat, & Pustulæ recens suppullulantes sint paucæ, & Salivatio atque extremarum partium intumescentia diu protendatur, febris non recrudescit ante ultimum Morbi Stadium, & tunc formam *Synechœos* induit, & facilè superatur, si è contra febris non nisi [*f*] ultimo hujus stadii die Remissionem tantum, non Intermissionem assequatur, Variolæ licet à principio Discretæ viderentur, ad confluentes propiùs accedunt, & febris proximo die in malignam *Synechon* transmutatur, Ptyalismus tantùm ad paucos dies durat, (*g*) Micturitio in locum legitimæ Criseos succedit, & Symptomatum dirorum agmen claudunt petechiæ, quas excipit mors decimo vel undecimo die. 3. Variolæ maximè benignæ nostro idiomate dictæ (*h*] *Chic Ken-Pocks* maturantur scabie obducuntur & exsiccantur intra quatuor dies; at quo frequentiores sunt pustulæ, quanquam neque cohereant neque confluant eo pejus. 4. Efflorescentia [*i*] confluentes & ubique rubedine saturata more febris Scarlatinæ vel Erysipelatosæ universam fere cutim perfundens cum petechiis intermixtis, tonum Spirituum planè deletum & crasin humorum eversam significat, & mortem ultra secundum Maturationis diem nulla medicorum arte posse protelari 9. Si (*K*) exanthemata in Facie tantum, non reliquo corpore confluant, tamen ante decimum diem plerumque moriuntur Ægrotantes. In hac specie non rarò accipunt *Hæmorrhagiæ*, & Exanthemata in trunco corporis quamquam distincta, nullam tamen certam figuram obtinent, & quasi (*l*) strangulata pessimo omine lividescunt, cum interea reliqua symptomata mitia videantur. 6. Quod ad Morbi eventum spectat, perinde Mihi fere est utrum variolæ confluentium vel cohærentium formam in principio Eruptionis induerint, cum (*m*) petechiæ, vesiculæ Miliares, Hæmorrhagiæ, Deliria, vigiliæ, Sopor, spasmi, vel istiusmodi funesta Symptomata mortem 2. maturationis die in utraque specie expectandam

(a] *Vide histor.* 36. 39. 40. [b] *Vide histor.* 9. 52. [c] *Prognostica.* [d] *Vide histor.* 37. 38. 39. 40. [e] *Vide histor.* 21. [f] *Vide histor.* 14. 21. 23. 27. 32 52. &c. [g] *Vide histor.* 36. (h] *Vide histor* 2. [i] *Vide histor.* 37. 38. 28. 40. [K] *Vide hist.* 41. &c. [l] *Vide hist.* 37. &c. [m] *Vide hist.* 29. 30. 31. &c.

dam sepissimè denuncient, aut si forte Ægrotans post ærumnosum Salivationis tedium exantlatum tandem (*a*) die 15.17. vel 21. à morbo aliquando evadat; tamen sæpius Salivatione temperies suppressa, nec profluvio urinæ, vel extremarum partium Tumore compensat. (*b*) die *x. xii. xiv.* satis cedit 7. *petechiæ* (*c*) vel *vesiculæ miliares* in Variolarum Discretarum Interstitiis ortæ in hoc stadio pejus significant quam in sequentibus hujus Morbi stadiis, quia in hoc stadio vim Veneni primario & non ex accidenti aliquo deleteriam denotant, & fere semper cum *fluxu alvi enormi, Deliriis, Vigiliis* pertinacibus, *sudoribus* colliquativis, vel aliis Symptomatis funestis conjunguntur. Ægroti verò hisce stigmatis notati nunquam sine ope *Alexipharmacorum opiatorum* & *Vesicatorum* mortem effugiunt sub initium Maturationis, sed Spasmis, Comate aut aliis istiusmodi symptomatis interimuntur. Harum insuper Macularum vel Vesicularum Diminutio aut Recessus bene ominatur, earum verò vel inumero vel in magnitudine Incrementum mortem denunciat non procrastinandam. 8. (*d*) *Ptyalismus* eruptionem Variolarum comitans malus est, quia venenum per regiam viam non satis eliminari significant, uti & *fluxus alvi*, & *sudor. Colliquativus*, quia ab utroque symptomate Spiritus debilitantur 9. Qui *micturitione* laborant, rarò ad finem Maturationis supersunt 10. (*e*) *Catarrhos* cum variolis conjunctus Salivationem, gutturis Inflammationem atque Tumorem in stadio Maturationis inducit. 11. *Tussis importuna* Spiritus & sanguinem agitat, atque ideò illorum tonum labefactat, hujus verò compagem solvit; unde febris & venenum valdè augentur, & vigiliæ inducuntur. 12. (*f*) Quo diutius *vigiliæ* in hoc stadio protenduntur, eo pejus, quia phrenesin & hæmorrhagias inferunt. 13. Denique in ipso Eruptionis initio Variolæ prænuncię amplæ & turgidæ, nisi accidens aliquod sinistrum interveniat, Variolas futuras discretas & Regulares pollicentur.

Duæ sunt *Indicationis* in genere quæ in hoc Morbi Stadio exsurgunt, *Una* scilicet reliquiarum Veneni activi (si quæ maneant in priori stadio non subactæ) per Crisin jam incœptam abolitio & exterminatio; *Altera* correctio & cohibito Symptomatum à reliquis Veneni activi vel deliteścentis, atque à Spiritibus cum iis colluctantibus subortorum, quæ Naturæ quocunque modo obstare queant quo minus perfectam victoriam reportet.

(*g*) Quando igitur Venenum, saltem Activum, perfecta Crisi integrè eliminatum fuerit (quod sub hujusce stadii initium universali & regulari Discretarum Variolarum eruptione derepente fieri solet) & Patiens à Symptomatis præcedentibus & eorum fomite liberetur, ac partem hujus stadii quæ supereśt planè *apyretos*, & sine ærumnoso quovis Symptomate decuret, haud par est ut Natura apparatu Medicamentorum cujuscunque generis officiosè è lacessatur, quia propriis viribus instructa sine artis supetiis jam satis validè suo officio fungitur, neque Indicatio alia à veneno superstite vel symptomate quovis inde suborto ministratur; Quod autem officiosè fit, raro admodum impunè patratur. Quanquam autem indoles morbi mitis fuerit & benigna, *Regimen* tamen in priori stadio institutum, in hoc atque reliquis stadiis inviolatum observari omnino necesse est, ne particulæ quævis Veneni nuperrimè subacti intus deliteścentes forte fortuito regimine præmaturè mutato recrudeścentes funestum aliquod Symptomata inexpectato inducant, cujus pernicioši erroris exemplum unum vel alterum proferre non pigebit inter (*h*) *Historias* sub finem hujus Tractatus recensendas, ne quis in posterum in eundem scopulum impingat. Observata ista Regiminis forma, nec Medicamentorum Formulæ, nec medendi methodus à nobis requiritur, cum satius sit ut Naturæ (cujus res est) totum negotium committatur.

(*a*) Ubi

(a) *Vide Histor.* 21. (b) *Vide histor.* 54. 55. (c) *Vide Histor.* 39. 31. 36. 37. 19. 45. (d) *Vide histor.* 14. 27 &c. (e) *Vide histor.* 27. (f) *Vide histor.* 40. 48. (g) *Curatio Variolarum Benignarum in stadio secundo* (h) *Vide histor.* 4. 5. 6. 7. 17.

[a] Ubi autem exanthemata vel *confluant* vel *cohæreant*, vel *Petechiæ*, *Vesiculæ Miliares*, hic illic sparsæ, *Hæmorrhagiæ*, *frequens ad mingendum propensio*, *Ptyalismus* inanis inceptus, aut quodvis alterum Symptoma naturam post Crisin funestam causa cecidisse ostendunt, non tantùm in usu *Alexipharmacorum*, & *Vesicatoriarum* ut in præcedenti stadio perstare oportet; verùm etiam incunctanter, priusquam Spiritus prorsus deleti fuerint atque sphacelati [modò fieri possit] Remediis Alexiteriis quibuscunque generosissimis, uti *Electuar. ex Ovo*, *Rad. Serpent. virg.* eorumque dosibus largioribus sæpiusque repetitis, atq; Vesicatoriis ad quascunq; partes convenientes jugiter applicatis, uno impetu eorum expansionem tempestivè moliri, atq; Deliriis, Vigiliis, Hæmorrhagiis, Micturitioni, cæterisq; Symptomatis Spiritus adhuc labefactantibus, *Paregoricor.* cæterorumq; id genus convenientium remediorum usu assiduo subvenire, ut ut Febris ab hac Spirituum exaltatione augeri videatur. Non enim jam ab incendio intestino, verum à Veneno de Spiritibus triumphante Ægrotanti periculum intenditur, quod sine flamma arte in iis accensa haud facilè arcetur. Verissimum quidem est, [confitente ipso *Sydenhamio*, frigidi regiminis patrono acerrimo,] raro admodùm sive hac, sive quavis alia methodo quoscumq; intensissima huius veneni labe contaminatos, quippe sideratos ac morte quasi perculsos, post Crisin istiusmodi funestam ex morbo evadere: quod forte non alia de causa accidit, quam quod seriùs, aut parciùs quàm par est, hæc methodus medendi adhibeatur. Sæpenumero autem Variolas malignas inferioris subsellii non tantum cohærentes, verum ex parte confluentes, Petechiis & Vesiculis Miliaribus interpunctas: atq; Hæmorrhagiis & frequenti ac parca Mictione comitatas, ut ut exanthemata a prima penè efflorescentia ubique delituerint & exaruerint, methodo nostra ad felicem eventum perductas esse fidem faciunt variæ (*b*) *Historiæ* sub finem huius Tractatus summa cum sinceritate memorandę. Atq; mehercule licet ab Orci faucibus haud omnes eripere possumus, tamen cordatus Medicus non malè officio suo fungitur, si Prognostico vero priùs prolato, modò si quidquam tentandum sit, ad rationis normam methodum suam pro rei natura in casu adeò funesto ubique dirigat.

Sicuti cum *Alexipharmacis Opiata* jam commisceri, ita horum doses juxtà ac illorum in hoc stadio pari passu augeri sensim oportet, donec perveniatur ad justam *Opii* dosin quantacunque fuerit, quæ efferatum Spirituum motum frænando, quietem iis quadantenùs conciliet; quoniam fermentum Varioloſum prę reliquis fermentis spiritus adeò stimulat & irritat ut nisi veneno planè obruantur & Ægrotans profundo Comate laboret, [quo in casu de Vita Patientis actum est] non inquieto motu perpetuò agitari, & miserum Ægrum Vigiliis ac Deliriis confectum mirum in modum lacessere. Ea enim est Spirituum lacessitorum indoles, ut quamdiu irrirentur & robur ad luctandum superat, non possunt non hostem perpetuo & inani nisu aggredi: quò enim fortiores & vegetiores sunt, eo magis quieti & constantes; quo autem præ debilitate magis vacillant, eo in efferatos motus magis magisque adiguntur, A quo continuato motu (modo sufficienti & repetito *Opiatorum* usu non opportunè cohibeantur) plus quàm à quoquam alio Symptomate vires eorum pessundantur. Quam ob causam, uti *Opiata* cum *Alexiteriis* conjungere, hoc pacto una fidelia utrumque parietem dealbando, tranquillam sc. quietem juxtà ac debitam expansionem Spirituum promovere par est; ita nullam *Opiatorum* dosin formidare quousq; sensim progrediendo ad eam demùm devenerimus quæ somnum conciliet & efferatum eorum motum quadantenùs cohibeat; & sensim *Opiati* dosin diminuere pro gradu quietis redintegratæ: Spiritus enim durante sua contentione multo majorem Paregoricorum dosin cum ἀυφορίᾳ tolerare quàm in sano & quieto statu, omni-

[a] *Curatio variolarum malignarum sive Confluentium sive cohærentium in hoc stadio.* (b) *vide histor.* 19. 21. 22. 23. 25. 27. 29. 31. 32. 33. 34. 35. 47. 48. 49. 50. 63.

omnibus in Medicina exercitati notum est. Atque idcirco Ego non sine successu in hoc; & reliquis Morbi stadiis subsecuturis sæpius non tantum gr. j. *Laudani* cum Alexiteriis generosissimis commixtum semel in die Ægrotantibus ministrãdum jussi, verùm (Vigiliis pertinacibus id requirentibus) sexta, vel quidem quarta quaque hora repetendum, & junioribus *Laudanum liquidum* vel *Syrupum* de *Meconio* eadem proportione pro ratione ætatis, cum Julapiis, *Theriaca Androm. Radic. Serpent. Virgin.* cæreriſque Alexiteriis fortioribus sociatum; quo pacto somnum tempestivum Ægrotanti, & quietem Spiritibus conciliando, haud rarò Efflorescentia confluere incipientem, spatio unius noctis in Discretam mutavi, & non confluentibus & cohærentibus Variolis affectos, ubi exanthemata à primo ortu arida & depressa nunquam alias maturanda erant, jugiter repetita *Laudani* dosi eum *Alexiteriis* commixti, atq; ad plures dies continnata. sc. quamdiu opus fuerat, salvos ex ipsis (*a*) Orci faucibus [mirantibus una ac plaudentibus Ægrotantium amici] eripui, Atque equidem quomodocunq; se habeant exanthemata, & Symptomata reliqua, vix Mihi de vita Ægrotantis actum esse videtur, nisi ubi Vigiliæ dosibus Laudani moderatis & repetitis auscultare pertinaciter recusent; quo minor enim Laudani quantitas in hunc finem sufficit, eò melius. Nullus autem dubito quin multi, hac re non animadversa in hoc & proximis hujus morbi stadiis, doctissimorum & expertissimorum Medicorum cura non obstante, perierint, quos paulò liberalior Opiatorum dosi, aut saltem frequentiùs repetita, vel diutùs usurpata salvos demùm fecisset, Quam ob rationem Methodum medendi in casu adeo deplorato Mihi familiarem describere non pigebit. Applicentur *Vesicatoria* ampla & acria illicò ad Nucham, Carpos & Brachia interiora, ad Tibias, Femora, pone Aures, vel quascunque partes ad quas opportunè possint applicari, ad expansionem Spirituum ope hujus stimuli artificialis promovendam Liquor Possetticus cum vino *Canarino* factus sæpiùs propinetur; nec non aliquando; præsertim in Deliquiis, merum Vinum Canarinum per se vel *Spiritu CC.* saturatum; exhibeatur etiam *Bolus* sequens cum Cochl. *iij.* vel *iv.* Julap. repetaturque pro ratione Vigiliarum sexta, vel quidem quarta quaque hora; ℞. *Theriac. Androm. Electuar. ex. Ov.* an. ʒß. *Pulv. Serpentar. Virg. Lap. Contrayerv. Bezoar. Orient.* an. ℈ß. *Laudan. Lond. gr. j. Confect. Alcherm.* vel *Sirup. Caryoph. q. s. M. F. Bolus* ℞ *Aqu. Cardu Cinnam. Hord.* an. ʒiv. *Protheriacal. Epidem.* vel *Pæon. comp.* an. ʒij. *Sirup. Caryoph.* vel *è succo Cherm.* ʒiß. M F. *Julap.* imò *gutt. x, xij, xv. Laudan. liquid.* in hausțulo *Julapii* in Bolorum intervallis, si opus fuerit, propinentur, sensim sc. progrediendo donec Æger dormire incipiat; ex tunc autem dosis minuatur vel rariùs repetatur pro ratione somni plùs minùs obrepentis. Junioribus Cochl. *ij. iij. iv.* Julap. sequent. pro ratione ætatis quarta quaque hora ministranda jubeo, ℞. *Aqu. Card. Calendul. Cinnam. bord.* an. ʒij. *Epidem. Pæon comp.* an. ʒvj. vel ʒj, *Sirup. de Mecon.* ʒx, *Theriac. Androm. vel Diascord.* ℈ij. *Lap. Contrayerv. Pulv è Chel. Cancr. comp. Serpentar. Virg. de Guttet.* an. ℈j M. F. *Julap.* cujus singulis vel alternis dosibus pro ratione ætatis & Vigiliarum instillentur *gutt ij. iv, vj, Laudani liquidi*.

Præter *Alvi fluxum*, *Delria*, *Vigilias*, cæteraque id genus Symptomata *Variolis Malignis* & Mediis, saltem in priori hujus Stadii parte, sc. ante Crisin consummatam communia; (quæ mox venient speciatim considerandæ) sunt duo alia planè deplorata, utpote ferè certissima corruentis Naturæ indicia, & præcedentis funestæ Criseos effecta, quæ hic loci, ubi sermonem habemus de Variolis Confluentibus & Malignis (quas duntaxat, tanquam *Pathognomonica* comitari solent) jure meritò perpendi requirunt, *Hæmorrhagiæ* nimirum *universales*, vel saltem *profusæ* atque Micturitio; illud à soluta sanguinis compage ortum; hoc à prædita Veneni per glandulas Cutis & Oris eliminatione, quorum Symptomatum.

[a] *Vide Histor.* 14. 19. 21. 22. 23. 25. 27. 29. 32. 33. 34. 47. 48. 49. 50. 63. &c.

tùm curationem jam seorsim aggredimur.

Hæmorrhagias dico *universales & profusas*, ut distinguantur à Fluxibus uterinis cruentis quibuscunque legitimis & moderatis, *Menstruis* nimirum,& *Lochiis* post partum, vel abortum fluentibus (quæ ut ut infaustè jam accidant, spirituque labefactando Variolas depressas, languidas & serò maturandas in Mediarum censum ritè reducant, quo nomine cùm de curatione Symptomatum in istis Variolis accidentium verba faciemus, has *Hæmorrhagias* ex professò tractabimus, nequaquam autem modò fluendi tempus, ordinem & modum à Natura præstitutum servent, pravam & malignam (*a*)indolem Morbi produnt. (Malignæ enim Hæmorrhagiæ à soluta sanguinis Crasi, & colantium Glandularum ob Spirituum languorem laxitate per διαπήδησιν (*b*) ex Intestinis, Renibus, Naribus, nonnunquam ex Oculis, Auribus, Dentium alveolis, quà porta datur, æquè ac è vasis uterinis instar loturæ carnium ubiq; profusissimè scaturiunt; earumq; prænunciæ sunt *Petechiæ* frequentissimæ, *Maculæ purpureæ & nigræ*, quales *Peste* correptis paulò ante obitum accidunt, hic per universam Cutem, præsertim in Pectore & Artubus (mortificationis incœptæ proculdubiò indices) sparsæ, quæ pari passu cum Hæmorrhagiis cum quibus conjunguntur, numero & magnitudine unaquaque penè hora augentur vel diminuuntur; quo nomine hoc Symptoma jure merito funestissimum habetur, & vix aut ne vix arte cohibendum; vel si *Vitrioli* fræno præpotenti forte cohibeatur, (guttis enim 40,vel 50.(*c*) *Aqu. Stypt. Reg.* singulis horis in haustu Julapii convenientis exhibitis, portas omnes obsignatas vidimus] nihil tamen proficimus si non unà possimus Vesicatoriis, & *Alexiteriis* generosissimis frequentissimè ministratis vires Spirituum penè extinctorum demùm resuscitare atque recens expandere. Usu certè compertum est à *Venæ-sectione*, aut alio quocunque remedio spiritus pessundante, symptoma hoc incrementum sumere, & obitum Patientis accelerari.

(*d*) Quod alterum Symptoma attinet, non est quòd *frequentem & parcam Micturitionem* adeò formidemus, quippe ut ut isti nisus seu spasmodica Ureterum & Vesicæ urinariæ contractio molestias Patienti creet perpetuas; non autem Natura adeò labefactatur, aut Spiritus adeò dissipantur à præcedente symptomate; quanquam autem hæc Micturitio non adeò deleterios effectus habet, omen tamen funestum ferè semper est,& Spirituum summam imbecillitatem, præpollentem Veneni gradum,& pravam Morbi indolem semper indicat. Nullibi enim Natura hoc pacto cum nisu inani per patentiores hosce Renum ductus venenum eliminare satagit, ubi via regia Glandularum Cutis vel Oris(ut ante innuimus) satis pateat. Atque proinde [*e*) sicut Morbus ope *Alexipharmacorum & Vesicatoriorum* sensim subigitur, ita molestum hoc symptoma pari passu ultrò declinare animadvertitur; & è contra, Morbus fomite non subacto, eventum non minùs funestum sortitur, ut ut *Salibus Lixivialibus* symptoma hoc correctum aut sublatum fuerit: Salia enim Lixivialia, præsertim pulvis dictus Æthiopicus, nimirum *Cineres Bufonum* in Crucibulo ad nigredinem calcinatorum urinam copiosè fundendo, [*f*] vi hujus symptomatis corrigendi, ante omnia alia egregia dotatos esse multo usu Mihi compertum est, sive Æger demum convaliturus est, sive non Quam ob rationem (*g*) ℈j. [urgente hoc symptomate) Cinerum prædictorum quarta vel sexta quaque hora exhibendum jubeo, semper autem cum generosissimis Alexiteriis in Bolo vel haustu commixtorum, quo morbo juxta ac symptomati simul prospicere possim; quid enim refert pereunte Ægro symptoma sustulisse?

(*b*)Ubi verò ex vi Veneni & Spirituum contendentium fere pari, Febris *Status* per unum vel alterum diem protendatur,unum tenorem servet, & cum *Vigiliis*, *Deliriis* & plerisq; aliis præcedentis stadii,nec non novis quibusdam Symptomati

(a) *Vide Histor.* 33. 52,8. *&c.* 62, [b] *Vide Histor.* 36,37. 38. 39. 40. 41. *&c.*
(c) *Usus Aquæ Stypticæ Regiæ* (d) *Micturitio* [e] *Vide Histor.* 16 *&c.* [f] *Usus Cinerum Bufonum.* [g] *Vide Histor.* 36. (h] *Curatio Variolarum Mediarum in hoc stadio*

ſociatur, & Exanthemata *medii generis*, frequentia nimirum & languida admodùm erumpant; durante certamine, quouſq; ſc. Criſi perfecta Ægrotans à Simptomatis vehementibus quibuſcunq; liberatus *apyrexia* integra fruatur, à partibus Naturæ dimicantis ſtare oportet, & Spirituum expanſionem jugiter promovere repetitis doſibus (*a*) mitiorum Alexipharmacorum in priori ſtadio deſcriptorum, quorum ope Veneni activi reliquias ſenſim ſubigere valeant; nec non vehementiora quæcuuq; Symptomata quæ Spiritus in hoc ultimo agone ſæpiſſimè peſſundant, atq; proinde Morbi indolem in Malignam mutare ſolent, appropriatis Remediis tempeſtivè ſublevare & coercere: atque commixtis Alexipharmacis maximè generoſis, & adhibitis Veſicatoriis languenti Naturæ ſubvenire, modò à vehementiori quocunque Symptomate labefactata cauſa cadere incipiat. Quamprimùm autem Febris Criſin ſuo modo, hoc eſt, ſeriùs aſſecuta eſt, & ultimo licet hujus ſtadii die, unà cum Symptomatis priùs conjunctis prorsùs exulet; vel quidem (quod ſæpius evenit] intermittat vel remittat, priuſquam Venenum deliteſcens in proximis ſtadiis revireſcere incipiat & recens certamen inſtauret, non eſt quod adhuc naturam in caſſùm fatigemus remediis antè præſcriptis, ſive iis quæ in Venenum activum colliment, ſive iis quæ ſymptomata reſpiciunt, quippe impræſentiarum haud omninò indicantur, neque ad recrudeſcentiam veneni deliteſcentis antevertendam ſufficiunt; Ideòque ſatius eſt ut Ægrotans perſtet in Regimine priùs inſtituto & ab ingratorum Medicamentorum deglutitione pauliſper ferietur, donec recrudeſcentia Febris, & Symptomatum cum ea conjunctorum in ſtadio Maturationis vel Declinationis eorum uſum poſtulaverit, quæ inde pro diversa Febris recrudeſcentis indole alia atque alia adhibenda ſunt, uti poſt hàc in proprio Capite narrabitur, niſi forte cuiquam in hoc intervallo vires *b*]*cor per* experiri libeat, quas ego ſæpe efficaces expertus ſum ad Febris repullulationem præveniendam.

Quæ autem ſint *multiora ea Alexipharmaca*, quæ durante certamine ante Criſin peractam jugiter adhibere par eſt, & quæ ſint eorum præſcribendorum Formulæ ſatis conſtat ex Methodo medendi in præcedenti ſtadio memorata; Qualia etiam ſint *Alexipharmaca*, ea generoſiſſima, & quo pacto cum prioribus commiſcenda ſint, ubi Natura à vehementiori quocunq; Symptomate labefactata ſuccumbere incipiat, ex methodo Variolas Malignas & Confluentes curandi in hoc atq; præcedenti ſtadio deſcripta petat Lector; ex quibus facilè admodùm Formulas Remediorum pro re nata plus minùs Alexiteriorum excogitare queat, quo nomine cram, ben eam bis coctam apponere non libet. In hoc autem lubrico rerum ſtatu dum Criſis eſt [ut aiunt) in *Fieri*, videat potiſſimùm ſolers Medicus nè Natura quovis ſymptomate vehementiori diutiùs attrita & laceſſita, & inde congreſſui impar reddita (quod haud rarò evenit) in Veneno Criticè eliminando prorſus deficiat & Morbus jam demùm pravam ac Malignam indolem acquirat. Multa autem Symptomata quæ hunc Morbum in præcedenti ſtadio, dum Spiritus niſu difficili expanſionem ſuam ulteriorem molieban tur comitata ſunt, quæcunque ſcil. à conatu Spirituum contendentium ortum ſuum duxerunt, atq; proinde *Evacuationes*, ſcil. *Venæ-ſectionem*, *Vomitum*, *Catharſin*, aut quamcunq; fere aliam poſtulaverint, *v.g.* Vomitio, Laſſitudo ulceroſa, Dolores Spaſmodici, ſive Verſatiles & Epileptici, ſive fixi in Capite, Lumbis, Artubus, Pleura, Inteſtinis, &c jam à prima eruptione incœpta ultrò in dies magis magiſque (qualiſcunque futurus eſt eventus, ſive ſalutaris, ſive funeſtus) declinant. Siquidem, (ut ut olim in *Puretologiæ* noſtræ Exercitat. ſecunda obſervavimus,) quamprimùm ſpiritus ad ἀκμὴν ſuam expanduntur, & morbus ad ſtatum pervenerit, ceſſante priori niſu & conatu ſponte prorſus exulant id genus Symptomata, nec ulteriorem Medici curam requirunt, & rarò admodum in hoc ſtadio evacuatio cujuſcunque generis, ut in præcedenti ſtadio indicatur, & fere nunquam ſine evidenti

Ægri

[a] *Vide Hiſtor.* 14 19-20 21-27 *&c.* [c] *Vide Hiſtor.* 3.

Ægri detrimento & virium diminutione celebratur. Symptomata autem, quæ in hoc Stadio Medici curam poſtulant, ea ſunt potiſſimum quæ vel ab Accidente aliquo, vel à Spirituum in Criſi languore oriuntur, ut *Fluxus Alvi*, *Sudores Colliquativi*, *Vigiliæ*, *Deliria*, *Sopor profundus*, *Fluxus Uterinus cruentus*, *Tuſſis immunis*, *Ptyaliſmus* cum dolore Gutturis inflammatorio conjunctus, Quæ ſymptomata uti à Spirituum debilitate oriuntur ita præ cæteris Alexiteriorum, Opiatorum & Veſicatoriorum quę eos erigere & figere poſſint, uſum indicant, ut ut Symptomata duo, *Ptyaliſmus* nimirum cum Gutturis dolore conjunctus, & *Tuſſis* immanis, inſuper *Topica* quædam Remedia (uti mox narrabimus) requirant. Videamus igitur quo pacto ſingula hæcce Symptomata ſeorſim tractanda ſint, ne Natura iis fatigata præſente Criſi prorſus deficiat.

(*a*) Quanquam in toto hujus Morbi curſu, præſertim ante & poſt Criſin, Alvus lubrica, quæ ſc. ſingulis vel alternis diebus ſtercora formata dejicit, maximè naturæ officiat, ſed eam à ſarcina liberando potiùs adjuvet; nunquam tamen ab alvo licet ad vigeſimum uſq; diem conſtipata, præter moleſtam fæcum nimis induratarum egeſtionem ſub finem Morbi, noxam inde ſubortam hactenùs deprehendi. *Diarrhœa* verò præſertim torminoſa, in quovis Morbi ſtadio, potiſſimùm autem in hoc, ubi Venenum lege Naturæ uno quaſi impetu per Cutim criticè expellendum eſt, uti Symptomatica & planè deleteria, quam citiſſimè, aſſiduo uſu [*b*] *Opiatorum* cum *Alexipharmacis* generoſiſſimis, quæ ſpiritus quadantenus diſſipatos erigant, conjunctorum incunctanter & diligentiſſime ſiſtenda eſt, & ea Paregorici quantite quæcunq; fuerit, qua ſcopus attingi poteſt. Siquidem hoc Symptomata uti à languore Spitituum Venenum per Cutem eliminare contendentium oritur ita (ſi quod aliud) eos protinùs debilitando, officio ſuo impares poſterùm reddit adeò ut durante Fluxu alvi, *vel infantili ipſa ætate* (pace magni *Sydenhamii*) Variolæ ægrè admodùm, ſaltem regulares & legitimæ erumpunt, quod vel Mulierculis & Nutricibus notum. Regimen autem, atq; Formulas Remediorum huc ſpectantes non opus eſt ut hic recenſeam, cùm utrumque in priori ſtadio deſcriptum inveniat Lector.

(*c*) Proximè ad hoc Symptomata accedunt *Vigiliæ* & *Deliria*, cum quibus *Subſultus Tendinum*, cæteriq; vacillantium Spirituum motus efferati & irregulares in genere nervoſo conjungi ſolent; quæ quidem ſymptomata uti in quocunq; ſtadio Spirituum inaniter colluctantium languorem produnt atq; malè ſignificant, ita forſan, vix à quovis alio ſymptomate (ut antè innuimus) citiùs quàm ab hoc motu efferato Spiritus proſternuntur; adeò ut, durante hoc inteſtino tumultu, cùm Natura clavum imperii demittat, Variolæ regulariter nequeant erumpere: atq; proinde par eſt ut (*d*) *Opiatorum* doſes ſenſim augeantur donec ſomnus concilietur & tumultus compeſcatur; & ut *Veſicatoriis* & *Alexipharmacis* Spirituum vires erigantur atq; expandantur; cui muneri, ob Spirituum priùs labefactatorum, mera *Paregorica*, [*e*] ad quemcunq; gradum aſcenderis, haud ſufficiunt. Somno autem hoc pacto tempeſtivè conciliato, *Variolas Medias* quæ cohærere, noctis unius ſpatio [quod ante innui] ſæpe ſæpius, Febre exulante, in Regulares & Benignas mutatas vidi. Tanta equidem eſt in hoc magis quàm in altero quovis hujus Morbi ſtadio, (ubi Variolæ Mediæ in malignas tranſituræ ſunt) *Alexiteriorum*, præſertim autem *Paregoricorum* & *Veſicatoriorum* utilitas, ut abſq; eorum uſu vix quicquam egregium arte perfici jam poſſit. Formulas autem præſcribendi mihi in hoc ſymptomate tollendo ſolennes, quippe antè, in priori ſtadio, deſcriptas iterùm recenſere haud opus eſt, præſertim cùm eandem planè viam [*Venæ-ſectione* duntaxat excerta) in hoc atque in illo calcare par ſit.

(*f*) *Sapor* etiam in hoc uſq; Morbi ſtadium protenſus, qui non à prima Exanthe-

(a) *De fluxu Alvi immodico in hoc ſtadio.*
[b] *Vide Hiſtor.* 50. *&c.* [c] *De Vigiliis, Deliriis & Subſultibus Tendinum.*
(d) *Vide Hiſtor.* 48. 19. 20. *&c.* (e) *Vide hiſtor.* 21. 63. *&c.* (f) *De ſopore profundo.*

thematum eruptione sensim declinat, verùm potiùs augetur, nequaquam flocci faciendus est; quippe ut ut in præcedenti stadio, dum Spiritus ulteriorem expansionem moliebantur, ab oppressione solummodo fortè oriatur, eaque in critico agone difflata ultro recessurus videatur; jam vero [a] perstans summam procul dubio Spirituum debilitatem & defectum arguit ita ut luctari haud valeant, atq; proinde deleterius præsagium quam præcedens symptomata submini strat, & Spasmos funestos adfore ut plurimùm denunciat. Quocirca frequenti *Vesicatoriorum* applicatione & diligenti *Spirit. CC. Serpentariæ virgin.* cæterorumque *generosissimorum Alexipharmacorum* priori stadio memoratorum exhibitione ad tutùm certandum est, ut priusquam Natura prorsùs cauſa ceciderit, vis Spirituum expansiva, quantum fieri potest) exsuscitetur. Formulas Remediorum huc spectantes in priori stadio descriptas petat Lector.

Sudores (b) præterea profusi & *colliquativi* (quos Nutrices & Mulierculæ stragulorum (c) pondere impositò perperam & in summum Ægrotantis detrimentum perniciosè solent extorquere) a Medico in hoc stadio minimè negligendi sunt: Ut ut enim mitis & blandus calor, qui quam proximè ad Naturalem temperiem accedit, cum levi Diaphoresi conjunctis, spiritus fovendo eruptionem Exanthematum regularem promoveat; profusi tamen sudores Spiritus dissipant & plurimùm debilitant, nec non si diutiùs perstent, utut Exanthemata fuerint Discreta, *vigilias*, *Deliria*, *Fluxum* alvi enormem, *Petechias*, vel aliquod aliud funestum symptoma mox accersunt, Quam ob rationem non solùm stragula sensim detrahendo & minuendo, & [d] Ægrotanti veniam dando ut sese ab uno latere in alterum sæpiùs vertat, donec Calor ad mitiorem gradum redactus fuerit, Colliquativos hosce Sudorem incunctanter coercere par est; verùm etiam Spiritus lassatos & dissipatos *Alexiteriis mitioribus* sæpe refocillare, & *vesicatoriis* applicatis recens expandere, non omissis etiam (si opus fuerit) Paregoricis ad somnum conciliandum, quæ inquietum motum compescendo ad Sudores hosce colliquativos sistendos, si quid aliud plurimum conducant. *v. g. ℞. Aqu. Meliss. Cerasor. nigr. an. ℥iv. Aqu. Cord. frig. Saxon. Epidem. an. ℥iß. Pulv. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Spec. Confect. de hyacinth. ℈ij. Syrup. de Mecon. ℥iß. M. F. Julap.* de quo cap. Æger pro ratione ætatis. Cochl. *ii. iv. vi.* (agitata phiala) tertia quaque hora. Addantur dosi hora somni propinandæ si Vigiliæ urgeant, *Laudan. liquid. helmont. gutt. ii. iv. vj. x. xij.* Applicentur etiam *vesicatoria* ad carpos internos, vel saltem ad nucham.

[e] *Tussim* atrocem & ferinam, quæ haud raro Variolas præsertim hyemales, à frigore in Poros cutis invadente frequentissimè ortas comitatur, & non tantùm (f) Crasin sanguinis perpera Pulmonis agitatione colliquat, verùm etiam Vigilias inducit & spiritus lacessit & pessundat, in præcedenti stadio prorsus negligere haud par est; jam autem Crisi incœpta *Paregoricis* omnino cohibere atque *Mucilaginosis* aliisque Thoracicis remediis demulcere necesse est, ne Spiritus inde attriti in agone ultimo deficiant. Quapropter hoc in casu præter *Paregorici* dosin pro ratione ætatis ad somnum conciliandum sufficientem semel in die exhibitam, insuper *Extractum Glycyrrhizæ*, *Pilulas Bechicas & Mucilaginosas* in ore ad Tussim fallendum sæpiùs solvendas, atque *Linctum* sequentem sæpius è Cochleari lambendum, & sensim urgente Tussi deglutiendum præscribere soleo. *℞. Ol. Amygd. d. rec. Syrup. de Mecon. an. ℥iß. Sacchar. cant. alb. ℥j. M. exactiss. F. Linctus.*

[g] Est & alterum symptoma quod in hoc stadio, præsertim sub ejus finem, cùm (Spiritibus in Criseos agone lassatis) Membranæ atque vasa universa tonum suum atque robur quadantenùs amiserint, accidere solet, *Fluxus* nimirum *Catameniorum*, quæ tempus à natura præstitutum jam haud rarò anticipant, & *Lochiorum* post.

(a) *Vide histor. 42. 6. &c.* (b) *De Sudoribus profusis.*
[c] *Vide histor. 29. 5. 31. 41.* (d) *Vide histor. 21. 12. 5. &c.* [e] *De Tussi immani.*
(f) *Vide histor. 27. &c.* (g) *De Fluxu Catameniorum & Lochiorum.*

poſt partum vel abortionem ab eadem cauſa provenientem; ad quod Medicus quamprimùm de eo certior factus ſit, in Methodo medendi inſtituenda attentiſſimè animum advertat oportet, ut ut parva Morbi indoles, ſicut ab aliis *Hæmorrhagiis* profuſis haud inde arguenda ſit. Quandoquidem autem à tumultu ſanguinis inteſtino, atque pretioſiſſimi illius liquoris diſpendio, & à motu Spirituum inquieto eorumq; languore inde ſuborto [ut ſileam effectus plane funeſtos Fluxus ſanguinis immodici & nimis diu protracti, ad quem languida Natura jam proclivis eſt] exanthemata neceſſariò minus vegeta erumpant, & in ſtadio Maturationis proximo deprimantur & ægrè maturentur, *Delíria frequentia*, & *Suffocationes hyſtericæ*, hujus Fluxus fere perpetui Comites, cum multis aliis id genus oppreſſæ Naturæ ſymptomatis accerſantur; eo, inquam, nomine *Remedia Cordialia mitiora* & qualitate quadantenus adſtringente donata quæ ſc. fluxum minimè cieant, verùm potius coerceant & ſiſtant, copioſiùs atque frequentiùs propinentur, & *Opiata*, quæ motum Spirituum tremulum & inquietum compeſcant, nec non *Antihyſterica*, quæ unà cum *Veſicatoriis* applicatis, Spiritus excitent & expandant durante *Catameniorum* vel *Lochiorum* fluxu. Quo (a) pacto plurimas hujuſmodi Ægrotantes feliciter ſingula hujus Morbi ſtadia, ac ſi iſtud infortunium non accidiſſet, tranſegiſſe memini. Ex. gr. ℞. *Ther. Andr.* vel potius *Confect. Mithrid.* ℥j. *pulv. è Chel. Cancr. comp. Spec. confect. de hyacinth. Coral. rub. pp. an. gr. xv. Caſtor. gr. ij. Confect. Alcherm. ſine Moſch. q. ſ.* M. F. *Bolus* 4. vel 6. quaq; hora exhibendus addito hora ſomni *Laud Lond. gr.* j. vel *Laud. liq. gutt. xv.* ℞. *Aq. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an.* ℥iv. *Cinnam. hord. Rut. germin. Querc. an.* ℥ij. *Aq. pæon. com. Epid. an.* ℥ii *pulv. è Chel. Cancr comp. Spec. Confect. de hyacinth. an.* ℥i. *pulv. Bezoard. Magiſt. gr. xv. Syr. Caryop.* ℥ii. M. F. *Jul.* de quo cap. Ægrotans Cochl. *iv.* vel *v.* poſt unum quemque Bolum deglutitum, atq; etiam ad libitum in languoribus, agitata phiala; Applicentur etiam *Veſicatoria* ad Nucham & Carpos internos; Urgente etiam Deliquio vel affectione Hyſterica, non abs re erit *Spirit. CC. & Tinctur. Caſtor.* an. *gutt. viii.* in hauſtum Julapii inſtillatas miniſtrare, vel quidem *gutt. xx.* vel *xxx.* utriuſvis in unoquoq; hauſtu Cereviſiæ propinare, atq; *Spirit. Salis Armon.* in Phiala collo arcto & oblongo, vel nodulum *Galban. Caſtorei & Aſæ fætid.* aceto irroratum ſæpiùs naribus admovere.

(b) Symptomatum autem hoc Stadium comitantium agmen demum claudit illud alterum ab Accidente ut plurimum ortum, ſc. *Gutturis Dolor*, ſæpiùs cum Ptyaliſmo levi conjunctus. Quoties enim vel Natura ob vires Spirituum minùs vegetas in Veneno per Cutim eliminando deficiat, & veneno per Glandulas ſalivales excreto defectum ſupplere molitur, vel Exanthemata (ut in Variolis hyemalibus cum Tuſſi enormis conjunctis fieri ſolet) Uvulam, Tonſillas, atq; reliquam Membranam Os internè inveſtientem obſideant, latex ſeroſus copioſè in hiſce partibus ſcatet, unde partes teneræ acrimonia venenati liquoris inflammantur: Quæ quidem Symptomata in proximo Maturatione ſtadio pro ratione Salivationis auctæ, & Exanthematum in dies creſcentium eò demum (ſi non arte tempeſtivè antevertantur) evehi ſolent, ut non tantum Ægrotantem cæteris Symptomatis nimis attritum difficili Deglutitione affligant, verum etiam vitæ ipſi inſtantis Suffocationis periculum intendant (c) Quamprimum igitur hoc Symptoma ingruere percipiatur, Fauces externæ diligenter ab aeris injuriis pannis laneis mollibus duplicatis, quę plus valent quàm *Croceata*, vel alia quæcunque amuleta à mulierculis adhiberi ſolita, muniantur, (ut in Salivatione *Mercuriali* prudenter fieri ſolet] nè Faucium glandulæ à ſero copioſius irruente inibique concreſcente intumeſcant, ut ut enormis Salivatio ſequatur. Inſuper Ingeſta quæcunque, ſive

Phar-

(a) *Vide hiſtor.* 9. 33. *&c.*

[b] *De dolore Gutturis cum levi ptyaliſmo coniuncto.* (c) *Vide hiſtor.* 14. 21. 27. *&c.*

Pharmaca, sive Alimenta, sint admodum lenia, quæque fauces minimè exasperant; & sedulò evitentur Cordialia calidiora, *Spirit. CC. Vitrioli*, cæteraq; id genus quæ partes lacessant, Pulveres Cordiales crassiores qui partibus Deglutitioni inservientibus adhæresçunt & molestias creant, & Cerevisia ipsa, ejusq; in locum substituatur *Liquor posseticus* mitis, *Decoctum CC. &c.* Deniq; *Gargarismata* emollientia, quæ partes asperatas demulcere valeant, & phlegma impactum educere, siphone Faucibus sæpius immittantur. Ex. gr. ℞. *Decoct. Ficuum* ℔ß. *Mellis rosat. Colat* ℥i. M. F. *Gargarism.* durante hoc Symptomate diligentissimè assiduo usurpandus.

Diffitendum equidem non est præter Symptomata memorata, sive à Spirituum languore, sive ab Accidenti suborta, (*a*) me semel in hoc Stadio, ab orgasmo Sanguinis forti & efferato *hæmoptoen* à vasorum Sanguiferorum distensione & ruptura subortam, itidemque nuperrimè sub finem hujus stadii à Spiritibus malo Regimine incitatis, *Insultus* plane *Epilepticos* sæpiùs recurrentes, visu horrendos, & periculosos vidisse. Quandoquidem autem hæc anomala Symptomata sint admodum rara, hoc in loco iis non immorari lubet, sed in Calce hujus Tractatus eorum (*b*) *historias* inter cæteras non vulgares, atq; methodum medendi feliciter iis adhibitam describere.

Atque de secundo stadio tantum, quod, quæcunq; fuerit Morbi indoles, sive Benigna, Maligna vel Media, intra tridui Spatium terminatur; ut ut enim *Mediæ Variolæ* non omnes primo hujus stadii die protrudantur, universæ autem intra triduum ex quo primum eruperunt; suo modo maturari incipiunt, & nullæ post triduum à prima universali eruptione incœptæ recens sese in conspectum dant. Veneno enim vel subacto vel exaltato. Febris plus minùs salutari, vel funesta Crisi indicatur; & vel non supereſt Venenum post hoc triduum per Cutim eliminandum vel vires haud amplius Spiritibus suppetunt ei eliminando pares. Nihil enim mo-

ror parvula illa Exanthemata, quæ ex reliquis Veneni delitescentis sanè contemnendis orta in Interstitiis Variolarum *Mediarum* quasi superfœtantium in stadiis *Maturationis* vel *Declinationis* nonnunquam suppullulant; utpote quæ absque aliquo febrili certamine erumpunt, & quam citissime, aliquando ipso ortus die, sine Maturatione declinant & exarescunt.

CAPUT IX.

De tertio hujus Morbi stadio, quod à Variolarum prima Maturatione usque ad earundem Declinationem protenditur; De Varia indole Febris in hoc stadio recrudescentis, & Salivationis, Intumescentiæ Extremorum, Diabetici Urinæ profluvii, cæterorumque Symptomatum ratione hanc Febrim ejusque Crisin in hoc stadio comitari solitorum; De signis Naturæ ejus benignæ, malignæ vel mediæ Diagnosticis, necnon de signis Prognosticis, Indicationibus curativis & methodo medendi ad hoc stadium pertinentibus.

[c] TRiduo Eruptionis elapso *Variolæ*, sicut alia quævis Tubercula inflammata, concoqui incipiunt, & lympha venenata per glandulas cutaneas Naturæ lege colata acrimoniæ sua cuticulam à vera cute separat, unde apices Exanthematum, paucarum horarum spatio, primùm albescentes quadantenus intumescunt; dein, lymphæ eadem pro Morbi indole & vigore Spirituum plus minusve vegeto, citiùs vel seriùs in pus vel puriformem materiam mutata, flavescunt, aut saltem colorem cineritium subfuscum obtinent, tandem in stadio ultimo crusta obducti exarescunt, modò exanthemata confluentia, cohærentia vel discreta simul, uno impetu ubique primum eruperit. Variolæ enim *Mediæ* quæ sensim & eodem die erumpunt, pro differenti ortus ratione albescere incipiunt, adeò ut primo vel secundo Maturationis die quædam tubercula in extremis partibus, vel corporis

[a] *De Hæmoptoe & Insultib. epilepticis.*
[c] *Variolarum maturatio.*

(b) *Vide histor.* 11. 6.

ris trunco fere cruda, alia verò in Facie scilicet collo cæterisque locis vicinis plus minùs maturata reperiantur.

Cùm autem multiformis sit hujus Morbi Indoles in hoc præcipuè stadio, & pro gradu Veneni morbifici differenti planè alia atque alia, ita ut nequeat Medicus sine sagacitate maxima in multiplici Symptomatum jam suboriri solitorum varietate praxin suam ad rationis normam ubique ritè dirigere, operæ prætium duco Indolem morbi pro ratione Veneni diversam, durante *Variolarum* Maturatione (quod in præcedentibus stadiis etiam consultò feci) succinctim primùm ob oculos ponere, incipiendo à *Variolis Benignis*, ut sciat Medicus quàm longè *Malignæ* vel *Mediæ Variolæ* ab ista Regula deflectunt; & quibus subsidii Naturæ jam deficienti subvenire oportet.

(*a*) In *Benignis Variolis* ubi Venenum in præcedenti stadio robore Naturæ integro è Spirituum sinu secundùm primam Naturæ intentionem per Glandulas cutaneas Crisi fida ac perfecta propulsatum fuerit, nullum omninò Febris revirescentis, aut alterius alicujus generis æramnosum symptoma repullulant, præter dolorem Exanthematum inter maturandum inflammatorium, à quo ut ut Patiens quadantenus [ut in *Furunculi* vel alterius cujuscunq; Tuberculi cutanei maturatione] incalescat, & arteriæ fortius solito vibrentur, nullatenus tamen Febre vel ægritudine ab intestina Veneni & Spiritum luctatione afficitur, verum *apyrexia* integra ac valetudine perfecta utens totum hoc stadium, quod ultra triduum non protenditur, securè & tranquillè decurrit, lympha è Spirituum influorum vigore per glandulas copiosè colatur, atque tuberculis citissimè ministratur; unde (*b*) primo die Variolarum margines vegetè rubent, atque bases suas sensim ampliant, apices elevant, atque sero implent; secundo autem die Pustulæ adhuc turgentes sero à benigno Spirituum calore ocyus [uti solet] inspissato atque in puriformem substantiam quadantenus redacto, Colorem minus pellucidum obtinent, & demum tertio die humore lege Naturæ à blando Spiritu influxu & in Pus concoctum & laudabile penitus mutato, protinus flavescentes in apicibus stadium ultimum ingressuræ exarescere & scabie obduci incipiunt. Cum dico Variolas benignas esse cæterarum omnium normam, intelligo Variolas quascunque *Discretas* & *Regulares* cum *Petechiis*, eruptione *Miliari* aut altero quovis stigmate exitiali minimè conjunctas præter illas quas lingua Vernacula vocare solemus *Chicken Pock*, Quippe hæ, (*c*) ut ut molestum Apparatus triduum, ut cæteræ Variolæ habeant, sæpius tamen eodem die oriri, maturari atque declinare animadvertuntur; adeò ut post primum stadium finitum, nihil compertum & certum de cæteris earum stadiis dici possit, nisi quod Cometarum ad instar citissimè dispareant, rarò admodum spatium cæterarum Variolarum Regularium in stadiis suis ultimis decursuræ. Quo signo Pathognomonico duntaxat à Variolis cæteris Benignis, quas jam descripsimus, distingui queant.

(*d*) *Malignæ* autem *Variolæ* (eas Volo quæ à primo insultu tales extiterunt, utpote a Veneno summe deleteriæ ortæ, aut saltem a Symptomate aliquo vehementi spiritus in primo stadio ante Crisin pessundante in Malignas mutatæ) sive *Confluentes* sive *Cohærentes*, vel *Discretæ* cum Petechiis aut alio aliquo exitiali stigmate conjunctæ immane quantum in hoc stadio à Benignis distant: Febris siquidem quæ a veneno Spiritus prorsus obruente suam originem trahens, a primo insultu uno tenore fere continuo hactenus progrediebatur, jam demum a Crisi in præcedenti stadio funesta mirum in modum aucta, cum *Hæmorrhagiis*, *Deliriis*, *Vigiliis*, cæterisq; præcedentis Stadii Symptom. plurimum evectis, nec non *Spasmis*, *Comate profundo* aliisq; id genus ob vires Spirituum perpetim corruentes funestissimis sociata ut plurimum Ægrotantem miserè confectum derepente, (*e*) primo sc. vel 2. hujus stadii die è vivis tollit. Efflorescentia,

(a) *Variolarum Benignarum Maturatio.* (b) *Vide Hist.* 3. (c) *Vide Hist.* 2.
(d) *Variolarum Malignarum indoles in hoc stadio.* (e) *Vide Hist.* 37. 38. 39. 40.

interea (ubi confluens fuerit) in albedinem non intertuptam & visu horrendam mutata; si vero Exanthemata in Pectore vel quacunque alia corporis parte *Morbillosæ Efflorescentiæ* ad instar figura incerta donata, quadantenus Discreta apparuerint, ut ut in apicibus albedine obducantur, nequaquam margine rubro circumcinguntur, vix aut ne vix omnino elevantur, interstiria destituuntur, verùm potius quasi ex strangulatione lividescunt, quoniam cùm Spiritus in machina ubiq; pene extinguuntur & enecantur, necesse est ut sanguis in universa cute quasi stagnet, & luridum colorem exhibeat, atq; glandulæ cutaneæ inde Semineces in lympha venenata excernenda plurimùm deficiant; unde sero jam non amplius aut ægre admodum suppeditato Tuberculorũ Maturatio haud ampliùs jure merito expectanda est: Nec est quod quisquam miretur Variolas sessiles & depressas manere, atque Cuticulam in earum apicibus venenata acrimonia separatam squamæ exatescentis ad instar ad cutim rursus pene adhærere. Naturæ vero quæ semper pro viribus quæ ei suppetunt, cunctando rem restituere molitur, cùm hoc pacto Venenum per glandulas cutaneas eliminare juxta primam suam intentionem non possit, hostem per patentiores Glandularum Faucium atque Renum portas, quod in præcedenti stadio aggrediatur, pro virili propulsare contendit; at vero conatuinani, quasi [*a*] *Ptyalismum* duntaxat levem & mox recessurum, sine aliqua insigni capitis vel faucium intumescentia, atq; molestam sane & inutilem *Micturitionem* absq; notabili quocunque Urinæ profluvio ut plurimum excitat, Adeo funestus & deploratus est hic casus, ut raro admodum (quod ante innui] quisquam hoc modo decumbens ad tertium hujus stadii diem supersit; si quis vero [quod oppido raro hactenus observavi] meliori luto formatus & staminibus vitæ magis firmis præditus, artis suppetiis opportune allatis forte fortuito adhuc superstes fuerit, stadium Morbi ultimum (Variolis posthac nunquam maturescentibus, atq; hoc defectu Salivatione copiosa aut Profluvio Urinæ neutiquam suppleto) diu *b* ad *x* scilicet vel *xii.* dies protendendum ingressus in dies febricitat; nec non, ac si Venenatus, Vigiliis, Deliriis, Deliquiis, cæterisq; omnibus præcedentibus diris Symptomatis præter *Hemorrhagias* [quæ si adhuc perstarent, funestum diem illico citissime accerserent) prepetim lacessitus, donec Veneno viribus Artis & Naturæ conspirantibus sensim cicurato, & die Morbi forsan *xvii.*, vel vicesimo certamine febrili inde dirempto jam demum *Sinochon* assecutus inexpectato revalescere incipiat. Quosdam etiam novi à reliquiis Veneni delitescentis non jam subactis, quorum Historias sub finem hujus Tractatus recensere non pigebit, qui usque ad *c* tricesimum diem, post Venæ-sectionem & solennes purgationes peractas; cum appetitu penitus prostrato hectice quasi decumbebant, & tandem *Sphacelo* Claviculæ, Ossium Maxillarum vel Tibiarum inopinato trucidabantur.

d Variolarum autem *Mediarum* Maturatio paulo fusiori calamo describenda est, quia frequentissime ista species occurrit, & præ cæteris, pro ratione Veneni præcedenti stadio plus minusve subacti, indolem admodum variam obtinet, & Medicorum sagacitatem exercet in hoc stadio. Namq; ex lucta inter Venenum & Spiritus in præcedenti stadio propemodum pari, haud raro ob siniſtrum aliquod accidens; symptomata vehementius, aut methodum medendi non satis acurate adhibitam, Natura causa sua Crisεos tempore ex parte cadit, nec facile suas vires in posterum recolligit: & sicut istæ Variolæ, *e* quæ prima facie more *Benignarum* discrete erumpere incœperant, demum cohærentium vel confluentium speciem induunt; ita in hoc stadio post Crisin infaustam *variolæ* nonnunquam pravam suam indolem produnt; *f* Sessiles nimirum, depressæ & aridæ manent, maturationi neu-

a *vide Histor. jam memoratas.* b *vide Histor.* 23. 36. 41. *&c.*
c *vide hist.* 59. 60. 61. 62. *&c.* d *variolarum Mediarum Maturatio.* e *vide histor.* 1. 2 22. 14. *&c.* f *vide histor.* 19. 21. 22. 23. 32. 33. 35. *&c.*

neutiquam idoneæ, atq; aliquando *a Petechiis* jam demum efflorescentibus interpunctæ, & discrimen Ægrotanti non minus, licet non adeo præceps ac primario, Malignæ intentant, Post infidas enim Remissionis potius quàm Intermissionis inducias in ultimo præcedentis stadii die datas, *b* Febris malimoris ex lucta Spirituum Crisi præcedenti plurimum labefactatorum jam adversus Venenum recrudescens instaurata, una cum Maturatione incœpta illico revirescere incipit, mox *vigilias*, *Delirta*, & reliqua quotquot dira Spirituum vacillantium symptomata accersitura quæ in dies magisque adaugeri solent; donec Æger quasi Toxico penitus infectus, demum decimo *c* vel undecimo Morbi die (quod ut plurimum fit) satis cedere cogatur, si non forte Venenum multa arte, ope & robore Spirituum haud vulgari adjutus, in ultimo Declinationis stadio diu, *d* sc. ad *xvij.* vel *xx.* dies protracto atq; ærumnose admodum emenso, sensim concoquere & edomare potis fuerit: vires enim haud jam Spiritibus suppetunt ad venenatam colluviem (quæ per Glandulas cutaneas primario propulsandas fuerat) per Fauces, Renes, vel aliam aliquam portam succedaneam amandandam. Quam ob rationem hæ Variolæ semper Sessiles & Aridæ jam animadvertuntur, & *Salivationem insignem*, *Intumescentia extremorum*, vel *Urinæ profluvium* nullatenus comites habent.

Ubi autem Spiritus in Crisi Venenum tantillum superaverint, res Ægrotantis (si nihil postea accidat sinistrum) pro ratione victoriæ partæ, plus minus in vado sunt, & Variolæ citius vel serius tandem maturationem assequuntur: interea *Salivatio*, *Profluvium urinæ* & *extremorum Intumescentia* exanthematum depressorum defectum plus minus compensant; Febris etiam (modo revirescat) vix ante initium ultimum Declinationis stadium repullulat, atque tunc *Synecheos* benignæ typum induit.

e Est enim ubi Variolæ hujus generis, veneno in præcedente Crisi multum facto & subacto, prope ad benignas ipsas jam accedant, cum Natura per glandulas cutaneas juxtà primam suam intentionem totum virus licet paulo ægrius & tardius eliminare valeat, unde exanthemata figuram exactissime rotundam possident, & margine rubro circumcinguntur, ut ut pro Maturationis die hic illic in medio deprimantur *f* tertio autem vel quarto turgescant & acuminantur, 5. demum die pure jam confecto referta, flavescunt & exarescere incipiunt, atque Æger demum sine quacunque Febre recidiva, ærumnosa Salivatione, vel extremorum Intumescentia, die Morbi saltem decimo tertio aut quarto prorsus revalescit.

g Si vero Spiritus in Crisi imperfecta paulo plus labefactati Veneno, & arctius cum eo implicati, totam virulentiam secundum primam intentionem per glandulas cutaneas amoliri nequeant provida Natura *h* Faucium glandulas incunctanter sollicitat, quibus tanquam tabula post naufragium utitur, & per patentiores istas portas veneni reliquias amandare satagit: Exanthematis interea in dies, ut ut serius & segnius maturescentibus, unde hujus Morbi stadii duratio incerta redditur, & pro copia & duratione salivationis ad dies quatuor, sex, octo, duodecim, vel *i* amplius protensa, atque variolæ interea primum ubique in *K* medio deprimuntur utpote humore parce suppeditato, neq; margine vegete rubenti circumcinguntur: dein vero cum turgescant & acuminentur, admodum albæ & pellucidæ:

a *vide histor.* 27. 45. 52. b *vide histor.* 32. 25. 21. 22. *&c.*
c *vide histor.* 45. 46. 41. *&c.* d *vide histor.* 32. 33. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 29. 49. e *Maturatio variolarum Mediarum proximè ad benignas accedentium.*
f *vide histor.* 5. 6. 7. 9. 14. 17. 20. g *Maturatio variolarum Mediarum cum salivatione, urinæ profluvio, &c. conjunctarum.* h *vide histor.* 19. 27. *&c.*
i *vide histor.* 53. *&c.* k *vide histor* 21. 23. *&c.*

[humore adhuc minimè in pus mutato] aere vel aqua limpida impleri videntur; demùm verò debitam magnitudinem adeptæ, & puræ jam confecto quadantenus flaveſcentes (*a*) flacceſcunt tamen, & vigore Spirituum orbatæ magna ex parte in Artubus præcipuè confluunt, ſero admodum in ſtadio ultimo exareſcunt, & Cutim haud rarò cicatricibus & foveis turpiter deformant.

Quamdiu Spiritus vires ſuppetunt ad hoſtem per hanc portam fortiter propulſandum, Patiens (quomodocunque Variolæ ſeſe interea habeant) penè *apyretos* in tuto eſt, & ab omni alio ærumnoſo Symptomate, excepta Salivatione, gutturis Dolore, Degluriendi difficultate, cæteriſque id genus Ptyaliſmi ſatellitibus, liber. [*b*] Quamprimum autem [modo ante Maturatione Variolarum completam] *Salivatio*, una cum Capitis, Faciei & Faucium intumeſcentia ob Spirituum defectum declinare incipit, ſi non (ut ſæpe tum bonis avibus derepente fit) hic defectus profluvio Urinæ & extremorum Intumeſcentia ſuppleatur, recrudeſcit illico Febris & plus minuſve periculi intendit pro ratione virium veneni in præcedenti ſalivatione magis minuſve ſubactarum, atq; maturationis Variolarum inde magis minuſve provectæ; ſiquidem Venenum, ſalivatione ob Spirituum languorem præmaturè deficiente intus concluſum, atq; mox Naturam obruens vel ſaltem irritans, febrilem luctam (*c*) cum vel ſine rigore manifeſto antecedenti non poteſt non recens inſtaurare, quæ pro ratione virium Veneni ſuperſtitum jam [*d*] *Synechis* & benigna, jam vero (*e*) *Synecheos* plus minus maligna redditur, quam ſine vigore Naturæ haud vulgari, aut ſaltem ſine Artis ſuppetiis opportune allatis ſuperare haud fas eſt, & qua Æger pleurumque 3. vel 4. die trucidabatur: Variolæ autem vix unquam ab hoc tempore matureſcunt, & ſtadium Morbi ultimum, declinatione Salivationis incœpta, exordium ſumit. Quam ob rationem ſalivatione declinante Medicus, quo ad præſagium proferendum, & medelam rite adhibendam ſeſe expeditius accingat, non tam ad præcedentis Salivationis terminum, quam ad præſentem *Variolarum* maturationis gradum animum advertat. Novi enim Salivationem, Variolis jam maturatis, vel quarto die ſine Febre recidiva declinaſſe, atq; nobilem Juvenculam, (*f*) cujus Hiſtoriam in fine hujus Tractatus recenſebo, quæ viceſimo primo Morbi die (hoc ſtadio eouſq; durante) crudis adhuc & non integrè maturatis Variolis, perenni atq; inexhauſtibili Salivatione plane confecta periit. Ut ut vero hæc ſe habeat generaliter loquendo quo diutius Salivatio duret, & quo copioſior fuerit, eo magis Venenum cicuratur & ſubigitur, & Salivatio 3. vel 4. die præmature finita, vel longius protenſa, modo non fuerit copioſa & libera (*g*) *Synecheo* & mali moris malo omine excipitur: copioſus vero & diutius protenſus *Ptyaliſmus* (ut ut Variolæ non fuerint integre maturatæ] ſæpiſſime in [*h*] *Synechi* benignam facillime *Cort. peruv.* ſubigendam deſinit: iſte autem qui ad Maturationem uſq; variolarum completam protenditur, ſive citius ſive ſerius ſubſiſtat, Ægrotanti (*i*) ſalvo & *apyretos* valedicit.

Natura vero (ut ante innui) in præſens machinæ tutamen præproperam hanc Salivationis declinationem (*K*] *profluvio Urinæ* immenſo vel *Extremorum Intumeſcentia* compenſat, & Cataractis Renum reſeratis Urina, fere ut in Diabeticis, ad plures dies ſupra modum fluit, quo pacto ſolet in ſalivatione arte a Mercurio inſtituta, ubi venenum exhibitum haud ſatis per glandulas ſalivales protruſum fuerit, vel *Manus*, *pedes*, *præputium*, mole humorum immenſa in iis congeſta mirum in modum diſtenduntur, atque ſane cum utrumvis horum Symptomatum

ſup-

a *Vide hiſtor.* 21. &c. b *Vide hiſtor.* 54. 55. &c.
c *Vide hiſtor.* 21. 26. &c. d *Vide hiſtor.* 22. 24. 25. 26. 46. e *vide hiſtor.* 21. 54. 55. &c. f *vide hiſtor.* 53. g *vide hiſtor.* 21. 55. &c. h *vide hiſtor.* 24. &c. i *vide hiſtor.* 19. &c. K *vide hiſtor.* 32. 33. 34. 35. 36. 56. 63. 62. 63. &c.

ſuppreſſæ Salivationis locum teneat, quamdiu à vigore ſpirituum ſuſtentetur, variolæ plus minus in dies matureſcunt. Cùm autem ante maturationem exanthematum perfectam declinant, illicò revireſcit febris *Synecheos* vel *Synechis*, ſi non quod ſæpiſſimè fit, ſalivationé poſtliminio reduce excipiantur. Quo diutius autem iſthoc Vrinæ profluvium, vel extremorum Intumeſcentia durat, eo meliùs. modo autem abſque ſalivatione recidiva ante maturationem Variolarum completam præmemorata Symptomata derepente ſupprimatur, à febre recens ſuppullulante vita Ægrotantis rursùs in diſcrimen adducitur; adeò protenſam atque incertam durationem in hoc ſtadio hujuſmodi Variolæ emetiri ſolent.

a Eſt autem ſæpiſſimè, ubi vires & ſpirituum & veneni poſt criſin peractam adeo prope ad æqualitatem accedant, ut ſpiritus nequeant veneni reliquias per cutim vel aliam aliquam portam ſuccedaneam fortiter propulſare; tumque venenum magna ex parte intus cohibitum, fere ad hujus ſtadii initio febrem *b* ciet, mitiorem licet, ut plurimum *Synecheon*, nonnunquam autem *Synechi* quæ ſtadio hoc morbi diutius protracto, cum deliriis, cæteriſque id genus Symptomatis, ut ut non valde intenſis conjuncta eouſque durare ſolet, donec *Variolæ* diu depreſſæ & pellucidæ, demùm veneno ſenſim & gradatim per hanc vel illam portam protruſo, die 17. vel 18. derepente turgeſcere atque maturori incœperint. A quo tempore febre una cum Symptomatis conjunctis, poſtquam diu incerto Marte dimicatum fuerat, inexpectato exulante, Ægrotans illicò revaleſcit.

Succincta hac maturationis variolarum hiſtoria è rei natura petita, facilè admodùm Indoles morbi durante hoc ſtadio benigna, maligna, vel media diſcernitur eventus ejus fauſtus vel dubius prædicitur; indicationes verè curativæ ad rationis normam eliciuntur, atque methodus medendi certa & ſtabilis inſtituitur.

Ubi *c Variolæ* fuerint figura exactiſſimè rotunda, ubique diſcretæ & margine admodum rubro circumcinctæ, neque *petechis*, *eruptione miliari*, vel quavis alia nota exitiali interpunctæ, primo maturationis die in ſummitate albæ atque humore refertæ ac turgidæ; 2. autem *d* circa baſin auctæ atque in ſummitate acuminatæ, & minùs pellucidę; atque tertio demum, ſcil. ultimo hujus ſtadii die, humore in pus mutato flaveſcentes, utpote cruſta mox obducendæ. Patiente interea neque febre, ægritudine vel quocunque altero ærumnoſo Symptomate attrito? virium robur admodum vegetum, atque indoles morbi maxime Benigna ſignificatur; & debito regimine adhibito, eventus felix duodecimo ſaltem morbi die inſecuturus expectandus eſt, natura ſingula ſtadia ſpatio trium dierum peragrante.

Ubi *e* autem febris in præcedentibus ſtadiis fuerit continua, & adhuc cum *deliriis*, *Vigiliis*, & reliquis ſympromatis in dies auctis, præterea *hæmorrhagiis*, *Micturitione*, &c. conjuncta perſtet, uno tenore progrediatur, atque efflureſcentia ubique confluat vel cohæreat; atque cutis albedine plana tanquam pergamena obducatur; Ubi exanthemata in pectore & Artubus, quadantenus Diſcreta, ut ut in apicibus albedine obducta depreſſa maneant & ferme ſeſſilia, atque in margine & interſtitiis quaſi ex ſtrangulatione lividescant, apices humore prorsùs deſtituantur atque inde ſquammarum ad inſtar exareſcant, ad Cutim penitus adhæreant; Vel ubi prorsus Diſcreta, *f petechias*, *maculas purpureas*, *vel nigras*, vel *eruptionem miliarem* in interſtitiis comites habeant; nulla interea notabili *Salivatione*, *profluvio* urinæ, aut extremorum *Intumeſcentia* jam ſuborta, morbus Veneno deleterio primario ſatus, indolem ſuam malignam palam prodit, & Exanthemata ob ſummam ſpirituum debilita-

a *Maturatio variolarum mediarum ſine notabili Salivatione, vrinę profluvio &c.*
b *vide hiſtor.* 14. 21. 23. 46 49. *&c.* c *Variolarum benignarum maturantium diagnoſtica.* d *vide hiſtor.* 3. *&c.* e *Variolarum primario malignarum diagnoſtica vide hiſtor.* 36. 37. 38 39. 40 41. f *vide hiſtor* 30. 31.

bilitantem ad maturationem prorsus inepta esse arguit; vel ultimum declinationis stadium sine maturatione præcedenti jam iniisse, ad cujus tertium diem oppidò rarò Ægrotans superstes pervenit. (a) Si quis autem fortuito evadat, ægre admodum ac ærumnosè illud stadium (Variolis nusquam maturatis) diu & sine definito aliquo termino prostractum fere semper moribundus decurrit.

(b) *Variolæ mediæ* in malignas post crisin mutatæ, eadem planè indolem cum primario malignis sortiuntur: sunt enim depressæ, sessiles, in margine lividescentes, atque ineunte maturatione exarescentes albis apicibus obductę; (c) nullo autem humore refertæ neque Salivatione quavis notabili, profluvio Urinæ, vel extremorum Intumescentia comitatæ, haud rarò autem Petechiis jam efflorescentibus interpunctæ: In hoc autem potissimùm differunt, quod non à primo ortu malignæ extiterunt, verùm in ipsa Crisi pravam hanc indolem, Natura jam causa cadente, sibi acquirunt, indeque crisi finita confluunt vel cohærent Variolæ, quæ primo discretæ, bene figuratæ & bene coloratę erumpebant; febris etiam, ut ut jam spiritibus in crisi superatis mali moris sit, cum Vigiliis: deliriis &c. sociata, ante crisin peractam magis benigna erat, & sub finem eruptionis more *Synechcos* inducias dedit licet infidas, & intermittebat, vel saltem remittebit; quo nomine oppido rarò *Hæmorrhagias*, *Micturationem*, cæteraque id genus Pathognomonica primariæ Malignitatis symptomata sibi adjungit, nec fatum adeò præcox atque certum accersit: verùm plures ex hisce quam illis variolis ope artis evadunt atque pauci admodum ante undecimum vel duodecimum diem ab iis interimuntur. Nam hoc stadium nullo certo termino continetur, sed diutiùs ut plurimùm protenditur.

Mediæ autem *Variolę* proximè benignas accedentes à benignis parùm differunt, eundemque eventum scil. salutarem assequuntur; sed ob vires spirituum ex Accidenti quadantenùs obtusas, earum maturatio diutius protrahitur: Exanthemata nimirum ut ut primo vel secundo die albescant, aliquatenus autem ob lympham parcius ministratam, apices depressos habent; tertio vel quarto die turgescunt & acuminantur; demum quinto flavescere incipiunt, sine febre, Salivatione, Profluvio Urinæ, vel extremorum Intumescentia conjuncta: quia Spirituum vigore totum virus secundum primâ naturę intentionem per cutem propulsatur, indeque istas *variolas* à vere benignis in stadio maturationis paulo ptotensiori solummodo dignoscere licet.

(d) Ubi autem spiritus arctius implicantur Veneno, ad quod per glandulas cutaneas penitus eliminandũ vires dificiunt, natura necessario portas succedaneas sollicitat; & Variolę suborta (e) Salivatione, quę in dies magis magisq; augetur, diu depressę & aquosę tardius matureścunt: unde hoc morbi stadium ad 6. 8. 10. 12. dies protensum videre est, priusquam exanthemata pure maturo referta & turgescentia flavescere incipiant. Salivatione vero ante maturationem variolarum consummatam deficiente, modo *urinę profluvium* vel *extremorum intumescentia* ad Salivationis reditum protensa, defectum istum non suppleat, febris revirescit *Synechis* vel *Synechos* pro ratione veneni prius plus minus subacti magis minusve periculosa; adeo ut in hisce variolis terminus huius stadii sit admodũ incertus atq; evẽtus plane dubius.

(f) At si spiritus veneno implicati & labefactati adeo defecerint, ut hostem nequeant amplius fortiter propulsare, & per glandulas cutis vel aliam portam succedaneam eliminare, [g] *febris* Veneno intus cohibito, mitior licet cum *Vigiliis*, *Coliriis*, &c. conjuncta, una cum Maturatione inceepta illicò revirescit, & pro ratione Veneni plus minus subacti ut plurimum *Synechcos*, vel oppido raro *Synechis* quæ per totum hoc stadium sine notabili quocunque ptyalismo, Urinæ profluvio, vel extremorum Intumescentia, durare

[a] *Vide histor.* 53. 59. 60. 61 62. [b] *Variolarum mediarum in malignis mutatorum diagnostica.* [c] *Vide histor.* 29. 52. 23. [d] *Variolarum mediarum cum salivatione, &c. conjunctarum diagnostica.* [e] *Vide histor* 53. 34. 55. &c. [f] *Variolarum mediarum sine salivatione, &c. diagnostica.* [g] *vide hist.* 32. 14. 21. 23. &c.

rare ſolet uſque ad conſummatam maturationem exanthematum, quæ diu depreſſa & pellucida manent, & rariſſimè ante decimum octavum morbi diem [veneno ſenſim per varias portas eliminato] humore turgeſcere, vel pure maturo flaveſcere incipiunt, Vita Ægrotantis interea in ſummo diſcrimine verſante.

[*a*] Signa quę in hoc Stadio eventum morbi futurum ſive ſalutarem, funeſtum dubium denunciant, tribus potiſſimum fontibus perere oportet, nimirum à *febre* maturationem concomitante, vel ſaltem eam excipiente; ab *Exanthematum* indole, præſertim eorum citiori vel tardiori, & plus minuſve perfecta maturatione atque à *Salivatione*, *profluvio Vrinæ*, *extremorum Intumeſcentia*, *Diarrhœa*, *Comate*; *ſpaſmis*, *Deliriis*, *Vigiliis*, *difficili Reſpiratione* & *Deglutitione*, cæteriſque Symptomatis conjunctis. Ex. gr. 1. [*b*] *apirexia* per totum hoc ſtadium protenſa, & maturatio demum nulla febre excepta, ut in Variolis benignis vel mediis proximè ad benignas accedentibus, optimè ſignificant: venenum nimirum adeò in præcedente criſi cicuratum & ſubactum eſſe, ut ne minimæ ab eò in poſterum ſpiritus creentur moleſtiæ. 2 [*c*] Ubi febris in præcedentibus ſtadiis inducias non dederit, ſed uno tenore progrediens huc uſque protendatur, peſſimè ſignificat, nimirum Morbum à Veneno deleterio primum ortum fuiſſe, Spiritus hoſti per cutim vel aliquam portam propulſando impares fore: unde natura poſt criſin funeſtam peractam prorſus ſuccumbente, atque Variolis ad maturitatem nequaquam prevenientibus (quod in Variolis confluentibus atque malignis ubique videre eſt) neceſſe eſt ut Ægrotans jam ultimum morbi ſtadium ingreſſus, *Hæmorrhagiis* cæteriſque diriſſimis Symptomatis confectus, mox fato præmaturo ſummum oppetat diem, vel ſaltem reliquam hujus ſtadii partem, modo protrahatur, ærumnosè admodum tranſigat atque demum, ut ſæpiſſime accidit, ſatis cedat. 3. Febris poſt infidas inducias ultimo præcedentis ſtadii die datas, [*d*] jam cum maturatione incœpta repullulans, peſſimè ſignificant; nimirum Spiritus ex criſi imperfecta, vel aliquando aut ſymptomate vehementiori adeo jam proſtratos eſſe, ut nequeant amplius Venenum ſtrenuè expellere, ſed ab ejus reliquis intus cohibitis luctam recens inſtaurandam, unde Ægrotantis vita non plus minus pro ratione Veneni magis minuſve ſubacti in diſcrimen, licet non adeo præceps ac in Variolis à Veneno primario deleterio ortis, adduci, febris hæc ut plurimum *Synechon* ſpeciem induit, atque [ut in variolis Mediis in malignas mutatis] abſque quacunque obſervabili Exanthamatum maturatione vel notabili ptyaliſmo, Intumeſcentia extremorum vel vrinæ profluvio, duodecimo morbi die Ægrotantem deliriis, vigiliis, *&c.* confectum è vivis tollit. Cum vere *Synechœos* typum ſervat (ut in variolas mediis proxime ad malignas accedentibus, de quibus ultimo loco in diagnoſticis verba fecimus] Æger demum decimo ſeptimo vel octavo morbi die ęgrè ex morbo evadit, citius autem ut plurimum fatis cedit. 4. febris autem quę niſi poſt quartum *e* vel quintum maturationis diem recrudeſcit *f* (ſcil. poſtquam vires Veneni à præcedenti ut imperfecta & ſera exanthematum maturatione, atq; Salivatione, profluvio Vrinæ vel extremorum Intumeſcentia coniunctis quadantenus cicuratæ fuerint] non adeo timenda eſt, ut potè maxima ex parte *Synechis* quæ *cortice peruv.* tempeſtivè priuſquam febris *Synechon* ſpeciem induerit, miniſtrato, facile admodum ſupprimitur. 5. *f* exanthemata primo maturationis die alba, ampla, turgida, & margine rubro cincta, quæ ſecundo die baſes ſuas extendunt, acuminantur & minus pellucent, tertio autem, vel quidem quarto vel quinto flaveſcunt, optimè ſignificant, vigorem nimirum ſpirituum vegetum, atq; conſummatum veneni abolitionem; inde enim hęc exanthe-

a *Prognoſtica*. b *Vide hiſtor.* 3. c *Vide hiſtor.* 30. 31. 36. 37. 38. 39. 40. 62. *&c.*
d *Vide hiſtor.* 10. 19. 21. 23. 25. 26. 27. 29. 32. 45. 48. 62. 59. 60. 61. *&c.*
e *Vide hiſtor.* 19. 24. 14. 46. *&c.* f *Vide hiſtor* 3.

mata tam citò maturantur: Quo citior autem Maturatio fit, eo melius 6. *a* Exanthemata diu depressa, atq; margine parum rubente cincta, & pellucida, languorem spirituum, & veneni vigorem & malum vel saltem dubium eventum significant: diutius autem post tertium Maturationis diem hujusmodi extiterint, eo pejus atque Ægrotans nisi Salivatione vel aliquo alio modo relevetur, spiritus demum obrutis decimo tertio vel quarto Morbi die fatis cedit. *b* Exanthemata tribus primis maturationis diebus humore nullatenus referta, arida & sessilia, atque in margine lividescentia mortem denunciant, quæ præ foribus adstat. Morbus enim, spiritibus jam plane deletis & enecatis, absque omni maturationis spe ultimum suum declinationis stadium ingressus est 18. petechiæ, eruptio miliaris, aut alia quævis exitialis nota in interstitiis Variolarum maturantiũ jam *c* suborta, spirituum extinctionem subindicando eventum ut plurimum funestum, licet non adeò præcocem, ut cum in præcedenti stadio apparuerit, denunciat. Ægrotans enim, ut ut exanthemata fuerint *d* Discreta, atq; ad maturationem apta, *Diarrhœa, phrenesi, Spasmis*, vel aliquo alio symptomate exitiali inopinatò correptus, oppido rarò ad decimum quartum morbi diem superstes est. 9. Exanthemata parvula hic illic in interstitiis variolarũ maturescentium jam succrescentia, ut ut omnen funestum non minstrent, flocci autem juse merito haud quaquam estimanda sunt; quippe Veneni reliquias in præcedente Crisi non penitus subactas hactenus spiritibus implicari palam produnt. 10. Quo *e* serius maturantur Exanthemata, eo pejus, atque eo majus ægrotanti discrimen impendet, quamdiu autem, ut ut tardius maturescant, spes aliqua effulget, licet Æger ante consummatam maturationem haud penitus securus sit. 11. salivatio huic morbo superveniens generaliter loquendo in optimis eminibus nunquam habenda est; ut ut enim sit Tabula post naufragium, semper tamen significat primam naturæ intentionem ex parte saltem frustra esse atque eventum ex consequenti magis dubium & incertum fore, atque semper cum ærumnosis symptomatis conjunctum 12. ptyalismus *f* levis & brevis inanem naturæ conatum subindicando pessimè significat, nimirum vires spirituum à veneno implicato adeò superari, ut nec juxta primam nec secundam naturæ intentionem virus amandare valeant; unde Veneno intus cohibito, Ægrotans mox febre mali moris reduce confectus perit. 13. Salivatio copiosa & diu protensa cum insigni Capitis & faciei intumescentia bene significat, vires nimirum spirituum esse vegetas & [modò satis diu perstet] faustum eventum ut ut diutius procrastinatum; atque cum symptomatis ærumnosis conjunctum promittit. 14. salivatio *g* quarto vel quinto die derepente suppressa, sive hoc a frigore fiat, sive à vigore spirituum veneno obsessorum diminutio, nisi profluvio vrinæ aut intumescentia extremorum ea excipiatur, malum omnem exhibet; vires nimirum spirituum à Veneno superatas ostendit, unde febris pro ratione veneni plus minus superstitis *Synechœos* vel *Synochis* mox necessario revirescit 15. Salivatio, profluvium vrinæ atq; extremorum intumescentia ut ut protensa fuerint, *h* modo ante variolarum maturationem consummatam defecerint, febris plus minus periculosam mox repullulaturam significant. 16. *i* Tarda Variolarum maturatio perstante salivatione malè significat maturatio autem exanthematum cita qualiscunq; fuerit salivatio, bene; quo citiùs autem eo melius, & vice versa 17. salivatio, post profluvium Vrinæ vel intumescentiam extremorum postliminio redux, vigorem Spirituum resuscitatum ostendit; unde febris spatio unius noctis fugatur, atque maturatio exanthematum quam celerrima licet decimo septimo

vel

a *vide histor.* 14. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 17. 29. 32. 33. 50. 52. *&c.*
b *vide histor.* 37. 38. 39. 40. *vide histor.* 37. 38 136. 40. *&c.* c *vide histor.* 30. 31. 29 45. 52. *&c.* d *vide histor.* 53. e *vid. hist.* 62. 37. 38. 36. f *vid. hist.* 54. 55. *&c.*
g *vid. hist. jam memoratas.* h *vide hist.* 35. 63. *&c.*

vel 8. Morbi die insequitur. 18. Horror & Rigor media Salivatione inexpectato ingruens male significat, nempe Veneni vel spontaneam, vel accidentalem recrudescentiam, & certamen febrile mox recens instaurandum. 19. Salivatio, *a* profluvium Urinæ & extremorum Intumescentia modica & parca, vires Spirituum debiles, & conatum Naturæ inanem ostendunt, & malè significant; Febrem nempe portendunt, mitem licet atq; seram admodum Exanthematum maturationem, unde eventus Morbi dubius, ærumnosus, atq; diu procrastinandus ritè exspectandus est. 20. Salivatio (*b*) Diarrhœa excepta pessimè significat, subitum nimirum virium collapsum; & sive sponte, sive ex Accidente aliquo contigerit, modò non cum vigore Spirituum restituto mox cohibeatur, funestum eventum & ruinam præcipitem certissimè denunciat. 21. (*c*) Deliquia more *Suffocationum hysfericarum* frequenter recurrentia, Virium languorem & Veneni vigorem ostendunt, funestum eventum ut plurimùm denunciant, ut ut Febris ob Spirituũ defectum non palam sese in conspectum det. 22. [*d*] Deliria & vigiliæ pertinaces, quæ viribus *Opiatorum* non facilè cohibentur, motum Spirituum inquietum atq; consequenter Venenum intùs delitescens hactenus non subactum ostendunt, & pessimè significant, ut ut indicia Febris comitantis præ languore Spirituum non adeò manifestò sese prodant. 23. (*e*) Comatosus affectus cum Variolarum maturatione coniunctus non melius ominatur, præsertim ubi maturatio tardè admodum procedat, cum inde Spirituum Veneno implicatorum languor & defectos manifestò prodatur. Denique, *f* Deglutitio impedita & Respiratio difficilis atque anhelosa Salivatione declinante suborta, Spasmos œsophagi, Bronchiorum infarctum atq; summam virium debilitatem ostendunt, & præ cæteris quibuscunque Symptomatis mortem præ foribus adstantem denunciant.

(*g*) Gutturis Dolorem ex Inflammatione Tonsillarum, sive ab Exanthematis Fauces obsidentibus, sive ex acris saliva in illis partibus excreta subortum, difficilem Deglutitionem ex intumescentia glandularũ Salivalium, & difficilem Aeris per nares in Respirationem transitum ad Glandularum Nasi tumorem, vel ob copiam muci glutinosi adhærescentis & nares infarcientis cum aliis ejusmodi consultò jam omitto utpote quæ in censum ærumnosorum potius quam funestorum Symptomatum redigenda sunt, & inde in Methodo medendi jure merito locum vendicant: nullatenùs autem inter signa eventum Morbi præsignificantia locum merentur.

(*h*) *Indicationes Curativæ* in hoc stadio in genere sunt, tres sc. 1. Ut Venenum in præcedenti Crisi integrè è Spirituum sinu excussum, nequaquam ad eos recens inturbandos durante Variolarum maturatione retrocedat. 2. Ut venenum post Crisin imperfectam vel funestam ex toto, vel ex parte Spiritibus adhuc implicotum, quantocyus juxta primam, vel saltem secundam Naturæ intentionem, durante Exanthematum maturatione, penitus aboleatur & eliminetur. 3. Ut Symptomata quæ vel Spiritus labefactant & ad reliquias veneni durante Exanthematum maturatione propulsandas prorsus impares reddunt, aut saltem quæ conditionem Ægrotantis magis ærumnosam efficiunt, corrigantur & cohibeantur.

(*i*) In *Benignis* igitur *Variolis* ubi Natura propriis viribus pollens, perfecta Crisi totum virus jam eliminaverit, satis est *Regimine* accuratè ordinato, *K* cavero ne à frigore in poros Cutis admisso, erroribus in Diæta, Pathematis animi sive altero aliquo accidenti, venenum in Spirituum gremium iterum resorbeatur, unde priusquam Exanthemata ad maturitatem perveniant, certamen Febrile rursus instaurari possit. Adeo ut servato debito Regimine, Patientem durante istiusmodi variolarum maturatione, vel

a *vide histor.* 32. 14. b *vide histor.* 27. 29. 62. *&c.* c *vide histor.* 52. d *vide hist.* 6. *&c.* e *vide hist.* 44. 27. 25. *&c.* f *vide hist.* 6. *&c.* g *vide hist.* 62. 53. *&c.*

h *Indicationes curativæ in stadio maturationis. Methodus medendi variolis benignis durante maturatione.* i *vide histor.* 4. 5. 6. 7.

sine quavis certa Indicatione pharmaco quocunque officiosè oblato, lacessi [a] non opus sit, Infantibus tantum & junioribus dolorem Variolarum maturantium inflammatorium ægrè tolerantibus guttas aliquot *Laudani liquidi* in haustulo *Cerevisiæ* vel quocunque alio vehiculo idoneo semel vel bis in die pro re nata concedere licet, ut somnus concilietur, inquietudo & jactatio releventur, ejulatus efferati compescantur, atque tædium hujus stadii ærumnosum fallatur.

(*b*) Ubi autem Spiritus vel ob Crisin præcedentem minùs perfectam, veneno adhuc penitus vel ex parte obsessi & implicati fuerint, vel ob accidens seu infortunium aliquod langueant, Exanthematum maturationem non promoveant Medicus à parte Naturæ colluctantis stans, Artis subsidia, opportunè adferat, alio atque alio modo pro diverso Veneni & languoris Spirituum gradu *v. g.* Ubi Fluxu *Catameniorum* vel *Lochiorum* præsertim, sive altero aliquo Accidente seu infortunio, Spiritus ut ut à Veneno liberati debilitantur, & maturatio Exanthematum procrastinatur, & Variolæ interea diutius, verùm absque Febre quavis conjuncta in medio depressæ manserint (ut in Variolis mediis proximè ad benignas accedentibus fieri solet) par est ut mitioribus *Cardiacis* vi quadantenus adstringenti donatis sæpius exhibitis Spiritus languidi foveantur atque refocillentur, eorumque motus præ languore inquieti *Paregoricis* parca manu ministratis cohibeantur, donec Accidente tandem sponte recedente, vel saltem vigore Spirituum demum resuscitato, Exanthematum apices eleventur, atque humore impleti denuò ritè maturari incœperint, more sequenti. (*c*) *Lentium crassè contus.* ℥j. *Ficuum ping. sciss. par. vj. Rasur. CC.* ʒß. *M & coq. in Liquor. Possetic.* ℔ij. Colaturam parum tepefactam bibat Patiens copiosè ad libitum. ℞ *Aqu. Meliss. Cerasi nigr.* an. unc. *iij. Cinnam. Hord.* ℥ij *Epidem. Pæon. comp.* an. unc. *j. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Spec. Confect. de Hyacinth.* an. ℥j *Theriac. Androm. Confect. Fracastor.* an. ʒß. *Sacchar. alb.* ʒv. Mf F. *Julap.* de quo cap. Patiens Coch. *ij. iv. vj.* pro ratione ætatis. Addantur hora somni (modo vigiliæ urgeant) *gutt. ij. iv. viij. xij. Laudan. liq. Helmon.*

(*d*) Quanquam Venenum juxta primam Naturæ intentionem per glandulas Cutis non expeditè eliminetur, tamen modò juxta secundam intentionem per glandulas Salivales satis propulsetur, ut in Variolis Mediis cum insigni Salivatione atque Capitis & Faciei notabili intumescentibus, Res Ægrotantis quamdiu perstet & vigeat Salivatio, est in vado. Quid? quod Æger Exanthematis sensim maturescentibus plane *apyretos* maneat, à Symptomatis quibuscunque funestis liber, ut ut molesta salivæ venenatæ exspuitione, Dolore gutturis inflammatorio, difficili Deglutitione, cæterisque idgenus ærumnosis Symptomatis lacessatur. Ideoque vigente Salivatione non est quod Æger *Alexipharmacis majoribus* ad venenum expellendum [quod natura sua sponte facit, atque efficere potis est] officiosè atque sæpius exhibitis fatigetur, satis est si Medicus à partibus Naturæ stans Regimine rite ordinato, Alimentis liquidis atque quocunque alio modo convenienti Spirituum vires sedulò foveat, & hunc Naturæ conatum promoveat, ut Veneni deliteſcentis reliquiæ per glandulas Cutis & Salivatione (quantum fieri potest) protrudantur & eliminentur, ut Febris repullulatio (si fieri possit) antevertatur, & denique ærumnosa Symptomata salivationem comitantia pro virili subleventur. Ex. [e] gr. Regimen prius ordinatum exactissimè observetur, Alimenta Potulenta uti *Hordeacea, Avenacea*, &c. cum vel sine Lacte commixto, *Cerevisia* pane tosto tepefacta, *Poma* vel *Pira* cocta, potissimum verò *Liquor Possetic.* antè descriptus ad vires Spirituum fovendas & suffulciendas sæpius & copiosius mi-

(a) *Vide Histor.* 3. [b] *Methodus medendi variolis Mediis proximè ad benignas accedentibus, durante maturatione.* [c] *Vide Histor.* 7. 9. 17. 18. 23. 29. &c.
[d] *Methodus medendi, durante maturatione Variolarum mediarum, cum Salivatione insigni, &c. conjunctarum.* [e] *Vide Histor.* 54. 55. &c.

miniſtretur; necnon *Julapii* ex *Cardiacis mitioribus* confecta ſæpius propinentur, vel nonnunquam (præſertim Ægro horreſcente aut tantillùm languente) *Vini Canarini* generoſiſſimi Cochlear. aliquot concedantur: Ex gr. ℞. *Aqu. Lact. Card.* an. unc. *iv. Epidem. Cinnam. hord.* an. ʒ *iij. Marg. ppt.* ʒiß *Sacch. alb.* ʒß. Mſ. F. *Julap.* de quo ſumat Æger Cochl. *iij. iv. v.* vel *vj.* (agitata phiala) ad libitum. Vel ℞ *Aq. Meliſſ. Ceraſ. nigr.* an. unc. *iv* ß. *Epid.* unc. *iß. Pæon. comp.* unc. *j. Pulv. è Chel. comp. Lap Contrayerv.* an. ʒi. *Sacchar. alb.* ʒv. Mſ. F. *Julap.* de quo cap. Cochl. *iij. iv. vj.* pro ratione ætatis [agitata Phiala) tertia vel quarta quaque hora. *Opiata* etiam ad tumultus Spirituum compeſcendos & ſomnum conciliandum *Cardiacis* commixta, quæ moderata manu miniſtrata vigente Salivatioue ſcopum attingere ſolent, ſaltem omni nocte exhibere convenit; quorum uſu ut ut *Ptyaliſmus* pro tempore cohibeatur, Spiritus autem intra cancellos debitos retenti plurimùm refocillantur; quo pacto (atteſtante ipſo expertiſſimo noſtrate *Sydenhamio*) Salivatio diutius protrahitur, & maturatio Exanthematum plurimùm promovetur. Capiat igitur Æger omni nocte *gutt. iij. vi. xij. xvj.* pro ratione ætatis, *Laudani liqu.* in *Hauſtulo Julapii Cardiaci*; cum ſpecieb. jam præſcripto vel ſumat *hauſtum Paregoricum* ſequentem, ℞ *Aq fl. Calendul. Paraliſ. Cinnam. hord.* an. unc. *j. Epidem* ʒiij. *Sirup. de Mecon.* unc. j. Mſ F. *Hauſt.* Doſis verò minuatur pro Infantibus & Junioribus. Inſuper quo faciliùs Phlegma viſcidum è *Tonſillis* educatur, exſcreatio promoveatur, & inde Ptyaliſmus provehatur, ſequens *Gargariſma* ex Detergentibus cum Emollientibus ad tædium Salivationis ſublevandum commixtis compoſitum. (Adſtringentibus conſulto omiſſis, quæ fluxum Salivæ quovis modo ſiſtant) in Fauces ſingulis modo ſomnus non probibeat, ſiphone jam cum impetu injicere oportet, ℞ *Lentium traſſe contuſ.* ʒj. *Rad. Alth.* ʒß. *Ficuum ping. ſciſſ. par. vj.* vel *viij. Hord. mund. p. j. Glicirrhiz. raſ.* ʒii. *Coqu. in Aqu. F. q. ſ. ad* ℔iß. *Colaturæ add. Mell. Roſ. Colat.* unc. iß. Mſ. F. *Gargariſma*.

Quam primum *a* autem (primo ſcilmomento ſi fieri poſſit] *Diarrhea, horror*, vel quidem minima facie *Detumeſcentia*, *Febris* repullulatio, *Delíria*, vel *Vigiliæ* inſolitæ, Salivationis præproperæ, *b. e.* priuſquam Exanthemata in Trunco corporis & Artubus æque ac in Facie perfectam maturationem aſſecuta ſint, declinaturæ ſuſpicionem dederint, illicò incunctanter ad Alexipharmaca majora] conſentiente magno ipſo *Sidenhamio*, qui jam vel vinum ipſum Canarinum concedit miniſtrandum) *Theriacam Androm. ſc. Serpentar. Virgin.* &c. eorumque doſes largiores in forma Bolorum vel hauſtuum ſæpius repetendas confugiendum eſt, & ad *Epiſpaſticorum* frequentium applicationem, ut Spirituum expanſione recens inſtaurata Salivatio (quod non rarò fit) reducatur, quamdiu opus fuerit in poſterum duratura, vel ſaltem ſi præmaturè deficiat Intumeſcentia Extremorum, vel profluvio Urinæ notabili compenſetur. *Opiata* etiam ad compeſcendum Spituum tumultum à Veneno intus cohibito ſubortum, manu magis libera & frequentius repetenda ſunt, ſenſim etiam aſcendere par eſt ad doſin (quæcunque illa fuerit) quæ eos ſedare & ſomnum inducere valeat. Ex. gr. applic. *Veſicator.* ad *Nuch.* & *Carpos* internos illicò, dein quarta vel ſexta quaque hora Adultis exhibeatur Bolus ſequens ſolut. in Cochl. *Julap.* & ſuperbibantur Cochl. *iv.* vel *v.* & pro ratione ætatis doſis minuatur. ℞ *Theriac. Androm. vel Confect. Fracaſtor.* ʒß. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Pulv. Serpentar Virg.* an. ʒß. *Laudan. liqu. gutt. xii.* vel *xiv. Sirup. Carioph. q. ſ.* M. F. *Bolus*. ℞ *Aq. Meliſſ. Flor. Calendul. Ceraſ. nigr.* an. unc. *iii. Cinnam. hord Epidem. Pæon. comp.* an. unc. *iß. Confect. Alcherm. cum vel ſine Moſch.* ʒiß. *Sirup Meliſſophill.* vel *Carioph.* ʒiß. M. F. *Julap.* Sin ex (*b*) *Micturitione* vel profluvio *Urinæ* ſolito majore conſtet Naturam Renum cataractas reſeraturam eſſe, ut per eos Veneni reliquias

(a) *Vide hiſtor.* 21. 24. 27. 35. 54. 55. 63. &c.
[b] *Vide hiſtor.* 35. 55. &c.

quias protrudat, quas per glandulas Salivales haud amplius potis eliminare, Medicum oportet omninò illi in hoc ultimo conatu manus adjutrices opportunè porrigere, atque singulis Bolis Cardiacis *gr. xii. xv.* vel quidem ℈j *Cinerum Bufonum* in crucibulo calcinatorum addere, Sæpius enim memini res Ægrotantium ubi Salivationi præmaturè deficienti nulla Extremorum intumescentia successerit fere deploratas; in hoc ultimo Naturæ conamine profluvio Urinæ quasi Diabetico præter spem restitutas, Exanthematis intereà matureſcentibus, ac si Salivatio perstitisset, vel Intumescentia extremorum successisset & nonnunquam Salivationem inde postliminio rediisse. Attamen ut Ptyalismus subsistens revocetur & protrahatur, Papillas Salivales Epithematis acidulatis sæpius admotis sollicitare non nocebit. Ex. gr. ℔ *Mellis Rosat. Colat.* ℥j *Spir. Sulph.* ℥ß. vel *Ol. Vitriol.* ℈i. M. F. *Liniment.* & panno lineo apici baculi alligato & huic liquori intincto, leniter ac sæpius fricentur papillæ ductuum Salivalium. Si hoc pacto sive quovis alio Salivatio protrahi possit, vel Intumescentia extremorum aut profluvium Urinæ quousque Exanthemata maturationem suam consummatam assecuta fuerint, Ægrotanti res adhuc integræ sunt; sin secus acciderit, Morbus illicò, Febre jam revirescente, atque pro ratione Veneni plus minus subacti, speciem *Sinochis* vel *Sinecheos* induente. ultimum suum stadium scil. Declinationem init; quæ *Declinatio* quo ritu tractanda sit mox in ultimo stadio narrabimus, Symptomata autem ærumnosa Salivationem comitari solita enumerare, atque eorum medelam jam describere consultò omitto, utpote de iis inter cætera Simptomata ad hoc stadium spectantia sub finem hujus Capitis sermonem habiturus.

(*a*) Spiritus autem, ut ut post Crisin peractam non penitus à Veneno franguntur ut in *Variolis* verè *Malignis*, sæpissimè tamen adeo subigunt, ut licet juxtà secundam atque equidem juxta primam Naturæ intentionem Venenum adoriantur, ejusque eliminationem per glandulas Cutis, Renum, Faucium, atq; per extremas Corporis partes unà ubique tentant, nullibi autem strenue id perficere valent; Unde, licet à debili & languido Naturæ conatu levis jam *Ptyalismus*, jam *profluvium Urinæ* solito paulò copiosius, vel aliqualis *Extremorum Intumescentia* animadvertatur & diutius protrahatur; Exanthematum autem maturatio tardo gressu procedit ad octo vel decem dies ut plurimùm protensa, Febre intereà, mitiori licet, atque ut plurimùm *Sinechi*, nonnunquam autem *Sinochon* cum Deliriis, Vigiliis, Deliquiis &c. conjuncta; totum hoc stadium ad initio usque ad finem comitante. Atque sanè hæcce maturantium Variolarum species uti admodum vulgaris est, atque dubium eventum portendit, ita exercitatissimorum Medicorum ingenia plurimùm torquet & excruciat atque maximam eorum solertiam in Methodo medendi ritè abhibenda exigit. Quo pacto igitur in maturantium harum Variolarum curatione tutissimè procedatur ad variam Febris jam comitantis indolem, conatum Naturæ diversum, atque Symptomata Spiritus atterentia jam suborta respicientes paulò fusiùs disseremus: Febris enim pro diversa sua indole aliam atque aliam medendi methodum exigit. Conatus Naturæ in veneno eliminando (quam primum quo tendat satis constet) omni modo promovendus est, atque Symptomata spiritus atterentia, uti *Diarrhœa*, *phrenesis*, *Vigiliæ*, &c. quantocyùs arte allevanda & corrigenda sunt Ubi igitur, & quamdiu Febris ab ineunte maturatione uno tenore progrediens *Sinechi* ut ut mitioris, & cum symptomatis non adeo diris sociatæ speciem induerit, par est durante toto hoc stadio *Vesicatoriis* applicatis atque *Alexipharmacis* majoribus cum mitioribus *Cardiacis* conjunctis, eorumque dosibus largioribus sæpius repetitis præsentem spirituum expansionem, qualis qualis fuerit, sartam tectam servare, & quantum fieri possit, promovere, adjecta ubiq;

[a) *Methodus medendi Variolis mediis proximè ad malignas accedentibus, cum levi tantum Salivatione, profluvio urinæ vel Tumore Extremorum conjunctis in hoc stadio,*

ubiq; *Opiatorum* quantitate [quæcunque fuerit] quæ ſpirituum tumultus compeſcere ſomnumque inducere, atque *Phreneſin*, *Fluxum Alvi*, & reliqua id genus Symptomata cohibere valeat, & hac Methodo multos hujuſmodi Ægrotantes ab (*a*) Orci faucibus liberatos memini: ℞ *Theriac. Androm.* ʒß. *pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv.* an. ℈ß. *Serpentar. Virgin. gr. v. Syrup. Caryoph. q. ſ. Laudan. liqu. gutt. xii. xv. xx. xxv.* M. F. *Bolus* ſolvendus in Cochl. *Julap.* Cordial. ſequent. & repetendus ſexta vel octava quaq; hora ℞ *Aqu. Flor. Calendul. paralyſ. Ceraſ. nigr* an. ʒii. *Epidem. pæon. comp.* an. unc. iß *Confect. Alcherm. cum vel ſine Moſch.* ʒiß *Syrup. Caryoph.* unc. iß. M. F. *Julap.* de quo Hauſtulum ſumat Æger poſt ſingulos Bolos & ad libitum. Quamprimum vero ex profluvio Urinæ ſolito majori conſtet naturam per glandulas renales Veneni eliminationem ex parte moliri, (*b*) par eſt omnino unicuique Bolo *Cineribus Bufonum ad* ℈ß. *gr. xv.* ℈j. additis, hunc Maturæ conatum adiuvare. Satis autem eſt ſi junioribus, præſertim Infantibus, Cochl. *ii. iii*, in Iulapii ſequentis quarta vel ſexta quaque hora propinentur. agitata phiala ℞ *Aqu. Lact. Alexit.* ʒiv. *Cardu.* ʒii. *Cinnam. Hord. Epidem. Pæon. comp.* an. ʒi. In his Aquis commixtis diſſolv. ad ignem *Confect. Fracaſtor.* ʒii. *Colaturæ* fortiter expreſſæ add. *pulv. è Chel. Cancr. comp. Bezoart. Orient. Rad. Serpentar. virgin.* an. ʒß *Syrup. de Mecom.* ʒi. *Caryoph.* ʒii. M. F. *Julap. Veſicatoria* etiam ad Nucham, Carpos, &, ſi opus fuerit, demum ad Tibias, (unum ſcil. poſt alterum, ita ut ſaltem una vel altera pars durante univerſi hujus ſtadii ſpatio inde recens excoriata lympha vel pure ſemper ſcateat] applicare neceſſe eſt, ut ſpiritus arte expanſi ad opus ſuum inceptum magis graviter perficiendum perpetuo ſtimulentur. Ubi autem, & quamdiu, ob vires Veneni paulo plus ſubactas Febris ſub initium Maturationiis ſuborta, exacerbationibus & remiſſionibus periodice recurrentibus *Synochæo* typum ſervaverit, (*c*) quod nonnunquam, licet oppido raro, videre eſt) ut ut ſub initium uniuſcujuſque Paroxyſmi ad vires ſpirituum in certamine ſuffulciendas, & Deliria, Deliquia, Vigilias, & cætera ſymptomata Paroxyſmum comitantia ſublevanda, *Alexipharm.* cum *Opiatis* commixta miniſtrare oporteat, & *Veſicatoria* applicare: Ap. primèautem convenit durante remiſſione *Corticis Peruv.* doſes ſæpius exhibere in formam Ægrotanti quam gratiſſimam concinnatas, unde duorum vel trium dierum ſpatio, Febre prorſus exulante, Variolæ citiſſime fere benignarum more, maturantur. A quo tempore, viribus ſpirituum, moderato *Alexipharmacorum* & Opiatorum uſu, uſque ad conſummatam Variolarum maturationem, continuo refocillatis, curatio facile admodum & brevi atque tuto ad Umbilicum ducitur, more ſequenti. Applic. *Veſicatoria* ampla & acria, primum ſcil. ad Nucham, cætera ad Carpos internos. ℞ *Theriac. Androm.* ʒß *Pulv. e Chel. comp. gr. xxv. Serpentar. Virgin. gr. viii Laud Lond. gr i. Syrup. Caryoph.* q. ſ. M. F. Bolus mollis, ſumend. paulo ante Paroxyſmum ſolut. in Cochl. Julapii ante præſcript. vel cujuſcunq; alterius iſtius æmuli, cujus etiam ſuperbibantur Cochl. *iii.* vel *iv.* repetaturque deinceps, inſtante Paroxyſmo, quotieſcunque ſcil. Paroxyſmus recrudeſcat. Infantibus & Iunioribus ſufficiunt Cochl. *ii. iv. vi.* pro ratione ætatis, *Julap. cum Spec.* nuperrime præſcript. quarta quaq; hora durante Paroxyſmo propinata. In Paroxyſmorum autem intervallis exhibeatur Adultis *Hauſtus* ſequens Febrifugus, repetendus tertia vel quarta quaque hora ad *viii*, *x*, vel *xii* vices ℞ *Aqu. Cardu. Flor. Calendul.* an. ʒi. *Epidem* ʒß. *Pulv. Cortic. Peruv. Elect.* ʒi. *Syrup. Caryoph.* ʒiii M. F. *Hauſt.* Infantibus ℈ß. vel *gr. xv.* & Iunioribus ℈i. vel ʒß *Pulv. Peruv.* ſolut. in cochl. *Julap.* cum ſpecieb. tertia vel quarta quaque hora in os ingeratur, reperaturque ad *viii.*, *x*, vel *xii.* vices. Interea alimentum liquidum copioſè miniſtretur, potiſſimum liquor, *Poſſetic.* medi-

ca-

[a] *vide hiſtor.* 14. 19. 21. 23. 26. 27 32. &c. [b] *vide hiſtor* 21. 32. 36. &c.
(c) *vide hiſtor.* 23. 24.

catus ante deſcriptus, nonnunquam tantillum *Vini Canarini* ad ſpiritus refocillandos propinetur. Febre autem hoc ritu fugata, ſufficit *Bolus Theriacalis & Paregoricus* duntaxat ſemel in die uſq; ad conſummatam Variolarum maturationem continuas.

(*a*) *Variolas* autem verè *Confluentes & Malignas* quod attinet, ſive primariò ſive ſecundario ſic dictas, cum à primo ipſo maturationis die quo albeſcere incipiunt, prorsùs ſeſſiles, depreſſæ & ſublividæ exareſcentes, nec margine rubro circumcinctæ, utpote maturationi ineptæ appareant, non eſt quod de iis hic loci ſermo habeatur; quandoquidem poſt funeſtam Criſin, Morbus ob vigorem Spirituum penitus depreſſum jam ultimum Declinationis ſtadium ſine quavis maturatione tentata ingreſſus ſit, quod dicendum reſtat de ejus curatione in iſto ſtadio, ad quod jure pertinet, trademus.

(*b*) Symptomata hoc ſtadium comitantia quæ Medici curam poſtulant, ſunt, vel magis generalia, quæ à prava ipſius Morbi indole ſuborta in unoquoque ſtadio fermè eadem inveniuntur, uti Vigiliæ, Deliria, Diarrhœa, Coma, Inſultus Epileptici, Deliquia Hyſterica, &c. quæ currenti calamo jam perſtringere lubet, ne cramben bis coctam reponere videar, vel ea quæ ab ipſa Variolarum maturatione & à Ptyaliſmo, vel à Profluvio Urinæ, & extremorum intumeſcentia declinantem ſalivationem excipientibus exſurgentia, jure magis ſpeciali ad hoc ſtadium pertinent, atque ob eam rationem calamo paulo fuſiori hic loci jure merito tractanda veniunt, ad quem cenſum refero *Dolorem Gutturis inflammatorium*, *difficilem Deglutitionem*, *anheloſam*, & *difficilem Reſpirationem*, *Infarctionem Narium moleſtam*, *Exanthematum Dolorem inflammatorium*, vel *Pruritum admodum moleſtum*, *Diabeticum Urinæ Profluvium*, atque *Intumeſcentiam Extremorum* præſertim *præputii* in immenſam molem aucti.

(*c*) Quod ad *Vigilias*, *Deliria & Diarrhœam* attinet in hoc ſtadio, ſiquidem hæc ſymptomata languoris Spirituum œſtro percitorum & tumultuantium procul omni dubio ſigna ſint, atque ex conſequenti Veneni ſupra modum deleterii intus deliteſcentis, ob eam rationem quivis minimus horum ſymptomatum gradus, ut ut Exanthemata intereà matureſcere videantur; atq; temperies Ægrotantis appareat mitis, ac blanda, & vibratio Arteriarum mollis & ordinata, nequaquam contemnendus & flocci habendus eſt, cùm dubium ſemper præſagium exhibeat. Qua propter, (*d*) novis additis *Veſicatoriis* atq; doſibus *Alexipharmacorum & Opiatorum* adauctis & frequentius repetitis, ſenſim aſcendatur ad gradum quicunque is fuerit, qui iſthæc ſymptomata coercere poſſit, atque incunctanter in ordinem redigere, priuſquam Spiritus inde fracti & diſſipati ſubito corruant. Formulas autem remediorum huc ſpectantium novas jam adnicere non operæ pretium duco, cum quivis in Medicina vel mediocriter verſatus non poteſt non proprio acumine fretus Formulas prius deſcriptas ad hunc uſum pro re nata accommodare.

[*e*] *Comatoſus* etiam *affectus* & *Inſultus Epileptici*, quoties in hoc Morbi ſtadio contingant, quod oppidò rarò, & non niſi errore aliquo graviori in regimine admiſſo fit) etſi leviſſimè tantum Ægrotantem afficiant, negligendi non ſunt. Siquidem ut ut in præcedentibus ſtadiis, nimirum ante Criſin incœptam, vel dum Criſis *in Fieri* eſt, hæc Symptomata præſagium non adeo funeſtum exhibeant, utpote quæ à Spiritibus Veneno hactenus minimè cicurato, vel Criſi ſubacto depreſſis, vel ab eorum tumultu & ultimo agone in ipſa Criſi ſuborta, Variolas Medias vel quidem Benignas ipſas comitari obſer-

[a] *De Variolis malignis maturationi prorſus ineptis.* (b) *De Curatione Symptomatum hoc ſtadium comitantium.* [c] *Vigiliæ, Deliria, & Diarrhœa.*
[d] *vide hiſtor.* 41. *&c.* [e] *Coma & Inſultus Epileptici.*

ſerventur: In hoc autem ſtadio, Criſi nimirum peracta leviſſima horum Symptomatum veſtigia gradum veneni Spiritus hactenus ſuperantem vel laceſſentem ſuperſtitem monſtrando, pravam Morbi indolem, & eventum funeſtum vel ſaltem dubium ubique ſubindicant. Quo nomine Spiritum expanſionem *a* Veſicatoriis non paucis & generoſiſſimis *Alexipharmacis* & *Cephalicis* adhibitis & ſæpiùs repetitis & incunctanter moliendam ritè exigunt. Ex. gr. ℞ *Aq. ceraſ. nigr. Cinnamom. hord. flor. til.* ℥ii. *Peon. comp.* ʒß. *epidem.* ʒß. *pulv. è Chel. comp. lap. Contrajer. Serpentar. virgin. pulv. de Guttet.* an. ʒß. *Syrup. Carioph.* ʒx. vel ſacchar. alb. ʒß. *F. Julap.* de quo capiat Æger, modo Infans fuerit, vel ex Ephebis non exceſſerit Cochl. *ii. iii. iv.* pro ratione ætatis, agitata phiala, quaque hora *veſicatoriis* interea ad Nucham & Carpos, vel quidem ad internas tibias ſucceſſivè applicatis Adultis autem *Specierum Cordialium* & *Cephalic.* prædictarum ʒß. vel ℈ii. quarta quaque hora in cochl. Julap. convenientis exhibere magis convenit.

b Nonnunquam etiam *Deliquia* & *Suffocationes* in hoc ſtadio Morbi frequenter recurrunt, Quæ quidem ſymptomata quaſi affectus *byſtericos* & levioris momenti vulgus Medicorum ſpernere ſolet vel ſaltem Remediis merè *Cephalicis* & *Antihyſtericis* contenti, adoriri in caſsùm moliuntur; cùm revera ab aura Venenata poſt certa intervalla *c* recrudeſcente ſuborta atq; cum Petechiis hic illic ſparſis conjuncta præſagium vere funeſtum exhibeant, niſi frequenti *veſicatoriorum* applicatione, atque Remediorum ſummè *Alexipharmacorum* ope, cæteriſque id genus copioſè adhibitis oppreſſorum Spirituum expanſio tempeſtivè promoveatur, atq; venenum deleatur, pari paſſu quo eorum tumultus, & orgaſmi à *cephalicis* & *antihyſtericis* compeſcuntur. Hæc igitur ſymptomata modo ſequenti tractanda ſunt. ℞ *Theriac. androm.* vel *Confect. Mithridat.* ʒß. vel ℈ii. *pulv. è chel. cancr. comp. ſerpentar. virgin. an. gr. xv. Cochinel. pulv. de Guttet.* an. *gr. vi. caſtor. gr. ii. ſyrup cariophyll.* q. ſ. M F. *Bolus* qui deglutiatur ſolut. in cochl. Iulap. ſequent. cujus ſuperbibantur cochl. *iii. vel iv.* ℞ *aqu. meliſſ. rut. ceraſ. nigr.* an. ℥iii. *epidem. peon brion. comp.* an. ℥i. *tinctur. caſtor.* ʒß. *ſirup. peon. comp.* ʒß. M. F. *Iulap.* de quo Patiens bibat ad libitum. Repetatur itidem Bolus præſcriptus 4. vel 6. hora. Concedatur etiam tantillum *vini canarini Spirit. CC.* ſaturat. Deliquiis, atque omni hauſtui Cereviſiæ inſtillentur gutt. aliquot *Spir. c. c.* vel *ſalis armon.* Sufficiant Infantibus & Junioribus cochl. *ii. iii.* vel *iv.* pro ratione ætatis Julapii ſequentis tertia quaque hora propinati, vel ſæpius. ℞ *aq. rut. ceraſ. nigr. flor. calendul.* an. ℥ii. *ap. epidem. brion. peon. comp.* an. ℥vi. *vel* ℥i. *confect. fracaſtor.* ℥i. *pulv. ſerpent. virg. bezoard. orient.* an. ℈ii. *pulver. de guttet. Extract. Croc.* an. ℈i. *cochinel. caſtor.* in nodulo *ligat.* an. ʒß. *ſacchar. alb.* ʒß. M. F. *Julap.*

d Dolor Gutturis Inflammatorius è duplici fonte oritur, nempe ab acri, & venenata lympha per Tonſillas & ductus Salivales poſticos excreta, quæ partes Deglutitioni inſervientes pertranſiens, inibique diutiùs congeſta, eas non poteſt non atterere atque inflammare; vel ab Exanthematis haſce partes obſidentibus. *e* Priori modo fit in Variolis mediis, potiſſimùm *cohærentibus*, ubi Natura in Veneno per cutim eliminando deficit, idque per glandulas Faucium, fortiter propulſare molitur; unde, à Ptyaliſmo ſub initium hujus ſtadii ſuborto Dolor admodum moleſtus in Gutture primum ſentitur, & pari paſſu cum Salivatione, durante toto hoc ſtadio, in dies augetur, donec demum Ptyaliſmus declinet, vel ſaltem ſalivæ acrimonia Veneno ſenſim cicurato & ſubacto obtundantur. Poſteriori modo fit in Variolis fermè quibuſcun-

a *vide hiſtor.* 6. *&c.* b *Deliquia & Suffocationes hiſtericæ.* c *vide hiſt.* 21. 52. *&c.* d *Dolor gutturis inflammatorius.* e *vide hiſt.* 14. 45. *&c.*

cunque *hiemalibus*, etiam Benignis & Regularibus, ubi Morbi ansa a frigore in poros Cutis admisso arrepta *Tussi ferina* comitatus primum ingruit, unde Exanthemata ab acri & venenata lympha in hisce partibus excreta Tonsillas, & totam membranam os internè investientem ubique obsident, cum Ptyalismo, accidentali licet, sociata, atque proinde à prima Exanthematum eruptione, scil. sub initium prioris stadii Dolor quadantenus molestus in Gutture potissimum inter deglutiendum percipitur, qui in hoc stadio plurimum viget, in dies, durante Exanthematum maturatione, magis magisque auctus usque ad Morbi declinationem. Sive autem ab hac, sive ab illa causa isthoc symptoma ortum suum ducat, molestias tantas Ægrotantibus creat, ut *a* nonnunquam ægrè admodum, & non sine ejulatibus vel tenuissimos liquores deglutire possint, atque de isthoc dolore solummodo conqueruntur, & hoc Symptoma deglutitionem alimenti & Pharmacorum impediendo, & vigilias pertinaces inducendo, haud rarò vitam ipsam in discrimen adducit; quo nomine ad ejus allevationem diligentissima Medici cura jure merito postulatur. A primo igitur hujus symptomatis insultu, vel quidem prius, ubi ab eruptionis modo fas sit hoc symptoma expectare, Fauces panno laneo molli ab externi aeris injuriis muniantur, (quod in *Salivatione Mercuriali* prudenter fieri solet) quo Glandulæ salivales, laxitate debita conservata, per ductus proprios lympham inibi secretam expeditè & priusquam mora acrimoniam contrahat, excernere valeant, Secundo vitentur Alimenta, vel quidem Medicamenta quæcunque calida, vel acria (quantum ipsius Morbi ratio patitur) quibus partes jam inflammatæ & irritatæ & amplius exasperari possint, atque in locum eorum mitiora quævis sufficiantur, uti Julapia temperata, *Margaritis* vel *Specielbus Cordialibus* mitioribus & *Laudano* saturata, *poma dulcia cocta*, atque loco Cerevisiæ Poslelata *Ficubus*, *Glicirrbiza*, *Rasur. C C.* & *Lentibus* alterata, *Hordeacea*, *Avevacea* cum Lacte commixta, & similia. Tertio *Gargarismata* Emollientia & parum abstergentia [*b* sedulo tamen evitentur acida quævis, acria & adstringentia] Siphone lingua depressa faucibus frequenter & strenuè ingerantur, ut Tonsillæ, Uvula, & reliquæ Faucium partes glanduloſæ, exscreatione forti inde excitata, à lympha acri & erodente impacta expeditius sese liberent. Ex. gr. ℞. *Rad. althææ*, ℥ii. *fung. san.* ℥iii. *Lentium contus.* ℥ß. *Rasur. ebor.* ℥ß. *Ficuum pinq. sciss.* par *v.* vel *vi. coq. in aq. F. q. s.* ad ℔ii. Colatur. *add. Sirup. viol. Althææ an.* ℥i. *Mell. ros. diamorr. an.* ℥ß. M. F. *Gargarism.*

c Deglutitio autem impeditur non tantum ab inflammatione partium deglutitioni inservientium [quod in præcedenti comate observavimus] verùm etiam nonnunquam in Malignis, & Confluentibus Variolis à mera Tonsillarum, Uvulæ & reliquarum glandularum in Faucibus sitarum intumescentia, atque à phlegmate viscidiori iis adhærenti vel impacto, unde Ægrotans, via per Oesophagum jam obstructa, ingesta quævis, & potulenta ipsa per nares reiicit, nempe quia Natura segnis & oppressa ut ut per hasce partes hostem persequi moliatur, Portas tamen reserare nequit, per quas lympha inibi secreta excerni debuit: unde Glandulæ, potissimum ubi earum tonus ob neglectum tegumentorum opportune adhibitorum, ab aeris externis injuriis labefactetur, in immensam molem distenduntur. Funestum ut plurimum symptoma, quippe quod descensum Alimentorum & Pharmacorum in Ventriculum, ad vires Spirituum iam nimis exhaustorum & obrutorum resarciendas fere præcludit. Si quid autem in casu adeò deplorato ab arte expectandum sit, Tonus partium iniuriis Aeris labefactatus, tegumentis laneis mol-

a vide histor. 43. b *vide histor.* 43. c *Difficilis deglutitio.*

mollibus externis faucibus admotis restituatur, atque *Gargarismata* acidulata & abstergentia tepefactata, Siphone fortiter faucibus ingerantur, ut facultas Glandularum excretrix stimuletur, atque Phlegma impactum exscreatione forti educatur, Ex. gr. ℞. *Decoct. fic.* ℔iß. *Mel. Rosat. colat.* ℥iß. *Sp. sulph.* q. s. ad levem acidulationem, F. *gargarism.* Tonsillæ & Uvula leviter fricentur Mixtura ex *Melle Rosar. Alumine* ust. *Spirit. Sulph.*

a Sub finem hujus stadii, declinante nimirum Salivatione sæpissimè *Respiratio* subitò atque inexpectato vel in citissimam & debilem, vel in difficilem & suspiriosam mutatur, *b* Prius fit à summo languore spirituum prostratorum, & veneno revirescenti prorsus deletorum, atque proinde mortem præ foribus adstantem certissimè denunciat, nihilque præter *Alexipharmaca* [si modo quicquid) indicat Quapropter propriæ Medicum proprię famæ consulentem jam nequaquam *Emeticis*, vel magno quovis remedio in cassum adhibito artis suæ honorem prostituere decet; verùm potiùs, ut ut Variolæ vel cætera Symptomata jam adblandiantur, prognostico fatali priùs pronunciato, sese subducere. Posterius autem fit à Phlegmate in Salivationis declinatione jam viscidiori Bronchiis & Tonsillis tenaciter adhærente, easque infarciente. Qua ratione *Gargarismate* absterfivo in præcedenti commate descripto frequentes & strenuè injecto par est Phlegma Tonsillis impactum singulis horis vel quidem sępius educere, atque humorem Bronchia obstruentem *Linctibus* & *Apozematis* incidentibus copiosè ministratis abstergere, & nonnunquam, modo vires supersint, & Dyspnœa adsit periculosa, leniori & absterfivo *Emetico* propinato pulmonem fortiter agitare, ut phlegma Bronchiis altiùs impactum inter vomendum ejiciatur; v. gr. ℞. *Ol. Amygd. d. rec. Syrup. è v. Rad.* an. ℥iß. *Sacchar. cant. alb.* ℥i. M. exactiss. F. *Linctus*, qui singulis vel alternis horis cochleatim ministretur una cum cochl. *ix.* vel *x. Apozem.* sequent. calid. ℞. *Decoct. Pectoral. depurat.* ℔iß. *Tinctur. Croc. Syrup. ex Erysim. Oxymel. simp.* an. ℥i. M. F. *Apozema.* ℞. *Oximel. Scillitic.* ℥ii. *Sal. Vitriol. vomitiv.* ℥iß. *Aqu. Cinnam. fort.* ℥iii. *Cap. Æger cochl. iii.* bis terve in hora ad ciendam vomitionem, & inter singulas doses Apozema Pectorale repefactum copiose ministretur.

3 Est alterum insuper symptomata satis molestum, *Narium* scilicet infarctio & Maturatio, quod ut ut in præcedenti stadio Ægrotantem affligere incipiat, potissimum in Mediis & Cohærentibus Variolis, ubi primum Exanthemata membranam nares interne investientem obsident, atque glandulæ ad excernendum Mucum destinatæ, instante jam salivatione, una cum glandulis salivalibus lympha infarctæ intumescunt. In hoc autem Stadio, Exanthematis inter maturandum jam mole ductis, atque glandulis narium lympham copiosius excernentibus, quæ Exanthematis implicata & concreta eas infarcit & obturat, plurimum augetur, molestias attrito Ægro creans haud negligendas, dum Aerem inter respirandum nonnisi ore aperto, atque proinde majori cum difficultate, tædio & labore, & non sine frequente somni interruptione inspirare & exspirare cogitur. Adeò molestum hoc symptoma fuisse nonnunquam observavi, *d* ut Æger inde diutiùs insomnis factus non sine maximo discrimine evaserit, licet cæteræ circumstantiæ optimè præsagirent. *e* Ad allevandum hoc symptomata *Turundas* rigidiores *Butyro* non salit. Vel ol. Amygd. d. illitas frequenter Naribus intrundendas jubeo, quæ diutiùs inibi relictæ materiam incrustatam tandem ita liquefaciant ut facilius emungatur. Insuper *Mixturam* sequentem emollientem & absterfivam sæpe leniter tepide & parca quantitate naribus Siphone injiciendam, ℞. *Decoct. Pectoral.* ℔i. *Mel. Rosat. colat.* ℥iß. M. F. *Errhinum.*

f Dolor exanthematum maturantium ut

a *Anbelosa & difficilis respiratio.* b *Vide Hist. 62. &c.* c *Narium farctio.*
d *Vide Hist. 52.* e *Vide hist. 21. 57.* f *Exanthematum dolor inflammatorius.*

ut moleſtus ſit, præſertim in priori hujus ſtadii parte, ſemper autem Spirituum vigorem, & perfectam Veneni eliminationem, aque proinde benignam Morbi indolem, & fauſtum ac etiam eventum expectandum indicat. Neque ejus allevatio *Epithematis* quibuſcunque externis tentanda eſt, ne Naturæ dum recte officio ſuo fungatur officiant, atque dolorem mitigando vitam Ægrotantis in diſcrimen adducant. Satius eſt Adultorum animos ſpe futuri eventus erigere, Infantibus autem & Junioribus qui conſiliorum non ſunt capaces gutt. aliquot. *Laudan. liquid.* bis terve in die miniſtrare, ut tædium Morbi ſomno fallatur, ne Spiritus continuo ploratu & vigiliis triti & exhauſti deficiant.

a Deterioris autem farinæ eſt *pruritus* Exanthematum maturantium moleſtus, qui in Variolis malignis, vel mediis prope ad Malignas accedentibus, ubi maturatio tarde admodum vel non omnino procedat ob acrimoniam humoris ad maturationem prorſus inepti, adeo ſævire obſervatur, ut Æger inde inſomnis & pænè delirius redditus, haud raró ſcalpendo, fricando & atterendo Exanthemata, non tantùm Artus verùm etiam Faciem, Cuticula ubique deraſa, ſanguine diffluentem turpiter deformet. Malum ſanè omen atque ut plurimum Mortis inſtantis prænuncium, cui averruncando haud alias ſuppetias ars noſtra miniſtrat præter Doſes *Opiatorum* prælargas & frequenter repetitas, quibus iſta ſenſatio obtunditur; miſceantur autem *opiata* cum *Alexipharmacis* generoſiſſimis (quorum Formulas ex antedictis petere licet] quæ ſpirituum expanſionem promovendo ſerofam colluviem in Exanthematis congeſtam cicurare, maturare & hemulcere poſſint: Applicentur etiam *Veſicatoria* frequentia, quæ in eundem ſcopum conſpirant; *Epithemata* quævis externa Venenum repercutiunt, & ideo fatum accelerant.

(*b*) Nonnunquam in hoc ſtadio Salivationem declinantem *profluvio Urinæ* ingenti excepta videre eſt, ac ſi *Diabetes* mox inſecuturus eſſet. (*c*) Verùm cum hoc Profluvium nulla ſiti immodica comitatum hactenus animadverterim, ſemper autem cum εὐφορίᾳ, toleratum, atque cum maturatione Exanthematum indies aucta conjunctum, & demum, ubi ſatis diu duraverit, ſponte in ordinem redactum, non eſt quod quivis de eo cohibendo ſolicitus ſit; verum potius, ubi ex parte defecerit, in eo ope *Cinerum Bufonum* ante memoratum promovendo, à partibus Naturæ ſtet.

(*d*) Inſuper, *Salivatione* ante completam maturationem Exanthematum decreſcente, à lympha copioſè in partes extremas amandata inibique congeſta, iſtæ partes œdematoſo tumore in molem adeo immenſam nonnunquam tolluntur, & quaſi ex ſtrangulatione nigreſcunt, ut cuivis in Medicina parùm exercitato jure merito metus incuti poſſit, ne ex ſubita flammæ vitalis extinctione partes affectæ Sphacelo corrumperentur. Verum nuſquam hactenus quod. vis hujuſmodi infortunium inde accidiſſe memini; ſemel equidem vidi (*f*) *præputium* adeò inde tumefactum, ut tranſitus Urinæ planè præpeditus eſſet, quo in caſu partem affectam ſpongia *Fotu. Lixiviali Spirit. Vin. ſaturato* imbuta & expreſſa cum ſecundiſſimo eventu calidè ſæpius in die foveri imperavi. Morbo autem finito quod ſupereſt œdematoſi tumoris *Hydragogis* ſæpius repetitis ſubduci fas eſt.

(*g*) Eſt denique ubi ex veneno intus delitescente fixo & perenni, humores in fluorem adeo perpetuum adiguntur, ut Patiens Salivatione immani marceſcat, & inde deliquiis confectus ſatis cedere cogatur; quem caſum ſemel duntaxat in tota mea praxi obſervavi. (*b*) Arduum ſanè & difficile Dilemma, ſiquidem utraque parte vita in diſcrimen adducitur; ſi enim Ptyaliſmus ſupprimantur, Patiens Veneno inteſtino citiſſimè & certiſſimè interimetur, colliquatione autem, cui vires

(a) *Exanthematum Pruritus.*

(b) *Ingens Urinæ Profluvium.* (c) *Vide Hiſtor.* 35. 34. 36. 62. (d) *Intumeſcentia Extremorum & Preputii.* (e) *Vide Hiſtor.* 56. (f) *Salivatio funeſta protenſa.*

(g) *Vide Hiſtor.* 53. [g] *Duratio hujus ſtadii pro diverſa Morbi indole incerta.*

vires haud pares sunt, non suppressa inanitus emarcescet.

[*a*] Atque hæc dicta sunt de Exanthematum Maturatione, seu tertio hujus Morbi Stadio, quod non [ut priora) spatio tridui, vel quovis alio definito dierum numero Natura emetiri solet, verùm pro indole Morbi varia, alio atq; alio. Ut ut enim in *Benignis* & perfectè Discretis Variolis, ubi vis Spirituum influorum vegeta est & integra hoc opus intra triduum perficiatur: In *Malignis* tamen & *Confluentibus*, ubi Spiritus Veneno irretiti & oppressi aut extincti huic muneri impares sunt, primo ipso die quo Cuticula à vera Cute separata albescere incipit, Maturatione jam prorsus deficiente, [*b*] Morbus ultimum, & ut plurimum funestum suum Declinationis stadium ingreditur. In *Mediis* autem & *Cohærentibus*, præsertim in iis quæ propè ad Malignas accedunt pro ratione vigoris Spirituum plus minus vegeti hoc stadium ad [*c*] sex, novem duodecim dies protenditur, priusquam Morbus, Maturatione Exanthematum completa ultimum suum stadium ineat.

CAPUT X.

De Variolarum Declinatione sive Stadio Morbi ultimo, ejusque pro ratione venenati Fermenti diversè varia indole atque eventu. De Febre & Symptomatis in hocce Stadio suboriri solitis. De Signis Indolis Morbi Diagnosticis, de prognosticis, necnon de Indicationibus Curativis & methodo Medendi in hoc Stadio, itidemq; de morbosis affectibus hunc Morbum excipientibus.

(*d*) QUamplurimum Glandulæ cutaneæ haud amplius novos venenatæ Lymphæ proventus Exanthematis suppeditant, *Variolæ* legem quadam fixa, squammis vel scabie obducuntur & exarescere incipiunt, sive quia Hostis jam penitus profligatus sit, sive quia Spiritus Veneno prorsus obruti eum amplius persequi & protrudere nequeant; atque Morbus ultimum suum *Declinationis* sc. Stadium iniisse reputandus est. Lege (inquam) fixa & stabili: Natura enim copias suas nunquam posthac recolligit, & novum prælium instaurat, quanquam in media Variolarum *Maturatione* haud rarò ex Frigore in poros cutis invadente, vel Accidente quovis altero, Natura obruta adeò pro tempore deficiat, ut Exanthemata illico ubique ac si in ultimo stadio deprimantur & langueant, donec Spiritus sponte sua, vel artis ope opportunè allata iterum expansi postlimino Variolarum maturationem tardè licet & ægrè ad umbilicum tandem ducunt.

[*e*] Pro diversa autem Veneni in præcedentibus stadiis plus minusve subacti ratione Morbus in hoc (si in quovis alio) stadio variam admodum indolem prodit, atque cum symptomatis non unius generis sociatur, & eventum sortitur, nunc faustum, nunc funestum. Est enim ubi Patiens plànè *apyretos*, atque nullo ærumnoso symptomate multatus integrum hoc stadium tranquillè decurrit: est autem ubi Febre à primo insultu unum tenorem perpetuò servante, Æger pæne confectus, accersitis undique novis, vel saltem prioribus funestis symptomatis adauctis, vix aut ne vix ex hoc stadio evadit est; deniq; ubi Febris quæ in stadio præcedenti evanuerat, in primo hujusce stadii limine, pro ratione superstitis Veneni plus minusve deleterii, illicò, momento quasi revirescit *Synochis* vel *Synecheon* & mali moris cum Deliriis, Vigiliis, Subsultibus tendinum, atq; cæteris omnibus diriissimis Symptomatis sociata, *Exanthemata* etiam ipsa non minùs invicem in diversis Ægrotantibus jam distare animadvertuntur, jam undique albescentia & humore nullo impleta & sessilia cuti adhærent, atq; denique exarescentia squammarum ad instar decidunt; jam verò post maturationem tridui spatio peractam florescentia. Illico Scabie subfla-

(*a*) *Vide Hist.* 37. 38. 39. 40. (*b*) *Vide Hist.* 32. 27. 36. 45. 46. 49. 62. &c.
(*c*) *Stadi ultimi Descriptio.* [*d*] *Varia Indoles, & varius Eventus Morbi in hoc stadio.*

va vel cineritia obducta, exsiccata ubique in tubercula arida desinunt. Est autem ubi Exanthemata post tardam atq; diutiùs protractam maturationem, priusquam pure maturo turgeant Scabie nigra vel subfusca obducta, quasi à *Causlico* applicato, præsertim in Facie derepente exarescunt; est denique ubi Exanthemata præsertim in Artubus priusquam incrustentur ad plures dies integrè maturata, atq; pure plena conspiciantur, vel rimosa Scabie obducta [præsertim in facie] diutiùs sanioso, pure intùs scateant, quæ Scabies sæpius decidua iterum iterùmque renascitur, & demum in Scabiem tenuem seu porriginem furfuraceam desinens; cuticulam nitore spoliat, atq; cutem ipsam foveis & cicatricibus fulcat & deformat. Nullibi tamen hujus stadii varietas magis animadvertitur, quam in ejus duratione ac termino, sive respiciamus ad ejus *Terminum à Quo*, vel *Terminum ad Quem*; jam enim hoc stadium absque ulla præcedente Exanthematum maturatione, vel saltem sub initium *maturationis*, sexta vel septima Morbi die derepente atq; inexpectato initur, atque ut plurimum uno vel altero die funestè terminatur, ubi autem hocce præmaturum fatum averruncetur, ad decimum quartum, decimum septimum diem, vel quidem ad vicesimum vel tricesimum ærumnosè atque periculosè protenditur, donec scil. Venenum intus cohibitum Arte vel Natura subactum & sensim profligatum fuerit, Est autem ubi post Maturationem Variolarum præcedenti triduo consummatam, hocce ultimum stadium pariter tridui spatio, duodecimo sc. Morbi die, absq; Febre recidiva finitur, Appetitu jam integre restituto, atq; Exanthematis ubique ad desquamandum paratis, aut saltem exsiccatis. Est etiam ubi post Maturationem Variolarū longius nempe ad 12. vel 14. Morbi diem protractam, atq; tunc cum vel sine *Ptyalismo*, aut *Profluvio Urinæ*, &c. tandem peractam, Exanthemata pure maturato plena ubique sine Febre recrudescente tridui spatio exarescunt. Est denique ubi post seram, minus autem perfectam Variolarum Maturationem, Exanthemata priusquam pure maturato turgeant, derepente incrustentur, atque Ptyalismo, Profluvio Urinæ, & Tumore extremorum subsistentibus Febris illicò recrudescat, hoc stadio præmature ineunte. Quo in casu duratio hujus stadii est admodum incerta, jam nimirum ubi funeste terminatur, triduum non excedit; ubi autem magis faustum sortitur Eventum, ad 6. 8. 10. 12. dies periculosè protenditur, Exanthematis intereà ubique exarescentibus: ubi autem citius ac felicius terminetur, sanioso pure diu scatentibus Ptyalismo etiam recidivo jam accedente. Quo enim diuturnior fuerit *Salivatio*, & quo magis perfecta *Maturatio* Variolarum in præcedenti stadio, & quo magis ope Ptyalismi jam recidivi & saniei purulentæ Venenum protrusum fuerit, eo facilius & citius ærumnosum hoc ultimum stadium optatum eventum assequitur; Præmatura enim Salivationis declinatio, & Variolarum immaturarum & flaccidarum incrustatio & exarescentia subita funestum, aut saltem diuturnum hocce stadium reddit.

Rationem autem differentium *Phaseon* hujus stadii assequi haud licet nisi ex ejus historia graphice depicta, ideòque eam (quod in præcedentibus stadiis mihi solenne fuit) succincte narrare jam aggredior, ut signorum indolis Morbi in hoc stadio dignoscendæ, Prognosticon eliciendorum, atque Indicationum Curativarum & Methodi Medendi rite stabiliendæ fontes aperiam, à Variolis Benignis sui & obliqui indicibus exordium ducens; ubi enim (*a*) Venenum in secundo hujus Morbi stadio è sinu Spirituum critica Variolarum *Benignarum* & *Discretarum* eruptione penitus eliminatum fuerit, & Febris hoste jam protruso prorsus exulaverit, prout bina prima stadia qualiscunque fuerit Morbi indoles triduo seorsim peragrabantur; ita tridui spatio subsequens Maturatio & tandem *Declinatio apiretos* pariter absolvitur, robore Spiritum integro & veneno haud quaquam obsesso. [*b*] Patiens autem à Febre liberatus, nullo symptomate ærumnoso præterquam *Fame* importuna ob appetitum resti-

(a) *Declinatio Variolarum Benignarum & discretarum.* (b) *Vide Histor. 3.*

restitutum multatur. Exanthemata autem pure maturo & laudabili referta primùm incrustati & scabie subflava obduci incipiunt; dein post unum vel alterum diem, pure concrescente exsiccantur, & in arida tubercula ubique mutantur, quæ sensim emollita sponte evanescunt, cute demum æquabilem suam levitatem ac nitiorem recuperante; adeò blandus & mitis est Variolarum Benignarum & Discretarum exitus.

[a] Haud secus res se habet in cæteris quibuscunque *Variolis*, quotquot ante Declinationem initam, Exanthematum vegeta intumescentia atque perfecta maturatione præcedente, Veneni eliminati atque vigoris Spirituum reducis jam indubitata specimina exhibuerint: Imò *Variolæ mediæ* quæ eruptione sua admodum frequenti & ferè cohærenti, haud obscura. Veneni adhuc deliteſcentis indicia dederunt, quæque diutius languide, depressæ atque tardius maturatæ tertium Morbi stadium longe ultra triduum sæpius protrahunt, modo *Salivatione* à Naturæ viribus vel artis suppetiis accersita, *profluvio Urinæ* vel *extremorum Intumescentia* notabili atque diu protensa istud Venenum adeò penitus demum eliminatum fuerit, ut exanthemata ante Declinatione incœptam pure maturo turgescant, more legitimarum & Benignarum Variolarum ante descriptarum primo declinatio momento flavescunt: atque inde Scabie subflava obducuntur, atque tandem tertio die planè exsiccata, in tubercula arida cineritia vel subnigra mutantur, & universum hoc stadium sine Febre recidiva; vel quovis symptomate ærumnoso spatio tridui perfectè obsolvitur; & appetitus integer statim redit.

Ubi autem Spiritus post Crisin in secundo Morbi stadio minus perfecte peractam adeo adhuc veneno obsessi & irretiti fuerint, ut ejus reliquias in stadio sequenti per glandulas cutaneas, salivales, renales, vel per extremas corporis partes excutere & amandare nequiverint, & Variolæ priusquam Pure turgent, declinare incœperint, harum Declinatio à præcedentibus longe distat; Febris nempe pro ratione Veneni plus minusve subacti *synochis* vel *synecheos* non potest non in hoc stadio recrudescere, quæ diversorum symptomatum ærumnosorum satellitio stipata, plus minus protenditur, eousque sc. donec Natura veneno superata fato cesserit, vel Venenum Spirituum viribus aut artis suppetiis mansuefactum & eliminatum fuerit; unde varia redditur hujus stadii duratio, atque Exanthematum & symptomatum in eo contingentium admodum diversa indoles, quæ calamo paulò fusiori describi necessario postulat.

(b) Ubi venenum in precedente crisi, non adeò fractum fuerit, quin adhuc spirituum vires prope æquet, (quod in *Variolis Mediis* non tantum Cohærentibus; sed & in ipsis *Discretis* quoties admodum frequentes eruperint nonnunquam videre est] unde Exanthemata diutiùs deprimuntur & languent, serius & ægriùs fine *ptialismo profluvio Urinæ* vel *Extremorum intumescentia* comitante matureſcunt, & non rarò *Vigiliæ Fluxus alvi*, vel aliquot aliud vehementius Symptoma vel Accidens in faustum, aut error in Regimine commissus, aut defectus suppetiarum Naturæ luctanti jure merito ad ferendarum Venenum adeo exaltant, ut Spirituum viribus superius evadat; unde salivatio derepente atque inopinato in media ipsa Variolarum maturatione priusquam pure maturo turgescant subsistit, [c] Febris pro ratione superstitis Veneni inclusi & recrudescentis plus minusve deleterii *sinecheos* vel *sinechis* illico revirescens, cum vel sine Horrore, Rigore & algore invadit, Siti, Jactatione inquieta, Vigiliis, Deliriis, Ariditate linguæ Pulsu celeri & calore præternaturali comitata; Intumescentia Capitis & faciei [ultimo Morbi Stadio jam primùm initio) si qua ad fuerit, statim declinat,

a *Declinatio Variolarum mediarum prope ad benignas accedentium.*
b *Declinatio Variolarum prope ad maligna. accedentium.*
c *Vide Histor.* 14. 19. 21. 24. 27. 35. 46. 54. 55. 63. *&c.*

cujus detumeſcentiæ primum ſignum eſt *Oculorum* prius occluſorum *Apertio*, Exanthemata incruſtata in Facie Scabie ſubfuſca vel ſubnigra obduci incipiunt ; quæ Scabies vel planè arida in Exanthematis immaturis & ſubſidentibus firmiter adhæret, atque demum ſquamarum ad inſtar decidit : jam verò ubi aliquis Ptyalyſmi gradus adhuc duraverit, Natura per haſce vias veneni excluſionem, languide licet moliente, vel ſaltem proſtliminio redierit, pure copioſo diutius ſcatet, nimis Fatiſcit, incraſſatur, & ſæpius decidit iterumque renaſcitur, atque (*a*) tandem in *Porriginem* furfuraceam deſinit ; quæ quamvis abradatur, indies repullulat, quamdiu ſc. quivis vel minimus Caloris Febrilis vel Hectici gradus a venenato fomite non penitus ſubacto excitetur; quæ *porrigo* faciem Nitore & Levitate ſua nativa mirum in modum ſolet ſpoliare, eandemque foveis & cicatricibus ubique turpiter deformare. Exanthemata interea in trunco corporis, præſertim autem in Artubus ſemiplena & flaccida in medio ſubſidunt, & nonnunquam in interſtitiis *Veſiculis* aqueis vel *b Petechiis* jam ſubortis interpuncta ſunt, atque tardè admodum, præ Spirituum languore, etiam ubi Febris veneno penitus expulſo exulaverit, maturantur, *c* atque non niſi poſt quatriduum, vel quidem hebdomadam exſiccantur & incruſtantur, adeò incerte diuque terminus Declinationis jam protrahitur, ſi non præcipitanter in primo triduo morte terminetur Stadium. Res *(d)* autem Ægrotantis in vado ſunt cum primùm Spiritibus à Veneno activo liberatis, atque inde non amplius luctantibus Febris ceſſet, ſive ea fuerit *Sinechis* vel *Sinecheos*, ut ut ſæpius Aegrotans à reliquiis Veneni Hectico quodam calore affectus appetitu plane privetur, donec virus per *Furunculos* hic illic ſuccreſcentes penitus demum protruſum fuerit: nonnunquam etiam gravis aliquis & *Chronicus* affectus ab eadem radice ortum ſuum ducit *e Ophthalmia* nimirum contumaciſſima atque curatu difficillima, præſertim ubi Palpebræ & Tunica adnata à Variolis acrecerum diu inibi depluentibus inflammentur, atque Oculi vi externa Inflammatione adhuc vigente diducantur; Vel cùm Salivatio à non interrupto ut ut languido Naturæ conatu (ut ſæpiſſimè fit) in hoc uſque Stadium protenditur [*f*] *Strangulatio* & *Suffocatio* à lentore Phlegmatis bronchiis impacti atque ægrè rejecti periculoſa illicò ſuboritur, quam præſertim in Variolis hyemalibus *Tuſſis* demùm arida & importuna, atque tandem *Phthiſis* verè *Pulmonaris* ſolet excipere : Cùm humor Venenatus ultimo Naturæ niſu in extremas corporis partes copioſè protruditur, haſce (*g*) partes *hydropice* & *ædematose* diu diſtentas haud inſolens eſt videre ; ſc. uſq, dum Artis ope Natura relevetur: à reliquiis ejuſdem Veneni in Spirituum ſinu incluſi & cohibiti (*h*) *Stuporem* & *Delirium Melancholicum* productum memini ; qui affectus diu durare ſolet poſtquam veneni vires adeo franguntur ut recens certamen Febrile non amplius excitare poſſint. Denique ob tonum Glandularum hocce Veneno debilitatum, atq; viſcidum humorum inibi ſecretorum & ſtagnantium lentorem *Struma* in variis corporis partibus contumaces & curatu difficillimæ ſæpiſſimè jam ſuccreſcunt, una cum pluribus aliis Morboſis & Chronicis affectibus, quos ſi hic loci recenſerem, nimius forſan viderer.

[*i*] *Variolæ* autem verè *Confluentes* quippe à Veneno ſummè exitiali atq; peſtifero primùm ortæ quo Spiritus jam planè ſiderantur, quod ab ineunte eruptone ſecundo vel tertio Morbi die per univerſam Cutem vel ſaltem Faciem ſine quovis delectu ordine vel diſtinctione, ut in Efflorescentia *Eriſipelatosa* vel *Scarlatina* confertim & præpropere protrudere Natura ſatagit iſtæ inquam Variolæ à Criſis ipſa incœpta ſine ullo Maturationis veſtigio (*K*) ultimum Declinationis ſta-

[a] *Vide hiſtor. 21. &c.* (*b*) *Vide hiſtor. 52.* [c] *Vide hiſtor. 21. 62. 63. &c.*
[d] *Vide hiſtor. 21. 63. &c.* [e] *Vide hiſtor. 49. &c.* [f] *Vide hiſtor. 21. 27. 35. 62. 63. &c.* [g] *Vide hiſtor. 56 &c.* [h] *Vide hiſtor. 58. &c.*
(i) *Declinatio Variolarum à primo ortu Malignarum & Confluentium.*
(K) *Vide hiſtor. 37. 38. 39. 40.*

ſtadium derepente ineunt, ſiquidem Natura in Criſi funeſta prorſus ſuperata, ut Intumeſcentia Labiorum & levi Ptyaliſmo Veneni eliminatione inani niſu moliatur; tamen *Maculæ* nigræ hic illic in Cute jam ſparſæ, *Hæmorhagiæ* exitiales, *Pulſus* debilis & celer, *Lypothymiæ*, *Deliria*, *Vigiliæ* pertinaces, *Subſultus* tendinum, cæteraq; id genus funeſtiſſima febris Peſtilentialis Symptomata indicia proſtratarum virium haud obſcura dant, unde Æger triduo ut plurimum hoc ſtadium emetitur, & ſexto Morbi die tanquam toxico epoto, *Febre* mali moris, *Comate*, profundo, *Spaſmis*, *Deliriis*, cæteriſque diriſſimis id genus Symptomatis confectus ſatis cedit. Signis autem ſi quis [quod oppidò rarò accidit] ſuppetiis Artis quibuſcunque generoſiſſimis opportunè allatis, aut benignitate Naturæ ex hac Peſte evadat, hocce ſtadium non poteſt non ad [*a*] plurimos dies protendi priuſquam Venenum adeo exitiale viribus Spirituum ſenſim expanſis edomari poſſit. & (*b*) morboſis affectibus præcedenti Comate memoratis, atque aliis deterioris notæ (modo Spiritus à miaſmate adeò diro non penitus liberati fuerint) demum excipi.

[*c*] Eſt autem altera Variolarum Malignarum ſpecies prope ad priùs memoratas accedens, ubi ex infortunio aliquo vel regimine in ipſo Criſeos articulo perperam ordinato, *Variolæ* quæ a Veneno non adeò exitiali primario ortæ fuerant, ſed Spiritibus ex accidente obrutis, Confluentibus ſimillimæ, aut ſaltem intimè *Cohærentes* vel valdè frequentes erumpunt, (*d*) Febre interea mali moris [quod Malignarum Variolarum certiſſimum atque penè Pathognomonicum ſignum cenſendum eſt] ab ipſa Eruptione ob vires Spirituum veneno peſſundatas perpetim continuata. At vero in hac ipſa Specie pro ratione Veneni plus minùſve deleterii, & Spiritũ inde magis minuſve proſtratorum, hoc Morbi Stadium diverſiſſimè ſe habet. Ut ut enim in quibuſcunque Malignis Variolis Febris, eaque ut plurimùm mali moris [ut jam innuimus] ab ipſa Eruptione jugiter continuata ſit; jam autem, præſertim in *Cohærentibus* vires, veneno licet adeò fractæ ut Febrem amoliri nequeant, Spiritibus adhuc ſuppetunt ad id ex parte per [*e*] glandulas Cutaneas Renales, Salivales vel partes extremas propulſandum: unde Exanthemata, Febre adhuc perſtante, per plures dies conſpirante aliquali Ptyaliſmo, profluvio Urinæ, aut extremorum Intumeſcentia, ſero tandem matureſcere videntur, donec hoc Naturæ conatu demum deficiente languida, flaccida & planè immatura demùm derepente Scabie nigra incruſtata pro ratione humorum & Spirituum Sphacelationis [Febre interea adaucta, & funeſtiſſimorum quorumcunque ſymptomatum Satellitio ſtipata) declinare incipiant. A quo tempore Morbus ultimũ ſuum Stadium jam primum iniiſſe reputandus eſt, in quo plurimi intra triduũ, nempe (*f*) 31. vel 14. Morbi die ſatis cedere coguntur; Quotquot autem meliori luto formari, atq; opportuna *Alexipharmacorum*, *Opiatorum*, & *Veſicatoriorum* ope adjuti evadunt, Declinationis Stadium diuturnum & nullo [*g*] certo dierum numero terminatum decurrunt, Scabie ſaniosa atq; ſæpius renaſcente, Phlegmate à bronchiis ægre admodum rejecto, atq; demum *Ophthalmia Tuſſi arida*, *Phthiſi Pulmonari*, *ædematoſo pedum tumore Furunculis*, cæteriſque id genus ærumnoſis ſymptomatis ante memoratis diu male multati Nonnunquam autem Spiritus ab efficaci Veneno in ipſa Criſi adeò ſiderantur & enecantur, ut nequeant amplius poſt eruptionem peractam [*h*] reliquias ejus vel per Cutem, Ductus Salivales, Renes, Artus aut aliam alteram portam eliminare, Morbo vel jam ultimum ſuum ſtadium, ſine maturationis veſtigio,

(a) *Vide Hiſtor.* 21. 25. 33. 39. (b) *Vide Hiſt.* 28. 29. 60. 61. 62. 63.
(c) *Declinatio Variolarum Secundario Malignarum, ſive Cohærentium & valdè frequentium* [d] *Vide hiſt.* 14. 19. 21. 22. 25. 26. 32. 23. 41. 45. 49. &c.
(e) *Vide hiſtor.* 21. 26. 27. 35. 46. 45. 36. 62. 63. [f] *Vide hiſtor.* 26. 45. 52. &c.
[g] *Vide hiſtor.* 21. 27. 28. 32. 49. 63. (h) *Vide hiſtor.* 21. 35. 33. &c.

ſine Ptyaliſmo, Profluvio Urinæ, vel Extremorum Intumeſcentia præcedente derepente ingreſſo, unde Variolæ hujuſmodi *Cohærentes* aut admodùm frequentes jam primo Maturationis die more verè *Confluentium* in *a* apicibus albeſcunt, atque planè exareſcunt, quia nullo humore diſtenduntur, atque demùm ſquamarum ad inſtar decidunt; Cute ubique in interſtitiis colorem rubrum, at verò minùs vegetum, atque quaſi ex Strangulatione ſeu ſuffocatione luridum aut ſublividum exhibente. Febris [*b*] interea mali moris ex Veneno prorsùs intus cohibito jam perpetim continuata cum Vigiliis, Deliriis, Spaſmis, Pulſu debili, cæteriſque quibuſcunque diriſſimis Symptomatis undique accerſitis ſociatur; Malum ſanè omen atq; Naturæ pæne triumphatæ indicium indubitatum. Æger autem ſymptomatis adeo funeſtis citiſſimè attritus (*c*) triduo hoc Stadium emetitur, & nono vel decimo Morbi die (*Petechiis* atque *Maculis* lividis aut nigris hic illic in Cute ſubortis fatalem eventum præſagientibus) inter Hæmorrhagias immanes purpuream animam efflat; vel ubi ex hoc periculo evaſerit [quod (*d*) ope *Veſicatoriorum* frequentium opportunè applicatorum, atque *Alexipharmacorum* generoſiſſimorum cum Opiatis commixtorum & ſæpius exhibitorum haud rarò contigiſſe memini) ærumnoſis atque diris Symptomatis, præſertim in genere nervoſo diu male multatus vix, aut ne vix ante viceſimum Morbi die hocce ultimum Stadium decurrere potis eſt. Vires enim ad Venenum adeò exitiale intus cohibitum haud citius edomandum & concoquendum Spiritibus ſuppetunt quomodocunque arte Medica ſuffulgiantur, expandantur & corroborentur: (*e*) Nonnunquam autem [quod bis terve mihi contigit obſervaſſe) ex Veneni adeo deleterii reliquis, hujuſmodi Ægrotantes vel ad quadrageſimum uſque diem Appetitu privantur, alumbes redduntur, atque Calore Hectico afficiuntur, & poſt ſolennes Humorum & Sanguinis evacuationes peractas, tandem funeſta *Claviculæ*, *Maxillæ*, vel *Tibiarum* Sphacelo inexſpectatò ſuborto interempti ſupremum diem miſere oppetunt. Adeo intensè deleterium hoc Venenum diu intus cohibitum ſuam indolem demum prodit, atque adeo ſemper ſuſpectam jure merito habere licet *anorexia* atque Hecticum Calorem Variolis deciduis ſuperſtitem!

(*f*) Denique *Variolæ* ipſæ *Diſcretæ*, in quarum Interſtitiis *Veſiculæ Miliares*, *Petechiæ*, *Maculæ nigræ* vel *lividæ* una cum prima Variolarum eruptione efflorescunt & pravam Morbi indolem produnt; (iſtiuſmodi (*g*) enim Variolæ ſæpius concurrunt) illæ, inquam, ſi quæ aliæ, non minùs peculiari modo declinant quam antea maturabantur. Quomodocunque enim exanthemata ſeſe habeant, nimirum ſive *b* more variolarum Benignarum intra triduum in pus mutentur, ſive (ut *i* ſæpius) deprimantur & langueant, atque ſerius matureſcant, Febris K à Veneno deleterio Spiritus intus peſſundante accenſa uno tenore per ſingula Stadia Morbum comitari ſolet, atque cum *Deliriis*, *Vigiliis* pertinacibus, *Deliquiis* frequentibus, *Pulſu debili & celeri*, *Alvo lubrica*, *Sudoribus colliquativis*, &c. conjungi; unde exanthematum maturationi minus jam fidendum eſt, ſiquidem nonnunquam hoc modo decumbentes in media ipſa Variolarum maturatione, ne minima quidem Exanthematum declinatione præcedente, ſed puſtulis adhuc vigentibus & turgentibus à Veneno deleterio intus deliteſcente, Spaſmis, l Deliquiis, vel Comate profundo inexpectato correpti derepente fatis cedunt. Ubi autem Morbus poſt Stadium Maturationis diutius & ærumnoſius protenſum, *petechiis*, *Veſiculis*, cæteriſque id genus Malignitatis notis vi Naturæ vel Artis jam ſublatis, Declinationis Stadium ingreſſus eſt, tantum abeſt ut Aeger ex

peri-

a *vide hiſt.* 35. 59. 60. &c. b *vide Hiſt.* 32. 33. &c. c *vide hiſt* 41. &c.
d *vide hiſtor.* 32. 33. 59. 60. 6. 63. e *vide hiſt.* 59. 60. &c. f *Declinatio variollarum Malignarum Diſcretarum.* g *vide hiſtor.* 29 30. 31. 47. &c. h *vide hiſt.* 39. 31.
i *vide hiſtor* 29. K *vide hiſt* 29. 30. 31. l *vide hiſtor.* 30.

periculo evaſerit, ut jam à veneni deleterii reliquis, frequentibus Deliquiis Deliriis, &c. tenetur, & per plures dies in maximo diſcrimine verſetur, donec [a] *Parotidibus* [quod ſemel eveniſſe memini] vel aliquo alio modo id Veneni quod reliquum eſt ſubactum prorſus eliminetur.

Ex Hiſtoria hujuſce Stadii è rei natura petita atque graphicè deſcripta facilè admodum quivis in Medicina vel mediocriter verſatus Signa *Diagnoſtica* & *Prognoſtica* in hoc Stadio ritè proferre, *Indicationes* Curativas veras elicere, & *Methodum medendi* certam pro ratione diverſæ Morbi indolis ſtabilire poteſt. Atque hoc penſum lubentiſſime jam aggredior.

[b] *Variolæ Benignæ & Regulares* (quæ cæterarum norma in omni Stadio ritè cenſendæ ſunt) ſicut tertio Morbi die erumpere, & ſexto maturari; ita jam pure maturato turgidæ *c* non declinare incipiunt, Scabie ſubflava primò obductæ, atq; demùm die ſaltem duodecimo, pure inſpiſſato, in tubercula arida & ſubfuſca ſenſim mutantur, nec Febris accenditur recidiva, vel quodvis ærumnoſum Symptoma aliquod ex his Stadiis comitatur vel ſequitur. Quid; quod veneno in Secundo è Spirituum ſinu Criſi perfecta eliminato nihil reſtat quod Naturam ad prælium recens inſtaurandum denuò irritet, vel quocunque modo functiones perturbet, unde Patiens in hoc ſtadio ultimo *apiretos* jacet, optima valetudine atque appetitu integro utens, nullo morboſo affectu ex reliquiis Veneni oriundo poſthac plectendus.

d Variolas equidem, quas ob luctam Spirituum & Veneni poſt Criſin peractam propemodùm æqualem *Medias* appellare ſoleo, modò Natura demùm in media Exanthematum maturatione Venenum illud per glandulas Salivales, Renes vel quamcunque aliam portam convenientem fortiter propulſando victoriam integram reportaverit, & puſtulæ ante declinationem pure legitimo refertæ turgeant, haud adeò facile eſt à Benignis ipſis ante memoratis in hoc ultimo ſtadio certis Criteriis diſcernere. Quid; quod hæ ipſæ Variolæ, Veneno in præcedente Maturationis ſtadio, viribus Spirituum expanſis, vel Artis ſup. petiis tandem manſuefacto & prorſus eliminato, unde Spiritus non amplius laceſſiti vigore native reduce potiuntur benignam admodùm naturam induunt, atque eo nomine jam more Regularium Variolarum (*e*) declinat, primo momento flaveſcentes, atque dein poſt triduum in tubercula cineritia vel ſubnigra concreſcentes, ſine Febre recidiva, vel quovis ærumnoſo Symptomate conjuncto. Atque ſanè hæ Variolæ nequaquam à Benignis differunt, niſi quòd ſerius nempe 13. vel 14. Morbi die primùm declinare animadvertuntur, ob pares enim Spirituum & Veneni vires ineunte maturatione (*f*) tertium Stadium longè ultra triduum protendi ſolet, atque Exanthemata inde diu languida & depreſſa ægrè admodum, priuſquam Ptyaliſmo vel aliquo alio modo Venenum exterminatum fuerit, pure turgeſcere & maturari incipiunt; ex tunc autem Benignarum naturam induentes, eventum blandum & ſalutarem ſortiuntur.

[g] Ubi autem res, lite in præcedente Criſi non integrè dirempta, jam quaſi in æquilibrio pendeant, unde Natura languida, atq; adhuc veneni minus ſubacti reliquiis quadantenùs obſeſſa haud valeat eas ſortiter per glandulas Cutaneas propulſare, atque inde ſuccedaneas vias Glandularum Salivalium vel Renum patentiores ſollicitet: Si forte (inquam) Spiritus jam ob errorem in Regimine cõmiſſum, Remediorum defectum vel infauſtum quodvis Accidens aut Symptomata in media maturatione ſubortum manus dare cogantur, atque Variolæ hæ *Mediæ* inde

a *Vide hiſtor.* 29. b *Diagnoſis Variolarum Benignarum in hoc Stadio.* c *Vide hiſtor.* 31. d *variolarum Mediarum proximè ad Benignas accedentium Diagnoſis in hoc Stadio.* e *vide hiſtor.* 20. &c. f *vide hiſtor.* 5. 6. 12. 17. 49. g *Diagnoſis variolarum Mediarum proximè ad Malignas accedentium.*

mecia maturatione ſubortum manus dare cogantur, atque Variolæ hæ *Mediæ* inde, priuſquam pure legitimo turgeant, languidę & ſemiplenæ [Stadio ultimo jam derepente initio] exareſcere & ſcabiè nigra obduci incipiant, facilè admodum quivis in hoc Stadio certis Criteriis quæ pravam Morbi indolem produnt, à Benignis & Regularibus eas dignoſcere poteſt, nempe, *Primo*, Spiritus [*a*] fermento recrudeſcente jam ſuperati atque debilitati, vigore, quo antea potiebantur, per ductas Salivales, Renes, vel Artus Venenum propellere & perſequi nequeant: unde *ptyaliſmus* (variolis perfectam maturationem nequaquam hactenus aſſecutis) *vrinæ profluvium* derepente declinare, Intumeſcentia Capitis, faciei & Artuum minui atque inde, Oculi priùs occluſi ſponte aperiri incipiunt. *Secundò* ſpiritus hoc pacto veneno intus cohibito obſeſſi & irretiti, non poſſunt non ruſſus luctare, atque certamen recens inſtaurare; unde (*b*) *Febris* illico revireſcit cum vel ſine evidenti Horrore, quæ ut ut primum benigna & *Synechis* periodicis nimirum exacerbationibus & remiſſionibus inſignita ſit, ob vires Veneni in præcedentibus Stadii ex parte fractas, citiſſimè tamen in *Synechon* mali moris mutatur; deliriis, vigiliis, & diriſſimorum ac funeſtiſſimorum ſymptomatum Satellitio ſtipatam. *Tertio* [*c*] Exanthemate in facie jam ſubitò incruſtata, ſubfuſco vel, pro Veneni deleterii & Sphacelationis inde ortæ gradu, nigro colore in apicibus inficiuntur, cohærent, atque in continuatam Scabiem coeunt; atque hæcce Scabies ubi ſpiritus planè ſiderati nihil omnino moliuntur, illicò exareſcit, ptyaliſmus etiam ob eandem rationem prorsùs deficit, & ſtrangulatione ſuffocativa peſſima omine excipitur. Ubi autem aliquid roboris ad venenum adhuc per exanthemata, ductus Salivales, vel Artus extremos propellendum ſpiritus ſuppetit, ſcabies diu pure ſcatens decidit & renaſcitur, phlegma viſcidum copioſe ſed ægrè & non ſine Suffocationis periculo è Tonſillis excreatione rejicitur, atque Intumeſcentia partium extremarum non adeò præpropere declinat: Exanthemate interea in trunco & artubus diſcreta, & flaccida, vel Scabie nigra obducta, illico exareſcunt, vel ſaltem ad plures dies, pure minus laudabili ſemiplena manent priuſquam (*d*) Scabie obducantur. *Quartò*, Ob eandem rationem hujus Morbi ſtadii duratio incerta eſt & ſæpius longè ultra ſolenne triduum protrahitur: licet enim ubi Febris mali moris ob vires veneni recrudeſcentis deleterias revireſcat, Exanthematis ubique derepente exareſcentibus, atque Spiritibus Venenum excutere non amplius molientibus; Æger funeſtiſſimis ſymptomatis attritus intra triduum ut plurimùm ſupremum diem claudat. Ubi autem viribus veneni magis fractis [ut ſępæ fit] febris *Synecheos* typum ſervet & ſpes reconvaleſcentiæ effulgeat, haud raro hocce Stadium exanthematis interea vix incruſtatis, aut ſi Scabie obducatur, adhuc tamen ſanioſis ad ſex, decem, duodecim dies, cum ærumnoſa & penè ſuffocativa Phlegmatis viſcidi Expectoratione conjunctum protrahitur, donec ſpiritibus expanſis Venenum edometur, & putrida hæcce Febris demum [*e*] Hectico calore *aporexia* excipiatur, eouſque durante donec reliquæ Veneni ex parte prius ſubacti quaſi criticè per *Furunculos* vel alium aliquem modum penitus exterminentur, niſi *Cortice Peruviano* vel alia aliqua antidoto quæ venenum ocyus ſubigere par ſit, duratio hujus Stadii arte contrahatur.

In *Malignis* autem *Variolis*, quæcunque eæ fuerint, ſive *Confluentes* ſive *Cohærentes* vel quidem ipſæ *Diſcretæ*, Diagnoſis magis certa eſt & indubitata: Morbus enim ipſe pravam ſuam indolem certiſſimis Criteriis palam prodit. Quia enim Spiritus in prædedenti Stadio planè

[a] *Vide hiſtor.* 21. 24. 35. 54. 55. 62. 63. &c.
(b) *Vide hiſtor.* 21. *jam memoratam.* (c) *Vide hiſtor. jam memoratas.*
(d) *Vide hiſtor. ante memoratas* (e) *vide hiſtor.* 28. 63. &c.

planè fracti erant & fugati, *Primò* Febris. (*a*) quæ jam non potest non esse mali moris, sine quavis Intermissione vel Remissionem unum tenorem à Crisi ipsa funesta peracta perpetim servans, Pulsu celeri & debili, Linguæ ariditate, Jactatione inquieta dignoscitur; & à vigiliis, deliriis, subsultibus tendinum cæterisque vasillantis & triumphatæ naturæ symptomatis jam subortis plurimùm indies augetur & evehitur. *Secundo* (*b*) *Variolæ*, *Confluentes* vel quidem *Cohærentes* intensè Malignæ ne minimam Maturationem assequi valent, unde Efflorescentia ab ipsa Eruptione completa (Variolis 5. aut 6. die ultimum suum stadium intrantibus] illico declinat, cuticula ubique pergamenæ ad instar albescente, atq; exanthematis ubi intrunco vel artubus quadantenùs Discreta fuerint, quin & eorum instertitiis quasi ex strangulatione vel Spirituum influorum defectu ubique lividescentibus. *Tertio* Utut levi [*c*] Ptyalismo & Labiorum intumescentia, aut molesta Micturitione, Natura jam incassum Glandulas Salivales vel Renales sollicitare videatur, nequaquam tamen per hasce portas hostem adeo eliminare potis est, ut instantem machinæ ruinam antevertat. Atque inde *Quartò* Crasi humorum a Veneno adeo exitiali intus cohibito penitus eversa atque in fluorem pestilentialem adacta, [*d*] *Hæmorrhagiæ* immensæ, *Petechiæ*, *Maculæ purpureæ* & *nigræ* in Cuticula efflorescentis unà cum cæteris Veneni pestiferi diriissimis indiciis subortæ deterrimam atque maximè exitiosam Morbi indolem evidentissimè demonstrant. Hinc fit denique quod Duratio (*e*) hujus Stadii sit admodum incerta, utut enim longè major pars Ægrotantium symptomatis adeo atrocibus intra triduum, octavo sc. vel nono die trucidetur. Qui tamen (*f*) ex hoc Stadio evasuri sunt, sævissimis symptomatis diu male multati, rarò ante vicesimum diem hocce stadium penitus emittuntur, & aliquid [ut ante innuimus] postquam singula stadia peragrasse visi sunt, à veneno intus cohibito, Hectico calore & *aporexia* fatigati, demum tricesimo vel quadragesimo die Carie ossium tentati, fatis cedere coguntur.

(*g*) Istæ autem Malignæ Variolæ sive Cohærentes, sive admodum Frequentes, quæ ob vires Spirituum non adeo penitus à veneno sideratas, adjuvante aliquamdiu Ptyalismo, Profluvio Urinæ vel Extremorum Intumescentia, ad tempus aliquantulùm matureścunt, quo nomine proprius ad Medias accedunt: Hæ inquam ab illis dignoscuntur potissimùm Febre, quæ neq; ut in Mediis post Crisin vel intermittit vel remittit, verum (*h*) uno tenore jugiter perseverans non obstante aliquali Exanthematum Maturatione, Ptyalismo, Profluvio Urinæ, aut Artuum Intumescentia per totum Stadium protenditur. Quid? quod Spiritus pro ratione virium superstitum Venenum exterminare quocunq; modo jugiter contendunt, superati autem & ex parte saltem enecati virus satis valide excutere nequeunt, unde eo adhuc irretiti & oppressi non possunt non (impari licet robore) hostem perpetuo adoriri, atque inde Febris quæ in *Mediis Variolis* saltem durante Maturatione intermittere solet, jam quadantenùs mali moris uno tenore à primo Morbi insultu perseverat. Secundo, Cùm autem inanis sit hic naturæ conatus, demùm in ultimo Stadio) quod non jam à Crisi peracta ut præcedentibus. Variolis Malignis verùm a Declinatione Variolarum, Ptyalismi, &ci. nire censendum est) derepente & præpoperè deficiat. Febris huc usq; protensa & Veneno intus ubique cohibito

[a] *Diagnosis Variolarum malignarum in hoc Stadio, speciatim Confluentium, & Coherentium ad malignas prope accedentium.* (b) *Vide histor* 36. 37 38. 39. 40. 41. 29. 30. 31. 32. (c] *vide histor. jam memoratas.* (d) *vide histor. jam memoratas.* (e) *vide Histor.* 37. 38. 39. 40. 41. [f] *Vide Histor.* 59. 60. 61. 62. (g) *Variolarum Choærentium & admodum frequentium proprius ad Medias accedentium Diagnosis in hoc Stadio.* (h) *vide Hist.* 14. 21. 23. 27. 32. 36. *&c.*

to magis deleteria facta, *a* Vigiliis, deliriis, cæterisque Symptomatis auctis intenditur. Tertiò *b* Exanthemata flaccida & pure minimè referta ubiq; Scabie nigra obduci incipiunt, *Petechiis* aut *Vesiculis* miliaribus, Veneni potentioris indiciis, in Variolarum interstitiis nonnunquam jam primum sese in conspectum dantibus. Denique *c* incertus admodum durationis hujus Stadii terminus est, in iis enim, qui post brevem Exanthematum Maturationem diriſſimis jam Symptomatis attriti nono vel decimo Morbi die fatis cedunt, hoc Stadium ultra biduum non excurrit. In cæteris autem quotquot Scabie sanioſa & purulenta, atque diuturna Phlegmatis glutinoſi Exscreatione penè ſuffocativa, cæterisque istiusmodi symptomatis ærumnoſis diu multati demum ſubſidiis artis vel naturæ ſanantur, rarò admodum ante 17. vel 18. Morbi diem, qui Declinationis octavus vel nonus est, finitus, & Febris penitus exstinguitur.

d Denique, neque desiderantur certiſſima Criteria, quibus *Discretarum Variolarum* in hoc Stadio prava indoles dignoſci poſſit; eaque (quod in cæteris mali moris Variolis antea obſervavimus) è triplici fonte potiſſimum petenda ſunt, Febre nimirum comitante, symptomatis peculiaribus jam ſuboriri ſolitis, atq; duratione ſtadii protenſiore. Diffitendum quidem non est hoc esse huic Variolarum ſpeciei peculiare, quod ad Stadium Declinationis haud rarò minimè perveniant: iis enim laborantes nonnunquam ſub initium Maturationis Exanthematis turgeſcentibus, ob deleteriam Veneni indolem Petechiis & Veſiculis Miliaribus notati, Comate, Spaſmis, Vigiliis & Deliriis pertinacibus, vel alio aliquo funeſto Symptomate derepente correpti, *e* ineſpectato animam efflant, Ubi autem iſtæ Variolæ ope Artis vel Naturæ aliqualem maturationem, ægre licet, aſſequuntur, ſi in hoc Stadio una cum Petechiis cæterisque Malignitatis evidentibus indiciis declinare incipiunt, & in hoc Stadio à Benignis diſtinguntur. Primò *f* Præſenti Febre, quæ cum hiſce Variolis & cæteris quibuſcunque Malignis in omnibus Morbi Stadiis conjungitur, & jam plurimùm exacerbatur. Secundò *g* Deliquiis frequenter recurrentibns. Sudoribus immenſis, Fluxu alvi immodico, cæteriſque Colliquationis Symptomatis & denique protenſa huius Stadii duratione, quod rariſſimè intra ſex dierum Spatium finitur, nec Ægrotans *apyrexia* potitur, donec Venenum per *Parotides* vel alium aliquem modum integrè eliminatum est.

Prognoſin quod attinet in genere, Primò Eventus hujus Morbi vel fauſtus vel funeſtus, generaliter loquendo, potiſſimum huic Stadio reſervatur: exceptis enim Variolis mali moris *Diſcretis* laborantibus, rarò admodum quiſpiam niſi in Declinationis ſtadio hoc Morbo interimitur: Variolæ enim ipſæ *Confluentes*, quæ Ægrotantem ſæpiſſimè ſexto vel ſeptimo Morbi die è vivis tollunt, eodem die naſcuntur, exareſcere & declinare incipiunt. Secundò, Quæcunque primo Invaſionis momento fuerit Morbi indoles, benigna nimirum vel maligna, in hoc ultimo ſtadio pro ratione præſentis Morbi indolis eventum aſſequitur. Fauſtum nempe ubi veneno manſuefacto Morbus jam demum benignam induerit; Funeſtum ubi pravam & deleteriam; Ancipitem & dubium ubi Mediam.

Prognoſtica autem inſuper magis ſpecialia multo uſu comprobata in juniorum & minus exercitatorum gratiam proferre non nocebit 1. Declinatio Morbi cum *h apyrexia* & Appetitu reſtituto conjuncta optimè ſignificat, venenum nimirum jam integrè esse cicuratum & eliminatum; è contra *i Febris* Morbi declinationem excipiens vel concomitans malè, venenum nempe, ſaltem ex parte intus cohibitum esse, unde vita Ægrotantis vel

a *Vid. hiſt. jam memoratas.* b *vide hiſt. jam memoratas.* c *vid hiſt. jam memoratas.*
d *Diſcretarum variolarum Malignarum diagnoſis in hoc ſtadio.* e *vide hiſt.* 30.
f *vide hiſt.* 29. g *vide hiſt.* 29. h *vide hiſt.* 3. i *vide hiſt.* 62. 63. 24. &c.

vel in præſens diſcrimen adducitur, vel Morboſis affectibus poſt ſuppullulaturis obnoxia redditur. 2. Pro ratione *Febris* atque ſymptomatum eam comitantium diverſa, *a* Ægrotanti plus minuſve periculi intentatur. 3. *Febris* uno tenore à primo inſultu Morbum in ſingulis ejus ſtadiis concomitans, atque jam demum in Declinatione evecta & exacerbata peſſimam Morbi indolem palam prodit, atque eventum ſæpiſſime funeſtum denunciat. 4. *Febris* quæ durante Exanthematum maturatione intermittit vel remittit, ut ut jam denuo recrudeſcat, tamen ob vires veneni in Stadiis præcedentibus ex parte fractas *Synechis* (*b*) eſt ut plurimum atque Benigna; ideoque præſagium non valde funeſtum miniſtrat, præſertim ſi *Corticis Peruv.* juſta quantitas (cujus Efficacia non minor eſt in hac quam in alia quacunque *Synechei*] opportune exhibeatur. 5. Hæc ipſiſſima Febr. in malignam & funeſtam diriſſimorum ſymptomatum ſatellitio *c* ſtipatam facillime & ſæpiſſime degenerat, modò ante tertium Paroxyſmum non tollatur. 6. Cum primum *Febris* hoc ſtadio *d* exulat, res Ægrotantis in vado ſunt, quomodocunque Exanthemata atque cæteræ circumſtantiæ ſeſe habeant: Febre autem perſtante, temere & ſecure cæteris ſignis nequaquam fidendum eſt. 7. *Petechiæ ſeu Veſiculæ*, *Miliares* in hoc Stadio efflorescentes qualitercunque cætera ſe habeant, venenum jam demum in gradum exitialem evectum ſubindicando, funeſtum eventum atroci aliquo ſymptomate mox inopinato introducendum denunciant. 8. *Deliria*, *f Vigiliæ* pertinaces, *Subſultus tendinum*, aliaque id genus vacillantium Spirituum dira ſymptomata pejus in hoc quam in præcedentibus ſtadiis omen exhibent, & omnes fere hiſce ſymptomatis jam oppreſſi *g* pereunt. 9. *Hæmorrhagiæ* immanes, *Maculæ* nigræ & *Micturitio* in hoc Stadio Morbum exitialem denunciant; pauciſſimi enim aut nulli hoc modo affecti reconvaleſcunt. 10. *Fluxus h Alvi*, *Sudores Colliquativi* & *Deliquia* frequenter recurrentia, venenum intus cohibitum & jam Spiritus peſſundans ſubindicando (ut ut cæteræ circumſtantiæ adblandiantur] res Ægrotantis haudquaquam eſſe in vado monſtrant. 11. Anheloſa *i* reſpiratio, Deglutitio impedita, & vibratio Arteriarum debilis ac vacillans mortem præforibus eſſe denunciant. Ab *K anorexia Calore hectico* & *Tuſſi* hoc Stadium excipientibus, *Cariem Oſſium*, *Phthiſin* acutam & funeſtam, vel grandem aliquem alium morboſum affectum ſubſecuturum præſagire, licet, modò ſubſidiis Artis vel Naturæ venenum intus cohibitnm *Furunculis* frequentibus, *Parotidibus* vel alio aliquo modo non fuerit tempeſtive protruſum. 13. Faciei *l* & Artum *Detumeſcentia*, vel *Salivationis Suppreſſio* ante completam Exanthematum maturationem derepente contingens (quamvis diu prius duraverat) modo iſte defectus *Profluvio Urinæ* inſolito non fuerit ſuppletus, venenum ex parte intus cohibitum indicando Febrem illico redituram eſſe præmonſtrant cujus eventus inde anceps futurus eſt: e contra vero *m* Salivatio jam poſtliminio redux, ut ut ob Phlegmatis viſciditatem ærumnoſa ſit, perſtans extremorum Intumeſcentia, & inſolitum Urinæ profluvium, modo cum forti Arteriarum vibratione conjungantur, Medico animos addunt, utcunque cætera ſymptomatum malum eventum minentur ſiquidem vigor Spirituum adhuc hoſtem eliminare manifeſto nititur. 14. [*n*] variolæ pure laudabili ubique prius turgidæ, lege Naturæ jam ſponte declinantes optime ſignificant, vires nimirum veneni prorſus eſſe ſuba-

a *Vide hiſt.* 21. 22. 35. 29. 32. 36. 37. 38. 39. 40. 45. 62. b *Vide hiſt.* 24. 25. 26. 27. 46. 63. *&c.* c *Vide hiſt.* 46. *&c.* d *Vide hiſtor.* 21. *&c.* e *Vide hiſtor.* 52. 55. *&c.* f *Vide hiſtor.* 30. 45. 46. 62. g *Vide hiſtor.* 36. 37. 38. 39. 40. 41. *&c.* h *Vide hiſtor.* 29. *&c.* i *Vide hiſtor.* 62. *&c.* k *Vide hiſtor.* 59. 60. 61. 28. 29. 63. l *vide hiſtor.* 21. 24. 27. 35. 37. 45. 54. 55. 62. 63. *&c.*
m *vide hiſtor.* 35. 63. 19. *&c.* n *vide hiſtor.* 3.

ſubactas : è contra Variolæ ſine qua vis maturatione præcedenti præmaturè *a* ſexto vel ſeptimo Morbi die exareſcentes peſſimè, Venenum nempe penitus intus cohiberi atque Spiritus inde peſſundari, unde Febris mali moris & ſuperatu admodum difficilis peſſimo omine non poteſt non inſequi. 15. *b* Variolæ autem quæ poſt maturationem minus perfectam flaccidæ & ſemiplenæ, Lympha pellucida potius quam pure diſtente, malè ominantur Veneno adhuc inconcocto, & non penitus protruſo. Ex accidenti enim infauſto, aut Spirituum in Veneno propulſando defectu præmaturè declinant, unde Febris recidiva, cujus dubius eventus eſt, ſuboritur: Quo autem plus minuſve Exanthemata ante incruſtationem turgeant, & quo magis minuſve Lympha in iis ſecreta in Pus vertitur, eò Febris recidiva indolem magis benignam vel malignam induit, & eventus magis minuſve *c* dubius vel ſalutaris eſt. 16. Variolæ, quæ inter declinandam pure laudabili jam concreſcente, in Tubercula abeunt, optime præſagiunt. Quæ autem Scabie ſeſſili & adhærenti obducuntur, pejus; quippe ob Spirituum languorem & defectum, Lympha ſanioſa & non concreſcibili potius quàm pure, ſi quidem ullo omnino humore refertæ *e* ſint 17. *Scabies* diu pure ſanioſo ſcatens, atque inde ſæpius decidens & renaſcens, meliorem ſortitur eventum, quam ea quæ derepente exareſcit; vires enim Spirituum, & aliqualem Veneni expulſionem per Exanthemata incruſtata arguit. 18. *e* Hæc autem *Scabies* ſanioſa & purulenta mille ærumnas Ægrotanti adfert, atque demum in Scabiem tenuem, & diuturnam ſæpiuſque renaſcentem deſinens, faciem nitore ſuo maxime ſpoliat, niſi arte præveniatur. *f* 19. *Scabies* flava, quia præcedentem Veneni concoctionem monſtrat, optime ſignificat: Nigra autem vel ſubnigra deleteriam Veneni intus cohibiti indolem prodens, vitam Ægrotantis in præſens diſcrimen adductam eſſe arguit, & affectus exitioſos poſthac inde ſub orituros præſagit. 20. Exanthemata declinantia quæ ſeriùs & ægriùs. *g* incruſtantur, & non niſi poſt plures dies Scabie *b* obducuntur, languorem Spirituum produnt, & inde eventum ancipitem ſaltem præſagiunt: quo enim diutius ultra triduum hoc ſtadium protenditur, eo ſaltem à norma Benignarum, & Regularium Variolarum deflectitur, utut Natura jam nonnunquam cunctando rem reſtituat; & quo longius ultra triduum in Variolis mali moris hocce ultimum Stadium protenditur; eo ſpes major affulgeat.

Indicationes Curativæ in hoc ſtadio ferme *i* eædem ſunt ac in præcedenti; nempe integra (quantum fieri poſſit) reliquiarum veneni Febrilis, quas præcedentibus Stadiis minus ſubactas eſſe contigerit, abolitio & exterminatio: atque deinde Correctio Symptomatum à veneno activo jam ſubortorum, & Prophylaxis morboſorum iſtorum affectuum, quos deliteſcentia ejus minus ſubacta ſemina, poſthac proferre poſſunt.

Atque eo nomine variolarum Benignarum, earumque quæ prope ad Benignas accedunt in hoc ſtadio, quod curationem ſpectat, eadem plane eſt ratio. Cum enim venenatum fermentum in utriſque penitus ſubactum fuerit, in iſtis nempe uno impetu, Critica exanthematum eruptione, in His autem ſenſim Criſi quaſi ſera & ſecundiata, ſalivatione ſc. inter maturandum ſuperveniente ſive quovis alio modo, unde & hæ illæ pure cocto turgidæ jam demum Scabie ſubflava obductæ pariter declinat, ſine Febre recidiva, vel quovis ærumnoſo ſimptomate, Appetitu inſuper integre redeunte. Unde non eſt quod Morboſus quivis affectus inde ſuppullulaturus rite metuatur. Quocirca durum & iniquum videtur Patientem ſive his ſive illis variolis laborantem, Pharmacis quibuſvis officiose & abſque evidenti Indicatione adhibitis

ple-

a *Vide hiſtor* 36.37.38.39.40. &c. b *Vid. hiſt.* 21.23.24.27.35.45.46.52.54.55. c *Vide hiſt.* 22.25.32.33.36.63. d *vid. Hiſt.* 21.63. e *vide hiſt.* 21.63. &c. f *vide hiſt.* 22.63. g *vide hiſt.* 21.62. h Indicatione. i *vide hiſt.* 3.20.

plectere & laceſſere. Satius eſt ut Medicus, quem decet ſemper & ubique mandata ſua ad rationis normam dirixere, [*a*] rem totam jam Naturæ intactam relinquat: modo Humorum effœtorum colluviem ſeu ſordium Morbi craſſiorum intus ſtabulantium, Stadio hoc finito, *Catharticis* ſolennibus [quorum Formulas & Canones in proprio loco ſubjiciemus, per alvum deturbare non negligat: ne habitus Corporis inde infarctus prægrandi alicui morboſo affectui Chronico anſam præbeat, atque intereà parcam & tenuem diætæ rationem imperet, ne ex victu pleno, labes aliqua cum Humoribus nondum deputatis communicetur, & Phlogoſis inde in iis excitetur.

b At verò, in Malignis quibuſcunque variolis, atque in his quæ proximè ad eas accedunt, ubi vel Febris uno tenore à primo inſultu jugiter perſeverat, & Symptomatis ingraveſcentibus exaltatur; vel Recidiva poſt intermiſſionem vel Remiſſionem notabilem recurrit, & ex parte ſaltem intus cohibitum, vigiliis, Deliriis, cæteriſque id genus Symptomatis ſeſe prodat, res ſecus ſe habet. Quapropter, veneno jam collectis viribus & maximo impetu Spiritus aggrediente & ſubitam machinæ ruinam intentante, Medicum oportet in hoc articulo ſedulò & incunctanter à partibus Naturæ ſtare, hoſtiſque inſultibus aſſiduo, opportuno & repetito uſu *Corticis peruv. veſicatoriorum*, *Opiatorum* & *Alexipharmacorum* generoſiſſimorum, pro ratione febris & Symptomatum præſentium diverſa, atque Indicationibus evidentibus inde ſubortis, fortiter reſiſtere. Atque equidem ipſe *Cl. Sydenhamius* ſtrenuus frigidi regiminis patronus & propugnator, ſaltem in hoc ſtadio, *Alexipharmaca* & vinum generoſiſſimum multo uſu doctus concedit. Quo pacto autem hæcce remedia pro diverſa febris & Symptomatum coniunctorum indole, adhibere & methodice diſponere oporteat, jam reſtat dicendum.

Ubi viribus veneni, durante Exanthematum maturatione, Ptyaliſmo vel quovis alio modo ex parte fractis, licet non penitus deletis, atque inde uſque ad Stadium Declinationis intus cohibitis & revireſcentibus, febris recidiva indolem induerit benignam Periodicis exacerbationibus & remiſſionibus ſeſe alternatim excipientibus (quem tipum in *variolis Mediis prope ad malignas accedentibus* fere ſemper obſervare licet) Curatio nulla methodo aut Remedio certiùs an felicius abſolvitur, quàm celebri Antidoto, *cortice* ſc. *peruviano*, qui reliquias veneni ſubigendo, ut in cæteris quibuſcunq; *Synecheſi* certandi anſam tollit, atq; inde luctam febrilem derepente componit: unde Aegrotans poſt biduum vel triduum *apyretos* factus illico ſine quovis ærumnoſo ſymptomate ſubſequente reconvaleſcit; cùm quidem omnes aliæ methodi ſine regula certa excogitatæ vel Empyricæ & pernicioſæ, vel ſaltem dubiæ & incertæ uſu reperiantur; ſive enim jam iuxta quorundam ſententiam *c* frigido regimine, venæſectione, vomitione vel purgatione febrem tollere moliaris, Spiritus laceſſendo, & diſſipando venenum ad funeſtum gradum illico evehes; *d* ſin Spiritus *Alexipharmacis* & *veſicatoriis* erigendo, eorumque motus efferatos & inordinatos *Opiatis* compeſcendo ſcopum aſſequi contendas, methodum fallacem certæ & comprobatæ antepones, & eventum ancipitem, curationemque difficilem ac longam reddes. *Canones* autem *corticis* feliciter adminiſtrandi multo uſu comprobatos hic loci ſubiicere non pigebit. *e Primo* Uſum Herculeæ huius Antidoti auſpicari ab opportuna eius exhibitione apprime opportet, nimirùm, cum prima Remiſsione febris indolem ſuam benignam prodat, vel ſaltem *f* ante tertium acceſſum, cùm abhinc hæcce febris, adauctis funeſtis omnibus Sym-

a *vid. hiſt.* 3. 5. 6. 7. 8. 10. 17. 20. *&c.* b *Curatio variolarum malignarum, & Mediarum ad Malignas prope accedentium in hoc Stadio.* c *vide Hiſt.* 22. 23. 24. 25. 63. *&c.*
d *vide hiſt.* 46 63. e *vid. hiſt. memoratas.* f *De modo utendi cortice peruv.*
f *vide hiſtor.* 63.

Symptomatis, *a* in *Synochon* malignam degenerare mirum in modum apta nata sit: à quo tempore Spiritus debilitati & siderati nequeunt ampliùs Antidoti vires evolvere & in actum ducere; Quo citiùs igitur, Morbo Declinationis stadium ingresso, hocce Pharmacum ministretur, eò salubriùs. *Secundò*, In Paroxysmorum *b* intervallis cum Ventriculi fermentum activo Veneno minimè inficiatur, quo Pharmacum adeò ingratum facilius retineatur, atque retentum citius in actum ducatur, *cortice* ministrare oportet, atque repetere tertia vel quarta quaque hora in formam Ægrotanti maximè gratam concinnatum. *Tertiò*, In *c* hujus Antidoti usu perstandum est, donec febriles Paroxysmi penitus tollantur, cùm nonnunquam Varioloſa hæcce Febris *cort. peruv.* ægriùs fugetur, quàm quævis altera *Synechis* Deniq; ubi Vigiliæ, Deliria, subsultus tendinum, cæteraq; id genus dira symptomata cum Febre durante accessu (quod non insolens est) conjuncta Spirituum debilitatem summam produnt, & Febrem proximè ad Malignam accedere monstrant, tùm ad *d* spiritus erigendos, cùm ad efferatos eorum motus compescendos *Vesicatoria* frequentia applicare, atque insuper paulò ante accessum *Alexipharmaca* cum *Opiatis* mixta exhibere, atq; *Julapia Cardiaca*, *Perlata* sæpiùs in Paroxysmo pitissanda propinare apprimè convenit. Hoc pacto plurimos, quorum exempla aliquot mox proferam, brevi spatio à Morbo liberatos atque ab Orci faucibus ereptos vidi; methodum autem quamcunque aliam dubiam saltem ac incertam semper expertus sum. Formula hujus methodi esto quæ sequitur, ℞. *Theriac. Andromach pulv. e Chel. Cancr. comp.* an ℥ß. ℈i. ℈ß. *laudan. liquid. Helmont. gut. xx xv. x. v. Syrup. Caryoph. q. s.* M. F. *Bolus* sumendus paulò ante adventum Paroxysmi expectatum, & superbibantur *cochl. ii iii. iv. julap.* sequ. & repetatur Bolus & Julapium deinceps ante unumquemque Paroxysmi accessum ℞. *Aqua Flor. Calen ceras. nigr. cinnam. Hord.* an. ℥iii. *Stephan. Epid. pæon. comp.* an. ℥i. *Sacch. perlat.* ℥vi. M. F. *julap.* ℞ *Cort. peruv. elect. subtilissime pulv.* ℥i. ℈i. *gr. xv.* pro ratione ætatis, *Syrup. Caryopb. q. s.* M. F. *Bolus* quem sumat Æger solut. in Cochl. *Julap. Cordial.* declinante Paroxysmo, repetatque deinceps tertia vel quarta quaque hora durante Remissione. Applic. etiam ad Nucham & Carpos internos [si Deliria vel Vigiliæ præsente accessu urgeant] *Vesicatoria* ampla & acria.

e In *Variolis* autem verè *malignis*, sive Discretæ, vel Cohærentes, vel Confluentes fuerint, ubi venenum in ipsa Critica eruptione Spiritus adeò superaverit, ut febris *Synochi* speciem induens unum tenorem servet; & augeantut, vel de novo inducantur Vigiliæ, Deliria, vel alia quævis dira symptomata, *corticis* vires febrifugæ nequeunt ampliùs evolvi & in actum duci. In hisce igitur Variolis cùm primùm à Crisi peracta declinare cœperint, Curatio reliqua *Alexipharmacis* & *Vesicatoriis* jugiter repetitis, quæ Spiritus stimulent atque erigant, atque *Opiatis* quæ inordinatos & efferatos eorum motus coercendo deleteria symptomata inde orta corrigant, duntaxat perficienda est. Ne cramben autem bis coctam reponam, vel in Formulis Remediorum, quas ubique in stadiis præcedentibus, vel saltem in exemplis post hac proferendis reperire licet, nimius videar, methodum nostram in hoc casu quorundam Canonum cancellis comprehensam, non autem fusiori calamo descriptam adjicere lubet. *primo*, *f Alexipharmaca* jam non tantùm mitiora, uti *Theriacam*, *Diascordium*, *Mithridatium pulv. e Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Confect. Alcherm. de Hiacinth. Aquam Epidem. Stephan. pæon. Comp.* in usum vocare par est, sed & *Electuar. ex Ovo*, *pulv. Rad. Serpent. Virg. Cineres Bufonum*, *Vinum* ipsum *generosissimum*, atq; id genus cætera; quot-

quot

a *vide hist.* 46. 6. *vide hist.* 22. 23. 24. 25. 63. b *vide histor. jam memoratas*,
c *vide histor.* 22. 23. 24. 25. 63. d *Curatio Variolarum vere Malignarum in hoc Stadio*, e *vide histor.* 14. 18. 21. 22. 25. 26. 27. 29. 30. 32. 33. 34. 34. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 45. 46. 49 50. 52. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63.

di & expandendi virtute maxima pollent; non enim jam à Febre & inflammatoria Spirituum & Humorum diathesi, verum à Veneno Spiritus obsidente & plane siderante vita Ægrotantis in discrimen adducitur: atq; certò tertius mihi usu compertum est, Ægrotantes jam vel in medio mitiorum Alexipharmacorum usu quæ Veneno subigendo imparia sunt, perire solere, non minus quam in frigida vel alia quacunque methodo incongrua perperam ordinata, cum in summo discrimine nimis remissivè agere semper pernicioſum sit. *Secundò* In Pharmacorum horum *Alexiteriorum* usu post justa ac certa intervalla repetendorum quotidie perstare oportet, donec sc. Veneno viribus Spirituum expansis demũ penitus subacto febris prorsus exulaverit, vel saltem ex parte mansuefacto typum *Synechcos* obtinuerit *a Tertio*, Doses autem horum Pharmacorum augere vel minuere par est pro ratione ætatis Ægrotantis, siquidem eorum ℈ß. in ætate infantili æquale ℈i. in puerili, vel ʒß. aut ℈ii. in juvenili vel virili inveniatur; eandem etiam esse *Opiatorum* proportionem duco. *Quartò*, Pro ratione gradus Veneni magis minusve intensi (haud enim ubique id vires suas prodit æquè deleterias] dosin *Alexipharmacorum* quadantenus augere vel minuere oportet, & sæpius vel rarius eam repetere; jam scil. ubi *b Maculæ nigræ* inter Variolas confluentes efflorentes exitialem & pestiferam Veneni indolem produnt, tertia quaque hora: *c* In Cohærentibus cum *Petechiis* vel *vesiculis Miliaribus* conjunctis, quarta: In cæteris sexta quaque hora repetantur. *Quintò*, Cum *Alexipharmacis* insuper quæ Spiritus erigunt, *d Opiata* [modo absit *Comatosus affectus*] quæ effrænes eorum motus cohibendo, Fluxum Alvi, Deliria, Vigilias, cæteraq; deleteria symptomata coerceant commiscere admodum necessarium est, & ad illam quantitatem, quæcunque fuerit, sensim ascendere, qua scopum assequi possimus *Sexto*, Ubi primùm febris hæc continua (ut nonunquam usu venit) spiritibus *Alexipharmacorum* usu expansis, & Veneno ex parte cicurato in *Synechi* benignam exacerbationibus & remissionibus periodicis insignitam immutari incipit, *corticem peruv.* ad reliquias fermenti Venenati abigendas cum *Opiatis* & *Alexipharmacis* commixtum, atque tertia vel quarta quaque hora quamdiu opus fuerit repetitum adhibere convenit. Denique *e Vesicatoriis* [uno scilicet successivè post alterum recens applicao] spiritus elumbes & sopitos per totum cursum Morbi jugiter excitare & stimulare admodùm necessarium est; sine his enim Alexipharmaca generosissima ne hilum valere Medicos haud latere arbitror.

f Ut ut symptomata in funesta Morbi declinatione in gradum alteriorem evehantur, vix tamen alia jam videre est præter ea quę in morbi & apparatu & crisi occurrunt: (oppido rarò enim istiusmodi Variolæ ad maturitatem aliquam perveniunt) ea autem sunt *Deliquia* frequenter recurrentia cum cita & debili Arteriarum vibratione a languore Spirituum veneno exitiali pene extinctorum, *Sudores* profusi, *Fluxus* alvi colliquativi, & *Hemorrhagiæ* immanes a compage humorum soluta & tono Membranarum & Vasorum deleteria veneni vi everso, *Jactationes* inquietæ, *Vigiliæ* pertinaces, *Deliria* insana & subsultus tendinum a motu Spirituum vacillantium & veneni œstro percitorum & labefactatorum inordinato; *Micturitio* frequens ab inani Spasmodico licet Naturæ conatu Venenum per Renes protrudere molientis; *Suffocationes* & *Strangulationes* partium Respirationi & Deglutitioni inservientium, pariter a nisu Spirituum frustra per ductus Salivales hostem exterminare contendentium: *Spasmi* varii hic illic in Artubus versatiles a Spiritib. vi veneni irritativa in explosiones adactis, atq; *Comatosus stupor* a vehem. Veneno Cerebr. & Nervorum originẽ obsidente & plane opprimente. Cùm autem

a *vide hist. jam memoratas præsertim hist.* 24. 25. 26 27. 29. 32. 36. b *vide hist.* 36. 37 38. 39. 40. 41. c *vide histor. paulo ante memoratas.* d *Vide histor.* 22. 25. 26. 27. 3. 929. e *Vide hist. paulo ante memoratas.* f *Symptomatum in hoc Stadio Correctio.*

horum aliorumq; plurimorum id genus ſymptomatum curationem in præcedentibus Stadiis conſulto & ex profeſſo tractaverimus, non eſt quod actum agamus. Conſulat Lector Obſervationes noſtras ac de re potiſſimum in Cap. VII. & VIII. hujus *Exercitationis* graphicè deſcriptas. Hoc duntaxat hic loci adjiciendum duco, quod prout ſingula hæcce ſymptomata ob venenum jam ad gradum altiorem evectum & debilitatẽ ſpirituum in hoc morbi Stadio inde auctam magis quàm in præcedentibus ſæviant; ita remediorum quorumcunq; doſes augendæ, vel frequentius repetendæ ſunt, ut (modo fieri poſſit) ſymptomata quam citiſſimè corrigantur; In tanto enim diſcrimine omnis mora noxia eſt, ne res cunctando unquam reſtituitur. Ingenuè fateor nonnullos hiſce mali moris variolis correptos exactiſſimè ad noſtræ methodi normam tractatos in hoc morbi Stadio periiſſe, potiſſimum ubi Venenum exitiale & peſtiferum à primo ortu Spiritus plane ſideraverat, [eſt enim ob quivis minimus Morbus immedicabilis penitus reddatur.] Hoc tantùm contendo, plurimos Variolis tam confluentibus quam Cohærentibus atque Diſcretis mali moris, affectos & pro deploratis habitos; ubi nimirùm Exanthemata vix parùm vel non omnino maturabantur, ſed illico ab eruptione exaruerunt; ubi Febris uno tenore à primo inſultu perſeveravit, & cum Deliriis, Vigiliis, cæteriſque omnibus diriſſimis ſymptomatis in ſingulis Stadiis ſociata fuerit, vel ſaltem in hoc ultimo Stadio repullulaverit; & dira hæc Symptomata demùm revocaverit; ubi petechiæ, Maculæ purpureæ & nigræ, vel Veſiculæ miliares in exanthematum interſtitiis efflorescentes indolem morbi deleteriam & exitialem prodederint; & denique ubi Micturitio frequens, Inſultus Epileptici, Stupor Comatoſus & cætera omnia funeſta ſymptomata [exceptis duntaxat *hæmorrhagiis* univerſalibus, quas quidem ſemper mortis inſtantis prænuncias duco præſagium peſſimum dederint plurimos (inquam) hujuſmodi Ærotantes hac noſtra methodo rationi rectæ congruenti reſtitutos fuiſſe & ab Orci faucibus ereptos. Cui rei fidem faciunt Hiſtoriæ aliquot è pluribus ſelectæ, quas in Capite proximo ſincerè narraturus ſum, ubi priùs de modo Purgandi poſt hunc Herculeum Morbum exantlatum; atque Morboſis affectibus eum ſæpe excipientibus præcavendis Obſervationes noſtras ſubjecerimus.

a Sordes craſſiores, ubi primùm quis ex diſcrimine ſingulorum Morbi Stadiorum evaſerit, *Cathartici*s miniſtratis & poſt intervalla debita ſolenniter repetitis, per alvum deturbare apprimè pareſt, non tantùm in primis Viis ob conſtipatam alvum per totum Morbi decurſum ſtabulantes, quæ Purgantibus Lubricantibus, & Lenitivis ſubducendæ ſunt; ſed eam ſaburram, quæ in habitu Corporis altius deliteſcit, & grandem aliquem Morboſum affectum proculdubio producturа eſt, ſi non tempeſtive Purgantibus fortioribus foras educatur, quæcunque fuerit Morbi præcedentis indoles, ſive Maligna; ſive Benigna. In Pharmacorum *Leniorem* cenſu habeo *Diaprun. Solutiv. Electuar. Lenitiv. Mann. Senn. Rhab Pil. Stomach. cum Gum. è Succin. Tartar. Quercetan. Aleophangin. Aqu. Mineral. Purgant. Decoct. Sennæ Gereon. Syrup. Roſ. Solutiv. de cichor. cum Rheo e Flor. Perſic.* Fortiora Cathartica ſunt *Extract. Rad. Reſin. Julap. Diagryd. ſulphurat. cum Calomel. Syrup. de Spin. cerv. confect. Hamech.* &c.

Cum verò Feces in Inteſtinis craſſioribus congeſtæ, alvo diu, ſcilicet nonunquam ad duas hebdomadas conſtipata, adeò incraſſatæ & induratæ ſint, ut Inteſtina grandi mole diſtenta eas nequeant ampliùs egerere; Catharſin auſpicari par eſt *b Enematis Cathartici*s, *Oleoſis* & Lubricantes, quę parva quantitate inecta & fæcibus commixta eas ſenſim emolliant & fiſtulam inteſtinalem lubricando earum deſcenſum promoveat, uti & prunis & Pomis coctis ſæpius miniſtratis, Juſculo Vitulino, & nutrimento quovis lubricante aliquandiu exhibito fecum in

Collo

a *Methodus purgandi poſt variolas* b *Enemata.*

Colo mora induratum emollitionem & deturbationem ſenſim moliri, ne (*a*) ex impetu Pharmaci Cathartici, temere dum Inteſtina ſordibus obturantur propinati, *Colica torminoſa* cum dolore quaſi parturientium, ac ærumnoſa egeſtio (ut ſæpius accidit) inducatur. *Enema* Mihi in hoc caſu familiare deſcribere non pigebit, ℞. *Decoct. Carminativ.* ℥iv. vj. viij. pro ratione ætatis *Ol. Lini* ℥j ij. iij. *Sacch. rub. Mell. Mercur. an.* ℥j. ℥ij. *Spec. Hier. Picr.* ʒv. ʒj. ʒiß. M. F *Enema*, Ubi moles ſecum in Inteſtino recto congeſtarum & induratarum Enematis tranſitum præcludat, ſatius eſt ut *Glans* ex æqualibus partibus *Mellis* & *Aluminis* in debitam formam coctorum, & *Spec. Hier. Picr.* ℈j. ʒß vel ʒj. confectus intrudatur, quo colliquato fæces in Inteſtino recto emollitæ facilius educuntur. Ubi autem à prægrandi fæcum in Recto & Colo congeſtarum & induratarum mole Inteſtina ea adeo labefactantur & tono nativo privantur ut nequeant ampliùs egerendi officio rite fungi; *Fotus* ſequentis parva quantitate in dies injecta eorum tonus reſtituatur, donec fæces globulorum ad inſtar, compactæ ſenſim, licet non ſine niſu quaſi parturientium penitùs deturbatæ fuerint. ℞. *Abrotan. Centaur. min. Summit. Abſint. Flor. Chamæm.* an. *m. j. Bacc. Laur.* ℥ij. *Coq. in Aq. F. q. ſ. ad* ℔iß. *Colaturæ add. Sp. Vin. Olei Lin.* an. ℔ß. M. F. *Enema* ex ℥iij. vel *iv decoct. præſc.* Siphone injiciendum, & quotidie repetendum donec omnes globuli rejecti fuerint. Novi autem mulierem (cui alvus per octodecim dies conſtipata fuerat) quam, niſu egerendi penè confectam, nec Clyſteris, Glandulis vel Fotus ope à fæcibus induratis liberare potui, donec Sphincter ani ſpeculo ſenſim dilataretur, & Stercora forcipibus confracta vi extracta fuerint.

Globulis Stercoraceis hoc pacto (ubi opus fuerit) ex Inteſtino Recto eductis fæces in ſuperiori Fiſtulæ inteſtinalis parte congeſtas etiamnum Lenitivo aliquo pharmaco deturbare par eſt. Ex. gr. Deglutiat Patiens hora ſomni ʒß. vel ʒvj. *Electuar. Lenitiv. Diapr. Solutiv.* vel *Caſſiæ Saccharo* aſperſæ in formam Boli concinnat. vel *Pil. Stomach. cum Gum. Aloephangin. Tartar. Quercetan. è Succin. Ruff. Maſtich.* vel cujuſcunque alterius ejuſmodi ʒß. in *Pil. iv.* redact. repetatque, poſt unius vel alterius diei intervallum; Matutinis ſequentibus propinentur ℔ii. iij. vel *iv. Aqu. Mineral. Purgant.* coct. & Lactæ alterat. Dein bis vel ter poſt intervalla trium quatuor ve dierum ſordes Humorum in habitu corporis altiùs ſatitantes fortiori Cathartico educere par eſt, ex. gr. ℞. *Decoct. Sennæ Gereon.* ℥iiß. *Syrup. de Spin. Cervin.* ʒx. M. F. *Potio* alto mane propinanda cum Reg. vel ℞. *Extract. Rud.* ʒß. F. *Pil. iv* deaurand. & maximè exhibend. cum Reg. vel ℞. *Pil. Fetid. Cocb. min.* an. ℈j. *Reſin Julap.* gr. *viii. Elix. Propr. q. ſ.* M. F. *Pil. vj.* deaurand. eodem modo exhibendi vel ℞. *Confect. Hamech* ʒiij. *Julap. Reſinoſ.* gr. *xii. Elater.* gr. *i.* vel *ii. Sirup. de Rhamn. Cathar.* q. ſ. M. F. *Bolus* Infantum alvus ſubducatur primùm *Syrup. Cichor. cum Rheo* ℥iß. vel *è Flor. Perſic.* ℥i. tantillo *Aq. pæon. Comp.* dilut. *Mannæ* ʒß. ʒvi. vel ℥i. (pro ratione ætatis) Solut. in Hauſtul. Liquoris Poſſetic. atque demum *potione* ſequenti, ℞. *Aq. Cinnam. Hord.* ℥i *Syrup. è Rhamn. Cathart.* ʒii. ʒiii. vel ʒß. pro ratione ætatis & purgationis *euphoreia*. Vel ℞. *Calomel. Diagryd. Sulphurat. an. gr. iv. vi. viii.* M. & exhibe horis matutinis jejuno ſtomacho in Cochl. *Lact. frigid.* cum Reg. & repet. bis vel ter, poſt intervallum quinque vel ſex dierum.

In *Catharticis* autem exhibendis eandem ubique calcare viam haud æquum eſt, cum pro ratione præcedentis Morbi plus minuſve deleterii, Symptomatum præſentium, morboſorum Affectuum ſubortorum planè alia atque alia purgandi ratio indicetur, Eſt enim, *b* ubi morbo ipſo finito, uſus *Catharticorum* prorſus deleterius reperitur, & *Cariem oſſium*, *Fluxum alvi* pertinacem ſive grandem aliquem alterum morboſum affectū inducit, nempe cum adhibentur Cathartica, priuſquam deliteſcentis Veneni ſe-

a *Vide Hiſtor.* 14. b *Vide hiſtor.* 59. 62.

prorsus aboleantur; est etiam ubi ob partem aliquam ex Accidenti inflammatam, vel diathesin sanguinis ex Veneno acri & irritante inflammatoriam Morbosi Affectus Catharticis valdè promoveantur, si exhibeantur antequam *Febrifugis* & *Alexipharmacis* id veneni quod supereſt penitùs tollatur, vel saltem *Inflammatio* venæ sectione repetita extinguatur; Est denique ubi Morbosi affectus ex veneno imperfectè eliminato suborti *Hydragogorum* & fortiorum Catharticorum usum sæpiùs repetendum indicant. Post Variolas autem Benignas ubi Venenum perfecta Crisi subactum fuerat, satis est Lenioribus, iisque non adeò frequenter repetitis, alvum subducere: quo enim Variolæ præcedentes indolem magis pravam induerant, atque venenum febrile intensius fuerat; atque maturationis minùs mansuefactum: eò generaliter loquendo; Catharsin fortiorem & frequentiorem (modò non præpoperè celebretur) instituere par est. *Canones*, potissimum quatuor, de usu Catharticorum hic loci subjicere lubet. Primò, *Cathartícum*, saltem violentius nullatenus exhibendum est, priusquam *Appetitu* & *Temperie* integrè restitutis constet Venenum foras penitus expulsum esse, ne Spiritibus labefactatis Venenum intus cohibitum Offium Cariem, Hypercatharsin, sive grandem aliquem morbosum affectū inducat, quæ incommoda non rarò inde eveniſſe memini. Secundò, ubi ex *Ophthalmia*, *Peripneumonico* vel quocunque altero id genus affectu Phlogosis in sanguine & Spiritibus, exeunte Morbo, accensa deprehenditur, massam humorum catharticis ampliùs conturbare & agitare haud æquum est, donec *Venæ-sectione* celebrata, & si opus fuerit repetita flamma ex parte saltem extincta fuerit. Quid; quod humores motu intestino agitati incalescunt, & acescunt, atque inde copiosiùs per glandulas secreti non possunt non in ægrotantis damnum mirum in modum Inflammationem promovere & augere. Tertiò, Ubi ex appetitu diminuto calore Hectico nocturnis Sudoribus, Scabie saniosa, Furunculis, Impetigine furfuracea in Cute adhærente & in dies renascēte sive quocunque alio modo constat quidquam Veneni intus cohiberi, satius est ante quamcunque Catharsin *Alexipharmacis* & *Cortice Peruviano* virus penitùs amoliri. Denique Quarto quanquam sordes humorum post Morbum benignum per alvum deturbare par sit; magis autem necessaria est Purgatio post mali moris variolas, quæ miasmate suo humores inficientes grandi alicui Morboso affectui suppullulaturo ansam præbere solent.

Cùm autem ad hosce Morbosos affectus tanquam ad Cynosuram in Catharsi instituenda & reliquo regimine post morbum peractam ordinando potissimùm respicere oporteat, filo Sermonis eo jam ducti, observationes nostras huc spectantes consulto proferemus, quo ratio totius instituti omnibus innotescat, ac inde Æger minimas, si modo ullas inscitiæ vel temeritatis Medici morbosis affectibus à Catharticis intempestivè adhibitis aliàs producendis pœnas luat.

(*a*) In *Morbosorum horum affectum* agmine jure merito *Inappetentia* primum locum vendicat, quam quidem cum Calore quasi hectico continuato, vel periodicè recurrente conjunctam post Variolas mali moris adeo observabilem nonnunquam memini, (*b*) ut Æger ad plurimos dies ab omni cibo, jusculis & potulentis ipsis planè abhorreret. Indicium sane certissimum Veneni minus subacti atque adhuc intus delitescentis, quod [modo *Alexipharmacis*, *Febrifugis* vel aliis Artis suppetiis non deleatur, aut viribus Spirituum expansis per *Parotidas*, *Furunculos*, vel aliam aliquam viam demùm rō propulsetur; multò magis ubi à Venę-sectione, aut Catharticis præpropere & intempestivè adhibitis vires naturæ depressæ fuerint & Venenum exaltatum) Offium Sphacelo, Diarrhœæ enormi vel alteri alicui diriſſimo morboso affectui non potest non ansam præbere, atq; hoc pacto funestum diem accelerare, ut in

Hi-

(a) *Morbosi Affectus post Variolas suboriri soliti.*
(b) *Appetitus prostratus cum Calore hectico conjunctus.*

Historiis mox recensendis ostendemus, quo nomine *anorexia* & Intemperiei calidæ leviſſimum gradum post Variolas permanentem semper suspectum habeo: In Variolis enim Benignis, ubi primum perfecta Crisi Venenum eliminatum fuerit, Temperiem exactissimè mitem illico restitui, & Appetitum, ut in quibuscunque aliis Morbis acutis fidè judicatis (pro tempore, & donec impensæ Naturæ refarcitæ fuerint) voracem vigere omnes in Medicina exercitati probè norunt. Quid? quod veneno penitus subacto non est quo cum Natura amplius luctetur, massa etiam Humorum non lacessita sponte quiescit, temperie pristina potita; unde Ventriculus, fermento è sana massa suppeditato] officiis suis alimenti appetendi & macerandi non potest non strenuè fungi. Intemperies autem calida & *Inappetentia* (ut ut Morbus, Exanthematis jam desquamatis, finiri videatur (semina venenata post Crisin infidam aut saltem imperfectam intùs in Spirituum gremio delitescentia & massam Humorum inde contaminatam palam produnt. Qua de causa purpureum liquorem perperam minuendo, vel Humorum sordes per alvum deturbando, Spirituum jam nimis veneno depressorum vires frangere haud æquum est priusquam *Alexipharmacis* Spiritus erigantur & legitimam Crisin effecerint, vel saltem venenatum fermentum Antidotis *Febrifugis* deleatur, Ideoque quoties Appetitum post Variolas prostratum, aut leviſſimum Hectici Caloris gradum animadverso, Ego multo usu doctus *Alexipharmaca* [quod cæteros Professores serió moneo ubi Calor fuerit continuus, jugiter ministranda duco; *Corticem* autem *Peruvianum* ubi calor statis Periodis recurrit, cum fœlici successu exhibendum impero, quousque Appetitu & Temperie integra restitutis [quod brevi fieri solet) semina Venenata prorsus abolita vel subacta esse deprehenderim. Posteà tuto in alvo subducenda modo ante descripto progredior; interea autem à quacunque evacuatione, quæ spiritus pessundare possit; abstinère Mihi religio est: si quis secùs fecerit, illum fortè, ut me nonnunquam, Gangræna vel diro & funesto aliquo alio affectu inde suborto, temeritatis suæ pœnitebit.

[a] Ubi Spiritus ob Crisin in præcedenti Morbo minùs fidam ac perfectam veneno adhuc implicati, massam Humorum agitando, & glandularum fermenta depravando, intemperiem calidam & *anorexian* jam memoratam induxerit, Natura sæpe sponte sua sarcinam deponit, atque integram ejus explosionem qua porta datur pro virili satagit, nonnunquam (uti in *Febre Scarlatina*, *Morbillis* mali moris, alliisque pestilentialibus Morbis fieri solet] in *Parotides*, quas infercit, atque molem immensam auget; qui (b) quidem Tumores jam tanquam *Strumæ* diu crudæ, sine calore quocunque notabilis vel dolore, jam verò pro ratione Veneni protrusi & fervidæ sanguinis Diatheseos ad inflammandum & exulcerandum admodum aptè deprehenduntur, ut verò hæc se habeant, nequaquam vel in his vel in illis priusquam Appetitu & Temperie restitutis constat Venenum penitus è Spirituum sinu propulsatum esse, impunè licet *Emplastris* vel *Linimentis* repercutientibus Naturæ conatui obviam ire, multo minùs Venæ-sectione vel Purgatione ejus vires obtundere, & operationem interturbare; verum potius *Fotibus*, *Emplastris* & *Cataplasmatis* maturantibus exterius applicatis, atque Vino generoso & Remediis *Alexipharmacis* quotcunque Spirituum energiam erigere & refocillare par est. Illum qui secùs fecerit, & venenum intus delitescens exaltando Patientem in [c] Deliquia, Fluxus alvi enormes & præsentissimum vitæ discrimen adegerit, consiliis forte pœnitebit. Tumores autem isti *Parotides* dicti, ubi primum Temperies & Appetitus veneno eliminato restituti fuerint, vel sensim sponte evanescunt, vel saltem *Cathartici* repetitis, *Milleped. Emplastr. Diachalcit.* frig. *Diachyl cum Gum.* &c. tutò admodùm

[a) *Vide hist.* 28. 29. 59. 60. 61. 63. (b) *Vide hist.* 29 [c] *Vide Hist. iam memoratam.*

tolluntur, (a) ut in Historia mox recensenda liquido patebit.

(b) Est autem insuper, ubi Spiritus Veneno post *Variolas* adhuc obsessi, id quod supereſt per Glandulas cutaneas protrudere moliuntur, & *Sudores* (c) nocturnos profusos excitant; qui, modo res Ægrotantis non sint deploratæ, non possunt non singulis noctibus recurrere, donec delitescens Venenum viribus Naturæ subactum penitus eliminatum fuerit: Ægrotante interea *Inappetentia* & Languore penè confecto, non ob *Sudores*, quos lege Naturæ atque in ejus levamen destinatos Venę sectione & Purgatione perperam adhibitis, vel frigido quovis Regimine jam cohibere haud impunè licet; verùm ob Miasma venenatum Spiritus adhuc obsidens & labefactans, in quo amoliendo à partibus Naturæ stare, atque ejus conatum *Alexipharmacis* & *Febrifugis* promovere par est: nullatenus autem quavis alia evacuatione ejus vires frangere, vel nisum interturbare, donec Appetitu & Temperie integrè restitutis constet Spiritus seminio Morboso non ampliùs irretitos esse.

[c] Quod de *parotidibus* & nocturnis *Sudoribus* jam dictum est, pari ratione accommodari potest ad *Furunculos* illos, qui post Variolas desquammatas in pedum & manuum digitis, atque sæpenumero hic illic in tota Cute diu recens succrescunt; itidemque ad *Scabiem sanioſam* quam in Facie & cæteris partibus nonnunquam diu adhærentem & pure scatentem observare est; ad *Virulenta* & mali moris *Ulcera* ubique, potissimum in *Lumbis* suborta, & ad *Impetiginem furfuraceam* seu tenuem illam Scabiem in Facie cęterisque partibus post variolas in dies renascentem; variis enim hisce viis, nunc hac, nunc illa, pro ratione vigoris Spirituum & diversæ Veneni indolis Natura obsessa & irretita sarcinam deponere & amandare molitur sine lucta notabili; unde Intemperies calida & *anorexia*, quousque totum virus expulsum fuerit, perstat, quibus symptomatis durantibus *purgatione* & *Venæ sectione* (e) perperam celebratis Naturam dum officio suo fungitur interturbare ejusque vires frangere haud fas est; si vero Spiritus *Alexipharmacis* erigantur, vel Venenum *Antidotis febrifugis* deleatur, expeditiùs quàm quovis alio modo Appetitus, & Temperies æquabilis restituitur; quo facto venam tundere, Alvum subducere, vel quamcunque aliam evacuationem indicatam tuto & cum fructu celebrare licet.

(f) Ubi vero Natura post *Variolas* desquamatas languida & congressui impar, aut evacuationibus intempestivis elumbis facta, hostem adhuc delitescentem adoriri, & propulsare nequeat; virus vero, Ægrotante interea diu *anorexia*, & Intemperie hectica confecto, eo exaltatum fuerit, ut demùm Ossibus aut Carni musculosæ in quavis parte *Sphacelum* intentet, de vita Patientis planè conclamatum est. Quid? quod non ex quovis Accidente, verùm ex flamma vitæ Venenę penè extincta, & massa Humorum inde in statum gangrænosum redacta ac si à perenni fonte *Sphacelus* jam ortum suum ducat, (g) plures Artus vel Ossa simul derepente prehendens, aut saltem ab una parte in alteram sensim serpens, cui sistendo nullus Remediorum apparatus par est. Ægrotans autem variis jam Artis subsidis, puippe jam sero minia, atque inde in cassum allatis, inter frequentes & nigras *Exostoses*, & exedentes & fœtidas *Gangrænas* animam brevi efflat.

[b] Inter cætera infortunia, quæ hunc Morbum à tergo insequuntur, haud flocci jure merito habentur, præsertim à fœminis quæ elegantem vultus nitorem fermè vitæ ipsi anteponunt, *Cicatrices* & *Foveæ* illæ quibus sæpenumero Facies quasi sulcatur, & turpissimè deformatur, præsertim cùm iis medelam adhibere inter difficillima sit.

Quo

(a) *Vide Hist. jam memoratam.*

(b) *Sudores nocturni.* [c] *Vide Hist.* 21. [d] *Furunculis Scabies sanioſa, ulcera mali moris, impetigo furfuraceas.* e *Vid. hist* 27.28.62 63.21. &c. f *Caries Ossium & Gangræna Carnis Musculosæ.* g *Vide hist.* 9.60.61.62. h *Cicatrices & Foveæ.*

Quo nomine Medici est, ubi primùm vitæ Patientis satis prospexerit, quantum poterit, turpis hujus & immedicabilis affectus causam, subsidiis in methodo curationis opportunè adhibitis, tollere: causa autem continens hujus affectus proculdubio est mora solita diuturnior acris & venenati puris inter cuticulam Scabie incrassatam & cutem veram subjectam cohibiti, unde autem ipsam renasci nesciam non potest non plus minus atterere & corrodere. Scabies autem incrustata inde pure sanioso tamdiu scatet, quia Cutis subjecta Lympha venenata in dies protrusa quam calor partis non potest in puriformem substantiam itidem concoquere, quotidie attrita recens inflamatur. Quid? quod Pus (modo non à novo materiæ appulsu fluidum servetur) quantocyus in Variolis Benignis & Discretis à calore partis affectæ insito sponte concrescere videmus. Insuper hæc Inflammatio in Cute non potest non plus minus vigere quamdiu quicquam Veneni intus delitescit, quod Natura ad hasce partes emandare & propellere contendit; unde fit quod Scabies ut ut sponte, vel vi *Linimentorum* illorum coacta decidat; quotidie pro ratione Inflammationis perflantis plus minùs vegetæ, vel crassa, tenuis & furfuracea in dies renascitur, donec tandem Cutis hoc pacto ubiq; fere corrosa, inflammatione cessante, Faciem foveis & cicatricib. fœdo sanè spectaculo deformatam exhibet.

Atque hac de causa post Variolas *Discretas & Benignas*, vel quidem *Mediàs* ad hasce prope accedentes, ubi Venenum Crisi fida & perfecta uno impetu adeo protrusum erat, ut nullæ ejus reliquiæ ad Febrem recidivam ciendam delitescant, raro aut nunquam turpis hic affectus animadvertitur, Pus etiam in Exanthematis conclusum nulla nova venenatæ lymphæ scaturigine suppeditata sponte miteſcit, & in tuberculà arida citissimè concrescit. Cutis vero acribus & virulentis particulis non amplius lacessita atque inde inflammationis expers, nec scabie renascenti nec furfuracea Porrigine fœdatur.

Similiter in Variolis primario *Malignis & Confluentibus*, vel quidem in *Mediis & Cohærentibus* proximè ad malignas accedentibus, ubi Scabies à primo ortu sine quacunque maturatione præcedenti exarescens decidit, quia natura juxta primam suam intentionem Venenum per poros Cutis eliminare nequit, Patiens, si modo ex vitæ discrimine evaserit, hunc turpem affectum subsecuturam minimè metuat oportet, aut Linimentis vel alio quovis apparatu præcavere studeat: Veneno intus cohibito, Cutis nitorem suum illæsum servat, ut ut vita in discrimen adducatur. In Variolis vero istis *Mediis & Cohærentibus* quæ sero admodum, nec sine Salivatione matureſcunt, Facies nitore suo eleganti potissimum spoliatur, nimirum cum Spiritus languore affecti Venenum uno impetu expellere nequeunt, sed juxta primam & secundam Naturæ intentionem simul, sed tarde, amoliri satagunt; unde Cutis acribus & virulentis particulis protrusis attrita & corrosa, atque inde diu inflammata, vel Scabie perpetuo purulenta & sanioſa tarde se exuit, vel Scabie renascenti, aut saltem pro ratione inflammationis levioris Porrigine furfuracea recenti in dies obducitur; Ægrotante interea ob Veneni reliquias non penitus eliminatas, & adhuc Spiritibus implicatas Appetitu prostrato, Intemperie hectica, Sudoribus nocturnis, cæterisque id genus symptomatis post Variolarum discessum malè multato. Causa turpis hujus affectus investigata veram ac certam eius Prophylaxin instituere non difficile est. Indicatur enim tantùm Veneni superstitis quam citissima Abolitio; aboletur autem venenum vel diligenti & sæpe repetito *Alexipharmacorum* usu, quæ Spiritus erigendo Naturam in Crisi compendiosiùs absolvenda adjuvant; vel *Cortice peruviano* sine quacunque altera Antidoto. Veneno enim penitus subacto, certamen febrile sponte cessat, Ap-

(a) *Vide Hist.* 21. 63. &c.

petitus & Temperies derepente in ſtatum integrum reſtituuntur, Inflammatio in cute non amplius viget, atque inde Scabies ſanioſa & purulenta, & impetigo furfuracea quantocius exareſcit & deſquamatur, nullatenus in poſterum in formæ perniciem reditura. Quocirca Ego ratione & multo uſu fretus, poſt Variolas haſce tarde maturatas ante Purgationem [a] *Corticem* Polychreſtum, vel nonnunquam ipſa *Alexipharmaca* exhibere ſoleo, præſertim ubi ob Appetitum diminutum, intemperiem vel leviuſcule calidam, Sudores nocturnns, Scabiem diu purulentam & renaſcentem, vel Porriginem adhærentem a particulis Veneni deliteſcentis ſenſim ad Cutim amandatis, deformitatem veluti intentatam deprehendam; quo pacto plus in nitore faciei conſervando profeci, quàm *Linimentis* quibuſcunque *Unguentis* vel *Tegumentis* impoſitis, vel quidem præmatura puris ex Exanthematis Acidula perforatis extractione. *Linimentum* fateor ex *Ol. Amygd. dulc.* ℥j. & *Sperm. Cet.* ℥j. confect. arque alia ejuſmodi illita utilia ſunt ad ſcabiem emolliendam & detergendam: Quid autem inde lucri accedii dum Cutis particulis veneni non-ſubacti perpetuo protruſis attrita & corroſa in dies recens inflammetur, atque inde Scabie nova vel ſaltem Porrigine quotidie deturpetur? *Tegumenta* faciei perperam impoſita effluvia virulenta cohibendo, & cutis inflammationem adaugendo, plurimùm officiunt; Exanthemata autem Acu perforata Lymphę venenatæ jugi fluxioni non insigni faciei injuria anſam dant.

(a) Haud raro inſuper, præſertim in *Variolis Cobærentibus* ubi Natura tardè & imperfectè juxta primam intentionem Venenum per Exanthemata protrudit, Salivatione vero ſuborta juxta ſecundam intentionem hoſtem expellere molitur vicinæ *Oculorum* glandulæ (facie ubique mirum in modum intumeſcente) particulis virulentis laceſſitæ, atque inde inflammatæ Ichorem purulentum copioſè effundant, unde tonus earum nonnquam a deo labefactatur, ut vix aut ne vix in ſanum ſtatum poſteà reduci poſſint; atque *Tunica adnata* & *Palpebris* perpetua lymphę acris ſcaturigine irritatis, inflammatis & debilitatis, diu poſt Morbi finem Patiens ægre lumen aſpicere potis ſit: fundamento hoc modo jacto (b) *Obbthalmię* contumaciſſimę inſecuturæ. Potiſſimùm autem hoc fit ubi ob lympham præter modum glutinoſam atque inde Glandulas facilè obſtruentę *ſtrumoſa* diatheſis præceſſerat, vel Criſis Variolarum, particulis venenati fermenti non penitus protruſis, tardior & imperfectior fuerat; vel denique ubi Tunica adnata & Palpebræ Exanthematis obſeſſæ, inflammatæ & ultra tonum naturalem diſtentæ plurimũ intumuerant, atque Palpebræ adhuc Tumore & inflammatione affectæ vi Externa perperam diductę fuerant: unde tenerę illę partes lumine externo perpetuo irritatæ non poſſunt non laticis acris & ſeroſi copiam continuò excernere, & viam ad *Opbthalmiam* contumacem ſternere. Satius eſt igitur ut Oculi clauſi maneant, donec, exanthematis ubique exareſcentibus. Inflammatio & Tumor palpebrarum ſenſim ſponte diſcendant, atque tunc quidem potius *Lacte tepefacto*, vel leni aliquo liquore humor tenax, quo agglutinantur, abſtergatur, ut ſponte ſeſe diducant quam ut vi externa aperiantur. Interea tamen ad acrimoniam Puris demulcendam & Inflammationem minuendam palpebræ ſæpe quotidie *collirio* ſequenti leniente vel quovis alio ejuſmodi, plumæ illito diu foveantur. ℞. *Aqu. plantag.* vel *roſ. rub.* ℥i. *Troch. alb. Raſ. Sacchar. Cryſtal. alb. ſubtiliſ pulveriſat. an.* ℈ß. M. F. *Collirium*. Sin his non obſtantibus Inflammatio in Palpebris & Tunica adnata vigeat apprime par eſt ut ante Catharſin inſtitutam Veneni deliteſcentis reliquiæ (ſi quę ſint quæ ſanguinem agitando huic affectui anſam præbent) *cortice peruviano* ſubigantur & deleantur, atq; deinde ſanguinis præſertim e *Vena Jugulari* copioſe detrahatur, atq; demum *Calomel. Agaric. Troch. jalap.* ejuſq; *Reſina*, *Aquis Mineral. purgant.* cæteriſque id genus Ca-

a *Opthalmia* b *Vide hiſt* 32 27 63 &c.

Catharticis pro more repetitis quę glutinosam Lympham abstergendi & glandulosum genus repurgandi vi Specifica pollent, Alvus copiosiùs subducatur; quorum catharticorum Formulam unam vel alteram hic loci subjicere lubet. ℞ *Calomel. agar. Troch. Julap. Resinos.* an. ℈i. *Zinzib. Sem. fœnic. dulc.* an. *gr. v. Syr. de Spin. Cervin. q. s.* M. F. *Bolus* mollis, mane cum Reg. deglutiendus. Vel ℞. *Pil. macr. Ruff.* an. *gr. xv.* M. F. Pil *iv.* inaurand. quibus nocte præcedenti exhibitis, manè sequent. propinetur ℔*iii. iv. v. Aqu. Mineral. purgant.* crud vel. coct. & *Lacte* alterat. Infantibus & Junioribus sufficiunt *gr. iv. vi. viii. x.* pro ratione ætatis. *Calomel.* & *Resin. Iulap.* vel *Scamm. Sulphurat.* è Cochleari Lactis vel liquor. Possetic. frigid. deglutit. Hisce autem adhibitis si opatus effectus non subsequatur, proculdubio Affectus *Ophthalm. scrophulosæ* nomen meretur: quocirca ad copiosum usum *millepedum Decoct. sars. Aqu. Liberant. Scrophular. Filipendul* cæterorumque posthac in *Cap. de Ophtpalm.* & *Strumoso Affectu* recesendorum confugere, atque in eorum usu diligenter & diu perstare oportet; methodum autem eorum exhibendorum jam delineare haud vacat.

a In Hyemalibus præsertim Variolis, ubi Morbus à frigore in poros invadente ansam primam arripuit, sæpissimè à Lympha sanguinis Venenato fermento colliquati, & in *Trachæam* ejusque ramulos copiosè depluentis, *Tussis* enormis & fere perpetua excitatur, qualem *morbilli* habent conjunctam; quam sæpissimè diu à morbo exacto perstare observamus, quamdiu scil. quidquam Veneni post Crisin imperfectam superstitis intus delitescat, motui intestino in sanguine ciendo par: unde, Pulmonibus Levi *Peripneumonia* affectis, Æger Vigiliis, Intemperie hectica, & *anorexia* diu attritus, demùm [modo subsidiis artis non tempestivè prospiciatur) Phthisi Pulmonari peracuta è vivis tollitur, quod in *phthisiolog. nostr. Lib. 3. Cap. 12.* olim observavimus. Quo in casu catharsis instituta, priusquam Venenum superstes quod Cruorem fundit & agitat, Antidoto aboleatur, atque Inflammatio in pulmonibus Venæ-sectione cohibeantur vires minuendo, venenum adaugendo, sanguinem agitando, Curationi plurimùm officit, & Tussim, Anhelitum, Calorem febrilem & cætera symptomata conjuncta promovet. Quocirca jam æquum est sanguinis missione, eaque si opus fuerit repetita, Spirituum orgasmum, & sanguinis effervescentiam cohibere, atque *Opiatis* & medicamentis *pulmonaribus* sedulò ministratis Lymphæ in pulmones influxum sistere, atque colluviem in iis congestam maturando Tussem effrænem moderari, causam ejus Procatarcticam Veneni nimirum superstitis vires *cortice peruviano* frangere & abolere, priusquam Catharticis cruorem exagitare aggrediamur; ne forte temeraria & intempestiva purgatione, morbosum affectum, quem coercere in animo est, revera evehere videamur Ex. gr. Detrahatur sanguis è Vena cubiti ad ℥iß. *vi. viii. x.* pro ratione ętatis; & Venæ-sectio post juxta intervalla bis vel ter (si opus fuerit) repetatur ℞. *Cortic. peruv. subtilis. trit.* ℥ß. ℥i ℥iß pro ratione ætatis, *Ol. Amigd. d. recent. Syrup. Capil. Ven.* an. ℥ii. *iv. vi. Sacchar. Cant. alb.* tantillum misceatur exactiss. fiat *Linctus*, de quo sumat Æger Cochl. unum, vel alterum quarta vel sexta quaque hora superbibendo haustum apozem. sequent. calid. ℞. *Decoct. Pectoral. Depurat* ℔iß. *Tinctur. Croc. Syrup. Balsame Rub. Idæ* an. ℥i. M. F. *Apozema*. Dosi autem Apozematis nocturnæ semper *gut. iv. viii. x. xii. xiv. xvi Laudan. liquid.* addere oportet, ut Fluxio serosi laticis in Pulmones irruentis cohibeatur; & materia congesta in tussis allevationem facilius concoquatur & egeratur. Quo facto Catharticorum usum auspicatò aggrediamur; incipiendum autem est à lenioribus & mitioribus: In hac re verò consulat Lector. *Phthisiolog.* nostr. præsertim Lib. 3. Cap. 12.

b Vigor autem Spirituum post imperfectam præcedentis Morbi crisin. Veneno ad-

a *Tussis peripneumonia via ad phthisin pulmonarē sternens, atrox.* b *Affectus strumosus.*

no adhuc ex parte implicatorum diminutus, nullibi magis quam in glanduloso genere sese prodit; unde Lympha in colatoriis hisce jam flaccidis & naturali robore orbatis secreta non, ut fieri debet & solet, expedite excernitur, atq; ex hacce mora acrimoniam & lentorem acquirens glandulas præter modum infercit, earumque tonum pro ratione humoris congesti, cum vel sine Inflammatione evidenti distendens, *Strumosos* tumores hic illic efficit, quos inde *Variolis*, *Morbillis*, & *Febri Scarlatinæ* Morbis congeneribus plus quàm cæteris quibuscunque Morbis supervenire solere omnes in Medicina exercitati probè norunt. Quare in cassum jam Catharsis, vel methodus *Scrophulas* sanandi instituitur, priusquam Veneni reliquiæ colatoria debilitant *cortic. peruv.* subigantur, & causa Affectus Procatarctica tollatur, atque Inflammatio Glandularum [modo ea conjuncta fuerit] venæsectione celebrata extinguatur. Hisce autem factis methodo Strumosum affectum curandi rite instituta (quam hic loci describere forte nimium videretur) facilius scopum suum Medicus assequetur.

Insuper *a Hebetudine* cum *Delirio Melancholico* conjuncta nonnunquam Variolas exceptas memini, sive id factum fuerit à reliquiis Veneni Spiritus deprimentis eosque in motus inordinatos adigentis, sive à multo *Opiatorum* usu, quem efferatus Spirituum tumultus in præcedente Morbo ritè postulaverit, diu continuato, eos demum nimiùm figente. Quomodocunque verò hæc se habeant, facilè admodum post *cortic. peruv.* ad reliquias Venenati fermenti delendas (si quid intus deliteſcat) exhibitum, morbosum hunc affectum sublatum animadverti. *b* Sanguis autem torpidus deinde *Venæsectione* parca ventilandus est, Spiritus *Vesicatoriis* frequenter applicatis stimulandi, eorumque vires depressæ Remediis *Chalibeatis* erigendæ sunt, atque saburra Humorum effœtorum per alvum subducenda Pharmacis lenioribus post justa intervalla repetitis, quæ per ἐπίτασιν sine tumultu vel virium jactura scopum assequi possunt.

Deniq; ubi Natura venenatam Lympham Crisi quasi secundaria in partes corporis extremas adeò copiose amandaverit, *c* ut eæ seroso latice inibi congesto infarctæ & in molem immensam auctæ supra modum intumescant, hæ partes, præsertim Manus & Pedes, diu post Morbum exactum à Limpha extravasata stagnante & concrescente œdematoso tumore Hidropicorum ad instar distentæ, frigidæ, nigricantes atque ad motum inhabiles animadvertuntur, verùm absq; Siti vel Febre conjuncta. Affectus sanè molestus, qui neque periculo vacat, ut ut enim ab Accidente præcedenti, non autem à perenni fonte intus scaturiente oriatur *Gangrænis*, & *Ulceribus* mali moris diu scatentibus ansam dat. Quid; quod Spirituum influxus à tono partium affectarum diu nimisque distento non possit non præpediri. Quare *Frictionibus* validis, & *Fotibus Lixivialibus* saltem bis in die adhibitis Limpham coagulatam attenuare, & tonum partium restituere, atque Pharmacis *Hidragogis* fortioribus [demum ad *Resinam Julap.* vel *Elaterium* aut *Guttam Gamb.* ascendendo] serosum laticem copiosè & quam citissimè per alvum deturbare par est. In intervallis etiam [si opus fuerit] *Diureticis* efficacissimis Renum cataractas reserare, atq; *Chalibeatis* fibrarum tonum roborare, uti in Hidropis curatione. Atq; hæc dicta sunto de ultimo hujus Morbi Proteiformis Stadio.

CAPUT XI.

In quo varia Exempla multiformis hujus Morbi sincere proferuntur, diversa Variolarum indoles, Simptomata conjuncta & Morbosi affectus subsequentes illustrantur, atque Methodus Medendi superiùs tradita confirmatur.

UT constet Ideam Variolarum à nobis traditam non esse fictam & commen-

a Delirium melancholicum, vide hist. 58. *b vide hist. jam memoratam.*
c Tumor partium extremarum Oedematosus.

mentitiam, ſed ex rei natura petitam, utque noſtra Medendi Methodus ad Accidentium varietatem in hoc Morbo accommodata clarius intelligatur, lubet jam Hiſtorias hujus Morbi aliquot è plurimis ſelectas Coronidis loco ſubnectere. Non tamen illorum ſolummodò Ægrotantium hiſtorias proferam qui ex Morbo feliciter evaſerunt, verùm illas potiſſimùm quæ Indolem Morbi variam, vehementiora ejus Symptomata, atque effectus diros ab eo productos maximè illuſtrant, ut penes Medicum ſit in Diagnoſi formanda, Prognoſi proferenda, Indicationibus curativis eliciendis, & Methodo Medendi adhibenda, ad Artis normam ſeſe dirigere; atque Eas Hiſtorias quæ Medendi variam complectuntur fuſiori calamo more plenioris Commentarii deſcribere viſum eſt; Illas verò quæ ſingulare aliquod Symptoma vel Morboſum affectum à Variolis productum explicant, compendioſiùs recenſere.

HISTORIA I.

Filius Dom. [a] *Hunt*, habitantis in vico dicto *Snoreill*, 11. annos natus, tempore hyemali anno 1686. Laſſitudine, Nauſea, Vomitione, Cephalalgia ingenti, &c. correptus per biduum intensè febricitabat, tertio autem die Exanthemata Specie tenus Varioloſa in facie, & ubique in univerſa Cute diſperſa hic illic erumpebant, quæ neſcio qua de cauſa (namque puer tunc temporis ab Avunculo ſuo Pharmacopola tractabatur) paulatim poſt unum vel alterum diem nullam maturationem aſſecuta planè evanuere; A quo tempore, Veneno intus cohibito, infirma ſemper & ægra valetudine tentabatur, pallore, *anorexia* Capitis dolore & diris Symptomatis in genere nervoſo malè perpetuò multatus, & præterea menſibus Februario & Majo ſequentibus *Inſultus Epilepticos* horrendo paſſus eſt qualibus nunquam antea conflictabatur; a repetitis Spaſmis ad unum latus diu incurvatus, donec demùm Venenum ſub finem anni, certamine recens à Natura inſtaurato, propulſatum penitus fuiſſet, *Variolis Cohærentibus* de novo ſuccreſcentibus, quibus tandem, licet tarde admodùm ad maturitatem noſtra methodo perductis, integrè iterum valebat, & adhuc in vivis eſt robuſtus & athleticus.

HISTORIA II.

Filiola Domini *Yvaren* (b) habitantis in vico dicto *Lugdate-Hill*, annos circiter quinque nata, nuper levi Horrore & Rigore correpta, deinde per unum vel alterum diem, durante nimirum conflictione Spirituum cum Veneno ſupra modum incaleſcebat, ægrotabat, ingeſta vomitione reiiciebat, Cerebri oppreſſione gravata, & jactatione frequenti laceſſita decumbebat; donec tandem tertio die in quo Ego eam primùm inviſi, Venenum per Exanthemata ſolito majora hic illic, uno impetu erumpentia, perfecta Criſi ſtrenuè propulſatum eſſet, quo tempore Puellam inveni planè *apyreton*, cibi appetentem; more ſolito veſtitam, atque in area domus curſitantem & ludentem, Ideoque Naturam, quæ propriis viribus victoriam jam integram reportat, Remediis neſcio quibus præter æquum & bonum laceſſere nolui: Imperavi tantùm ut ingluviei minimè indulgeret Puella, atq; ab externis aeris injuriis ſarta tecta in cubiculo muniretur. Quid fit? nullum omnino ſymptomata Patienti moleſtias creat, Variolæ die proximo pure laudabili turgent, tertio Scabie obductæ exareſcunt, nullo omnino remedio adhibito: Quid? quod Variolæ iſtæ (quod primò monui) erant maximè Benignæ, eæ ſc. quæ vulgò dicuntur *Chicken Pox*. Nihilominus alvum poſt hebdomadam elapſam iterumque uncia *Mannæ* una in Hauſtulo liquoris Poſſetici calidi ſolutæ & manè exhibitæ cum Regimine, ſedulò evacuandam juſſi. Hujus autem noſtri mandati

a *Variolæ Benignæ ſtatim ab Eruptione ſine præcedenti maturatione exareſcentes, atque demum poſt annum integrum elapſum repullulantes.*

b *Variolæ maximè Benignæ dictæ Chicken Pox.*

post habiti post tres menses elapsos seras puella luebat pœnas Scabie erysipelatosa universam faciem diu occupante & conspurcante, à qua illam non nisi repetita Venæ sectione frequenti calomelan. & Diagridii, atque multo Cortice Peruviano usu ægrè liberavi.

HISTORIA III.

(a) Filius meus unicus, nunc Medicinæ studiosus, ineunte anno ætatis suæ quarto, tempore hyemali, Nausea, Vomitione, Jactatione inquieta, Stupore comatoso, delirio cæteris q; id genus Symptomatis vehementioribus, quæ variolarum apparatum comitari solent, correptus, per triduum intense febricitans decumbebat. Ego interea præscripsi *pulv. è chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv.* an. *gr. vi.* cum Cochl Julap. Cordialis temperat. capienda repetendaque bis vel ter post intervalla sex horarum. Cum autem sub finem tertii diei Febrem una cum Symptomatis conjunctis declinasse animadverterem, Veneno nimirum quod luctationi causam dedit per exanthemata discreta hic illic ubiq; erumpentia criticè propulsato, nullum amplius medicamentum adhibui; Ægrotantem solummodo in lecto (foco in cubiculo accenso) à frigore muniendum, atq; victu tenui alendum jussi. Quid fit? Variolæ, rotundæ secundo eruptionis die margines suos ampliant, & vegetè rubent, tertio autem acuminantur, quarto in apicibus albescunt, quinto flavescere incipiunt, sexto pure concocto turgent, septimo flavescentes incrustari incipiunt, nono autem exarescentes ubique in tubercula mutantur, sine febre vel molesto quovis symptomate recidivo, vel morboso quovis affectu postea suborto. Temperie ver & appetitu integre restitutis, leni pharmaco semel vel bis exhibito, Curatio feliciter absoluta est.

Eadem planè erat, Benigna nimirum indoles Variolarum, quibus tres meæ Filiæ annis licet longe distantibus tentabantur; quas inde eodem ferme modo tractavi, nisi quod illarum natu maxima paulo ante criticam Exanthematum eruptionem Spasmis Epilepticis diu excruciaretur, Spiritibus nimirum in explosionem actis, & non sine strenuo nisu victoria potitis; quam ob causam *Epispastica* ad nucham & Carpos applicanda, atque Cochl. *iij. Julap.* sequent. durante hac conflictione ad vires Spirituum erigendas, & motus eorum inordinatos compescendos quarta quaque hora propinanda jussi, ℞. *Aqu. Flor. Tiliæ, Cerasi. nigr. an* ℥iij. *Pæon. comp. Epidem.* ℥ß. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an.* ℈ii. *Pulv. de Gutt.* ℥ß. *Syrup. de Mecon.* ℥i. M. F. *Julap.* Cum primum autem, Febre & Symptomatis sublatis, atque Exanthematis regularibus & discretis statim apparentibus, certum habui Naturam victoria integra potitam fuisse, & venenum penitus protrusisse, regimine debita ordinato naturæ, cujus provincia erat, rem reliqui; Exanthemata autem in dies legitime progrediebantur atque demum matureſcebant, atque in tubercula arida intra spatium à Natura præstitutum sine ærumnoso quovi symptomate vel morboso affectu consequenti vel ope Artis adstipulante mutabantur. Natu secundæ, quia jam, ut ab ipsis vitæ primordiis, alvus nimis flueret, *gut. v. iv. vi Laudan. liquid.* unaquaque nocte durante toto Morbi cursu in haustulo *Julap. Cordialis* temperati propinavi, atque *Decoctum album* in locum potus ordinarii suffeci, quo pacto alvo rite cohibita quieta & plane *apiretos* post eruptionem Variolarum incœptam reliqua Morbi stadia intra spatium à Natura præstitutum secure & tranquille deccurrebat, & quidem omnes hæreditario quasi jure Benignis istis Variolis tentabantur, quæ (Deo favente) eventum secundum habuerunt; nunquam enim quenquam mea vel Conjugis meæ stirpe ortum hoc Morbo periisse memini.

HI-

(a) *Variolæ Regulares, Discretæ & Benignæ.*

HISTORIA IV.

a Filius unicus *Caufidici* habitantis in vico dicto *Salysbury Court*, ſex annos natus, quem non ita pridem altero Morbo penè confectum præter ſpem adſtantium ſuppetiis Artis ab Orci faucibus planè liberaveram, Febre Varioloſa correptus, à Nutrice ſolummodo, & mulierculis nullo omnino Medico conſulto tractabatur; parentes enim ex communi quadam vulgi opinione Artem medicinalem ad hunc Morbum prorſus inutilem eſſe perperam exiſtimabant. Fuit ſane morbus primariò admodùm Benignus & Naturæ viribus facilè ſuperabilis, modo Regimen legitimè ordinatum fuiſſet: Venenum enim tertio die Critica Exanthematum diſcretorum eruptione uno impetu penitus eliminabatur; unde Puer ab omni moleſto ſymptomate liberatus, quarto die prorſus revaleſcebat, atque cibum appetebat, Exanthematum baſes ſenſim ampliabantur, quinto die acuminabantur, ſexto albeſcebant, ſeptimo pure concocto ubique fere turgebant perfectè rotunda, & margine vivide rubenti circumcincta, adeò ut pharmaco cuicumque exhibendo non eſſet locus, neque puer in lubrico verſaretur. Nutrix autem officioſa hoc ipſo die (Variolis adhuc ubique eleganter turgentibus & matureſcentibus) Pullum gallinaceum aſſum Puero comedendum affert. Quid fit? Ventriculo hoc pacto ſaginato & oppreſſo, & Cerebro inde nutrimento hoc incongruo gravato, Puer derepente ſopore affectus profundè dormit per totam noctem: die autem proximo, cùm Puerum clamore expergefacere nequirent, parentes perterriti, Me incunctanter ſed nimis ſerò accerſebant. Variolas animadverti Diſcretas atque ubique pure adhuc repletas, & margine vegeto cinctas, Puerum autem more Apoplecticorum ſtertentem. In caſſum ventriculum Emeticis, atq; Alvum Enematis, ſollicitavi, Cucurbitulis etiam cum ſcarificatione & Veſicatoriis frequentibus applicatis, atque Sternutatoriis Spiritus in Cerebro torpentes excitare tentavi; die enim proximo puer admodum formoſus Convulſus fatis ceſſit, non Veneno Varioloſo interemptus, verùm Regimine perverſo trucidatus, atque in Apoplexiam fortem temerè adactus. Tantum momenti habet in ipſis Benignis Variolis Medici conſilium, in Regimine ordinando, ubi Pharmaca forſan haud deſiderantur.

HISTORIA V.

b Filia Domini *Mitchell* 12. annos nata, habitans tunc temporis ad inſigne *Coronæ* in vico dicto *Fleetſtreet*, anno 1692. media æſtate febricitabat, & in Lecto decumbebat, Dolore Capitis, Nauſea & reliquis Symptomatis Variolarum Benignarum Apparatum comitari ſolitis affecta. Tertio autem Morbi die Exanthemata hic illic Diſcreta viribus Naturæ ſine pharmaco quovis adhibito protruſa ſponte erumpunt; Vetula autem, cui Virgo elocabatur, haud contenta naturalem Variolarum eruptionem & maturationem expectare, ſtragulis multis perperam & officioſè impoſitis, Naturæ opus accelerare moliendo Ægram per triduum in profuſos & planè colliquativos Sudores adegit; unde vires evidenter proſternebantur, Ægra véro perpetuò interſudandum languente, delirante & vigilante, Exanthemata ut ut Diſcreta & ſua natura Benigna nequaquam progrediebantur, ſed cruda & depreſſa manebant. Cùm jam ob ſymptomatum vehementia res plane deplorata videretur, Ego ſeptimo Morbi die accerſitus, illico tegumenta inſolita amovenda juſſi, Ægramque in alteram lecti partem moderatè calefactam removendam, atque ibi non quaſi in carcere brachiis in lecto detentis continendam, verùm ut ad libitum ab uno latere in alterum ſeſe verteret, veniam dedi. Intereà ad Spiritus debiles erigendos, & tumultum eorum com-

a *Variolæ Benignæ ob multum Regimen funeſto exitu terminatæ.* b *Variolæ Diſcretæ & Benignæ ob malum Regimen cum ſymptomatis pene exitialibus conjunctæ.*

compescendum *vesicatoria* tria ad Nucham & Carpos internos applicanda imperavi, & Julapii sequentis Paregorici & Cordialis Cochl. *iv.* vel *v.* quarta quaque hora propinanda, atque si non inde placidè dormit *gutt. x. Laudani liq.* Haustulis Julapii alternis instillanda, ℞. *Aqu. Meliss. Cæras. nigr. an.* ℥iij. *Epidem. Pæon. comp. an.* ℥i. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an.* ℥j. *Syrup. de Mecon.* ℥iß. M. F. *Julap.* Quid fit; à sudoribus immensis liberata post secundam Laudani dosin placidè dormit, viribus instauratis integram mentem, temperiem moderatam & Pulsum regularem & fortem recuperat, Variolæ ubique quam citissime turgent & matureſcunt, atque virgo iisdem remediis deinde usa, Stadia Morbi reliqua tempore à Natura præstituto feliciter decurrit.

HISTORIA VI.

(*a*] Filiolus Domini *Fowler* habitantis in vico dicto *Sise Lane* 15. menses natus; Variolis laborans Discretis & Benignis, in Cubiculo ambientis Aeris inclementiæ, sæviente jam gelu (Pharmacopola, qui Puerum tunc temporis tractabat, haud renuente] indesinenter objectus ob Venenum à frigore externo intus cohibitum diris Spasmis, insultibus Epilepticis & Comate profundo, Apparatu peracto, quinto morbi die & Eruptionis secundo præter solitum corripiebatur; unde Infans per octo horas, Spiritibus Veneno repercusso recens implicatis & irritatis, palleſcebat, & languebat ac si illico moriturus; Ego autem die Octobris 27. 1692. sub noctem accersitus deprehendi Exanthemata hic illic pauca & distincta, ob defectum autem Regiminis debiti intus quasi cohibita & depressa. Ideoque ad Spiritus stimulandos, eorumque expansionem promovendam *Vesicatoria* tria ad Nucham scil. & Carpos internos illicò applicanda jussi, atque Coch. *ij.* vel *iij.* Julapii sequent. tertia quaque hora propinanda [agitata Phiala) ℞. *Aqu Flor. Tiliæ, Ceras. nigr. an.* ℥iij. *Epidem.* ℥ß. *Pæon. comp.* ℥i. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. de Guttet. Lap. Contrayerv. Serpentar, Virgin. an.* ʒij. *Syrup. Caryop.* ℥ix. M. F. *Julap*, Post secundam dosin liberabatur à Spasmis & Sopore, pervigil autem mansit, & præ dolore à Vesicatoriis excitato perpetuo fere vagiebat. Die autem sequenti animadverti Temperiem mitem, Pulsum fortem & æqualem, atque Exanthemata discreta ut ut paulò frequentiora. Ob Vigilias autem & perpetuum ejulatum *gutt. iij. Laudani liquid.* semel vel bis in die in Haustulo Julapii exhibenda jussi, inde bene dormiebat, & cum res hoc pacto in vado erat memet subduxi, tantum Julapium ad suffulciendas vires regimine prius adhibito labefactatas quarta vel sexta quaque hora repetendum præscripsi, atque dosin *Laudani* saltem semel in die ministrandam ad dolorem Exanthematum maturantium & Ulcusculorum à Vesicatoriis inductorum fallendum, atque ut Infans ab aeris injuriis muniretur imperavi. Reversus autem primo die Novembris, inveni Puellum *apireton* atque ab omni symptomate ærumnoso liberum, atque Exanthemata ut ut in trunco corporis parva, frequentia & fere cohærentia, pure tamen maturo turgentia & flavescentia, atque Morbo jam ultimum Stadium ingresso hic illic incrustata, atq; in tubercula arida cineritio colore concrescentia. Ideoque post quam Parentes admonueram de tempore & modo Purgationis, Patienti valedixi.

HISTORIA VII.

[*a*] Domina *Pettifer* habitans in vico dicto *Old Change* mense Decembri 1692. ægrotans abortiit, postridie Abortionis Variolæ erumpebant Discretæ & Regulares, Febris etiam Veneno eliminato sponte cessavit. Perterrita autem Fœmina ab Obstetrice & Mulierculis adstantibus, vitam suam penitus desperabat, insomnis planè permanbt & delirabat per triduum, scil. usque ad primum maturationis diem, quo die sub vesperam ego accersebar; Aegrotantem autem inveni *apiretos*, Exanthemata ubique Discreta,

[a] *Altera ejusmodi.*

ta, depressa vero & figura Morbillorum ad instar variegata, siquidem Spiritus errore perculsi & in motus effrænatos adacti nec humores moderari, neque Venenum, licet sua natura mite, fortiter expellere valebant, unde prima Naturæ intentio scil. Veneni eliminatio per Cutim irrita fuit, & Venenum Tosillas & glandulas Salivales [in cassum licet] lacessere cœpit, atque inibi tumorem atque dolorem adeò atrocem excitavit, ut misera Mulier ærumnoso hoc Symptomate pressa & fere præfocata vix quicquam deglutire posset. Ubi autem nullam ex Pulsu vel Temperie Febrem adesse deprehenderim, causam dirorum symptomatum, & pessimæ Exanthematum *phaseos* vacillationi Spirituum terrore perculsorum, potius quam exitiali Veneni gradui acceptam referendam duxi; ideoque postquam Spes Mihi esset melius fore, & promissis despondentis Mulieris animum confirmaveram, & metum depellere fategeram, ad Spiritus erigendos, eorumque tumultus compescendos *Vesicatoria* ad Nucham & Carpos illicò applicanda jussi, atque Cochl. *v.* vel *vj. Julap.* sequent. tertia vel quarta quaque hora [agitata phiala] propinanda, & primo Haustulo *Laud. liquid. gut. xv.* instillandas ℥. *Aqu. Flor. Tiliæ*, *Cerasor. nigr.* an ℥iv. *Epidem. Pæon. Comp. Syrup. de Mecon.* an. ℥iß. *Pulv. e Chel. Cancr. Comp. Lapid. Contrayerv.* an. ℥j. M. F. *Julap.* Inde benè dormivit per totam noctem, & delirium cessavit; mane sequenti ego reversus deprehendi Exanthemata intra cancellos justos coacta, acuminata & inflammata, figuram fere ubique rotundam induisse, quę dein, Dolore Gutturis sponte evanescente, brevi maturabantur: Repetito enim hujus Julapii usu, reliqua Morbi Stadia (ut in Variolis Benignis & Regularibus fieri solet] sine febre recidiva vel ærumnoso quovis symptomate postea suborto, tempore legitimo sensim salubriter Patiens decurrebat.

HISTORIA VIII.

(*a*] Domina *Baxter*, quæ jam post viduitatem Collegæ nostri eximii D. Doctoris *Goodall*. thalamum cohonestat, circa annum 1680. abortionem passa est, & Febre correpta illicò me accersivit, Bolum Theriacalem statim exhibui, Julapium Cordiale ad libitum pitissandum; mane sequente reversus cùm animadverterem manifestam Febris & symptomatum omnium Remissionem *Corticis Peruv.* ℥j. tertia vel quarta quaq; hora exhibendam jussi: Paroxysmo autem post sextam dosin die proximo recrudescente, Variolæ inexpectato eruperunt, bene figuratæ & coloratæ, & prorsus Discretæ; Febris vero post hanc Criticam Veneni per Cutim expulsionem derepente adeò evanuit, ut Patienti non amplius molestias crearet. Exanthemata sine Febre recidiva vel ærumnoso quovis symptomate suborto, tempore legitimo sine ope cujuscunque Pharmaci sponte maturata demùm die Morbi nono in tubercula arida concreverunt. Nusquam vidi Variolas magis vegetas, regulares & benignas, non obstante Lochiorum fluxu; sive autem hoc indoli Veneni morbifici minus exitiali [quod ex typo Febris Morbi apparatum comitantis conjicere fas est) sive usui Corticis Peruviani ante Crisin ministrati acceptum referendum sit sub judice relinquo.

HISTORIA IX.

b Virgo elegans & formosa annos nata 21. habitans in ædibus Domini *Bright* in vico dicto *Little Britain* anno 1680 æ. grotabat. Die morbi tertio Ego accersor quo die Variolæ Discretæ erumpere cœperunt sine quovis simptomate vehementiori conjuncto, sed mensęs alieno tempore unà fluere incœperunt; unde viribus plurimum exhaustis Exanthemata licet diutius depressa tardè admodum & ægrè maturabantur. Qua de causa Jula-

(a) *Variolæ Benignæ post Abortionem & usum Corticis peruviani.*
(b) *Variolæ Discretæ cum menstrua purgatione conjuncta.*

Julapium perlatum sæpius in die exhibendum jussi, atque Bolum sequentem bis terve in die deglutiendum, ℞ *Theriac. Androm. Confect. Alcherm.* an. ℈j. *Spec. Confect. de Hyac. Lap. Contrayerv.* an. *gr. xv.* M. F. *Bolus*. Quorum usu diligenti sustentata, reliqua Morbi stadia securè, ut ut quadantenus tardiùs, decurrebat, & demum reconvaluit.

HISTORIA X.

(a) Servus Domini *Bradford* Vestiarii habitantis in vico dicto *Black-Friers*, circa annum 1670. nausea, ægritudine ingenti, & tantùm non deliquio oppressus, primo Morbi die Me incunctanter accersendum curavit, Ubi autem à celeri Arteriarum vibratione Febrem adesse manifestò deprehenderem, eam propter symptomatum vehementiam & cæteras circumstantias Varioloſam forè ritè arbitratus sum. Ne autem Spiritus Nausea adeo intolerabili diutius labefactati ad Venenum exterminandum prorsus deficerent, æquum duxi *Vin. Emetic.* ℥vj. illicò propinari [Tempore Morbi huic consilio favente] eam allevare. Vomitionem Æger bene toleravit, & à nausea inde plurimum liberatus est, Spiritibus verò stimulatis & supra modum expansis non minus de Cephalalgia Spasmodica questus est quam antea de Nausea & Ægritudine. Et quidem dolor Capitis adeò sæviebat, & Arteriæ adeo validè vibrabantur ut Hæmorhagiam immanem [modò phlebotomia opportuna haud præcaveretur] instare suspicarer. Ideoque ℥x. sanguinis è Cubito illicò detrahendas jussi, & Bolum cardiacum & paregoricum hora somni ministrandum cum hausto Julapii Cordialis temperati ad libitum pitissandi, unde Æger bene dormivit; mane sequenti reversus eum inveni planè *apiretos*, à dolore capitis, nausea & omni altero symptomate ærumnoso liberum: nullum autem Exanthema, vel quidam prænuncium explorando deprehendere potui nihilominus ut se in Cubiculo regimini justo obsequeus per unum vel alterum diem contineret, in mandatis dedi. Juvenis autem nullo symptomate affectus, & quia tempestas erat præfervida, monitis nostris minùs auscultans, è lecto surgit, ad negotia se accingit, edit, bibit, somnum capit, ut antea, donec uno vel altero die elapso, conservis perterritis, exanthemata hic illic in facie & manibus sese palam prodere incipiunt. Ego iterum jam statim accersor, cùm autem eruptionem admodùm regularem animadverrerem, sine Febre recidiva, ægritudine, vel quovis altero molesto symptomate conjuncto, cum diætam tenuem & regimen quoad cætera moderatum imperaveram, discessi. Juvenis verò reliqua Morbi stadia intra spatium octo dierum tranquillè decurrens, absque omni omnino pharmaco perfectè convaluit.

HISORIA XI.

(b) Nepos Domini *Major* habitantis in vico dicto *Pater-noster. row*, annos 17. natus circa annum 1674. ad quatuor dies intensè febricitans decubuit, quarto autem die cùm jam prænunciæ Variolæ per unum vel alterum diem sese hic illic in facie & manibus palam prodidissent, Hæmoptoe insigni tentabatur, eò quod natura Plethora oppressa, Crisin ægrè admodùm perficere valeret, Ego isto die accersitus, cùm à forti & constanti arteriarum vibratione hanc Hæmorrhagiam ex orgasmo enormi, non à Spirituum vacillatione & languore ortam deprehenderem sanguinis ℥vii. vel viii. è brachio detrahendas jussi. Hæmoptoe inde derepente subsistit, atque Bolo cardiaco & paregorico exhibito Arteriæ justè & legitime vibrantur, Exanthemata intra sex horas ubique Crisi perfecta protrusa admodùm frequentia erumpunt, quæ demum in progressu morbi cohærebant & plurimum confluebant, quia Spi-

[a] *Variolæ admodum Benignæ post symptomata vehementiora durante Apparatu.*
(b) *Variolæ Discretæ ob Hæmoptoen tempore Eruptionis contingentem Confluentes factæ.*

Spiritus instante Crisi sanguinis profluvio labefactati, munus, quod legitimè susceperant, explere non potuerunt: unde Variolæ, quæ primò Discretæ apparebant, demum cohærebant ac tandem confluebant. Nihilominus Æger continuato usu Julapii nostri Paregorici cum Speciebus somnum sufficientem quotidie capiens, singula Morbi stadia reliqua sine Febre recidiva vel symptomate quovis vehementiori securè sed tardius decurrebat, atque tandem post Salivationem tempore maturationis satis diu protractam convalescebat.

HISTORIA XII.

(a) Filius Domini *VVheeler* habitantis in vico dicto *princ's Street*, [cujus Historiam olim conscripsi in cap. 8. Lib. 1. *phthisiologiæ* nostræ] qui post phthisin Diabeticam arte superatam semel saltem in anno Insultibus Epilepticis corripi solebat, die Mensis Julii 23. 1692. cum jam septimum ætatis annum ageret, Febre correptus ad triduum plane hebes & comatosus jacebat, tertio autem Morbi die ego accersitus, cum deprehenderem spiritus veneno diu pressos, maximo nisu colluctasse, atque inde in explosionem adactos insultus Epilepticos visu horrendos excitasse, ita ut Apoplexiam, non autem Variolas, instare conjicerem, sanguinis ℥vj. derepente ad motus Spirituum inordinatos compescendos è vena jugulari detrahendas jubeo, atque *Vesicatoria* ad eorumdem vires excitandas ad Nucham & Carpos internos & *Emplastr. Cephalic* cum *Euphorb.* ad plantas pedum applicandum, atque Cochl. *iij.* vel *iv.* Julap. sequent., quarta quaq; hora vel sæpius propinanda. ℞. *Aqu. Meliss. Rut. Ceras. nigr. an.* ℥ij. *Pæon. comp. Epidem.* an. ℥vj. *pul. e Chel. Canc. comp. Lap. Contrajerv. pulv. de Guttet. an.* ℥ß. *Sirup. Carioph.* ℥x. M. F. *Julap.* Die autem proximo, scil. Julii 26. reversus cum animadverterem Puerum, veneno per exanthemata Variolosa propulsando, à Comate & Febre liberatum, atque Variolas ut ut admodùm exiguus punctorum acicularum ad instar, verum distinctas, usum *Julapii cum Speciebus* repetendum præscripsi: in locum *Sirup. Carioph.* substituendo *Sirupum de Mecon.* atque Cochl. *ij.* vel. *iij.* Julapii sequentis ad libitum in languoribus exhibenda, ℞. *Aqu. Meliss. Rut. Ceras. nigr. an.* ℥ij. *pæon. comp.* ℥iß. *Tinctur. Castor.* ℥j. *Spirit. Sal. Armon.* ℈j. *Sirup. pæon. comp.* ℥x. M. F. *Julap.* Die autem Julii 27. cum spiritus quadantenus languidos ob præcedentem Venæ sectionem, & Exanthemata flaccida deprehendissem, Bolum sequentem in Cochl. Julap. solut. illicò deglutiendum jussi: ℞. *Theriac. Androm. gr. v. Pulv. de Goa, de Guttet. an. gr. vij. Sirup. Pæon. comp. q. s.* M. F. *Bolus.* Die 28. ad Maturationem Exanthematum promovendam Ingredientia sequentia in ℔ *ii.* liquoris possetic. coquenda pro potu ordinario imperavi, ℞. *Ficuum ping. incis.* n. *vij. Lentium Crasse contus.* ℥ß. *Rasur. CC. Ebor. an.* ℥ß. M. Die 29. ad vires spirituum fovendas Cochl. *iii.* vel *iv.* Julap. sequen. ad libitum propinabantur agitata phiala ℞. *Aq Meliss. Ceras. nigr. an.* ℥iii. *Epidem. Cinnam. hord an.* ℥iß. M. F. *Julap.* Die 30. cum jam Exanthemata, ut ut admodum exigua & minutula, pure turgere incœperant, atque inde puer pro dolore parum dormiret, Haustulum sequent. hora somni propinavi, ℞. *Aqu. Card.* ℥i, *Epidem, Sirup. Carioph. an.* ℥i. *Theriac. Androm.* ℈ß. *Pulv. de Guttet Lapid. de Goa. an. gr. v* M. Die autem Augusti primo ad pus melius concoquendum, Haustulum sequêtem hora somni exhibendum, & mane proximo repetendum curavi ℞. *Aqu. Ceras. nigr. Cinnam. Hord. an.* ℥ß. *Theriac. Stillat.* ℥ii *Theriac. Androm. Pulv. e Cel. Cancr. comp. an gr. vi. Sirup. Carioph.* ℥iii. M. F. *Haustulus.* Die autem ad Eruptione sexto ubi jam Exanthemata ubique optime maturata exare scere, atque in tubercula concrescere cœperat, sine Febre recidiva, Tussi, Salivatione, Gutturis dolore, vel altero quovis ærumnoso symptomate suborto, Memet subduxi usque ad diem Augusti nonum, jam autem ad feces Morbi per alvum deturbandas, *Cathartica* sequentia in formam pilularem, utpote Pa-

(a) *Variolæ Discretæ sed admodum exiguæ post insultu Epilepticos penuermtes.*

tienti gratissimam, redacta præscripsi, ℞. *Pill. fœtid. Stomac. cum Gum. an.* ℈ß. M. F *pilul. iii.* deaurandæ, hora somni exhibendæ. Mane sequenti deglutiat Pilul. sequentes cum Regim. ℞. *Extract. Rud.* ℈*i.* (siquidem alvo erat difficilior) F. *pil. iii.* deaurand. Cùm autem sordes non satis inde subductæ fuerint, demùm Augusti 12. *Bolum* sequentem nebula involutum deglutiebat, ℞. *Electuar. Lenitiv.* ℈*ii. pil. Stomac. cum Gum* ℈*i. Sirup. è Flor. persic. q. s.* M. F. *Bolus* mollis. Mane autem proximo Bolum sequentem pariter nebula involut ℞. *Electuar. Lenitiv.* ℈*ij. Extract. Rud.* ℈*i. Sirup. e Florib. persic. q. s.* M. F. *Bolus* mollis. Alvo hinc optimè deturbata, Puer huc usque bene valet.

HISTORIA XIII.

(*a*) *Elizabetha* Filia Domini *Bright* habitantis in vico dicto *Little Britain*, Nepotis Reverendi D. Doctoris *Bright* Ecclesiæ Sancti *Asaphi* Decani anno circiter 1676. 12. ætatis annum agens, Febre correpta decubuit. Puellam tertio Morbi die Insultibus Epilepticis admodum horrendis jam per plures horas laborantem invisi; cum autem circumstantiis rite pensitatis deprehendissem hasce diras contorsiones solummodo ex forti Spirituum Venenum Varioloſum adorientium nisu ortus esse de eventu non ad modùm anxius adstantibus animos addidi. Ideòque postquam applicato ad frontem, nares, volas manuum *Oleo Succini*, & usu interno Sp. CC. Julapio Antiepileptico, diros hosce Spirituum ferocienti, um nisus in ordinem redegeram, ad vires eorundem erigendas *Vesicatorium* ad Nucham applicandum, atque Cochl. *iv.* vel *v.* Julap. sequent. tertia vel quarta quaque hora exhibenda jubeo, ℞. *Flor Tiliæ*, *Ceras. nigr. Rut.* an. ℥iii. *pæon. comp.* ℥ii. *pulv. e Chel. Cancr. comp. Lap. Contrajerv. pulv. de Guttet.* an. ℈ij. *Sirup. Carioph.* ℥x. M F. *julap* propinandum agitata phiala Quid fi.? Veneno in hac luctatione ad Cutim prorsus eliminato, Variolæ die proximo (quod post Epilepsiam Symptomaticam fermè semper contingit) ubique discretę & regulares erumpunt, atque Spiritus non amplius lacessiti & à motu inordinato liberati sponte quiescunt, Ægrotante interea placidè dormiente & à Febre liberata. Qua de causa Julapium parciùs & minus frequenter exhibitum est, & regimine legitimo continuato, Exanthemata spatio à Natura præstituto sponte Pure referta maturabantur, atque demum nullo morboso symptomate suborto, in tubercula arida concrescebant. Atque equidem dirum hoc Symptoma in Variolarum Apparatu fortem Spirituum nisum subindicat, indolemque Morbi fere semper benignam, & eventum prosperum fore denunciat.

HISTORIA XIV.

(*b*) Dominus *Shepherd* Juvenis generosus 20 annos natus hospitans, ad Insigne Adami & Evæ ex adverso Hospitii dict. *Staples-Inn*, in vico dicto *Holborn*, media æstate anno 1692. rigore sub vesperam correptus, dein tota nocte febricitans, mane sequenti universali madore perfusus est, dolore autem Capitis & Nausea adhuc perstantibus, Medicum ante meridiem accersendum curavit, qui pro ratione symptomatum urgentium secundo Morbi die nempe Julii 23. sanguinem è Cubito statim detrahendum jussit, & ℥j. *Vini Emetici* ministrandum sub vesperam, atque hora somni *Sirup. de Mecon.* ℥i. in Haustu paregorico propinandum. Die Morbi tertio Variolæ erumpunt paucæ admodum & Discretæ, Benignarum figuram & colorem obtinentes: Patiens juxta sententiam *Cl. Sidenhamii* tractatus, Decocto albo & Laudano utitur, nullo omninò Alexipharmaco concesso. Variolæ secundo eruptionis die numero valdè auctæ pæne cohærebant ubique autem languebant, & in centro subsidebant, utut margine vegetè rubro circumcingerentur; Vigiliæ etiam non

(*a*) *Altera ejusmodi.* [*b*] *Variolæ Mediæ admodum frequentes & proxime ad malignas accedentes.*

non obstante liberali *Laudani* usu perstabant ob Venenum intus cohibitum pertinaces: Febrilis autem intemperies ob Spirituum languorem admodum obscura & vix perceptibilis. Tertio Eruptionis die, sc. Julij 26. quando Ego consultandi gratia accersitus sum, Ægrotans vigiliis & delirio tentabatur, pulsus erat admodum debilis & celer, temperies verò mitis, Exanthemata ubique deprimebantur, & languebant; accessit Dolor in Gutture atrox, siquidem vires in Veneno juxta primam intentionem per Cutim eliminando Naturam deficiebant, ideoque virus Tonsilla & ductus Salivales lacessere demum cœpit. Quare consilio cum Medico ordinario inito, statuimus Spiritus languidos vesicatoriis stimulandos esse, eorùmque vires erigendas atq; motus effrænatos compescendos Alexipharmacis & Opiatis simul junctis. Cum autem Ægrotans monitis nostris minus obsequens, Vesicatoria penitus respueret, ægrius scopum assecuti sumus ope Remediorum internorum, in quibus ea de causa copiosius atque diutius exhibendis perstare necessarium erat, uti ex sequentibus constat. Julij 26. Cochl. *v.* vel *vj.* Julap. sequent. quarta quaque hora agitata phiala propinavimus, atque Haustum Paregoricum hora somni, ℞. *Aqu. Meliss. Rut. Ceras. nigr.* an. unc. *ij. Epidem. Pæon. comp.* an. unc. *i. Tinctur. Croc.* ℥j. *Pulv. e Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv.* an. ʒ*ij. Syrup. de Mecon.* unc. *iß.* m. F. *Julap.* Cum autem inde non omninò dormiret, atque propter dolorem Gutturis inflammatorium ab usu Pulverum abhorreret, Julii 27. *gutt. xx. Laudani liquid.* Cochl. *vj.* Julap. sequent. instillatas illico exhibendas jussimus, atque quarta quaque hora repetendas quousque somnus obreperet, ℞. *Aqu. Flor. Calendul. Cinnam. Hord.* an. unc. *iij. Epidem.* unc. *i. Theriacal. stillat. Diacod.* an. unc. *iß* atque hora somni Haustulum sequente propinandum, ℞. *Aqu. Cinnam Hord. Ceras. nigr.* an. unc. *i. Aqu. Flor. Paralys Diacod.* an. ℥*vj. Laud. Liquid Cydoniat. gutt. x.* M. F. *Haustulus.* Insuper ad dolorem Gutturis leniendum, & maturationem Variolarum promovendam, Gargarismum sequentem in fauces calidè sæpe sipho-ne injiciendum, [hisce partibus prius panno Wallico ad injuriis aeris externi munitis] atque liquorem Possetic um, Ingredientibus mox describendis alteratum, copiose atque frequenter bibendum curavimus, ℞. *Decoct. Ficuum* ℔*iß. Mel. rosat. colat.* unc. *ij. Diamor.* unc. *i.* M. F. *Gargarismus.* ℞. *Fic. ping. incis.* num. *vij. Lentium crasse contus.* unc. *i. Rasur. CC. Ebor.* an. ʒ*iij.* M. & Coq. in ℔*ij Liquor Possetic.* exinde aliquantisper dormivit, verum neque Pulsum fortiorum, neque Exanthemata humore magis referta deprehendimus, quare Julii 28. reversi *Alexipharmaca* magis generosa cum *Opiatis* ad Spirituum expansionem promovendam conjungere decrevimus more sequenti, ℞. *Theriac. Androm. Pulv. e Chel. Cancr comp.* an. ʒß. *Laud. liquid. gutt. xv. Syrup Caryoph. q. s.* M. F. *Bolus* statim sumendus, una cum Haustu Julap. nuperrimè præscript. repetendusque denuò quarta vel quinta pomer. Julapium etiam Perlatum sequens ad libitum pitissandum præscripsimus & usum Gargarismi & liquoris Possetic. repetendum. ℞. *Aqu. Lact. Alexiter. Ceras. nigr. Cinnam. Hord. an.* unc. *iij. pæon. comp. Epidem. an.* ʒ*vj. Margar. ppt.* ʒ*iß. Sacchar. alb.* ʒ*x.* M. F. *Julap.* Julij 29. reversi animadvertimus Exanthemata ubiq; inflammata & humore aqueo referta ideòque præscripsimus *Decocti albi* ℔*j* cum ℥*j Laudan. liquid. Cidonat.* commiscendum, ut ex hoc liquore copiosius epoto somnus, cui jam satis Patiens indulgebat, perseveraret, & Julapio Perlato repetito spiritus fovendos curavimus. Julij 30. cùm Ægrotantem iterum Vigiliis fatigatum inveniremus, duplam *Laudani* quantitatem *Decocto albo* instillavimus, atque Julapium Perlatum de novo præscripsimus: Julij autem 31. cum in hoc temperato regimine arteriæ debilius sese vibrarent, atque maturatio Variolarum] quæ jam quinto maturationis die Aqua non pure implebantur) nimis tardè progrederetur, ad usum Alexipharmacorum rursus confugere necessarium duximus,

ideoque Hauſtum ſequentem ſtatim ſumendum, itidemque hora ſomni repetendum juſſimus, ℞. *Aqu. Flor. Calendul. Cardu. an.* unc. *j. Pæon. comp. an.* ℥ij. *Theriac. Androm. Pulv. e Chel. Cancr. comp. an.* ℈j. *Laud. liquid. gutt. x. Syrup. Caryopb.* ℥iij. M. F. *Hauſtus*. Cochl. etiam *iv.* vel *v.* Julap. ſequent. ad libitum pitiſſanda conceſſimus, ℞. *Aqu. Meliſſ. Ceraſſ. nigr. Cinnam. Hord. an.* unc. *iij. Epidem. Pæon. comp. Syrup. Caryoph. an.* unc. *j. Confect. Alcherm.* ſ. *Moſch.* ℈ß. *Syrup. e Rub. Idæ.* unc. *ii.* M. F. *Julap.* Perſtabat etiam in uſu Gargariſmi, Iulapij perlati & Decocti albi, cui unc. *ii. Aq. Cinnam. Hordeat.* additæ fuerunt. Auguſti primo, Exanthemata ubique matureſcere & flaveſcere incipiunt; nihilominus ad vires adhuc ſuſtentandas Bolum Alexipharmacum ſequentem una cum Hauſtu paregorico mane exhibendum & veſperi repetendum duximus. ℞. *Theriac. Androm. Pulv. e Chel. Cancr. comp. an.* ℥ß. *Syrup Caryoph. q. ſ.* M. F. *Bolus* ℞. *Aqu. Flor. Paraly. Cinnam. Hord. an.* unc. *iß. Theriacal. Stillat. Diacod. an.* unc. ß. *Laudan. liquid. Cydoniat. gutt. xii.* M. F. *Hauſtus* Auguſti ſecundo, cum jam Exanthemata ubique incruſtata, exareſcere, atque in facie indurari cœperint: bis terve in die *Linimentum* ſequens pulma faciei illinendum juſſimus, atque Bolum antepræſcriptum cum Hauſtu paregorico hora ſomni exhibendum. ℞. *Ol. Amig. dulc. recent.* unc. *i. Sperm Cet.* ℥j. M. F. *Liniment.* Denique Auguſti tertio cum jam Variolæ ubique exareſcentes decidere incipiebant, æquum duximus ſtercora quæ jam in Inteſtinis plus quam decem dies coacervata ſubſtitiſſent, Enemate ſequenti ſubducere, ℞. *Decoct. Emollient.* unc. *x. Sacchar. rubr. Mel. Mercur. an.* unc. *ii. Ol. Lini recent.* unc. *iß. Claſſ. Extract pro Clyſt.* unc. ß. M. F. *Enema*. Fæcibus autem in alvo congeſtis, atque mora inſpiſ. ſatis & induratis, Contorſiones horrendæ tantùm non animi deliquium inducentes, in Inteſtinis cientur, atque Enema re infecta illicò rejicitur, quare alterum ſtatim injicjendum paratur; ℞. *Lact. recent.* unc. *xii. Ol Chamæmel.* unc. *iii. Mel. Mercur. Sacchar. rubr.* an. unc. *i. Extract. Caſſ.* unc. *i.* M. F. *Enema*. Quo rejecto ſtercora formata & vaſtæ molie æ. gre, & non ſine multo niſu & torminis bus egeruntur. Quo facto hauſtus ſequen ad irritationem Spirituum ab egeſtione excitatam ſopiendam, hora ſomni propinabatur, ℞. *Aqu. Flor. Paralyſ.* unc. *ii. Cinnam. hord.* unc. *i. Diacod.* unc. ß. *Laudan. liquid. gutt. xii.* M. Sexto Auguſti alvum Pharmaco Lenitivo evacuare decrevimus more ſequenti, ℞. *Pil. Stomach. cum Gum.* ℥ß. F. *Pil. iv.* deaurand quas ſumat hora ſomni, mane ſequenti bibendo Potionem ſequentem, ℞. *Decoct. Senn. Gereon.* unc. *iv. Mannæ opt.* unc. *iß.* M. F. *potio* Septimo Auguſti, quandoquidem Oculi fuerant debilitati & levi inflammatione tentati, unc. *viii.* ſanguinis (qui admodum mucoſus erat) e cubito ſiniſtro mane ſequenti detrahendas curavimus; & quia Appetitus minus vigebat, *Decoct. amar. abſque purgant.* unc. *iv.* horis duabus ante prandium, itidemque quinta promerid. exhibendas juſſimus. Auguſti Octavo, quandoquidem Oculi diu debilitati fuiſſent, alvum *Calomel* deturbandam eſſe decrevimus, more ſeq ℞. *Calomel.* ℈i. *Electuar. Lenitiv. Conſerv. Roſ. pallid. an.* ℥ß. M. F. *Bolus* hora ſomni deglutiend mane proximo propinavimus Potionem ſequentem, ℞. *Decoct. Amar. cum dupl. Senn.* ℥iv. *Syrup. de Spin. Cerv.* ℥vii. Alvo autem inde non copiosè ſubducta, tandem Auguſti nono *Pil. Stom. Gum.* ℥ß. in Pil. *i ii.* redact. hora ſomni deglutiendas, & mane proximos Pilulas ſequentes præſcripſimus, ℞. *Extract. Rud.* ℈i. *Pil. fætid. Ol. Cinnam. Chym. gut. ii.* M. F. Pil. *iv.* deaurandæ. Hoc pacto Juvenis egregius & familiæ ſuæ unica ſpes, plaudentibus amicis, à Variolis hiſce languidis & ſerò matureſcentibus liberabatur, nec febre recidiva notabili, faciei vel extremorum intumeſcentia vel Salivatione, nec citatricibus in facie, Tuſſi vel quovis altero ærumnoſo ſymptomate poſtea ſuborto pfectebatur, atque huc uſque ruri firma & conſtanti valetudine utitur.

HISTORIA XV.

(a) Filiola domini *Nois* habitantis ad Insigne *Equi albi* in vico dicto *Fleetstreet* duos annos nata mense decembri 1692. ægrotabat; post triduum elapsum Variolæ frequentes ubique in Facie & artubus erumpebant, quæ penitus intra tres vel quatuor dies sine maturatione exareserebant. A quo tempore ad duas hebdomadas valetudine incommoda tenebatur, que de causa Pharmacopola suffragantibus Mulierculis pharmacum Catharticum Puellæ propinavit, ex tunc autem ingravescebat valetudo & accesserunt symptomata Variolarum Apparatum comitari solita, atque demùm uno vel altero die elapso, variolæ ubique in trunco corporis admodum frequentes repullulant, atq; brevi iterum suborta diarrhœa sine maturatione declinant. At inde misera Puellula veneno hoc modo intus cohibito, fluxu alvi immodico cum torminibus conjuncto, & Hectica febre correpta intra unum vel alterum mensem confecta, atque ad marasmum usque redacta planè attonita jacebat, Deliquiis & spasmis sæpius recurrentibus afflicta Ego jam demum accersitus, neque Vesicatoriis, neque ullo remediorum Alexipharmacorum, Antispasmodicorum & Astringentium apparatu mortem imminentem præcavere potui, quam post triduum vel quatridum calamitose transactum tandem obiit.

HISTORIA XVI.

(b) Filius unicus Domini *Hooke* mercatoris habitantis in angiportu dicto *Magpye Ally* prope plateam dictam *Francburch street* Februar. 16. 1693. currente jam duodecimo ætatis anno intensè febricitavit: die autem 17. Dolore versatili jam in latere dolorem pleuriticum simulante, jam in artubus Rheumatismi æmulo, atroci & spasmodico corripiebatur; & Parentes, vehementia doloris commoti, me incunctantes accercebant. Quando quidem vero ex pulsùs robore & doloribus Spasmodicis coniunctis febrem deprehenderim adesse Inflammatoriam, ut ut indicia Variolarum mox eruptuarum simul ad fuerint, ℥. viii. sanguinis illico detrahendas jussi, atque postea *bolum Theriacalem* exhibendum cum Haustu Julapii cordialis temperati ad libitum pitissandi, reversus die 18. inveni Variolas discretas legitimè protrusas; Puerum autem placidè dormientem, atque a febre & doloribus prorsùs liberatum, ideoque solummodo Julapii sequentis Cochl. *iv* vel *v.* tertia vel quarta quaque hora ad vires Spirituum suffulciendas, & motus eorundem regulares sustentandos propinanda jussi. ℞. *Aqu. Meliss. Cerasor. nigr.* an. ℥iv. *Epidem. Pæon. comp.* an. unc. *i. pulv. e Chel. cancr. Comp. lap. Contrajerv.* an. ℥i. *Syrup. de Mecon.* unc. iß. M. F. Julapii in dies legitimè augentur & acuminantur usque ad diem Februar. 21. cum jam sine evidenti occasione (maturatione jam incœpta) derepente Febris quasi inflammatoria cum Pulsu celeri & forti, vigiliis, jactatione inquieta & cæteris id genus symptomatis conjuncta revirescit, Exanthematis sine salivatione vel extremorum intumescentia suborta undiquaque subsidentibus. Guttulis autem aliquot *Laudan. liquid.* haustui Iulapii additis placidè denuò dormit Puer, atque inde sub vesperam Exanthemata rursus acuminata evidenter matureſcunt, facies inflammatur, atque extrema artuum, mirum in modum, nullo omnino ptyalismo suborto, derepente intumescunt, atque tandem die 23. usu Iulapii adhuc continuato Patiens planè *apyretos* reconvalescit, nullumque morbosum affectum post morbum passus est præter levem Oculorum Taraxin, quæ facilè collyrio ex *aqu. plantag. Troch. alb. Rhas. ſ. Opio* & *Saccharor. alb.* subtiliss. pulverisat. sæpius instillato sanabatur.

a *Variolæ discreta bis intra spatium unius mensis erumpentes & declinantes sine maturatione & tandem funesta diarrhœa exceptæ.* b *Variolæ discretæ, quarum eruptionem atrox & versatilis dolor quasi Rheumaticus antecedebat.*

Ideòque die Martij tertio (restituto jam Appetitu) alvum Potione sequenti, itidemque die septimo & undecimo subducendam jussi. ℥. *Decoct. Sennæ Gereon.* unc. *iiß. Syrup. e Spin. Cerv.* unc. ß. M. F. *Potio.*

HISTORIA XVII.

(a) DOmina *Upton* habitans in vico dicto *Lothury* virgo gracilis & melancholica mense Decembri 1693. currente jam anno ætatis vicesimo, fermento varioloso tentata febricitavit, & Apparatum Morbi sine quovis vehementi symptomate transegit, tertio die Variolæ erumpunt legitimæ & discretæ; secundo autem eruptionis die horrendis insomniis, sine causa quavis evidenti perterrita, biduo sequente, nimirum ad secundum usque maturationis diem, depressis ubique & subsidentibus exanthematis, vigilavit pertetuò & deliraverit, accessit Pulsus quadantenus celer, debilis & tremulus. Ego tunc primùm accersitus, *Julapium nostrum paregoricum cum Speciebus* parandum curavi, atque ejus Cochl. *v.* vel *vi.* tertia quaque hora (agitata Phiala) ministranda, atq; horum haustulorum primo, atq; etiam nocturno *laudan. liquid. Helmont. gutt. xv.* instillanda; liquorem etiam Posseticum nostro modo alteratum copiosè & calidè propinandum jussi, Quid fit? post prima Laudani dosin benè dormit & ad se redit Ægra, Exanthemata protinus acuminata turgescunt, atque sine Ptyalismo vel quovis altero molesto symptomate sensim matureścunt, atque continuato Julapii usu intra biduum in tubercula concrescant more Variolarum regularium. Denique Appetitu restituto post purgationem peractam sine quovis morboso affectu brevi perfectè revalescebat.

HISTORIA XVIII.

(b) DOmina *Terry* habitans in vico dicto *Oln Baily*, non ita pridem maritata, sub finen mensis Maij 1693. febre, symptomatis apparatum Variolarum comitari solitis correpta, sub finem tertij diei Variolarum discretarum eruptione tentata fuit: Menses autem jam extra solitum tempus fluere incipientes, atque Pathemata animi graviora spiritus adeo depresserant, ut quinto die à maturatione incepta [quo ego primum accercebat) exanthemata ubique in centro subsiderent, & sero limpido semiplena nullatenus pure concocto turgerent; accessit Pulsus debilis, celer A tremulus, Linguæ ariditas, Mentis vacillatio, Vigiliæ pertinaces non obstantibus Opiatis liberali manu a Pharmacopola ministratis, & frequenter repetitis, quippe nè granum quidem alexipharmacorum ad vires Spirituum suffulciendas, atque ad eorumdem obturorum expansionem promovendam hactenus exhibitum fuerat. Ego die septimo Junii advocatus, usu *Vesicatoriorum* frequentium & *Alexipharmacorum* cum *opiatis* conjunctorum incassum, quippe nimis sero spiritus pæne extinctos erigere, atque fatum præproperum averruncare moliebar: Fœmina enim intra spatium 24. horrarum, nempe octavo Junii, vigiliis, deliriis & Spasmis planè confecta satis cedebat. Adeò sine fructu est Medela efficacissima si modo nimis sero adhibeatur: quod in vituperium Remediorum, & Methodi usu probatæ vetri non debet: est enim ubi quivis levissimus Morbus neglectus, funestus evadat, & vim omnium Remediorum eludat.

HISTORIA XIX.

(c) PUER 12. Annos natus habitans in Domo Domini *Shepherd*

a *Variolæ discretæ sub initium maturationis depressæ & Vigillis per bidui spatium comitatæ.* b *Variolę discretę cum fluxu mensturo & gravibus animi pathematis coniunctæ, Remediis Alexipharmacis non optimè exhibitis funestæ.*

c *Variole Medie prope ad malignas accedentes.*

herd Zythepſę in *Horſee-dovvn.*, decimo die ſept. anno 1692. artroci lumbagine correptus decubuit. Calor mitis & blandus erat, Ægritudo & Vomitio ferre nulla; ſpiritus enim è ſpaſmodico lumborum dolore diu fagitati & labefactati, haud pares certamini ineundo, à numero ſuo planè defecerunt: Exanthemata inde, ut ut Diſcreta, prava admodũ, frequentia & livida ubiq; confertim ſub initium diei tertij erumpunt. Puer autem ad tertium diem eruptionis (quo Ego ad eum inviſcendum accerſo,) perpetim delirus & inſomnis jacebat: acceſſit pulſus adeò celer & debilis, ut Pueri vitam plane deſperarem, utcunque ſpirituum ſemimortuorum expanſionem ſtimulo *Veſicatoriorum* ad Nucham & carpos internos applicatorũ promovere ſategi, atq; eorum vires erigere & motus effrænatos compeſcere *bolo* ſequenti *Alexipharmaco* & *opiato* ſexta quaque hora repetito. ℞. *Theriac. androm. ℈i. pulv e chel cancr. comp. lap. contrayerv. ſerpentar. Virgin. an. gr. vii. laud. liquid. gut. x. Syr. Cariophb. q. ſ.* M. F. *Bolus Iulapium Cordiale* inſuper poſt unumquemque bolum & ad libitum pitiſſandum præſcripſi, & liquorem poſſeticum ficubus & lentibus alteratum copioſè exhibendum juſſi. A tertio bolo exhibito demum dormivit, exanthemata inde evidenter inflammata matureſcere cœperunt, febris miteſcere, pulſus robuſtè & rhythmicè vibrari; ideòq; die proximo ut in præſcriptis perſtet jubeo, & inſuper ut *Laud. Liquid. gut. x.* in hauſtulo Julapij exhibeantur in intervallis inter bolorum uſum, quouſque placidè dormiat: Quid fit? poſt primam doſin laudani placidè dormit, ſalivam copioſè egerit, caput & facies derepente intumeſcunt, arterię fortiter & æqualiter vibrantur, Febris prorſus exulat. Variolæ tamen artus obſidentes ubique in centro adhuc deprimebantur, & dolor una cum tumore fauces adeo tentabat, ut ægrè admodum Patiens deglutionis munere fungeretur: Ideoq; fauces externè Panno VVallico muniendas, atque Gargariſmum è *Decocto Ficuum* cum *Melle Roſat.* & *Diamor.* ſæpius Siphone faucibus injiciendum curavi, atque uſum bolorum non eſſe intermittendum. Die proximo, nempe Morbi octavo, Ptyaliſmo adhuc vigente, Artus intumeſcunt, atque Exanthemata eos obſidentia ubique maturata pure laudabili tergere incipiunt, atque hoc pacto ſine Febre recidiva brevi revaluit Puer, ab orci facibus Arte Medica planè liberatus.

HISTORIA XX.

(a) EDvardus *Helms* Adoleſcens 16. annos natus, in Matris ſuæ ædibus in vico dicto *Bush lane* habitans Julij 29. 1693. prægrandi capitis dolore, ægritudine ventriculi & alvi aſtrictione correptus febricitavit: Puer triduum apparatus nullum omnino pharmacum exhibeantur, Venæſectio ab atroci capitis dolore indicata forſan cum Ægrotantis damno omiſſa fuit; ſub finem tertij diei exanthemata ſeſe ubiq; in conſpectum dederunt: prætimore verò quo Æger ubi primùm intellexerat ſeſe Variolis infectum, perculſus erat, ſuborta jam perpetua Cordis palpitatione, de repente ſeſe ſubduxerunt; mane autem ſequenti, Natura certamen recens inſtaurante, rursùs, ubique Exanthemata inter Deliria & Vigilias efflore ſcunt; nihil autem omnino præter Bolum Theriacalem & Julapium Perlatum à pharmacopola qui Ægrum tunc temporis tractabat, miniſtrabatur. Auguſti quarto, die ſc. eruptionis tertio, Ego ad Ægrotantem Vigiliis & delirio laceſſitum & pęne confectum (Exanthematis jam ubique depreſſis, at frequentibus admodùm & pæne cohærentibus] advocatus ſum. Febris aderat vehemens, cum Pulſu celeri & debili, atque palpitatione Cordis fere perpetua conjuncta; qua de causa Spiritus *Alexipharmacis* erigere, atque motus eorum inordinatos *opiatis* compeſcere ſategi, more ſequenti. ℞. *Theriac. Androm. gr. xxv. pulv. e Chel. Canc. comp. Lap. Contrajerv.* an. *gr. xii. Laudan-*

(a) *Variolæ mediæ prope ab benignas accedentes.*

liquid. helmont. gut. xii. Syrup. de Mecon. q. ſ. M. F. Bolus. quem ſumat. Æger quamprimùm ſolut. in Cochleari Julapii ſequent. ſuperbibendo ejuſdem Cochl. iii. vel *iv.* repetatq; denuo hora ſomni. ℞. *Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr.* an. unc. *iv. Epidæm. pæon. comp.* an. unc. *i. pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrajerv.* an. ℈ii. *Syrup. de Mecon.* unc. iß. M. F. *Julap.* de quo cap. Coch. *iv.* vel *v.* agitata Phiala, tertia vel quarta quaq; hora. Ut Liquorum peſſeticum Ficubus, Lentibus &c. alteratum & tepefactum biberet inſuper imperavi. Die proximo. Auguſti nempè quinto, bene dormivit, atque ceſſante palpitatione, ad ſe rediit planè *apyretos*, ideoque licet unam vel alteram Petechiam in pectore efflorescentem deprehenderem, eventum fauſtum expectans, veſicatoriis cruciandum Adoleſcentem non duxi; verùm uſum Julapii continuandum, & Bolum ſtatim, itidemque hora ſomni & mane ſequenti repetendum. Auguſti ſexto, Exanthemata jam demum ſerò licet, influxu Spirituum expanſorum vegeto inflammata in facie, quæ jam mirum in modum intumuit, matureſcere cœperunt, in trunco autem & artubus Tubercula, ut ut margine rubro cincta, adhuc deprimebantur. Guttur à niſu Naturæ inani per ductus Salivales Venenum protrudere molientis inflammabatur; ptyaliſmo autem nullo ſuperveniente, Lingua ob vicinam inflammationem & Variolas quibus copioſè obſeſſa erat, arida & ſcabra redebatur, ſine aliquo alio Febris præſentis ſymptomate conjuncto: quocirca Gargariſmum ſequentem calidum ſiphone faucibus ſæpiùs injiciendum juſſi, uſum Julapii Paregorici continuandum, & bolum hora ſomni repetendum. ℞. *Dec. ficuum* ℔iß. *Mell. Roſ. colat. Diamor.* an. ℥i. M. F. *Gargariſm.* Auguſti ſeptimo bene dormivit, & Exanthemata in trunco versùs maturitatem aliquantulum progrediebantur, uſu Julapii paregorici, & Bolorum Alexipharmacorum mane & veſperi adhuc continuato. Auguſti octavo, ut ut uſu præſcriptorum continuato ſomnus protractus eſſet atq; xanthemata ubique pure turgere inciperent, ex celeritate autem pulſus & linguæ ariditate febrem aliquantulum recruduiſſe deprehendi, ideoque Bolum Alexipharmacum ſub veſperam exhibendum & mane proximo repetendum juſſi, & uſum Julapii Paregorici & Gargariſmi non intermittendum: Auguſti nono, ptyaliſmo demum ſuperveniente atque extremis artuum ex univerſali & æquali Variolarum maturatione intumeſcentibus Æger bene dormit: & *apyretos* jacet, de dolore Exanthematum inflammatorio duntaxat conqueſtus; ideoque Bolum ſolummodo hora ſomni repetendum duxi, atque uſum reliquorum continuandum. Auguſti decimo, morbi ſcil. 12. poſtquam alvum per triduum præcedens ſemel in die ſponte dejeciſſet bonis avibus Æger & Exanthemata ubique in pectore & artubus pure concocto turgerent atque flaveſcerent ſine Febræ præſente. Julapium Paregoricum mane & veſperi durante Morbi declinatione uſurpandum imperavi, & Cochl. j. Mucilaginis ſequentis ſuper linguam imponendum, ad illius Scabritiem à Variolis ortam emolliendam & detergendam. ℞. *Mucilag. Seminæ Cydon. Aq. Plantag. extract.* ℥vi. *Syrup. de Rub. Idæ.* ℥ii. *miſceatur* Exanthemata autem uti maturationem perfectam non ante duodecimum Morbi diem aſſecuta ſunt; ita quamvis pure concreſcente in Tubercula more Variolarum benignarum mutata ſunt, vix autem incruſtata & Scabie obducta penitus erant ante diem Auguſti 13. Morbi autem 15. tandem 17 Auguſti [appetitu jam & temperie integrè reſtitutis] fæces Morbi per alvum deturbandas potione ſequenti mane proximo exhibenda, atque quarto quoque die repetenda juſſi. ℞. *Decoct. Gereon.* unc. *iii Mannæ ſelectiſ.* ℥ß *miſceatur fiat Potio* Atque hoc pacto Ægrotans præter ſpem adſtantium liberatus reconvaluit, nec quivis Morboſus affectus poſtea ſubortus eſt.

HISTORIA XXI.

(a) DOminus *Morthacott* vir ingenio acerrimo, studio Medicinæ operam dans, post exercitia vehementiora præcedenti die admodum fervido diutius protracta, 7. Iunii Anno 1693. Algore & horrore derepente correptus, deinde Calore febrili, Capitis dolore, nausea, cęteriſque Symptomatis Variolarum apparatum vulgò comitantibus laborans decumbebat. Die proximo scil. Iunii 8. Febrem nullatenùs Varioloſam esse suspicatus, ad Symptomata allevanda Chirurgo accersito venam sibi in brachio tundendam, atque sanguinis ℥x. vel xij. detrahendas curavit; hoc forsan perperam, quia nullum Symptoma præter modum urgebat: Cum autem nihil inde levaminis percepisset, Iunii 9. Collegam noſtrum Cl. D. D. *Goodall* accersebat, qui ad efferveſcentiam sanguinis moderandam, sordes oris detergendas, somnum conciliandum, vires Spirituum erigendas atque efferatos eorum motus compescendos, cæteraque symptomata tollenda præscripsit sequentia, ℞ *Aqu. Cichor. Cardu. an.* ℥iß. *Salis Absinth.* ℨß. *Spir. Vitriol. gut. xx.* M. F. *Hauſtus*, quem cap. secunda pom. & Sudoribus indulgeat. ℞. *Aqu. Hord. optimè depurat.* ℔j. *Syrupo Viol. è Succo Citr. Lujul.* an. ℥i. M. F. *Julap.* do quo bibat ad libitum urgente siti. ℞. *Pulv. è Chel. Cancr. comp.* ʒj. *Sal. Prunel. CC. volat. optimè rectificat. an. gr. vj. Laudan. Lond. gr. j. Confect. Alcherm. ſ. odorat. q. ſ.* M. F. *Bolus* quem deglutiat octava vespertina superbibendo hauſtum liquoris Posset ici *Salvia* alterati ℞. *Aqu. Hord. optimè depurat.* ℨiv. *Spirit. Vitriol. gutt. xv. Syrup. è Mor.* ℨj. M. F. *Gargariſm.* ℞. *Mucil. Semin. Cydon. Extract. Syrup. è Rub. Idæ* ℨvj. M. F. *Mucilago* super linguam sæpiùs tenenda. Applicetur *Veſicatorio* riorum ad Nucham quamprimùm, vel saltem sub vesperam. A primo Morbi insultu una altera variola prænuncia cęteris major in manu se prodiderat, jam vero sub tertij diei vesperam Exanthemata ubique cœperit admodùm Discreta; Ægrotans autem inquietus & vigil tota nocte deliravit Iunij 10. *Decoctum album* præscriptum erat ad sitim sedandam, Pulvis etiam sequens è Cochl. uno Iulap. sequent. statim exhibebatur, propinatis subinde ejusdem Cochl. iij. *Pulv è Chel. Cancr. comp.* ʒj. *Sacchar. Perlat.* ℨß. M. F. *Pulvis.* ℞. *Aqu. Lact. Meliſſ. an.* ℥iii. *Epidem Cinam. Epidem. Hord. an.* ℥i. *Margar. ppt.* ℨj. *Sacchar. alb.* ℥iij. M. F. *Julap.* Cùm autem vigiliæ & Delirium adhuc urgerent, sub vesperam Hauſtus sequens Paregoricus miniſtrabatur, atque alter ejusmodi parabatur media nocte propinandus, modo Æger somnum non caperet. ℞. *Aqu. Lac.* ℥ij. *Epidem. Cinam Hord. an.* ℥iii. *Laudan. liquid. gut. xij. Syrup. de Mecon.* ℥i. *Spir. Vitriol. gut. vij.* M. F. *Hauſtus.* Hauſtu hoc propinato aliquantulùm dormire cœpit, minus delirabat, neque multum febricitabat; Exanthemata autem numero in dies aucta jam demum Iunii 11. [quo die Ego consultandi gratia accersebar] fere cohærebant, ubique autem depressa erant & semimortua. Pulsus insuper languebat, atque somnus [spiritibus adhuc veneno irretitis & inde in motus inordinatos adactis] usu Opiatorum non facilè Ægrotanti conciliabatur: unde rectè conjecimus Morbum post Crisim imperfectè peractam, mediam naturam sortitum esse, atque Febrem subinde post liminio instanti maturatione redituram, nisi Spiritus *Alexipharmacis* cum *Opiatis* conjunctis & copiose exhibitis demum expansi, venenum jam saltem ultimo Eruptionis die fortiter propulsare valerent, & tumultus eorum componerentur. Ideoque postquam liberum ei fuit sese ab uno latere lecti in alterum volvendo immodicos sudores quibus jam ubique scatebat, compescere, Cochl. v. vel vj. Julap. sequent. agitata phiala quarta quaque hora propinavimus, ℞. *Aqu. Ceraſ. nigr. Meliſſ. Cinam. Hord. an.* ℥iij. *Epidem. Pæon. comp. an.* ℨj *Lap. Goæ, Pulv. è Chel. Cancr. comp. an.* ʒii *Syr-*

de

[a] *Variolæ Mediæ prope ad Malignas accedentes.*

de Mecon. ℥iß. M. F. *Julap.* Hauſtum inſuper paregoricum nocte præcedenti præſcriptum illicò exhibendum juſſimus; & Hauſtum ſequentem hora ſomni miniſtrandum & media nocte, atque craſtina aurora, ſi modo vigiliæ id poſtulaverint, repetendum. ℞. *Aqu. Lac. Flor. Paralyſ. an.* ℥iß. *Epidem.* ℥iii. *Succ. Lim. ſemicochleare, Laud. liq. Sydenh gut. xij. Syrup. de Mecon.* ℥vi. Uſus Julapii Perlati & Decocti albi non intermittebatur. Non obſtante autem Opiatorum copia ægrè admodùm ſomnum capiebat, aliquantulùm etiam delirabat, Exanthemata ubique in apicibus depreſſa albeſcere incipiebant. Reverſi Junii 12. primo vero maturationis mane, uſu Opiatorum aſſiduo motus Spirituum vacillantium inordinatos compeſcere adhuc moliebamur, more ſequenti. ℞. *Aqu. Lac. Ceraſ. nigr. an.* ℥iß. *Pæon. comp. Epidem. an.* ℥ii. *Laudan. liquid. Sydenh. gut. xv Syrup. de Mecon.* ℥i. M. F. *Hauſtus* illico exhibendus & poſt quatuor horas repetendus niſi ſomnus obrepat; Julapium Paregoricum adhuc quarta quaque hora repetendum, & Julapium Perlatum pro re nata miniſtrandum juſſimus, & Liquorem Poſſeticum *Ficubus & Cicer. rubr.* alteratum in locum Decocti albi ſubſtituimus. Fruſtra autem in tanto Spirituum languore Opiatis & Alexipharmacis minoribus ſcopum attingere contendimus: ſub veſperam enim reverſi, Ægrotantem invenimus vigilem, inquietum & delirum, adeo enim Spiritus veneno irretiti, Opiatis opprimebantur, non tantùm depreſſu Cerebri gravativo, ſed etiam de Spirituum defectu & ſummo languore conqueretur, ac ſi illicò animam efflaturus foret; quocirca Julapio cum Speciebus, & Opiatorum uſu non omiſſo, ad *Alexipharmaca ſequentia majora* & *Veſicatoria* confugimus, ℞. *Theriac. Andromic.* ℥ß. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayer v. Rad Serpentar. Virgin. an.* ʒß. *Caſtor. gr. vi. Laudan. Lond. gr. ii.* M. F. *Bolus* ſtatim exhibendus cum hauſtu Julapii Perlati, repetenduſque quarta quaque hora, ſi Vigiliæ urgeant. Unciam etiam unam. *Aquæ Epidem.* Julapio Perlato addidimus, atque Veſicatoria ij. ampla & acria ad interna brachia ſupra Pulſu applicanda juſſimus. Media autem nocte, incipiente jam ſecundo maturationis die, Æger algore correptus ad horæ dimidium deliquium paſſus eſt; mane autem ſequenti Iunii ſcilic. 31. reverſi Febrem continuam, verùm neque Petechiis, neque alia quavis nota exitiali comitatam recens accenſam ex ſiti, oris ariditate & Pulſus celeritate deprehendimus: ſpiritibus autem hoc pacto quadantenus expanſis, Ægrotans jam demùm placidè dormiebat atque delirare deſinebat, Exanthemata jam maturationem aliqualem aſſequi incipiunt, Facies quadantenus intumeſcit, & Ptyaliſmus, exulante jam Gutturis dolore, ſupervenit, ideoque Bolum Alexipharmacum abſque Laudano ſtatim exhibuimus, & cum Laudano media nocte miniſtrandum juſſimus, modo vigiliæ reverterentur; ad Ptyaliſmum etiam promovendum. Gargariſmum ſequentem tepidè faucibus Siphone ſæpius injiciendum curavimus, atq; uſum Liquoris Poſſetici ante præſcripti, Iulapii Perlati, & Iulapii Paregorici cum Speciebus repetendum, ℞. *Decoct. Ficuum* ℔ii. *Mell. Roſ. colat. Diamor. an.* ℥i. M. F. *Gargariſ.* Per biduum jam ſc. 14. & 15. Junii res Ægrotantis ferè in eodem ſtatu manent, Febris adeſt mitis, verùm continua. Ptyaliſmus levis protenditur, facies & extrema artuum quadantenus incraſſantur, non verò in tumorem altum attolluntur, utcunque durante hac levi Naturæ velitatione parcior Opiatorum uſus Vigilias & Delirium arcebat; ideòque uſu Julapii Paregorici cum Speciebus quarta quaque hora miniſtrati jam contenti, Bolum Theriacalem abſque Laudano ter in die miniſtrandum parari imperavimus, verum cum *Laudano* modò fortè Vigiliæ reverterentur. Sub finem autem diei 15. viribus jam in veneno propulſando Naturam quadantenus deficientibus, (cujus rei voluntaria oculorum apertio, & tumor faucium diminutus primum ſignum dedit) Æger properè ante maturationem Variolarum completam, ultimum ſuum Declinationis ſtadium iniiſſe: ideo-

deoque *Bolum Theriacalem* cum *Laudano* hora decima ministrandum jussimus & post quatuor horas elapsas repetendum, modo vigiliæ vel deliria augerentur, sexta autem matutina absque *Laudano Vesicatoria* duo parabantur ad Tibias applicanda, si modo vigiliæ vel delirium istud remedium postularet, Iulapium Paregoricum repetebatur. Verum Jun. 16. ut ut ab Opiatis Ægrotantis somnis protraherentur, nihil autem inde melius se habuit; Morbo enim jam evidenter funeste declinante, Variolæ ubique cohærentes scabie una continuatæ, eaque nigra obductæ, derepente in facie incrustantur, in trunco autem & artubus sero limpido potius quam pure maturo semiplenæ ubique subsidunt, Ptyalismus exulat, extrema non ut prius incrassantur, urina pauca & quasi sana redditur; Natura denique haud amplius per Cutim, Ductus salivales vel extremas partes Venenum superstes protrudere potis prorsus triumphata succumbit; Æger post dejectionem liquidam & copiosam mox vigilat & delirat, Pulsus celer, inordinatus & languidus indicia fati appropinquantis haud obscura exhibet; ideoque nonis visum est, applicatione Vesicatoriorum præcedenti nocte perperam omissorum, atque diligenti & sæpius repetito *Alexipharmacorum* & *Opiatorum* usu, Spiritus expandere, & effrænatos eorum motus compescere pro virili moliri atque ope *Cinerum Bufonum* Lympham venenatam per Cataractas Renum deturbare; quo nomine *Vesicatoria* ij. ampla & acria ad internas Tibias statim applicantur, atque *Bolus Theriacalis* cum *Serpentar. Virgin.* ℈j. *Laudan. Lond. gr. ii.* & *Ciner. Bufon.* ℈j. illico exhibetur, quarta vel quinta quaque hora repetendus, cum vel sine *Laudano* pro ratione Dejectionum, Delirii & Vigiliarum. Insuper liq. posletic. cum vino Canar. & ℥ij. *Decoct. albi* cum *Vin. Canarin.* ʒii. & *Sacchar. albiss.* ʒi. pro potu ordinario parantur; & Vinum Canarinum meracum cum vel sine Spirit. CC. in Deliquiis vel magno quovis languore conceditur. Mandatis hisce nostris strenuè executis bene dormit Æger, atque rursus mente integra fruitur, alvo etiam adstricta, Urinæ quantitatem triplo majorem quàm priùs reddit, ideoque die 17. *Bolum Theriacalem* cum *Ciner. Bufon.* & Laudan. *Mond. gr. ii.* rursùs exhibuimus; Febris enim (ut ex Pulsu patebat) adhuc aderat, vesperi Bolum sine Laudano repetebamus, & alterum cum Laudano in promptu esse media nocte exhibendum, si vigiliæ urgerent vel alvus iterum fueret, curavimus. Mentis adhuc compos bene dormit, & urinam copiose reddere pergit: quandoquidem vero adhuc febricitaret, atque inde somnum minus placide caperet, die 18. Bolum Theriacalem cum *Serpentar. Virgin. Ciner. Bufon.* & *Laudano* rursus statim exhibendum duximus repetendumq; hora somni, & (nisi interea bene dormiret) media nocte, absq; Laudano vero aurora proxima; isto die Morbi sc undecimo, declinationis vero tertio vel quarto, post dejectionem alvi moderatam, Pulsus, Lingua & Temperies Patientis bene se habebant, Febris exulabat, Exanthemata in trunco & artubus, quamvis cruda, depressa & sero minus cocto semiplena sensim declinabant, ideoque solummodo Iulapium Paregoricum cum Speciebus quarta quaque hora repetendum jussimus, atque Bolum cum *Ciner. Bufon.* & *Laudan.* exhibendum (hucusque enim urina fluebat copiose) modo vigiliæ vel Fluxus alvi reverterentur. Die vicesimo) Collega Cl. in rus vocato) cum animadverterem Patientem plane reconvalescentem, nisi quod nares & trachæa glutinoso phlegmate & Scabie molestè obturarentur, præter usum Iulapii Paregorici repetendum Apozematis sequentis Cochl. *xii.* tepide sexta quaque hora propinanda jussi, ℞. *Decoct. Pector. depurat.* ℔i. *Tinctur. Croc. Syrup. è 5. Rad. an.* ʒi. M. F. *Apozema*. Et ad nares deobstruendas, mixturam sequentem tepidam naribus leniter Siphone injiciendam, unde sordibus glutinoso & viscido humore implicatis excitata sternutatione detersis, vir ingeniosissimus me adstante à molesto symptomate de-

re-

derepente liberabatur. ℔. *Decoct. Pectoral.* ℥iv. *mell. Ros. Ol. Amyg. dulc.* an. ℥ß. M. atque cùm jam res Patientis erant in vado, id pensi quod supererat expertissimo & sagacissimo Collegæ jam è rure reverso absolvendum reliqui. Vir Cl. Iunii 29. sanguinis ℥ix. è brachio detrahendas jussit, atque die proximo Potionem sequentem alto mane propinavit. ℔. *Tamarind.* ℥ß. *fol. senn.* ℥ii. *Rhub. incis.* ℥iß. Coq. in F. q. s. ad ℥iiiß. Sub finem Coctionis addendo *Cremor. Tartar.* ℥i. in colatura dissol. *Mannæ selectiss.* ℥vi. *Syrup. ros. solutiv.* unc. ß. *e Spin. Cervin.* ℥ii. M. F. *Potio.* Quę repetebatur Iulii tertio, & peracta purgatione: Haustus paregoricus sequens propinabatur. ℔. *Aqu. lactis* unc. *ii. cinnam hord. epidem* an. unc. ß. *laudan. liquid. gut.* 12. *syrup. de mecon.* unc. ß. *Confect. de Hyacinth.* ℈i. M. Die Iulii 6. alvus subducebatur Pilulis sequentibus post primum somnum deglutitis. ℔. *Mass. Pil. Cochl. mai.* ℈. *ii. Tartar. Vitriolat. gr. iii. Ol. Juniper. Chym. gut. ii* M. F. Pil. *v.* deaurand. Die Iul. 9. Pilulæ prædictæ additis *Diagrid. gr. iii.* repetebantur primo mane, & hora somni propinabatur Haustus paregoricus antè descriptus.

Hoc pacto Vir ingeniosissimus & [si mihi vaticinari fas sit) futurus olim nostræ facultatis decus & ornamentum, ex Orci faucibus ereptus demùm reconvalescebat, nec ærumnosum aliquem affectum deinde passus est; tantùm appetitus non statim integre restitutus est, nocturnis sudoribus madebat, atque facies furfuracea scabie in dies renascente quadantenus deformabatur: quo nomine cum post hebdomadas aliquot grato animo me invisit, suasi ut *corticis peruviani* unc. *i.* quamprimùm devoraret, ad reliquas venenati fermenti adhuc intus cohibitas (horum malorum proculdubio causam) delendas, quas tamen nullus dubitabam Naturam viribus propriis instructam tractu temporis longiori edomituram. An monitis nostris hac in re morem gessit, Mihi non constat: ex literis vero ab illo non ita pridem scriptis, intelligo eum perfecta valetudine uti.

HISTORIA XXII.

(a) *Johannes Jorden*, Servus Domini *Tod*, Pharmacopolæ, habitantis in vico dicto *Ave-Mary lane*, Adolescens 16. annos natus, die Sabbati Iulii 23. post citam & diutinam obambulationem tempestate præfervida, dolore capitis immani & Spasmis Lumborum excruciantibus correptus, sine algore, horrore, vel febre evidenti, decubuit, spiritibus vehementi dolore multum diuque attritis, [in cuius allevationem illico me indice celebranda, atque inde Opiata & alexipharmaca ministranda erant, quæ in hoc casu perperam emittebantur] die proximo Variolæ admodum frequentes & parvæ erumpere cœperunt. Ego die 26. accersitus deprehendi febrem continuam, pulsum debilem & celerem, temperiem verò ob spirituum languorem mitem, accesserunt Vigiliæ pertinaces, Iactatio inquieta, Dolor capitis vehemens & gravativus, Exanthemata ubique liveścebant, & languebant, & cum petechiis illic sparsis conjungebantur. Igitur Vesicatorium statim ad Nucham applicandum jussi, atque Bolum sequentem illico exhibendum, repetendumque vesperi cum vel sine *Laudano* pro ratione vigilarum: ℔. *Theriac. Androm. pulv. e chelcancr. comp. lap. contrajerv. Serpentar. Virg.* an. *gr. vii. laudan. lond. Syrup. caryoph. q. s. M. F.* Iulapium etiam *paregoricum cum Speciebus* sæpius propinatum est. Die 27. ut ut usu Opiatorum Æger aliquantisper sopitus fuerat, tamen dolore capitis vehementi adhuc laborabat, Exanthemata ubique depressa pene cohærebant atque Petechię numero & magnitudine augebantur, atq; inde *Bolum* cum *Laudano* & *Serpentar. Virg.* sexta quaque hora repetendum, atq; *Vesicatoria* etiam ad carpos applicanda duxi, atque Vinum Canarinum frequenter propinandum. Die 28. Exanthemata præter spem adstantium, cessante jam Febre & Capitis dolore, atque suborra Salivatione, ubique quadantenus acuminata maturescere incipiunt, Petechiæ evanescunt,

(a) *Variolæ cohærentes & malignæ.*

evaneſcunt, Æger quietæ dormit, ſpes affulget, ideòq; Bolorum uſum ſexta quaq; hora adhuc repetendum imperavi, atq; Liquorem noſtrum *Ficubus*, &c. alteratum pro potu ordinario uſurpandum. Die 29. Natura per ductus ſalivales hoſtem haud ampliùs propellere valente, Ptyaliſmus derepente atque inopinato ſubſiſtit; Æger autem non obſtante pulſus debilitate & oppreſſione adhuc *apiretos*, mente integra fruitur, & bene dormit, extremæ autem partes nequaquam intumeſcebant, ideoq; Boli ſexta quaque hora adhuc repetebantur, additis unicuique Bolo *Ciner. Bufon. gr. xv.* Die Iulii 30. Morbi verò 7 Æger Urinam reddit copioſam & benè dormit. Exanthemata in facie pure concocto turgida legitimè maturantur, in trunco autem & Artubus cruda & depreſſa manent, Pulſus acceleratur, & ulcuſcula à Veſicatoriis excitata creſcunt, ideoque *Veſicatoria* ii. ampla & acria primo hoc Declinationis momento ad Tibias internas applicanda curavi, & ut perſeveraret in uſu bolorum ſexta quaq; hora, & Vini canarini, & liquoris poſſetic. medicat. mandavi. Die 31. manus (febre unum tenorem adhuc ſervante, & Urina copioſè reddita) intumeſcere incipiunt, atque Exanthemata in pectore & brachiis quadantenus matureſcere, in cruribus adhuc deprimuntur, dormit verò ſatis Æger & mente ſana fruitur, ideoque in uſu bolorum adhuc ſexta quaq; hora perſeverandum duco. Aug. 1. nono autem Morbi die Exanthemata in pectore & brachiis humore aquoſo referta Scabie obduci incipiunt, una manus inſigniter intumeſcit, atque Febris, Natura jam victoriam aliqualem reportante, poſt exacerbationem præcedenti nocte notabilem bonis avibus in *Synochi* evidenter mutatur, ideoque ad expanſionem Spirituum ſuſtentandum Bolos Alexipharmaca ſexta quaque hora adhuc repetendos juſſi, atque hauſtum febrifugum ſequentem in mediis Bolorum intervalis propinandum. ℞. *Aqu. Cardu.* unc. ii. *Epidem. ſyrup. carioph.* an. ℥ii. *pulv. ſubtiliſſ. cortic. peruv. elect.* ℥i. M. F. *Hauſtus*. Ad Phlegma viſcidum ad tonſillas adhærens educendum *Gargariſmum* ſequentem Siphone calidè & ſæpe faucibus injiciendum curavi; ℞. *Decoct. ficuum* ℔ß. *Mell. roſ. colat.* unc. iß. M. F. *Gargariſm.* Aug. 2. variolæ ubiq; in corpore membranas pellucidas ſimulantes areſcunt, præterquam in facie, ubi pure magis concocto, in tubercula concreſcunt, pedus vero quadantenus adhuc intumeſcunt. Æger poſt exacerbationem febrilem nocturno tempore contingentem [urina adhuc copioſè reddita) placidè dormit & minimè delirat; quocirca uſum bolorum & hauſtum febrifugorum adhuc ſexta quaque hora repetendum duco. Aug. 3. Exanthemata jam ubique etiam in ipſis cruribus arefactis, febrilis paroxyſmus media nocte vehementior recrudeſcit, eo autem horis matutinis declinante Æger rurſus bene dormit, atque mente integra fruitur, Phlegma ope Gargariſmi copioſè educitur; inter dormiendum tamen Æger ſuſpiriosè reſpirat, atque crura tremore Convulſio ſæpius agitantur, ideoque bolos & Hauſtus febrifugos adhuc præſcribo ſexta quaque hora repetendos: cum autem nocte ſequenti Æger bene dormiret, atque nullam exacerbationem paſſus, quod cætera omnia bene valeret, Bolum, & Hauſtum febrifugum ſolummodò bis in die, ſcil. nocte & manè, exhibendum juſſi. Aug. 5. morbi 13. Patientem planè *apyretos* inveni, eique valedixi, poſtquam Bolum per duas noctes ſequentes ſumendum, & *linimento* ex *Oleo Amygd. dulc.* & *Sperm. Ceti* faciei illinendum, atque *Emulſionem* ad Dyſuriam jam ſubortam tollendam præſcripſeram. Atque hoc pacto Adoleſcens Artis ope proculdubio ſanatus reconvaleſcebat, & hucuſque integra valetudine utitur.

HISTORIA XXIII.

(a) *Georgius Reade*, Juvenis robuſtus, ſervus Domini *Careshy* in vico dicto St. *Thomas*

(a) *Variolæ mediæ diu depreſſæ & pene coherentes cum febri Synochi durante maturatione conjunctæ.*

mas Apostle, sub finem mensis Decembris 1692. Febre Variolosa cum symptomatis usitatis conjuncta corripiebatur. Tertio Morbi die, nempe primo Ianuarii, Variolæ discretæ erumpere cœperunt, Veneno verò nescio quam ob causam minus perfectè eliminato, Exanthemata [febre adhuc perstante] in dies nova suppullularunt languida ubiq; & sessilia, donec tandem tertio die magna ex parte planè cohærerent, Morbo mediam indolem sortito. Tertio autem Januarii, quo primùm Variolas matureſcere oportuit, deprimebantur ubiq; Exanthemata, & in apicibus albescebant, Æger tota nocte frequentibus deliquiis tentatus, Vigil & ferociens ęgrè in lecto detinebatur, & eodem modo se habuit nocte sequenti. Proximo autem mane, nempe Januar. 5. cum ego primùm à Domino *Marlovv* Pharmacopola exercitatissimo & ingeniosissimo ad Juvenem re pene desperata advocarer, Variolas animadverti secundo hoc Maturationis die sessiles ubique & semineces, Pulsum debilem & quadantenùs celerem, temperiem mitem, Ægrotantem insomnem, hebetem & nonnihil delirum, ideoque Bolum sequentem in Cochl. Julap. sequent. solut. statim exhibendum jussi, & media nocte atque aurora sequenti repetendum, nisi somnus interea obreperet, & Cochl. *iv.* vel *v.* ejusdem Julap. superbibenda, ℞. *Theriac. Androm. pulv. e chel. cancr. comp. an.* ʒß. *Laudan. liquid. Helmont. gutt. xii. Syrup. Caryoph. q. s.* M. F. *Bolus* ℞. *Aqu. Meliss. Rut. Ceras. nigr. an.* ʒiii. *pæon. comp. Epidem. Syr. Caryophn. an.* ʒiß. M. F. *Julap. Vesicatoria* etiam iij. ampla & acria ad Nucham & Carpos interno illicò applicanda imperavi, & liquorem *Possetticum* nostro modo alteratum tepidè & copiosè ministrandum. Hinc Æger bene dormit, & meliùs se habet, exacerbatione autem media nocte recurrente, rursus insomnis factus per aliquot horas furit & delirat. Mane vero proximo ad se redit, atq; Exanthematis vigentibus & quadantenus matureſcentibus fere *apiretos* dormit. Ex febre *Sinechcos* typum servante (quod oppidò rarò in hoc Morbi tempore hactenus observatam) certior factus, sat virium Spiritibus superesse ad vires *corticis peruv.* in actum ducendas, Januar. sexto Haustum sequentem illico propinandum jussi, itidemque quarta pomerid. septima & decima vespertina, crastina aurora, & deinceps quarta quaq; hora repetendum. ℞. *Aqu. Cardu. Cinnam. Hord. an.* ʒi. *Aqu. Epidem.* ʒii. *Pulv. subtiliss. Cortic. Peruv elect.* ʒi. *Syrup. Caryoph.* ʒii. M. F. *Haustus. Bolum* etiam *Theriacalem* cum *Laudano* hora undecima noctis paulò ante expectatum paroxysmum ad vires Spiritum suffulciendas, & symptomata durante exacerbatione corrigenda exhibendum curavi, utque usum Julapii Cordialis repetendum. Quandoquidem verò Variolis tardè matureſcentibus & veneno Glandulas salivales demùm sollicitante Dolor inflammatorius in Gutture suboriri jam cæperit, Gargarismum ex *Decoct. Ficuum*, *Mel. Ros. colat.* & *Diamor.* Siphone sæpius in die faucibus injiciendum jussi. Nocte sequenti Æger tempore exacerbationis aliquantulùm friget & horret, non tamen, vel deliquio, vel evidenti Febre tentatur, & placidè dormit, Ptyalismus supervenit & manus quadantenùs intumescunt, & Variolæ ubique aliquantisper matureſcunt, ideoque Ianuar. 7. Haustum Febrifugum statim exhibendum repetendumque jussi quarta pom. septima vespertin. & crastina aurora, *Bolumque Cardiacum* rursùs ut priùs ante mediam noctem ministrandum cum haustulo Iulap. & Gargarismum adhuc usurpandum & Cochl. iv. vel v. Iulap. sequente quarta quaq; hora propinanda, præsertim durante exacerbatione. ℞. *Aqu. Meliss. Rut. Ceras. nig. an.* ʒiii. *Epidem. pęon. comp. Sjrup. Caryoph. an.* ʒiß. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an.* ℈ii. M. F. *Julap.* Nocte sequente febricitat aliquantulùm Æger per quatuor horas, Variolæ in facie & pectore exarescere incipiunt, in manibus autem priùs cohærentes confluunt, sero minimè cōcocto semiplenæ, Guttur adhuc dolet, Ptyalismus manu utraque insigniter intumescente

&c.

declinat; ideoque Ianuar. 8. tres hauſtus Febrifugos, quarta ſcil. pomerid. ſeptima veſpertina & mane proximo exhibendos juſſi, Bolum Cardiacum hora ſomni repetendum, Gargariſmum ſæpius uſurpandum, & Iulapium cum Speciebus ut antè miniſtrandum, cùm autem Paroxyſmus febrilis nullatenùs nocte proxima recruduiſſet, ſolummodò Bolum Paregoricum Ianuar. 9. hora ſomni & mane ſequenti repetendum duxi, atque *Gargariſmus & iulapium cum Speciebus* ut ante exhibendum, atque ad expectorationem Phlegmatis in bronchiis jam concreſcentis promovendam Cochle. *x.* vel *xii.* Apozem. ſequent. calidè ſæpius propinanda, ℥ *Decoct. Pectoral. depurat.* ℔iß. *Tinctur Croc. Syrup. Capill. Ven. an.* ℥iß. M. F. *Apozema*. Ianuar. 10. eadem, quæ præcedenti die præſcripſeram, repetebantur, Ianuar. verò 11. Morbi verò 14. cùm Æger iterum febricitaret, & levem quandam exacerbationem nocte præcedenti paſſus eſſet, atque dyſuria tentatus urinam ægrè retineret, Hauſtum febrifugum illicò exhibendum & mane proximo repetendum juſſi, Bolum Cardiacum hora ſomni iterùm miniſtrandum, uſum Gargariſmi & Iulapii cum Speciebus non intermittendum, atque Cochl. x. vel xij. Emulſionis ſequentis tertia vel quarta quaque hora propinanda, ℥. *Sem. iv. frig. mai. an.* ℥i. *Semin. papav. alb* ℥ß. *Amyg. dulc. decortic. nu vii. Aqu. Hord. depurat* ℔iß. *Emulſio*, cui add. *Aq. Roſ. rubr.* ℥ii. *Sacchar. alb.* ℥iß. Ianuar. 12. Morbi 15. Patientem planè *apyreton* urinam copiosè ſine Dyſuria reddentem & ab omni ærumnoſo ſymptomate liberatum inveni, ideoque ſolummodò gut. xx. *Laudan. liquid.* in Hauſtu *iu lap. Cordial. Simplicis* duabus noctibus ſequentibus hora ſomni miniſtrandas, atque Linimentum ex *Ol. Amygd. dulc. & Spermate Ceti* pro facie parandum curavi. Demùm Ianuarii 24. reverſus, cùm Patientem robuſtum, cibi appetentem, & nullo morboſo affectu tentatum animadverterem, Potionem ſequentem proximo propinandam & quarto quoque die repetendam juſſi, ℥. *Decoct. Sennæ Gereon.* ℥iv *Mannæ ſelectiſſ.* ℥iß. M. F. *Potio*. Addatur, ſi opus fuerit, Potioni ſecundæ & tertiæ *Syrup. de Spin. Cervin.* ℥ß. Convaleſcebat inde Iuvenis præter ſpem pharmacopolæ & Aſtantium, & huc uſque firma valetudine utitur.

HISTORIA XXIV.

(*a*) Domina *Smith*, virgo elegans, habitans ad Inſigne *iridis* in vico dicto *Feterlane* ægrotans 6. die menſis Auguſti anno 1691. decubuit, die nono erumpebant Variolæ diſtinctæ, quæ in dies uſque ad duodecimum, [Febre adhuc perſeverante] more Mediarum Variolarum numero augebantur, demum frequentes & penè cohærentes, ubique verò flaccidæ & depreſſæ ſuborta notabili ſalivatione ſine febre matureſcere cœperunt. Ptyaliſmo verò neſcio quam ob cauſam [hactenus enim à Domino *Bradford* pharmacopola habitante in vico dicto *Old-Baily* tractabatur] ante perfectam Exanthematum maturationem derepente, die decimo ſexto ſubſiſtente, tota nocte ſequenti vigil & delira Ægra vehementem febrilem paroxyſmum ad xij. horas protenſum perpeſſa eſt. Die proximo nempe Aug. 17. & Morbi xj. Ego primum accerſitus, ex pulſu debili & celeri Febris remiſſionem deprehendi, Exanthemata animadverti ubique depreſſa, lympha non pure concocto ſemiplena, Ægram vigilem, deliram, non tamen ut præcedenti nocte furentem: ideoque ad Spiritus erigendos, eorumque vacillantium motus inordinatos compeſcendos, *Veſicatoria* ij. ampla & acria ad internos Carpos ſtatim applicanda juſſi, atq; Cochl. iv. vel v. *iulap.* ſequent. (agitata phiala) quam primum exhibenda, & deinceps quarta quaque hora repetenda ℥. *Aq. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an.* ℥iv. *Pæon. comp. Epidem. an.* ℥i. *pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an.* ℥ß. *Syrup. de Me-*

con.

(a) *Var. Mediæ poſt imperfectam maturationem in declinatione Febre* Synechei *exceptæ*.

con. ℥iß. M. F. *Iulap.* Atque primo ejus hauſtulo, & proximo mane *gut. xv. Laudan. liquid.* inſtillent. Inſuper Iulapium ſequens ad libitum propinandum præſcripſi, ℔. *Aqua Lactis Alexiter* ℥viii. *Epidem.* ℥ii. *Syrup. Caryoph.* ℥x. M. F. *iulap.* Hinc ſomnum capiebat, & mente ſana fruebatur uſque ad mediam noctem, quo tempore certamine à Natura recens inſtaurato, paroxyſmum alterum penè ad xii. horas vigil & furibunda perpeſſa eſt. Quocirca 18 Auguſti doſin *Laudani* in Hauſtu *iulap. cum Speciebus* rurſus ſtatim exhibendam, itidemque mane proximo repetendam juſſi, atq; utrumq; Iulapium adhuc uſurpandum ut prius: Cum autem nocte ſequenti alteram exarcebationem cum vigiliis & delirio conjunctam non obſtante Alexipharmacorum & Opiatorum uſu, ſtata periodo jam tertia vice recurrentem obſervaveram: Febrifugas *Corticis peruviani* vires in caſu hoc deplorato experiri decrevi, ideoque Hauſtum ſequentem Aug. 19. illicò propinandum juſſi, repetendumq; quarta quaque hora extra paroxyſmum, ℔, *Aqu, Cardu,* ℥ii, *Epidem, Syrup. Carioph, an,* ℥ii, *Pulv, ſubtiliſſ. Cortic, peruviano elect,* ℥i, *Laudan, liquid, Helmont, gut, xii,* M, F, *Hauſtus,* Durante Paroxyſmo perſtabat Ægrotans in uſu Iulapii cum Speciebus. Auguſti 20, poſt paroxyſmum finitum Hauſtum Febrifugum iterùm quarta quaque hora ad iv, vices repetendum imperavi, nocte ſequenti nullus repullulabat Paroxyſmus, ingenti autem Ptyaliſmo demum reduce, & fluxu alvi ſuborto, Patiens planè *apyretos* jacuit, atque ut ut debilis & languida ſomnum placidum capiebat & delirare deſinebat, ideoque Auguſti 21, *Decoctum album* ſuffeci in locum Potus ordinarii, atque *gut,* 14, *Laudan, liquid,* in hauſtu Iulapii ſequentis ſtatim propinavi, ℔, *Aq, Meliſſ, Ceraſ, nigr, an,* ℥iii, *Cinnam. hord,* ℥iv, *Stephan, unc, ii, Syrup, Caryoph, unc,* iß, M, F, *Iulap,* De quo bibat ad libit, atque Bolum ſequentem hora ſomni miniſtrandum curavi cum Hauſtu *iulap,* ℔, *Theriac, Androm, pulv, ē chel, cancr, comp, an,* ℥ß, *Sirup, Carioph, q, ſ,* M, F, *Bolus.* Cùm autem Auguſti 23, Patientem languore & ſuffocationem (alvo jam conſtricta] more Hyſtericam tentatam animadverterem, aliquid venenati fermenti adhuc ſupereſſe conjeci, quod Spiritus agitando, licet paroxyſmis febrilibus ſtato tempore inſtaurandis haud par eſſe, ſaltem eos in incertas exploſiones adigere poſſet, ideoque Bolum ſequentem quam primùm deglutiendum juſſi, repetendumque deinceps ſexta quaque hora ad tres vices, unà cum Hauſtu Iulap. ſequent. ad libitum etiam pitiſſandi, atque *Spir, Salis Armoniac,* ſepius in languoribus olfaciendum, ℔, *Pulv, ſubtiliſſ, cortic, peruv, elect,* ℈ii *caſtor, gr,* iii, *Laud, liquid, helmont, gut, xii, Sirup, carioph. q, ſ,* M, F, *Bolus R, Aq, Rut, Meliſſ Ceraſ, nigr, an, unc,* iii, *Brion, pæon, comp, Sirup, pæon, comp, an, unc, i, m,* M, F, *iulap,* Inde reconvaluit virgo, nec ullum omnino morboſum affectum paſſa, in ruſeſe contulit priuſquam Catharſin quamcunque præſcripſiſſem.

HISTORIA XXV.

a Dominus *Jones* cognitor, annos 26. natus, habitans in vico dicto *Shoe lane,* ſub veſperam diei 13, Februar, 1691, prægrandi Capitis dolore correptus ſine quovis evidenti Horrore vel Algore, die 14, ægrotans licet & crebro vomens per totum diem obambulabat, ſub veſperam vero ſudore frigido ſæpius perfuſus, & Lumbagine plurimùm attritus, cœpit quidantenus febricitare. Sub veſperam diei 15, Exanthemata ubique in cute derepente efflorescunt confluentia, vel racematim cohærentia. Die 20, Februar, ſeptimo autem Morbi; quo ego accerſitus ſum Ægrotans, cujus Pulſus erat tunc temporis celer admodùm & debilis, temperies vero mitis planè inſomnis jacebat & attonitus, & penè delirabat: Febris enim (Veneno neque per Exanthemata quæ ſecundo maturationis die ubique ſeſſilia exareſcebant, neque per ductus

(a) *Variolæ confluentes & Malignæ, demum Febre* Synechei *exceptæ.*

ctus Salivales qui obturbantur, fortiter propulsato] indolem prorsus malignam sortiebatur, uno tenore progressa est, & mortem præ foribus adstare denunciavit. Æger de vigiliis tantum conquerebatur. Ideoque re adeo desperata Spiritus languidos stimulare, motusque eorum inordinatos compescere more sequenti sategi. Applic. statim ad Nucham & carpos internos *Vesicatoria* iii. ampla & acria. ℞. *Theriac. Androm. pulv. è chel. cancr. comp. an.* ʒß. *Laudan. liquid. Helmont. gutt. xiv. Syrup. Carioph. q. s.* M. F. *Bolus*, illico exhibendus, repetendusque hora somni & crastino mane, post singulos Bolos & ad libitum propinetur cochl. iv. vel v. *Julap.* sequent. ℞. *Aqu. meliss. Cerass. nigr. an.* ʒvi. *Epidem, pæon. comp. an.* ʒiß. *Sirup. Carioph.* ʒx. M. F. *Julap.* Liquorem etiam posseticum nostro modo alteratum, pro potu ordinario præscripsi, & Gargarismum ex Decocto Ficuum, &, ad linguam aridam emolliendam, & papillas ductuum salivalium irritandas, & ptyalismum promovendum, singulis horis Siphone faucibus injiciendum. Cum autem Februar. 21. ex continuatis adhuc vigiliis & celeritate ac debilitate pulsu Ægrotantē ope horum mitiorum alexipharmacorum sese non melius habere intelligerem, ad majora sequentia confugi. ℞. *Theriac, androm. electuar. ex Ovo* an. ℈i. *pulv. è chel. cancr. comp. lap. contrayerv. serpentar. Virgin. ciner. bufon.* an. ℈ß. *ldudan. lond. gr. i. sirup. carioph. q. s.* M. F. *bolus*. Quem sumat quamprimum, repetatq; deinceps sexta quaq; hora, ad iv. vices, superbibendo cochl. v. vel vi. *Julap.* sequent. ℞. *Aqu. mel. ceras. nigr.* an. ʒiii. *epidem.* ʒii. *sirup. de mecon.* ʒiß. M. F. *Julap.* perstet etiam in usu gargarismi, & posseta lę medicatę, Æger ab horum remediorum usu somnum capiebat, minùs delirabat, urinam copiosiorem reddidit; accessit fortior arteriarum vibratio Variolarum tamen maturatio, Salivæ profluvium & extremorum intumescentia nullos progressus fecit, Tracheę ramuli phlegmate viscido ob Salivationis defectum plurimùm infarcti respiratio-

nem minus liberam reddebant; ideoque Februar. 22. præter usum bolorum & Julapii Paregorici & liquoris Possetic. repetendum Cochl. ix, vel x, *Apozemat*, sequent, calidiusculi sæpiùs propinanda iussi, ℞. *Decoct Pectoral. depurat.* ℔iß. *Tinctur. Croc. Sirup. ex Erism.* an. ʒiß. M. F. *Apozema*. Ad ulteriorem autem Spirituum expansionem *Vesicatoria* ii. ampla & acria ad interna Brachia prope axillas applicanda curavi. Februar. 23. Ægrotantem fere in eodem statu inveni, ideóque ante præscripta adhuc usurpanda imperavi; præterea ad expansionem Spirituum (quos ex vibratione Arteriam quadantenus debili adhuc Veneno oppressos deprehenderam) *Vesicatoria* ii. ampla & acria ad internas Tibias applicanda quamprimum & non nisi post 24, horas amovenda. Februar. 24. Æger melliùs dormit, fere *apyretos* redditur, atque Arteriis jam fortiùs & tardiùs sese vibrantibus, spes salutis affulget: Cùm tamen sine quavis evidenti Crisi Morbus declinare videretur, Variolis nempe adhuc immaturis & depressis, partibus extremis non intumescentibus, Urina parce reddita, & ante præscriptorum usu jure merito adhuc perstandum duxi; Nocte etenim sequenti [Morbo jam die duodecimo ultimum suum stadium ingresso] Aeger derepente sine quavis evidenti causa à Veneno recrudescente Febre recidiva correptus, exacerbationem vehementem per 12. horas protensam perpessus est, insomnis & delirus. Februarii vero 25. febre una cum symptomatis plurimum remittente, Naturam remediis prius adhibitis corroboratam jam aliqualem victoriam reportasse deprehendi, atque febrem subinde à *Synechi* maligna in benignam *Sinechi* fuisse mutatam, ideoque fidenter, non obstante Amicorum desperantium ploratu, haustum febrifugum illico propinandum jussi, repetendumque tertia & quinta pomerid. & crastina aurora; hora somni vero ante expectatum Paroxysmum, & quinta matutina sub Paroxysmi finem, Bolum Alexipharmacum, ad spiritus in certamine erigendos, & motus eorum inordinatos

compescendos exhibendum curavi, & julapium Cordiale durante exacerbatione frequenter propinandum, Eodem fere modo Ægrum tractavi duobus diebus proximis, nempe Februar. 26. & 27. Cum autem nocte sequenti nullam exacerbationem recruduisse intellexissem, atque proximo die, nempe Februar. 28. Morbi autem 15. Patientem planè *apyreton* invenissem, linimento ex *Oleo amigd, dulc, & Sperm, Cet*, quo facies illineretur parandum curavi, atque *bolum cardiacum* hora somni, & crastina nocte una cum Haustum Iulapii exhibendum, Haustum etiam febrifugum mane sequenti & quinta pom. repetendum. Insuper, quandoquidem linguam ptyalismo nullo suborto quadantenus aridam, & bronchia adhuc phlegmate viscido infarcta animadverterem, *Mucilag, Semin, cidon, Sirup, Diamor.* extractam sæpiùs in Ore super linguam tenendam, & Cochl. *j, linctus* ex *Oleo amigd, dulc, recent, Sirup, Capil, Ven, & Saccbar, crystal, alb*, confect. quarta quaque hora unà cum haustu Apozem. Pectoral. calid, ministrandum imperavi. Ex tunc Vir ingeniosissimus Arte Medica planè ex Orci faucibus ereptus sine quavis Variolarum maturatione, sine Ptyalismum, vel Extremorum intumescentia [appetitu & temperie integre restitutis) atque nullo Morboso affectu postea suborto reconvalescebat, atque hucusque fœcibus Morbi ope Pharmacorum Catharticorum opportunè deturbatis stupente planè Pharmacopola, atque Amicis plaudentibus, firma valetudine utitur, plures Variolarum malignarum declinantium, & febre *Sinechi* exceptarum, & *Cortice peruviano* feliciter sanaturam Historias narrare poteram verum unum, & quidem unicum casum, quem hactenus observasse mihi contingit, potius lubet apponere, ubi (sive ob parcum, vel nimis serum Alexipharmacorum majorem & Cortic. peruv. usum, sive ob gradum Veneni Morbifici exitialem) prædictam Praxin infaustus eventus dedecoravit.

HISTORIA XXVI.

a Filius Domini *Rainsford.* annos 17. natus, Ianuarii 20, 1693, Symptomatis Variolarum apparatum comitari solitis correptus Ianuar. 22. ad nosocomium privatum in vico dicto *VVarrviK lane*, sæviente jam hyeme, & Variolis jamjam erupturis, in curru vehitur; Ianuar. 23. sub vesperam ad eum invisendum Ego accersitus sum, cùm Exanthemata confluentia & depressa ubique sese in conspectum dederant. Ægrum, cujus temperies erat mitis, Pulsus verò quadantenus celer & debilis, insomnem deprehendi, ideòque Haustum sequentem statim propinandum & sexta quaque hora repetendum jussi, *R. Aq. Meliss, cerasor. nigr.* an. ℥i. *epidem. Sirup. carioph.* an. ℥iii. *pulv, e chel, cancr, com, Lap, contrajerv*, an, *gr, xii, laudani liquid, gut, xv.* M. F. *haustus*. Insuper Cochl. iv. vel v, Iulapii sequentis ad libitum ministrabantur. *R. Aqu, Meliss, cerasor, nigr, an, ℥iv, epid, ℥i. Sirup. car, ℥x*, M. F. *Iulap*, Die 24. quandoquidem Æger esset ferè *apyretos* & ad somnum proclivis, ut ut Exanthemata deprimerentur, & in apicibus quasi maturatione incœpta albescerent, præscripsi Liquorem possetticum nostro modo alteratum calidè frequenter propinandum, atq; Cochl. iv. vel v. Iulapii sequent. quarta quaq; hora ministranda, agitata phiala, *R. Aq, meliss, cerasor, nigr, an, ℥iv, epidem, ℥iß. pæon, com, ℥i, pulv e chel, cancr, comp, lap, contrajerv. an, ℈i, Syrup, de meccon*, ℥iß, M. F. *Iulap*, Die 25 horum levium remediorum ope bene dormivit Æger & fere *apyretos* evasit, suborto æquali ptyalismo; cum Gutturis dolore & faciei intumescentia conjuncto: unde ego in Spem inductus sum ut ut exanthemata juxta primam naturæ intentionem nequaquam matureſcerent, sed hactenus arescerent & deprimerentur, ideoque ductus salivales *Gargarismo* calido ex *Decoctum ficuum, diamor*, & *melle Rosat*, siphone faucibus

a *Variolæ Confluentes malignæ in declinatione febre* Synechi *exceptæ, & non obstante cortice peruviano funestæ.*

cibus sæpius iniecto præsertim sollicitandos duxi usum Iulapii Paregorici cum speciebus, & possetalæ medicatæ repetendum, atque insuper *bolum* sequentem ad vires spirituum erigendas & motum eorum ordinatum si forte quid Venenati fermenti adhuc deliteſceret, servandum, hora somni exhibendum, & mane proximo, una cum Hausto Julapii repetendum jussi. ℞. *Ther, andr, pulv, e chel, cancr, comp, lap, contrajerv, an, gr, xvi, laudan, liquid, gutt, viii, Sirup, Carioph, q, ſ,* M. F, *bolus*. Die 26, cùm res Ægrotantis eodem fere modo progrederentur, in usu remediorum præcedenti die præscriptorum perstandum duxi quando quidem vero die 27. Salivatio (Exanthematis adhuc depressis) non legitimè procederet; atque bronchia inde phlegmate viscido quadantenùs essent infarcta, præter unum Iulapii Paregorici cum speciebus, Gargarismi, & possetalæ medicatæ continuatum, Cochl. xii. Apozematis sequentis quarta quaque hora calidiusque propinanda jussi *R, Decoct, pectoral, depurat,* ℥iß, *Tinctur, croc, Sir, ex erisimo an, unc, i,* atque ad Lympham venenatum per renes deturbandam, & vires Spirituum ulterius erigendas, *ciner. bufon* ℈ß, & *Rad, Serpent, Virgin, gr, vi,* Bolo vesperi & aurora repetendo addenda curavi. 28, & 29, Ægrotans eodem fere modo sese habuit, nisi quod die 29, Ptyalismo jam declinante: Bronchia magis infarcta viderentur, ideoq; præter usum præscriptorum continuatum Cochl. Linctus sequent. quarta quaque hora exhibendum jussi una cum Hausto Apozemat. Pectoral, *R. Ol, Amigd, dulc, rec, Sir, Capil. Ven, an,* ℥iß, *Sacchar, cand, alb,* ℥i, M, F, *Linctus* Die 30. Ptyalismus, nullo notabili Urinæ fluxu subborto planè subsistebat, exanthemata ubiq; arescebant, Ægrotante interea satis dormiente nec manifesto febricitante. Nihilominus ob aliqualem linguæ ariditatem, & pulsum jam quadantenus acceleratum, venenatum miasma adhuc in Spirituum sinu c hiberi, quod languida Natura per nullam portam hactenus protrndere valuerit, & novam Symptomatum stragem mox daturum, deliteſcere suspicabar; ideòque non tantum Linimentum ex *Ol, amigd. dulc.* & *Spermat, Cet.* Faciei illinendum curavi, verum usum Julapii Paregorici, & Bolorum Alexipharmacorum per triduum assiduè repetendum jussi, nocte sequenti eventus præsagium comprobavit, Æger enim totam noctem insomnis & delirus exacerbatione febrili jam in ultimo morbi stadio suborta, transegit; Mane vero, finito paroxysmo, ad se rediit; & somnum aliqualem capiebat. Janua 31. (Collega nostro Cl. D. Doctore *Carolo Goodall* consultandi gratia accersito) ad spiritus erigendos, & compescendos *Vesicatoria* iii. ampla & acria statim ad Nucham & carpos applicabantur, & bolus sequens illico ministrabatur, una cum Hausto Iulapii paregorici cum Speciebus cujus usum repetendnm decrevimus. ℞. *Theriac. Androm. pulv. è chel. cancr. comp. an.* ℥ß. *Laudan. Lond gr. i.* M. F. *Bolus*. post trihorium haustum febrifugum è cortic. peruv. propinavimus, quem deinceps repetendum jussimus tertia quaque hora usque ad proximum Paroxysmum, itidemque Paroxysmo finito, tertia scil. sexta & nona matutina, nisi somnus interea obreperet; sub initium autem exacerbationis *Bolum* sequentem cum haustum Julapii exhibendum, & post trihorium repetendum, modo Æger vigilaret, præscripsimus, ℞. *Theriac. venet. ℥i. pulv. e chel. cancr. comp. lap. contrajerv. an.* ℈ii. *laudan. Lond. gr. i.* M. F. *bolus R. Aqu. meliſſ. cerasi nigr lactis alexiter an.* ℥iii. *pæon. epidem. an* ℥ii. *syrup. carioph.* unc. iß. M, F. *Julap.* Ægro autem (paroxysmo sub vesperam recrudescente) plane insomni & delirante, atque ob bronchiorum obstructionem neque bolos vel haustus deglutire valente, rursus accersiti sumus, atq; Haustum sequentem statim exhibendum, atq; post 4. horas repetendum in locum boli substituimus, ℞. *Aqu. cerasi, nigr. meliſſ. Cardu. Theriac. Stillat. an.* ℥ß. *epid. pæon. comp. an.* ℥ii. *Theriac. Androm. solut.* ℥ß. *Pulv. è chel. cancr. comp, lap, Contrajerv, Bezoar, Orient, an,* ℈ß, *Syr, Carioph,* ℥iii, M. F. *Haustus*. Et loco Haustum febrifugorum extra paroxysmum exhibendorū, Cochl. ix, apozemat. sequent calid. quarta quaq.

hora propinavimus, ℔. *Cortic. Peruv. non contus.* unc. *ij.* Coq. lento igne in *Aqu. Font.* ℥xij. ad unc. *vj. Cortici* relicto recens Aqua addatur, coq. & cola iterum ad sextam vicem; Colatoris commixtis & per subsidentiam optimè depuratis add *Vini alb. optim. Syrup. Caryoph.* an. ℔ß. M. F. *Apozema.* Cum autem præ languore & difficili Deglutitione Æger Februarii 1. pene delirus, Haustus cum Febrifugos, tum Cordiales planè respueret, *Vesicatoria ii.* ad Tibias internas illico applicanda jussimus, atque *Suppedanea* ex æqual. quantitate *Emplastr. Cephalic. cum Euphorb.* & *Pic. Burgundic.* ad plantas pedum adaptanda, atque ut perseveraret [quantum posset] in usu Haustuum Cardiacorum, Apozematis Febrifugi, & Julapii Cordialis. Sub vesperam autem ob jactationem inquietam Æger ope Adstantium è lecto suscitatus, illico incertis rigoribus, nausea, & perpetua Vomitione per totam noctem durante, correptus est, & proximo mane scil. Februar. 2. Deglutitione & Respiratione plurimum læsis quasi suffocatus jacebat; quocirca Prognostico funesto prius prolato, Potione sequenti evacuationem sive sursum sive deorsum moliri tentavimus ℔. *Decoct. Amar.* unc. *iv. Vini Benedict.* ℥ii. M. F. *Potio* statim exhibenda. Post quatuor horas elapsas, si modo aliqua evacuatio contingeret, Haustum Cardiacum repetendum, atque sæpius exhibendum imperavimus. Natura autem jam planè, Ægrotans nihil omnino vel vomitu, vel secessu, vel mictione rejecit; Ideoque sub vesperam Glandes duas successivè [si opus fuerit] intrudendas statim parandas imperavimus, ℔. *Mell. Anglic.* in formam debitam coct. unc. *ii. Hier. Picr.* ℥ii. *Alum. crud. pulverisat.* unc. ß. M. F. *Suppositora* duo. Sin verò alvus non responderet, *Enema Therebinthinatum* iniiciendum curavimus, & post evacuationem finitam, Cardiacum ante præscriptum ministrandum, vel *Bolum* sequentem in Cochl. j. Julap. Cordial. solut. ℔ *Elect. ex ovo* ℈i, *Theriac. Androm.* ℥ß, *Pulv. Rad. Serp. Virg.* ℈m, *Syrup. Carioph.* q.s. M. In cassum autem omnia, Spiritibus enim jam veneno prorsus obrutis & extinctis, Aeger, postquam noctem anhelus, delirus & insomnis, licet *apyretos* transegisset, pulsu deficiente, demum 14. Morbi die fatis cedebat.

HISTORIA XXVII.

[a] UXor Domini *Paxon*, habitantis in *Bargeyard*, juxta vicum dictum *BucKlersburi*, die Maii 14. anno 1692. ægrotans, atque Symptomatis Variolarum apparatum vulgo comitantibus, sed non præter solitum vehementibus correpta, die 17. Variolis jam erumpentibus, Pharmacopolæ consilio sanguinis ℥viii. vel x. è brachio detrahendas jussit: Spiritibus autem a venæ-sectione perperam atque sine necessitate celebrata debilitatis, atque præ languore in motus inordinatos adactis, & Veneno succumbentibus, Exanthemata, quæ principio distinctè erumpebant, mox sensim cohærere atque confluere cœperunt, atque ad vicesimum usque Maii diem [quo die ego primum accersebar] languebant, & deprimebantur, maturationem fere nullam assecuta, accesserunt vigiliæ pertinaces & Tussis importuna, (non obstantibus Opiatis copiosè ministratis] Deliquia frequenter recurrentia, atque debilis admodum ac celer Arteriarum vibratio, quod præ cæteris symptomatis me sollicitudine affecit. Ideoque tum ad Spiritus erigendos, cùm ad efferatos eorum motus compescendos & Tussim frænandam *Vesicatoria iii.* ampla & acria illicò ad Nucham & Carpos internos applicanda curavi, & *bolum* sequentem hora somni, idemque proxima aurora exhibendum, una cum Haustu Julap. sequent. ad libitum pitissandi, atque *Laudan liquid. gut. xv.* in haustu Julapii propinandas, modo post trihorium a primo Bolo somnum non caperet, atque insuper *Liquorem potseticum* nostro modo alte-

(a) *Variolæ quadantenus Confluentes depressæ & tardè matureſcentes, cum Tussi & Vigiliis pertinacibus coniunctæ, atque demum Furunculis frequentibus exceptæ.*

alteratum calidiusque sæpius ministrandum. ℞. *Theriach. Androm. pulv. e chel. cancr. comp. an.* ʒß. *Laudan. Lond. gr. i. Syrup. Caryoph. q. s. M. F. bolus* mollis. ℞. *Aqu. meliss. ceras. nigr. an.* ʒiv. *epidem.* ʒii. *Pæon. com.* ʒi. *Syrup. Carioph.* ʒx. M. F. *Iulap* Ab his somnis quadantenus conciliabatur, Tussis aliquantisper mitigata est, pulsus etiam & vires erigebantur, deliquia tollebantur, atque Exanthemata proximo mane matureſcere videbantur. Ideòq; die 21. bolum cardiacum quamprimum cum *laudan. lond. gr. ii.* exhibendum, iterumque hora somni proximo mane repetendum jussi, atque *gut. xx. laudan. liquid.* post trihorium à Bolo nocturno exhibito in haustu Iulapii propinandas, modo Vigiliæ vel tussis urgerent; atque Iulapium cordiale & liquorem Possetticum non omittendum. Insuper ob *Stranguriam* vehementem à Vesicatoriis inductam, cochl. *xii. Emulsionis* sequentis calidiusculè quarta quaque hora vel sæpius ministranda imperavi. ℞. *sem. frigd. mai. an.* ʒi. *sem. papav. alb.* ʒ. *m. amigd. dulc. decorticat.* n. *vii.* cum *aqu. Hord.* ℔i. *m. F. emulsio*, cui add. *aqu. ros. rub.* ʒii *sacchar. albiss.* ʒim. Cum autem vigiliæ ope præscriptorum satis coercerentur die 22. & variolæ [tardius licet] matureſcere pergerent, atq; ptyalismus aliqualis jam suboriretur *gargarismo ex. Decoct. ficuum* & cæt. calidè sæpius siphone faucibus fortiter injecto papillas salivales ad Lympham copiosius egerendum stimulare decrevi & spiritus frequenti usu *Iulap. cordial.* & *liquor.* nostri *Possetic.* refocillare, ut maturatio Exanthematum incœpta ulterius promoveretur; Insuper Bolum Cardiacum cum *laudan. lond. gr. ii.* proximo mane exhibendum jussi, modo non tota nocte placidè dormiret Ægra, Die 23. res Ægrotantis fere eodem modo se habebant, ideoque in usu præscriptorum perstabat, *Bolum Cardiacum* & *Opiatum* aurora sequenti deglutiendum, modo vigiliæ urgent, imperabam, atque ad vires Spirituum fovendas Cochl. iv. vel v. Iulap. sequent agitata phiala sæpius propinanda. ℞. *Aqu. meliss. ceras. nigr. an.* ʒv. *epidem. Pæon. com. an.* ʒi. *Margarit. ppt.* ʒim. *Sacchar. alb.* ʒm. *M. F. Iulap.* Morbo autem jam una cum Ptyalismo & Exanthematis die Maii 24. à decubitu verò undecimo, sensim declinante, bronchiis vero & faucibus pituita viscida quadantenus infarctis, *Cochl. i.* Linctus sequentis una cum *Cochl. xii.* Appozematis tepefacti quarta quaque hora ministrandum jussi. ℞. *Amigd. dulc. rec. Sirup. capil. Vener. an.* ʒim. *Sacchar. cant. alb.* ʒi. M. F. *linctus* ℞. *Decoct. pector. depurat.* ℔im. *tinctur. croc. Sir. capill. Vener. an.* ʒi. M. F. *apozema. Bolum* vero *cardiacum & Opiatum* ad vires Spirituum sustentandas, eorumque motus inordinatos compescendos & tussim frænandam hora somni repetendum duxi usumque *Iulapii perlati* & gargarismi non omittendum. Cum autem die 25. declinationis verò secundo, nullam febrem recidivam, atque nullum symptomata vehementius præter pulmonum infarctum adesse animadverterem, usum *linctus apozematis pectoral. gargarismi Iulap perlat.* solummodo repetendum præscripsi. Die 26. *linimentum* pro facie parandum curavi, atque insuper *bolum Opiatum* & *Cardiacum* hora somni exhibendum, ne forte jam ultimo Declinationis die, Veneno penitus intus cohibito, spiritus recenti miasmate inficerentur, novam Morbosorum Affectuum stragem mox daturo: Cum autem die 27. nullum Symptomata vehementius adesset præter Tussim, quę somnum quadantenus adhuc interturbabat, præscripsi duntaxat haustum paregoricum sequentem hora somni propinandum. ℞. *Aq. card. cinnam hord. an.* ʒi. *Epidem. Sirup. de mecon. an.* ʒ. *m. laud. liquid. Helmontt. xii.* M. F. *Haustus*. Die vero 28. colliquationem humorum à reliquiis veneni intus cohibiti ortam, levis *Ophthalmia* cum Tussi conjuncta prodebat, quoad cætera autem Patiens jam plane *apyretos* bene se habebat, exanthematis ubique incrustatis & desquamatis, ideoque rem Naturæ paulisper reliqui, & tenuiori Diætæ, sperans naturam morborum medicatricem huic Colliquationi moderandæ non imparem fore, modo symptomata præsentia scil. Tus-

sis & *Ophthalmia* arte cohiberentur, quo nomine Cochl. ij. *Syrup. de Mecon.* ad Tussim frenandam quaque nocte in haustu liquoris Possetic. *Flor. Parali.* alterat. exhibenda jussi, atque gut, aliquot *Collirii* sequentis tepefact, sæpius oculis instillandas (agitata prius phiala) ad demulcendam humoris per glandulas Lachrymales excreti acrimoniam, ℔ *Aqu. Ros. rub* ℥i. *Troch. alb. Rhas. ſ. Opio Saccha. crist. al. alb. subtiliss. Pulverisat. an* ℈ß M F. *Collirium*. Die autem Junii quarto reversus deprehendi Patientem (humoribus à Veneno adhuc intûs delitescente magis colliquatis) *apyreton* licet, toxico quasi infectam, nausea, vomitione, & fluxu Alvi indesinenter lacessitam; quocirca Electuarium sequen. ad quantit. nuc. Jugland. omni nocte exhibendum jussi una cum haustu *Julapii Perlati.* ante præscripti, ℔. *pul. Conserv. Ros. rub. Diacidon. an.* ℥ß. *Throch. de Carab.* ℥iii. *Bol. ver. Lacrim. Sang. Drac. an.* ℥ß *Laudan Lond. gr. iii. Sirup Mirtill. q. ſ* M. F. *Electuar.* Cùm autem die Junii 6. morbosi affectus jam memorati adhuc perseverarent, atq; stato tempore, licet sine Febre evidenti exacerbarentur, Venenum delitescens, horum malorum fontem, *Cortice peruv.* aggredi & subigere decrevi, more sequenti, ℔. *Aqu. Cardu*, ℥ii, *Epidem Sirup. Carioph*, *an*, ℥ii, *pulv*, *Cortic*, *peruv*, *subtiliss. trit.* ℥i, M, F, *Haustus* statim sumendus, repetendusque hora somni, & mane sequenti, & sic deinceps per tridui spatium. Addantur *Landan*, *liquid*, *gutt*, *xii*, haustui nocturno, vel reliquis haustibus, si fluxus alvi postulet, Insuper ad Vomitionem coercendam Cochl, iv, vel v, *Julap sequentis* propinanda jussi, urgente Vomitione, ℔, *Aqu*, *Menth*, *Cinnam*, *Hord*, *an*, unc, *iv*, *Aqu. Stephan.* unc, *ii*, *Sal*, *Absinth*, ℈i, *Sirup*, *Limon*, un, *ii*, M, F, *Julap*, Veneno hoc pacto ex parte cicurato, Natura reliquias ejus per *Furunculos* hic illic succrescentes fortiter expellit, atque demum Appetitus (nausea, Vomitione & alvi fluxu sensim declinantibus (integer redet. Ideòque die Junii 12, Alvum Potione sequente subducendam curavi: ℔, *Decoct*, *Amar*, *cum dupl*, *Senn*, unc, *iv*, *Sir*, *de Spin. Cerv*, unc, ß, *M. F*, *potio*, Junii autem 13, Pilulas sequentes præscripsi, & quia alvus jam constipata erat 16, & 19, repetendas, ℔, *Stomach*, *cum Gum*, ℥ß, F, Pil, iv, deaurand, & hora somni exhibendæ, Aurora verò proxima *Extract*, *Rud*, ℈j, in Pil, iij, redact cum *Resin*, *Iulap*, *gr*, *iv*, & *Ol*, *Cinnam*, *gut*, *ii*, Atq; hoc pacto planè revalescebat Patiens, ab affectibus morbosis liberata, & huc usque integra valetudine utitur.

HISTORIA XXVIII.

Filiolus Domini *Durant* habitantes ad Insigne *Cruris & Stellæ* in vico dicto *Cheapside*, postquam anno 1695, media æstate à Variolis cohærentibus & mali moris, cura & consilio Cl, Collegæ Domini *Edmundi King*, Equitis Aurat. patio 14, dierum ægrè admodùm liberatus fuerat, reliquiis Veneni adhuc non satis exterminatis obsessus, Exanthematis ubique desquamatis, malè se habuit usque ad vicesimum tertium à primo Morbi insultu diem, post incertas periodos quadantenus febricitans, atque dolore prope Os Sacrum adeo atroci correptus, ut situm erectum non sine ejulatu pati posset, adeò ut Parentes ossa femorum luxata esse suspicarentur: accessit *anorexia* gravis, adeò ut Cibum vel potum non omnino appeteret, vel deglutire vellet, Ideóque Cl, viro & mihi æquum videbatur *Linimento Anodino* partes dolentes fovere, atque *Bolo Alexipharmaco* mane & vesperi per triduum exhibito Spiritus erigere, ut Veneni reliquias intus delitescentes, dolorum Spasmodicorum autores quovis modo fortiter expellere valerent. Quid fit? Veneno hic methodo propulsato, *Furunculis* omnes pene articulos digitorum manuum & pedum succrescentes obsident, qui demùm quam citissimè maturabantur, *anorexia* autem cum Febre aliquali periodicè recurrente conjuncta adhuc perseverabat, unde *Tabem* ab Inanitione expectare fas erat. Hac Febre autem ope unc, ß, *cortice peruv*, demùm sublata, appetitus statim redit, & temperies admodum mitis & æquabilis; deinde alvo post debita intervalla Catharticis lenibus evacuata, planè revalescebat

scebat Puer, nec Morboso quovis affectu postea tentabatur.

HISTORIA XXIX.

(a) Accersitus die Julii 10. 1692. invisi Neptim Domini *Cocherill*, habitantis sub Insigni *trium Crurum* in vico dicto *le poultri*, sedecim annos natam, Variolis laborantem, quarum Apparatus ad biduum tantùm durabat; jam verò secundo ab eruptione die Exanthemata animadverti Discreta, ubique tamen depressa & languida, Fluxum alvi copiosum & frequentes dejectiones, Pulsum debilem admodùm & penè formicantem, vires valdè prostratas, & vigilias pertinaces, Febri verò vel in Pulsu vel in temperie, in Lingua nulla manifesta indicia. Quo nomine venenum plus solito deleterium hisce Variolis, quamvis distinctis, ansam præbuisse jure suspicatus sum, atque proinde *Decoctum album* cum tantillo *Vini canarini*, & liquorem Possetticum cum *Vino canarino*, parandum pro potu ordinario curavi; quin & tantillum *Vini canarini* meraci interdum propinandum duxi, *Vesicatorium* amplum & acre ad nuchæ illicò applicandum, atque Bolum sequentem statim exhibendum, & deinceps sexta quaque hora repetendum jussi, unà cum Cochl, iv, vel v, Julap, sequent, ℞, *Theriac, Androm*, ℈j, *Pul, è Chel, Cancr, comp, Lap, contrajerv, an*, gr, *xv, Laudan, liquid, Helmont, gut, vi, Sirup, cariophi, q, ſ*, M, F, *Bolus* ℞, *Aqu, Meliſſ, Ceraſ, nigr, cinnam, hordeat, an*, unc, *iiii, Epidem. Pæon, comp, an*, unc, *i, Sirup, cariophi*, ℥x, M, F, *Iulap*, Proximo die scil, Julii 11. mane reversus, Pulsum adhuc debilem, & Variolas in medio depressas, nequaquam acuminatas, vel magine rubro cinctas inveni; Vigiliæ autem & Diarrhœa minus urgebant quam prius, ideoque Cochl, v, vel vj, *iulap.* sequent, statim exhibenda jussi & quarta quaque hora repetenda (agitata Phiala) & *gut, viii, Laud, liquid*, post singulas dejectiones haustus proximè sumendo instillandas? ℞, *Aqu, flor, calendu, Benedict, cinnam. hordeat, an*, unc, *iii, Pæon, comp, Epidem*, an, un, *i, Spec, confect, de Hiacinth, Lap, contrajerv, pulv, è chel, cancr, comp, an*, ℈ii, *Sirup, de Mecon*, unc, *iiß*, M, F, *Julap*, Insuper *Julapium* sequens ad libitum pitissandum præscripsi, ℞, *Aqu, Meliſſ, ceraſ, nigr, cinnam, hordeat*, an, unc, *iii, Epidem*, unc, *ii, Margarit, ppt*, ℥iß, *Sacchar, albiſſ*, ℥v, M, Sub vesperam autem reversus Petechias aliquot purpureas hic illic in interstitiis Exanthematum in pectore efflorescentes deprehendi, qua de causa *Vesicatoria* ij. ampla & acria ad Carpos internos illicò applicanda jussi, atque *Bolum* sequentem statim exhibendum, una cum Cochl, v, vel vj, Julapii, repetendumque deinceps sexta, octava, vel duodecima quaque hora pro ratione Vigiliarum & Fluxus alvi. ℞. *Therac, Androm, pulv. chel, cancr, comp, Lap, contrajerv, ciner, Bufon, an, gr, xv, Laud, Lond, gr, i, Sirup, cariophi, q, ſ*, M, F, *Bolus* ℞, *Aqu, Meliſſ, Ceraſ, nigr, an*, unc, *iii, Epidem, pæon, comp, Sirup, de Mecon*, an, unc, *i*, M, F, *Julapium*. Petechiis autem adhuc die 12, & 13. numero, & magnitudine auctis, ut ut Fluxus alvi & vigiliæ, cæteraque symptomata jam non urgerent ut priùs, usum Bolorum sexta octava quaque hora, uti & *Iulapii* Paregorici & Perlati adhuc repetendum duxi, usque ad diem decimum quintum, quo die ego in rus vocatus, Ægram Collegæ Cl. D. D. *Goodall* cum jam primum Petechiæ, cæteraque Symptomata [veneno plurimum cicurato] evanescere cœpissent, tractandam reliqui; Cl, Vir die Julii 15. Bolum sequentem statim deglutiendum jussit, atque sexta quaque hora ad iv, vices repetendum, una cum Haustu sequenti. ℞. *Theriac. Androm.* ℥ß. *Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Goæ Contrayerv.* an. ℈ß. *Laudan. Lond. gr. j. Syrup. è Conditur. N. M. q. ſ.* M. F. *Bolus*, ℞. *Aqu. Card. Bened. Ceraſ. nigr. Cinnam. Hord. Epidem.* an. ℥ß. *Tinctur. Croc. Aqua Theriac. Extract.* ℥iij. *Laudan, liquid. gut. x. Sirup. Caryoph.* ℥iij. M. F. *Hauſtus* Usum *Iulapii Perlati* languoribus & *Decocti albi* pro potu ordinario non omittendum voluit, unicuique verò libræ

(a) *Variolæ Discretæ Malignæ Petechiis interpunctæ, & demum Parotide exceptæ.*

Decocti *Aqu. Cinnam. hord. Epidem.* an. ℥vj. adendas curavit, die 16. Cl. vir in eorundem *Bolorum Hauſtuum & Decocti* uſu perſtandum eſſe duxit. Die autem Julii 17. ego rure reverſus Pulſum Ægrotantis animadverti fortiorem, & vires inſtauratas, Petechias nullas, alvum adſtrictam, & vigilias cohibitas, Linguam autem & Fauces Aphthis albis ubique obſeſſas, ſine ulla omnino faciei vel extremorum intumeſcentia vel ptyaliſmo ſuborto, Variolas etiam adhuc quadantanus depreſſas, ideòque *Julapium Perlatum* repetendum juſſi ad libitum hauſtum ſequentem hora ſomni propinandum, & *Gargariſmum* ſæpius calidè Siphone faucibus injiciendum, ℞. *Aqu. Ceraſ. nigr. Meliſſ.* an. ℥iß. *Epidem.* ℥ß *Theriac. Androm. Pulv. è Chel. Cancr. comp.* an ℈j. *Sirup. de Mecon.* ℥i. M. F. *Hauſtus* ℞. *Decoct. Ficuum* ℔ſs. *Diamor*, ℥iſs. M. F. *Gargariſm*, Die Julii 18. Morbj vero 12. Ægra, Variolis declinantibus, atq; in facie ante maturationem conſummatam exareſcere incipientibus, plurimùm languebat, & Arteriis validè ſe vibrantibus evidenter febricitabat. Lingua etiam Aphthis decidentibus inflammata rubeſcebat, atque craſſeſcebat, unde certum habens, febrem præſentem indolem benignam induiſſe, *Hauſtum* febrifugum ſequent. illico propinandum juſſi (agitata prius phiala] & quarta quaque hora ad ſex vices repetendum, ℞. *Aqu. Cardu.* ℥ii. *Epidem. Syrup. Caryoph* an. ℥ij. *Pulv. ſubtiliſſ. cortic. peruv. elect.* ℥j. M. F. *Hauſtus*, atq; Cochl. iv, vel v, *Julap.* ſequent. quarta quaq; hora medio inter Hauſtus ſpatio exhibenda, & uſum *Julapii perlati* & *Gargariſmi* non omittendum, ℞. *Aqu. Meliſſ. ceraſ. nigr.* an. ℥iv. *Epidem.* ℥iiß. *Diaſcord.* ℥ß. *Sirup. carioph.* ℥x, M, F, *julap*, Inde ſub veſperam multo melius ſe habuit Ægra, Pulſus & vires erigebantur, tota nocte placidè dormiebat, atque die ſequenti à Febre penitus liberata planè reconvaleſcere videbatur, variolis jam demum in Artubus ubique pure turgentibus, & margine rubro circumcinctis, atq; *parotide* ampla & moleſta ſub aure ſiniſtra ſuborta. Quo circa 19. Julii, poſtquam *Linimentum* pro facie ex *Oleo anig.* & *Sperm. cet.* parandum juſſeram, atq; Parotidem, *Unguent. Dialth.* illinendum & *Hauſtum* febrifugum mane & veſperi repetendum, Patienti pro tempore valedixi; ſub veſperam autem, Veneno vel per Parotidem non ſatis propulſato, vel forte repercuſſo, Ægra more Hyſtericarum ſuffocata plurima Deliquia perpeſſa eſt, atq; deliravit,) pulſu interea vacillante] quaſi illico animam efflatura. Qua de cauſa ego incunctanter accerſitus Bolum ſequentem ſtatim deglutiendum præſcripſi & ſexta matutina repetendum cum Cochl. iv. vel v. Julap. ſequent. de quo bibere ſis erat ad libitum. ℞. *Ther. androm. confect. alcherm.* an. *dr. ſs. pulv è chel. canc. comp. Lap contrajerv.* an. *gr. xv. pulv. de Guttet. Serpentar. Virgin.* an. *gr. vii. Laud. liquid. Helmont. gut. x. Syrup. carioph. q. ſ.* M. F. *Bolus*, ℞. *Aqu. Meliſſ. Rut. ceraſ. nigr.* an. unc. *iij. Aqu. Brion. pæon. comp.* an. unc. *ſs. Tinctur. caſtor.* dr. *i. m. Spi. Sal. Armon. vin.* ℈j. *Sir. pæon. comp.* ℥i. *m.* M. F. *julap*, Inſuper *Spiritum* C C. ſæpius naribus admovendum juſſi, atq; ejuſdem *gut. vj.* vel *viii.* in languoribus in hauſtu Julapii propinandas. *Veſicat.* ii. ampla & acria ad Brachia interna prope Axillas applicanda, & *catapl.* calidum ex *Ung. Dialth.* & *Theriac. Lond. an. p. æqu.* commixtis cum panno lineo duplicato parotidi imponendum, Inde proximo die mane Patientem inveni ſomno refectam, atq; ab omni ſymptomate morboſo liberatam, Exanthematis jam demum in Artubus exareſcere incipientibus, atq; parotide ſine dolore adhuc intumeſcentes, ideoque die Julii viceſimo, poſtquam *cataplaſma* Parotidi recens imponendum & *bolum alexipharmacum* hora ſomni & proximo mane repetendum juſſeram, rurſus Patienti, pro tempore valedixi, Julii autem 22. cùm linguam ægræ quadant. aridam & rubeſcentem deprehenderem. Os *Gargariſmo* ſequenti ſæpius colluendum juſſi, *R. Fol. plant. Roſ. rubr.* ſ*umm. Rub.* an. M. *j.* coq. *in aqu. Font. q. ſ.* ad ℔im. Colaturæ add, *Diamor*, ℥ii, *Mel. roſ. colat. vn i.* M. F. *gargariſmus* Interèa Iulapium perlatum ad libitum Ægra pitiſſabat, Die vero 25, cùm Parotis adhuc Scrophulæ ad inſtar tumeret, nullatenus autem in-

flam-

flammaretur, *Empl, diacyl, cum gum*, super tenui aluta extensum parti affectæ imponendum jussi, atque alternis diebus renovandum atq; *Electuarium* sequens ad reliquias veneni delitescentis subigendas, ne forte tumor hic è perenni fonte scaturiens in molestam Strumam curatu difficilem degeneraret, deglutiendum, & Cochl,i, vel alterum *vini canarini* superbibendum. ℞, *Pulv, subtil iiss, cortic, peruv, elect*, ℥vi, *syrup, Idæ, q, s*, M, F, *electuar*, de quo cap, quant, unc, Iugland, ter in die horis medio. Julii autem 29. cum ex redintegrato appetitu veneno penitus subactum fuisse certum haberem alvum *potione* sequenti manè proximo exhibendâ cum Regimine deturbandam curavi, iterùmque Augusti primo. ℞, *Decoct, Sennæ Gereon*, ℥iß, *mannæ selectiss*, ℥iß, M, Has evacuationes bene toleravit: atque inde perfecte reconvaluit patiens, tantum adhuc parotis tumebat, quo nomine Emplastrum adhuc usurpandum duxi, atque ℥ß, *pil, Stomach, cum Gum, in iv, pil, redact*, post triduum elapsum hora somni exhibendam, atque deinceps quarta quaque nocte ad *v*, vices repetendam, & horis matutinis sequentibus ℔ß, *iv, Aqu, Mineral, purgant*, crudarum vel ad ℔iii, coctarum & ℔ß, *Lactis* alterat, bibendas quo pacto Parotis sensim demum evanuit, & Patiens sanitatem tandem assecuta est.

HISTORIA XXX.

(*a*) Filiolæ duę Vicini mei domini *picKe* Armatarii, habitantis in vico dicto *Novvgate-street*, mense Julio anno 1692. quarum una sex, altera quatuor annos nata erat, Varioloso veneno admodum deleterio infectæ, eodem die decubuerunt, utraq; durante morbi apparatu blande calabat, & febre mititentabatur, (Natura nimirum veneno obruta) nullum symptomata aderat vehemētius prę-ter vigilias perpetuas & contumaces usq; ad secundum ab eruptione diem protensas exanthemata ubique distincta satis pro ratione temporis acuminabatur, unde animi Pharmacopolę qui eas tractabat addebantur: Non enim Vesiculas miliares ubique in interstitiis Variolarum in collo & pectore natu majores, atque petechias in pectore Juniores efflorescentes animadvertebat, ideoque de eventu morbi parum sollicitus, nullum iis Remedium præter Julapium perlatum temperatum exhibuit; Natu autem major secundo ab eruptione die derepente, & sine quavis evidenti causa, Spasmis universalibus correpta, attonita & suffocata more Apoplecticorum eodem ipso die cedebat, quamquam ego incunctanter accersitus *Vesicatoriis*; & generosissimis quotquot remediis sero adhibitis spiritus stimulare atque Venenum subigere in cassum satageram: fatum etiam non minus acerbum sortiebatur altera, quę perpetuo deliria & vigil non obstante Opiatorum & Alexipharmacorum remediorum à me & Collega D. D. *Brovvn* præscriptorum usu, tertio ab eruptione die sumum diem oppetit: Adeò præcipitem ruinam infert, atque funestum prognosticon suggerit hinc morbus, quoties ortum suum duxerit à veneno deleterio, quod durante Apparatu vel Eruptione per Petechias, Eruptionem miliarem, vel quamcunque aliam id genus notam, indolem suam prodat, qualiscunque fuerit Exanthematum eruptio: nullatenus enim eruptioni Variolarum distinctæ fidendum est, indicia malignitatis sese in conspectum dant, namque Discretas Variolas non minus quam confluentes, Pestilentialem indolem nonnunquam [licet oppidò raro] inducere exercitatos Medicos haud latet quod antea innuimus.

HISTORIA XXXI.

(*b*) Filius Domini *Rilei*, habitantis prope *Aulam Chirurgorum*, septem annos natus, die Iunii 19. 1693. Variolosо fermento deleterio in actum deducto cœpit febricitare, atque totum apparatus

a *Variolæ discretæ maligne ante finitum maturationis funestæ.* b *Variolæ magnæ ex parte discretę, verum maligne, cum maculis purpureis in ipsa eruptione conjunctæ.*

paratus stadium symptomatis usitatis affectus decurrerit; à primo verò insultus momento perpetuo vigilavit & deliravit. Incipiente quarto Morbi die, Junii scil. 23. ubi jam Exanthemata fere per integrum diem quasi in cute latitantia sese obscure in conspectum dederant, ego accersitus inveni Puerum perperam in ancillæ lachrymantis sinu, adstantibus omnibus plorantibus, in lecto, tempestate admodum fervida, æstuantem, ut Variolarum protrusio juxta opinionem vulgi eò magis acceleraretur; Spiritibus autem à Veneno, & hoc Regimine valdè oppressis & debilitatis, atque vigiliis & deliriis inde plurimùm auctis [quæ symptomata Pharmacopola medicamentis frigidis *v. gr. Decocto albo & Spiritu Sulphuris*, atque etiam *Laudano* superare in casum tentaverat] Variolæ ubique magis magisque intus quasi repercussæ subsidebant; petechiæ etiam in pectore efflorescentibus indolem morbi pravam indigitarunt. Ancilla autem à me non sine jurgiis e lecto excitata, æstuans & pene suffocatus Puer ab aeris injuriis tegumentis levioribus munitus, illico liberius respirare cœpit. Ad spiritus autem pene suffocatos & extinctos reficiendos & stimulandos, atque eorum motus inordinatus & vacillantes compescendos, *Vesicatorium* amplum & acre illico ad nucham applicandum jussi, atque Coch. iii. vel iv. *Iulap.* sequent. tertia vel quarta quaq; hora [agitata phiala] propinanda. ℞. *Aqu. meliss. ceras. nigr. an.* ℥iiß. *epidem.* ℥i. *pæon. comp.* ℥iii. *pulv. e chel. caner. comp. Lapid. contrajerv. an.* ℥ß. *syrup. de mecon.* ℥iß. M. F. *Iulap.* Æger post secundam Iulapii dosin per quatuor horarum spatium tempore pomeridiano dormivit, Exanthemata interea ubique evidenter protrudebantur, media nocte puer insomnis factus rursus cœpit delirare, atque inde Variolæ in multis locis numero auctæ cohæserunt, petechiæ etiam in interstitiis numero & magnitudine auctæ subnigrum colorem induebant; unde Hæmorrhagiam universalem & funestam à soluta sanguinis crasi illico insecuturam expectavi, non nisi remediis generosissimis, quæ spiritus pene extinctos expandere valerent, anteverten-dam: Ideoque Iunii 24. *Vesicatoria* ii. ampla & acria ad internos carpos statim applicanda jussi, atque *Bolum* sequentem solut. in Cochleari *Julapii* [de quo bibere fas erat ad libitum] illico deglutiendum, repetendumque deinceps sexta quaq; hora. ℞. *Theriac. androm.* ℈ß, *pulv. e Chel. Cancr. comp. lap. Contrajerv. an. gr. viii. Serpentar. Virgin. gr. iv. Laudan. liquid. Helmont. gutt. de mecon. q. s.* M. F. *Bolus.* ℞. *Aqu. meliss. Cinnam. hord. Cerasor. nigr.* an. *unc. ii. Pæon. comp. unc. i. epidem. unc.* ß. *Sirup. Carioph. unc. i. Confect. Alcherm.* ℥i. M. F. *Iulapium. Liquorem* etiam *Possetic.* nostro modo alteratum copiosè & frequenter subtepide propinandum præscripsi. Inde dormivit Æger, ut ut quadantenus deliraret, maculæ autem nigræ adhuc manebant, verum nullo omnino Hæmorrhagia [quod valde miratus sum] suborta est. Quandoquidem verò Natura iam planè iners & languida, neque per ductus salivales neque per Renes Venenum quod per Exanthemata protrudere non potuit, eliminaret, decrevi quocunque modo defectum illum supplere, ideoque die 25. ad Cataractas Renum reserandas *Cineres bufonum* cum Bolis commiscendos curavi, & dosin *Serpent. Virgin.* ad ulteriorem Spirituum stimulationem augendam, more sequenti. ℞. *Theriac. Androm. Lap. Contrajerv.* ℈, *pulv. an.* ℥ß, *rad. serpentar. Virgin. gr. vi.* ℈, *ciner. bufon. gr. viii. laudan. liquid. gut. x.* ℈, *Siru. de mecon. q. s.* M. F. *bolus*, quem sumat statim solut. in Cochl. i. Iulap. nuperrimè præscripti, repetatq; tertia pomerid. Insuper *gut. x. xii. xviii. sp. CC.* optime rectificati unicuique haustui Alæ instillandas, atque ductus salivales gargarismo ex *decocto ficuum & melle rosat.* fauci-bus sæpius injecto sollicitandos imparavi, atq; *Iulap. cum confect. alcherm.* adhuc usurpandum. Ægro inde satis ad somnum propenso, Ego sub vesperam reversus, bolum cum *ciner. bufon.* absque *laudano* sexta quaque hora repetendum duxi. Die 26. Puer somnum placidè capiebat sine ope *laudani*, urinam reddidit copiosam, Exanthemata ubique acuminari cœperunt,

runt, Petechiæ autem adhuc manebant admodum frequentes, amplæ & sublividæ; qu circa *Bolum Alexipharmacum* cum *ciner*, *Bufon*, absque *Laudano* quarta quaque hora repetendum jussi, unde Iunii 27, primo scil, maturationis die Puer delirare desinebat, atque sine Opiato medicamento placidè dormiebat, Exanthemata ubique turgentia matureſcebant, facies & manus sine febre evidenti plurimum intumeſcebant, maculæ (urina jam etiam copiosè reddita) rubeſcebant, diminuebantur, & evaneſcere cœperunt: unde ego ad spem maximam erectus sum; Parentes autem jam de vita Pueri non amplius solliciti atque monita noſtra spernentes, Bolum Alexipharmacum reluctanti puero amplius obtudi noluerunt, atque me dimiſerunt, Ægrè equidem coactus diſceſſi, non sine Prognoſtico funeſto prolato, utcunque *iulapium* sequens parandum jussi, atque ejus Cochl, tria statim, atq; deinceps tertia quaque hora (agitata phiala) propinanda, *R*, *Aq*, *Meliſſ*, *ceraſ*, *nigr*, *an*, *unc*, *ii*, *Epidem*, *pæon*, *comp*, *an*, *unc*, *m*, *Theriac*, *Androm*, *Lap*, *contrayerv*, *an*, ℥, *m*, *Serpentar*, *Virgin*, *ciner*, *Bufon*, *an*, ℈*t*, *Sir*, *carioph*, *unc*, *i*, M, F, *julap*, Quam diu hoc Iulapium exhibebatur, licet nimis parcè, per bidui spatium, sc, usque ad nonum Morbi diem [ut ex Pharmacopola audivi] somnum placidum capiebat puer, Exanthematis in dies matureſcentibus, atque maculis sensim declinantibus; demum autem usu Iulapii ipsius posthabito, Deliriis & Vigiliis recrudeſcentibus, atque maculis nigris rursus efflureſcentibus, die Iulii 2. atque declinationis Morbi tertio, miſer puer proculdubio præ remediorum neglectu, spem Amicorum fallens, supremum clausit diem.

HISTORIA XXXII.

(a) Honoratiſſimus Vir *Thomas Coventri* nobiliſſimi Domini *Baronis de Coventri* Filius natu maximus, familiæ suæ decus atq; columen, præcedenti æstate in ipso ætatis suæ flore à Phtisi vere pulmonari (Deo favente) à me ægrè admodum liberatus, atque adhuc Catarrho ex levi quavis occasione obnoxius, die Martii 22, 1686, Tussi, dolore capitis, vomitione atq; cæteris Symptomatis Variolarum apparatum comitari solitis correptus atque febricitans decubuit. Pharmacopola die 23, accersitus sequens Lene *Vomitorium* [an ritè, atq; certa indicatione innixus neſcio] sub veſperam ei propinavit unde liquore poſſetico copiosè epoto sæpius vomuit, *R*, *Infuſ*, *croc*, *Metal*, ℥*ii*, *m*, *Aqu*, *biſſop*, *unc*, *i*, *Sirup*, *è* 5, *Rad*, ℥*ii*, *m*, M, F, *Potio Emetica*. Symptomatis autem inde nequaquam manſuefactis, verum potius exacerbatis, atque Variolis die sequenti sc, 24, Martii confertim erumpentibus, ego poſt meridiem incunctanter accersitus inveni Nobilem Iuvenem delirum ac vigilem, Febre, (quæ tamen temperiem naturalem non immutaverat) Pulsu celeri ac debili, Tussi, & Lingua arida laborantem, Exanthematis in ipsa prima eruptione fere ubique cohærentibus. Quapropter ad Spiritus erigendos, & inordinatos eorum motus compeſcendos, & ad Tussim importunam quadantenus frænandam, Cochl, v, vel vj, Iulap, sequent, quarta quaque hora propinanda jussi (agitata prius phiala) atque hauſtum paregoricum sequentem hora somni (modo ope Iulapii non bene dormiret) exhibendum, *R*, *Aqu*, *Meliſſ*, *cardu*, *ceraſ*, *nigr*, *an*, *unc*, *ii*, *Epidem*, *Sirup*, *de Mecon*, *an*, *unc*, *i*, *m*, *pulv*, *è chel*, *cancr*, *comp*, *Lap*, *contrayerv*, *an*, ℥, *m*, M, F, *julap*, *R*, *Aqu*, *papav*, *Rhœad*, *cardu*, *an*, *unc*, *i*, *m*, *Epidem*, ℥*iii*, *Sirup*, *de Mecon*, ℥*vi*, *Laud*, *liquid*, *gut*, *xii*, M, F, *hauſtus*. Horum ope Nobilis Iuvenis somnum capiebat, Exanthemata autem eodem fere modo se habebant depreſſa nimirum adhuc, & subluri-da, Pulsus adhuc celer & debilis perſeverabat, Lingua magis areſcebat, atq; ut ut Guttur doleret nullus omnino ptyalifmus supervenit; ad ariditatem igitur linguæ leniendam, mixturam ex *Aqu*, *plantag*, ℔, *m*, & *Diamor*, ℥*vi*, iussi parandam verum etiam ad allevandum Gutturis dolorem, quo præ cæteris Symptomatis Vir nobi-

(a) *Variolæ cohærentes & Malignæ profluvio Urinæ solummodò iudicatæ.*

nobilis augebatur, atque ad Ptyalismum excitandum. Gargarismum ex *Decoct. Ficuum* ℔ß, *i, m, Mell, Rosat, & Diamor, an, vn, i,* Siphone faucibus calidum strenuè & frequenter injiciendum curavi, atque Iulapium paregoricum cum Speciebus adhuc usurpandum, additis ad singulos vel alternos Haustulos *gut, xii, vel xiv, Laudan, liquid, Helmont,* pro ratione Vigiliarum. Die 26, Exanthemata, quæ iam matureſcere oportebat, deprimebantur, atque ut ut in apicibus albescerent, sine quavis maturatione arescebant, Febrem insuper mali moris ex pulsus celeritate & debilitate & linguæ ariditate adesse deprehendi, cum Natura plane iners & languida iam neque per Cutim, Ductus Salivales vel quamvis aliam viam Venenum intus coactum protrudere valeret, non obstante somno, in quem ope præscriptorum satis propendebat; ideoque motum Spirituum ordinatum (qui me in hoc casu in spem maximè erexit) usu *iulapii paregorici* & Laudani repetito adhuc conservandum apprimè necessarium duxi, probè sciens Spiritus adeo attritos facillimè deliriis & vigiliis recurrentibus quam citissime avolaturos; insuper *Liquorem posseticum* nostro modo alteratum copiose propinandum iussi, atque *Turundas* lineas *Ol, Amigd, dulc,* illitas naribus intrudendas, ut liberior fieret per nares respiratio & Os inter dormiendum clausum inde minus arescceret: Die Mensis 27, morbi autem 6, cum animadverterem Febrem & Exanthemata eodem fere modo se adhuc habere, atque vigilias ex motu Spirituum minus ordinato quadantenus protractas, præter usum *iulapii paregorici*, *haustum* sequentem illico propinandum iussi, iterumque tempore nocturno (si vigiliæ urgerent) repetendum, *R, Aqu, paralis, ceras, nigr, an, vn, i, Epidem,* ʒiii, *Sirup, è Mecon,* ʒvi, *Laudan, liquid, helm, gut, xx,* M, F, *haustus*. Insuper Cochl, iv, vel v, Iulapii sequentis sæpius exhibenda imperavi, atque aliquando Haustulum *Vini canarini*, quippe Pater nobilissimus, atque cæteri Adstantes usum *Alexipharmacorum* generosum (quæ proculdubio jam admodum necessaria erant) admittere noluerunt. ℞. *Aqu. Meliss. Ceras. nigr. an.* ʒiv. *Epidem* ʒiii. *Cinnam. hordeat.* ʒii. *Margarit. ppt.* ʒiß. *Sacchar. alb. dr. v.* M. F. *Julap. Gargarismum* etiam repetendum jussi. Die autem 28. Spiritib. ob defectum generosorum *Alexipharmacorum* vacillantibus, Nobilis vir malo omine rursus cœpit delirare, quanquam motu Spirituum ordinato aucta *Opiatorum* quantitate adhuc conservato, satis ad somnum esset proclivis. Ideoque de eventu Morbi ego valdè sollicitus [postquam multis precibus hanc veniam impetratam) Spiritus stimulare *Vesicatorio* amplo & acri ad Nucham applicato, & hoc modo Alexipharmacorum, quæ adeò necessaria duxeram, defectum supplere decrevi. insuper *Haustum Opiatum*, *Iulapium Paregoricum*, *Vinum Canarinum*, *& Liquorem Posseticum* nostro modo alteratum adhuc usurpandum imperavi, Die 29. Vir Nobilis adhuc febricitans & quadantenus delirus, Exanthematis ubiq; exarescentibus & depressis, ad Vigilias magis proclivis erat: qua de causa *Vesic.* ij. ad brachia interna applicanda, Julapium Paregoricum adhuc usurpandum, atque Haustum Opiatum bis in die repetendum curavi. Die 30. (veneno neq; per Cutim, neq; per ductus salivales vel partes extremas protruso) Pulmones quadantenus infarciebantur, & nobilis Juvenis deliriis & vigiliis penè succumbebat; ego vero, venia in tanto discrimine ægrè priùs impetrata, chartulam unam *pulveris alexipharmacis* sequentis sexta quaque hora exhibendam jussi in Cochl. Julap. sequentis, & Coch. *iv.* vel *v.* ejusdem Julapii superbibenda, ad vires Spirituum pene extinctorum erigendas, ut eo meliùs Venenum per Cataractas Renum patentiores amandare valerent, quod per Cutim vel ductus salivales exterminare non poterant, ℞. *Pulv. è chel. cancr. comp. Lap. contrayerv.* an. ʒi. *ciner Bufon dr. m. pulv. Bezoard. Magistral.* ʒi. M. & divid. in tres chartulas. *R. Aqu. Meliss. ceras. nigr.* an. *vn. iii. Epidem. pæon. comp.* an. *vn. i. confect. alcherm. dr. ii. Syrup. caryoph. vn. i.* M. F. *Iulapium*. Insuper Haustum Paregoricum bis in die exhibendum jussi, Julapium Perlatum & Gargarismum repetendum, & Cochl. viij. vel x. *apozemat.*

sequent.

sequent. tepefact. propinanda, ℔. *Decoct. Pectoral. depurat.* ℔j. *Sirup. Capill. Vener. Tinctur. Croc.* an. unc. ß. M. F. *Apozema* Unde Æger [urina copiosè reddita, atque Arteriis fortiùs sese vibrantibus) placidè dormire cœpit, atque ad se redire; quandoquidem verò Respiratio adhuc (uti sæpe in hoc ultimo Morbi stadio] pulmonibus infactis erat quadantenus difficilis, die 31. Cochl. j. *Linctus* sequent cum Haustu Apozematis pectoralis quarta quaque hora ministrandum curavi, ℞. *Ol. Amigd. dulc. rec. Sirup. capill. ven.* an. unc. *i. m. Sacchar. cant. alb.* ℥*i. m.* M. F. *Linctus*, Haustum etiam paregoricum hora somni repetendum imperavi. Nobilem Juvenem planè *apyreton* atque in nullo discrimine versantem inveni, quamquam adhuc obstructione pulmonum, Tussi violenta & levi Ophthamia affligeretur; quapropter *Linctum* & *Apozema Pectorale* adhuc usurpandum duxi, *Haustum Paregoricum* hora somni propinandum, *Gargarismum* & *julapium perlatum* repetendum, *Linimentum* ex *Ol. Amyg. dulc.* &c. pro facie parandum, atque gut. aliquot *collirii* sequentis sæpius oculis instillandas, *R. Aqu. plantag.* unc. i. *Troch. alb. Rhas. sine Opio, Sacch. crist. alb.* an ℈j. M. F. *collirium*. Quandoquidem vero pulmones nobilis viri (qui à Tabe præcedenti aliquali labe inficiebantur) hoc Morbo calefacti debilitarentur, adhuc obstruerentur, & demum molesta Tussi angerentur, atque Scabies insuper pertinaciter ad faciem adhæresceret, & alvus adhuc adstringeretur, Aprilis 2. *Apozema* pectorale & *Linctum* diligenter usurpandum duxi, atque etiam *Linimentum* & *Gargarismum* usque ad diem sextum. Die 3. insuper alvum *glande* ex *Melle & Alumine* cum ℥*ii. Spec. Hier. picr. coct.* sollicitandam curavi. Die 4. ad calorum pulmonum temperandum *gr. xv. Salis Nitr. puriss.* & *vn.* ß. *Sacchar. crist. alb.* in singulis haustibus cerevisiæ solvend. præscripsi; atque demum die 6. ad Tussim importunam frænandam *gut. xii. Laudan. liquid.* in Cochl. *Sirup. balsam.* hora somni quavis nocte exhibendum. Hoc pacto sublatis omnibus symptomatis, plane reconvalescebat nobilis Vir, appetitu etiam integrè restituto, nec morbosus aliquis affectus postea suboriebatur, præter levem oculorum Taraxin, à qua facilè & brevi repetito Collyrii præscripti usu liberabatur, Alvum igitur Pilul. sequentibus nocte deglutitis primum die Aprilis 11. leniter subducendam jussimus, *R. pil. Stomach. cum Gum. Alces rosat. an.* ℈j. *Sal. Tartar. gr. vi. Elix. Prop. q. s.* M. F. *pil. num. vi.* deaurandæ. Die 14, hora somni deglutiit Nobilis *gr. xxv pil. Stom. cum Gum*, & ad alvum fortius deturbandam proximo mane *Extract. Rud. gr. xxv*, in iij, Pil, redact, atque denique die 17. *pil. Stomach*, ℥*m* hora somni, mane vero proximo pilulas, sequentes. *R. Extract. Rud.* ℥ß. *Sal Tartar. gr. v. Ol. Anis. gutt. iij.* M. F, *Pil. iii.* deaurand.

HISTORIA XXXIII.

(*a*) Uxor Domini *Levvis*, habitantis in vico dicto *pater. noster. rovv*, mulier elegans & formosa anno 1670. ægrotans, atque immodico mensium fluxu tentata, sexto imprægnationis mense, Variolis jam ubique erumpentibus abortionem passa est. Exanthemata mali moris à prima eruptione ubique confluebant, accesserunt Pulsus admodùm debilis sine evidenti Febre, Vigiliæ pertinaces & delirium: interrogatis tamen placidè respondebat Ægra, secundo maturationis die à priore Medico deserebatur quasi deplorata: ego vero tunc accersitus, deprehendi [Lochiis adhuc fluentibus) pulsum admodum debilem, temperiem mitem, Variolas ubique depressas, adeo autem fuit attonita & animi impos, ut sese bene valere crederet, neque de Morbi eventu sollicita esset, neque de Morbo, neque de quovis symptomate conquereretur. Insuper Natura veneno per glandulas cutaneas juxta primam intentionem propulsando impar, planè languida & ignava, neque per glandulas salivales, neque per aliquam aliam portam hostem prosequi moliebatur.

Hoc

(a) *Altera ejusmodi.*

Hoc in casu ad præcavendam funestam Diarrhœam, quam meritò insecuturam suspicatus sum, atque eliminationem lymphæ venenatæ saltem per Cataractas Renum promovendam, præscripsi dosin *Ciner. Bufon. Pulv. e Chel. Cancr. comp.* & *Lap. Contrayerv.* quarta quaque hora cum haustu *Julapii Opiati* ministrandam, unde fluxu urinæ notabili suborto optimè dormiebat Ægra. Post unum verò vel alterum diem exarescentibus ubique Exanthematis, pulsum sensim fortiorem deprehendi, atque mentem sanam; qua ratione, medicamenta non adeò frequenter repetenda jussi, verum sexta tantum vel octava quaque hora, atque tandem bis vel semel in die, fluxu Urinæ continuato, & Patiente in dies reconvalescente; atque quidem die Morbi vicesimo prorsus convaluit, sine ulla omnino Exanthematum maturatione, Salivatione vel extremorum intumescentia per totum Morbi cursum suborta.

HISTORIA XXXIV.

(*a*) Filiolus Domini *Allot*, habitantis in vico dicto *Covv lane*, sex annos natus; circiter annum 1671. media hyeme Variolis laborabat. Exanthemata à prima eruptione ante meum adventum ubique confluebant, vel saltem magna ex parte cohærebant, Febris insuper mali moris à primo Morbi insultu usque ad maturationem protendebatur. Instante autem maturatione (cùm ego primùm acccersebar) Exanthemata, quæ jam matureſcere & turgescere oportebat, ubiq; subsidentia & exarescentia, atque in pectore Petechiis interspersa deprehendi, accessit alvi fluxus enormis cum vigiliis & deliriis sociatus, postquam oppressa Natura Venenum per ductus Salivales levi Ptyalismo, quasi velitando eliminare in cassum tentaverat; Ope autem *julapiorum, Opiatorum, Enematum Adstringentium* & *Pulverum Cardiacorum* & *Adstringentium* cum *Ciner. Bufon.* commixtorum, sæpius repetitorum, Fluxus alvi licet sæpius recurrens demùm penitus sublatus erat, Æger placidè dormiebat, atque urinam copiosè reddebat, atque tandem evanescentibus Petechiis, [ut ut Variolæ per totum Morbi cursum ad instar pellicularum pellucidæ adhæsissent & exaruissent] perfectè reconvalescebat, & nullus omnino morbosus affectus postea suborta est, præter *Ophthalmiam*, à qua methodo alibi descripta facilè liberabatur.

HISTORIA XXXV.

[*b*] Consobrina Dom. *Tipton*, habitantis sub Insigni *Solis* prope *Holbornbridge*, anno 1673. currente jam 14 ætatis anno, Variolis cohærentibus laborans, à Pharmacopola tractabatur, usque ad undecimum Morbi diem, quo die Salivatione à frigore in poros Cutis admisso derepente suppressa, & Variolis ubique depressis, ego incunctanter accersitus inveni miseram Puellam pulsu admodum debili, subsultu Tendinum, vigilis & delirio laborantem, anhelam etiam & suffocatam ac si illico animam efflaturam. Igitur *Vesicatorium* amplum, & acre statim ad Nucham applicandum jussit, atque *Bolum* ex *Electuar. de Ovo* & *Ciner. Bufon.* exhibendum, & cum haustu *julapii Opiati* quarta quaque hora repetendum; unde (quod optabile fuit) insigne & quasi Diabeticum Urinæ profluvium suboriebatur, vires statim evidenter refocillabantur, & Puella meliùs respiravit. Demùm decimo quarto Morbi die, cùm jam febris penitus exulaverat, usu Bolorum non amplius continuato, revirescebat (mirabile dictu) ingens Ptyalismus, qui sponte duravit, usque ad completam Exanthematum maturationem, & donec Patiens integrè reconvalescere quæ hoc pacto (si quæ alia) ab orci faucibus planè eripiebatur.

HI-

(a) *Altera eiusmodi* [b] *Variolæ cum diris symptomatis ob Salivationem intempestive suppressam sociatæ, quæ symptomata suborta urinæ profluviis tollebantur.*

HISTORIA XXXVI.

(a) Uxor Domini *Goddard*, habitantis in vico dicto St. *Botolphs-lane*, annos duodeviginti nata, die Octobris 21. 1692. sub vesperam dolore Lumborum Spasmodico derepente adeò atroci corripiebatur, ut tota machina Spasmis agitari videretur, Febris autem intemperie, siti vel Pulsus mutatione nondum sese prodebat. Die proximo alvum frequenter dejiciebat, non multùm autem ægrotabat, lumbagine sollummodò attrita, indeque sese non continebat in lecto ut par erat, verùm ubique in domo, tempestate admodum frigida pallida licet & languida obambulabat. Die 23. sub vesperam unum vel alterum Exanthema sese in labiis primùm in conspectum dedit. Die 24. erumpebant Variolæ ubique cohærentes, Ægra jam multum languebat, suffocatione strangulatoria sæpius tentata, atque madore frigido perfusa: Pulsus (ut ex Adstantibus audivi) erat debilis, & Vigiliæ à primo Morbi insultu usque ad 27. mensis diem, pertinaciter urgebant, & ne granum quidem Medicamenti alicujus Opiati vel Cardiaci ad vires sustentandas à Pharmacopola, qui eam hactenus tractabat, ministratum erat; Decoctum album & Julapium Perlatum frigidum & minimè Cardiacum per totum hoc Apparatus & Eruptionis tempus concedebatur, solummodo tantillum Vini Canarini in deliquiis ægrè admodum, & non sine multis precib. impetravit, Ægrota ut ut inde sese plurimum refectam sentire. Ego 27. mensis, & sexto Morbi die advocatus quamprimum animadverti Exanthemata admodum frequentia & penè ubique cohærentia, depressa vero & lurida, Pulsum debilem & celerem, micturitionem, urinam vero tinctam & contentis saturatam, vires admodum languidas, & suffocationes quasi Hystericas frequenter recurrentes, cum Vigiliis pertinacibus conjunctas: quoties enim obdormiscere cœpit, suffocatione & deliquio excitata statim expergefacta est. Ideoque *Vesicatorium* statim ad Nucham applicandum jussi, & *Bolum* ex *Theriac. Androm.* ℥. *m. pulv. è Chel. Cancr. comp Lap. Contraierv.* & *Rad. Serpentar. Virgin. an.* ℈. *m. Laudan. liquid. gut. xv.* & *Sirup. Carioph. q. s.* illicò exhibendum, atque sexta quaque hora repetendum cum haustu Julapii, & *gut. xii. laudani liquidi* haustui Iulapii media nocte propinando instillandas, modò non dormiret: A *Laudano* vertigine quadantenus afficiebatur Ægra, urinam verò sine micturitione molesta jam reddebat, & post universalem dolorem quem per bihorium senserat, demum per trihorium quietè decubuit, atque denuò placidè dormivit. Octobris 28. mane pulsum deprehendi manifesto fortiorem, Exanthemata fere ubique (tarde licet) maturescentia atque quadantenùs acuminata faciem etiam licet sine ptyalismo intumescentem, Aegra hilari erat animo, & plurimùm refecta, atque à languore, suffocatione, madore, reliquisque funestis symptomatis, liberata quietè jacebat, indeq; in spem inductus Bolum sexta quaque hora adhuc repetendum duxi, donec somnus satis conciliaretur; atque Venenum magis subigeretur. Die 29. menses, qui præstituto tempore, sc. sub initium Morbi fluere debebant, jam erumpebant, subsidebat faciei intumescentia, atq; Exanthemata eam obsidentia, pure minimè concocto, exarescebant Aegra verò mentis adhuc compos erat, utpote frequenti, licet brevi & suspenso somno refecta, ideoq; *Vesicatoria* duo ad Carpos internos applicanda jussi, & *Bolum e Theriac. Androm.* ℥. *m. pulv. Serpentar. Virgin. Spec. Confect. de hiacinth. e chel. cancr. comp. an. gr. xii. laud. lond. gr. i.* & tantillo *Sirup. Carioph. Sirup. de Mecon.* ℥. *m.* statim exhibendum, atque denuò sexta quaque hora repetendum, Bene inde dormivit & mente integra fruebatur, Lingua mollis erat & humida, Guttur autem dolebat sine Ptyalismo vel Aphthis in ore succrescentibus, vel Tussi conjuncta, margines Exanthematum in pectore

(a) *Variolæ Malignæ & cohærentes fluxu Mensium immodico & Diarrhæa suborta die Morbi 15. funeste terminate.*

ctore & Artubus rubedine magis vegeta perfundebantur, Glandulæ prope nasum sitæ intumescebant, & serum copiosè excernebant, una manus in tumorem tolli cœpit, vesicatoria autem vix quicquam effecerunt, Sanguis ex Arteriis uterinis fluere haud desinebat parcius autem quam præcedente die effluxit; Vibrationem Arteriarum deprehendi citatiorem, atque urinam rubedine saturatam, atque contentis & arenulis refertam, iterumque frequenter & molestè redditam. Ideoque præter usum Bolorum Alexipharmacorum & Opiatorum quos sexta quaque hora usurpandos duxeram, die Octob. 30. Haustum *Apozematis Pectoralis* cum *Tinctur. Croc.* vel *Emulsionis è semin. frigid. cum Aqu. Ros. rub.* calidè sæpiùs ministrandum jussi, atque Gargarismum ex decocto Ficuum, *Diamor. & Mel. Ros.* calidè Siphone faucibus frequenter injiciendum. Die Oct. 31. bene adhuc dormivit & sana mente fruebatur, manus utraque tumore notabili afficiebatur, Exanthemata in manibus; atq; in cruribus hactenùs depressa inflammari & pure turgere incipiebant; urina autem pauca admodum frequenter & difficulter reddebatur, fluxu uterino adhuc non penitus sublato, quo nomine *gr. xv.* vel ℈ *Pulv. Æthiopic.* singulis Bolis addendum duxi, eorumq; usum unà cum haustu Paregorico sexta quaque hora repetendum, atque in cæteris perstandum esse. Novembris 1. Fluxus uterinus sistebatur, urina reddebatur copiosa, & contentis saturata & sine dolore, somnus satis protrahebatur, tumor extremarum partium (Exanthematis in iis ubique jam pure refertis) in magnam molem elevabatur, Respiratio facilis erat & libera, pituita viscida ope Gargarismi copiosè è faucibus educta. Novembr. 2. Ægram post levem sudorem sponte subortum, atque per trihorium universum corpus perfundentem penè *apyreton* inveni, unde in omnibus præscriptis perstandum esse duxi. Novemb. autem 3. Morbi 13. ultimo Morbi Stadio jam primùm initio, Ægra bis alvum sponte dejecit, partes extremæ evidenter detumescebant, sitis etiam & Linguæ ariditas Febris auctæ indicia dederunt, satis quidem dormivit Ægra sed in nonnullis deliravit, & rursus suffocatione tentabatur; qua de causa *Bolum* cum haustu Paregorico bis in die duntaxat repetendum duxi, ad linguam autem emolliendam tantillum *Mucilaginis Sem. Cydon. Syrup. e Mor. Extract.* sæpius in Os ingerendum jussi, atque in cæteris perstandum. Nocte proxima bis iterùm alvum dejecit Ægra, & urinam nonnunquam involuntariò reddidit. Pulsus erat celer & quadantenùs debilis, somni erant breves, sæpe enim ut in principio Morbi suffocatione strangulatoria perterrita expergefacta est, Hæmorrhagia uterina rediit jam plurimùm aucta. Igitur Novemb. 4. præscripsi *Decoct. alb.* pro potu ordinario, atq; loco Bolorum, Cochl. v. vel vi. Julapii sequent. alternis horis propinanda jussi, ℔ *Aqu. Germ. Quer. Cinnamhord.* an. ℥iv. *Epid. Pæon. comp. Syrup. e Mecon.* an. ℥iß. *pulv. e chel. cancr. comp. Spec. Confect. de Hyacinth pulv Bezoard. Magistr.* an. ʒß M. F. *Julap.* Ante vesperum quinquies dejecit feces Copiosas & serosas, pulsus autem inde non multùm labefactabatur, quo nomine Bolum ex *Ther. Androm.* ʒß. *pulv. e Chel. Cancr. com. Spec. Confect de Hyacinth.* an. *gr. xv. Laudan. Lond. gr.* j. & tantillo *Syr. Caryoph.* confectum illicò exhibendum curavi, & quarta matutina (si fluxus alvi perseveraret) repetendum, cum haustu Julap. ex *Aq. Meliss. Rut. Ceras. nigr. bryon. & Pæon. comp. & Syrup. Caryoph.* de quo fas erat bibere ad libitum in languoribus vel suffocationibus, atq; etiam *Spir. Sal. Armon.* in phiala collo arcto & oblongo sæpius naribus admovendum, sin alvus à primo Bolo cohiberetur, secundum omittendum jussi, & in locum ejus substituendum curavi Julap. cum *Pulv. bezoard.* durante quidem alvi fluxu evigilavit Ægra, verùm sine delirio vel suffocatione, ante mediam autem noctem delira suffocata, hora prima matutina ad plures migrabat. Adeo inter duo symptomata vehementia, nimirum enormem Diarrhœam, & suffocationem, dif-

difficili dilemmate demùm pressus, vel miseram Patientem post spem sanitatis redintegrandæ amplam, jam fluxu alvi colliquativo diffluere, vel strangulatione præcipiti perite permittere coactus sum.

HISTORIA XXXVII.

[a] Filius Domini *Hac Kevvill*, octodecim annos natus, sub finem mensis Septembris 1692. atroci & plane Spasmodico Capitis & Lumborum dolore correptus, sine intemperie febrili, sine nausea ægritudine, vomitione, vel quovis altero vehementi symptomate præter dolores memoratos, ad bidui fere spatium vigil ac delirus, pulsu intereà debili, decumbebat. Sub finem secundi diei tota facies efflorescentia æquali & continua derepente perfundebatur, minime coccinea sed sublurida, Pectus universum, & Artûs Exanthematis lividescentibus, & pene ubique cohærentibus, varia admodum figura ad instar Morbillorum [maculis nigris & Petechiis hic illic interspersis] notabantur; pervigil etiam erat & deliravit Æger usque ad secundum Eruptionis diem, quo ego primùm accersitus eum inveni inquietum, vigilem & delirum, pulsu admodum debili & vacillante laborantem, & quasi potionatum, magis quàm febricitantem, namne granum quidem Alexipharmaci alicujus, aut cujusvis alterius medicamenti hactenùs ministratum fuerat, unde spiritus, nullis supperiis Artis tempestive adhibitis, veneno penitus succumbere videbantur: Ex inani verò Naturæ conatu, aliqualis labiorum intumescentia, & levis Ptyalismus demum suboriebatur. Quocirca funesto prognostico prius prolato (ut importunis Amicorum precibus satisfacerem) miserum Ægrotantem repetito usu *Theriac. Androm. Pulv. Gascon. Serpent. virgin. Julap. Cordialium* & frequentium *vesicatoriorum* (quod unice faciendum restabat) ab Orci faucibus eripere & somnum ei conciliare moliebar, in cassum verò sub initium enim primi maturationis diei, comatosus & convulsus fatis cedebat.

Soror hujusce Iuvenis in eadem domo cum Fratre diversata, atque ei ministrans terrore & mœstitia ob mortem Fratri præproperam affecta, paulo ante illius obitum Paroxysmum Febris quam Varioloſam esse ipsa opinabatur, ad 24. horas protensum perpessa est. Alvo autem ejus, quæ prius nimium adstricta erat, Enemate soluta, atque Bolo Theriacali postea exhibito, die proximo mane plane *apiretos* videbatur, Arteriæ valide & ordinate se vibrabant, qua de causa nullum aliud medicamentum deglutire voluit præter *Cortic. Peruv.* quem parce admodum deglutiit, labe autem hacce infecta tres hebdomadas valetudinario transegit mœsta & perterrita, menses deinde subsistebant; demum vero derepente dolore spasmodico caput, lumbos & totum corpus occupante transfixa decumbebat, sine Febre evidenti, nausea etiam & vomitione non multum lacessita, Die autem proximo tota facies coccinea efflorescentia æquali perfundebatur Pectus vero & Artus Exanthematis sublividis pene cohærentibus, quorum apices haud pauci fuscum vel nigrum colorem induebant. Secundo Eruptionis die, quo ego primum accersebar, fluxum mensium enorme perpetiebatur, dormiebat autem, atque minime delirabat; Pulsum autem deprehendi debilem admodum, atque Temperiem mitem, & ne granum quidem medicamenti cujusvis Alexipharmaci hucusque ei ministratum fuerat. Terrore autem mortis quam exspectabat perculsa, tremula jacebat, Pathematis gravioribus attrita; quibus etiam accessit, dolor ob inexpectatum Avi obitum, qui è rure eam invisendi causa huc se contulerat, atque domum jam primùm ingressus, Apoplexia fortissima correptus, intra semihoræ spatium animam efflarat. Utcunque [funesto prognostico prius prolato] ope *Alexipharmacorum* generosissimorum, & *Opiatorum*, atque *Vesicatoriorum* frequentium applicatione funestum diem

(a) *Variolæ primariò Malignæ & universim Confluentes.*

differre pro virili conatus sum; sed frustrà: secundo enim maturationis die, cùm jam universa facies pergamena quasi candida obducta videbatur, comatosa satis cedebat.

HISTORIA XXXVIII.

(a) Adolescens 16. annos natus, habitans in *Soho* [cujus nomen mihi jam non occurrit] die Septembris 26. 1693. Varioloso fermento infectus decubuit. Biduum valetudinariò transegit, dolore capitis & lumborum immani correptus nondum autem, tactu judice, intemperie febrili tentabatur, vel Comate, Nausea, Vomitione, Fluxu Alvi, vel quovis altero vehementiori symptomate apparatum hujus Morbi comitari solito affligebatur, tantùm de spasmodico hoc dolore & vigiliis conjunctis conquestus est. Die autem 18. universa cutis efflorescentia æquali, continua atque intensà rubra sine pustulis notabilibus, derepente perfundebatur, unde Æger pellicula quasi scarlatina undique obductus illico cœpit delirare & furere. Die mensis 29. eruptionis autem secundo, cùm à primo Morbi insultu non omnino dormivisset, vel remedium quodcunq; Alexipharmacum vel Opiatum sumpsisset, ad eum invisendum accersitus, animadverti pulsum admodum debilem, celerem inordinatum, atq; Urinam paucam, tenuem, & minimè rubedine vel contentis saturatam, ipsum autem Aegrum insomnem, delirum, & sensu omni penitùs privatum. Casus hic (si quis alius) prognosticon funestum suggerebat, nullam autem Indicationem præbebat, nisi ut quocunq; modo spiritus penè extincti suscitarentur, atque motus eorum vacillantes & inordinati compescerentur. Quo nomine, postquam fatum instare denunciaveram, monitis Amicorum morem gerens *Vesicatoria* iij. ad Nucham & Carpos illico applicanda jussi, & *Bolum Theriacalem* cum *pulv. Gascon. Lap. Contrayerv* & *Serpentar. Virgin. an.* ℈ß. atq; *Laudan. liquid. gut.* 14. exhibendum; & quarta vel quinta quaq; hora, solutum in hausu Julapii Cordialis repetendum. Unde Aeger, qui à primo Morbi insultu non omnino dormiverat, per duas horas integras somnum placidum capiebat, neque ut prius delirabat, Ptyalismus etiam aliqualis jam suboriebatur, indeq; proximo die mane *Vesicatoria* ij. ad Tibias internas applicanda curavi, & quantitatem *Serpentariæ Virgin.* in unoquoq; Bolo duplicandam. Die autem sequenti, primo sc. maturationis pellicula undiquaque pergamenæ ad instar albescente, & plane exarescente obductus maculis insuper quibusdam griseis hic illic in Cuticula efflorescentibus comatosus, delirus & convulsus animam exspirabat, sanguinis tantillo paulò ante obitum è naribus stillante.

HISTORIA XXXIX.

[a] *Martha Meade*, ancilla nobilissimi Domini *Baronis de Coventry*, duodeviginti annos nata, die 24. Januarii 1691. derepente Cephalalgia & Lumbagine immani corripiebatur, cum autem sese non calore, sed potius algore sensisset perfusam, rata hanc affectionem esse Nephriticam, ubique in domo obambulabat, tota nocte sequenti, gelu jam admodum sæviente, Conservo suo ægrotanti ministrans evigilavit, cum potius in lecto somno indulgendum erat. Unde spiritus frigore & vigiliis penè excti minus pares certamini cum Veneno ineundo reddebantur. Proximo die, cum jam ego morbum Varioloſum pronunciarem, in curru, cautela maxima adhibita, in domum Amitæ suæ [ut percupiebat] secundo Morbi die deducebatur. Die Morbi tertio, mensis nimirum 27. Pharmacopola accersitus, post Bolum nescio quem præcedenti nocte exhibitum, nulla efflorescentia in Cute sese prodente, audacter è Vena Cubiti ℥xiv. vel *xvi.* sanguinis eduxit, qui cum impetu exsiliebat, atque nullatenus, Rheumatici sanguinis ad instar, concrescebat, fibris penitus privatus.

Die

(a) *Altera ejusmodi.* (b) *Altera ejusmodi.*

Morbi quarto mane ego accersitus animadverti universam Cutem efflorescentia continua & plana, intense rubra, non scarlatina, verum quasi levi & plano *Erysipelate* perfusam, maculis rubris minoribus, & nigris majoribus ubique per totum pectus sparsis. Urinam insuper Aegra reddidit copiosè & frequenter atque sinceri sanguinis ad instar intensè rubram. Dormiebat quidem quadantenus, verum oppressa & languida, atque pulsu tremulo & inordinato laborans, sese plurimum atque pene perpetuò jactabat. Prognostico igitur funesto prius prolato, *Tinctur. Ros. sicc. Aqua Cinnam. hord. & Spirit. Sulph.* extract. atque *Saccharo albiss.* edulcorat. præscripsi pro potu ordinario, atque chartulam unam Pulveris sequentis cum haustu Julapii quarta quaque hora exhibendam jussi, ♃. *Pulv. bezoard. Magistr. Spec. confect. de Hyacinth. an.* ʒß. *Coral. rub. ppt.* ʒij. *Pulv. Serpentar. Virgin.* ʒß. M. pro v. Chartulis. ♃. *Aqu. Cinnam. hord. Stephan. Germin. Querc. Ceras. nigr. an.* ℥iij. *Acet. Stillat.* ʒv. *Syrup. Myrtil.* ℥iß. M. F *Julap.* Sub finem autem quinti Morbi diei sanguine confertim e Bronchiis exsiliente suffocaaa periit, labiis & manibus [uti in Confluentibus Variolis plerumque contingit] quadantenus ab inani Naturæ nisu tumefactis. Cadavere inspecto Cutim deprehendi (visu horrendum) ubique plane nigricantem, proximo autem die colore cæruleo imbutam, qualem colorem etiam omnia lintea sanguine conspurcata Aquæ Saponaceæ primum immersa plane exhibebant, ac si fuissent arte tincta, quæ labes haud facile delebatur. Tantum valet hoc Venenum ubi ad *Synech* pervenit in Humorum ipsorum Crasi immutanda.

HISTORIA XL.

[*a*] Frater natu minor Domini *Warren*, habitantis in vico dicto *Ludgate hill* mense Augusto 1692. frequenti rigore, lumbagine & demum febrili calore correptus (uno vel altero Exanthemate Varioloso demum sub finem secundi Apparatus diei inter innumeras Maculas purpureas sese prodente) decumbebat. Die eruptionis secundo ego accersitus animadverti Exanthemata valde frequentia, & pene ubique cohærentia, verum depressa & semimortua maculis nigris & magnis ubique interspersis: Aeger erat inquietus, insomnis & delirus, urinam reddidit frequenter tenuem & copiosam, Lingua nigrescens arescebat, nullum aderat Ptyalismi futuri indicium, Pulsus erat tremulus & admodum debilis. Prognostco igitur funesto prolato, *vesicatoria* illico ad Nucham & Carpos applicanda jussi, & *bolum Theriacalem* cum *Pulv. Gascon. Serpentar. virgin.* & *Laudan. liquid gut. xx.* statim exhibendum, atque sexta quaque hora cum haustu *Julap. Cordialis* repetendum, Liquorem etiam posseticum nostrum præscripsi pro potu ordinario, Misellus autem Juvenis jam fere exstinctus, die proximo mane delirus ac insomnis animam efflavit.

HISTORIA XLI.

(*b*) Soror Domini *Thomson*, habitantis in vico dicto *Snore-hill*, virgo fere quadragenaria, media æstate 1692. tempestate admodum fervida, atroci & spasmodico lumborum dolore derepente correpta, atque nulla notabili temperiei mutatione, vel alio quovis Symptomate vehementi attrita, hanc affectionem inde Nephriticam rata, à lecto abstinebat, in domo obambulabat, atque ad rem familiarem animum attendebat: biduo verò elapso, Lumbagine sensim aucta, & deliquiis invadentibus decumbebat, tota nocte insomnis & inquieta. Die proximo mane ego accersitus inveni miseram Aegram stragulis oppressam & perperam æstuantem, pulsu debili & celeri laborantem, atque sudore immodico perfusam: In subsidium igitur Spirituum penè suffocatorum partem magnam stragularum illico detra-

(a) *Variolæ Coherentes atque à primo ortu mali moris.* (b) *Altera ejusmo ip*

hendam jussi, atque unum brachium levi tegumento munitum è lecto eximendum, ut respiraret Ægra liberius & facilis, quippe Crisin Variolarum jam instare suspicabar. Insuper *Bolum Theriacalem* cum *Pulv. è Chel. Cancr. comp.* illico deglutiendum, atque *Julapium Cordiale* temperatum ad libitum propinandum imperavi, ad vires Spirituum in agone Critico plurimum exhaustorum refocillandas. Vesperi autem reversus inveni Ægram Nutricis & Mulierculorum adstantium consilio rursus stragularum onere pressam, atque utroque brachio in lecto retento quasi in Balneo æstuantem. Unde Variolæ penè ubique cohærentes confertim jam erumpebant, cuticula ubique ut in Scarlatina vel Erysipelatosa efflorescentia inflammata, & Maculis purpureis vel nigricantibus hic illic sparsis. Vtcunque ope *Vesicatoriorum*, & *Opiatorum* atque *Alexipharmacorum* assiduè repetitorum, Variolis (licet tardè) quadantenus maturescentibus, ad decimum Morbi diem vitam produxit Ægra, quo die Hæmorrhagia immani ab Vtero & Renibus suborta periit.

HISTORIA XLII.

[*a*] Servus Domini *Bussi*, habitantis in vico dicto *Fleetstreet*, mense Julio 1692. dolore capitis & lumborum atrocissimo correptus, atque per biduum attritus, demum vertigine affectus, sub finem secundi diei consilio Medici obiter occurrentis decumbebat, atque sanguinis ℥xii. è brachio educi sinebat. Nullo medicamento autem *Alexipharmaco* vel *Opiato* præscripto vel ministrato tota nocte insomnis, hebes & delirus jacebat, erumpentibus jam undiquaque Variolis propemodum ubique Cohærentibus. Proximo mane ego sedulò accersitus animadverti Pulsum admodum debilem, celerem & vacillantem, Ægrum ipsum insomnem, hebetem & delirum; quo nomine *Vesicatoria* tria ampla & acria statim ad Nucham & Carpos internos applicanda jussi *Julapium Paregoricum & Cordiale cum Speciebus* quarta quaque hora ministrandum, atque *Bolum Theriacalem*, *Opiatum* statim exhibendum, iterumque hora somni repetendum. Die proximo Patientem inveni prorsus *apireton*, nullo symptomate vehementiori affectum & placide dormientem, Ptyalismo jam suborto, atque Variolis vegete rubentibus & quadantenus acuminatis; igitur usum *Julapii* Paregoric. cum Spec. adhuc usurpandum imperavi atq; Haustum cum ℥i. *Syr. de Mec.* hora somni propinandum & quaq; nocte repetendum. Quo pacto Variolæ ante nonum ab eruptione diem integram maturationem assecutæ [Ptyalismo uberrimo hucusque protenso atque manibus demum insigniter tumentibus] & pure concrescente declinantes, sine Febre recidiva more plane legitimo exaruere. Tantum momenti habet [me Judice] Venæ sectio in hoc Morbo ad excruciantes Lumborum Spasmos allevandos opportune celebrata, modò vires spirituum fractæ posteà assiduo Opiatorum & Alexipharmacorum usu, atque Vesicatoriorum applicatione tempestive erigantur.

HISTORIA XLIII.

[*b*] Vxor cujusdam Lanionis [cujus nomen jam mihi non occurrit] habitantis prope *Smithfield-bars*, sexto ingravidationis mense Variolis correpta (Exanthematis admodum frequentibus erumpentibus) frigido regimine sine Alexipharmacis vel Opiatis tractata, ad quartum usque diem [quo ego primum accersebar] plenò insomnis jacebat, atq; perlargo usu *Spir. Sulph.* quo Vaiolæ in Gutture succrescentes irritabantur, adeò suffocata & strangulata erat ut vix quicquam deglutiret posset, Temperiem Ægrotantis inveni admodum mitem, pulsum

(a) *variolæ cohærentes cum atroci Lumbagine invadentes vene-sectione, &c. in benignas mutatæ.* (b) *variolæ admodum frequentes cum strangulatione conjunctæ usu spir. Sulphuris copioso.*

sum verò celerem & debilem, vires languidas, atq; Variolas ubique depressas & seminaces. Quo de causa cochl. *v.* vel *vi. Iulapii paregoric. cum Spec. b.* quarta quaque hora propinanda jussi, instillatis guttulis *xiv. Laudan. liquid.* haustui nocturno & matutino. Insuper loco Gargarismi *Spiritu Sulph.* saturati, *gargarismum* ex *Decoct. Ficuum* & *Melle Rosat.* sæpius faucibus Siphone tepidè injiciendum curavi. Exinde quodvis oblatum facilè deglutiit, à strangulatione prorsùs liberata, optimè etiam dormit, Variolis jam demum ubique maturari incipientibus. Spes reconvalescentiæ tanta affulgebat, ut omnes Adstantes admiratione perculsi planè stuperent. Die autem proximo Aegra abortionem perpessa est, illico corruunt vires, subsidunt Exanthemata, atque Ægra atrocissimo & spasmodico Femoris sinistri dolore correpta brevi fatis cedit.

HISTORIA XLIV.

(*a*) Uxor Domini *Higby*, habitantis in vico dicto *Snore-hill*, non ita pridem maritata, atque jam gravida; fluxu mensium immodico atque cæteris abortionis subsecuturæ symptomatis tentata, in febrem Varioloſam incidit. Variolæ autem neque Naturæ viribus, neque aeris suppetiis [quamquam generosissima remedia adhiberentur] protrudi potuerunt; verùm altiùs in cute delitescebant, Unde tertio eruptionis die inflammatione & intumescentia faucium insigni, ob lympham venenatam versus glandulas salivales raptam, derepente suborta, atque in dies sensim aucta, demum vix deglutire vel respirare potuit, abortionem insuper passa est, & quinto morbi die anhela & suffocata periit.

HISTORIA XLV.

(*b*) *Thomas Jolliff* Armiger, optimæ spei Juvenis, habitans in Hospitio *Mediì Templi* circa annum 1669. Virginem nobilem & formosam mox ducturus uxorem, sine febre evidenti ægrotantis de dolore capitis vehementi solum modo conquerebatur. Ipse autem amore captus, atq; inde sui ipsius negligens, quotidie (cum in lecto potius decumbendum erat) in aere frigido, sæviente jam hyeme, versabatur, imo ipso primo eruptionis die sub ingressum noctis in cymba, *VV estmonasterium* usque, Thamesin trajecit ad sponsam invisendam, ubi ab ipsa Amasia inter oscula, exanthemata in facie primum deprehendebatur confertim admodùm erumpentia, Domum autem media nocte reversus decubuit, atque me proximo die sub vesperam secundo eruptionis die nimis serò accersivit. Variolas etenim animadverti ubique lividescentes & sessiles cum Febre aliquali conjunctas. *Bolum Theriacalem* illico exhibendum jussi cum haustu *Iulapi perlati*, de quo fas erat bibere ad libitum, unde febre jam remittente bene dormiit Æger, Pulsum proximo die mane deprehendi ordinatum & æqualem, sed quadantenus debilem, atque Variolas adhuc depressas, neque colore magis vivido imbutas, aut magnitudine, numero vel acumine auctas; licet *apyretos* & quietè decumberet, siti & Gutturis ardore quasi Salivationis prodromo afficiebatur. Veneno autem neque per cutem, ductus salivales, aut aliam quamvis viam protruso, pulsus admodum debilitabatur & quadantenus accelerabatur. Primo maturationis die apicibus Variolarum albescentibus atque in earum interstitiis demum in cruribus & pectore Petechiis & maculis nigris frequentes, suborti, jactabat sese Æger inquietè, vigilabat pertinaciter, & evidenter febricitare cœpit. Igitur *bolum Theriacalem* cum *electuar. ex Ovo* repetendum duxi, atque Vesicatoria (Venia id faciendi ab Amicis ægrè impetrata) iussi applicanda. Denique consilio Cl. D. *Georgii Ent.* Equit. Aurat. jam consultandi gratia accersiti, Opiatis cum Alexipharmacis, conjunctis somnum conciliare sategi, Verum in cassum, cum Natura

(a) *Variolæ funestæ quæ ob fluxu mensium immodicum & abortionem subsequentem nunquam protrudi potuerunt.* (b) *Variolæ ob regiminis defectum in aparatu, funestæ*

plane languida hostem per cutim, glandulas salivales, vel aliam quamcunque portam eliminare non poterat. Unde juxta prognosticon à nobis prolatum, tertio maturationis die convulsus & phreneticus periit Iuvenis amplissimus.

HISTORIA XLVI.

(a) Vir doctus (cujus nomen mihi jam non occurit) Socius Collegii cujusdam in *Academia Cantabrigiensi*, postquam ægritudine Ventriculi, & dolore capitis per integram hebdomadam laborarat, ab externi aeri injuriis sese non munivit, sed in itinere conficiendo quotidie equum conscendebat, unde materia varioloſa à frigore externo diutius intus cohibita, Exanthemata, quę mane sese per plures dies in conspectum dederunt, vesperi iterum latitabant. *Londinum* autem demum advectus Cl, *VVillisium* accersivit, qui *Thoracica* quædam Remedia, ob difficilem respirationem, qua post frigus in poros cutis frequenter admissum Æger plurimum angebatur, sæpius exhibenda præscripsit, atque nonnulla *Cardiaca*, quorum ope (debito regimine in lecto adhibito] Variolę mane proximo confertim erumpebant ubique cohęrentes vel confluentes. Febre autem adhuc perseverante, tertio die à maturatione incœpta ego accersitus pulsum Aegrotantis animadverti satis fortem at celerem, Variolas verò admodum frequentes & cohærentes, depressas autem, & in centro subsidentes, vigilias pertinaces, jactationem inquietam, mentem deliriam, nullum autem Ptyalismum notabilem, vel alvi fluxum, vel aliam quamvis evacuationem. Utcunque ope *Iulapiorum*, *opiatorum* & remediorum *alexipharmacorum* cum *ciner*, *buſon*, *pulv*, *Athiopic*, *dict*, comixtorum Aeger multo melius sese habebat, delirare desinebat, atq; placidum somnum capiebat, Exanthematis demum sensim turgescese & matureſcere incipientibus, adeo ut spes reconvalescentiæ aliqualis affulgeret, usque ad declinationem Variolarum incœptam, quo tempore febris derepente recrudescebat, cum vigiliis, deliris, jactatione inquieta, & totali ptyalismi suppressione conjuncta, exanthematis jam ubiq; crusta nigra obductis Cum primum autem die tertio paroxysmum febrilem more *Sinechcos* recurrentem observasem, Cl, *Sidenhamio* in consilium advocato, [cum jam in vires *corticis peruviani* in hac febre debellanda nondum mihi perspectę fuissent) post sermonem de Venæ-sectione habitum, quam Senex ipse jam celebrari non passus est, Ægrotanti exhibuimus *Iulapium opiatum* & *Alexipharmacum* ut prius, & quaque nocte Hauſtum Paregoricum cum ℥i. *Sirup*, *de Meconio* Quid fit? Paroxysmo tertio die, nimirum à decubitu duodecimo, recrudescente, inter Phrenesin & coma sese alternatim excipientia, vir doctus animam efflavit.

HISTORIA XLVII.

(b) Anno 1676. Filiam Domini *Reiner*, Ecclesię Anglicanæ Presbyteri, annos xii, natam, Variolis laborantem, in vico dicto *VVarvvicK-lane* diversatam accersitus invisi secundo maturationis die, Variolas animadverti Discretas, verùm ubique depressas & sessiles, petechias verò in interstitiis variolarum in collo, brachiis & pectore efflorescentes, pulsum debilem & celerem, Puellam insuper insomnem & deliram, Qua ratione præscripsi Cochl, iii, vel iv, Julap. sequent, quarta quaque hora (agitata phiala) exhibenda, ℞, *Aqu*, *ceraſ*, *nigr*, *Meliſſ*, *paraliſ*, *Epidem*, *an*, ℥ii, *pulv*, *e chel. cancr*, *comp*, *lap*, *contrajerv*, *pulv*, *bezoard*, *Magiſtr*, *an*, ℈i, *Sirup*, *è mecon*, ℥i, M, F, *Julap*, Hujus Iulapii ope Puella placide dormit, atque Variolis in dies sensim matureſcentibus, & petechiis evanescentibus, nec Fluxu alvi nec ptyalismo, nec quovis alio molesto symptomate tentata, planè reconvaluit.

HI-

(a) *Variolas ob malum regimen in apparatu Confluentes atque in febrem* Synechi *funestam desinentes.* (b) Variolę discretę petechiis comitate *Alexipharmacis* & *Opiatis felicissime sanatæ.*

HISTORIA XLVIII.

(a) Filius *Iohannis Ovven* S. T. P. diversatus in *Bunhil fields*, anno circiter 1674. in ipso ætatis suæ floret Variolosa Febre correptus, à primo Morbi insultu usque ad secundum maturationis diem (quo die ego primum accersebar) Vigiliis adeo pertinacibus afficiebatur, ut ne unam horam somno frueretur, febricitans perpetim & delirus ac quasi moribundus, Variolis jam fere ubique depressis & cohærentibus. Præscripsi igitur *pulverem* sequentem quarta quaque hora ministrandum in hausto *Iulapii Paregorici*. ℔. *Pul. e Chel. Cancr. comp. Lap. Contrajerv. pulv. Aethiop.* an. ℈ß. M. Hoc verò Remedio sæpe repetito somnus placidus obrepebat, Variolis in dies sensim turgescentibus, & matureścentibus, & Aeger nec Ptyalismo, nec quovis altero molesto symptomate lacessitus brevi convaluit. Tantùm medicamentum pro ratione declinationis Febris & Symptomatum, sexta, octava vel duodecima quaque hora tandem exhibebatur.

HISTORIA XLIX.

(b) *Thomas Brook* Armiger, diversatus in vico dicto *Black Friers*, anno circiter 1675. Febre Variolosa corripiebatur, secundo die à decubitu Variolæ efloreścebant fere ubique cohærente, febre adhuc perstante, deprimebantur verò & subsidebant Exanthemata usque ad undecimum Morbi diem, quo ego primùm consultus sum, cum jam vita Aegrotantis non tantùm ab Adstantibus, verùm etiam à Cl. Collega D. D. *Gaspar Needham* planè desperaretur? Aegrum inveni pulsu debili & prorsùs languido laborantem, perpetuo delirium; & jam pertinaciter vigilem, jam Comate profundo oppressum; usu vero frequenti & continuo *Tincturæ diasc. Opiatę & pulverum cardiacorum* alibi memoratorum, atque Vesicatoriorum frequentium applicatione, symptomatis demum in ordinem, redactis die Morbi 14. vel 15. Variolæ quę huc usq; ad instar pellicularum aridarum mortuæ apparuerunt, Veneno jam tandem per glandulas Cutaneas protruso, intumescere & pure repleti cœperunt: unde vir ornatissimus nec Sallivatione, nec Diarrhœa vel Urinę profluvio tentatur 18. Morbi die, Febre sponte exulante prorsus reconvalescebat. Tantum levi Ophthalmia & Tussi aliquandiu affligebatur; utpote ante decubitum labe Rheumatica affectus. Hæc autem Symptòmata Venæ-sectione tempestivè ministrata, & methodo alibi memorata facilè admodum sustuli.

HISTORIA L.

(c) Accersitus anno 1672. ad invisendum Filium Domini *Chapman* Vestiarii, habitantis in vico dicto *Fleetstreet*, tres annos natum, Variolis laborantem, die maturationis secundo animadverti Pulsum celerem & debilem, Febrem intensam, Variolas ubique depressas, subsidentes, & cohærentes atque tumorum faciei ab immani Diarrhœa prorsùs sublatum. Nullum remedium Alexipharmacum vel opiatum hactenus ministratum erat, qua ratione *Julapium nostrum Paregoricum* cum speciebus quarta quaq; hora jussi propinandum; cum autem die sequente, Fluxu alvi perseverante facies adhuc minus intumesceret, Cochl. iii. sequent. Julap tertia quaque hora exhibenda curavi (agitata phiala) ℔. *Aqu. Ceras. nigr. Meliss. an.* ℥iii. *Epidem. Cinnam. Hord. an.* ℥iß. *Electuar. ex Ovo* ℥ß. *Spec. confect. de Hyacinth. Lap, Contrajerv. Ciner. Bufon. an.* ℈ii. *Syrup. e mecon.* ℥i. M. F. *Julap.* Die proximo Fluxus alvi quadantenùs sedabatur, atq; Urina copiosè fluebat facies rursùs intumescebat.

(a) Variolæ cohærentes Vigiliis pertinacibus comitatæ, usu *Opiatorum & Alexipharmacorum* feliciter curatæ. (b) Tarda Variolarum cohærentium maturatio.

(c) *Lumbago atrox sine Febre Vel Vomitione in apparatu Variolarum confluentium funestarum.*

bat, Arteriæ fortius, nec adeò celeriter ut priùs sese vibrabant, somnus placidus post juxta intervalla obrepebar. In spem hoc pacto adductus Julapium nuperrimè præscriptum adhuc usurpandum duxi, atq; si alvi fluxus recrudesceret, Bolum sequentem solutum in Cochleari Julapii bis in die exhibendum. ℞ *Diascord.* ℈ß. *Bol. ver. Ciner. Bufon. an. gr. v.* M. F. *Bolus*. Exinde alvus prorsus adstringebatur, atque Febrem non jam demùm sexto maturationis die exulante, variolæ faciem obsidents declinabant, & reliquiæ, quæ priùs non planè exaruerant, ut ut hucusque subsidentes & depressæ, pure turgentes in dies legitimè matureſcebant; Puer bene dormiebat, cibum apetebat, nullo morboso affectu tentabatur, & signa sanitatis redintegrandæ certissima ostendebat.

HISTORIA LI.

(*a*) Servus Domini *Gosling;* habitantis in vico dicto *Pater-noster rovv*, circa annum 1691. [cum indoles hujus morbi minus perspecta esset) in ipso ætatis flore, verno tempore dolore Lumborum atroci correptus decumbebat, non tamen de Ægritudine, Vomitione, Intemperie febrili vel quovis alio Febris symptomate, sed de dolore Lumborum frangitivo, & quasi Nephritico solummodo conquestus est. Secundo à decubitu die ego advocatus, Variolas mali moris instare suspicans, vires Spirituum ope Alexipharmacorum (Venæ sectione & Opiatis à Spasmis iudicatis forsan perperam omissis] fovere & erigere moliebar. Quid fit? Variolæ, tertio die nulla manifesta Febre antecedente, confertim erumpebant, Confluentes vel cohærentes. Durante maturatione, Natura virus quod per Glandalas cutaneas protrudere non potuit, per ductus Salivales eliminare conare est, & levem ptyalismum excitavit, sed veneno nec hac, nec alia quavis via succedanea evacuato, Variolis ubiq; depressis & subsidentibus, Febris demum die undecimo accensa Ægrotantem inquietudine, vigiliis & delirio confectum è vivis sustulit.

HISTORIA LII.

(*b*) Uxor Domini *Deacle* habitantis sub Insigni *Felis* in Cœmiterio D. Pauli (currente jam an. ætatis 32.) an. 1673 postquam proprio consilio prophylaxeas gratia sanguinem è Cubito copiosè detrahend. perperam forsan jusserat, mox cœpit febricitare, die autem à decubitu tertio Variolis frequentibus & cohærentibus in conspectum venientibus, febrilis intemperies illico exulabat, pulsus autem debilis erat atque Menses, instante Exanthematum maturatione, alieno tempore immodice fluere cœperunt, unde Variolæ non obstante Opiatorum & Alexipharmacorum adstringentium *v. g. Spec. Confect. de Hyacinth. boli ver.* assiduo usu, & Vesicatorium applicatione flacidæ & depressæ conspiciebantur, natura intereà languida hunc defectum Ptyalismo vel alio quovis modo supplere nullatenùs molliebatur, Petechia una vel altera in pectore jam primum efflorescebat, accesserunt deliquia leviora, more Hystericam suffocationum sæpius recurrentia, sed nullis Remediis Hystericis superabilia; quibus durantibus Variolæ livescebant, vel albescebant, parum etiam & inquietè dormiebat Aegra, Hisce animadversis ego (quamvis adstantes inani Spe sese lactarunt eò quod Aegrotantes *apyretos* quiete decumbebat] prognosticon fatale die Morbi 14. verificandum protuli Cl. D. D. *Lovver* inde in consilium advocatus cùm Rheumaticum Aegrotantis habitum, pravam Morbi indolem, & præsentem mensium fluxum animadverteret, Alexipharmaca, Opiata & Vesicatoria præscripta approbavit; Insuper *Julapium Paregoricum* cum speciebus adhuc usurpandum duximus. Vesicatoria etiam alia recens applicanda, &

[*a*] *Lumbago atrox sine Febre vel vomitione in Apparatu Variolarum Confluentium funestarum.* [b] *Suffocatio Hysterica frequenter recurrens, Fluxus Menstruus & Petechiæ in Variolis cohærentibus mali moris.*

& hauſtum Paregoricum cum ℥i. *Syrup. de Mecon.* quaque nocte propinandum. Variolæ autem) natura à Veneno penitus ſubjugata) nullatenùs in melius mutabantur, neque Pulſus ſortiter reddebatur, neque Ptyaliſmus, profluvium Urinę vel extremarum partium Tumor promovebatur, unde Febre demùm undecimo Morbi die revireſcente, Mulier proba ac elegans die 14. (quod ante prædixi) delira aliquatenus & convulſa ex hac vita migravit.

HISTORIA LIII.

(*a*) Domina *Theodoſia Tytherlegi*, Virgo elegans ac formoſa, ſtirpe celeberrima [ſed cui hic Morbus jure quaſi hæreditario funeſtus eſſe ſolebat) oriunda, cum anno 1671. ſæviente hyeme varias aeris injurias in itinere conficiendo paſſa fuiſſet, unà cum ſorore natu minore, quæ ab alio Medico tractata brevi hoc Morbo interempta periit, Londinum advecta, viceſimo ætatis anno Varioloſa Febre correpta decumbebat. Ego durante Exanthematum eruptione accerſitus, Variolas confluentes vel ſaltem cohærentes, pulſum vero debilem, & Febris indicia ferè nulla; *Julapium* igitur Cardiacum ad libitum pitiſſandum, atque *Species Cordiales* poſt debita intervalla miniſtrandas juſſi, atq; Opiata temperata pro ratione Symptomatum urgentium quotidie adhibenda. Pulſus autem Ægræ mortis expectatione perterritæ per totum Morbi decurſum à prima eruptione debilitabatur, nulla Febris aderat vel delirium, natura enim defectum Maturationis Variolarum (quæ depreſſæ & ſero limpido ſemiplenę erant) Salivatione longa & ærumnoſa ſuppliere moliebatur: A die enim Morbi 7. cum primum Variolæ ſuo more, hoc eſt tardè matureſcere cœperunt, Lympha venenata è reſeratis ductibus ſalivalibus velut ex perenni fonte perperim ſcaturiens uſq; ad 21. diem exſiliebat, niſi die 15. cum, Ptyaliſmo ſubito & inexpecto ſuppreſſo, Ægrotans ad horas aliquot quaſi ſuffocata in vitæ periculum adducta viderentur, donec *Electuar. ex Ovo*, *Gargariſmo*, & generoſis remediis Alexipharmacis, Conſilio doctiſſ. & expertiſſ. Medici D. D. *MicKlethvvaite* (qui jam conſulebatur) miniſtratis Spiritus reſarciti denuo repagula ductuum ſalivalium reſerantes Ptyaliſmum reduxiſſent. Ab iſto tempore rivulo Lymphæ excretæ in dies aucto Ægrotans demum Salivatione nimia [quam neque ſupprimere fas erat] confecta, non Febre vel delirio, ſed deliquiis ſæpius tentata viceſimo primo Morbi die, Variolis adhuc imperfectè maturatis; ad plures migrabat. Adeo intimè nonnunquam ſpiritus venenato miaſmate implicantur, ut ſeſe nequeant prorsus liberare, ſed molem humorum perpetua luctatione agitando in fluorem colliquativum adigant; unde Ægri penu ſucci nutritii indeſinẽter ſubtracto emarceſcentes inter deliquia frequenter recurrentia, demum ſpiritibus in certamine deficientibus & exhauſtis, plane tabidi pereunt, ſive juxta primam Naturæ intentionem per Exanthemata venenum eliminetur, quo in caſu Variolæ nunquam exareſcunt, verum humore recens ſuppeditato perpetuo malo omine ſcatent, (cujus rei Exemplum in *Hiſtoria* 62. poſthac proferam [ſive via ſecundaria per ductus ſalivales, ut in præſenti caſu: Siquidem non à niſu Spirituum vel evacuatione inde ſuborta niſi ſubacto Veneno Morbus tollitur; ut ut enim quamdiu per quamcunq; portam Venenum protrudatur Æger *apyretos* jaceat, Spiritibus tamen longa luctationis exhauſtis, Ægrotans labe deleteria confectus neceſſario perit.

HISTORIA LIV.

[*b*] Servus Domini *PincK* Aromatarii, tum temporis habitans in vico dicto *Snere hill*, circa annum 1674. atroci capitis & Lumborum dolore correptus decumbebat, adeo autem ſæviebat dolor ſpaſmodicus, & vires Spirituum inde adeo labefactabantur ut febrilis intemperies

Ægro-

(a) *Salivatio in Variolis cohærentibus uſque ad 21. Morbi diem funeſtè protenſa.*
b *Variolæ funeſtæ ſuppreſſione Salivationis ſubitanea die morbi 27.*

Aegrotantis vix aut ne vix deprehenderetur. Sub finem autem secundi à decubitu diei Variolæ inexpectato & confertim erumpebant fere ubique confluentes vel cohærentes, cum Vomitione, Diarrhœa immani, languore perpetuo, Pulsu debili ac delirio sociatæ, atq; ad sextum usq; diem, quo primùm accersebar; depressæ & sessiles. Fluxu verò Alvi & Vomitione jam usu Alexipharmacorum & Opiatorum coercitis, illico Salivatio suboriebatur immensa, quæ levamento fuit Aegrotanti, qui, Febre inde diminuta, impulsu fortiori reddito, delirio profligato, & Variolis ubiq; sensim turgescentibus & matureſcentibus quietè jacebat, somnum placidum fere ad libitum capiens, Die autem 12. sive nequitia sive neglectu Nutricis male feriatæ diversis erroribus in Dieta commissis, atq; frigore insuper poros cutis admisso, Fluxus alvi enormis cum torminibus, Febre recidiva, pulsu celeri, delirio & profundis suspiriis conjunctus revertebatur; Salivatione jam derepente cohibita & subsidentibus variolis, verum *Decocto albo* propotu ordinario præscripto; una cum Lacticinio sequenti, (℞ *Rasur. CC. Ebor. an.* ʒß. *Nuc. Mosch. sciss. nu. i, Cinnam. acut.* ʒii, *Coq. in Aq. Font.* ℔iv, ad *ii*, sub finem ebullitionis add. *Lact. recent.* ℔ii. *Sacchar. albiss. q. s.* & coq. iterum ad consumptionem ℔i. Colatura ad libitum calidè ministretur]& Electuario sequent. ℞. *Pulp. Conserv. Ros. rub. Diacydon. per setac. traject. an.* ʒß. *Troch. de Carab.* ʒiii. *Bol. ver. Lacrym. Sang. Dracon. an.* ʒß. *Laudan. Lond. gr. iii. Syrup. Mirtill. q. s.* M. F *Electuar.* de quo cap. *quant. Nuc. Jugland.* quarta quaque hora) Fluxus alvi hinc illicò compescebatur, somnus obrepit, Febris & delirium diminuebantur, Salivatione insigni demùm recrudescente, quæ ad finem usque 17. diei duravit, Variolis interea ac si causticò ustis crusta nigra ubiq; obductis, adeo ut Spes haud parva salutis Aegri mihi jam affulgeret; malitia autem Nutricis, quæ honori meo invidebat, nocte sequente plurimi fatales errores in regimine iterum commissi sunt, unde Salivatione subito suppressa, miserus Aeger post sex horas convulsus & delirans trucidabatur.

HISTORIA LV.

(*a*) Filius Domin *Cary.* Medicinam *Londini* facientis circa annum 1672. anno ætatis 18. à primo Morbi insultu febricitans per 4. dies plurimum evigilabat ac delirabat, Pulsus interea magnus & robustus perstabat. Hoc tempore Venæ sectio forsan perperam omissa erat, qua ratione Variolæ sub finem secundi diei confertim eruperunt parvæ admodum & frequentes & pene ubique cohærentes, Febris cum deliriis & vigiliis pertinacibus conjuncta erat primo maturatione die, quo ego à Patre consulebat, ope verò Julapii nostri Paregorici cum Speciebus quarta quaque hora exhibiti Adolescens bene dormire cepit & mente sana potiri, Febre una cum symptomatis penitus exulante. Sub finem secundi maturationis diei ingenti Salivatione suborta. Exanthemata turgentia & acuminata fere ubique matureſcebant, Ptyalismo autem à frigore ex in curia Nutricis in poros cutis admisso, sub tertii maturationis diei finem derepente subsistente, antequam Variolæ integram maturationem assecutæ fuerant, intumescentia faciei illico declinabat, turgentibus adhuc Variolis, Vigiliæ insuper non obstante Julapio Paregorico rursus urgebant, quo nomine eventum Morbi, dissentiente licet Patre erudito & adstantibus, dubium fore pronuntiavi, ideoque *Pulv. e Chel. Cancr. comp.* & *Ciner. Bufon. an.* ʒß. bis in die exhibendam jussimus in haustu Paregorico, atque *Vesicatorium* amplum & acre ad Nucham applicandum. Febris autem cum delirio conjuncta jam evidenter recrudescebat, cute universa tumore & rubore Erysipelatode suffusa, atque miliari eruptione ubique in interstitiis exanthematum efflorescente, unde non obstante forti Arteriarum vibratione per totum morbi cur-

(a) *Variolæ fatales in quibus Salivatio die* 12. *supprimebatur, cum efflorescentia erysipelatosa & miliari conjunctæ pulsu interea forti & Appetitu vorari.*

curſum, fatale prognoſticon protuli, præſertim quia non potui argumentis à pulſu præter morem forti & robuſto Veneſectionis jam celebrandæ veniam à Parente impetrare, quam perperam ſub initium Morbi omiſſam hoc argumento fretus jure ſuſpicatus eram. Dilirio autem urgente *Bolum Theriacalem* cum Speciebus cordialibus commixtum, & Iulapium Paregoricum repetitis vicibus miniſtrandum duximus. Die ſequente, Morbi ſcil. undecimo, Reſpiratione ſenſim facta difficili, inæquali & ſupirioſa, ex hac vita migrabat Adoleſcens, arteriis, mirum dictu, in ultimo agone fortiter ſe vibrantibus. Obſervatione etiam dignum eſt quod hic Æger, niſi cum deliraret, erat perpetuò vorax, bis vel ter in hora hauſtus largos Cereviſiæ, Avenaceæ, Poſſetalæ & aliorum potulentorum avidiſſime peteret, quin non obſtantibus noſtris monitis ad ingluviem uſque ingurgitaret, quod nuſquam alibi obſervavi, quod etiam forſan è præſertim poſt Ptyaliſmi ſuppreſſionem in damnum cedebat; Duos enim alios Patientes ejuſmodi Variolis eodem modo laborantes hoc ipſo tempore iiſdem fere Remediis & legitimo Regimine ſanavi.

HISTORIA LVI.

[*a*) Circa Annum 1680. inviſi Iuvenem Variolis laborantem, qui præ Tumore Penis & præputii inſigni ad bidui ſpatium ne unam urinæ guttam reddere valebant, unde Veſica urinaria imodicem diſtenta, dolore, Vigiliis & inquietudine cruciabatur. Variolæ quæ fere ubique cohærebant, neque humore, neque pure implebantur; hunc vero defectum Natura primùm ingenti Ptyaliſmo ſupplere conabatur, hoc autem ante conſummatam Exanthematum mutationem deficiente, Venenata lympha reſidua protrudebatur in manus & pedes, qui inde mirum in modum œdematoſi facti ſunt, frigeſcebant & nigricabant & præterea in univerſam Cutem Penis qui inde pæne Carpum mole æquabat, & præſertim in Præputium, quod Glandi obductum exitum Urinæ occludebat, Phymoſeos & Cryſtalinæ ſpeciem gerens. Unde extinctionem flammæ vitalis in parte affecta, & Gangrænam inde illico jure ſuſpicabar inſecuturam, ideoque partem affectam ſtuphis e lixivio forti calidè immerſis & expreſſis jugiter fovendam juſſi, & interea vires Spirituum repetito Bolorum & Iulapiorum Cardiacorum uſu erigere ſategi. Quid fit? Mane proximo Penis Tuor & Præputii adeo diminutus erat, ut Æger Urina ſponte & copiosè reddita à dolore liberatus placide cœperit dormire, atque poſt unum vel alterum diem, nullo altero morboſo affectu tentatus, reconvaleſcens ex mortis periculo evaſerit, pedibus & manibus ſenſim ultro detumeſcentibus.

HISTORIA LVII.

(*b*) Filiola Domini *Heru*, Pharmacopolæ habitantis in vico dicto *VVa. rvvi Klane*, quatuor annos nata, aliquot abhinc annis Variolis mediis laborans, maxima ex parte cohærentibus, depreſſis & tardè matureſcentibus, (qua de cauſa Natura venenum quod per Cutis glandulas ſatis expedire protrudere haud valebat, per glandulas Naſi & Faucium amoliri ſategit ingentis tumore glandularum in Gutture & Naſo ſitarum afflicta, muco inſuper cum cruſtis Variolarum concreſcente, atque inde tranſitum Aeris per naſum penitus obturante; præ perpetua ſuffocatione per biduum inſomnis, ab hoc unico ſymptomate in manifeſtum vitæ diſcrimen adducebatur. Ego jam à Patre indulgentiſſimo accerſitus, præſcripſi *Decoct. Pectorale cum Tinctur. Croc. & Syrup. Cap. Vener.* pro potu ordinario, atque *Gargariſmum ex Aqu. Hord. Diamor. & Melle*

[a) *Sub declinatione Variolarum Phymoſis, exitus Urinæ prepeditus; cryſtallina.*
(b) *Obturatio Narium durante Variolarum maturatione moleſta & pæne ſuffocativa,*

Melle Rosat. fortiter Siphone & calide faucibus injiciendum, & *Ol. Amygd. dulc* cum *Decoct. Pect.* commixt. sæpius sed leniter & tepide naribus ingerendum. Quibus diligenter applicatis brevi liberè respirabat Puella, atque ope Julapii nostri Paregorici cum speciebus quarta quaque hora exhibiti placide cœpit dormire, atque Variolis inde quam citissimè maturationem perfectam assecutis & deciduis, post unum vel alterum diem integrè reconvalescebat.

HISTORIA LVIII.

[a] Anno circiter 1676. ad Ancillam Domini *Strong*, habitantis in vico dicto *Cheapside*, Variolis cohærentibus mali moris laborantem sub finem maturationis [cum jam de ejus vita planè desperaretur] ego advocabar. Illa autem juxta methodum nostram, usu nimirùm *Alexipharmacorum & Opiatorum* assiduo præter adstantium expectationem restituta, demum Morbo finito Delirio Melancholico & Comatoso tentabatur, Fatua planè videbatur: nullius rei præteritæ memor, atque de nulla re præsenti rectè judicium faciens. Alvo autem bis terve post debita intervalla Cathartico deturbata; tandem sanguinem è Vena jugulari jussi detrahendum, & *Vesicatoria* ad Nucham & Carpos applicanda, quorum ope mentis compos rursùs facta, hucusque [quantum ego scio] mente sana in corpore sano utitur.

HISTORIA LIX.

[b] Filia Domini *Cary*, Mercatoris Opulentissimi habitantis in vico dicto St. *Martins lane*, duodecimum ætatis annum agens, anno 1680. Varioloso fermento infecta est. Ego post duos dies à plena eruptione accersitus, animadverti Variolas ubique confluentes vel saltem cohærentes & depressas, & à prima efflorescentia seminaces, quæ inde in toto Morbi decursu nullatenus humore turgebant, sed die octavo vel decimo, nulla præcedente maturatione, exarescentes squamarum ad instar decidebant. Patiens per totum Morbi curriculum quadantenus delira febricula tentabatur, tandem vero die vicesimo præter adstantium expectationem assiduo *Alexipharmacorum & Vesicatorium* usu restituta è lecto surgebat, atque in area domus vestita obambulabat, sitiebat tamen aliquantisper, & Appetitus minimè restituebatur. quo nomine de eventu anxius, alvum *Decoct. Amaro* leniter subducendam jussi, at inde præter expectationem meam Appetitus ad plures dies prosternebatur & calor hecticus augebatur, donec tandem Clavicula, esse Humeri & Tibiæ sinistræ à Veneno latitante carie affectis, atque frustulis eorum exfoliatis par Membranas sensiles exitum petentibus, misera Puella atroci dolore partium affectarum attrita, continuo ejulatu insomnis facta erat. Post unum vel alterum diem Collo inspecto, palpando deprehendi tuberculum renitens durum & inæquale in Clavicula, instar lapidis vel frustuli ossis, atque *Emplastrum* emolliens parti imponendum, jussi. Cure post biduum vel triduum perforata, frustulum unum ossis exfoliati, & postea alterum sese in conspectum dedit plane carioſum & nigrum, quod continuo & indies magis protrudebatur usque ad funestum diem. Paulò ante obitum frustulum Ossis Humeri & alterum Ossis Tibiæ, [qua parte dolor sentiebatur] cure eodem modo perforata erupuit Horrendum sanè exemplum [si quod aliud] deleteriæ indolis Veneni Varioloſi.

HISTORIA LX.

[c] Filiola Domini *Boddington* in vico dicto *Lothbury* habitantis, sex annos nata, circa Annum 1682. laborat Confluentibus Variolis, quæ toto decursu Morbi depressæ demùm ad instar squamarum exarescentes sine humore contenio vel ma-

[a] *Delirium Comatosum Variolas excipiens.*
[b] *Caries ossium Variolas excipiens.*
[c] *Gangæna Maxillæ & Tibiæ Variolas malignas excipiens.*

maturatione, nullo Ptyalismo antecedente, vel altero quovis Naturæ roboris indicio, decidebant. Puella verò præter Adstantium spem ope *Vesicatoriorum*, atq; usu *Opiatorum* & *Alexipharmacorum* circa vicesimum Morbi diem adeò ex Morbo evasisse videbatur, ut è lecto surgens quotidie in cubiculo vestita obambularet. Appetitu autem ad tricesimum usque diem adhuc prostrato, atq; temperie hectice calente, valdè suspicabar Venenum indomitum intus delitescere, mox funestissimam stragem daturum, præsertim cùm post lene Catharticum, exhibitum res in ejus rueret. Tandem die 31. virus sese prodebat Gangrenam horrendam Maxillæ inferiori, & Tibiæ sinistræ ubi Fontanella antea inusta fuerat, intentans, quæ utramque partem affectam depascens, & omnem artem Medicam & Chirurgicam longe superans, utpote ab habitu corporis velut a perenni fonte scaturiens misellam puellam è vivis sustulit die à primo Morbi insultu quadragesimo.

HISTORIA LXI.

(*a*) Filiola Capsarii habitantis in vico dicto *Ludgate street*, prope portam vici dicti *Black Friers*, cujus nomen mihi jam non occurrit, tres annos nata, circa Annum 1684. à Variolis malimoris & depressis, quæ nulla maturatione præcedente pelliculorum ad instar exarescentes decidebant, nostra methodo liberata adhuc cibum cujuscunque generis, & potulenta ipsa fastidiens per plures dies quadantenus febricitabat. Unde prioribus Exemplis monitus, de eventu anxius eram. Tandem post vicesimum Morbi diem Natura ventriculum & Intestina virus latitans eliminare moliente, misera puella enormi alvi fluxu, & postea colera Morbo mirum in modum excruciata perpetim vagiebat, donec Medicamentis Internis & Externis hęc symptomata sustulerimus. Natura tamen, hisce non obstantibus, Veneno intus coercito diu lacessita atque succumbens tandem manus dedit, materiam nigram copiosam vomens, & dejectionibus tetris & fœtidissimis, & cæteris omnibus Gangrænæ Ventriculi symptomatis confecta, [*b*] sed venia cadaver aperiendi à nobis impetrari non potuit.

Neque est quòd quisquam eventus hosce funestos usui *Alexipharmacorum*, *Opiatorum* & *Vesicatoriorum* liberali jure acceptos referat, siquidem, licet tria hujusmodi Exempla intra viginti Annorum spatium, quasi instantiæ curiosæ in Theoriæ nostræ confirmationem occurrerunt, centum forsan Historiæ penes me sunt eorum qui ex hujusmodi Variolis malignis, confluentibus penitus & depressis ope nostræ methodi nullo morboso affectu tentati evaserunt. Nec scio quomodo alia quavis methodo Ægrotantes Veneno adeò deleterio infecti terminum Morbi usitatum scil. diem decimum quartum vivi attingere possunt.

HISTORIA LXII.

(*c*) Fœmina *Catharina Morgan* Virgo elegans admodùm & pia, atque à familia generosa oriunda, decimum octavum ætatis annum agens die, Dec. 29. 1693. levi Lumborum dolore correpta ad tertium à Londino lapidem, nimirùm ad villã dictam *Hac Kney*. pedes iter fecit, noctem autem sequentem, dolore sensim aucto pæne insomnem transegit: decemb. 30. Lumbagine horrenda adhuc perstante, Dolore Capitis, siti atque febrili calore affecta in curru Londinum revertebatur: Nocte proxima spasmis Lumborum quadantenùs allevatis hebes & coma & comatosa jacebat: Die 31. mane Diarrhœa suborta est, toto autem die omnia ingesta illico vomitu rejiciebat; pro-

(a) *Gangrena Ventriculi & Intestinorum Variolas excipiens.* (b) *Plures Historias huc spectantes inventas Lector in observationum Medico Chyrurgicarum postumarum Iobi à Meer Krem,* [c] *profluvii Urinæ in Confluentibus Variolis laborante suppressio, Gangræna excepta.*

prope Meridiem autem Collega probus ac doctus M. *Franciscus Vpton* accersitus, exanthematis prænuntiis tribus vel quatuor jam sese prodentibus, explorando deprehendit pulsum admodum celerem cum siti dolore capitis, & hebetudine comatosa conjunctum, quo nomine jussit Vir doctus Liquorem Possetticum *Foliis Salv. rubr.* alteratum copiosè pro ratione sitis urgentis ministrandum atque Cochl. vj. Julapij sequentis ad libitum propinanda, & *Emplastr. Epispastic.* ad Nucham applicandum, *R. Decoct. Alb. Rad. Scorzoner, alterat.* ℔ij. *Aqu. Cordial. Saxon.* unc. *ij. Epid.* unc. ß. *Syr, Flor. Paral.* unc *iß.* M. Januar. r. mane, universali variolarum eruptione jam incœpta, præsertim in manibus & brachiis, ubi Exanthemata admodum frequentia pænè cohærebant, reversus Vir doctus deprehendit Aegrotantem adhuc febricitantem, hebetem, languidam, fluxu alvi & vomitione lacessitam igiturque *Decoctum album* adhuc usurpandum jussit, atque Cochl. iij. Julap. sequent. in languoribus ad libitum pitissanda, ℔ *Aqu. Melliss. Menth. Cordial. Saxon,* an. ʒii. *Epidem,* unc. *i. Marg. ppt,* ʒi. *Sacchar. Crystal. q. s.* M. F. *Julap.* Sub vesperam autem cum Vomitionem, fluxum alvi & hebetudinem Comatosam (Variolis jam ubique derepente Confluentibus vel Cohærentibus) non amplius urgere animadvertit, Julapium Perlatum repetendum imperavit, atque Haustum paregoricum sequentem hora sommi exhibendum. *R. Aqu. Cordial. frig. Saxon. Ceras. nigr. Lact. Alexiter. an.* ʒvi. *Margar. ppt.* ℈i. *Syup. de Mecon.* ʒv. M. F. *Haustus*, quo epoto tota nocte bene dormiebat, Januarii 2. mane vir doctus deprehendit Aegram adhuc quadantenus febricitantem, Faciem Salivatione præproperè suborta) aliquatenus intumescentem Exanthemata autem ubique depressa, neque quoad bases ampliata, neque in summitatibus acuminata, ideoque Aegrotanti cibum avenaceum & hordeatum præberi jussit, & Julapii Perlati repetendum, atq; haustum Paregoricum denuò hora somni exhibendum, atque os & fauces Cerevisia Ficubus alterata sæpius colluendas, Ianuarii 3. (quo die ego primum consulebat deprehendimus Variolas ubique admodum parvas, depressas, quasi strangulata semineces, & sublividas, Ptyalismum autem una cum Faciei tumore quadantenus auctum, atque Febrem inde minus intensam, multùm autem de Languore, & Lipothymia conquerebatur Patiens ab halitu uti affirmabat quasi cadaverosо è corpore suo exhalante inductus quo nomine præter Iulapium Perlatum, & haustum Paregoricum hora somni repetendum, ad Spiritus erigendos & motum eorumdem ordinatum conservandum jussimus Cochl, iii, vel iv, Julap. sequent. tertia vel quarta quaque hora (agitata phiala) propinanda, *R, Aqu, Meliss, Ceras, nigr.* an, ʒiß, *Epidem.* unc. *iß. Pæon. comp.* ʒi. *pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv.* an. ʒi. *Syrup. è Mecon.* ʒiß. M. F. *Iulap.* Hinc Aegra placidè dormiebat, non ut prius languore confecta ptyalismus etiam cum Faciei intumescentia eodem fere modo se habebat. Cum autem Jan. 4. mane reversi neque ptyalismum, auctum, neque Exanthemata ullatenus matureſcentia, verum adhuc sessilia & depressa animadverteremus, Spiritibus pæne prostratis ope maiorum Alexiteriorum succurrere jugiter contendimus, more sequenti, *R. Theriac, Androm,* ʒß, *pulv. è Chel, Cancr, comp. Lap. Contrajerv. Ciner, Bufon.* an, *gr. xv. Sirup. è Mecon. q. s.* M, F, *Bolus* statim sumendus cum Haustu Julapii cum Speciebus terumq; quarta pom. hora somni vero cum haustu hypnotico ante præscripto. Januar. 5. utut præcedenti nocte (Spirituum motu hucusque ope Remediorum intra iustos cancellos cohibito) placidè dormierat Aegra, jam tamen languore magis opprimebatur, atque Exanthemata nullatenus adhuc matureſcebant, ideoque Liquores possetticum nostro modo alteratum sæpius ministrandum curavimus, tantillum etiam Vini Canarini in languoribus concessimus, atq; Bolum Cordiacum sexta quaq; hora repetendum duximus. Januarij sexto, Morbi scil. nono, Va-

riolis adhuc depressis, atque ptyalismo jam una cum faciei intumescentia sensim declinante, Febrem deprehendimus à Veneno adhuc intus coacto evidenter auctam, & cum deliriis non obstante placido & quieto somno sociatam? suborto autem jam magno Urinæ profluvio Ægra respirabat liberius, & expectorabat copiosè & præter solitum; ideoque *Emplastra Epispastica* duo interna brachia statim applicanda curavimus, atque Bolum ante præscriptum cum gr. vij. *Serpent. Virgin.* sexta quaq; hora repetendum, & haustum paregoricum hora somni exhibendum nisi placidè dormiret. Januarii 7. Febris cum delirio augebatur, Lingua arescebat Exanthematis incrustata, Ægra multum dormiebat sed inquietè, Urina autem copiosè & nonnunquam involuntario reddita respirabat liberè, & expectorabat copiosè: Vesicatoria igitur ij. ab Tibias internas illico applicanda jussimus, & Bolum Cardiacum sexta quaque hora repetendum, haustum paregoricum post primum, atque insuper post nocturnum Bolum propinandum, post cæteros haustum Julapij cum Speciebus. Denique Mucilaginem *Semin. Cydon. Syrup. è Rub. Idæ.* extract. sæpius super linguam siccatam tenendam imperavimus. Januar. 8. Febris eundem tenorem servavit, somnus non erat placidior, vires plurimum obruebantur urina autem (unde unica spes affulgebat) admodum copiosè, & nonnunquam involuntario reddita, liberè respirabat Ægra, (quod insolitum & notatu dignum est:) Pituitam autem quippe jam concrescentem & glutinosam haud sine difficultate expectorabat, ideoque ad vires erigendas, & motum Spirituum vacillantium inordinatum compescendum, Julapium cum Speciebus adhuc usurpandum, & Bolum Cardiacum sexta quaque hora repetendum, & haustum paregoricum juxta meridiem & media nocte exhibendum, atque insuper Liquorē posseticum cum Vino Canarino paratum atque *Apozema* sequens calidè & copiosè sæpius ministrandum duximus. ♃ *Decoct. pectoral. depurat*, ℔j. *Tinctur. Croc. Syrup. è 5. Rad.* an. ℥i. *Apozema* Ianuar. 9. Eadem fere rerum facies erat, tantùm delirium Comatosum quadantenus augebatur, Urina autem adhuc copiosè & involuntario in lecto reddita, Respiratio erat hactenus libera, quo nomine Iulappium cum Speciebus & Apozema pectorale ulterius usurpandum duximus, atque Bolum Cardiacum octava quaque hora repetendum sine haustu Paregorico. Ianuar. 10. Languoribus Deliriis plurimum auctis, & cum inquietudine jam conjunctis, Ægræ facies, intumescentia subsidente, in Hippocraticam planè mutabatur, Urina autem copiosè adhuc involuntario reddita Patiens adhuc libere respirabat. Quo nomine in collapsu virium adeo præcipiti & motu Spirituum adeo inordinato Julapium cum Speciebus adhuc exhibendum duximus Bolum Cardiacum quarta vel quinta quaque hora repetendum, atq, insuper Paregoricum media nocte ministrandum. Ianuar. 11. inquietè dormiebat ac si Comate vigili affecta, & delirabat; Urina autem copiosè adhuc reddebatur, Respiratio etiam adhuc liberima fuit, ideoque Bolum quarta vel quinta quaque hora, repetendum jussimus, uti Iulapium cum Speciebus ut prius, & Haustum paregoricum meridie, & media nocte exhibendum. Ianuar. 12. Febre, delirio & languore perstantibus ut priùs, Exanthemata in facie & pectore jam demùm maturescere incęperūt, in artubus autem depressa & semiplena confluebant, atque cuticula erosa pus minus coctum, verum copiosum exspuebant: insuper brachiorum & Tibiarum partes ad quas Vesicatoria sine fructu sexto & septimo die applicata erant pure multo scatebant: Quandoquidem verò Urinæ fluxus molestias Adstantibus & Nutricibus creabat, Bolos cum *Ciner. Bufon.* (quos Urinæ profluvium excitasse rite censebant) amplius ministrare respuebant, Rixis igitur muliercularum coacti (licet tota spes nostra in casu adeò difficili à profluvio isto vrinæ penderet,) bolorū istorum usum inviti prætermittentes, ad vires Spirituum fovendas, eorumq; motus effrænatos coercendos (quantum poteramus) more sequenti substituimus.

♃ *The-*

℞. *Theriac, Androm. Electuar, de Ovo,* an, ℥j, *pulv. Rad. Serpentar, Virg,* ℥ß, *Aqu, Dracont. Cinam, hord,* an, unc, *iij, Epidem, pęon, comp,* an, ℥i, *Syrup, e Mecon,* ℥ß, *Laudan. liquid. gut, xl,* M, F, *Julap.* de quo cap. Cochl. vj. (agitata phiala) sexta quaque hora. ℞. *Aqu. Card, Cerasi, nigr, an,* ℥i, *Aqu, Cinam, hord. Epidem, Syrup, è Mecon,* an, ℥ß, M, F, *Haustus* hora somni exhibendus. Ianuar. 13. Comatosa adhuc jacebat Ægra, delirium autem & languor dum hæc mitiora Alexipharmaca exhiberetur, pulsus accelerabatur & vacillabat, Grangræna insuper oris fornicem & labia jam primum invadebat à deleteria veneni vi suborta: Profluvio verò Urinæ intermisso *pulver. Æthiopic.* usa cessante, Ægra difficultate Respirandi tentari cœpit. Denique universa Cuticula à scapulis usque ad manus sponte separata brachia & humeri pure (visu horrendum) scatebant. Quorcirca in casu adeo deplorato Domino *Bateman* Chirurgo experto ad partes Gangræna affectas & excoriatas tractandas accersito, *Bolum Cardiacum* cum *Ciner, Bufon,* rursus incassum licet exhibendum jussimus, atq; hora somni cum hausto Paregorico repetendum, atque Apozema Pectorale sæpius propinandum. Insuper Cochl. iv, vel v. Iulap. sequent. secunda quaque hora propinanda duximus, ℞. *Theriac. Androm. Elect, de Ovo ana* ℥iii, *Aq, Dracont. Cinam, hord, an,* unc, *iii, Epidem, pęon, comp, ana* ℥ii, *Sal, Vol,* CC, *Laudan, liquid, ana* ℥i, *Syrup, è Mecon,* ℥iß. M, F, *Iulap,* ut esset etiam in promptu simile Iulapium absque Laudano curavimus, loco prioris exhibendum, si modò Vigiliæ non urgerent. Denique pannos lineos molles Linimento sequenti imbutos partibus excoriatis imponendos imperavimus, *R. Ol. Amigd, dulc, rec,* ℥ii. *Sperm, Cet,* ℥ii. M, F, *Linimentum.* Ianuar. 14. Vibrationem Arterariarum diligentissimè explorando ægrè admodum percepimus: Languor, Delirium & Dyspnœa augebantur, somnus erat admodum inquietus, Partes excoriatæ, & Ulcuscula à Vesicatoriis relicta pure copioso scatebant, Gangræna latius serpebat: sub vesperam stercora dejecit involuntario. Ægra jam moribunda liquida, copiosa, nigra, fœtida: Cætera aderant Naturæ corruentis symptomata; ideoque cum jam fere conclamatum esset, solummodo Julapium nuperrimè præscriptum ad symptomata coercenda repetendum duximus, ut Virgo misella ἐυθανασίαν assequeretur. Januar. autem 15, Morbi vero 18, patiens antea monitis nostris morigera jam Medicamentorum pertæsa Iulapium cordiale prorsùs respuebat, & symptomatis quibuscunque functissimis ingruentibus, media nocte paulo ante obitum compos mentis facta, inter vota & preces ardentissimas animam efflabat.

HISTORIA LXIII.

Nicolaus Lechmere Nepos D. *Nicolai Lechmere* Baronis Scaccarii, Iuvenis elegans ac ingeniosus, à multis retrò annis, levi quavis occasione data, subsultibus tendinum, & variis motibus convulsivis inter dormiendum obnoxius, postquam duos menses admodùm valetudinario transegerat, demum ad duas septimanas Vertigine, atque capitis, lateris & pectoris dolore lacessitus, Febrilis Paroxysmos frequenter, sed non periodicè recurrentes perpessus est: qua ratione, Vena in brachio secta, unc. x, Sanguinis detrahebantur, Cortex Peruvianus exhibebatur, atque tandem Alvus Decocto amaro subducebatur. Triduo autem inde elapso Ian. scil. 10, 1693, (currente jam ætatis anno decimo nono) dolore capitis & lumborum atroci correptus hebes decumbebat, non tamen vomitione, vel ægritudine, vel intermittente febrili multum fatigabatur. Ian. 11, Pharmacopola sanguinis unc. *xii*, partim floridi, partim mucosi è Cubito detraxit, Ian. 12, Variolæ erumpebant mediæ naturæ, admodum paucæ, quæ indies numero augebantur usque ad diem decimum quintum, quo die eruptione completa, Exanthemata penitus sessilia fere ubique cohærebant, dolore spasmodico in capite; lumbis & utroque late-

latere hucusque perseverante. Jan. vero 16. maturatione Exanthematum jam incepta, atque Ptyalismo jam primum ingruente Æger illico *apyretos* factus erat, atque dolor plurimum allevabatur Isto die Cl. atque ingeniosissimus Collega noster D. D. *Cole* accersitus *Apozema* sequens præscripsit copiosè ministrandum ℞. *Hord. Gallic. q. s. Passul. Corinthiac.* unc. *ii.* Coq. in *Aqu. F. s. q. Colaturæ* ℔*ii.* adde *Aqu. Cinam. Hord.* ℥*ii. Sir. Papav. errat. Rub. Idæ. an.* ℥*iß.* M. atque Cochl. iij., vel iv. *Julap.* sequentis in languore propinanda. *R. Aqu. Lactis Alexiter* ℔*iß. Stephan.* ℥*iii. Marg. Præp.* ℥*iß. Sacch. alb. q. s.* ad gratiam M. Insuper *Vesicatorium* largum ad Nucham jussit Vir Cl. statim applicandum, atque *Haustum Paregoricum* sequentem hora somni sumendum & modo symptomata ingravescerent, mane proximo repetendum. *R. Aqu. Paralis.* unc. *iii. Mirab.* ℥*iß. Sir. e Mecon.* unc. *i.* Denique parti decocti præscripti imperavit *Mell. Mororum q. s.* addendam pro *Gargarismo*, quo Os bis vel ter in die collueretur. Nocte sequenti bene dormivit Juvenis à dolore penitus liberatus. Jan. 17. Ptyalismus augebatur, facies cepit intumescere, Exanthemata aliquatenus intumescebant, & in apicibus, non tamen humore distenta albescebant, Vir Cl. jam in usu *Apozematis* & *Julapii* persistendum esse duxit, atque *Haustum Paregoricum* hora somni quin & crastino mane modo inquietudo urgeret repetendum jussit. Nocte autem sequenti Ptyalismo inexpectato subsistente, atque Variolis ubique in centro subsidentibus, plurimum languebat Æger tremoribus incertis, & motibus convulsivis inter dormiendum plurimum lacessitus. Jan. 18. Vir Cl. Empl. Meliloti pulvere Cantharidum conspergendum jussit ut Vesica parva & depressa efficacius excitaretur, atq, ut ℥*i. Tincturæ Castorei* in promptu esse, cujus, si tremores rursus ingruerent, *gut. xx.* vel *xxx.* si haustu *Aqu. Cerasi nigr.* vel cujuscunque alterius grati liquoris exhibendas voluit: Atque Haustum Paregoricum vespere sumendum, itidemque mane repetendum duxit, & Julap. perlatum adhuc usurpandum, & denique Os sæpius colluendum *Decocto pectorali* solo absque *Melle Rosarum*, ejusque haustum quandoque propinandum. Inde Ptyalismo reduco & Exanthematis quadantenùs ægrè licet matureſcentibus, in præscriptorum usu Vir Cl. jussit Ægrotantem Jan. 19. & 20. sedulo perseverare. Jam autem vicesimo, media nocte (die Morbi undecimo jam instante) ubi jum spiritus plane obruti manus dederant, non amplius vel juxta primam vel secundam Naturæ intentionem Veneno eliminando pares, Ptyalismo sine quavis evidenti causa derepente subsistente, atque facie prorsùs detumescente, Æger extemplo languebat; accesserе frequentia deliqua cum celeri & debili pulsu: Spiritibus insuper vacillantibus Æger motibus convulsivis & tremoribus perpetim agitatus, & delirus, reliquam noctis partem atque matutinas horas sequentes (quousque ego consulebar) insomnes transegit non obstantibus tribus haustibus Paregoricis, quorum unusquisque ℥*i. Syrup. de Mecon.* continebat. Exanthemata denique ubique semimortua, sessilia, & nullo humore distenta fere exarescebant. Verba præ debilitate Æger vix proferre potis erat. Vibratio arteriarum erat admodùm debilis, Respiratio aderat difficilis & anhelosa. Consilio cum viro Cl. inito in casu adeo deplorato ubi mors præ foribus adstabat, pro virili sategimus generosissimis Alexipharmacis, & Vesicatoriis vires Spirituum collapsas incunctanter erigere, commixtis opiatis ad vacillantem eorum motum coercendum, & Cineribus Bufonum ad reserandas Renum Cataractas ut Colluvies venenata forte per hanc portam deturbaretur, cui per Glandulas cutaneas, vel salivales ampliùs eliminando vires Naturæ haud pares erant. Ideoq; Jan. 21. *Vesicatoria* tria ampla & acria jussimus ad Nucham, & Carpos illico applicanda, atque ad *Bolum* sequentem quamprimum exhibendum, repetendum que dinceps cum vel sine *Laudano* pro ratione somni, & post singulos bolos Cochl. v. vel vj. Julapii sequentis propinanda, de quo etiam fas erat bibere ad libitum. *R. Theriac.*

riac. Androm. ℥ß. Pulv. è Chel. Canc. comp. Lap. Contrayerv. Ciner. Bufon. in crucibulo ad nigredinem calcinatorum an. gr. xij. Laud. Lond. gr. j. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus 2ℓ. Aqu. Lactis Alexiter. Cer. nigr. an. ℥iv. Epidem. Pęon. comp. an. ℥iß. Pulv. è Chel. Cancr. comp. ℥iß. Srup. è Mecon. ℥iß. M. F. Julap. Inſuper ad bronchia deobſtruenda imperavimus Cochl. j. Linctus ex Ol. Amygd. dulc. &c. ſolut. in hauſtu calido Apozem. ſequens quarta quaque hora vel ſæpiùs miniſtrandum. 2ℓ. Decoct. Pector. depurat. ℔iſſ. Tinctur. Croc. ℥i. Syrup. Cap. Ven. ℥iſs. M. Et ad Ptyaliſmum revocandum (ſi fieri poſſit) Gargariſmum ſequentem ſæpus faucibus calidè fortiter Siphone ingerendum, 2ℓ. Decoct. Pectoral. ℔iß. Dianor. mell. Roſ. coll. an. ℥iß. M. Inde bene dormivit, Æger, à ſpaſmis & deliriis liberatus eſt, atque urina clara & copioſa ſc. ad ℔iii. vel iv. ſpatio 24. horarum reddita, fere apyretos jacebat, neq; ut prius languebat, reſpiravit liberius, & Arteriæ fortius vibrabantur: Stranguria autem moleſta à Veſicatoriis excitata, Jan. 22. mane reverſi, perſiſtendum eſſe duximus in uſu Bolorum Julapii, & Gargariſmi, atque inſuper hauſtum prælargum emulſionis ſequentis calidè ſæpius propinandum, 2ℓ. Semin. iv. frig. major an. ℥i Semin. Papav. alb. unc. ß. Amygd. dulc. excortic. n. v. Aqu. Hord. ℔ij. M. F. Emulſio ſ. a. cui adde Sacchar. alb. unc. ii. Media autem nocte Exacerbationem [Febre jam cum bonis avibus, Spirituum expanſione artis ope reſtituta, in benignam Synechis mutata] per ſex vel ſeptem horarum ſpatium protenſam perpeſſus eſt quadantenus vigil, delirus, & convulſus. Poſt hęc autem apyretos factus quiete obdormivit, Urinam reddens adhuc copioſiorem ad ℔v. vel vi. Quo nomine præſcripſimus, Jan. 23. Hauſtum ſequentem quamprimum propinandum, atq; deinceps extra tempus Paroxyſmi quarta quaque hora repetendum. 2ℓ. Aqu. Lact. Alexit. Card. Bened. an. ℥i. Epidem. Cin. hord. Syr. Caryoph. an. ℥ii. Pulv. ſubtiliſſ. Cortic. Peruv. elect. ℥i. Laud. liquid. gut. xii. M. Inſuper ad Spiritus in certamine futuro erigendos Bolum Cardiac. cum Laudano ſexta veſpertina, itidemque media nocte repetendum duximus, atq; Chruſtas ad Faciem moleſtè adhærentes ſæpius illinendas, Linimento ex Ol. Amig. dulc. Ung. Pomat. & Sperm. Ceti, atq; Julap. Cord. Linctum, & Apozema Pectorale adhuc uſurpandum. Media autem nocte rursus recrudeſcebat Paroxyſmus levior, nullatenus vigiliis vel deliriis comitatus vel adeo protenſus ut prius, Urina adhuc reddita copioſa: quin & Ægrotantem magis ad ſomnum proclivem invenimus. Qua de cauſa Jan. 14. Hauſtum Febrifugum juſſimus tertia vel quarta quaq; hora extra tempus Paroxyſmi adhuc repetendum, atq; Bolum Cordial. cum Cin. Bufonum & Laud. ſexta veſpertina itidemque media nocte reperendum ut prius. Unde per totam noctem nulla ſenſibili Exacerbatione tentatus: ſomno placido indulgens Æger a Febre prorſus liberabatur. Inſuper vigor Spirituum jam adeo inſtaurabatur ut profluvium Urinæ jam deficiens venenatæ lymphæ rivulo copioſo per glandulas recens reſeratas excretę, qui jam magis quàm uſquam prius ſcatebat, exciperetur: Veneno autem, quod jam ſupererat, per vicinas Oculorum glandulas ſimul ac ſalivales confertim protruſo, Oculi demum cœperunt Taraxi moleſta affici. Quocirca Jan. 25. oculos juſſimus ſæpiùs madefieri Collyrio ex A. qu. Roſ. alb. ℥i. Troch. alb. Rhaſis ℈i. Sacchar. alb. ℈ß. atque Gargariſmum ad ſalutarem Salivationem promovendam quin & ad pituitam viſcidam è tonſillis facilius educendam adhuc uſurpandum: Cum autem hoc pacto Æger ex periculo evaſiſſe videretur, Bolum Alexipharmacum haud ampliùs duximus repetendum, Hauſtum etiam febrifugum [quem cœpit faſtidire [poſt intervalla longiora nimirùm bis in die exhibendum. Hora ſomni autem Pareg. ſequens juſſimus propinandum. 2ℓ. Aq. Lact. Alexiter. Cer. nig. Cinam. hord. ℥i. Laud. liqu. gut. x. Syr. e Mec. ℥i. M. Optimè inde dormit Æger à Febre ſenſibili prorſus liber, atq; appetitu reſtituto, carnes appetebat, quas præberi meritò noluimus: Urina etenim jam parca redita rubedine profunda tincta & conten-

centis saturata, Hostem ut ut subactum, adhuc tamen non exterminatum subindicabat. Insuper lympha venenata non amplius per Renes, verum per ductus salivales amandata, Respiratio à pituita viscida Bronchiis jam impacta aliquatenus prępedita Ægrotanti molestias creavit. Quo nomine Jan. 26. Cochl. j. linctus sequentis lubricantis jussimus quam primum una cum haustu Apozematis pectoralis exhibendum, atq; deinceps quarta quaque hora vel sæpius repetendum. ℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. Syrup. Cap. Ven. an.* ℥ißß. *Sacch. Cant. alb.* ℥i. M. Atque Haustum Paregoricum hora somni renovandum: Sub vesperam autem, antequam exhibetur Paregoricum, ego diligenter accersitus inveni Ægrotantem à reliquis Veneni non penitus subacti [uti mihi visum erat] prorsùs habetem, languentem atque inter dormiendum motibus convulsivis, & subsultibus tendinum plurimum agitatum, verum sine evidentibus Criteriis Exacerbationis febrilis, qua ratione in locum *Haustus Paregorici Bolum Alexipharmacum* sine *Laudano* suffeci, itidemque quarta vel quinta matutina solutum, in Cochl. Julap. sequentis duxi repetendum. ℞. *Aqu. Cerasi nigr. Card. an.* ℥iii. *Cinnamhord.* ℥ii. *Epidem. Pæon. comp. an.* ℥ißß. *Tinctur. Castor. Confect. Alcherm. an.* ℥ißß. *Syrup. Carioph.* ℥ßß. M. F. *Julap.* de quo capiat Cochl. iv. vel v. singulis, vel alternis horis. Unde bene dormivit à dictis symptomatis liberatus, atq; in statum pristinum redactus. Quocirca Jan. 27. Collega candido ac docto approbante Consilium quod invitus eo absente cœpi, mutuis suffragiis *Bolum Alexipharm.* sine Laudano decrevimus sub vesperam rursùs exhibendum, atque mane proximo repetendum, & Julap. Cord. nuperrimè præscriptum, & reliqua adhuc usurpanda. Natura autem Colluviei venenatę reliquias (Ptyalismo jam penitus subsistente) per Intestina amandare moliente, Æger post unam vel alteram dejectionem liquidam, & copiosam cœpit rursùs deficere, atq; variis moribus convulsivis agitari, quo nomine ego solus utpote Vicinus à pertertitis adstantibus primo mane diligenter accersitus, atq; memor Colloquii Cl. Collegę die prędecedenti habiti, nimirum Patientem nostrum à multis retro annis, leviissima quavis occasione data in genere nervoso dura quęvis pati solere symptomata, prędsertim etiam cum ego ipse, non obstantibus diris hisce Nervorum affectibus, explorando, nullam Febris exacerbationem deprehenderim, Jam 28. primo mane prędscripsi Bolum sequentem una cũ haustu Julapii illico exhibendum. ℞. *Confect. Mithridat.* ℥i. *Castor. gr. v. Pulv. de Guttet. gr. xv. Laudan. liquid. Cydoniat. gut. xii.* cum *Syr. Carioph. q. s.* M. F. *Bolus* mollis ℞. *Aqu. Rut. Cerasi nigr. an.* ℥iii. *Pæon. Bryon. comp. Syr. Pæon comp. an.* ℥ißß. *Tinctur. Castor.* ℥ii. M. F. *Julap.* Insuper unam, vel alteram *Pilularum* sequentium tertia quaque hora jussi deglutiendam una cum Cochl. iv. *Julapii* nuperrimè præscripti. ℞ *Gum. Galban. Ammoniac. an.* ℈i. *Castor.* ℈ßß. M. F. Pilul x. deaurand. Jan. 28. paulo ante meridiem Collega candidus & doctus (consilio rursùs jam inito) præscriptis meis suffragatur, atq; cùm Patientem hisce auxiliis iterum in pristinum statum restitutum jam invenimus: Vesicatorium amplum & acre in subsidium generis nervosi radeo sæpe lacessiti inter scapulas applicandum jussimus atq; Bolum cum *Mithridatio* absque Laudano post mediam noctem repetendum, & deniq; *Apozema*, *Eclegma*, *Pilulas* non adeo lacessitus affectibus nervosis ut prius. Ideoq; Jan. 29. Pilulas cum Julapio Cephalico jussimus iterum repetendas; & Bolum cum *Mithridatio* hora somni sumendum, atque *Decoctum album* copiosè bibendum, addita tertio parte *Vini Canarini* optimi tempore usus, quia dejectationibus liquidis Patiens sæpe tentabatur, & simplex Decoctum prorsus fastidiebat. Jan. autem 30. cum genus nervosum diris hisce symptomatis periodicè recurrentibus, non obstante diligenti & pertinaci Remediorum Cephalicorum usu, omni die plus minus plecteretur, atq; Urina quotidie rubedine & contentis saturata redderetur, suspicabamur, Venenum Variolosum intus delitescens dirorum horum affectuum nervosorum causam esse atque mox deteriorum symptoma-

matum stragem daturum, ut ut impręsentiarum adeò subactum fuerit ut non par esset certamini febrili recens instaurando atq; exinde decrevimus vires *Corticis Peruv.* polychrestas rursus experiri addita Laudani q. s. ad Alvum jam nimis fluidam coercendam more sequent. ℞. *Cortic. Peruv. subtiliss. trit.* ʒi. *Laud. liquid. gut. xii.* cum *Syrup. è Corall.* q. s. M. F. *Bolus* statim sumendus. Repetatur Bolus absq; *Laudan.* quarta pom. cum *Laudan. gut. xviii.* hora somni, absq; Landano tertia matutina cum *Laud. gutt. xii.* sexta matutina, absq; Laudano decima matutina. Perstet in usu *Decoct. alb.* & *Iulap. Cord.* Quid fit? Die proximo, Jan. scil. 31. & Morbi vicesimo primo, reversi Patientem invenimus cum bonis avibus *à pyreton* ab omni morboso affectu ac Symptomate liberum, & plane reconvalescentem, atq; esurientem. Ideòq; cibum pleniorem jam indulgebamus. *Decoctum album* duntaxat pro potu ordinario prescripsimus ob laxietatem Alvi nimiam, atq; *Paregoricum* sequens hora somni exhibendum. ℞. *Aqu. Lactis Alexiter. Cinnam. hord. an.* ʒiß. *Epidem.* ʒiii. *Syrup. è Mecon.* ʒi. M. Febr. 1. tamen duntaxat Patiens querebatur, atq; appetitu restituto, pullum Gallinaceum avide petebat. Cum autem faciem observassemus adhuc incalescentem & scabie nigra obductam, atque Urinam contentis plenam & rubedine quadantenus tinctam, à Carnibus ad unum vel alterum diem abstinendum esse duximus, postea usum piscium friabilium, & pullorum Gallinaceorum moderatum concessimus, atq; postquam haustum Paregoricum jusseramus parandum media nocte, modo fluxus Alvi, vel vigiliæ postularent, exhibendum, ego ultro (reluctante licet Juvene) memet subduxi, Patientem doctiss. & Cl. Collegæ (ut par erat) futurum tractandum relinquens. Reliquiis autem Veneni non penitus protrusis post v. vel iv. dies iterum recrudescentibus, Æger, appetitu sensim prostrato, rursus quasi hecticè incalescebat: Benigna vero natura *furunculo* amplo in femore sinistro suborto, quamquam citissimè vigore Spirituum maturatus in Abscessum mutabatur, Venenum propellere molichatur. Qua ratione Æger me solum (quod ægrè tuli) bis jussit ad catarsin instituendam accersendum, quem inveni præter spem hæctico calore, & *apyrexia* affectum, languidum, & in lecto decumbentem, Scabie nigra ad nonnullas faciei partes firmiter adhærente dum cæteræ partes rubore & calore supra modum afficerentur, & furfuracea impetigine obducerentur, unde nitorem Cutis elegantem mox foveis deturpandum, modo forte vita ipsa in periculum non adduceretur, fore timebam, nisi artis suppetiis opportunè allatis Spiritus ante Catharsin à Veneno, quod jam revirescens certaminis recens instaurati causa erat. usu Antidoti Herculeæ repetito, penitus liberarentur. Ideòq; Febr. 12. præscripsi Haustum febrifugum sequentem mox exhibendum, repetendùmq; deinceps sexta quaq; hora ad x. vices. ℞. *Aqu. card.* ʒi. *Epidem. Syrup. Carioph. an.* ʒii. *Pilul. subtiliss. Cortic. Peruv. elect.* ʒi. M. Febr. 14. reversus juveni appetitum Patientis restitutum, atq; temperiem admodum mitem, ideoq; Alvum jussi mane proximo potione sequenti subducendam. ℞. *Decoct. Sennæ Gereon.* ʒiv. *Mann. selectiss.* ʒiß. M. Atque in promptu ʒß. *Syr. è Spin. Cerv.* in haustu liquoris Possetici hauriendæ, modo Patiens post trihorium Alvum non dejiciat. Febr. 17. ad lubricam Alvum cohibendam Paregoricum sequens jussi hora somni propinandam, ℞. *Aq. Lactis Alexiter. Cinnam. hord. an.* ʒiß. *Syrup. e Mecon.* ʒvi. M. F. *Haustus*, atque ʒi. *Cortic. Peruv.* cum *Syrup. Carioph. q. s.* in formam *Boli* redactam mane proximo exhibendam, repetendamque deinceps ter die horis medicinalibus per triduum spatium ad revirescentiam Veneni diliteſcentis [si quod fuerit] præcavendam, & superbibendum post singulos bolos haustum Vini generosi. Dein Alvum rursus potione Cathartica ante præscripta curavi deturbandam. Febr. 22. Præscripsi *Pil. e Succin.* ℈i. in tres Pilulas deauratas redactam hora somni sumendam, & *Extract. rud.* ℈. cum Cochl. min.

gr.

gr. xv. in Pilul. v. deauratas formandum mane proximo deglutiendum ad ſaburam humorum deliteſcentium altiùs deducendam. Denique Febr. 25. ad calorem Humorum diu efferveſcentium temperandum. Alvum juſſi per ἔνεσιν ſemel in ſeptimana more ſequenti ſubducendam. ℞. *Pilul. Aloelphang. Stomach. cum Gum. an.* ℈ij. *è Succin.* ℈j. *Salis Tartar.* ℈ß. *Ol. Majoran. Chym. gut. vi.* M. F. *Pilul. xvi.* inauraudæ, quarum quatuor ſumat hora ſomni, repetatque deinceps ſemel in ſeptimana Matutinis proximis bibendo ℔iv. *Aqu. Mineral. purg. ad* ℔iii. *Coct.* & ℔ß. *Lactis alterat.* Atque hoc pacto Juvenis elegans ac ingenioſus Familiæ ſuæ decus, multas artis ope ex orci faucibus ereptus, demum nullo *Morboſo affectu* tentatus, & nitore faciei non ſpoliatus, ſanus evaſit, atque huc uſque ſecunda valetudine utitur.

HISTORIA LXIV.

Mihi communicata à clar. & ingenioſiſſimo Collega & Cenſore D. D. Frederico Slare.

(*a*) Fœmina temperamento ſanguineo 20. annos nata dolore Capitis, Lumborum & Inteſtinorum in dies ingraveſcente corripiebatur: Tertio die a decubitu ſc. Jul. 31. 1692. Exanthemata Variolosa ſeſe in conſpectum dabant: Ægra nihilominus febricitabat, & delirio tentabatur quod unoquoque die in altiorem gradum evectum eſt. Aug. 2. Petechiæ erumpebant in Pectore, & brachiis frequentiſſimæ, Lumbi dolore vehementi indeſinenter cruciabantur; Puſtulæ erant exiguæ & confluentes. Guttur etiam tantum non variolis occludebatur. Urinam diligenter inſpexi, quæ ſub noctem iſtius diei ſanguine tincta reddebatur (ut ſæpè in Variolis hiſce ſymptomatis comitatis) & duobus diebus proximè ſequentibus ſc. uſque ad noctem diei 5. Aug. atque tunc tandem intumeſcebat facies, & ſalivatio ſuborta eſt: Phrenitis exulabat, Tumor faciei ad tres vel quatuor dies durabat: Detumeſcente vero inde facie, manus pari ratione tanquam veſicæ inflatæ tumebant in immenſam adeo molem, ut figura manuum in ipſis manibus deſideraretur. Oris ulcera admodum ſordebant, fluxus ſalivæ diu durabat.

Quoniam Ægra, quamvis bene nata, non amplis fortunis erat, Remedia ſequentia præſcripſi parum pretioſa, ſc. primo *Decoct. Pectorale commune* cum *Syr. Aurant.* bibendum copioſè, & *Hauſtum* cum *Syr. e Mecon.* ℥vi. & *Spir. Vitr.* potui communi inſtillandum quia ſitis vehementer urgebat, & Regimen in reliquis temperatum, vel potius frigidiuſculum, donec Petechiæ erumperent; & pulſus debilitaretur. Nocte igitur ab Eruptione tertia cum primum hæc Symptomata ingruebant. Julap Cardiacum ſequens parandum juſſi. ℞. *Aq. Lactis Alexit.* ℥vi. *Pæon. comp.* ℥ii. *Stephan.* ℥ß. *Sp. lavend. comp.* ℥ii. *Ther. Andr.* ℥iß. *Syr. Flor. Tunic.* ℥ß. F. *Mixt. Cardiaca*, de qua bibat liberè in languoribus, & *Paregor.* ſequens mane & veſperi repetendum. ℞. *Aqu. Lactis Alexit.* ℥ii. *Epid.* ℥ß. *Syr. de Mecon.* ℥i. *Laud. liqu. gut. x.* Languebat nihilominus fœmina, & pulſus vacillabat; ideoq; *Sp. CC.* in *Vino Canarino* ſæpe propinabatur. Nocte Cardiacorum uſum præcedente Urina intenſe rubeſcebat, hac vero nocte ſanguine tingebatur, & eodem tempore delirium plane exulabat. Repetitis Julapii Cardiaci doſibus vires ægræ refocillabantur, & intra ſpatium 24. horarum mixtio cruenta valde diminuebatur. Aug. 6. ingruebat Ptyaliſmus, Urina bene colorata eſt. In cæteris pro re nata ægra tractata, ex Morbo maligno, & valdè periculoſo evaſit.

HISTORIA LXV.

Admodùm curioſa ab Exercitatiſſimo & Sagaciſſimo D. D. Atherton *literis mihi datis nuper communicata.*

[*b*] Domina *E. L.* annos duodeviginti nata, dolore capitis & doriſi correpta

(a) *Mixtio ſanguinea in Variolis mali moris uſu alexipharmacorum ſalubriter ſuperata.* (b) *Variolæ Spatio duarum ſeptimanarum bis erumpentes.*

repta, modicè febricitabat, brevique poſtea Variolæ quædam parvulæ erumpebant; intereà Nauſea, Vomitio, ægritudo, frequens Deliquium Ægram excruciabant: Menſes ſolitum tempus antevertentes inſuper fluebant, ut incertus adhuc ſim utrum Urina ſanguine tincta redderetur necne. Primò præſcripſi *Vinum Canarinum* momenti *Croci* imprægnatum, & *Hauſt Pareg.* noctu ſumendum. Die tertio, *Sal Vitrioli vomitivo* ventriculi ægritudinem relevare conatus ſum. Die quarto Ægritudine permanente ſemel vel bis *Bezoar. Orient. gr. xii.* & *Cinnam. nativ. gr. vi.* in hauſtu Julapii Cardiaci propinavi. Repetebatur jugiter Julap. Cardiacum & hauſtus Paregoricus uſque ad diem decimum tertium. Eruptione lentè procedente, Variolas è diſtinctarum genere fuiſſe autumabam; donec ingraveſcentibus duobus ultimis Eruptionis diebus tota fere cutis ſtigmatis obduceretur. Nauſea, Ægritudo, Febris, Delirium ad diem decimum tertium perſtabant, quo die ſalivatio copioſa oborta eſt, Febre manifeſto aucta. Saliva primo tenuis, deinde tenax viſcida evaſit, & poſt unum vel alterum diem evanuit Ptyaliſmus. Variolæ fuſcæ, & ſubnigræ demùm factæ paulatim decidere incipiebant: Sed ecce novum Variolarum in priorum interſtitiis circiter diem decimum quartum ſeſe in conſpectum dedit, delirio, ægritudine, anxietate, & vigiliis recrudeſcentibus. Die decimo ſeptimo ſymptomatum mitigationem expectavi, ſed fruſtra. Pulſus erat nunc fortis & celer, nunc debilis & languidus. Medicamenta pro re nata præſcripſi. Circa diem viceſimum primum ſalivatio recens exoriebatur cum Aphthis in ore, & gutture, quæ vocem penè intercipiebant. Ægra multùm dormivit, ſed præ debilitate ſeſe de loco in locum movere vix potuit Tendinum ſubſultum, manuum & maxillæ inferioris tremorem, involuntariam Urinæ excretionem paſſa eſt. Linguam fere ſemper motitabat, ſtragula colligebat, manus hic inde agitabat puſtulæ, & ulcera inſenſibilia reddebantur, Verbo, vix ullum Symptoma funeſtum deerat. Circa diem viceſimum tertium ſudor violentus ſubortus eſt, qui ad duos vel tres dies perſeverabat. Puſtulæ in facie in cruſtam matureſcebant, in reliquis partibus corporis non ad inſtar cruſtarum, ſed potius pellicularum decidebant. Et Ægra ſenſim & gradatim convaluit.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM.

Littera H. *denotat Hiſtoriam.*

A

A Lexipharmacorum uſus in variolis malignis. Pag. 394. 409. 411. 449
Alexipharmacis fortioribus abſtinendum in tertio ſtadio variolarum vigente Salivatione. 426
Alexipharmaca fortiora quandonam adhibenda in primo ſtadio Morbillorum. 363
Alexipharmaca mitiora in primo ſtadio morbillorum. 362
in apparatu Variolarum mediarum. 395
Alexipharmaca cum Opiatis miſcenda, in Variolis malignis. 310
Algor primum Symptoma Inſultum Variolarum. 384
Alvi fluxus ferè ſemper Symptomaticus in Variolis. 379
Alvi fluxu durante Variolæ ægrè erumpunt. 379. 380
Alvus adſtricta non moleſta in Variolis. 413
Animi pathemata, variolas in malignas mutantia. 381
Apozema ad Tuſſim. 458
ad dyſpnœam. 414
Appetitus proſtrati poſt variolas Curatio. 452
Apyretos ſtatus ante Eruptionem variolarum malus. 375
Apyrexia in variolarum benignarum tertio ſtadio. 417
Apyrexia cum fixo dolore lumborum quid ſignificat in apparatu variolarum. 389
Apyrexia in declinatione Variolarum benignarum. 437
Aqua Calcis in ſtrumis poſt morbillos. 367
Aquæ Stypticæ uſus in Variolis malignis. 411

B

B Enigni Morbilli debito regimine curati. H. 370
Benignæ Variolæ. 376
ſunt aliarum normæ. 417
Benignarum Variolarum apparatus. ibid.
eruptio. 401
maturatio. ib.
declinatio. 436
Diagnoſis in primo ſtadio. 320
in ſecundo ſtadio. 361
in tertio ſtadio. 487
in quinto ſtadio. 448
Curatio in apparatu. 393
eruptione. 408
maturatione. 400
declinatione. 447
Benignæ Variolæ Cichen-pox dictæ. 334. H. 376
apparatus. 358
Eruptio, maturatio, & declinatio. 417
Prognoſis. 408
Benigniſſimæ Variolæ poſt Symptomata vehementiora durante apparatu. H. 464
Benignæ Variolæ poſt abortionem & uſum Corticis Peruviani. H. 443
Bolus in apparatu variolarum malignarum. 358
in apparatu variolarum mediarum. 464
in Hydrope poſt morbillos. 367
ad dolorem colicum in apparatu variolarum. 398
ad deliquia hyſterica in tertio ſtadio variolarum. 431
ad diarrhœam in apparatu variolarum. 496
ad diarrhœam poſt morbillos. 366
ad dolorem ſpaſmodicum in apparatu variolarum. 397
ad dolorem pleuriticum in apparatu variolarum. 398

ad deliquia hysterica in tertio stadio variolarum. 431
ad diarrhœam in apparatu variolarum. 396.
ad diarrhœam post morbillos. 366
ad dolorem spasmodicum in apparatu variolarum. 397
ad dolorem pleuriticum in apparatu variolarum. 398
in fluxu catameniorum in secundo stadio variolarum. 415
in Eruptione Variolarum malignarum. 410
Febrifugus in declinatione Variolarum mediarum. 449
in morbillis malignis ante efflorescentiam. 360
ad Salivationem suppressam ante maturationem Variolarum. 428
ad spasmos in primo stadio morbillorum. 360
ad vigilias in apparatu Variolarum. 400.
ad Vomitionem in apparatu Variolarum. 396

C

CAloris hectici curatio post Variolas. 453
Caries ossium post Variolas. 416.455.H.509
Cathartici in morbillis extra debitum tempus exhibiti effectus. 365
Catharticorum post morbillos formulæ. ib.
Usus in morbillos post efflorescentiam. 364. 366
necessitas post variolas benignas. 447
periculum in Parotidibus post Variolas. 454
formulæ post Variolas. 491
Cathartica quando periculosa post Variolas. 452
Canones de usu Catharticorum in Variolis. ibid.
Catharrhi prognosis in Variolis. 407. 408
Cerevisia nocet in diarrhœa in primo stadio Variolarum. 396
in colliquatione Humorum in primo stadio morbillorum. 362
Cicatrices post Variolas. 455
Cinerum Bufonum usus. 412.428.429
Cohærentes & Malignæ Variolæ. H. 349
Cohærentes Variolæ à primo ortu malignæ. H. 499
Cohærentium Variolarum tarda maturatio. H. 503
Cohærentes & Malignæ Variolæ profluvio urinæ solummodò indicatæ. H. 491. 494
Cohærentes Variolæ tum atroci lumbagine invadentes in Benignas mutatæ. H. 460
Cohærentes Variolæ cum Vigiliis pertinacibus. Opiatis & Alexipharmacis curatæ. H. 503.
Colliquatio Humorum in primo stadio morbillorum. 361
Collyrium in primo stadio morbillorum. 346
ad Ophthalmiam in declinatione Variolarum. 456
Comatis Curatio in tertio stadio Variolarum. 429
Coma Insultus Epileptici raro sine errore in regimine, raro contingunt in tertio stadio Variolarum. ib.
Confluentium & malignarum variolarum eruptio quadruplex. 402
Confluentes & malignæ Variolæ, demum febre exceptæ. H. 480. 481
Confluentes Variolæ depressæ furunculis exceptæ. H. 485
Confluentes universim Variolæ & malignæ. H. 428. 496. 499.
Confluentium & malignarum variolarum declinatio. 439
Cortice Peruviano utendi modus in declinatione variolarum. 448
Corticis Peruviani & Alexipharmacorum usus ad foveas in Variolis impediendas. 453
Criteria Variolarum malignarum dubia. 386
certa. 388
Cuticula afficitur in morbillis. 353
Cutis variolarum subjectum. 374

D

DEcocti albi usus in primo stadio morbillorum. 362
In diarrhæa post morbillos. 366
In diarrhœa in primo stadio Variolarum. 396
Decoctum in strumis post morbillos. 366
in Variolarum mediarum maturatione. 426
Deglutitionis difficilis curatio in tertio stadio variolarum. 432
Deliquia & suffocationes hystericæ in tertio stadio variolarum quid significant. 431
Curatio. ib.
Delirium Melancholicum post Variolas. 458
Comatosum Variolas excipiens. H. 391. 447.
Diæta in Variolis. 391. 452
Diarrhœæ curatio in apparatu Variolarum. 396
secundo stadio variolarum. 413
tertio stadio variolarum. 430

Diarrhœa torminoſa in Variolis Opiatis & Alexipharmacis curatur. 413
Diarrhœa in Variolis Malignis funeſta. H. 494
Diarrhœa variolas diu ſubſidentes efficiens. H. 503
Diſcretæ variolæ cum menſura purgatione conjunctæ. H. 464
Diſcretæ variolæ ob Hæmoptoen tempore eruptionis contingentem confluentes factæ. H. 465
Diſcretæ variolæ ſed admodum exiguæ poſt Inſultus Epilepticos erumpentes. H. 466 467
Diſcretæ variolæ Petechiis comitatæ Alexipharmacis & Opiatis feliciter ſanatæ. H. 503
Diſcretæ variolæ bis intra ſpatium unius menſis erumpentes & declinantes ſine maturatione, & funeſta diarrhœa exceptæ. H. 463
Diſcretæ variolæ ſub initium maturationis depreſſæ & vigiliis ac deliriis per biduì ſpatium comitatæ. H. 464
Diſcretæ variolæ cum fluxu menſtruo & gravibus animi pathematis conjunctæ funeſtæ. H. ib.
Diſcretæ variolæ malignæ paulo ante initium maturationis funeſtæ. H. 489
Diſcretæ variolæ malignæ cum maculis purpureis erumpentes. H. ibid.
Dolor capitis & lumborum atrox præſagit Variolas. ibid.
Doloris capitis, artuum & lumborum curatio. 397
Doloris Colici curatio. 398
Dolor gutturis in ſecundo ſtadio variolarum.
Doloris gutturis inflammatorii curatio in tertio ſtadio variolarum. 432
Doloris pleuritici curatio in apparatu variolarum. ibid.
Dolor quaſi Rheumaticus ante variolas diſcretas. H. 469
Doloris ſpaſmodici fixi curatio in apparatu variolarum. 397

E

Efflorescentia partialis aut colorem mutans in Morbillis. 361
Efflorescentiæ morbillosæ Apparatus. 356
Status, & Declinatio. 358
Efflorescentia in variolis univerſalis maligna. 402
particularis maligna. ib. 403
Diſcreta cum petechiis & veſiculis. ibid.
Efflorescentia declinante quid agendum in morbillis. 363
Electuarium adſtringens in colliquatione humorum in morbillis. 362
Electuarium adſtringens ad diarrhœam in primo ſtadio variolarum. 395
Emeticum ad Dyſpnœam in tertio ſtadio variol. 433. 434
Emetica in reſpiratione debili & citiſſima in tertiò ſtadio variolarum nocent. 433
Emeticorum uſus in aqparatu variolarum. 366
Emetica Antimonialia non conveniunt in apparatu variolarum. ib.
Emulſio in ſtrumis poſt morbillos. 366
Enemata Oleoſa poſt variolas. 450. 451
Enema Autoris poſt variolas. ib.
Enema ad dolorem Colicum in Apparatu variolarum. 398
Epithemata nocent in pruritu in tertio variolarum ſtadio. 434
Epileptici inſultus Curatio in apparatu variolarum. 398. 399
in eruptione variolarum. 416
in tertio ſtadio variolarum. 430
Epilepticos inſultus ſequuntur variolæ benignæ. 398. 399
Eryſipelatoſa ſcabies propter catharticum omiſſum variolis ſuperveniens. H. 453
Errhinum ad Nares infarctas in tertio ſtadio variolarum. 452
Exanthematum variolarum maturatio legitima. 423
non legitima. ib.
Exanthematum maturationi in malignis variolis diſcretis non fidendum. 441
Exanthematum dolor inflammatorius non curandus Epithematis in tertio ſtadio variolarum. 434
Exanthematum Pruritus. ibid.
Exanthematum in facie tantum confluentium mala prognoſis. 443

F

Fæces induratæ forcipibus ereptæ ex ano. 451
Febris ſcarlatina. Vide Scarlatina.
morbillosa. Vide Morbillosa.
inflammatoria. V. inflammatoria.
Febris cum inflammatione muſculorum, viſcerum aut glandularum benigna. 351
Febris efflorescentia ſuperſtes. 359
Febris Synochis poſt morbillos Cortice Peruviano profligata. 364
Febris ceſſat poſt eruptionem variolarum benignarum. 401

Febris remittit vel intermittit in eruptione variolarum mediarum..
Febris continua post eruptionem variularum, malum.. 407
Febris auget in tertio stadio variolarum malignarum.. 417
Febris in quarto stadio variolarum cessans.. 444
ab initio continua, & in declinatione variolarum exacerbata.. ib.
quæ in Exanthematum maturatione remittit vel intermittit.. 445
Febris post quartum vel quintum maturationis variolarum, recrudescens non adeo timenda.. 423
Febris recidivæ in variolis mediis Curatio.. 448
Fermenti varioloſi indoles.. 385
Fluxus menstruus in variolis.. H. 504
Fluxus menstruus post eruptionem variolarum non adeo formidandus ac aliæ Hæmorrhagiæ.. 406
Fluxus catameniorum vel lochiorum in secundo stadio variolarum.. 415
pravam Indolem non indicat.. ib.
spiritus debilitat.. ibid.
Curatio.. ib.
Fotus Lixiviales in Intumescentia Præputii 435
ad rectum intestinum corroborandum post variolas.. 451
Fovearum post variolas causa.. 454
Curatio per Alexipharmaca.. ib.
Furunculi post variolas.. H. 454. 485. 486

G.

Gangræna post profluvium Urinæ supressum in variolis confluentibus.. H. 434
Gangræna carnis musculosæ post variolas.. 455
Gangræna Maxillæ & Tibiæ variolas malignas excipiens.. H. 508
Gangræna ventriculi & intestinorum post variolas.. H. 509
Gargarisma in Morbillis.. 369
ad difficilem deglutitionem in tertio stadio variolarum.. 433
ad dolorem gutturis Inflammatorium.. 432
ad dolorem guttoris.. 416
Glans, aut suppositorium post variolas.. 451
Gargarisma in variolarum mediarum maturatione cum salivatione.. 427

H.

Hæmorrhagiam prænunciant Petechiæ nigræ.. 418
Hæmorrhagiæ sunt malæ in variolis.. 408
Hæmorrhagiæ sunt malæ in variolis malignis.. 411
Hæmoptoe.. 518
Haustus febrifugus in tertio stadio variolarum mediarum.. 429
Herpetem comitans febris est benigna.. 402
Nocte exacerbatur.. ibid.
Historiæ variæ de morbillis.. 349. &c.
febre scarlatina.. ibid.
variolis.. 449
Horror & rigor in media salivatione in tert. o stadio variolarum male significant.. 424
Hydropis à morbillis curatio.. 366

I.

Impetigo furfuracea post variolas.. 454
Infantes rarius quam adulti variolis malignis laborant.. 382
Inflammatoriarum febrium natura.. 348
Definitio.. 347
Species.. 348
Causa.. 349
Signa.. ibid.
Diagnosis.. ibid.
Prognosis.. 351
Indicationes Curativæ.. 353
Inflammatoria Febris quandonam mutatur in malignas.. 346
parum distat a Synochei.. 348
genuina.. 350
spuria.. ibid.
Insultus Epileptici ante variolas benignas.. 398
in apparatu variolarum.. ib.
in eruptione.. 416
Intumescentia Præputii transitum Urinæ impediens.. 435
Extremorum in tertio stadio variolarum non timenda.. ibid.
Mediarum variolarum in malignas transeuntium indoles.. 418
Julapium in comate & insultibus Epilepticis.. 399. 431
ad deliquia Hysterica in tertio stadio variolarum.. 431
ad deliquia Hysterica in primo stadio variolarum.. 430
ad dolorem Artuum spasmodicum.. 432
in mediarum variolarum apparatu.. 429

maturatione. 426.427
in Morbillis. 360
ad ſpaſmos in primo ſtadio morbillorum. 360
ad ſpiritus revocillandos in apparatu variolarum benignarum. 393
in ſudoribus profuſis in ſecundo ſtadio variolarum. 414
ad vigilias in apparatu variolarum. 400.
ad vomitionem in apparatu variolarum. 401
in variolarum malignarum apparatu. Eruptione. 411
in fluxu Catameniorum in ſecundo ſtadio. 415
ad ſalivationem reducendam. 428

L

Linctus ad tuſſim. 362. 415. 457
ad diſpnœam. 432
Linimentum ad pleuritidem. 398
ad colicam. ib.
ad foveas. 456
ad promovendam ſalivationem. 428
Lumbago ſine Febre vel vomitione in apparatu variolarum confluentium funeſtarum. H. 504
Lumborum dolor præſagit variolas. 386
Curatio. 401

M

Maligna Febris in variolis indicant variolas malignas. 406
Malignæ variolæ. 368
Malignæ ex accidenti variolæ. 381
Malignarum variolarum Exanthemata. 378
Malignarum variolarum Diagnoſis.
in Apparatu. 386
Eruptione. 406
Maturatione. 417. 421
Declinatione. 442
Malignarum variolarum Criteria dubia. 387
Certa. 388
Malignarum variolarum curatio in primo ſtadio. 394
ſecundo ſtadio. 409. 410
tertio ſtadio. 429
quarto ſtadio. 449
Mediarum variolarum differentia à morbillis. 405
Eryſipelate. ibid.
benignis variolis. ibid.
Mediæ variolæ admodum frequentes, & proximè ad malignas accedentes. H. 379
Mediæ variolæ diu depreſſæ & pene cohærentes cum febre Synochei durante maturatione conjunctæ. H. 478
Mediæ variolæ poſt imperfectam maturationem in declinantione febre except. H. 480
Mediæ variolæ prope ad benignas accedentes. H. 471
Mediæ variolæ prope ad malignas accedentes. H. 470
Mediarum variolarum eruptio. 411
Mediæ variolæ non ſimul erumpunt per totum corpus. 358
Mediarum variolarum maturatio. 418
Mediarum variolarum benignus proximarum maturatio. 419
Mediarum variolarum maturatio cum ſalivatione. ib.
ſine ſalivatione. 421
Mediarum variolarum benignis proximarum declinatio. 436
malignis proximarum declinatio. 437
Mediarum variolarum Diagnoſis in Apparatu. 389
Eruptione. 405
Maturatione. 422. 423
Declinatione. 441
Mediarum variolarum curatio in primo ſtadio. 395
ſecundo ſtadio. 412
in tertio ſtadio. 426. 428
in quarto ſtadio. 447
Metus ſine veneno cauſa dirorum ſymptomatum. H. 463
Mictio ſanguinea Alexipharmacis ſanata. H. 516
Micturitio in variolis. 389. 403. 411. 418
Curatur cineribus bufonum. 412. &c.
Morbilloſæ febris natura. 404
Stadia. ib.
Morbilloſa Febris abſque ulla efflorescentia vel comitante vel ſubſequente ſanata. H. 371
Morbilloſa Febris primum maligna, dein inflammatoria, & tandem Synochis. H. 373
Morbilloſa febris poſt efflorescentiam peractam in Synochis quotidianam diarrhœa, tuſſi & languore maximo comitatam mutata. H. 371
Morbillorum Definitio. 353
Cauſæ. 358
Signa antecedentia. 359
Differentia. 348. 359.

Dia-

Diagnosis. 359
Prognosi. 360
Indicationes curativæ. 361
Curatio. ib.
Morbillis pauci bis laborant; 359
Morbilli genuini & spurii quomodo differant. 348
Morbillorum differentia à variolis, erysipelate, herpete, febre scarlatina, petechiis, maculis purpureis, variolis confluentibus, febre crapulosa. 359
Morbilli genuini salutares. 360
spurii periculosi. ibid.
Morbilli Epidemii sporadicis periculosiores. ibid.
Morbillorum stadia protensa male significant. ibid.
Morbosi affectus post morbillos. 364
Variolas. 453

N

NArium infarctarum curatio. 433
Natura non debet lacessi medicam. in variolis benignis. 409

O

OBturatio Narium in variolarum maturatione. H. 507
Oculorum Apertio signum detumescentiæ capitis in variolis. 437
Ophthalmiæ curatio post morbillos. 365
Ophthalmia in declinatione variolarum. 456
Opiatorum incommodum in primo stadio morbillorum. 365
Necessitas in secundo stadio. 363
Opii dosis augenda donec profuerit in variolis malignis. 410
Utilitas in maturatione variolarum mediarum. 418
Usus in variolis ad Diarrhœam. 396
Pleuritidem. 398
Colicam. ibid.
Vigilias. 399

P

PAlliativa Cura in colliquatione Humorum in primo stadio morbillorum. 361
Parotis post variolas discretas malignas. H. 487
Parotides sub finem variolarum subortæ. 444
Parotis in variolarum malignarum declinatione salutaris. 441
Petechiæ in variolarum discretarum intersti-

tiis in secundo stadio ortæ mala prognosis. 408
Phymosis in declinatione variolarum. H. 507
Porriginis causa. 448
Posleticus liquor cum Vino Canarino in variolis malignis. 411
Potus in colliquatione humorum in primo stadio morbillorum. 366
In diarrhœa in primo stadio variolarum. 396
Ptyalismus. Vid. Salivatio.
Potio Cathartica in strumis post morbillos. 366
Pulsus debilis & vacillantis Omen in apparatu variolarum. 389
Pulvis in apparatu variolarum malignarum. 394
Catharticus in strumis post morbillos. 366
ad diarrhœam post morbillos. 409
Cordialis in apparatu variolarum mediarum. 398
Pulveris de Gutteta usus in primo stadio morbillorum. 361
Pulvis in morbillis malignis ante efflorescentiam. 360
ad Soporem in apparatu variolarum. 399.
ad Spasmos in primo stadio morbill. 361
Purgandi methodus post variolas. 450
Purgantia medicamenta. Vid. Cathartica.
Pustulæ variolarum prænunciæ. 374

R

REgimen in variolarum primo stadio. 391. 393
secundo stadio. 409
tertio stadio. 444
quarto. 447. 448
Regimen in variolar. mediar. maturat. cum salivat. 427
Regimen malum variolas benignas Apoplexia terminans. H. 459
Regiminis mali in variolis benignis Historiæ. 461. 462. 463
Regimen malum in apparatu variolarum. H. 501. 502
Regimen in morbillis. 359
Rheumatica Febris est benigna. 350
ad Apostema non terminatur. ib.
mutatur in malignam per repercutientia. ibid.
Repercutientium incommodum in parotidibus post variolas. 454
Repullulatio variolarum benignarum, sine ma-

maturatione exareſcentium. H. 459
Reſpirationis anheloſæ & difficilis curatio. 433

S

Salivationis in variolis deſcriptio. 379
Salivatio nunquam eſt ſymptoma variolarum benignarum. 404
Salivatio copioſa per hyemem in variolis benignis. ibid.
Salivatio levis in variolis mediis. 358
Salivatio eruptionem comitans mala. 407
Salivatio declinans ſine maturatione variolarum lethalis. 421
Salivatio ſubiter ſuppreſſa die morbi. 506
Salivatio intempeſtive ſuppreſſa. H. 494
Salivatio die 11. morbi ſuppreſſa. H. 506
Salivatio funeſtè protenſa. 435
Salivatio ad 21. morbi diem ptotenſa in variolis. H. 505
Salivationis Prognoſis in maturatione variolarum. 433
Sanguis in morbillis ad inſtar ſanguinis maniacorum vel Hyſtericarum. H. 369
Scabies ſanioſa poſt variolas. 454
Scarlatinæ febris differentia à morbillis. 354. 368
Scarlatina Febris poſt Efflorescentiam periodicè revertens venæ-ſectione & cortice Peruviano curatur. H. 370
Scarlatina febris poſt efflorescentiam Synechis in Synochon lethalem mutata. H. ibid.
Scarlatina febris lethalis. H. 371
Scarlatina febris cum diris ſymptomatis. H. 373
Signa variolas ante eruptionem in apparatu præſagientia. 385
Sopor variolis proprius. 399
Soporis curatio in variolis. 399. 413
Spaſmi Epileptici ante Criſin variolarum. 384
ante eruptionem variolarum benignarum. H. 460
Spaſmorum curatio in morbillis. 361
Spiritus Animales quomodo affecti in febribus inflammator. 345
Spuriæ & genuinæ variolæ quomodo differant. 349
Stadium variolarum quodcunque quo longius, eo periculoſius. 405
Sternutationis curatio in morbillis. 362
Strumarum curatio poſt morbillos. 366
Variolas. 458
Subſultus tendinum curatio in ſecundo ſtadio variolarum. 413
Sudores profuſi in ſecundo ſtadio variolarum malorum ſymptomatum cauſæ. 414
Curatio. ib.
Sudores Nocturni poſt variolas. 454
Suffocatio Hyſterica in variolis. H. 504
Sulphuris ſpiritus ſtrangulationem efficiens in variolis admodum frequentibus. H. 500
Synechis Febris à primo morbi inſultu benignas variolas denotat. 387
Synochos vel Synechis Febris revireſcens in declinatione variolarum mediarum. 437
Sydenhamii opinio de Alexipharmacis in declinatione variolarum mediarum. 447
Sydenhamii ſententia de frigido in variolis regimine improbatur. 391
Symptomata poſt morbillos remanentia. 367
Symptomata primum variolarum inſultum comitantia. 384
Symptomata curanda in apparatu variolarum. 395.
eruptione. 413
maturatione. 430
declinatione. 449

T

Tinctura Roſarum potus in primo ſtadio morbillorum. 362
Tumor œdematoſus in declinatione variolarum. 459
Turundæ ad Nares infarctas. 433
Tuſſis importuna febrem auget in variolis. 408
Tuſſis curatio in morbillis. 362
poſt morbillos. 365
in variolis. 414. 457

V

Variolæ benignæ, Vid. Benignæ.
cohærentes, Vid. Cohærentes.
confluentes, Vid. Confluentes.
diſcretæ, Vid. Diſcretæ.
malignæ, Vid. Malignæ.
mediæ, Vid. Mediæ.
Variolæ ChicKen-pox dictæ. Vid. Benignæ.
Variolarum definitio. 373
ſubjectum. ibid.
ſtadia. 374
cauſæ. ib.
differentiæ. 435
diagnoſis. 393. 408. 423
Variolarum Prognoſis. 444
Indicationes Curativæ. 446
Curatio. 390. 408. 434
Variolæ maturationi prorſus ineptæ. 430
Variolæ peſtis virulentiam aliquando ſuperant. 385

Va-

Variolæ præmaturiæ amplæ variolas regulares denotant. 409
Variolæ regulares discretæ & benignæ. H. 460
Variolæ spatio duarum septimanarum biserumpentes. 517
Variolæ ad fluxum mensium immodicum & abortionem non erumpentes. H. 501
Venæ-sectionis incommodum in primo stadio morbillorum. 360
In Hæmorrhagiis variolarum malignarum. 412
In parotidibus post variolas. 454
Venæ-sectionis utilitas in secundo morbillorum stadio. H. 369
Venæ-sectionis usus in apparatu variolarum, 397. 398. 399.
Vesicatoriorum incommodum in Ophthalmia post morbillos. 365
usus in primo stadio morbillorum. 360 361
In variolis. 409. 410. 435. 447
Vigiliæ in apparatu variolarum suspectæ. 400
Impediunt regularem variolarum eruptionem. 414
Indicant in secundo stadio variolas confluentes. 400
Hæmorrhagias inferunt. 408
Vigiliarum curatio in primo stadio. 403
In secundo stadio. 408
Vini Canarini usus in variolis malignis. 405
In tertio stadio. 431
Vomitio non statim supprimenda in apparatu variolarum. 396
Vomitoriorum usus in apparatu variolarum. ibid.
Vomitoriorum Antimonialium incommodum in primo stadio Variolarum. 358
Ulcera mali moris post variolas. 454
Urinæ claræ & tenuis in apparatu variolarum omen, 389
Urinæ profluvium salivationi succedaneum. 379
Urinæ profluvium potius promovendum quã in tertio stadio variolarum. 433
Urina rubedine tincta in apparatu variolarum benignas denotat. 389
Urinæ suppressio in Variolis. 403

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIONES

In Novam, Tutam, ac Utilem Methodum

Inoculationis, seu Transplantationis

VARIOLARUM.

Prima Methodus Auctoritate

REGIÆ MAJESTATIS BRITTANNICÆ.

Comprobata 28. Julii 1721. & publicata

Cum criticis Notis in varios Authores de hoc Morbo scribentes

A JACOBO A CASTRO Medic. Lond.

Altera Methodus prælecta

A GUALTERIO HARRIS.

Tertia BYZANTINA dicta

Pro Gradu Doctoratus Lugduni Batavor. Publice ventilata

A B ANTONIO LE DUC,

Constantinopolitano.

DISSERTATIONES

In Novam, Tutam, ac Utilem Methodum

Inoculationis, seu Transplantationis

VARIOLARUM.

Prima Methodus Auctoritate

REGIÆ MAJESTATIS BRITTANNICÆ.

Comprobata 28. Julii 1721. & publicata

Cum criticis Notis in varios Authores de hoc Morbo scribentes

A JACOBO A CASTRO Medic. Lond.

Altera Methodus prælecta

A GUALTERIO HARRIS

Tertia BYZANTINA dicta

Pro Gradu Doctoratus Lugduni Batavor. Publice ventilata

A B ANTONIO LE DUC,

Constantinopolitano.

AD LECTOREM.



Alis eſt Mentis noſtræ fragilitas (Peritiſſime Lector) ut, quæ vel oculis, vel experimento noſmetipſi non comprobavimus, de iis, ſeu jocoſe loquamur, ſeu impoſſibilia eſſe exiſtimemus. Methodum Inoculationis, ſeu Tranſplantationis Variolarum tot poſt annos Conſtantinopoli, Venetiis, & in Theſſalia feliciter in uſum traditam, nuncque in celeberrima Londinenſi Civitate affatim comprobatam, in omnium perſonarum, vel Illuſtris, vel genii vulgaris, non tam tentari gaviſi ſumus, quam proſequi ſtudemus. At cùm noſtri Cives, quibus Anglico ſermone primam editionem obtulimus, innumeris & adhuc continuis experimentis veram, ac evidentiſſimam habeant hujus veritatis ideam, nunc Latino Exterorum animos, & ut credant invitamus, & ut experiantur expoſcimus. Nec mirer, ſi aliqui, vel increduli, vel legum, motuum, ac mechanices corporis Humani omnino jejuni, arduam, & fere impoſſibilem hujuſmodi Inoculandi methodum exiſtimari acriter contendant; nec mirer, inquam, quando tot poſt annos invaluit Imperitorum controverſia in Sanguinis Circulationem à Doctiſſimo ſemper, ac ſemper memorando *D. Dr. Harvæo* Naturæ, ac Medicinæ vero Indagatore, Vindicatore, inventam; omnium tamen variæ & argutiæ nugatoriæ tandem ſubactæ confitentur ab inconcuſſa ejuſdem digniſſimi *Harvæi* veritate quam ipſis oculis videt, ac agnoſcit præſens Ævum, agnoſcatque futurum. Quanti & Docti, & Indocti contra *Corticis Peruviani* adminiſtrationem non proclamabant, quando primò in Europam introductus fuit? quamplurimi adverſus ejus uſum turpiter loquebantur, alii verbis, ſcriptis alii: At mirabili hujus *Corticis* virtute temporis decurſu calculata, ac evidentiſſimis effectibus accurate examinata, ut remedium hoc in tempore aliis præcellens, colitur in Arte Medica. Quid mali Veteres *MERCURIO* non imputabant? Etenim potior illorum pars *MERCURIUM* ut ſimpliciter venenum indigitabant, ac ab Arte Medica, hac de cauſa, omnino reiiciendum eſſe fortiter aſſerebant. At hoc noſtro ſæculo, quem in Medicina vel leviter initiatum proferre pigebit? totam Artis Medicæ poteſtatem in variis Herculeis avellendis morbis, ac radicitus ſtirpandis fruſtra laboraturam, ni *MERCURIO* veluti Galea, Lorica, & Telo roborata incederet. Quæ de iis dicta ſunt, de pluribus aliis dicendis ſupponimus; quæ & experimento, & demonſtratione cum in Theoria, tum in Praxi Medicinam adaugent. Hanc certe Inoculandi methodum Reipublicæ non minoris emolumenti, ut aliter amplectaris ſpero & ſatis mihi erit gloriæ, ſatis haudii, ſi (quicquid dicant Medicaſtri) Viri Doctores & Naturam indagandi amatores, experiantur, videant ſuis ipſis oculis & certitudinem, & hujus Methodi ſecuritatem, ut eam omnibus in Regionibus introducant, ac unum Arti Medicæ non inferius adjutorium ſuppeditent.

DISSERTATIO
IN
INOCULATIONIS,
SEU
TRANSPLANTATIONIS
VARIOLARUM METHODUM.

CUra Salutis, & Pulchritudinis omnium, præcipuè Mulierum, (utpote elegantius curationis objectum) semper fuit stimulus Medicis, ut excogitarent methodus utramque præservandi à Morborum viribus, ipsas destruentium: at nihilo magis patet, quàm in Variolis. Conamina varia Medicorum etsi sæpissime proficua sint in hunc Morbum, attamen huçusque in omnes prævalet, Necesse est ergo ut refugiant ad aliud, scilicet Inoculandi, seu Transplantandi Variolas methodum, aliis in regionibus multu in usu habitam, hac verò minus, vel nomine notam.

CAPUT I.

De Variolarum Historia, Causa, Effectu & Origine.

UT magis pateat hujus discrimen, omnium aliarum methodorum pessimus successus, & ut fructus *Inoculationis* meliori in Lumine appareat; *primò*, brevem Variolarum historiam, varias consequentias huic attendentes, variis Autoribus *Arabicis*, & *Anglicis*, præcipuè Dr. Sydenhamio, & aliis extractam; *Secundò*, varias methodos nunc in usu traditas; & *tertiò*, modum *Inoculandi*, seu *Transplantandi*, ut & causas morbi, & hujus depurationis, utilem infallibilemque successum hanc sequentem breviter exponam.

Variolæ sive sunt *Epidemicæ*, pendentes à particulari constitutione aeris communiter, vel generaliter incipientes, tali tempore ad illos homines, qui antea simili morbo non corripiebantur; vel *Contagiosæ*, communicatæ ab effluviis morbificis, quæ ab alio eodem morbo affecto oriuntur, & aliis intra sphæram suæ activitatis communicantur, quorum Corpora susceptibilia sunt illorum impressionis, & virium. Invadunt in omnibus anni tempestatibus specialiter tamen in *Vere*; & *Æstate*. In *Autumno* melioris sunt conditionis, præsertim in illius declinatione, sed quo citius apparent in *Hyeme*, eo malignioris naturæ sunt. Præcipuè invadunt *Infantes*, & duplici differunt specie, *Distincta* nempe, & *Confluente*; posteriores pejoris sunt conditionis, majoremque habent Symptomatum varietatem in prioribus non inventam. Cursus hu-

hujusmodi Morbi in unaquaque specie adimpletur *quadruplici* periodo, *viz. Invasione*, *Eruptione*, *maturatione*, & *Exsiccatione*; omnes tamen citius pertranseunt *Distinctæ*, quam *Confluentes*.

Illis invadentibus, Ægrotus immediatè sentit Horrorem; deinde Febrem *acutam* albida cum lingua, siti, nausea, gravedine, & capitis, & oculorum; Humor *acris* irritat nasum, unde *frequenter* sternutat, pruriunt, & humore madent oculi; palpebræ tument, *frequenter*, tussit absque *expectoratione*, asthmate tenetur; dolores *præmagnos* in capite habet, dorso, lumbis, & in scrobiculo cordis; Pulsus est celer, & magnus, rubra Facies, urina aliquando ut in salute, attamen *frequenter* turbida, & cruda, Sanguis *extravasatus* pleuriticus est. Motus *convulsivi* in Infantibus immediate præcedunt *Eruptioni*, nisi à *dentione* oriantur. *Distinctis* affecti *frequenter* sudant, quod Symptomata *familiare* est hic speciei; in *Confluentibus* præcedit Diarrhœa, attamen *raro* apparet in *Distinctis*. Omnia hæc augentur ab *Invasione*, usque ad *Eruptionem*, at non *æquis* gradibus his in variis speciebus. in *Distinctis* enim mitioris sunt naturæ; in *Confluentibus* verò Febris, Anxietas & Vomitus *vehementes* sunt, & communiter *duobus* vel *tribus* diebus post Eruptionem permanent.

In *Distinctis* erumpunt communiter *quarto* post Invasionem die, & raro serius; *Confluentius* vero *tertio*, sæpius citius, raro autem, aut nunquam *quarto*, nisi illis moræ sint *dolores* violenti, & alia Symptomata acerba ægrotum excruciantia. In *Distinctis* pustulæ *variis* in Locis apparent, præcipue in Facie, Collo, & Thorace, & gradatim *toto* Corpore, quæ quotidiè *altiores* & *majores* fiunt. *Primum* rubræ, *postea* crystallinæ, & in *summitate* fulvæ apparent usque ad *Maturationis* tempus, Hisce Cutis, & Caro *contigue* dolore inflammantur, ac tument. Palpebræ adeo *tumidæ* fiunt, ut occludantur, & inde Ægrotus visu captus sit, quod communiter *octavo* in die contingit, qui dies hac in specie *præcipue* notandus est. Hoc post tempus secundum Postularum *Numerum*, manus digiti & aliæ partes *inflammatione*, & *tumore* occupantur, quæ in *undecimo* decrescunt, hoc enim in tempore *Distinctæ* maturata sunt. Deinde gradatim *exsiccantur* usque ad *decimum quartum*, vel *decimum quintum*, in quibus omnes, illis exceptis, quæ in *Manibus*, cadunt. Post Pustulas *Squammæ* oriuntur, quæ quandoque, aut rarissimè *foveas* relinquunt.

Confluentes erumpentes quandoque apparent *Erisipelatosis* ad instar, & quandoque *Morbillorum*. In hisce Pustulæ non adeo *altæ* ut in *Distinctis* sunt. In Facie & Trunco *minores* exsistunt, at quo *proprius* appropinquant ad extremitates eo *majores* fiunt: In Facie in se coeunt, adeo ut appareat quasi *vesica* rubra vellata, *Octavo* die transacto Cutis, quæ antea *levis*, gradatim *asperior* fit, & Pustulæ multo magis *fuscæ* usque ad *maturationem*: Hoc ab tempore *exsiccantur* & *cadunt*; quod sit respectu temporis secundum variolarum *vehementiam*; nam ubi *acerbiores* fuere, Facies *non* liberatur, nisi *vigesimus tertius* vel *quartus* præterierit. Pustulis *decidentibus* Squammæ oriuntur, quæ adeo *corrosivæ* sunt, ut Foveæ *profundæ*, Cicatrices, & etiam Cutis *contractiones* inde oriantur.

In *Utrisque* Febris *maxima* est ab Invasione, post Eruptionem gradatim *decrescit* usque ad Maturationem, & tunc omnino *nihil* est. At in Exsiccatione *nova* oritur Febris speciatim in *Confluentibus*. In *Destinctis* symptomata Ægrotum *excruciantia* in Invasione immediate *post* Eruptionem cessant, at in *Confluentibus* etsi mitiora, attamen *pluribus* diebus affligunt. In *Cursu* hujus morbi, *Confluentium* exsiccatis, *Saltvatio* in Adultis, & *Diarrhœa* in Infantibus oritur, *Prior* semper Comes est hujus morbi, *Posterior* non adeo frequens.

Symptomata *acerbissima* hujus morbi maximè sunt : Si *Octavo* in die in *Distinctis* Tumor & Rubor Faciei ut ut & Manuum ; Sudor quoque , qui *continuo* evacuabatur , *subito* evanescant , si ab hisce delerio capiatur , Anxietate , & Micturitione ; *hæc enim immediatæ sunt mortis signa* . Si in *Confluentes* Salivatio in *undecimo* ullo sine reditu evanescat , & sine tumoribus in Facie , vel *incipiente* tumore in Manibus : Si humor , qui per Salivationem evacuari debet , fiat adeò *viscidus* , ut *detentus* suscitet metum Suffocationis , Asthma , & Difficilem Deglutitionem , *hisce enim Ægrotus à vivis tollitur* .

Si in *Utrisque* Febris sit *violenta* per *totum* morbum , si Asthma sit , Phrenesis , vel Coma ; si sint Maculæ *purpureæ* , *lividæ* , vel *nigræ* seu in *cacumine* , seu *intra* Pustulas , & si hæ *eruptæ* immediate evanescant ; Si Materia in Pustulis contenta sit *gangræno*sa , & si Gangræna , vel Sphacelus in partibus oriatur . Si sit Hæmorrhagia , Fluxus *subitus* & *immoderatus* Mensium ; Hæmoptoses , Urina sanguinea , Micturitio , vel Urinæ suppressio in *Juvenibus* Si Pustulæ *subito* flaccescant & si Diarrhœa in *Adultis* oriatur .

Regulæ *judicandi* sunt hæ : Morbus ipse non est *malignus* , nisi malum sit regimen , & communiter terminatur in *salutem* , at quandoque in *Mortem* vel *alium* morbum . In *Distinctis* Dies *octavus* ; & in *Confluentibus undecimus* præcipuè notandi , nam secundum naturam *symptomatum* hisce in diebus orientium tale sit judicium vel in *Vitam* vel in *Mortem* Ægroti : *Species* & *Malignitas* morbi desumenda à pustulis in *Facie* . Si in *Invasione* Symptomata sint *violenta* timeamus alias Morbi Periodos *violentas* fore , & vice versa . Plerumque quo *tardior* est Eruptio , eò *mitior* erit Morbus . Quo pauciores , molliores , rotundiores in *summitate* distinctiores , majores , albidiores , & in *Maturatione* fulviores , ut & quo remotiores Pustulæ sunt à *facie* , tanto *melior* erit eventus . Quo plures sunt , præcipue , in *Facie* , minores , acutiores , & magis *ichorosa* Materia sit in illis contenta , quo magis coeant , quo fusciores , & nigriores sunt , & quo citius erumpunt , tanto *malignores* . Quo calidiora , rubriora , tumidiora , *interstitia* inter Pustulas tempore Maturationis , tanto *major* erit *Vitæ* Spectatio ; at quo pallidiores , fusciores , & flaccidiores sunt , tanto *minor* ; Hisce enim *Angina* vel *Peripneumonia* adoritur . Morbus hic *mitioris* est indolis in *mulieribus* , *infantibus* , & in his , qui molli , phlegmatica , & laxa *Corporis* dispositione præditi sunt , quam in *Senibus* , & *laboribus* assuetis . Si *externa* Superficies solummodo laborat , *minoris* est discriminis ; at si Fauces , Gula , Ventriculus Intestina & cætera viscera occupantur , tanto *majoris* .

Morbi , & *Effecta* ab hoc Morbo producta , ac ab ipso *relicta* hujusmodi sunt , *viz.* Foveæ , Contractiones cutis . Cicatrices , & hujusmodi deformitates Faciei , Perlæ , Oculi humidi , ut & Inflammationes , visus obtusus , & sæpissimè Cæcitas . Motus Convulsivi , Epileptici , Apoplectici , Tumores , Abscessus in variis Corporis partibus , *Asthma* , *Pleuritis* , *Peripneumonia* , *Pthisis* , vel *Cachexia* , quorum ope *Ægrotus miserrimo* vivit .

Si inquiramus *Originem* hujus morbi , nobis evidentissime patet esse *novam* ; nulla enim traditur illius Descriptio à *Veteribus* , quod mihi re demonstrari videtur . Non enim supponendum est , illos , tam diligentes Morborum Observatores , hunc omisisse , qui inter alios , *tanti* nominis est . Evidentissimum etiam est , quod nunc temporis pluribus in Terræ Locis ad huc est nè vel *nomine* notus ; & quod *Indi Occidentales* primùm illum censuere à contagio ab *Hispanis* suscepto , quo illo tempore (Regimine ignoto) præcipua illorum pars occubuit . *Arabe* primi fuere , qui nobis hujus Morbi *rationem* tradidere , quorum Observationes & circa Historiam , Causam , & medendi Methodum adeo *accurate*

exi-

existant, ut *hodierni* Autores *quam minimum* huic addiderint. Quicunque de hujus veritate dubitat, perlegat *Mesuen*, *Rasen* & *Avicennam*, & immediate victus erit. Non me latet, *Zacutum Lusitanum* laborem impendisse huic opponere; at loca citata ex *Hippocrate*, *Galeno*, & *Celso*, ne vel minimum valent, ideoque *refutatione* particulari indigna mihi videntur. Consulat quisquis velit *Quæst. 11. de Medicor. Princip. Hist. Lib. 2.*

CAPUT II.

De Variolæ Curandarum Methodo Varia.

NUnc procedimus *Curandi* Methodus examinare; harum quædam sunt *Generalis*, aliæ vero *Particulares* in usum vocatæ ad quædam Symptomata debellandum. Generalium *quatuor* sunt, quarum *duæ* noscuntur nomine *Frigidi & Calidi Regiminis*: Prior *laudatur*, ac in usum adhibetur à *Doctore Syndenham*, sæpe probatur *eventu*, & quampluribus *rationibus* stabilitur. Posterior amplectitur ab omnibus *Nutricibus*, & *Vetulis*, laudatur quoque à *Doctore Morton*, ac *Lister*, & pluribus Medicis *peritis*, qui tradunt consultissimum esse simili *semper* uti methodo ad *proppellendas variolas* è corde, *ut Vetulæ dicunt*; vel secundum Medicos ad expellendas *morbificas*, & *malignas* ab *Internis* particulas ad partes *externas*. Etsi Regimina hæc *diversa* sibi invicem *contraria* videantur, attamen eventus *bonus* ab utrisque sæpissimè oritur, quandoque debita *circunstantiata*, & Perito *regulata* sunt; Eventus etiam æque *malus* ab utrisque exoritur, quo primum ab *imperito* adhibeantur. At revera fatendum mihi est imprudentiam in *Calido* Regimine multo *magis* esse fatalem, quam in *Frigido*: Prius *mulcendo* Sanguinis fervorem, & Vasculorum tentionem *relaxando* quamplurimum prodest, ut morbifica Materia *expelli* possit, faciatque, ut ne appareant *plura* Symptomata, quæ aliàs orierentur, & idcirco quam maximè appositum est in *acuta* & *continua* Febre; Posterius, quod in electione *Diaphoreticorum* consistit, non *minoris* est utilitatis, quandocumque sanguinis motus *tardior* est, Spiritus *languidiores*, vascula *minus* elastica, & cùm, *vel negligentia*, vel *indebito* usu Regiminis *Frigidi*, morbifica Materia *non* expellitur, unde *dira* symptomata subito pullulant, quæ nisi statim Purito *restricta* sunt, Ægroti *Vita Morte* commutatur.

Methodus *tertia* generalis illa est, quæ Dr. *Boerhaave* proponit; hic *variolas* considerans ut *acutam*, & *continuam* febrem, cujus Pustulæ solummodo materiæ *morbificæ* Evacuatio *Critica* sunt, judicat *non* necessarium esse exspectare *varias* morbi periodos; sed *prima* in Invasione *proprias* evacuationes, ut *Venæ sectionem*, *Vomitoria*, ut & *Antiphlogistica* immediate præscribit. At *tanti* Viri venia licet mihi huic Sententiæ *contradicere*, ni enim quam maximè fallor, *sinistra* Praxis est, quatenus variis Periculis Ægrotum exponit; *Primo*, quia subitus, & contrarius *Motus*, qui omnino contrariatur *Naturæ* directioni & indoli morbi, datur *fluidis*; quæ Methodus communiter observatur *pernicioſa* esse corpori humano, ac semper *prohibita* ab Artis Medicæ *Peritis*; Cùm enim Medici *Naturæ* sint Adjutores, illorum est *juvare*, & non *opponere* illius operationibus, nisi inveniant illas, vel in *exitium*, vel Corporis *malas dispositiones* tendentes. *Secundò*, quia hac Methodo reddit Ægrotum hujus Morbi *viribus* sæpius obnoxium. Cùm enim sit, ut jam jam demonstrabitur, Letex *Semineum* materiæ *Varioloſæ* & in *solidis*, & in corporis *Fluidis*; cùmque impossibile sit *Separationem*, & *Evacuationem* esse horum *semineum* ab hac Methodo, omnino sequitur, illius *Ægrotum* obnoxium esse eidem Morbo, quandocumque Aeris constitutio *particularis*, in qua *Variolæ* sunt Epidemicæ, prævalet, vel quandocumque *Ægrotus* est

intra sphęram activitatis *Effluviorum contagiosorum*, quæ à *Corpore* simili Morbo infecto oriuntur: Nam supponens *eandem* causam agentem, *eandem* vim, cum qua agit, & *eandem* dispositionem Corporis in quod *actio* est, necessario sequitur, *eundem* effectum semper producendum fore.

Quarta & ultima Methodus generalis est illud *Regimen Oleosum* inventum, laudatum, ac defensum à doctissimo Dr. *Woodvvard Greshamiensis* Collegii Professore. *Summa* hujus doctrinæ est; Morbum hunc *Originem* trahere è *Salibus Biliosis*, & horum *sedem* in *Stomacho* esse, quocirca Vomitoria, Enemataque præscribit ad *evacuandum* portionem particularum salinarum, ut & prælargos haustus *oleosos* ad diluendum, & refrenandum *Salium* reliquias. Tanto in *publicum* nuper tradito hac de *Hypothesi*, non mihi necessarium videtur operam impendere hac de re, & idcirco *Lectorem* mitto ad varias chartulas de hac Sententia scriptas.

§. Methodi *particulares* ad Ægrotum *Confluentibus* succumbentem propositę; nempe cum *Salivatio* evanuit, *Tumor* Faciei decrevit, cumque nova *Febris* orta sit in *Exsiccatione*, sunt, quæ sequuntur; videlicet. *Prima*, *Mercurialis Ptyalismus*, propositus, laudatus, & in usum habitus à doctissimo, ingeniosissimoque Dr. *Pittcairne*. Methodum hanc quam *utilissimam* esse, certissimè constat, propterea quod ipse est *modus* ipsius Naturæ, & etiam propterea quod *Evacuatio* magna oritur ex illa, & denique propterea quod *Tumor* Faciei iterum elevatur, & continuatur ad *debitum* tempus, cujus *fructus* ex hujus Morbi Historia facillimè patent; Attamen hæc *talis* est Methodus, quæ tantùm à *Peritis* hujus Artis in usum revocanda, nunquam verò ab *Imperitis*, *Agyrtis*, & *Empyricis*; si enim omnes *circumstantiæ* non æquè sint observatæ, est tamquam *Ensis* in manu Insani, *Mortem*, & *immediatum* Exitium secum ferens. *Secunda*, est Methodus *Purgandi* in usum tradita, ac defensa à Celeberimo D. *Friend*, Dr. *Mead*, & aliis; sed *strenue* propugnata Doctori *Woodvvard*. Cùm *Praxis* hæc jam jam sit adeo accurate exsminata; non mihi necessarium videtur *morari* hac in re, sed breviter dicam: *Primò* hujusmodi Methodum *eandem* esse cum priori; *Secundò* tales Methodus majori laude esse dignas, quam stupida *Resignatio*, & integra *Desperatio*; & *denique*, varios esse *casus* quam fortissimè probantes, hanc Methodum, & hanc *solam*, multis aliis *frustra* adhibitis *proficuam* fuisse; quocirca *contra* similem Methodum, quæ *factis* ipsis adeo sustentata est, non posse dari Argumentum *firmum*. Alia Conamina, cùm *vilioris* sint notæ, non merentur *particularem* Observationem, qua de causa huic Parti *finem* imponam sequenti *Aphorismo*, nempe: *Omnes externas applicationes ad Faciem præservandam à Foveis*, *Cicatricibus*, & *Contractionibus Cutis communiter esse causam*; quare hæc omnia adeo sint funesta.

CAPUT III.

De Historia & Methodo Inoculationis seu Transplantationis Variolarum.

NUnc jam mihi incumbit proponere Methodum *Inoculationis*, seu *Transpaltationis*, ut & *hujus Morbi Causas*. Cùm in Regionibus *Orientalibus*, & aliis expositis influentiis Solis, *Variolæ* communiter *Epidemicæ*, & quam maximè *malignæ* exstitere, adeo, ut quamplurimi quotidie devorarentur, fecere, ut omnes & *Docti*, & *Ignari* in usum vocarent *Varias* Methodus, quibus *melius*, & *celerius* evincerent illarum *fatales* vires. Utrum verò casu, deductione rationis, aut experimento Methodum *Inoculandi Variolas* invenerint, incertum est. Historia *Primum Inoculationis* Autorem non ita tradit, ut *certi* illius simus; attamen, ne sit *defectus*, non desunt multi, qui laudem *sibi* arrogant. Il-

lam

lam primò à *Plebe* processisse mihi indubium videtur, propterea quod in mundum introducta fuit absque *Doctorum* laude, multa & *Doctorum* cum oppositione. Variis in *Græciæ* partibus inter *Vulgus* in usum habita fuit, & gradatim *prævaluit*, usque dum in *Thessaliam*, & partes continguas *libenter* recepta fuit. *Turci*, & alii *Indocti*, & *Barbari* primò in illam declamabant, at nunc temporis conscii prosperi Eventus *avide* ipsam amplectuntur, & æque *illam*, ac alii collaudare studeant. *Itali* non ignari *hujus* Methodi, ac *Felicitatum* inde provenientium constanter tempore in *Epidemica* Operatorem convocant, quo præcavent *numerum* quam maximum casuum *violentorum*, qui alias prosequerentur: & ut proprius rem attingam, certos sum, quendam *Londinensis* Civitatis Incolam curasse, *operationem* fieri in *duos* Liberorum suorum *Hyeme* ultimo præterita, ac *Eventum* exspectationibus respondisse.

Methodus *Operationis*, ut *Thessaliæ*, *Constantinopoli*, & *Venetiis* adhibetur, hæc est: *Incipiente* Hyeme, vel Vere, cùm Variolæ *Epidemicæ* sint, subjectum *proprium* eligitur, de quo Materia *variolosa* extrahenda est, & illud communiter *Puer* est duodecim, vel *quatuordecim* annos natus laborans *Variolis* vel *Contagio*, vel Aeris dispositione *Epidemica* ortis, & etiam *Distincti* generis. Quædam *Pustulæ* in Lacertis, Cruribus, & Femore aperiuntur *decimo secundo*; vel *decimo tertio* Die ab *Invasione*, quo tempore *Variolæ maturæ* fuerint. *Pus* exprimitur in vasculum Aqua cum *Calida* bene mundatum, operitur, & *Calidum* servatur in sinu *Portantis* usquedum in *Personam* in quam Operatio fiet, vehatur. Corpore *bene* præparato cura Medici *Periti* secundum *Constitutionem* & Morbi *Transplantandi* Indolem, in *Camera* sua se occludit: quæ hoc tempore debet temperamento *justo* este inter *calidum*, & *frigidum*, ubi Operationem exspectat. Posteaquam omnia hæc *debitè* sint regulata, Operator, *oblique*, vel *transversè* partes *Musculares*, præcipue Lacertos, & Crura, & Femora Instrumento *acuto* pungit usque dum *Sanguis* manat, postea Cuticulam partibus partibus ab *inferioribus* separat, hæc in vulnera *parum* puris, hucusque *tepidè* servati, Operator instillat, & *recte* miscet cum *Sanguine* auxilio Instrumenti *acuti*, & immediate tegit vulnera *dimidia* parte operculi *Juglandis*, vel tali *concavo* vase, & affigit in partes ope Fasciarum *duodecim* vel *quatuordecim* horis, ne vestes, vel tale, quid, *Pus* a partibus vulneratis absterget; priusquam recto *Sanguini* immiscetur.

Sunt, qui Frontem, Genas, Metacarpum, & Metatarsum pungunt: hæ verò partes *sensibiles* cùm sint, & consequenter quam maximè *inflammationibus* obnoxiæ, non adeo *eligibiles* sunt, ut portes *musculares*. *pauci* sunt, vel *nulli*, qui *pure* utantur *extracto* de illis, in quos Operatio *Transplantationis* facta fuit, hoc verò cùm *mitioris* sit Indolis [ut mihi videtur] quam *appositissimum* esset in similem usum. *Unum* tantum vulnus quandoque infligunt, & in hoc Guttam *unam*, vel *alteram* instillant, & hac Operatione *Variolæ* quam sæpissimè exortæ fuere æquè, ac si *plura* inflicta fuissent: Et observatione patefactum fuit, *omnes*, paucis demptis, in quos Operatio facta fuit, *variolis* laborasse in Tempestate *Epidemica*: At *illos*, qui *semel variolis* affecti fuere ope *Inoculationis*, *nullo alio* tempore talem Morbum passos fuere.

Regimen præscriptum, *Transplantationis* Operatione *finita*, hoc est: Ægrotus continetur *camera*, & *lectulo*. *Diæta* per totum Morbum præscribitur secundum *Indolem Variolarum*, *Temperamentum*, *Constitutiones*, & *alias* Ægroti Circumstantias. Præscriptum est, ut à *Vino*, & aliis Inflammationem in *Sanguine* inducentibus, non modo *durante* Morbo, sed *multo post* etiam abstineat; *Constantinopoli*; & *Venetiis* religiosè se abstinent ab usu *Carnis* & *jusculorum* viginti quinque, vel triginta diebus. *Quidam*, qui pertinaces fuere,

& has Regulas neglexere, sibi variis *voluptatibus* indulgentes, expositi variis *periculosis* Symptomatibus, pretium stultitiæ suæ tulere, *viz*: *Violentas* Hæmorrhagias, *Difficilem* Respirationem, Phreneſin, Deliria, Peripneumonias, Strangurias, Urinam *Sanguineam*, Fluxus *Catameniorum*, Diarrhœas, Dyſenterias, & alia hujuſmodi; omniaque *irregulari* Regimine, non ab *indole* Morbi provenire.

Operatione *recte* peracta proprio in loco, *ſcilicet*, in partibus quibuſdam *muſcularibus*; Morbi *Decurſus* hoc modo fit: *Invaſione*, *prima* Symptomata *Variolarum* in Hiſtoria memorata [hac in periodo morbi occurrentia] *pauca* fuere, & adeo *mitia*, ut Ægrotus vix ſentiret ſe *male* habere; Nauſea enim, Anxietas, & Dolores lumbos, latera, dorſum, & caput invadentes ne vel minimum affligebant, niſi Tempeſtas, vel Conſtitutio *epidemica* Variolas *maligniores* reddidiſſet, vel ni Conſtitutio, Temperamentum, vel *malus* Corporis habitus ſymptomata *malignoris* Naturæ fecere, Quamvis vero hiſce in caſibus multo *ſæviora* fuere, quam communiter, attamen multis gradibus cedebant illis, quæ in aliis apparuere laborantibus *communi* Contagio eodem ipſo tempore. Secundum *Indolem* Symptomatum *prima* in morbi Periodo, talis fuit *Genius* totum per morbi decurſum, qui ortus Methodo *Inoculandi* ſemper percurrit *minus* temporis, quàm quando modo *communi* apparebat. *Conſtantinopoli* Eruptio communiter fit *ſeptimo* in Die, at raſiſſimè in *primo*. Attamen hac in Periodo æquè ac in priore *magnæ* datur differentia; nam ſecundum Tempeſtatis conſtitutionem *epidemicam*, & Ægroti Temperamentum, *citiùs*, vel *ſerius* apparent. Partes *conſtanter* affectæ ſunt loca, in quibus *Vulnera* facta fuere, & *Pus* guttatim infuſum; in his enim *Puſtulæ* aliquando oriuntur, quæ *maturatæ* Materiam *ſanioſam*, & *non* purulentam continent, ut accidit in aliis *communiter* invadentibus; quandoque etiam *Apoſtemata* citiſſimè ad *Suppurationem* tendentia; numerus *Puſtularum* in Operationem conſequentium ſunt *perpaucæ*, raro, aut nunquam *centum* ſuperantes, & ipſæ ſemper *Diſtincti* generis. Interdum accidit, ut ſolummodo obſerventur in locis ubi *Inciſio* facta fuit, unde eveniebat *Faciem* non omnino affectam fuiſſe, niſi illa ab *Operatore* eligebatur.

Maturatione tranſacta *exſiccantur* in *minimo* temporis ſpatio: & hunc particularem fructum habent ſibi comitem, ut poſt *decidentiam* Squammarum ſuccedentium non relinquantur *Foveæ*, vel *Cicatrices*, & alia hujuſmodi communiter ab hoc Morbo orientia: Nullus enim inventus eſt, qui tali *Deformitate* laborabat, in quem *Operatio* peracta fuit. Nec variis *miſeris* Morbis alios ſubſequentibus poſt Morbi *decurſum* hi Ægroti corripiuntur, ſcilicet, *Cæcitate*; *Capitis defectibus*, *Cachexia*, & aliis jam jam memoratis; Præterea, alia eſt Utilitas hinc proveniens, *viz*. Eventus *bonus* ſemper *Operationem* conſequens, nam *prima* ab Introductione hujus Methodi *hucuſque* ad tempus non memoria traditur, ullum hoc Morbo *mortuum* occubuiſſe. Nulla enim fuit Aeris Conſtitutio, Tempeſtas anni, Temperamentum, Ætas, vel Sexus Ægroti, in quo *Variolæ Inoculatæ exitioſæ* fuere. Hæc, ni maxime fallor, [cùm veriſimæ ſint] argumentum *validum* ab omnibus, præcipuè *Fœminis*, haberi queunt, ut quam maximè nitantur hoc Regno *Inoculandi*, ſeu *Tranſplantandi* Methodum introducere, & *Medicis*, ut Amicos, & Familiares hujus ad *uſum* dirigant. Dubitat ſi quiſque, *Hiſtoriam* hanc & hujus *Methodi* innumeros, ac feliciſſimos Succeſſus conſulat, ſi velit, ut & *Tranſactiones Philoſophicas Regalis Societatis* Numero 339. & 347. unde illius veritas apparebit. Hæc quoque *eluceſcat* ab illorum verbis, qui *Operationem* videre, *Periodos* Morbi obſervavere, & talis cum Ægrotis multo poſt morbi decurſum *conſortim* habuere, nec non illorum *Teſtimonio*, quî

cum

cum illis *versati* fuere, inter quos (ne multus fiam) omnem adimplet fidem Illustrissimus, Dignissimusque *Serenissimæ Majestatis Britanicæ* prætor *Constantinopoli* residens, qui quidem, quia ipsis oculis *multoties* vidit, ac quotannis hujus Methodi, *securitatem*, ac *felicitatem*, observavit; immediate, hic adventus, in *Nobiliorum* hujus Civitatis præsentia *duobus* & valde caris filiis suis *Operationem* mirabili cum *eventu* comprobavit.

At dum *hæc* scribebam Mense *Julii* 1721 postquam *prima Editioni* publicata erant, omnis *Medicorum Societas* Decantatissimi *Collegii Regalis Londinensis* bonum publicum consulens (innumeris experimentis confirmata *Transplantationis* Methodo in palatiis *principum*, in *Mobiliorum* domibus) proposuit *potentissimo Magnæ Britanniæ Regi* quod Gentium *Vulgaritas* in Methodum adeo *Reipublicæ* proficuam *dubium* proferret, *Operationem* fieri æquum erat, *Authoritate Regia*, in personis *patibulo* propter delicta dicatis, & *nunquam Variolis* antea affectis? quod permissum fuit à *Rege*, ac *quatuor* Hominibus, & *uni* Mulieri Mortem parcuit, solummodo ut essent *publici* Experimenti Objecta; Notandum, quod ex omnibus sola *Mulier* jam antea *variolarum* Morbum passa fuerat. *Vigesima octava Die Julii* anni citati, in omnibus *celebrata* fuit Operatio cum cunctis circumstantiis supra notatis, & ex *voto* respondit; nam Homines repleti fuere *variolis* in Brachiis, Pectore, Facie, & toto Corpore, sed tam Numero quam Figura ac Symptomatibus adeo *benigniores* aliis, *communiter* invadentibus, exstitere, quod *Duo* vix *Febrem* sensere, quibus apparuerunt *septimo* Die, aliis verò *duobus* citius appparuere cum aliquibus symptomatibus, multo tamen *mitioribus*, quam in Variolis *communibus*; solum enim *aliqualem* habuere Anxietatem, Dolores Lumborum *perminimos*, *nullum* vero Capitis Dolorem; At *Mulier*, ne vel *Variolarum* signum habuit, *passa* namque fuerat [ut dictum] antea hunc Morbum. Quibus, [præter aliis innumeris Experimentis] *publicis*, & Authoritate *Regia* factis, satis demonstratum manet hujusmodi curandi *Variolas* Methodi commodum, tum *Reipublicæ* nostræ, cui *Anglico* sermone *primam* Editionem dicavi, tum omnibus, *exteris* Regionibus, quibus hæc notitia *deest*, & ejus Historiam in hac *secunda* Editione *Latino* offero, ac ut prosequantur exposco.

Nunc restat, ut procedamus ad rationem reddendam *Modi*, quo Morbus hic in Corpore *Humano* producitur, ut & cur *mitioris* sit Naturæ, & Indolis per *Inoculationem* genitus, quam *communi* via; & hæc quam brevissimè tradentur. Maxima est *varietas* Opinionum de *causis* hujus morbi inter *Autores*, Singulus quorum suam Argumentis pluribus defendere certat.

VVillis contendit Labem *primam* communicatam fuisse *Fœtui* ope Sanguinis *Menstrui*, & hujus morbi *Semina*, inde contracta, deposita esse in *Cerebrum*, & *Medullam Spinalem*, ac excitata quodam casu *infectionem* Spiritibus *primum* dare, illorumque vi *Sanguinem* contaminari. Hæc vero Ratio adeo *in philosophica*, & tanto Viro *indigna* apparet, ut mirer illum *Ratiocinationis* vere magistrum talia proponere posse. Cum enim nihil est Argumenti offerendum ad probandam *infectionem* primo communicari *solidis* partibus quando *VVillis* ipse *Labem* oriri de Fluido *Menstruali* fatetur, ut & Cerebrum, & Spinalem *Medullam Seminum* horum præcipue *Sedem* esse, cum partes hæ *origini*, vel *Cavalibus*, unde Sanguis *nutritius* manat, *non* proximæ sint: Concedendum est, Notionem hanc vere *immaginariam*, solummodo propositam fuisse ad rem explicandam, cujus *veram* notitiam non habebat. Deinde cum Sanguis *Menstruus* non quid secretum est de *Utero* ope *Fermenti*; cujus *Chimeræ* impossibilitatem multa cum perspicuitate jam demonstravere Doctissimi *Bellinus*, *Borellus*, & *Pitcairne*; ejusdem sed verè *charracteris* reliqua cum massa, nulla cum probabilitate *supponi*

po-

potest, Priorem *magis* esse in culpa Posteriori. Iterum *Semina* si hæc in cerebro, & *Spinali* Medulla depositæ sint, illa contineri, vel in *Substantia* Nervorum, vel in eorum *Cavitate*, ut supponamus, necessum est: Si in *Priore*, omnino sequitur, illa, *particulari* sua Figura, Soliditate, Gravitate, vel motu accidentali, *impressionem* quandam facere in has *sensibiles* partes; & consequenter in causa esse cur Morbi *varii* orirentur; at horum nihil unquam apparet, nisi in ipso *Invasionis* momento: Si in *Posteriore*, mihi videtur, *perpaucos* esse, qui arbitrentur, illorum Vim *tanti* esse, ut opponat Spirituum *Impulsui*, & (ut ipse loquitur) illorum *Explosioni*, ita ut non irruantur, vel detrudantur unà cum illis *citius* in *Sanguinem*. Denique, impossibile est, supponendo *Cerebrum*, & *Spinalem* Medullam horum Seminum *Sedes* esse, *Spiritus*, qui Naturæ sunt adeo subtilis, *durare* tam diu ulla sine *Infectione* ipsis ab *Seminibus* impressa, cùm *Origo* Priorum, & *Sedes* Posteriorum quam maximè *contigua* sint.

Lister supponit, Morbum hunc *Originem* traxisse ex Animalis *venenosi* demorsu, de qua labe *Contagium* propagari *Hareditariè* de uno ad alterum; ad quod confirmandum varios proponit Casus, in quibus, *Symptomata* illis, quæ in *Variolis* apparent, quam maximè *consimilia* sunt, qui putant, Morbum hunc omnino dependere à particulari *Aeris* Constitutione sine *concursu* ullius latentis *Seminei*. Hæc verò *Sententia*, ni quam maximè fallor, *non* majorem aliis *probabilitatem* habet. *Primo*, quia tunc *nunquam* apparerent, nisi cùm *Epidemicæ* sint, quod communibus Observationibus refragatur. *Secundò*, quia tunc eandem Personam *sæpius* invaderent, nempe, quandocumque *eadem* Constitutio Aeris prædominaretur, & hoc etiam æque contrarium est quotidianæ Experientiæ: rarissimè enim evenit Eundem *bis* corripi hoc Morbo; & si unquam hoc accidit, in Causa est, vel *mala* Praxis, vel *particularis* Corporis dispositio, qua *Maturæ* conamina intercipiebantur & *Seminum Morbificorum* pars retenta fuit. *Denique*, vulgo sentitur Luxuriam, & Diætam immoderatam *Europæarum Fœminarum* durante Fœtus gestatione primò omnium *Seminum* stamina creasse in *Fluidis*, & in *Fœtus* partibus *Solidis*: Ubi dormiunt, & *ignave* remanent usque dum moventur, & in actionem revocantur, vel Corporis Dispositione *naturali*, Temperamento *Aeris* particulari, vel *Effluviis* Contagiosis de *Infecto* orientibus, in Corpore *bene* prædispositio *violenter* agentibus, Ut omnino verum fatear, agnosco me *non* nosse Morbi hujus Causam *Procatarcticam*; cùm enim non *Ratio* detur temporis, in quo *primò* apparuit, & per consequentiam Causarum tunc agentium *Remotarum*; omnium super hac Materia *Decisiones* mere sunt Notiones, nullis *certis* Principiis nixæ, quæ omnino necessaria fiunt ad *Demonstrationem* certam stabiliendam.

Nunc incipiendum est causam *immediatam* variolarum examinare: Et hæc omnibus Hodiernis stabilitur esse *Fermentatio*, Motus *intestinus*, vel *Ebullitio* Sanguinis proveniens è particularum *Heterogenearum* mixtura; unde fit, ut fiat Separatio, & Corporum *morbificorum* per Cutem *eliminatio*. Talis fuit etiam *Arabum* sententia, scilicet, *Rasis*, *Nesues*, & *Avicennæ*, qui inter Medicos *primi* fuere *rationem* hujus Materiæ tradere conantes: Et adeo amplexa est *Modernis* ab Autoribus, ut non solum in *sinum* recipiant, & laborent illam *illustrare*, sed etiam fortiter contendunt se *primo* hujus rei Autores extitisse. At hac examinata facilè in opinionem venio, demonstrari posse *impossibile* esse talem *Ebullitionem Fermentationem*, vel Motum *intestinum* in Sanguine *circulante* oriri posse. Cùm enim *secundum* Leges Naturæ, *Corpora omnia durant in illo statu Quietis*, vel *Motus in Directione data, nisi vi superiore alteretur*; & cùm Motus semper sit *portionalis* vi Motrici datæ, omnino necessarium est Activitatem, Vim, & Potestatem *Effluviorum*, in

Massam

Massam Sanguinis agentium, multo *superiorem* esse vi Cordis Projectili, Vasorum potestate *contractili*, Gravitate, & Athmosphæra *Pulmones dilatendentis*, Diaphragma, Musculos & Intercostales, & Abdominales *contrahentis*; sed cùm Potestas vel horum unius adeo *magna* sit, ut Eximi *Bellinus*, *Borellus* & *Pitcairne* demonstravere, *contrarium* rationi videtur supponere, harum subtilium Particularum *vim* Momenti esse tanti, ut superare possit *impulsum* datum, & eodem tempore Motum à directione communi *diversum* introducere. Cum enim Potestas omnis sit in Ratione *composita* Particularum Solidarum in *Corpore* Impellente contentarum, & *Velocitatis*, cum qua movetur; æquæ *rationi* patet, ac Tres Angulos Trianguli Rectilinei, æquales esse duobus Rectis Angulis, Summam posteriorum non esse ad Summam priorum, ut Unum ad Quinque Millia: Omnes namque *Qualitates*, propagatæ de *Centro*, rectis lineis decrescunt in *Duplicata* Ratione auctæ Distantiæ ab *eodem* Centro; unde quam maximè sequitur, Doctrinam *Fermentationis*, *Eubllitionis*, vel *intestini* Motus Sanguine *Circulate* necessario in *Humum* cadere.

Cùm ergo demonstratum sit *Fermentationem*, vel Motum *intestinum* de mixtura *Hetereogearum* particularum ortum ab *Arabibus* propositum, ut & *Hordienis* amplexum, *Rationi* contrarium esse & *Naturæ* Legibus; *alia* causa invenienda est, quæ *utriusque* consentanea videtur: Cum enim Subjectum *Patiens*, & Causa *Agens* Corpora sint, necesse est, ut obnoxia fiant *iisdem* ipsis Legibus, quibus omnia *alia* Corpora subjecta sunt. Nunc, quando omnis potestas *Corporum*, omnium in se invicem agentium, est in *composita* Ratione Quantitatis Materiæ, *particularis* Figuræ, qua constant, & variorum Graduum *Velocitatis*, cum qua moventur: Et cum *nullas* habeamus Methodos ad hæc, vel horum *unum* certè determinandum; constat, nullum Argumentum depromi posse *à Priora*, ut communiter dicitur, sed *à Posteriori*, vel variis Effectis desumendum esse.

Materiam *Morbificam*, in Sanguinis Massam receptam, constare Vi tali *attractiva*, ut capax sit *alterationem* in illius *Crasi* producendi, ut & varias *combinationes* irregulares *Globulorum*, è quibus componitur, adeo, ut Diametra ita augeantur, ut inepta sint ad transeundum per *Vasa* partium extremarum *Capillaria*, qua de causa *Motus* retardatur, & *Cursus* in ipsis obstruitur, mihi evidens videtur per *Frigiditatem*, *Horrorem*, & *Tremorem* semper in *prima* Invasione observata.

Sanguis enim *non libere* fluens per has partes, necessario sequitur, Symptomata hæc *oriri* oportere; hæc sequuntur *celer*, & pulsus *altus*, & postremo Febris *acuta*; omnia quæ oriuntur, quia sanguis non fluens ad *Extremitates*, & consequenter via *brevior* facta, reditus *velocior* est, unde Spiritus *celerius* immittuntur in Cordis *Fibrillas*, & inde procedit *robustior*, & *impetuosior* hujus *Musculi* Contractio, ut & *Arteriarum* Dilatatio, & tandem Febris, omniaque Symptomata ipsam subsequentia. Hæc omnia durant usquedum *Globuli*, aucti *violenta* hac, & *accelerata* Agitatione, *Cordis* Contractione, *Vasorum* Elasticitate, *Musculorum* Actione, *Athmosphæræ* Gravitate in *Pulmones* adeo *minuti* reddantur, ut promptè per minimo *Capillaria* circulari possint, & varia *Obstacula* illorum *Transitui* opponentia, *poros* claudentia, Vasorum *Extremitates* adstringentia facilè perlabantur, Ipsæ particulæ Morbosæ *superfluæ* promptè separantur, & de Massa sanguinis ad Corporis *superficiem* eliminantur; Hæ verò adhuc *nimis* crassæ ad Cuticulam *densatam* penetrandam, illam elevant in varias *Vesiculas*, vel *pustulas*, quæ *gradatim* augentur in numero, altitudine, & circumferentia, secundum variam hujus Materiæ morbificæ *Separationem*, quæ servatæ hisce in Vesiculis *separatim* à Massa circulante, paulatim, partim *Calore*, & partim constan-

stanti *dispendio* Particularum volatilium continuo perspirantium, reducuntur in *pus*, exsiccantur, & in *Squammarum* forma decidunt; at Pars reliqua quæ propter *Exsiccationem* non extrudi potuit in has Pustulas, in *Adultis* Vi Naturæ per Glandulas *Salivales*, in *Infantibus* per *Diarrhœam* expellitur.

Ex prædictis de Causa *immediata* facillimè patet, totam differentiam Symptomatum *Variolarum* orientium modis in *communibus*, & *Variolarum*, quæ per *Inoculationem* suscitantur, dependere partim ex diversa *quantitate*, partim *ex activitate* diversa Materiæ Morbificæ. In *Prioribus*, hæ maxime sunt notæ; in *posterioribus* verò *vilia* sunt, & *mitioris* Indolis rationes propter sequentes; *Viz.* 1. Quia priori in casu *Effluvia* contagiosa subtilissima in *Corpus* recipiuntur. 2. Quia hæc ipsa *Effluvia* partim *Aeris* Agitatione, & partim Radiis de *Sole* procedentibus & attenuantur, & moventur. 3. Quia hæc *Effluvia* Morbifica variis temporibus varias per partes *sanguini* intromiscentur, scilicet per Corporis *totam* superficiem, Arteriam Asperam, pulmones, & Stomachum: Et denique, quia Ægroti Corpus nullo modo præparatur ad *viribus* horum *Effluviorum* potentium opponendum omnium: quorum *contraria* accidunt *inoculandi* seu *Transplantandi* in methodo; in hac enim *crassum*, & *pus imbelle* sine vel minima exaltatione, simul & semel toti *Sanguinis* Massæ in Corpore *rectè* præparato, ac *potenti* facto ad Conamina fortissima horum *Effluviorum* resistenda, intromiscetur.

Ex his omnibus evidentissimè sequitur, Effecta harum esse valde *diversa* Cùm enim hac in Operatione materia in *inerti* Statim mediatè miscetur toti *sanguinis* massæ, *Globulorum* Vis talis est, ut nec adeo *promptè*, nec adeo *universaliter* inter se coeant; qua de Causa *incrassatione* existente *minori* Febris fit *minor*, Eruptio *tardior*, Separatio *non ita* magna, maturatio *velocior*, Exsiccatio *celerior*, & per consequentiam totus *Corporis* Habitus in Statu *salubriori* remanet.

GUAL.

GUALTERI HARRIS PRÆLECTIO DE INOCULATIONE VARIOLARUM.

INTER tot sermones, in ore omnium nunc habitos, de *Inoculatione Variolarum*, æquum videri possit demùm adjicere, quæ non ita pridem maxima ex parte dixi, coram *Collegio* in fine *Prælectionis* de *Curatione Variolarum*. Siquidem *Inoculationis* ratio simplex, & innocentissima, sæculo præterlapso, Experimentis novis summe insignito, ab indoctis populis *Orientalibus* inventa, jam ad nos longe dissitos, Divina Providentia deducta ad comparandas, si Deo placeat, Variolas *tutas* ac *benignas* Idque eo opportunius videri possit, quia Variolæ *Confluentes*, inter Nobiles æque ac vulgares *diram* stragem apud nos nuper ediderunt: Et quia *Inoculatio* debite administrata, à *Confluentibus* Variolis contrahendis *nunquam non* servat incolumes, mireque tuetur.

Et maxime ad hanc rem spectat, atque Observatione nostra est admodum dignum, quod scripsit *Constantinopoli*, mense Decembris A. D. 1713. Domino Doctori *Wodviard*, Docto nostro Collegæ, Dominus *Emanuel Timonius*; & quæ ejus Epistola, Latine docteque conscripta, pauso post fuit typis mandata in *Transactionibus* editis a *Regia Societate*. *Timonius* ille egregius, in peregrinationibus suis nuperis adeptus fuerat *gradum Doctoratus in Medicina* tam *Oxonii* quam *Patavii*, & post reditum suum domi, invitabatur esse Medicus *Grandissimo* suo *Domino*, sive Imperatori *Turcico*; sed istum Honorem periculosum, prudentia præditus, *submisse* declinabat. Narrat verò in Epistola, *Tartaros*, *Circassios*, *Georgianos*, aliosque populos *Asiaticos*, Barbaros *nostris* dictos, sed bonos, & Ratione eadem nativa ornatos, qua *docti* nonnunquam superbiunt, aliosque temere aspernantur: hos, inquit, populos à *quadraginta* tunc retrò annis *Constantinopoli* introduxisse *Inoculatione Variolarum*, ut eam subeuntes in posterum præserventur ab *ulteriori*, metu morbi rediturí, & ab omni *periculo* Variolarum deteriorum. Etenim ait *mite* illud contagium ab *Inoculatione* communicatum, *rarò* progignere plusquam *decem* vel *viginti* Pustulas, & in nonnullis solummodò *duas* vel *tres*, & pauciſſimos illorum *centum* Pustulis

stulis affici; ut verisimile est, aliqualem *differentiam* contingere posse, ex *variis* temperamentis, ætatibus, regimine, & diæta.

Modus *Inoculationis* sic describitur à *Timonio*:

„ *In cubiculo calido, vernoque tempore vel autumnali, operator institutus* „ *levia aliquot vulnuscula infligit musculis Brachii, aut Radii hominis inficiendi, cum acu tricuspide, aut nonnunquam phlebotomo. Acum verò trajicit transversim, Cutimque ille attollit,* „ *donec guttæ aliquot sanguinis è vulneribus exstillent. Et tunc operator locis pertusis immiscet stylo obtuso, vel auriscalpio Pus Varioloſum, quod paulò priùs* „ *extraxerat è tibia vel poplite sanioris adolescentuli, qui paucis, distinctis & magnis pustulis fuit affectus. Pus verò* „ *colligebat è Pustulis punctis in vas mundum statim occludendum, & in pectore tepido ferendum, ad hominem inoculandum, nempe ut gutta puris ita accepti* „ *instilletur in singulas partes vulneratas. Denique loci tabo imbuti teguntur dimidio corticis Juglandis, qui manet* „ *deligatus parti affectæ per aliquot horas, ne Pus appositum defricetur, antequam sanguis instiatur. Sperata efflorescentia vulgo se exhibet die septimo* „ *ab Inoculatione peracta & ægrotans interim abstinet a carnibus, omnique illarum jusculo.* Hæc *Timonius* in Epistola sua fusiùs.

Dolendum est quidem, *Virum* tàm Bonum ac Benevolum, qui longè remotis populis Observationem Medicam tàm utilem & incognitam, in morbo *Epidemico* & periculosiori, voluit *primus* benignè communicare; Virum etiam Scientiæ *Medicæ* tàm avidum studiosumque inter gentes *illiteratas*, ut in has terras *longinquas*, omnibus literis perpolitas, proficisceretur, *Doctrinæ* promovendæ causa: dolendum est, inquam, hunc eximium doctumque *Medicum*; ampla fortuna, multaque rerum copia donatum, postquam tot *Regiones*, *Regias* & *Academias*, oculis collustraverat, plenamque habuerat & *philosophicam* comprehensionem *Boni* & *Mali* necessariò contingentis omnibus in hac vita versatis, fore Vitæ ipsius tam miserè pertæsum, ut in ætate sua florentissima sibi *mortem voluntariam* non ita pridem consciscceret.

His, quæ accepimus à *Timonio*, conjungere libet *aliam* de hac re narrationem, mihi exindè communicatam à *Mercatore* nostrati, qui octo annos vixerat apud *Aleppo* in *Syria*. Ibi uxor *Consulis Gallici* spectandos illi præbuit *tres* suos liberos, qui *Inoculationem* subiverant *Constantinopoli*, quo tempore maritus suus fuit Secretarius *marchioni de Chateauneuf*, Legatione tunc fungenti versùs *Portum Turcicum*, à *Rege Christianissimo*.

Inoculatio illorum fuit hujusmodi. Operator adibat quempiam Variolis *mitibus* correptum, in tempestate opportuna: *plures* acus cum *filis* appensis trajiciebat per Pustulas *maturas*, quousque ista fila fuerint *pure* satis imbuta.

Et tunc statum adibat *inficiendos*, cutimque eorum radebat *acicula*, ad *pisi* majoris magnitudinem, donec *sanguis* tantillus è rasa cute exstillaret, quo peracto filum *pure* delibutum particulæ *pertusæ* paulisper affricabat. Hanc operationem exsecutus est in *quatuor* partibus *faciei* illorum puerorum; nimirum in *fronte*, in *utraque* gena, atque in *mento*. Deindè eandem operationem iterabat in *ambobus* illorum metacarpiis, *manuum* & *pedum*; adeò ut quilibet illorum *octo* vulnuscula, vel *cutis* rasuras sustineret: Et è quibus emissariis vel fonticulis, ac præsertim è *manibus*, Purulentia *Variolosa*, vel ichor *paulatim* emanaret. Et sic illi *tres*, omnesque alii similiter, ad *integram* sanitatem sunt tuto restituti, sine *turpibus* istis *signis*, quibus plures *nostrorum*, si evadant, solent deformari.

Sed notandum est, hunc modum inconcinnum sic *Inoculandi* faciem, fuisse *phantasticum* quoddam inventum bonæ *Vetulæ* Christianæ, quæ diu priùs fuerat in hac Arte *operatrix*. Illa scilicet opinata est suam operationem fore quadantenus *consecratam*, meliùsque

suc-

ſucceſſuram, ſi vulnuſcula faciei ſanctam *Crucem* repræſentarent. Cæterum poſthabita *Superſtitione* ſeminea, nos inſtar *Virorum & prudentium* agamus, atque *Brachia* aut *Cruræ* à *Corde* remota, non *Faciem* tam vicinam *Cerebro*, ſignemus aut inficiamus. Neque totidem *cutis* exulcerationes requiruntur ad contrahendam Contagionem. Eò ſufficiunt ulcuſcula ad ſummum *duo* ad Variolas *tutas* ac *ſalutares* acquirendas.

Hic prætermittere nolui, mentionem facere *Exempli* inſigniſſimi, ad confirmandum apud nos ſaluberrimum uſum *Inoculationis Variolarum*; quæ adeò *tuta* & *innocua* eſt jam reperta *Conſtantinopoli*, adeòque univerſim ibi invaleſcit, Experientia fideli illos omnes inſtruente, ut æquiſſimus facti judex & maxime proprius diſcriminis, ſi quod fuerit, Obſervator, Excellentiſſimus Dominus, nuper *Legatus Regis* Perilluſtris, non dubitaret permittere *Filium* ſuum *unicum*, & *Hæredem* [maximum ſuum Theſaurum] Contagionem *Varioloſam* ibidem ſic contrahere.

Quinetiam idem Dominus Prudentiſſimus, ut ſaluti Familiæ ſuæ Honorabilis ulteriùs proſpiceret, & forte etiam ut alios, tanto Exemplo, magis animaret, in re tam ſalubri ad poſteros ſuos præſervandos; *Filiolam* ſuam *quinquennem*, circiter *initium* menſi *Maij* jam elapſi, apud nos *Inoculavit*, *uno* ſcilicet vulnuſculo in *utroque* brachio inflicto, ex opera Domini *Maitland*, ejuſdem ſui Chirurgi, qui eandem operationem prius exſecutus eſt, in dilecto ſuo Filio apud *Conſtantinopolitanos*, & utramque eodem *felici* cum ſucceſſu.

Teſtari equidem poſſum, hanc tenera Dominam *mitiſſimo* Variolarum genere fuiſſe affectam, uſque adeo ut morbus illam non poſtularet *interdiu* lecto decumbere; neque potui annumerare pluſquam *duodecim puſtulas* totam ejus *faciem* pulcherrimam obſidentes, & ſimiliter *pauciſſimas* vidi per corpus artuſque diſpertitas, vix eas dignas enumeratione.

Sed maxime notandum eſt, *tenuem moderatamque* Diætam, [carnibus ſcilicet interdictis, una cum vino & liquoribus ſpirituoſis) inter hoc Contagium contrahendum, æque ac alios affilatus Varioloſos, eſſe *ſummè* neceſſariam; & *calida* omnia medicamenta, ad expellendas ſcilicet Variolas ingurgitata, in his, quemadmodum in aliis caſibus, *perniciem* maximam inferre, & pro *puſtulis* è cutem, ægrotantes ex rerum natura, ſolere frequenter exturbare. Apud *Orientales* populos, ubi in uſum abiit *Inoculatio*, Cardiaca iſta deſunt, neque ea concupiſcunt. Sed in *Britannia*, ubi non modo omne vulgus, ſed & multi ſuperiores, in omnibus ferè *Febribus*, perinde ac *Variolis*, perpetuo *Cardiacorum* deſiderio incenduntur, videtur eſſe *ſummè* neceſſarium, ubi perficitur *Inoculatio* ut ſerva fidelis adſit, quæ diligenter obſervet, nè *Nutrix* arrogans *Cardiaca* ſua calida; ad *expellendas* præproperè Variolas furtivè introdcatur. Idque eo magis in hoc genere obſervandum, quia nunquam ante *ſeptimum*, & ſæpius die *octavo* vel *nono*, benignæ hæ *Variolæ* ſolent prodire vel erumpere.

Notandum etiam *Conſtantinopolitanos*, quo melius explorarent, an *Variolæ* poſſent poſtea corripere priùs infectum, *bis* vel *ter* Inoculaſſe, Experientiæ gratia, eundem hominem, qui *prius* fuerat *Inoculatus*; ſed illud ſemper tentatum *irrito* conatu. Nulla poſtea ſubſequetur partis inciſæ *rubebo* aut *inflammatio*, neque *pus*, in putamine nucis incluſum & partis adhibitum, iterum attrahetur in vulnus abſorbendum. Quæ quidem eſt indulgentia *benigniſſimæ* Naturæ, ut non permittat, quenquam mortalium *bis*, quocunque modo, contrahere *veras* ac *genuinas* Variolas, vel in ſummum vitæ diſcrimen *bis* ex illo morbo incidere. Quod ſi inſtantia ſingularis *contrarii* nonnunquam, licèt rariſſimè, apud nos contingat, ut plura ejuſmodi diſſimilia vidiſſe contigit, id *prodigioſo* partui, vel *oſtento* cuidam inſolito ſit comparandum. Quamvis enim *Leges Naturæ* ſint fixæ

& determinatæ, tamen *Supremus* Naturæ Mundique *Rector*, pro beneplacito suo Sapientissimo, potest eas *Leges* suas suspendere, perrumpere, & mutare. Et hæc de *Inoculatione Variolarum* nunc sufficiant.

Sed & præter *Inoculationem* illam *Turcicam*, mos. est *alius*, etsi minùs laudabilis, apud *Sinenses*, Variolas *benignas* contrahere, molliter intrudendo in nares *Infantum* aut *Puerorum*, inter dormiendum; *turundam è Gossypio* parvulam satis imbutam *Pure* è Pustulis punctis collecto. Et hic illorum mos, si modo *tutus* esset, neque *Cerebrum* offenderet; quod quidem suspicarer, *delicatulis* Dominis pergratus foret, nullis scilicet *Vulnusculis* cutis impressis.

Denique *alia* invalescit consuetudo apud *Sinenses*, maximè *obstetricibus*, perindè ac *Medicis*, etiam atque etiam commendare libet, cui *nulla* exceptio potest ritè objici, & quam nemo potest meritò vituperare.

Hoc perhibetur à *Sinensibus* præservare à contagio *Variolarum* unquam contrahendo per *totam* hominis vitam, utcunque illæ fuerint ita *Epidemicæ*, omnibus mortalibus à *Gadibus* usque ad *Gangem* & *Japoniam*. Nimirùm in ipso *partu*, cùm Infans in lucem fit *recens* editus, ante sectionem Vasorum *Umbilicalium* à Placenta, ut & sectione peracta ante illorum *deligationem*, diligenter curandum est, ut Sanguis iste *menstruus* & *vitiosus*, ratus a Medicis *parens Variolarum* communis, *leni* compressione exprimatur *extrorsùm*. Etenim Docti Medici, & speciatim *Sennertus* doctissimus, imprudenter consulunt, ut Sanguis in vasis *Umbilicalibus* contentus comprimatur *introrsum* versùs *Infantis* umbilicum, ante vasorum à placenta *abscissionem*; cùm eadem opera iste sanguis, *ante* sectionem, æque possit comprimi ab umbilico, & *post* sectionem possit exprimi. Et hic mos illorum *innocuus*, penes illos *efficax* habitus, saltem ab instar *nugatorii* quorumdam incantamenti, ad Febres *Intermittentes* profligandas nonnunquam gestati, si forte *minus* valeat, proculdubio *minimè* nocebit.

Verum ex tantilla causa, vel cautela, in *Principio* vivendi observata, prohiberi posse *adventum* morbi tam terribilis, omnibusque impendentis, credunt vel conjiciunt Sagaces illi *Sinenses*, qui præ se ferunt prædicere à *Pulsu*, quot *horas dieşque* ægrotus vitam ducet, quot *annos* vir sanus possit in hac vita versari, vitatis casibus fortuitis, & violentia externa; sed qui etiam impudentissimè putant, vel dicunt, se *Solos duobus* oculis cernere, alios omnes populos solummodo *uno*.

AN.

ANTONII LE DUC
DISSERTATIO
DE
BYZANTINA
VARIOLARUM INSITIONE.

§. I.

VARIOLAS ex singulari quadam aeræ Athmosphere diathesi, tanquàm ex causa, primùm natas, communicato tum suo aliis corporibus contagio, longè sese lateque inter homines diffundere, notius est quàm ut pluribus exponam. Quem fædo etiam horribilium symptomatum apparatu stipatæ incedant, quotque crudeles passim strages exerceant, nimis certè aliquàdò frequens, tristisque experientia docet.

§. 2 Hominem autem omnem, solum, & semel illis affici *Thomas Willisius* asseruit; rarum, & inusitatum naturæ prædicans eventum, si vel nunquam vel sæpius in easdem quispiam inciderit. Clarus itidem *Diemerbroeck* non modò solis hominibus, sed ferè omnibus adeò communes voluit variolas, ut paucos mori dicat, qui vivi ab iis aliquando non tentati fuerint. Princeps sanè Practicorum & Observatorum fidissimus *Sidenham* hoc ipsum testatur, cùm Variolas nemini parcere affirmet, cujuscunque demum ætatis is fuerit, nisi priùs hoc morbo laboraverit, non excipiens tamen illos, quos adulterinum variolarum genus ad hunc morbum nihil attinentium, prius obsederit.

§. 3. Etsi vero nulla tantorum virorum, circa fatalem hanc (ut ita dicam) hominibus necessitatem, qua omnes ferè variolis semel ægrotare coguntur, monumenta exstarent; integrè tamen Gentes, inevitabilem quasi hanc ipsis competere sortem, satis, & ultro comprobarent; raros enim inter *Europæos* inveneris, qui aliquando dirum illum affectum se passos denegent rariores vero longe, qui plus semel Variolis laboraverint.

§. 4. Salutis hinc communis interesse videtur, ut apta huic morbo exstirpando auxilia inveniat conservatrix illa Humanæ incolumitatis, artium omnium, prout hodie exculta habetur, amœnissima, Medicina.

§. 5. Si tempora spectes, à quibus inter homines variolas grassari extra omne dubium ponitur, sique Authores, qui de iisdem commentati sunt, recenseri audias, certum re vices hæc (§. 4.) quidem efficacissima haberi, quæque sævissimi morbi non tantùm progressum, sed & ortum inhibant: hos tamen si lubet, & vacat, perlege: miraberis sanè non aliam Recentes, quàm vetustissimos in curatione ejus methodum adhibuisse: omnem quippè conatum, omne artis auxilium in hoc unum semper in-

tenderunt, ut variolas ad suppurationem dederent: magnum se quid præstasse, ægrumque è faucibus orci eripuisse rati, si, quas sibi Natura, dum internum hostem profligare conatur, injurias infert, ipsi suis remediis sæpissimè accelerent.

§. 6. Quam anceps vero sit & dubius methodi hujus eventus, malignioribus præsertim variolis, vel indè patet, quod non æquè semper vires pro libitu moderari medicus queat: sæpè enim furentis nimium impetum irritus per antiphlogistica compescere tentabis: sæpe languentem nimis incassum per stimulantia excitare conaberis; ægerque interim vitam cum morte commutat, Natura nimirum, dum maximè intenditur, seipsam perimente; vel eadem nimis inermi hosti suo cedere coacta.

§. 7. Sed dabo lubens, medicum ferventis, irritatæque vitæ fruorem sic cohibuisse, ut ad suppurationem deducta sint corpus totum fœdantia, exanthemata. Ideò ne tamen ægrum periculo vocare, optatoque portu securitatis considere credes? Quantum herclè à vero distas? Ipsum blandientis sanitatis indicium, illæ quas tanto conamine excitasti, pustulæ tristiorem longè mox secum trahent malorum catervam. Vix enim purulenta materiæ distentæ aliquamdiu cutem obsedere, quin necessarium corporis perspirationem impediant. Sed quæ pessima non hinc oriuntur Symptomata? Nova statim, sed sæviissimæ indolis mox accendetur Febris quæ humores à prægresso fervore febrili jam ultra labefactatos, iterata hac exagitatione pessundat. Sæpè etiam purulenta materies à bibulis extremarum venarum osculis absorpta, & circuitu humorum de novo commissa, prout in hanc vel illam partem à vi vitæ transfertur, varios semper, sed noxios valdè morbos creat. Si ad illam, quæ propria animæ sedes dicitur, quæque revera Functionum Animalium vera est scaturigo, si ad Cerebrum inquam, determinetur, delirantem illicò, mox & furentem spectabis ægrum: quo quidem casu quid de vita sperandum? si pulmones, pneumaticum illud respirationis organum, eadem materia obsederit impeditum iri mox vitalem humorum fluxum, proximumque ultimum diem ægro, si causarum vitæ sis peritus, facilè prædices. Prohibet, quam mihi in hac dissertatione proposui, brevitas, ne omnes effectus ex illo pure, prout ad varia loca fertur, oriundos singulatim prosequar; liquidò tamen innotescunt iis, qui cujuslibet partis munus edocti, dictam causam illi applicandam concipient.

§. 8. Hæc (§. 5. ad 8. quidem acri suo ingenio perpendens, Celeberrimus *Hermannus Boerhave*) splendissimum & præcipuum hujus Academiæ lumen, Præceptor omni reverentia colendus) aliam Medicis, quàm in variolis sequi deberent, viam indicavit. Castam ille severamquè Sapientiam professus, eam tantùm in morborum curatione Methodum sectatur, quæ in causarum ablatione consistit. Id ipsum ille in variolis tentandum suadet, quæ cùm à miasmate venenato [§. 1.] excitentur, si quidem huic oppositum inveniretur, in ipsis incunabulis pessimus ille morbus extingueretur. Hoc verò aliquando inventum iri solidissimis comprobat argumentis. Urinam ipse tanto frui posset otio, ut in illud indagaret, quemadmodum nunc Rempublicam Medicam, sic tum omne genus humanum sibi devinciret.

§. 9. Cùm tamen nondum detur nobis tam felicibus esse, ut susceptum corpore venenum per antidotum enervare queamus, id saltem ex ejusdem Clarissimi Viri monitu, minimam variolosi contagii suspicionem est enitendum, ut id in effectu suo iners reddatur: Quò sanè spectat universalis illa antiphlogistica Methodus quam in suis *Aphorismis* proponit [§. 1393. 4. 5.] idem laudatus, nec sine veneratione unquam nominandus Autor. Hinc etenim noxium illud miasma dissipari posset: omniaque indè oriunda mala præcaveri.

§. 10. Felicissimo cum successu plures sic curasse, fide omni dignissimus ipse testatur. Sed talem revera requiri in variolarum primo statu Methodum, accurata hujus morbi contempla-

pla-

patio indicat. Neque enim aliud exhibet, perfecta ejus in dicto statu idea, quàm liquidorum velocitatem auctam à stimulo inflammatorio. Quis verò Medicorum, in morbo, quem Inflammatorium agnoscit, Resolutionis viam negligens, suppurationem tentabit? Nemo unquam in Pleuritide v. g. id cogitabit. Quidni igitur idem in variolis fiat? Venenum Varioloſum ex se ipso nullam [prout sensibus indicare possumus] vel solidis vel fluidis inferre labem, nisi à vita ipsa actuosum fiat, alibi (§. 37.) proponam. Hinc ubi per dictam Methodum illam penitus labefactaveris, spes est, vel iners reddi venenum, vel cum eductis humoribus expelli. Bella saltem quæ movissent vita impedies, simulque tristem malorum faciem percavebis. Solis autem ratiociniis certam hanc Methodum non inniti, verum experimentis etiam confirmari, præter Celeberrimi dicti Viri testimonia, fidem quoque faciunt casus interdum observati, ubi Medicus ægrum variolis laborare nescius, hancce adhibuit Methodum, illumque incolumem pristinæ sanitati restituit.

§. 11. Sed altas nimis in Medicorum mentibus radices egisse videtur præconcepta semel, de antiqua in curandis Variolis Methodo, opinio, quàm ut tam facilè evelli queat; deplorando sanè humanæ infirmitatis argumento, cùm deteriora sæpius, dummodo Veterum authoritate fundata, sequi malint homines, quàm nova licèt rationi & experientiæ congrua.

§. 12. Cùm igitur nondum ad debellandum Varioloſum contagium certum detur Antidotum; prisca vero suppurationis via periculo sit ut plurimum plena, & nova Clar. Professore *Boerhave* indicata Methodus tam felicibus haud æque undique firmetur successibus ut à prudentissimis Medicis recepta sit, & in usum revocata; non incongruum fore duxi, si Insititiam Variolarum Prophylaxim paucis verbis hic proponerem, ut si variolas multis effugere non liceat, illas saltem sine discrimine contrahant.

§. 13. Hujus tota virtus in eo est ut instillato vulnusculis quibusdam inflictis varioloso pure, variolas excitet in iis, qui nunquam anteà illis laboraverant. Multi operationem illam Transplantationem vocant, alii Inoculationem, *Græci* vero hodierni ἐμβολιασμὸν appellant, vocibus nimirùm metaphoricè acceptis. Quæcunque ad hanc Methodum, prout *Byzantii* exercetur, proprio experimento pertinere novi, candido animo, & brevi sermone exponam; ut nulla vel minima circumstantia neglecta æque utilis aliis etiam evadat, ac mihi olim profuit. Antequam tamen id peragam; pauca circa Locum, ubi primum Inoculatio celebrata fuit, differere fert animus.

INSITIONIS HISTORIA.

§. 14. FErunt nonnulli, *Asiaticis* quibusdam Gentibus, ut *Circassis* & *Georgianis*, à vetustissimis etiam temporibus usitatam fuisse hanc operationem, quod ut negare non ausim, utpotè qui nunquam Regiones illas perlustraverim, sic certus affirmare possum *Thessaliæ* toti vulgarem illam hoc tempore esse. *Thessala* revera mulier Religioni *Græcæ* addicta, è patria *byzantium* profuga, prima ejus in Amplissima urbe experimenta cœpit. Varia quidem illa & astuta, ut ignaris hominibus magis artem suam commendaret, arcanum hoc summum, nulloque pretio persolvendum, licèt in patria sua commune, sibi tantum à B. Virginis Fano revelatum prædicabat: utque fidem dictis adderet, nunquam nisi cruciatim vulnuscula, [quæ mox infligenda dicam] excitabat; verba quædam etiam submissa voce in speciem Religionis (quasi propitium sibi Revelatricis numen invocaret) inter operandum insusurrabat: cereos insuper binos serio semper à singulis, quibus variolas inculaverat, expetebat; asserens se illos in patriam mittere, ut ante aram Virginis arderent. Sedes hæc sanè non nisi apud ignaros, pondus habebant. Hinc utcunque illa mysterium suum in

initio prædicaret, seque Divino numine afflatam diceret, rarò quidem, nec nisi inter vulgares homines artem suam exercere potuit: diu quoque sic tecta, & inter humiles duntaxat serpendo progressa foret, nisi lethaliter anno quodam grassantibus Epidemicis variolis, à nobilioribus etiam quibusdam *Græcis*, ut in filiis suis operationem tentaret, vocata fuisset: facilem enim in illustri exemplo mirati eventum, unanimi ferè consilio *Græci* omnes inoculationem in usum revocarunt. *Armeni* etiam, [quorum ingens est numerus in vastissima urbe] felicitate successus excitati, ad ipsum fecere; tandemque & *Europæi* omnes (qui *Franci* communi voce appellantur,) ad idem consilium adducti sunt: sic ut à plurimis annis passim & ubique apud omnes Christianos *Byzantii* de gentes, sine ulla formidine, & fausto semper cum eventu inoculatio exerceatur. Omnes autem hi mulierem dictam, ut inoculationem institueret, adhibebant, & ab illa etiam in me celebrata est: hinc Methodum ejus, & cautelas, quas observabat, aperiam.

VARIOLAS INOCULANDI METHODUS.

§. 15. QUicunque variolas vult sibi per inoculationem excitare, ille quo tempore id peragat, attentus animadvertat: non enim omne *Græcę* illi Operatrici in *Byzantino* climate aptum ad hanc instituendam judicabatur tempus: sed hyeme tantum nec non autumno interdum illam exercebat. Cur autem non æque Vernalis tempestas conduceret, nulla quidem ratio indicat; ejus quippè placida temperies benigniores excitatura viderentur variolas; in hac re tamen potius experimentis acquiescendum crediderim, quam vitam alicujus in discrimen jacere. Æstas pernicioſissima illi habebatur, quod non mirum erit ei, qui variolas populariter grassantes illo anni tempore sævissimas, & maxime periculosas esse ex praxi novit.

§. 16. Utcunque alii velint mulierem illam nullo habito discrimine operationem suam celebrasse in utroque sexu, & variæ ætatis, ac Temperiei hominibus; illam tamen Subjectum, in quo inoculatio instituenda, accurate distinxisse pro comperto affirmare possum. Quod ad sexum, non adeo ingentem admittebat differentiam; viris tantum [ubi cætera fuerint paria] strictiorem diætam præscribebat. Ætatem vero adeo considerabat, ut infantibus duntaxat, & pueris excitaret per autem suam variolas: in adultis nonnisi coactam se id præstare dicens: per multiplicem edocta experientiam hos longe pejoribus conflictari symptomatibus; nemo quamvis & ex illis per inoculationem sit mortuus. Nec minus se cautam circà varia hominum Temperamenta gerebat. Robustis, calidis, & Plethoricis raro, nec sine timore, insitionem instituebat, hacque semper cum regula, ut qui replatioris essent habitus, corpus antea evacuarent; qui fortioris compagis, hanc prius debilitarent; qui calidi nimis, ii per diluentia & laxantia moderatam acquirerent temperiem. Cacochymicos vero, & eos qui aliis morbis detinebantur, aggrediebatur sponte nunquam, pulchre sane monens eos prius à suis morbis curandos, quam ut de novo acquirendo sint solliciti.

§. 17. Si unquam ulla, hic certè summa rerum non naturalium habenda ratio; in victu præsertim strictissimum observandum est regimen: Solebat *Græca* mulier non tantùm peracta illa operatione, sed pluribus antè illam diebus omnem carnis cujuscunque usum rigorosissimè vetare, quodque mirùm in hisce regionibus videbitur, jusculum etiam ejus; utcunque tenue, nunquam inoculatis concedebat; cujus quidem rei causa est, quod omni tempore non à Medicis tantùm, sed ab idiotis observatum sit ibidem, omnium rerum putrescentium usum noxiũ valde esse in omni calido morbo; vel & in illis periodicis Febribus, quas ab Alcali ortum habent: constat sanè vulgari experientia, neminem qui jam per 40 dies sit liber à tertiana ovum unum comedere, quin in tertianam iterum incidat.

Le-

Levia hinc illa dabat decocta ex farinaceis pro cibo, & leguminosas herbas. Pro potu tenues ex hordeo ptisanas, Vini verò & omnium spirituosorum haustum ut lethalem prohibebat. Hæc diæta utcunque austera nimis, inoculatis tamen religiosè servanda est, tristissima enim aliquando neglectæ hujus regulæ visa sunt exempla.

§. 18. Quod aerem spectat, talem illa ægris suis concedebat, qualem ex præjudicio omnes in variolis requiri contendunt, calidum scilicet, quem variolarum eruptionem promovere putant. Fenestras hinc omnes non tantum, & januam, sed minimas quasque rimulas tam accurate claudendas curabat, at nullus aeri novo in cubiculum (per ignem satis anteà calefactum) accessus daretur. In tali vero hypocausto quietam vitam degere ægrum jubet à prima inoculationis die ad quadragesimam usque, nullum ante id tempus ex eo permittens discessum. Hanc ipse methodum à sana ratione multùm aberrantem, tantùm abest ut approbem, quin potius, ut pernicioſam, multorumque malorum causam damnare, (ex monitu Celeb. *Boeravii*) consuevi. Aer etenim ille ità tum calefactus, in eodem semper loco detentus, rarescens hinc & varioloſi corporis exhalationibus prægnans, quid boni, precor, præstare posset? an non potius hinc suffocatio timenda esset; vel & pejor malorum series ex morbosa, & corrupta athmosphæra? sed si calorem tam necessarium ad promovendas variolas credant, cur calida æstatis tempestate, maxime illæ sunt periculosæ? si vero propter calorem noxiam æstivam temperiem varioloſis agnoscant, cur eundem calorem in media hyeme ægris illis adhibent? Merito sane hinc suspicandi locus, non aliam ob causam, pejus aliquando se habere eos, qui cæterum ex temperamento, ætate, & reliquis requisitis, ut placide variolas contrahant, dispositi videntur.

Audivi esse, qui velint ægrum statim lecto damnari: id nemo *Byzantii* se vidisse dicat; ipse non ante quantum diem, quo ægrotare cœpi, me lecto composui eumque deserui, quamprimum matures centibus pustulis nullo jā malo detinebar.

§. 19. His ita prædispositis optima & idonea ad inoculandas variolas materia inveniri debet. Sumitur illa ex pure Variolarum: & in ea eligenda hasce dicta mulier cautelas adhibebat. (a) Pus illud non ex quocunque Varioloso, sed ex eo duntaxat, qui variolis populariter grassantibus correptus sit, elici debet. [b] Æger, ex quo pus illud sumitur, Variolis, quas distinctas appellant, non confluentibus, laboret, opus est, [c] curandum semper, si quidem fieri posset, ut æger ille non adoleverit. [d] observandam etiam an ipse æger alio quodam morbo laboret, quibusve crucietur malis cùm variolis ægrotat; si graviora quippe vexarent illum symptomata, nunquam inde excipiendus varioloſum fomes. (e) Variolæ, ex quibus pus eliciendum, jam ad maturitatem, seu suppurationem conversas esse, oportet.

Ut autem pus illud sibi compararet *Græca* Operatrix, acu ferrea, vel argentea vulgaris formæ, apicem variolæ binis prioribus digitis comprehensæ, pertundebat, leviterque pustulam comprimendo expressum contentum pus in subjectum vasculum instillabat. Solebat verò eas tantùm variolas sic pertundere, quæ extrema quatuor corporis occuparent. Vasculum tum bene tectum operculo quodam, & sinu suo forum secum gerens ad eum, cui insitionem instituturа erat, quam citissime properabat, curans nimirùm ne per interpositam moram materies illa iners reddita, minus quoque operationi idonea fierent; hinc nunquam ultra 12. dies illam servare solebat.

§. 20. Illi jam præsens Operatrix, paucas, ut dixi (§. 14.) preces fundit: tum acu ferrea octo vulnuscula totidem corporis partibus successive infligebat. Primum quidem summæ fronti ad viciniam capillorum, eo præcise loci, qui utraque ejus extrema æqualiter interjacet; alterum mento, bina ad utramque genam illi eorundem parti quæ zygomati proxima est. Totidem etiam quatuor extremis inurebat vulnera, superioribus nimirum, bina prope metacarpum, & duo pariter infimis non

procul à metatarso. Hæc vero hoc ordine semper excitabat, ut in facie crucis effigiem, in artubus Redemptoris plagas referrent, hoc sibi etiam injunctum in revelatione contendens, quasi sanè ex tali vulnusculorum dispositione, non vero à causis aliis physicis successus insitionis penderet. Mihi sex tantum loca pertundenda curavi, nullam pedibus inferri passus læsionem, non ideo minus feliciter variolas contraxi.

In inferendis hisce vulneribus, acum parti in situ plano spectatæ sic adigebat, ut obliquè, non vero ad normam in eam penetraret, tum acum ipsam sursum elevans imposita integumenta vi facta lacerabat, eamque hærentem adhuc cruentę plagæ in gyrum circumrotabat, ut major continui solutio fieret.

Mirum sanè Doctos alias viros, qui de Inoculatioue scripsere, dixisse: in musculis potius, quàm in carnosis locis excitanda esse hæcce vulnuscula; quid enim per carnosas partes intelligant, cùm à musculis illas distinguunt, me nescire fateor; non aliam enim Recentioribus Anatomicis carnis nomine indigitari substantiam præter muscularem, in confesso est apud omnes. Hinc male quoque se expressisse videtur, qui carnosiora pungit vult loca; quippe nunquam tam alte penetrat acus, ut musculos tangat, præsertim si ad mentum & ad brachia fiat operatio; sola enim cutis cum pinguedine, & cuticula vulneratur: hinc illos voluisse crediderim, vulnera illa instituenda esse, ubi crassior est penniculus adiposus: quod revera egregium monitum est, ne vas quoddam, aut tendo in pertusione lędatur.

§. 21. Dolor vix ullus in hac operatione sentitur, si quidem ex me de aliis judicare liceat: nec mirum sane, cùm tam parva læsio tam celeriter parti non nimis nervosæ inferatur. Sanguis statim ad guttas aliquas effluit, sed mox sponte sua sistitur, extremis nimirum & minimis tantùm vasculis leviter læsis.

§. 22. Tum fomitem varioloſum (detecto vasculo, quo continebatur) eodem illa acu, qua vulnera excitaverat, in pertusa loca instillat, intrusamque materiem eodem instrumento in ipso vulnere quàm accurate commovebat; ut per omnem vulneris ambitum, secretosque ejus recessus materia sese insinuaret: hujus vero non nisi una vel altera guttula ad quodlibet vulnusculum intruditur. Quo in singulis vulneribus peracto, hæc vasculo quodam concavo operiebat: adultis, in illis tantùm partibus, quas vestes tegunt, ne scilicet ab illarum attritu materies averteretur; junioribus vero ubique, ne manibus pertusa loca scalperent, fomitemque dissiparent; tumque superinducta fascia partes ligabat. Mihi tantùm manus hoc apparatu ornatæ fuere: qui tollitur ubi pus instillatum jam exsiccatum in vulnere apparet.

§. 23. En simplicissimam Methodum qua mulier illa utens, fausto semper eventu in millenis hominibus *Byzantii* variolas excitabat. in qua describenda cum ne vel minimam circumstantiam mihi notam omiserim, tædiosus forte quibusdam videbor, qui ex minimis maximos sæpe pendere successus, ignorant. Id ipse eo animo feci, ut si aliquando apud alias gentes eadem in usum revocanda foret, ex cognitis omnibus hisce cautelis, agendi etiam regulas juxtà Regionis diversitatem sibi construerent. Notus est *byzantii* Medicus, qui hanc operationem celebraturus, præscriptas in victu, & cæteris negligendas prædicans, pessime sibi institutam in quibusdam insitionem cessisse, acerrime doluit.

§ 24. Hisce jam positis circà operationem, videndum nunc paucis, quo tempore, quibusve cum symptomatibus variolas suscitet insertum per insitionem intrà corpus varioloſum venenum.

TEMPUS ERUPTIONIS IN INSITITIIS VARIOLIS.

§. 25. NOn unam omnibus, sed variam diversis hominibus contingere naturam, norunt omnes, qui vel mirabiles in facie hominum occurrentes varietates attenti notarunt. Quælibet enim pars faciei similis licet dicatur alteri parti alterius hominis, nunquam ta-

tamen perfecte illi respondet, unde & harum omnium partium aggregatum quoddam efficit, vultum scilicet, qui etsi aliis similis appareat, in multis tamen ab iis differt. Quod autem in externis oculus ipse videt, id sane in internis longe magis obtinere Medicina demonstrat: solidis equidem & fluidis omnes constamus; immensum tamen aliquando unius hominis solidorum compages ab alio distat. Hinc tamen est, quod eadem corpora in iisdem licet circumstantiis à binis hominibus assumta, raro intrà idem tempus effectus suos edant: variis scilicet potentiis varie in idem Objectum agentibus. Binos spectat *bacchi* sacra celebrantes, unus citius altero temulentus evadet. Id ipsum revera patet in iis, quibus excitatæ sunt per inoculationem variolæ; una enim licet omnibus adhibita Methodus fuerit, non eodem tamen tempore omnibus erumpunt. His etenim ipsa prima die, aliis secunda, tertia aliis, quarta, quinta, sexta, vel & aliis septima efflorescunt: hac tamen semper sub distinctione, ut quibus citius apparent, illis etiam sint pejores; quibus serius, illis mitiores: hinc quæ septima tantum die emergunt omnium sunt mitissimæ. Quibusdam nullæ novæ exsurgunt variolæ, sed sola insitionis loca in exanthemata abeunt; qui tamen nunquam variolis epidemicè grassantibus correpti fuere. Semel accidisse fertur, ut ex communicato per inoculationem contagio nullæ apparuerint variolæ; merito tamen credidere quidam, quod cum esset infans qui passus erat operationem, materiæ insertionem impediverit. Hic postea variolis epidemicis laboravit; sed notandum, inflicta etiam ipsi vulnuscula immutata mansisse; nec abiisse in pustulas.

Mihi quarto die apparuerunt variolæ.

Videnda nunc sunt quæ in insititiis variolis occurunt.

SYMPTOMATA.

§ 26. PRout discrepant Eruptionis tempora, sic quoque differunt, quæ in diversis hominibus ex Insititiis variolis symptomata profluunt; longe tamen mitiora sunt omnibus, quam in epidemicis variolis. Prosequar vero illa juxta integrum morbi decursum.

In primo morbi statu, cum nimirum recenter susceptum contagium naturam irritari, aliquis subindè horror & rigor corripit corpus: mox humorum circumeuntium, sequitur turba auctaque velocitas, sed raro nimia, aut violenta. Dolor quidem ut plurimum occupat caput, sed levis: raro sese per reliquas partes extendens. Ille autem dolor qui circa scrobiculum cordis in vulgaribus variolis sentitur, quique fere Pathognomonicum est variolarum signum, nunquam in Insititiis observatur. Molestum etiam illud, ægrosque adeo vexans symptoma, Anxietas scilicet, imminentis, ut ita dicam, mortis sensus, ab aucta cordi resistentia) nunquam fere ægro inoculatos affligit. Pauciſſimi (nullos dixerim) nauseam patiuntur, & vomitum. Epilepticos insultus infantibus accessisse hactenus nemo vidit.

Me quidem ad tertii diei initium levis capitis dolor corripuit, mox febris accensa est; noctu leviter deliravi, quarto vero, apparentibus pustulis, optimè habui.

Egregiè autem notatum video in Epistola Dn. *Emanuelis Timonii* ad Nobilissimum, & Doctissimum Dn. *VVodvvard* anno quodam cum immaniter grassarentur *byzantii* confluentes ex Epidemia Variolæ, eos etiam qui inoculationem passi erant, gravioribus affectos fuisse Malis: cujus rei nullam licet rationem addat, id tamen à deteriori contagio necessario ab illis Variolis suscipiendo fluxisse satis evidens apparet. Contagii enim indoles prout mitis, vel acerba est, variè sane agit.

Notatu etiam maxime dignum est, omnes illos qui pleni erant habitus, vel quorum compages valida est, vel & qui calido temperamento prædîti erant, longe plus & pluribus cum symptomatibus hoc morbi decursu ægrotavisse. Id reverà mihi constitit in Puella nobili per affinitatem mihi conjuncta, quæ 17. ætatis suæ anno, ubi ultimum incrementi

punctum attigerat, hincque primam col. legerat Plethoram, timens ne grassantibus corriperetur Variolis, inoculationem sibi instituendam curavit: gravissimè illa laboravit, cum ingenti Febri, atque delirio: summo quoque capitis dolore torquebatur.

§. 27. Absoluto hoc morbi statu, quem contagii iure optimo vocat Celeberrimus Prof. *Boerhave*, parva hinc & inde apparent rubicantia quædam puncta, quæ sensim augentur, tument, & Variolæ fiunt: Hæ ut plurimum benignissimi sunt genii: spectantur enim magnæ, à se invicem distantes, numero ut plurimum paucæ: quibusdam decem, viginti aliis, aliis 30. contingunt, raro 100. rariſſimè ad 200. accedunt. Mihi tantum sexdecim erupere: binæ ad faciem, reliquæ per pectus & dorsum dispersæ. In dicta verò Domicella tanto quidem erant numero, ut corpus ferè totum integre fœdarent.

In hoc Morbi statu, qui Inflammatorius eodem authore dicitur, nulla fere sunt iis, qui variolas tam paucas, & mites habent, symptomata: utpote quæ epidemicis variolis ab inflammatione generali cutis, impeditisque hinc circulatione & perspiratione pendent: In insititiis nulla cutem obsidet talis inflammatio, hinc nec nova sequi potest Malorum syndrome.

Si verò & in insititiis Variolis tàm numerosa corpus occupent exanthemata eadem fere spectantur & in his symptomata, ac in confluentibus, cùm similes causæ similem semper producant effectum: mitiora tamen illa sunt in Insititis, quia varioloſum virus mitius est illis.

Nobilis illa puella, quæ tàm copiosas ex Insitione variolas habuerat, pessimè se hoc in statu habuit: Febri enim iterum summa, delirio, anxietate, & similibus symptomatibus correpta fuit.

Ipse, cùm tam paucis pustulis ornater, nihil horum passus sum.

§. 28. Insititiæ Variolæ feliciſſime ad suppurationem deducuntur; sæpe etiam per resolutionem quasi disparent, quod duntaxat accidit iis; quæ mitiſſimi sunt genii. Ubi suppurantur, candidæ primò apparent, mox sensim flavescunt, & exsiccatæ tandem non in lemas coriaces, nec in densas crustas abeunt, sed sub levis squamulæ forma excidunt.

Tempus, quo suppuratio peragitur, differt pro ratione primarum periodum: sed lentiſſimè ferè semper ubi mitiſſimæ sunt variolæ. Exsiccationis tempus pari ratione differt.

Hic etiam si paucæ sint & mitiores variolæ, absunt omnia illa symptomata, quæ in tertio hoc statu in Epidemicis apparent. Nec mirum, cum nullum ferè pus, nullæ crustæ ambitum corporis obsideant. In numerosis tamen variolis plerumque & illa sequuntur, ut contigit dictæ puellæ.

§. 29. Materia, quam pustulæ illæ insititiæ continent, verum perfectumque pus refert: blanda enim; non acris, alba, spissa, cocta, & æquabilis est, sic ut mirari subeat materiam illam saniei similem dici quibusdam. Hanc utcunque optimis hisce dotibus præditam nunquam ad insitionem mulier illa adhibet: an jure nescio, magis sanè videtur idonea insitioni, quam quæ à vulgaribus variolis sumitur.

§. 30. Deciduis variolarum squamulis nulla remanent stigmata vel foveæ, sed plana, & æqualis spectatur cutis, quam pustulæ obsederant, rubet tamen ut plurimum per diem unum vel alterum. Summum reverà hoc est sequiori sexui beneficium; Formam enim suam hinc non læsum iri certo scire possunt.

§. 31. Pertusa in Insitione loca solent ut plurimum eadem apparitione, qua variolæ in pustulas abire: aliquando statim exsiccantur, variolis tamen per reliquum corpus erumpentibus; sic vulnusculum quod mento mihi inflictum fuerat, rarefactum est. Accidit interdum sola insitionis loca tumore, inflammari, & in variolas mutari, nullo alio surgente exanthemate, sæpe inoculationis loca in magna apostemata excrescunt, quæ ingentem puris copiam effundunt, diuque etiam disparentibus variolis perdurant: nonnunquam

etiam

etiam inflammantur, tument, & acutos dolores creant: quæ omnia vel ab acu, acri quodam afflata, vel à contagio diriori in parte hærente, vel à loco pertusionis, ut si nervis & tendinibus intertextus; vel à modo vulnerandi accidisse reor. Hinc etiam sæpe hæc mala ad pedes spectantur.

Ex vulneribus faciei meæ adactis tria in pustulas conversa sunt: fronti verò inustum omnium fuit maximum, hinc & stigma reliquit hodie quoq; spectandum.

§. 32. Ubi jam exsiccatæ pustulæ exciderunt; integra fruitur salute æger, estque liber à timore variolas contrahendi.

Hæc autem sunt omnia illa [§ 26. ad §. 31.] symptomata quæ hactenus observata sunt in Insititiis variolis occurrere; quæ si conferas cum iis quæ in vulgaribus spectantur, leviſſima merito judicabis. Feliciſſimè autem semper exculta fuit hæc Methodus *Byzantii* jam antè 40. annos. Eodem illo quo insitionem passus sum anno (1713.) sex millia hominum se inoculasse dicta mulier retulit; nulli tamen eorum funesti quid accidit, sed omnes a sic contractis variolis feliciter evasere. Narrat D. *Timonius* invaluisse semel rumorem binos infantes ex insitione occubuisse, sed examine facto illos plurimis aliis morbis ægrotasse deprehendit.

§. 33. Nemo hactenus, qui variolas per inoculationem contraxit, iisdem amplius laboravit, etsi epidemicè grassarentur: idque non unius, sed 40. annorum experientia *Constantinopoli* confirmat; sed quod mirum est, ii quoque, qui duntaxat unam variolam ex Insitione, vel sola pertusionis loca in pustulas mutata, habuere, nunquam hoc morbo amplius affecti sunt. In me (qui 16. tantum postulas acquisiveram) jam ante 9. annos Inoculatio exercita fuit: ab eo tempore sæpius amicos variolis affectos invisi, & nondum illas de novo contraxi.

§. 34. Dignum sane, qui memoretur, casum judico puellæ cujusdam, cui prudens mater inoculandas variolas curaverat: illa unicum duntaxat pertusionis locum tumidum, inflammatum, & varioloſum habuit; cæterum nullam sensit ægritudinem. Timuerat mater effectu suo vacuam in illa fuisse insitionem, hinc operationem iterari postannum jussit, sed nulla tum etiam apparuit postula, & loca pertusionis illico exsiccata sunt, neque in Variolas abiere. Licet illa jam a tot annis varioloſa conveniat, nondum variolis correpta est.

§. 35. Celebrata etiam fuit insitio in hominibus, qui olim epidemicè grassantibus variolis laboraverant, sed pari cum successu ac [§. 34.] nullæ enim repullularunt Variolæ: certò sanè argumento naturam varioloſo veneno semel assuetam, non amplius ab eo male affici. Hisce verò positis, circa Historiam, Methodum, symptomata, & eventum insitionis, operæ etiam pretium erit paucis inquirere, 1o. in modum quo variolas excitat intrusum intra corpus varioloſum contagium 2o. cur hinc benignæ semper & sine periculo Variolæ prodeant. 3o. tandem, cur nulla inurant stigmata.

§. 36. Ut pulchrum & utile rem Physicam certis & indubiis experimentis illustrare: sic turpe & pernicioſum recenter observato effectui luxuriantis tantùm ratiocinii vi causam assignare. Id tamen passim & ubique præstant, qui Philoſophi nomen venditantes, indignum se putant aliquid in rerum natura geri, cujus nequeant rationem dare; si vero quæ proferunt, omni affectu & præjudicio liber, attentè perpendis, a rei veritate aliena, minime cum natura convenire reperies: non enim illi omnia, quæ in dato effectu spectanda sunt, accurate perpendunt, sed unum quid, alteri phænomeno non absimile arripientes, huic statim eandem causam attribuunt. Id revera & circa Inoculationem contigisse, norunt qui de ea conscriptos tractatus perlegerunt. Videntes illi ex pure varioloſo venis inferto, febrim & mox variolas oriri: pus illud Fermentationi, & exanthemata despumationi assimilarunt, remque acu se tetigisse putant; Ridebit hos sanè qui

ex

ex Chymicis novit Fermentationem nunquam nisi quibusdam Vegetabilibus contingere, ejusque effectum semper esse vel spiritum inflammabilem, vel liquorem acidum: hinc diutius non immorabor in hac confutanda sententia. Ejusdem farinæ sunt quæ alii de Effervescentia, Ebullitione, & mutata figura globulorum sanguinis protulere. Ipse autem contagium varioloſum non aliter quam ratione stimuli fortè agere exinde suspicor, quod ipsum solidis partibus applicatum nullam illis labem imprimat: missum vero sanguini, ut experimento facto potuit, nullam in sanguine mutationem creat, quatenus perspicacissimi oculi observarunt.

§. 37. Ut vero pateat cur variolæ epidemicæ grassantes sæpe occidant, Insititiæ vero nunquam; observandum epidemicas lethales esse vel in primo morbi statu; vel in inflammatorio, & subsequente suppuratorio. Necant in primo, quia acre nimis, acerbum, & pestiferum ferè contagium ingentem nimis excitat febrim, quæ ægrum pessundat: sæpè tamen mors & in eo contingere potest, etsi contagium non ita fuerit pernicioſum, sed vires vitæ magnæ sint, quæ seipsas destruunt. In insititiis Variolis mitissimum semper adhibetur contagium: ægri vero ut plurimum juniores sunt, nondum adulti, & si robusti, corpus per diætam & medicamenta ita disposuere, ut non magna movere possit bella.

Interrimunt communes variolæ in aliis periodis, ubi toto corporis habitu pustulis obsesso perspiratio inhibetur circulatio prævertitur, & pus absorbetur: hæc vero in insititiis occurrere nequeunt, cum pauciſſimæ plerumque sint numero.

§. 38. Nulla tandem inurruntur cuti stigmata: quia materies pustularum blanda est, non vero acris: sæpe etiam quia sine suppuratione disparent inoculatæ variolæ.

FINIS.

GUALTERI HARRIS

MED. DOCT. CELEBERR.

Coll. Med. Lond. Socij, atq; Cenſ.

TRACTATUS DE MORBIS ACUTIS INFANTUM.

VARIIS OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATUS.

GUALTERI

HARRIS

M. D. DOCT. CELEBERR.

Coll. Med. Lond. Socii, atq; Cæt.

TRACTATUS

DE

MORBIS ACUTIS

INFANTUM.

VARIIS OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATUS.

PRÆFATIO.

SI prior hujus libelli editio à doctis nonnullis fuerit fortè benigniùs excepta, typisque transmarinis quibusdam mandata: si epistolas aliquot ornatissimè scriptas à Medicis Præclarissimis longè dissitis, propiùsve degentibus, studio faventes meo, ut aliquibus quadantenùs prosim, contigerit accepisse; id omne solito multorum candori, aut summæ quorumdam virorum excellentium, moribus optimè compositorum; atq; in delictis alienis humaniter cæcutientium, bonitati acceptum refero. Nihil enim quantumvis eximium, scriptoque exquisitum, nedùm imperfectum, animos inflare nostros, superciliumque attollere debet. Etenim summa hominum sapientia ac scientia ea quidem est quæ insipientiam atque inscitiam communem ab oculos proponit. Et quo aliis quisquam in hac rerum Ignorantia, ac rectæ rationis inopia percipienda est sibi magis conscius, eò aliis illum Superiorem, facilèque primas in scientiis obtinere censeo.

Quamobrem alii sibi placeant, probè intelligere, cur Globus hic terrestris in certo universi loco naturaliter permaneat, neque pondere suo gravissimo in quamcunque partem aeris fluidi, quaquaversùs circumfusi, unquam declinet; quà porrò ratione levis compressio Athmosphæræ tam immensum pondus æquabiliter sustineat? alii terras illas incognitas in penetralibus telluris absconditas, aut similia tenebris obducta, nullis telescopiis pervia, profundo suo ingenio accuratè describant; alii facilè complectantur, quid ventos agitent in tantos nonnunquam turbines, undè adveniant venti, quo tam celeriter avolent, quid denique vires illorum concitatas subitò frangat. Alii aliter disquisitiones suas collocent, magnamque ingenii admirationem inde comparent. Quod si quippiam Philosophia vera pro Postulato tradat, si Axioma pro certo statuat, quod notitiam omnium promeretur, id præ aliis est, aut sit potissimum, tranquillum, scilicet, animum quantivis esse pretii, & virtutem innocentiamque, quantumlibet vulgò spretas, quantumlibet hanc puerilem habitam, blandissimis vetitorum lenociniis tantò antecellere, quantò lucem tenebris splendidiorem, quantò firmam corporis valetudinem adversissimæ magis expetendam.

Cæterùm si qui ingenio pollentes, artemque medicam penitissimè callentes, conatus in hoc opusculo meos nihil præclarum, aut laudabile, nè invidia dignum, produxisse contendant, equidem illis admodum facilè assentior, nimirum compertum multò facilius esse, magna conscribere volumina, verborum flosculis, argumentis variis, copiosis Autorum citationibus, & plurima delectatione referta, quàm opellam aliquam parvulam insigni hominibus usui, commodoque universo futuram.

Et si disquisitiones meæ; ut ut tenues, at benevolæ, quod volui infantibus innocuis beneficium minus assecutæ fuerint, non mediocris est operam ludenti consolatio, innoxios illos mortuos, nulla diligentia restitutos, à molestiis omnibus & insidiis, quibus parentes sui nunquam non exponuntur, in æternum liberari, superasque

peraſque illos Beatorum ſedes, domiciliis his fragilibus longe anteponendas, illicò capeſſere. Quinimò minimè diffiteor, ſi talia conjicere liceat, Deum Optimum Maximum, cujus beneplácito tam inferiora, quàm ſupera omnia jure merito parere debent, parvulis innocuis haud quaquam infenſum, ſed ex immenſa ſuâ miſeris mortalibus Benevolentia ac Miſericordia, tantam generis humani multitudinem, quæ noſtra opinione præmaturiùs videtur occumbere, in cœlos clementiſſimè abripere, nè tenelli illi deinceps pubeſcentes in ſocietatem aliquam improbam aliquandò cooptarentur, nè contagio ſceleratorum pervagante contaminarentur.

Certè Animarum verè Innocentium numerus penè infinitus ex hac terra in cœlos indeſinenter emigrabit, ſi verum ſit, tertiam ad minimum generis humani partem (ante ſeptimum ætatis annum, gravi corpuſculi onere, animæque ergaſtulo ſolere liberari; utcunque adultorum nimis pauci, ſeriùs morientes, magnorum criminum vix expertes, nedum ab omni culpa Innocentes, fuerint pronunciandi.

Et quidni Infantes, innocentes natos, morientes, feliciſſimos exiſtimemus, cùm in ea nos tempora inciderimus, quibus tot ſanguinis humani torrentes per totam, quacunque patet, Europam quotannis diffunduntur, altera contendentium parte pro aris & focis, neceſſario decertanti, altera indomita atque effrænata dominandi libidine ſemper flagranti, adeò ut Infantulus quidam Londini, *ſex tantum menſes natus, ante has rerum publicarum incæptas perturbationes, paulò poſt obitum Caroli Secundi, nuperi Hiſpaniæ Regis, inter collocandum Regem Borbonienſem per fas & nefas in Imperio Hiſpanico, ſpectantibus interim pauliſper tot populis tanta Europæ pericula quaſi oſcitanter, atq; Senatu noſtro impavido magnanimoque ea haud ægriùs dein ferente; Infantulus hic, inquam, miſerias cladeſque impendentes fortè præſentiens, poſtquam paroxyſmo convulſivo liberatus fuiſſet, veſpera tunc Feſtum Chriſti Natalitium præcedente, per quartam horæ partem nunc O DEUS, nunc O JESUS, clarè ac diſtinctè exclamaret: oculis tunc ſuis ad cœlos verſis, lacrymis pluribus profuſis, manibuſque, aut manu alterutrâ, tanquam orantis, interea elevatis. Hæc fidem facilè ſuperantia non modò mihi retulit, aut confirmavit, pater ipſius infantis,* Dominus Edvvorthus *Tribuni militum in ſatellitio Regio locum tenens, & quem priùs Bruxellis, A. D. 1693. febre acuta penè confectum, ac maximè deploratum à duobus Medicis inclytis habitum, Deo benedicente, Conſilio meo reſtitueram; ſed & amborum parentum, nutricis, ancillæ domeſticæ, vicinæq; matronæ, adſtantium teſtimonia jurejurando veritatem facti nemine poſtulante comprobantia, apud Cuſtodem pacis D. Richardum Bucleigh, Equitem auratum reddita, in tabulas fideliter ſunt relata.*

In hoc Tractatulo, pariter atque inſequentibus obſervationibus, nomina ægrotantium conſultò quidem omiſi, utpotè rem nullius momenti ad illuſtrandas narrationes, aut curationes clariùs deſcribendas. Quippè congruum videtur, ut illuſtres maximè viri ac fœminæ, liberique eorum, veſtitu potiùs nitido quàm ſordido, ſani quàm morbidi, in conſpectum publicum prodeant.

GUAL-

GUALTERI HARRIS M. D.

Celeb. Col. Med. Londin. Soc. atque Censoris.

TRACTATUS DE MORBIS ACUTIS INFANTUM.

CUM æstate dudùm elapsa verba fortè fecerim peritissimo consummatissimoque Medico Domino D. *Sydenham*, de successibus repetitis, quos in medendis *Infantium* periculosioribus affectibus sæpenumerò fueram expertus, sanè Magnus ille Vir attentè percontanus est, quanam ego methodo uti solerem in re adeò hactenùs desiderata, & cujus plenam notitiam (ne quid graviùs dicam) Medici omni laude dignissimi vix ac ne vix quidem sunt assequuti. Cui ego tùm protinùs methodum, quæ præ aliis mihi placuit, lubentissimè exponebam. Re tandem ab eo perpensa, ac in praxi sua tunc examinata, ille non modò methodum nostram non improbabat, sed & eam aliis perutilem fore, experientia sua propria jam confirmatus prædicabat, atque litteris me eandem consignare magnoperè hortabatur. Tanto igitur Autore calamum pro virili assumo, & saluti tenerrimorum, quantum in me est, verè inservire stadio.

Scio quàm leviter delineatam, imò incognitam sane provinciam perlustrare contendam, cùm pueruli ac maximè infantes ægrotantes nihil quicquam obstrepent, ad diagnosin luculentam, nisi quod querulis vagitibus, & proterviæ incerto idiomate, possimus expiscari; quapropter Medici non pauci nominis amplissimi, palam sunt nobis aliquando professi, se Pueris febricitantibus, ac præsertim recens natis viscendis advocatos invita quidem Minerva, tanquam ad mysterium nescio quod evolvendum, aut insanabilem aliquem affectum sanandum, plumbeis pedibus accedere solitos.

Mini-

Minimè dubium eſt, ægritudinum puerilium curationem expuiſitam perindè omnibus exoptandam eſſe, ac aliud quicquam quod in arte medica hactenùs deſiderari videatur. Nec modò viri opulenti, qui terratum & latifundiorum ampliſſimorum hæredes aut exoptant, aut ſoſpites conſervare volunt, in hac re plurimum ponunt, verùm & parentes univerſi στοργῇ ferè invincibili erga ſobolem ſuam exardeſcunt, atque in tutelam eorum tanquàm propriam ſuſpirant. Quamobrem ſi facem utut exiguam mihi videtur accendere, qua alii egregiis animi dotibus ornati opus hoc tàm imperfectum limato ſuo ingenio perpoliant, ac magis abſolutum reddant, incœpti neutiq; pœnitebit, & boni id ego conſulam.

Quiſquis igitur Infantium minimorum ſymptomata, quæ manifeſtò ſe produnt, diligenter expendet, qui craſin illorum molliculam, ſimpliciſſimam diætam attentè conſiderabit, non ita arduum & difficile penſum hoc fore comperiet, ut falſa imaginatione ductus priùs exiſtimabat. Etenim aſſerere non verebor morbos illius ætatis genere pauciſſimos eſſe, & gradu tantummodò differe; imo curationem puerorum multo tutiorem ac faciliorem, quam virorum & mulierum.

Inter ætates, ut ſenilis alterationem qualemcunque in melius ægerrimè ſuſtinet, propter partium omnium ſolidarum ſiccitatem & duritiem, atque ſaxeam ferè temperiem, ita mollities juvenilis, & tantùm non mucilaginoſa teneritudo alterationibus omnimodis recipiendis proculdubio apta nata eſt. Siccus utique eſt ſenex iis omninò in partibus, quibus infans humore excellit; nimirum oſſibus, membranis, ligamentis, arteriis, venis, nervis, ipſiſq; carnibus; quandoquidem vel oſſa infantum cartilagines potiùs dici mereantur; cumque humido tam primogenio, quàm aſcititio adeò abundent, adeò mollia & fluxibilia ſint eorum corpuſcula, certè illorum temperamentum omnium humidiſſimum eſt ritè ſtatuendum.

Et quemadmodum temperies puerorum humidiſſima eſt, haudquaquam vereor pronunciare, morbos illorum univerſos ejuſdem generis eſſe, ab una eademque cauſa produci; quòdque prout partes corporis diverſæ, ſint ſuperiores, ſint inferiores, hac vel illa ægritudine affici ſoleant; prout nempè ventriculus, inteſtina, pulmones, caput, & nervi, maximè urgentur, aut malè ſe habent, idem reverà morbus quamplurima nomina ſortiatur.

In qua aſſertione, ne paradoxon inconſulto ſuſtinere videar, *Hippocratem* ipſum, libro de Flatibus, de una eademdem univerſa morborum cauſa diſſerentem audiamus. Τῶν δὲ νόσων ἁπάντων, &c. *Morborum omnium unus & idem modus eſt. Locus verò ipſe eorum differentiam facit. Quare videntur quidem morbi nihil ſimile habere, propter diverſitatem ſcilicet locorum, quam ſit tamen una morborum omnium ſpecies, & cauſa eadem.*

Quo circa ſi humidi puerilis naturam paulum examinemus, id in nullam aliam putredinem, niſi aceſcentem, degenerare aptum, liquido conſtabit. Quemcunque enim affectum pari deprehenduntur Infantes, hoc vel illo nomine inſignitum, raro aut numquam eis deeſſe fœces Acidum redolentes, & maximè ab initio ructuum acidorum copiam, obſervare potui. Rursùm liquores fermè omnes in putredinem tendentes, acorem ante omnia contrahere ſolent. Imo lac ipſum, proprium tenellæ ætatis pabulum, ſi aliquanto diutius aſſervetur; ultro coaceſcit, & ad ignem ſine acido quocunque inſtillato ſponte coagulatur. Porro ſymptomata infantum ſingula acido, ut parenti legitimo; ortum ſuum debent.

Addatur his tonus ſanguinis debilior, & craſis nimium infirma, ita ut ſpiritus in eo hoſpitantes nondùm eo prædominii devenerint, ut functiones aut munia ſua debitè obire, aut quoſcunque humorum motus irregulares à cauſis vel externis vel internis ſuſcitatos poſſint ipſi vi propria componere Liquor nempe vitalis muſti in morem, priuſquam ad debitam ἀκμὴν exaltatus in acorem præternaturalem facilè degenerat; neque tamen idem ita difficulter tempeſtiva artis ope, in ordinem redigitur.

Et meherculè *tempeſtivorum* auxiliorum uſus, & emolumentum in ſingulis æta-

ætatibus ægrotantium, nunquam satis inculcari potest, quia principiis morborum sive Chronicorum, sive Acutorum peritus Medicus facilè subvenit, quemadmodum scintillæ primæ cujusvisincendii, quantumvis magni, facillime extinguuntur; quandoquidem vel minima mora devastationibus conflagrationis incredibilibus, ex scintillula primo contempta locum præbent. Idque ego sæpenumero expertus, sanctè affirmare possum, me diù obser vasse in acutis omnium morbis, quibus tempestivè satis accersitus fuerim, felices admodum successus, & curarionem paucis diebus peractam, modo ægrotus & adstantes imperatis fideliter obedirent, & si viscera fuerint medicocriter sana. Quod vero Febres ipsæ continuæ in primo illarum exortu, si rectè tractentur, facile averruncari possint, frequens mihi occasio periclitandi exhibebatur, cum Familiæ Regiæ Serenissimi *Gulielmi Tertii*, per quinque annos, durante bello postremo inter Fœderatas & Gallicas copias, cura mihi mandaretur. Etenim famulos ferè omnes, quotcunque fuerint, sæpè admonebam, ut me sub primum Fabris, illico accerserent. Neque *plumbeis* pedibus advenire solent nuncii, quando ægroti cum Medico gratis consilium ineunt; secus quam vulgò fit *Londini*, ubi populus [ita usu iniquo compatatum est] Pharmacopolarum aut mulierculorum peritiam amat aliquandiu experiri, dum in extremo discrimines versentur, priusquam ad Medicos confugiat, forsitan impensæ non mediocris formidine deterritus. Eventus verò fuit, quod ex quamplurimis, uno post alterum febricitantibus, inter expeditiones castrenses, vix unus quidem illorum per æstatem totam ad plures abiret.

Infantem intelligimus non modo strictiori sensu, cum *Galeno*; unicum mensem natum, aut bimestrem, aut ad summum trimestrem, verum etiam latius (uti vulgo fit) puerulum paulo provectiorem, nempè ad quartum usque annum. Pueri nomine complector deinceps ad annum decimum quartum. Quo minor autem natu est qui male valet, eo faciliorem fore morbi alicujus gravioris eliminationem, cum experientia multiplici, tum ratione ipsa suffragante, edoctus constanter affirmo. Etenim in humido quam in sicco; in molli quam in duro, quælibet impressio, sive fuerit bona; sive mala, cititus perficitur, tametsi in sicco, duroque eadem semel peracta diutius quidē permaneat. Facillimè, inquam, in morbos dilabuntur Infantes, & nisi aut serius aut imperitius tractentur, facilimè in sanitatē restituuntur.

Diagnosis affectuum puerilium, non ipsorum narratione, neque tam abexplorato pulsu, aut ob urinæ curioso examine, quàm à nutricum & mulierculorum iis assidentium responsis est extorquenda. Quippè norunt fœminæ an nausea & vomitu, & quamdiu laborarint, an lac vel cibum coagulatum rejecerint, an importuni vagitus, vigiliæ, & inquietudo, tormínibus ventris eos excruciari indicarint; an ructus acidi, vel singultus emittantur; an tussis adsit; an sedes vel pauciores, quam par est, vel frequentiores fuerint; quo colore demum inficiantur, an albidæ, virideſcentes, vel bile sint admodum saturatæ? Norunt an siti præternaturali, & proinde Febre detineantur, an ulcuscula in ore (aphthæ dictę) late serpant, atque inter cibandum molestias creent. Percontanti respondebunt, an insultus membrorum Epileptici dicti, majores vel minores, diuturniores aut breviores, repetiti vel ratiores, puerilia corpora jam corripuerint; conspicere possunt, an Gingivarum pars aliqua plurimum albescat, & proinde an Dentitionis sit tempus quo male se habent; denique an quid alicujus momenti, sive sit tumor abdominis, aut alterius partis, sive exanthemata qualiacunque, aut pustulę, vel color icteritius, aut phlegmonodes, instar Rosæ quam dicunt, extra sese prodat. Reliqua pleraque ad speculationem subtilem, quàm ad praxin, mihi quidem videntur magis attinere.

Incertæ vero diagnoseos [quę multum obtinuit] querela non tam a symptomatū defectu, quam a præpostera ac inepta medendi ratione ortum suum duxisse videtur. Sub hoc enim prætextu, & velo Med. sæpe igno-

ignorantiam & errores ſuos quoque modo celare nituntur. Neque excogitare equidem poſſum, qua ratione ſummum Numen omnia gubernans & proſpiciens, & in miros agendi ordines res quaſque optime diſponens, quodque ipſis beſtiis, & inſectis omnium viliſſimis nativam quandam & ſufficientem ſeſe conſervandi ſagacitatem communicare dignatum eſt; quorsùm, inquam, humani generis Gynecæo æquam & idoneam conſervationis rationem voluerit deficere, quæ in aliis univerſis tutandis ſuppetit.

Quod ad Pulſum puerorum ſpectat, is naturaliter quidem, aut leviſſima quavis ex causa eſt, celeberrimus, ut quodam modo febricitare nunquam non videantur. Præterea, iſta morum protervia juniores ferme omnes ſunt prædi ti, ut carpum eodem ſitu, motus expertem, vix momento plerique ſuſtineant ad pulſum attrectandum. Denique tot ſunt quæ eorum Pulſum accelerant, vel alias immutant, ut ſententia exindè lata fit ut plurimum fallax futura.

Urinæ puerorum ſanitate recta gaudentium ſunt craſſiſſimæ, ut ſi eas inſpiciat curioſus quiſquam hujus rei neſcius, affectum quempiam graviorem ſubolebit, cùm interim valetudine jam fruantur ſecundiſſima. Infantum urina una cum fæcibus inter pannos continuò redditur, atque excoriandis ſuis femoribus, quàm profundo hariolatoris examini potiùs inſervit.

Ut morbos eorum rectiùs inveſtigemus; cauſæ procatarcticæ notitia non eſt in totum prætereunda. Ea autem potiſſimùm refertur ad diſpoſitionem tam maternam quam paternam, qua principia prolifica tùm temporis conſtabant, cum conceptus ipſe primum tranſigeretur; ac deindè ad illud alimenti genus quod in utero materno vitæ & motus ſtamina inchoantibus, per umbilicum, vel etiam poros carnis, nè dicam cutis, tunc apertiſſimos tranſmiſſum fuerit ad nutritionem debitam fœtui præbendam.

Nemo eſt qui inficias ibit, morbos dari hæreditario, à parentum altero prognatos: quis dubitet, quin arthritis, epilepſia, calculus, phthiſis, &c. à fonte paterno in filiolos nonnunquam profluant? Integræ familiæ ex eadem proſapia oriundæ, ſæpe eodem morbi genere vitam claudunt. Scilicet ſemen prolificum ſæpè diatheſin morboſam fœtui adeò elavo trabali infigit, ut nulla unquam arte vel induſtria in poſterum amoveri queat. Verum qui progeniem fortem, vegetam, & perquam ſanam pecuniis anteponunt, à traduce Epilepſia; à Scrophuloſis, & Leproſis genitricibus imprimis caveant.

Hæreditariæ verò labis pueros ad ortu inficientis nullam exiſtimo cauſam eſſe frequentiorem, quam quæ a matre in utero geſtante participari ſolet. Prægnantes enim mulieres mille erroribus in victu ſunt pronæ, mille caſibus fortuitis expoſitæ, quibus aut terrefactæ, aut alias illæ læſæ, injurias indelebiles fœtui à tenerrimis unguiculis ſæpè ſæpius communicant. Quàm abſurdis enim deſideriis interdùm urgentur prægnantes; Hæc carbones, illa gypſum, tertia cineres dedevorat, & in ſummis deliciis habent; hæc carnes, illa piſces crudos comedet; imo non defuere, quarum appetitus adeo enormiter fuit depravatus, ut nullum edulium eas reficere poſſet, niſi quod ex corporis humani parte aliqua callosa conſtaret. Quinetiam quanta imaginationis vis in Gravidis pollet, quot portenta produxit, Maculas omnis generis fœtibus impreſſas unuſquiſque in via quotidie conſpicit. Atque ſi hiſtorias Gravidarum admirabiles ubicunque colligere mihi nunc eſſet animus, hoc eſt, ſi ſub umbra eruditionis copioſæ memet tanquam inſatiabilem librorum helluonem magnopere venditarem, locus eſt jam a cepto docta deflectere, & in amplum campum, ut ut alienum, exſpatiari. Sed malim inſtitutum recta proſequi, & brevitati ſtudere, quam plurimis verborum ambagibus, atque Autorum diu tritorum citationibus ineptis, ſcientiæ falso ſic dictæ oſtentationem facere. Quippe ſemper ratus Doctiorem revera quenquam eſſe qui de re una aut altera ex proprio penu ſcit verum pronunciare, quam qui mille autorum litigantium ſententias, indiculorum quantum-

vis

vis peritus, noverit congregare.

Genitrices istæ, quę in hosce appetitus depravati effectus magis sunt proclives, eam labem fœtui inurunt, quæ non nisi temporis medicantis ope in solidum est eluenda. Pauperculæ, quarum animos à melancholia detinet labor, vel ministerium aliquod quotidianum, & quarum victus tenuior est & simplex, depravationes recensitas minime omnium experiuntur. Præ cæteris hystericæ mulieres (quibus annumerare possumus longe majorem earum partem quæ cuticulam lautius curant, otioque liquescunt, & quarum sanguis lento torpore perinde coacescit, ac stagnantes aquę putredinem subeunt) diathesin morbosam fœtui una cum primis naturæ rudimentis nunquam nō communicant. Siquidem *mali corvi malum* (ut aiunt) *ovum*.

In cæteris animalibus innata generis bonitas proli certissime transfertur, partim quia victus eorum simplicissimus est, & partim, idque potissimum, quia mas naturę leges inviolatas universim servat; neque est piaculi istius reus, ut gravitandi fœmellæ se unquam commiscere voluerit, postquam sive odore, sive instinctu suo admodùm sagaci, nè dicam rationali, fœmellam utero ingravescere suboleverit. At vero genus Humanum (cujus ratio intumescens plerumque dictat cristas in sublime erigere, & præ se brutum omne semper aspernari] quovis hirco fere salacius, indomitam suam libidinem adeo nescit gubernare, ut à prima conceptione ad ipsum parturiendi momentum, fœminam vix desinat importuniùs exagitare. Hinc viri torosi & vegeti prolem valetudinariam non raro progignunt. Hinc annosi senes, scilicet ab effrænatis amplexibus (benigno naturæ favore) jampridem emancipati, liberos rectiùs valentes ex effęto suo semine plus semel procreant, quàm juvenes utcunque strenui, atque æstu venereo flagrantissimi solent.

Post causam procatarcticam prædictam, à principiorum generationis conditione ac statu deducendam, aut à matre gravida plurimum pendentem, causa eorum affectus propiùs respicientes ad quatuor capita referri possunt. 1. Ad frigus susceptum. 2. Ad lac nutricis nimis crassum. 3. Ad carnis deglutitionem præmaturam. Et 4. ad insanam matercularum, ac nutricum plerumque indulgentiam, in pitissatione vini, aut liquoris alicujus spirituosi, suis infantibus non raro permittenda.

Et primo frigus ad iis facillime susceptum, idque frequenter ad aere vespertino, viam sæpissime sternit affectibus febrilibus, quibuscum jactari solent infantes. Quandoquidem nullo naturali vestitu, prout cætera animalia, matris utero nudi prodeant, ratio, vel potius naturam statim dictat, sobolem adeo ope propria destitutam, alienam eo magis necessario requirere, atque involucris admodum calidis esse sartam tectam conservandam. Prætereà aeris mutabilitas, & vicissitudo continua nunc caloris, nunc frigoris apud nos se invicem excipientium aperte monent, nos cunctos maxime sollicitos esse oportere in protelandis aeris injuriis. Quo tenerior enim est alicujus, etiam adulti, natura, eo magis subjicitur externis aeris impressionibus. Verum tenerrima omnium & mollissima est infantum crasis; & nisi summa adhibetur cura in vestimentis adaptandis, non splendidis & sumptuosis, sed calidis atque ætati idoneis [idque potissimum in pueris honeste natis] morborum insultus vespertino frigori debites non diu effugere possunt. Atque amictus exquisita ratio [quicquid contra obstrepent athletici nonnulli) singulis ætatibus ità necessaria videtur, ut qui valetudine minus firma per totam vitam langueſcunt (in quantum mihi observare licuit) ut plurimum spiritum diutius ducant, & frequentius in senectutem vergant, quam qui sanguineo, carnoso, & temperamento robustissimo, hoc est, optimo sint natura prædíti. Quod nihilo magis quam summæ vestimentorum illis curæ, his incuriæ, merito attribuendum est.

2. Nutricis lac nimis crassum. Etenim si nutrix vino aut poculis spirituosis ebibendis dedita sit, lac ejus re-

pentè flammis succenditur, & per mammas ignes ferè inextinguibiles lactentibus facilè transmittuntur; sin eadem mariti amplexus intempestivos, durante lactationis tempore, lascivior admittat, menses ex coitu irritari solent, & propterea lac corrumpitur, & coacescit, atque aliorsum derivata lactis materiam id sensim diminuitur, ac strigosus infans victu incongruo aliquamdiu lacessitus multoties enecatur. Si denique nutrix hysterica fit, hoc est, teneriori & delicatulo temperamento prædita, ut ut casta sit, ac sobria, tamen lac degener, & crassius, tandem aliquando ex ipsa temperie est evasurum. Quanto igitur discrimine versatur universum lactentium genus. In quàm lubrico exponitur prolis innocuæ salus! Mehercule ex hac, & causis illicò recensendis fieri solet, quòd pagorum in vicinia *Londini* campanæ funebres fere semper sonare audiantur, ob infantem aliquem innocuum nutricis errores immeritò luentem, ac non alia de causa fato jam defunctum, quam quod nutricem nactus sit minùs sobriam, immundam, protervam, aut morum turpitudine aliqua coinquinatam.

Quinetiam ex eisdem causis pendebat observatio, quam non ita pridem fecit fide dignus Theologus, duodecim mille passibus à *Londino* Parochiæ Rector, qui cùm animi dolore gravissimo mihi serio narrabat, suam Parochiam limitum spatio, & numero incolarum non parvam, atque in aere admodum salubri sitam, fuisse sub primum ejus adventum infantibus lactentibus quaquaversus repletam, & nihilominus intra spatium unius anni se universos (duobus tantùm exceptis, & unico suo libero, quem parum firmum curæ meæ, ex quo primum natus est, non inauspicato commiserat] tumulo mandasse, nec non eundem numerum infantulorum statim bis suppletum [pro more nutricum mercedi soli inhiantium) ex urbe per totum terrarum orbem fortè maxima, & semper inexhausta, se eodem isto anno terræ parenti ante diem redidisse.

Ad hæc crassities lactis, undecunque nata, nequit non secum trahere diversi generis incommoda, cum infantum corpora præ omnibus aliis continuò fluida esse debeant, cum ductus tenuissimi chylo transferendo destinati sint aperti conservandi, cum denique crassities ipsa alimenti præternaturalis adversa sit naturæ infantum fluidissimæ, atque obstructionibus primarum viarum quibuscunque locum præbeat.

3. Ad præmaturam carnium, ne dicam esum, utpote in edentulis, sed deglutionem. Est autem res perquam admirabilis, quod matres infantes suos victu ita prorsus incongruo & omnifariam improprio, penitus jugulare non vereantur, quos tamen ita perditè amant, ut illorum amore plane insanire conspiciantur. Quis enim serio existimet solidam tenacemque carnium substantiam infantibus tenellis commodam fore, qui nullos adhuc dentes ad masticandum extrusos, vel si qui forte extrudantur, minime firmos habent ad opus masticationis quadantenus peragendum? Quisnam ingenii acumine leviter prompto donatus, alimentum proprium virilis & insigniter robustæ ætatis, tenerrimæ & simplicissimæ, ad viribus maxime infirmis præditæ, quomodocunque convenire pronunciaverit?

In omnibus ætatibus diætæ ratio exquisita non est prorsus negligenda; sed quia juniorum temperamentum injurias ex ea parte inflictas facillime omnium suscipit, atque vires affectibus resistendis impares habet, ideo cautela diligentiori iis opus est ad istiusmodi errores præveniendos. Ingluvies enim carnis præmature ingestæ cruditatum est feracissima, quæ voraci huic ætatulæ fere inseparabilis. Alimentum crudum & indigestum humorum putredinem necessario progignit; ex qua putredine non solum lumbrici generantur, verum etiam symptomata diversa, & gravissima, eaque valde anomala, quibus miselli intabescunt sæpissime pendent.

Hic obiter animadvertendum, crudita-tes infantum ex abundanti quotidie accu-

mu-

mulari, eo quod nutrices fere omnes statim ab usu victus, qualiscunque is sit, eos obdormire nunquam non permittant.

4. Ad pitissationem vini, aut liquorum spiritibus abundantium imprudenter concessam. Hæc etiam causa, sicut & præcedens, ad fatuam matercularum indulgentiam est referenda. Quippe augurantur, ea quæ ipsis bona & jucunda, & quæ cor ipsarum sollicitudine oppressum exhilarare solent, neutiquam posse infantibus suis in vitium vertere. Quasi vero eadem caliga omnibus pedibus aptari, quasi crepundia viris, virilia pueris accommodari possint! Mehercule bonæ istæ mulieres non satis advertunt, quàm dura ac tenacia sint sua tergora, & quàm molles & renatæ juniorum pelliculæ; nequaquam recordantur, quod alterius alimentum (ut dici solet) fuerit nonnunquam alterius venenum; denique ex animo tollunt, quod stomachus suus ferme oblatrans non nisi bovina quandoque satietur, cum appetitus horum languens, & debilissimus, panatellæ ægre digerendæ vix sufficiat.

Quo proprius vero ad senectutem quisque vergit, eo magis illi vina moderate sumpta convenire solet. Quandoquidem calor senum languidus succendiculis spirituosis plane indigeat, quæ ex vino copiose suppeditantur, ad naturalis illorum caloris tum conservationem tum incrementum. Quapropter infantum naturæ, utpote à senili longissime dissitæ, vinum est maxime alienum, quorum nervi omnes debilissimi illo facile franguntur, & quorum tenera corpuscula subtili calore vini aut sensim colliquantur, aut in flammas febriles præcipitanter ruunt.

Sed quanquam vinum sit tenerrimæ huic ætati planè adversum, nec non ferum illud lactis vino Canarino confectum, tàm sæpè ipsis infantibus à mulieribus concessum; tamen nequeo laudare, in regionibus his septentrionalibus vitam ducens, quod *Galenus* non sine ratione olim asseruit, utpotè in meridionalibus plagis degens, artemque medicam cum summa laude & gloria ibi exercens; pueros scilicet *nè delibare unquam vinum debere, ante decimum quartum ætatis annum*. Nam vinum moderatè sumptum puellis nostratibus congruit & prodest, ventriculum illarum cruditatibus obnoxium, mensibus appetentibus, roborat & tuetur, & à lumbricis generandis sæpe incolumes præstat. Aurantia, limonia, atque acidorum omne genus, carnium frigefactarum nimius esus, & maxime cum aceto, aut acetariis junctus, obstructiones pertinaces nostratibus sæpe pariunt & mensium pediodos illas primas interpellunt, & cum gravi dolore, deliquiis animi, anxietate, ventriculi perturbatione, & vomitus, illas cogunt procedere, donec tandem illum fluxum saluti omnium fœminarum tàm necessarium, penitus supprimant.

Sunt qui vini usum minimis indulgere volunt, eo quod carnibus ità præmature vescantur. Nempe coctionem cruditatum, quibus carnivori infantes sunt proculdubio obnoxii, plurimum promovere, vel in hac ætate, vinum apud illos censetur. Verum an error unus sit altero emendandus, an vero uterque potius non sit aufugiendus, non tam pluribus disceptabo, quàm observationi eorum tradam, qui infantes pauperiorum victu simplici ac sobrio necessario enutritos, cum iis divitum, & luxu semper gaudentium, inter se conferent.

Sane vina omnis generis paulo liberalius ingesta, quemadmodum & liquores quilibet alii spiritibus refert, fermentum naturale ventriculi Puerorum destruunt, appetitum posternunt, tunicas ventriculi comburunt, nec non eas instar pergameni coram igne nimis arefacti, corrugant; sed & tunicam nerveam [quod maximi in hoc casu est momenti] summopere lædunt, atque mediante hac tunica universos corporis nervos labefactant, spirituque animales in omnimodam confusionem certo certius adigunt. Quod minus omnium teneram hanc ætatem lædit, est vinum album, utpote è veteribus frigidum,

appellatum, non verò absolutè frigidum, sed comparatè ad vina alia, sive sint rubra, sive colore fulva aut flavescentia. *Galenus* autem pueros nè gustare quidem vinum, sicut paulò antè dictum est, rigidè imperavit.

Omnes causæ ægritudinum infantilium antecedentes, & mediatæ, quotcunque reverà fuerint, aut excogitari potuerint, in una causa proxima & immediata tandem coalescunt, nimirùm in Acido longè lateque præpollenti.

Historia igitur affectuum graviorum, quibus plerumque corripiuntur Infantes, hoc se modo fere habet:

Ventriculus illorum, à quacunque causa id primario pendet, in Acidam inremperiem nunquam non faceſſit, unde fit quod alimentum omne nequaquam in homogeneam chyli substantiam rite conteratur, verùm in lac quoddam coagulatum, Anglice, *à Posset*, continuo transeat. Inæqualis ista chyli, aut nutrimenti conditio, aciditati prædominanti jugiter nitens, nauseam, vomitiones, & ructus acidum redolentes, præ aliis omnibus parit. Si diutiùs res protrahatur, paulatim magis magisque impallescunt, nec non quippiam flavescentis aut virideſcentis coloris admixtum decolor vultus ostendit. Tùm flatibus intumescit ventriculus, atque eruptiones flatulentæ sursum feruntur. Interim pustula rubra una, aut altera (certissimum Acidi redundantis signum) in cuticula exurgit, in superiori aliqua corporis parte, nunc scilicet in gena utravis, nunc in mento, nunc in fronte, aut in colli regione, aut quandoque inferius; atque infans in dies in deterius vergit. Sed & idem anhelat, & cum stertore aures adstantium feriente nonnunquam spiritum ducit; quo quidem symptomate semper laborare deprehenditur (maxime si carnosior sit) quoties morbus in acutorum partes transit. Porro tussicula levi, eaque sicca, & nonnunquam suffocativa, sæpius urgetur: Sicca quidem tussi ab acrimoniam humorum ramulos asperæ arteriæ valdè sensiles continuo vellicantem; suffocativa autem propter bronchia pulmonum serosis humoribus in ea depluentibus, neque exitum invenientibus, gravissimè onusta. Quinetiam quia nervosi generis debilitatem maximam habent, atque mollitie temperiei summa ac delicatula sunt donati, ideo vim tussiendi molestissimam ferre nequeunt, atque agitationi pectoris violentæ, quasi suffocati, & nigricantes facie, fere succumbunt. Sin coagulationes præfatæ ex ventriculo in intestina (quod sæpissime fit) mox descendant, nunc tormina ventris, nunc dejectiones alvi virideſcentes, nunc verò diarrhœas violentas producunt. Dum verò in ventre inferiore agitur tragœdia, aut torminum dolor ingens febrim acutam accendit, quæ minùs peritè tractata plerisque infantibus vitam eripere solet; aut dolor aliquantùm mitior, curationi qualicunque imperitæ fortè cedens, in tumorem abdominis duriusculum sæpè desinit, qui in nonnullis aut rachitidi, aut scrophulis producendis commodè inservit. Gelatina quædam tremula (proxima lumbricis generandis materia) nunc albidior, nunc fusci aut flavescentis coloris, nunc viridi juncta, nonnunquam sponte, sed sæpiùs à recta medicamentorum operatione, unà cum fœcibus excernitur. Fricant interim infantes sæpissime sua nares, quod non modo præsentibus lumbricis contingit (quemadmodum mulieres vulgo credunt) verum & in unaquaque Febre, quæ ab humorum corrup. tela exoritur; acrimonia enim humorum sursum lata sensiles narium membranas, tum in acutis, tum in chronicis affectibus plerisque, tamque in adultis quàm junioribus, vellicare aut pungere solet. Tormina ventris memorata vigilias, inquietudines, querimonias, aut ejulatus quosdam noctes diesque efficere solent, quibus quoquo modo compescendis nutrix toties quoties mammas lactenti admovet, quo induciæ quædam molesto suo officio aliquantisper interponi possint. Cæterum si nutricula rerum domesticarum penuria etiam laboret, atque idcirco infantem sordo aeri ejulantem subindè derelinquere cogatur, vel si ea mercedi soli inhians [ut sæpenumero fit] nulla commiseratione versus plorantem teneatur, illè hernia intestinali, aut omentali, ad

plu-

res ſæpe annos perſeverante vulgo detinetur. Porro lac & cibus omnis (durantibus ſc. torminibus) minus recte concoquitur, magiſque aceſcit & coagulatur; febricula ſenſim exoritur, ſitis intenditur, artus omnes flaccidi fiunt, collum non ſuſtinet capitis onus, atque tenellus fit quotidie magis magiſque debilis. Utque finis illorum ægritudini tandem fiat, Motus Convulſivi, aut membrorum ſubſultus debiliſſimo ſuperveniunt: Et cum nervi nullam ulteriorem vim muſculis cordis commovendis & ſanguini per arterias (circulationis lege) protrudendo relictam habeant, albedines oculorum ad Cœlos (proprium innocentiæ nullatenus violatæ domicilium) natura ſurſum ferantur, atque infans breve vitæ curriculum immature conficit, antequam recta ratio edocuerit, quàm ſit reverà miſerum in rerum natura diutius verſari.

Si Dentitionis ſit tempus, quo male valent, pleriſque ſymptomatum prædictorum cruciari ſolent, atque inſuper aphthæ, ulcera oris caliditatis fere igneæ [cruſta quaſi inalbeſcens] quæ ante dentitionem ab ortu primo ſæpe adveniunt, & nonnunquam ſerius, ſed quæ hoc potiſſimum temporæ prædominium habent, os totum adeo interdum exulcerabunt, ut nec mammas quantumlibet dilectas, neque cochleare pulticula repletum queat ſine moleſtia admittere os ipſorum tenerrimum, & quaquaverſus exulceratum.

Addam, ore Infantum aphthis multum ſauciato, ſæpe accidere, ut neque vagitum aliquot diebus emittere, neq; lacrymam ex oculis deſtillare poſſint, quamvis oris teneritudine ſumma, & calore intenſo, nec non aliis febrim concomitantibus malis, miſere excrucientur. Atque idcirco iis rem bene augurari ſoleo, cum ex mutis in clamoſos illi vertentur, cumque ſub exitum morbi fletu & plangore tota domus compleatur.

Pueri natu paulo majores febrilibus ſymptomatis tentati, de capite affecto plerumque conqueruntur, cujuſmodi dolorem rarius idiopathicum, ſed ut plurimum ſympatheticum eſſe, nimirum ex ventriculi & inferiorum partium dyſcraſia pendentem, veriſimile quidem videtur.

Quod univerſa hæc, & conſimilia ſymptomata immediate proveniant ab alimenti nimia coagulatione, aut incraſſatione, eaque longe majori, quàm quæ infantum naturæ quomodocunque convenit, quorum ductus omnes fluidi neceſſario debent eſſe, quodcunque iſtiuſmodi coagulatio aut cuipiam aciditatis gradui jugiter ſe debeat, aut ſaltem exinde proficiſcatur multo ſæpius quàm ab alia quavis cauſa, luculenter conſtabit, ſi quæ ſenſibus ipſis, aut demum curationi [quę acidum obtundentibus, & coagulationes ſolventibus optime inſtituitur] fides certo adhiberi poſſit.

Frequentes vomitiones gelatinæ tenacis, aut pituitę cujuſdam viſcidę & coagulatæ, ejuſdemque nonnunquam viridis, cum vehementius ęgrotent; halituſque eorum ſępenumero acidum redolens, ſunt res ſenſibus admodum manifeſtę.

Quod viridis ſęcum color, acido bili admixto, ſe prorſus debeat, obſervationi ſenſibili illorum, qui experiri amant colorum in viridem mutationes, aceto & ſpiritibus acidis perficiendas, evidenter apparebit. Prętereà odor dejectionum viridium, nunquam non curatricibus acidus appellatus, idem dilucide commonſtrat.

Torminum dolor immanis in ventre inferiore, unàque pallor faciei inſignis, humorum acidorum prędominium aperte confirmant. Porro quandocunque diris cruciatibus pueruli torquentur, ut ut ſanguineo prius, & florido corporis temperamento fuerint donati, tamen tum temporis ſummè impalleſcunt, niſi quod genarum rubore, eoque in pallidum facile ac cito redeunte, ſubinde ſoleant perfundi.

Hic obiter annotabo, quod honorem (ſi quis ſit) novę hypotheſeos invenienda nullatenus ambiam, neque ſi hypotheſin aut excogitaverim, aut quoquo modo ſtabiliverim, mei eſſe ducam, omnimoda argumenta, invita quidem natura (ut moris eſt) cogere, ut dictæ hypotheſeos veritati fidem faciant. Res ſiquidem primaria artis medicę, & quę generis humani ſalu-

ti unicè inservit, in tali morbor dignotione versatur, qualis experientia & curatione ipsa tùm fundatur, tùm corroboratur. Reliqua enim quæcunque φαντασίαι explicatio, quantumvis docta & subtilis habeatur, Sophistam acutum, aut Philosophum impropriè sic dictum, aut ingenium promptum non rarò ostentare potest sed Medicum revera peritum, atque arte sua præstantem, haudquaquam denunciabit. Etenim omnes istæ perbellæ speculationes, & animis juniorum lasciv ientibus (perindè ac Poeti volatus) semper admirabiles, sæpe nusquam existunt, nisi in ipsa Inventoris phantasia; atque ab iis etiam, qui praxi medica minus omnium fæliciter valent, haud rarò solent excogitari. At vero ideæ morborum solidæ ac veræ nunquam recte ediscuntur, nec earundem veritas nisi in ipsa Praxi aut dijudicatur, aut comprobatur.

Scio quàm obnoxia subtilibus omnium animadversoribus videatur hæc notio acidi à nobis existimari in omnibus puerorum affectibus insignioribus prædominum habere. Neque tamen disceptabo, nimius in hac re, an singulæ aciditatis notæ, quascunque homines nasutuli, altercationibus gaudentes, aut negotiis vacui possunt comminisci, acido illi, quod in ventriculo puerorum dominari affirmo ad unguem quadrent. Votis meis abunde sufficiet (ut ut in perpolienda notione minus perfectà laborem (si ità fælix fuerim, ut Curationis methodum efficaciorem, ac certiorem ea quæ hactenus passim obtinuit (quod lubens quidem relinquo iis, qui veritatem dictorum experiri volunt, determinandum) tandem indigitare valeam.

Nihilominus non præteribo quæ Medicorum omnium facile Princeps, *Hippocrates*, de Causis morborum paulo fusius explicat in libro *de Veterì Medicina:* Ut scilicet plane evincat, morbos universos non primis, at secundis qualitatibus originem suam debere. Verba igitur ejus sic se habent: Οὔτε γὰρ τὰ ξηρὰ, οὔτε τὸ ὑγρὸν, οὔτε τὸ θερμὸν &c. *Non sicco, neque humido, neque calido, neque frigido, neque horum quoquam hominem lædi existimarunt* [nempe veterum Medicorum præclarissimi] *neque horum aliquo eli opus esse. Sed quod in unoquoque potentius esset, & suprà naturam humanam, adeò ut ab ea superari non posset, id lædere censuerunt, & tollere conati sunt. Est autem valentissimum inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & quod in re quaque summum est. Hæc enim in homine inesse, eique nocere videbant. In homine namque inest & amarum & salsum, dulce, & acidum, & acerbum, & insipidum, aliaque infinita, quæ pro copia & viribus varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione, & mutua inter se contemperatione, neque cernuntur, neque quenquam molestia afficiunt. At ubi horum qui piam secretum fuerit, & per se extiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem molestia afficit. Quin & ex cibis qui minimè nobis conveniunt, & qui in corpus ingesti hominem lædunt, horum unusquisque aut amarus est & minimè temperatus, aut salsus, aut acidus, aut alio aliquo modo intemperatus & vehemens, ideòque perturbationem in corpore efficiunt.* Et postea Οὐδὲ γὰρ θερμὸν ἂν εἴη τὸ τὴν μεγάλην δύναμιν ἔχον, &c. *Neque enim est calidum, quod magnam vim habet, sed ipsum quatenùs acerbum, & insipidum, aliaque, de quibus dixi.* Rursus, Οὐ διὰ τὸ θερμὸν πυρέσσουσιν. *Non propter calidum simpliciter homines febricitant, neque ipsum solum affectionis causa est, sed est & amarum & calidum idem, & calidum ac acidum, & salsum ac calidum, & alia infinita; ac rursus frigidum aliis facultatibus coniunctum,* &c.

Ex his, & quampluribus ejusmodi aliis in libro prædicto fusiùs explicatis liquidum est, nostrum divinum Senem sapientia medica omnibus aliis præluc entem, pro certo determinasse, secundas illas qualitates, nimirùm aciditatem, amaritudinem, salsedinem, & consimiles, symptomatis caloris aut frigoris conjunctas, esse, ut causas morborum principes & efficientes, præcipuè considerandas. Et proindè addere nullus dubitabo, quòd naturaliter sequatur, Curationem ipsam non tàm ad calorem frigore extinguendum, quàm ad aciditatem obtundendam, que-

quemadmodum & amarum alterandum, salsum contemperandum, crassor humores incidendos, tenues & nimis fluxos compactiores reddendos, asperos leniendos, ac denique obstructos corporis ductus aperiendos atque infarctu liberandos, imprimis dirigi oportere.

Verùm antequam *Curationem* ipsam aggrediar, operæ pretium videbitur *prognostica* quædam, ut usu laudabili comparatum est, præmittere.

Prognosis autem, prout mihi videtur, potius pendet ab ipsa Curationis methodo recta vel secus facta, & à nutriculæ moribus, aut obsequia, an scilicet sibi nimiùm placeat, *solaq; sapiat* (quę, proh dolor! mœsta est consideratio) an vero morigera sit, &, quæ in mandatis habent, fideliter exequatur, quàm ab infantum ac puerorum ægritudinibus sæpè ipsis. Leviores enim ex se sunt puerulorum febriculæ, neque tam exardet, aut efflagrat eorum calor febrilis, quam suo modo paulum intendi rectius dicatur; nisi cum ars inepta cardiacis igneis & spirituosis nitens, auspiciis admodum, sinistris, in auxilium advocetur.

Corpulenti & obesi infantes, pituita diffluentes verticis regionem mollem [pulpæ ad instar trémulæ] & apertam quam dicunt Anglicè *an open mould*, ab anteriori ad posteriorem cranii futuram persępè excurrentem, diutius retinentes, rachitidi, tussi convulsivæ, aphthis difficulter cedentibus, ac tandem scrophulis, maximè sunt obnoxi.

Macilenti & stringosi sunt omnium tenerrimi, acri calore, pro ratione ætatulæ, adurunt, & in febres pessimi moris; hoc est, illis quadantenus inflammatorias, & nervoso generi adversas, sunt ut plurimum proclives.

Pueri ex matribus hystericis, teneris, morbosis, fructus horarios aut acetaria (tempore gestationis) continuò devorantibus, aut acida & acerba quæcunque tunc temporis percupientibus, aut ex iis quæ sunt ventricolæ, ac mera abdominis mancipia, aut denique appetitus insigniter depravati, cujuscunque fuerint generis, regnare solent, hisce, inquam, parentibus orti, è gravi aliquo morbo difficiliùs convalescunt.

Quicunque alvo sunt laxiores præditi, melius sese habent, quam qui adstricta.

Tempestas verna, atque æstiva, febribus illorum citò propulsandis maxime omnium favent, minus vero tempus autumnale aut hyemale.

A medio mensis Julii ad medium fere Septembrem tormina infantibus epidemica (utpotè quorum vires æstus tempestatis annuus tunc penitùs exhaurire solet) adeo quotannis increbescunt, ut plures tenelli unico tunc mense, quam tribus vel quatuor aliis mensibus, vulgo extinguantur.

Convulsionibus & tormina diuturnis & pertinacibus vigiliis stipata, res in extremum deductas esse discrimen luculenter ostendunt.

Convulsiones, aut saltem membrorum subsultus, tenellos hac vel illa ægritudine aliquandiu debilitatos, aut regimine calidiori paulò plus incensos, coronidis loco, ad finem miseriarum, quibus excruciari sunt, ut plurimum perducunt.

Quod ad *Infantium affectuum Curationem* attinet, nullus (quod scio) omnium Autorem, qui de hisce rebus, quemadmodum & de aliis universis ad curandos morbos spectantibus volumina solenniter evulgarunt, eam satis indagasse nobis quidem videtur. Mehercule morbos multiplices accurate describere, causas ornate recensere, signa tam diagnostica quam prognostica pro more tradere neutiquam neglexere Semitam diu tritam alter ab altero similibus vestigiis pressit; atque ut plurimùm posteri, quæ à prioribus acceperunt, absque nimio examine sunt facile amplexi. Pauciſſimi quidem fuerunt qui *Indicationes Curativas* alias quam vulgares stabilire sunt ausi, qui observationes ex natura infantum genuine deducendas, magis quam fictitias atque artificio singulari concinnatas, scripto prodiderunt.

De *Affectibus Infantum*, optime omnium, quos mihi perlegisse contingit, tractatum edidit *Sylvius de le Boe* qui *acidum*

esse

esse veram ac generalem eorum causam strenuè sustinuit, sed qui partim ob vehementem suum ardorem ergà chymicas quasdam præparationes maximè volatiles atque eo nomine calidiores, & partim ob Opiatorum continuum ferè usum, vel in tractatione minimorum Infantium (ut *Doctoris Opiatis* nomine non immeritò distingueretur) quod in theoria doctissimè, simul ac verissimè, magna ex parte stabiliverat, in praxi planè labefactabat, si non funditus diruere.

Si quid igitur fundamenti stabilis ad *Infantes* curandos jacere desideremus; teneritudinem eorum, atque imbecillitatem naturalem præ oculis habere imprimis oportet. Eligenda etiam nobis ejusmodi medicamenta, quæ tenerrimis maximè conveniunt. Etenim quo mitiora ac tutiora sunt remedia quæ adhibemus; eo certiùs ex animi sententia succedet eventus. Et profecto medicamentorum nobilium ac generosorum [uti vulgo dici solent] usus nunquam aptius quam in tractandis *Infantibus*, lata medicinæ provincia exulare potest. Quorsùm enim inserviunt ignium intensissimorum dies noctesque deflagratio, ad vires mineralium extraendas, ubi alteratio quælibet facilè peragitur? Quænam obsecro, harmonia naturalis excogitari possit inter duritiem metallorum ferè impenetrabilem, & quasi ceream temperamenti infantilis mollitiem? Quoniam pacto appetitus admodum debilis, qui panatellæ aut ipsius lactis victùm tenuissimum ægrè admodum digerit, medicamentorum naturæ incongruorum, ac inflammabilium vim causticam possit sustinere? Quemadmodùm alimentum ipsorum simplicissimum, ita & medicamenta iis vulgo exhibenda debent esse simplicia, à naturali suo statu parum recedentia, atque artifici nimis operosi ut plurimùm expertia.

Quandoquidem humorum *aciditas* causa extat primaria omnium affectuum quibus tenera ætas excruciari solet, totum curationis artificium in acido expugnando unicè versatur. Sanè nebulæ quamplurimæ oculis tyronum obduci possunt, quo minus veritas sedulo indagatori pateſiat. Cæterùm si quod verum est candidè pronunciare fas sit, neque operam & oleum perdere efflagitemus, quæ ad acidum expugnandum recta tendunt, sola curationem promovent; quæcunque verò eò non spectat, tenera infantum corpuscula magis, vel minùs, saltem lacessunt.

Verùm *acidi* subjugatio *duabus* solummodò *Intentionibus* innititur. Nempè primò, ut aciditas *præparetur*, atq; reddatur idonea, quo melius è corpore eliminetur. Secundò, ut acidum sit ritè præparatum evacuationib. debitis *expurgetur*. Altera sine altera scopum vix attinet; sed vis ambarum, alterius alteri opitulantis, affectus eorum acutos citò ac tutò amovebit, modo tempestive adhibeatur; atq; vel diatheses morbosas chronicas dictas haud parùm contemperabit.

Tenerę ętatulę *Purgatio*, durante scilicet morborum acutorum vigore, prima facie discriminis plena, & supra vires esse apparebit. Atqui emolumenti certitudo ex methodo jam describenda pro periculo faciendo apologiam optimam dabit.

Purgatio quidem ipsorum *adultorum* febribus continuis laborantium eandem periculi simul ac audaciæ speciem inexpertis præ se tulit, Veruntamen eventus ejusdem auspicatus, nupetis Medicorum aliquot imprimis peritorum experimentis plurimum comprobatus est. Primus autem nostratium catharseos benifica *vel ipsis febribus* evulgavit incomparabilis iliis febrium omnis generis debellator, & practicus insignissimus Dominus *D. Sydenham*, qui in *Schedula* sua *Monitoria* paucis abhinc annis typis mandata *methodum* suam debita opera exposuit, ad Epidemicam illam Febrium propulsandam, quæ tùm temporis grassabatur. Atque ita porrò exinde promeritus est, quod nobis videtur, ut nullum unquam sæculum (quamdiu Medicinę ars florebit) ejus nomen conticescat, nempè qui pariter diaphoreticorum tàm apud nostrates quàm externos usum nimis vulgarem in pluribus locis operum suorum reprehensione acri sæpè perstrinxit. Neque siluit Vir clarissimus in operibus suis jampridem editis, nimirum in *Peripneumonia Nothæ*

[morbo

[morbo apud nos non ita rarò] curanda, ut & in aliis affectibus, eximium catharticorum usum antea inculcaverat, atque in *Postscripto* operibus ejus universis pridem suppraddito *Febris hyemalis* nuncupatæ duram in *purgando* unicè posuerat. Tantus scilicet Viri ferè septuagenarii, valetudine maximè infirma laborantis ardor in annum publicum indignè tulit fato jam in procinctu stante impediri, quo minus Observationes suas circa hanc materiam omnibus numeris absolutas in *Aurea illa Schedula* tandem redderet.

Quod verò *Catarsis* [quanquam inter Arcana medica haud numeretur, atque mirabilibus Chymiæ vix quicquam debeat] sit omnium auxiliorum, quotquot ferax hominum curioforum inventio unquam excogitavit, revera primarium, inducor quidem ut credam, ob hanc potissimum rationem; nempè quia firmam corporis veletudinem vix quisquam obtinet, aut illæsam vel paulisper conservare potest, qui alvum non habet de die in diem *catharsi naturali* mediocriter solutam: quæ quidem *catharsis naturalis* perinde est necessaria ad vitam sustentandam, & salutem corporis conservandam, ac cibus & potus noster quotidianus ad ipsum corporis nutrimentum. Neque enim ratio videndi magis inquirit, ut pars cibi melior & succulentior per venas lacteas transmittatur, ac debitum nutrimentum corpori præbendum, quàm quòd pars ejus crassior & deterior (quæ nimis diu retenta halitus noxios, & quasi venenatos, sursùm emittit) natura aut arte per sentinam corporis expellatur. Et profecto eam gloriam sibi ipsi *purgatio* jure acquisivit, ut, ex usu vulgato, nomine *Medicinæ* amplissimo sola omnium insigniretur.

Septennio elapso ante primam hujus opusculi editionum mox mihi fuit *in febribus puerorum*, nec non *infantum* vel minimorum; secundum method. jam laudatam, *catharsin* adhibere; licet id in adultis negligerem: & quantum res ex animi sententia successit nequeo facilè narrare.

Quamobrem cùm primum *Schedulam* præfatam attentè perlegissem, eadem animi lætitia perfundebar, ac si insignem aliquem favorem à Numine Divino me recepisse contigisset. Itaq; facillime tunc adductus fui ad feliciter experiundam methodum illam catharticam in adultis, qui ex eadem in juniorum febribus successus optatos sæpissimè fueram expertus.

Sed notandum quod symptomata febrilia tunc temporis caput potissimùm impeterent, & ventriculum immunem ac fere intactum relinquerent, quodque natura febris illius Epidemicæ adultorum catharsi magis faveret, quam in succedenti febre contigit, in qua nausea & vomituritio ventriculum maxime perturbari, & pro catharticis emetica fore necessaria protinus indicarent. Et Medicum illum præclarissimum equidem commonefaciebam, de manifesta alterationis tam diu prædominatis. Sed vires seniles corporis ita fractas & imminutas tunc fuisse idem agnoscebat, ut nullum amplius judicium de morbis popularibus ferre, neque ad visendos ægrotantes ædibus suis egredi in posterum valeret.

Adjiciam quod Febris Epidemica, quæ anno præterito ac præsenti ubivis grassata est, atque tot familias tam ruri quàm oppidis degentes nuper corripuit; quæ Caput præ alias corporis partibus adoritur; & quæ remissioribus & paroxysmis incendii febrilis insignibus, citra frigus aut rigorem manifestum, durante ejus statu, sæpe conspicua est; evacuationibus repetitis [ut nobis videtur] certius, tutius & citius cedit, quàm aut Cortici Peruviano [scilicet spretis, vel posthabitis illius usui evacuationibus] aut aliis quibuslibet methodis, sive Cardiacis constent, sive Diaphoreticis medicamentis.

Prima autem *indicatio* in curandis infantum febribus est, *Acidum* ritè *præparare*, quò melius id eliminetur. Atque acida debere præparari, antequam possit cum εὐφορίᾳ expurgari, facile constabit, si naturam Acidi paulùm expendamus: nempe si incrassandi & coagulandi vim, qua idem pollet; si generalem obstructiones pariendi causam ex isto parente quam sæpissime oriundam; si naturalem omnium liquorem, exceptis tamen spirituosis, in Acidum putredidem;

dem, si molestiam illam pertinacem, qua Medici solent torqueri in iis quorum corpora acido humore multum scatent; sed & præ aliis argumentis si tormina considéremus, quæ purgationes sine corporis præparatione debita exhibitas, in habitu in acidum vergente comitari solent.

Scio quod vox illa, *Humorum Præparatio*, apud Authores complures legi possit. Atque finis propositus fuit, ut catharsis tandem aliquando secutura eò fæliciorem eventum haberet. Nempè crassos humores attenuare contendebant, fervidos temperare, obstructas vias aperire, vel per poros cutis diaphoreticis eosdem impellere. Verum ut plurimum huic fini nescio quos syrupos, aquas simplices distillatas, atque ejusmodi nugamenta adhibuerunt, quæ præparationi sive alterationi designatæ nihil prorsus contulere. Interim tempus, quod morbo acuto subjugãdo apprimè necessariũ fuit, otiosè quidem, imo pessima absumebatur.

Hæc vero qualis qualis *præparatio* ortum suum, ut opinior, duxit à trito illo, verum non satis intellecto *Hippocratis* aphorismo §. 1. *n.* 22. *Cocta, non Cruda, sunt medicanda*. Atque hujus magni Canonis in alienos à re sensus frequentem contorsionem fuisse causam haud minimam equidem existimo, cur Medici tot celeberrimi multis retro sæculis ne hilum fere somniarunt de purgationis beneficio in febribus continuis. Nempè cùm febrium primi insultus (& maximè postquam ægrotantes lectulo calidiori fuerint aliquandiu incarcerati) cruditatis signa evidentia sæpissimè exhibeant, Medici adstantes ut ut in praxi alias egregiè versati, statim ad sudorifica, tanquam unicum asylum plerumque confugiunt; ad catharseos autem mentionem non minus ipsi quam ineptæ nutricus magnopere exorrescunt.

Nec me præterit, Authores aliquot de catharsi in febribus, sicut & de aliis fere omnibus disputationes prolixias instituisse, sed si rem ipsam paucis complecti liceat; potius ad implendam paginam, ad animum Lectoris occupandum, atque ad doctrinæ copiam ostentandam, quam ad veritatem ipsam, sive illustrandam, sive determinandam verbosè collimarunt. Magnum hujusve ævi ornamentum & lumen, *Syndenhamius*, insolita animi fortitudine ac ingenio non vulgari præditus hanc rem de qua alii planè verba dederunt, tum ratione multiplici comprobavit, tum factis, hoc est, praxi ipsa pleniùs absolvit.

Præparatio humorum crudorum in febribus usitata, per alexipharmaca ac sudorifica, magis ad humores crudiores reddendos, quam ad coctionem veram introducendam spectat. Profectò ista immaturam potius ad mortem præparant, dum cruditates ex imis corporis partibus sursum ad Caput impellendo Phrenitides, Convulsiones atque ejusmodi deploranda Symptomata certo certius arcessunt.

In principiis febrium (sive sint essentiales, sive symptomaticæ) siquidem præ Coctionis lenta expectatione evacuationes necessarias in crastinum produceremus, tempus illud opportunum sæpe irrevocabile celeri pede præterlabitur. Tempus illud, quo fundamentum omne curationis secuturæ illico jacendum fuit, quo demum vires constant, quo ferè soleo evacuationes emolumento esse possunt, sub cardiacorum insula administratione, vel chymicorum febrifugorum fallaci experimento, paulatim fugit, atque æger nuperrimè athleticus, furfuribundus nunc denique redditus, miserrimè perit. Ad hæc affirmo, non obstante hominum cæco præjudicio, evacuationes opportune celebratas urinam, quæ cruda apparuit, ad coctionem exoptatam, atque una ægrotantem ad incolumitatis propriorem conspectum citius ac certius ducere, quam quodlibet aliud, quantumcunque illud fuerit, quod nobis innotescit, humani ingenii tentamen.

Præparatio igitur, de qua nunc agitur, nequaquam est obtinenda *sudorificis* proprie dictis, hoc est, corpus excalefacientibus, quæ nullo nomine teneris Infantibus aut puerulis prosunt, sed multifariam lædere deprehenduntur. Quandoquidem res prorsus temperatæ aciditatem prædominantem secure absorbebunt,

ebulli-

ebullitionem paulatim lenient, atque anodyna potentia ac tuta sunt evasura. Talia sunt: *oculi & chelæ cancrorum*, *testa ostreorum*, *concharum*; *os sepiæ*, *cortices ovorum*, *creta*, *corallia*, *corallina*, *margaritæ*, *mater perlarum*, *lapis Bezoar uterque*, *c.c. ustum eb. ustum*: *os e corde cervi*, *rasura c.c. unicornu*, *bolus Armena*, *terra sigillata*, *lapis hæmatites*, &c. inter composita, *pulvis e chelis cancrorum compositus*, *lapis è Goa*, *species confectionis de Hyacintho*, facilè primas obtinet.

Quænam verò Testacea, aut acidum absorbentia in usum præ aliis sint adducenda, aut quænam illorum in diversis ægritudinibus magis sint proficua, non ita facile est exponere. Alii enim Medici docti & præclari Bezoardica & Margaritas cum reliqua lapidum pretiosorum suppellectili, nempè suas Dominarum sententiis conjungentes magnifaciunt, & ad sydera tollunt. Quippe quæ magno constat pretio, longeque adducuntur, Dominarum suffragiis sunt semper præstantissima. Alii contra non minùs docti quidem, sed sanioris fortè judicii pro vulgaribus & vilioribus absorbentibus decertant, & pretiosa ista existimant sæpè potiùs præscribi in quæstum Pharmacopolarum, quàm in salutem ægrotantium. Ego verò, qui vires & facultates diversarum Aquarum Mineralium purgantium, quod genus magnum numerum passim habemus, vix gustu, aut destillatione, aut alio aliquo Curiosorum criterio, satis posse inter se distingui haud parum suspicor, & qui conceptis ægrotantium innocuis facilè nonnunquam faveo, rem liberam relinquens, utrum his Aquis Mineralibus catharticis, an illis uti velint; ego, inquam, nunquam hactenus observare potui insignem & notabilem aliquam discrepantiam inter usum lapidum maximè pretiosorum, & magis vilium, nisi quòd adducat ut credam, Divini Numinis immensam bonitatem & beneficentiam, vulgo impertiri vires magis excellentes, tùm lapidibus, tùm herbis notis, vilibus, & vulgaribus; quàm longe advectis, raris, & magno pretio emptis. Neque etiam mihi persuadere unquam potui Principes & Magnates sua corpora meliùs tutari ab inclementia æris, & à suscipiendo frigore, in hisce regionibus tempestatum vicissitudini obnoxiis, vestimenta sericea, splendida, & auro atque purpura fulgentia gerentes, quàm solet populus vulgaris, is, inquam, qui nec rei familiaris egestate premitur, nec abundantia nimia superbit; qui vestibus haud sumptuosis, sed usui, cœlo, regioni, & conditioni adaptatis amat amiciri. Rursùs nunquam ego credidi, quòd Vini abundantia, sit Tuscanum, sit ipsum Falernum; neque quod dapes opiparæ, & coquorum exquisita inventa, saluti corpusculorum nostrorum tuendæ magis conducant, quàm aquæ simplicis aut cerevisiæ tenuis potus, atque edulia vulgaria, modo illa sint salubria, & in suo genere bona.

Sin inter Testacea plura, ejusdem fere naturæ, aliud præ aliis anteponere liceat, ego Testas Ostreorum vulgares, aut in littore marino repertas, & quæ longam insolationem tulerunt, radiis Solis benignis & vivifico calore in usum maturatæ, seu præparatæ, fortasse longe meliùs quàm igne Chymico, & in cæruleum quendam aut flavescentem colorem mutatæ, multis encomiis laudarem. Et si quid unquam fuerit ad mirabile in Pulvere illo Sympathetico, de quo tanta apud vulgus jactantur, sed de cujus veritate nil habeo quod affirmem; id fere totum longæ insolationi Vitrioli, & radiis Solis beneficis videtur attribuendum. Quæ verò speciatim de miris virtutibus Pulveris istius à nostrati *Digbæo*, viro urbano, ingenioso, sed nonnunquam nimis credulo, in medium proferuntur, vix credere eis possum, non magis quam quæ in mirabilibus *Cassandræ*, *Cleopatræ*, *Magni Cyri*, & consimilium figmentorum relationibus traduntur. Qualia quidem scripta juniorum animos, & maxime muliercularum à perlegendis utilibus dogmatis, aut historiis veris, incantamenti instar, nimis seducunt.

At verò tametsi vilioribus & vulgaribus edulcorantibus multum tribuo, eademque aliis sumptuosis sæpè antepono, nolim Medicos doctos & peritos, qui Margaritas & Bezoar magnifaciunt, & quantivis pretii æstimant, tanquam subdolos & fraudulentos deceptores censorio supercilio criminari. Certe judicium tàm de medicamentis, quàm de aliis rebus Medicis, dogmaticum ferre, arduum est & audaciss. mum; ut veniam potere viciſſimque dare, magis decorum videatur, quam de ambibuis nimis confidenter judicium ferre, ac si cuipiam *Apollo Pithius* forte afflasset. Nam alii eodem jure & authoritate meam sententiam de medicamentorum vi & efficacia convellere aut increpare possunt, quo ego alienas sententias excutio. Siquidem facile est cerebroso cuipiam, aut moroso, universas herbas, quotquot sunt quæ in Sylva Medica ubertim nascuntur, *erraticas* appellare, & sarculo anili digniores, quàm docti Herbarii diligentia; attamen mihi semper fuit clarius & evidentius scientiæ ac literaturæ signum, summa modestia, & in rebus obscuris consilii verecunda postulatio, quam aliena Lynceis oculis intueri; dum ipsi interim sint domi Talpæ, & cæcutientes.

Porrò *Magisteria* lapidum pretiosorum apud multos ampliſſimis præconiis celebrata, nulli ego laudibus efferre possum. Certe nativas, quæcunque sunt, vires alienis commutarunt. Quæ potenter absorbere Acidum apta nata prius fuerunt, Acido-dulcia jam reddita, arti plane debent, quod ad idem minus valeant.

Nullam mentionem consultò feci *salium volatilium*, sive sint *oleosa*, sive *spirituosa*; non *bezoardici mineralis*, *lunaris* aut *solaris*, non *spiritus salis Armoniaci*, non *cornu cervi*: quorum tamen spirituum usus haud prorsùs improbandus est vel tenellis: nempè quia acidum absorbendi facultate excellunt; verùm eos summa cum cautione in tenellis usurpandos esse, propter calorem non exiguum eosdem concomitantem, adverti velim. Ideoque nec elogiis his sunt prædicanda *salia lixivialia*, neque *aquæ cardiacæ calidiores*, quales *aqua pœoniæ composita*, *epidemica*, *cælestis*, *mirabilis*, *cinnamomi fortis*, & similes qualescunque, nisi hæ minima quantitate aliis temperatioribus adeò diluantur, ut vis earum calefaciens sapori ferè insensibiles fiat. Etenim quæ corpus valdè calefaciunt, quocunque nomine honorifico ea nobilitentur, ceu pretium aliquod inæstimabile præ se ferant, seu salutem pene immortalem fronte dura promittant, corpuscula puerorum, & multò magis infantum, facile colliquabunt, naturalem omnem calorem, vel sensim depopulabuntur, vel in febrilem tandem vertent; ac denique tenerrimæ ipsorum ætatulæ non magis conveniunt, quàm lacticinia & panatellæ stomachum aratoris oblatrantem possunt compescere. Quibus ductus rationibus *Galenus* usum *Theriacæ* ipsius, ut ut rite præparatæ, quam tanquam unam fere omnium *Panaceam* ampliſſimis laudibus in cœlum usque sustulerat, pueris tamen sancte interdixit.

Quod prædicti pulveres terperati Acidum absorbere soleant, est res ita vulgò nota, ut probatione nulla indigeat. Quòd vero *Anodyncrum* ea sint tutissima, nec non certa & indubitata in *torminibus puerorum*, luculentissime apparebit, si dosi multùm liberaliori quàm vulgari, hoc est, sufficienti ad finem propositum exhibeamus: Ad hæc, audacter eloquor, prædictos pulveres copiose exhibitos Tormina eorum quæcunque, & inquietudines undecunque natas, nisi ob partium principalium insignius aliquod vitium nihil spei ex medicinis qualibuscunque sit reliquum, eadem certitudine compescere, qua certi esse possumus *Rhabarbari* vires purgativas demum futuras.

Si in violenta aliqua Inflammatione aut turgescentia humorum, tantummodo sex uncias sanguinis adulto detraheremus, cum viginti ad minimum fuerint necessariæ, non est quod vanæ

sectionem tanquam minus propriam curationi inculpemus, sed parcior illius remedii potentissimi usus est unicè incusandus. Similiter si pulverum prædictorum uncia una aut altera fuerit requisita ad ægritudines Infantum quibuscum corripiuntur demulcendas, quid magni ex drachmæ unius aut alterius (eodem temporis spatio quo uncia fuit necessaria) usu parco ac imperfecto liceat expectare? Medicamentorum exquisita notitia est exigua, ne dicam minima, pars boni & periti Medici. Usus medicamentorum rectus ad intentiones medicas integrè satisfaciendas, adaptatio tùm generis, tùm quantitatis medicamentorum particulari ægrotantis temperiei, idque à morbi præsentis perspecta penitus natura; dignatio temperamenti accurata, & potissimum in adultis an sit sanguineum, an verò melancholicum; an scilicet febris sanguinem maximè exagitaverit, an verò spiritus ex tumultu deficiant, & vires fuerint enervatæ: denique diætæ recta institutio, sunt omnia longe excelsioris momenti ad Medicum optimum stabiliendum, quàm præscriptorum medicinalium apparatus, undecunque collectus fuerit, numerosissimus. Sin illud minùs verum fuerit, Pharmacopola receptorum doctissimus Doctorem eruditissimum in re medica facile superabit, ipsum Pharmacopæum servulus garrulus confestim æquiparabit; nec non nutricula, aut locutulejæ & compotrices fœminæ libris receptorum hæreditariorum turgidis jam diu locupletatæ, palmam tùm à Medico quantumvis docto, tùm Pharmacopæo in præscriptionibus meditis utcunque versato, forte fortuna reportabunt.

Verùm ut institutum prosequat, *infanti anniculo febricitanti*, aut *torminibus* (ut plerumque fit) *excruciato*, hujusmodi præscriptionibus succurrere soleo.

℞. Pulv. e chel. cancr. comp margar. pp. an. ʒj. M. F. pulvis in vj. p æqu. dividendus.

Vel ℞ Bezoard. Orient. Margar. pp. ocul. cancr. pp. an. ʒß. specier. confect. de hyacint. ℈j. f. pulvis similiter dividendus.

Vel ℞. Testar. ostreor. pp ʒiii. flor. sulph. ʒi. Sal. prunell. ℈ii. M. F. pulvis in xii. chartas distribuendus.

Vel ℞. Pulv. e chel. cancr. simpl. ʒi. ocul. cancr. pp. ℈ii. cochinell. gr. vi. M. F. pulvis tenuissimus in vi. chartulas dirimendus. Sumat unam quamprimum, repetatur (si res urgeat) bihorio post, ac deinceps quarta quaque hora, nisi somnus intercedat, per duos primos dies. Exhibeantur vero pulveres in cochleari Julapii sequentis, superbibendo cochleare alterum.

℞. Aq. lact. alexit. ʒiv ceras. nigr. ʒii. ʒii. pæon. comp. epidem. an. ʒii. Sacch. perlat. ʒß. M. F. Julap.

Vel ℞. Aq. puleg. lact. alexit an. ʒiii. Syr. cariophyl. ʒi. M.

Vel ℞. Amygd. dulc. excort. n. x. contund. in mortar. marmor. sensim. affundendo aq. hord. aut aq. lact. alexit. ℔ß. colatur. adde aq. cinnam. ten. ʒvi. Sacch. albiss. ʒß. M. F. Emulsio.

Nonnunquam Julapio Perlato (omissis aliis) uti soleo, vas diligenter agitari monens, antequam effundatur.

℞. Aq. ceras. nigr. ʒiv. meliss. ʒii. epidem. ʒiii. margar. pp. ʒi. Sacch. albiss. ʒiii. M. F Julap. Perlatum, de quo capiat cochlearia tria, ut prius.

Sin molesta tussi opprimatur infans, capiat subinde de hoc Julapio mediocre cochleare, interim pulveres suprascriptos parcius assumens.

℞. Aq. puleg. ʒiiii. Syrup. de althæ. ʒii. de balsam. Tol. ʒi. M. F. Julap. Bolus Armena sæpe aliis proprie admiscetur, ut pote catarrhos in pulmones depluentes potentissime sistens. *Succus Pulegii*, in quo calefacto solvitur saccharum candidum, paucis remediis cedit. *Oleum amygdalarum dulcium* Saccharo dulcatum etiam optime conducit. Item *Sulphur vivum*, aut *flores sulphuris* (mira exsiccandi, penetrandi, imò & compactos humores in quacunque corporis parte discutiendi, facultate præditi) acidum absorbentibus additi, in habitu phlegmatico, maxime sunt ex usu. Neque enim *Sulphur* plane noxiam facultatem obtinet (prout *Crato*, aliique egregii nonnulli viri immerito

merito quidem crediderunt) ſed potius vi alexipharmaca, expulſoria, & corrutelę humorum oppoſita maxime valet.

Repetitio *Pulverum* prædictorum rarior, aut frequentior, non eſt exquiſite definienda, niſi pro ratione ſymptomatum, quatenus aut mitiora ſunt, aut graviora. Id ſolummodò repetam, tormina, inquietudines, & vigilias Infantum, Teſtaceis tempeſtive exhibitis æque certo demulceri, ac dolores aut vigilias adultorum ipſis Narcoticis ad tempus tolli.

Hic autem, qui vel Praxin Medicam mediocriter deliberaverit, obiiciat, eiuſmodi *Pulverum* exhibitionem nihil Novi præ ſe ferre. Cui dunta. xat refero, ineptum quidem, inſipidum, parciſſimum eorum uſum, atque nulli omninò intentioni rite ſatisfacturum, diu nimiſque fuiſſe pluribus notum: at verò neque tàm reperitam, neque tam magnam eorundem doſin, neque ſubſequentem purgandi neceſſitatem fuiſſe hactenùs literis conſignatam. Nota eſt fabella (quam & quicunque volet ad rem hanc noſtram transferat) de lepido quodam, qui cùm adſtantes gloriosè provocaſſe, ut ovum alterutri extremo immobile collocarent, neque quiſquam eorum, varie tentans, myſterium penetrare valeret, ipſe utrumlibet ovi extremum mediocriter frangens, admirationem omnem derepente tollebat, & ſimul riſum commovebat. Id quippe cognitum ſpectatoribus jam fuit facillimum.

Tertio die à quo ſum advocatus, niſi *variolæ*, *morbilli*, *aut febris ſcarlatina*, caput attollant, purgandum eſſe præcipio, nempe *infantem unius anni*, in hunc fere modum:

℞. Syr. de cichor. cum rheo ʒii. rhabarb. el. pulv. gr. xv aut rhei el. ſenn. opt. an. ℈ß. aq. lact. alexit. ʒii. cinnam. ten. gut. xxx. F. Miſtura.

Vel ℞. Syr. violat. ʒii. pulv. diaſen. gr. xv. M.

Vel ℞. Pulv. *Comit. Vvarvicens.* in nuperrima editione Pharmacopœiæ *Londin.* deſcripti; aliis pulv. *Cornachin.* gr. vi. vel viii. Sumat in cochleari aq. ceras nigr. ſacchar. tantillo edulcoratæ.

Vel ℞. Amygd. dulc. ex cort. n. ii. contund. in mortar. marmor. ſenſim affundendo aq. hord. aut aq. alicujus ſimpl. ʒiß. colat. diſſol. mann. opt. ʒiii. vel ʒß. M. F. Emulſio ſolutiva.

℞. Elect. lenit. ʒii. vel iii. ſolve in aq. lact. alexit. ʒi. addendo ſennæ pulv. gr. viii. x. vel xii.

In ſymptomatis *atonois*, ex ſumma humorum putredine oriundis, ſæpe ex uſu eſt *Aethiopem Mineralem* inferius deſcriptum à granis vi. ad gr. xv. aut Mercurii dulc. grana aliquot, admixta in mortario vitreo, cum florum ſulphuris tantundem, in ſyrupi alicujus grati cochleari parvo, nocte catharſin præcedente, exhibere.

Notandum verò, Mercurium dulcem per aut quater, quemadmodum vulgo fit, ſublimatum, rariſſime infantibus ſine periculo poſſe exhiberi; imò neque eundem plurimis mulierculis veſpera catharſin præcedenti] tutò adhiberi: ſiquidem is tumultus inexpectatos tam ſurſum quam deorſum latos ſæpè nocte commovet, adeo ut proinde catharſis mane inſequenti deſtinata neceſſario procraſtinetur. Quid, quòd Salivatio nonnunquam ex unica illius doſi derepente ob orta Medicum prudentem ab ejus uſu in tenerioribus deterrere debeat? Cæterum Mercurius idem dulcis, ſexies ad minimum, aut etiam novies, aut duodecies ſublimatus, tàm teneris infantibus, quàm mulieribus molliculis, in multis occaſionibus, ſine diſcriminis metu, quanquam haud adeò frequenter ac Æthiops Mineralis, exhiberi poteſt. Veruntamen & hic Mercurius tàm dulcis redditus, totieſque ſublimatus, alvum ſæpe lubricam facit, blande quidem movendo, fermè ſine moleſtia, ſine torminibus, ac ſine vomitu. De hac Mercurii repetita ſublimatione, aut dulcoratione, cùm æſtate elapſa verba fuerint facta, inter conſultandum de puero nobili febre periculoſa tunc ruri langueſcente, *D. Boiſe*, Medicus Cantuarienſis peritiſſimus, & ſumma cum laude, tùm ſucceſſu, apud Cantuarienſes me-

medicinam faciens, mihi pro certo affirmabat, se centies, uti conficiebat, pueros febricitantes stupore quodam insolito, aut Comate perculsos, (symptomate sane febrilli discriminis maximè pleno) Mercurium dulcem sexies sublimatum iis exhibendo liberasse. Quippè à lumbricis, aut materia verminose deliteſcente, functiones mentis tantopere perturbante, febres puerorum Comatosas usitatò gigni existimabat. Quæ quidem annotare placuit, tum ut hæc cognita aliis multis usui forsan non exiguo esse possint.

Si infans ægrotus ad tres vel quatuor annos jam assurrexerit, vel si Dentitionis negotium sit maxima ex parte absolutum, & præsertim si lumbricorum aut putredinis humorum gravioris aliquamdiu contractæ sit suspicio aliqua notabilis, Bolus ex istiusmodi præparationibus apprimè conveniet, atque potest confici, cum miva cydoniorum, vel cum cortice citri condito, per setaceum trajecto, & in cochleari Julapii solutus.

Ejumodi Boli illis haud parùm conducunt, quorum alvus est ferme constipata, & medicamentis difficilius solvitur, ut pote præparantes, quo catharsis mane insequenti instituenda faciliorem ac meliorem protinus edat effectum.

Nonnunquam etiam regioni umbilicali *emplastrum* sequens, aut consimile, adhibendum impero.

℞. Aloes Succor. ℥i. aut specier. hier. picr. ℥i. fol. sabin. summit. centaur. min rutæ pulverat. an. ℈i. terebin. Ven. q. s. f. empl. cujus margini ilinatur paulum Emplastri adhhæsivi, quo melius parti adhæreat. Interdum colocynth. ℈i. addere licet.

Nullum omnium medicamentorum purgantium novi magis accommodum ætati puerilli, magisve ex se innocuum notissimo, atque usitatissimo *Rhabarbaro*, quod febrium tenellorum materiam blande admodum, & tuto subtrahit, quod ventriculum, imo & totum corpus vitiosis humoribus prægravatum, tum leniter expurgat, tum strenue corroborat, quodque eo nomine infantibus, pueris, prægnantibus senibus & ex morbo aliquo jam imbecillis, maxime quidem convenit. Titulum *Heræ Rhabarbarum* profecto æquius meretur, mire collaudata apud veteres, nec non à recentioribus etiam num celebrata, & in pilulis pene omnibus officinalibus locum primum, sive basin, tenenti *Aloe*, quæ ob amarorem suum insignem non exiguam laudem in provectioribus quandoque meretur, verum ob acrimoniam, corrosionem & calorem, quem corpori summum impertit, aliquam subit, nec immerito, infamiæ labem.

Ab operatione lenitivi alicujus purgantis, pulvis prioribus consimilis est vesperi iniungendus, & posteà repetendi sunt ter vel quater in die, temporibus opportunis, pro duabus aliis nycthemeris: & rursum tertio die iteranda est purgatio; cujus quantitas tunc regulanda est pro ratione operationis prioris.

His rite peractis, plerumque cessant graviora omnia symptomata, vel saltem multum leniuntur; adeo ut proinde in vado jam res sit, quæ in extremo discrimine paulo ante fuerat.

Pueris aliquantum provectioribus eadem methodus [sub quacunque forma perficiatur] humores primum præparandi, dein expurgandi, tutissimo usui esse potest, proportione alterutrius medicamenti, secundum ætates, diligenter observata.

Notandum est, quod prima catharsis quam pueris febricitantibus adhibemus, sit non tantum è lenitivis, verum etiam dosis illorum plerumque sit mitior, quàm aliàs fieri debet? quodque nocte primam catharsin præcedenti enema mitissimum e lactis vaccini unciis quatuor saccharo edulcorati, & salis tantillo addito in alvo adstricta, sit nonnunquam injiciendum.

Insuper ad vim primæ illius purgationis accelerandam, atque defectum meditamenti cathartici (si quis tunc sit) supplendum, *crystallorum tartari* sctupulus unus, in cochlearibus aliquot jusculi avenacei tenuioris, aut similis, so-

lutus, tenuissimè atque efficacissime exhiberi potest.

Verùm imprimis cavendum, *crystallos tartari* sinceros, & rite præparatos, in usum vocari, non autem adulterinos, & vulgo venales, quorum pretium fere idem est, ac *tartari* ipsius *crudi*.

Si Infantem carnosum, obesum, at temperamento humidissimo atque in acidum degeneri constantem; ægrotatio aliqua difficilis [idque tempore hyemali potissimum] corripiat, ut putredo acetosa duabus purgationibus in hunc modum exhibitis nequeat in totum superari, tunc in eadem methodo ad vicem unam aut alteram adhuc persistere oportet, donec ægritudo omnis penitus evanescat: nisi quod diei unius aut alterius intervallum præfatis diebus, in quibus pulveres acidum alternantes erant exhibendi, debeat superaddi.

Nec incommodi quicquam observare unquam potui ex toties repetitis purgationibus in intemperie contumaciissima, sed vires priùs enervatæ gradatim redintegrari sunt semper visæ.

Id solummodo cavendum in puerulis purgandis, quod nulla unquam occasio, quæcunque ea sit, viribus fortiorem catharsin iis adhiberi postulet.

Quamobrem hic præterire non possum quæ maximus rei medicæ magister, *Hippocrates*, in libro *de Medicamentis Purgantibus* scite sed minus recte intellecta, edisserit: *Quicunq; igitur à febribus fortibus corripiuntur; hic medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris. Sin minus, saltem non intra quatuordecim dies. Carnes enim ipsorum, & vires, quum calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, febris major fit, & color evertetur, & morbi regii speciem præ se ferunt. Commota enim bile, & non purgata, non sorbere vult æger, neque bibere, sed omnia abominatur, & plerumque perit. At si hac die suderites maneat, & una cum purgatione remittan febris, sanus fit. Quapropter in febribus vehementibus, medicamenta purgatoria exhibere non oportet. Verùm si alicui opus fuerit, infusum per clysterum adhibere potes, quotiescunque volueris. Hoc enim minoris periculi est.*

In his verbis Magistri observandum est. 1. Illum verba facere de *febribus adultorum*, quæ *fortes*, vehementes, atque ardentissimè esse solent, non vero intelligenda esse de *febribus infantibus* aut *puerilibus*, cujusmodi sunt natura *mites*, & minus ardere aptæ. 2. *Medicamenta purgantia* sui temporis fuisse vehementia, *fortissima*, nec non dicta deleteria, ut *elaterium*, *colocynthida*, helleborum & similia; nostrorum vero lenitivorum pleraque mitissima; imò maxime temperata, si non quædam actu *frigida*, fuisse illius sæculi sapientibus adeo incognita, ut *antipodes*, ut *novum orbem*, ut denique *artem typographicam*. 3. *Hippocratem* locui de febribus in naturali suo statu, & sibimet permissis, sicut & descriptiones ejus Morborum Epidemicorum verissimè atque accuratissimè sese habent; non vero de febribus intelligi illum fas est, quatenus ars futurorum sæculorum, & maximè præsentis hujus sæculi, (utcunque invidis præsentia malè audire solent) provectior quidem & maturior (quod posteri grata memoria, ni plurimùm fallor, recolent, & facilè confitebuntur) tandem didicit, eas ad purgandum rite præparare, earumque truculentiam debita adultorum venæ-sectione, die catharsin præcedenti, habita, multum temperare, aut etiam perdomare. 4. Notandum est, *Hippocratem* hic docere, quod si Febre detentus medicamentum catharticum sumat, atque illius diei periculum forte effugiat, idem statim, id est, *eadem in ipsa die* in sanitatem incolumis redeat. Quod verum quidem esse, & pueros febricitantes eadem ipsa die, ab operatione primæ catharseos absoluta, symptomata febrilia universa, (id autem imprimis tempore verno aut æstivo) statim excussisse ipse sæpius vidi.

His itaque præmissis dico, *Hippocratem* rectè sentire de Purgantium medicamentorum deploratis effectibus, prout

Phar-

Pharmaca ſui ſæculi *fortiſſima* in *Febribus ardentibus* imperie, nempe *Venæ-ſectione* haud præmiſſa, exhibebantur. At verò ſi in Adultis, & præſertim ſanguineis, aut Athletico temperamento donatis, die purgationem præcedenti, ſanguis haud parca manu detrahatur, atque Lenitiva noſtra proxima exibeantur; aut ſi Juniorum corpora Teſtaceis, & ejuſmodi acidum contemperantibus præparentur, quo melius cauſa Febris primaria radicitus expurgetur, via ad ſanitatem celerior, imo ſecurior ſterni videtur, quam Cardiacis aut diaphoreticis quibuſcunque fieri poteſt.

Videtur autem mihi (ut id obiter dicam) ea eſſe vera & principalis ratio, cur *Catharſis* apud Medicos bene doctos in Acutis Morbis hactenus ita male audiverit: nempe quia iidem *plauſtrum equis*, ut ajunt, *præponere* ſolerent, hoc eſſe, Catharſis venæ ſectioni præmitterent, aut ſaltem poſthabita ſectione venæ, ubi apprime neceſſaria fuerit, Catharticum ſolum, idque è fortioribus, temere propinarent.

Quod ad *Venæ-ſectionem Puerorum* attinet, quamvis materiæ Febrillis in pulmones metatheſis inſignior, & *Tuſſes Convulſivæ*, eam in minimis Infantibus quandoque exigant, tamen apertè conſtat, eam non eſſe medicinam illorum naturæ conſentaneam, neque magis huic tenerrimæ, quam decrepitæ ætati accomodam. Et proinde minime neceſſarium duco ejus auxilium poſtulare in quibuſcunque Infantum affectibus, niſi in Tuſſibus Convulſivis, aut ubi Febrim ſubito exortam tuſſis importuna concomitari ſolet: niſi & in Contuſionibus gravioribus, quæ nonnunquam contingunt; niſi denique nonnunquam in Convulſionum intervallis. Etenim raro aut nunquam Infantes, victu tenuiori & minime lauto nutriri ſoliti, vera Plethora, utcunque fuerint floridi, laborare ſunt habendi. Humiditas iis ineſt, qua diffluere omnes ſolent, atque ejuſdem Humidi in Acidum præternaturalis ac facilis converſio, eſt omnium illius ægritudinum cauſa. Neque credere fas eſt, ſanguinem venis eductum poſſe Humidum temperatum, idque præſertim in Acidum jam degenerans, propriè corrigere.

Sunt qui pertinaci contradicendi cupiditate ducti, omnimodum mittendi ſanguinis uſum, vel in Adultis, incuſant aut reformidant. Nimirùm hi ſunt *Helmontii* illius nunquam iracundi, & rationi medicandi veteri ſemper amiciſſimi, ſequaces diſcipuli; *Arcanorum* tantorum fortunati hæredes, ut nec Ars Medica; neque Reſpublica eorundem notitia unquam fuerit digna. Nimirùm & hi ſunt qui *Chymiæ* cujuſdam non vulgaris, Medicis omnibus peritis planè incognitæ (quæ non niſi mirandos effectus producere ſolet) *Adeptos* & *Philoſophicos per ignem* ſeſe venditant. Rursùm hi ſunt qui viis tritis, publicis, & quantumlibet Regiis, incedere dedignantur, ſed qui tramitibus deviis & inſolitis aberrare ſemper gaudent. Tenebris illi reconditis, & quaſi Metaphyſicis vagantes, lumina ſcientiarum clara prorsùs contemnunt. Sublimia quædam inania aeriaque ſpeculantes, frequenter ceſpitant; & denique Panacæas neſcio quas impoſſibiles fruſtrà quærunt, theſauriſque Adeptorum imaginariis [quippè Mercurio vota ſua omnia clanculùm facientes] diutinè inhiant; tandemque bonis omnibus exuti (quæ in fumos abierant) aut mente capiuntur, Helleborumque requiruntur aut qui Crœſo ditiores eſſe paulò antè ſomniaverant, ex inopia famelici pereunt.

Teſtacea omnia validè exſiccant, eaque de cauſa affectibus ab humiditate nimia pendentibus, ſicut & naturis eadem abundantibus, propriè conveniunt. Puerorum temperies humidiſſima eſt, eò quòd omnium molliſſima. Quin & leviuſcula adſtrictione ſunt eadem prædita, quæ uſtione deperditur, quanquam uſto calorem, imò & acrimoniam non exiguam impertit, quod in calce viva, & in Chymicis quamplurimis medicamentis, manifeſtò apparet. Cæterùm & Aciditatem potentiſſimè obtundunt, quæ humiditatis aqueæ putredinem perindè ſequitur, ac ignem calor. Porro *Teſtacea* nullam calefactionem te-

neris corpusculis præbent, qua potissimum consideratione ductus eorum usum omnibus aliis medicamentis in Puerulis longe antepono.

Sed est & aliud, propter quod hujusmodi *Testacea* in pueris tractandis prædico. Ventriculus eorum fermento quodam voraci, ne dicam insatiabili, imbuitur, cui tantisper compescendo liquida sola minus valent. Siquidem aut obtunde debet butyro orificio ventriculi superiori diu innatante, aut panatellis, vel fartis farinaceis, haud ità confestim ventriculo depulsis, nutriri discupit. Atque pueros ægrotantes non semel observavi vix alia ex causa languescere, quàm quod eos nutrices *victu tenuiori ac nimis liquido* reficere solerent. Quapropter *Testacea* multis nominibus puerorum naturæ sunt idonea, neque impressionem sive alterationem, quam in ventriculi regione faciunt, ita celeriter, ac liquida medicamina quæcunque deperdunt.

Ut nihil dicam de *avibus* quamplurimis *Pica*, sive appetitu depravato [quod pullariis notum] debilitatis, quæ arena cibo inspersa; atque una deglutita, cito convalescere solent.

Testaceorum nomine, non solùm proprie dicta intelligi, sed & *corallia*, *cretam*, *corallinam*, *bezoar* utrumque, & similia, eadem fere facultate acidum absorbendi conspicua, & naturis affinia, licet pleraque stirpis prorsùs alienæ, designari volo.

Hujusmodi medicamenta quidem diu in usu medico fuerunt, verùm usus eorum rectus, & naturæ puerili maxime accommodus, aut nullatenus innotuit, aut opem fere nullam hactenùs tulit. Perminuta enim illorum dosis plane effecit, ut ad alia minùs tuta, imo naturæ puerorum contraria & noxia, dico *opiata*, quilibet fere Medicorum, in vigiliis & doloribus compescendis, jam diu transiret.

Atque hic me non fugit scomma quoddam super hac re à Medico celeberrimo in me olim missum. Nempe cùm ad subveniendum Puero Nobili, maximarum facultatum hæredi, curæ meæ demandari solito, & febre periculosissima tùm langueścenti, meo monito accerseretur, atque illi *narcotici* exhibitionem statim proponens, me ejusdem usui maxime reluctantem inopinato offenderet: *tu*, inquit, *more expleto*, *non hodierno*, *si ita sit animus*, *medicinam facere videris*; cui ego: neque, ut mos incessit, pueris medicinam quidem aut facio, aut unquam me facturum credo. Cùm enim ex prædictorum usu, non minùs certus sim, imo longe certior (ni plurimum fallor?) & saltem tutior, in torminibus compescendis, vigiliis sublevandis, doloribus quibuscunque leniendis, & denique in diarrhœis sistendis, ac est quilibet alius, quantumlibet *narcotica* vulgo æstimantur, cum maximo vitæ discrimine, per id genus medicamenta.

Nullus, quod scio, *opiatorum* insanus admirator eorum usum in *debilibus*, imo *debilissimis* naturis studiose defendit; quamlibet complures tam in his quàm in robustis nimis addicti illis fuerint. Nempe Proverbium illud animo tenaci forte complectentes, *Mortuos obmutescere*; neque etiam prorsùs immemore, quàm gratus sit ægrotis semper somnus, & quàm acceptabilis omnibus assidentibus & curatricibus sit curarum remissio, & cessatio molestiarum. Etenim quis Medicus Narcoticis nimis indulgens, quantumlibet morbum clavo travali figat, & curationem procrastinet, quantumvis idem crumenam emungat, non sit ægrotis dolore excruciatis æque benigne acceptus, ac magnatibus imprudentibus blandus adulator; verumenimvero cum pulsus juniorum sit debilissimus, temperies natura tenerrima, & vires sint admodùm infirmæ, neutiquam mihi constat, quorum incertis & periculosis medicamentis, quando tutiòra, imo tutissima sint æque in promptu, puerulo ægrotanti subvenire contenderemus.

Adjiciam & illud, quod ex quo tempore mihi innotuit *Testaceorum*, atque ejusmodi, vis prorsùs *Anodyna*, imo *Infantibus Soporifera*, dummodo dosi ad finem attinendum requisita tùm exhibeantur,

beantur], vix quæpiam eorum ægritudo, quantumvis dolorifica, minimam *narcoticorum* propriè dictorum delibationem nisi rarissime postulare visa est.

Ut autem in nullis Infantum affectibus (dempto Vomitu pertinaci, de quo inferius agendum est) pharmacia *opiatica* est probanda, ita neque in iisdem *medicamentorum calefacientium* (quantumlibet nomine *cardiaco*, aut *salutifero* vulgo inscribantur) usum, saltem copiosorem, laudare unquam possum. *Cardiaci* nomen astute, & singulari quodam artificio inventum fuit, ad mulierculas omnes blande demulcendas, ad facilem captum ruricolarum, sæpè à Medicis peritus longe habitantium, atque à bonis in vicina matronis medicinam eleemosynariam cum laude facientibus *Cardiaca* ad omnes morbos reportantium, & denique ad ignorantes universos summa oblectatione nunquam non perfundendos. Quis enim ex plebe, *Cardiaco* propinato, malum aliquod adventurum potuerint suspicari? Et tamen res est aliquantum dubia nonnulis emunctæ naris Medicis, *an* illorum qui citra violentiam diem obierunt, *plures ex Morbis aut Cardiacis revera interierint*. Quicquid enim morbi symptomata exasperare solet, quicquid sitim auget, linguam aridam facit, aut quoquo modo febrilem flammam intendit, naturis omnium tenerrimis, & vires illatę injuriæ penè nullas opponentibus minime quidem convenit. Et profectò diversa nocumenta, nè dicam exitialia, ex regimine puerorum calidiori iterùm supra adverti, eum ex usu temperatorum prædictorum, quotiescunque is fuerit, nempè dum sęviunt symptomata, ne unum quidem incommodum observare unquam licuerit.

Hic objiciet aliquis, ex dura, & penè saxea medicamentorum prædictorum substantia, *obstructiones* necessario progigni, quodque res ejusmodi indolem puerorum tenerrimam, & vias omnes illorum minimas propter partium exiguitatem, procliviores obstructionibus necessario reddere debeant.

Cui dubitationi quo melius satisfaciamus, considerandum est, *parentem obstructionem* sollennem & legitimum esse *Acidam intemperiem*, quam sæpè contrahere solent *infantes* ex ipsa aeris frigiditate, atque ex temperamenti sola teneritudine, ut ut victu tenuissimo, ac limpidissimo utantur. Ideò & quæcunque *Acidam intemperiem* corrigunt, contemperant, aut obtundunt, & coagulationes solvere apta nata sunt (quod imprimis ejusmodi res faciunt, & sine caloris tantilli additamento) obstructionibus submovendis, & reliquæ symptomatum catervæ, ex hac ansa pendentium, citò devincendæ, maxime sunt idonea.

Sunt qui intemperiem corporis Alcalinam docent febrium omnium causam esse universam, quodque Acida febricitantibus indiscriminatim exhibita miros successus habeant; sive viri sint robusti, sive mulieres delicatulæ, sive pueri sint tenerrimi, qui febre aliqua corripiantur. Sed doctrina ista, si modo commentum, quæstus potius, aut novitatis semper popularis quam veritatis causa excogitatum, sit doctrina perperam vocanda, tàm experientiam vulgarem in parvulis, senescentibus, fœminesque, potissimùm, quam veterum omnium Medicorum sententiam impugnat; qui acida utero & uternis affectibus esse maximè adversa, uno ore pronunciant; quique uno consensu statuunt, acida noxium corpori succum præbere, pabulumque morbis progignendis idoneum suggere, viscerumque parenchyma vellicare, utpote quæ non modò margaritas, sed & metalla vi sua corrosiva dissolvuntur; item ea nervis sensoriis maxima obsesse, flatus copiosos excusitare, capitisque dolores inferre. Quinetiam minus Acidorun usus tanto magis apud nos pertimescendus, quantò fæliciissima Anglorum regio præ cæteris forsan omnibus; affectibus malancholicis, aciditate exuperanti jam jam laborantibus, videtur infestari.

Alii fortasse crimini dabunt, quod

abdita, in scolis Medicorum jam diu celebrata de *Crisibus* doctrina interim negligatur, quodque *dierum criticorum computatio* veteribus ad unguem instituta, & ab iis, qui res minùs inteligibiles maximè admirantur, etiamnum prædicata, in oblivionem nobis abeat. Subjicio igitur, cùm *Crisis* sit repentina mutatio in morbo facta, vel ad salutem, vel ad mortem, eam, quatenus summa diligentia observare licuit, ab ipsa curationis methodo (idque maximè in tenellis, de quibus hic res agitur) in totum pendere, atque à solertia artis vel imperitia aut accelerati, aut produci. Etenim cùm Evacuationibus generalibus tempestive adhibitis curatio principaliter innitatur, cruditates febrim committentes citius, quam aliàs fieri solet, concoquuntur, pars materiæ morbificæ statim eliminatur, & reliqua viribus impar medicamentis deinceps administratis facilius cedit. At verò cum *diaphoreticis*, & *cardiacis* dictis exagitari soleant humores, aut in majorem confusionem spiritus quotidie subvertantur, atque res permittatur solis *Enematis*, quæ ultra crassa intestina integris viribus nunquam transgrediuntur, uti *Concoctio*, ita *Crisis* ipsa jure merito post nimiopere doctam & solennem medicamentorum quamplurimum pompam sero, imo tradissime est expectanda.

Ut vero finiam; *Crisis* nihil aliud quidem videtur, quam ultimùm naturæ conamen reliquis omnibus viribus materiam morbificam per locos convenientes tandem evacuare. Idque apud nos sæpissime contingit per *Sudores*, nimirum ob prepostorum regiminis calidioris usum. Fit etiam sæpe per *hæmorrhagiam*, per *alvi fluxum*, per *vomitum*, & nonnunquam per *urinas*. Quæ omnia concludere efficiunt, quod Natura ipsa, Medicorum optimus & sapientissimus, nullam aliam Febres judicandi rationem, nisi quæ debitis *Evacuationibus* perficitur, aut vult unquam moliri aut attentare.

Multa nuperis hisce temporibus varià sunt conscripta, atque argumentis disceptata; de insigni *præcipitantium* usu in medicina, quasi omnes ægritudines quibuscum homines conflictantur facillimè abigerentur, si *Præcipitantis proprii & specifici* cuique morbo maxime ac commodi dignotionem exquisitam nos haberemus. Notandum est autem, nos impræsentiarum agere de *affectibus puerorum acutis* & febrilibus, qui vitæ illorum derepente interminantur; non vero de *Chronicis*, qui medicanti longas dant inducias, atque novas rerum facultates curiosè experiri tutius permittunt. Rursùm *Præcipitatio* est sepacatio particularum crassiorum, quæ vi solventis acidi in liquore aliquo claro imperceptibiles suspendebantur; ast ope acidum infringentis, vinculis jam solutæ, ad fundum depelluntur. Porrò *Cruditas*, quæ in febribus apparere solet, nobis quidem videtur esse prædominantis acidi genuinus effectus: *Coctio* vero acidi multum infracti, atque naturæ vincentis signum. Et proinde *Catharsis* arte sollicitata cruditates sursùm impellit, & videtur præ omnibus aliis medicamentis proprie *præcipitare*, quo eædem per alvum vel urinas tandem exonerentur. Quinetiam quodcunque aliud medicamenti genus [tametsi speculationibus unicè dediti longe aliter sentiunt] *præcipitandi* rationem aliquam habet, vix aliam ob causam, nisi quatenùs quodam modo *Cathartícum* est, illum effectum unquam producit, Neque enim *præcipitatio* in corpore diversiformi, utque totidem succis & humoribus, tot ductibus & anfractibus constanti, eadem aut celeritate aut certitudine transigi posse intelligenda est, qua Præstigiator Chymicus instillationibus varii generis in suos liquores, vel colorem mutationes planè admirabiles molitur, vel præcipitationes dictas *Magisteria* quantociùs conficit. Quandoquidem igitur *febris* partes vitales, & maximè superiores, intentare solet, neque experimentis incertis aut periculosis moram aliquam relinquit, prudentis Medici certè erit, qua potest

efficaci

efficaci methodo, materiam febrilem non modo levioribus aut fictitiis *Præcipitantibus* demulcere, quin & veris & genuinis, hoc est, *evacuationibus* opportunis, quamprimum fieri ptest, radicitus extirpare.

Cùm verò per plurimos Medicos famæ celebritate admodùm conspicuos, jam diu, imò etiamnùm, serpserit consuetudo fugam omnium ferè febrium *sudorificis* maturandi; non abs re erit hic pauca quædam eò spectantia nunc subnectere.

Ut primùm quempiam *febre Epidemica* correptum vident, de *Malignitate* nescio qua protinus somnient, atque *alexipharmacis*; & *diaphoreticis* haud parùm calidus *Malignitatem* illam propulsare indesinenter contendunt. Interim *febris* ex sua natura sæpissimè mitis, nec mali omninò minoris, ex ipsa methodo *vere Maligna* [si quæcunque alia] solet effici. Etenim cùm serum sanguini per venas & arterias transferendo debitum *sudorificis* impõrtunis ita penitus exauriatur., nil mirum est crassiores sanguinis partes in motu suo interrumpi ac quodam modo stagnare; *Pulsum* exinde debilitari, atque inæqualem, undosum, tremulum, formicantem, aut intermittentem reddi; *Urinas* insuper eadem de causa pauciſſimas esse, aut cruditatis summæ indicia exibere; ac denique notas *Malignitatis* primarias, nimirùm *petechias*, *maculas purpureas* & quandoque *stigmata pestilentialia* [varios *Gangrenæ* fientis aut factæ gradus] sese ostendere solere. Nempè habitus corporis humido multo prius perfusus, & benigno calore constans, sub regimine calidiore statim exaresçit, aduritur; atque æstu acerrimo prorsùs torretur: ut proinde neque lymphæ irrigandis continuo partibus destinatæ copia sufficiens restet, neque sanguinis crassior jam redditus, & passim stagnationi idoneus, per vasa circuitioni perenni ad vitam sustentandam necessariæ inservientia amplius fluere aut satis celeriter movere possit.

Illis autem, qui *malignitatis* notione ducti, utpotè nomine funestos medicaminum inflammabilium effectus tutissimè celante, calefacientia diaphoretica in curationem omnium ferè febrium solent adhibere, propono considerandam communem *Turcarum* praxin, à mercatoribus fide dignis mihi concreditam, indoctam, quidem, sed verè rationalem, in curanda ipsa *peste*, *malignarum* omnium *febrium* facilè principe, per *succum limonum* in omne jusculum liberaliùs instillatum, per frusta *limonum* saccharata ore frequenter masticata, & per potum apud eos vulgatissimum, dictum *Sherbet*, (qui est aqua melle, vel saccharo, dulcata) hoc est, per ipsum regimen frigidissimum ut pote quibus *Mithridatium*. *Theriaca Andromachi*, *radix serpentariæ Virginianæ*, & cætera nostrum remedia calidissima, *alexipharmaca* nuncupata, bonis auspiciis sunt planè incognita, at in nullo numero saltem habentur. Neque igitur miram est, *pestem* (cujus terror nostratium animos fulguris adinstar longe lateque percutit) apud illos nonnunquam minorem hominum stragem facere solere, quam mitem aliàs febrim iis in regionibus in quibus grassatur Doctrina.

Verum præ allis argumentis attentius secum cogitent nostrates, quod Febres nostræ facillimè vertantur in Inflammatorias, sæpe partem aliquam corporis, ut pleuram, fauces, pulmones; musculos, articulos, cutim &c. peculiariter afficiant; quodque Inflammationem nostrarum origo ut plurimum fundetur in plethora, & repletione nimia. Quę enim gens per orbem terrarum tantos pecudum greges, tot armenta avide vorat? Quæ gens omnium esculentorum copia & abundantia magis gaudet, & quænam genium minus defraudat? Itaque ubi luxus & repletio sunt vulgo morborum causæ & febrile incendium tam frequenter suscitant, quæ medicamenta ignes igni addunt, qualicunque notationi vel hypothesi illa satisfaciunt, sanè summa cum cautela exhiberi debent.

Quod verò omnis Febris continua;

quantumvis mitis & regularis, nec non Febris ipsa intermittentes, Veneno spiritus inquinanti aut pessundanti ortum suum semper debeat, licet clarissimus *Mortonus* id strenuè sustineat & rationibus multiplicibus philosophicè disputet, ut aut Alexipharmacis calidissimis liberaliùs exhibendis, aut Antidoto Peruviano ansa oportunior præbeatur; tamen sententiæ Viri tàm eruditi, & medica scientia instructissimi nequeo suffragari, Etenim cùm Medicum probum deceat præ oculis semper habere, tàm quid nocumenti & mali, quam quid boni & incommodi, ex hoc vel illo medicamento possit contingere; cùmque res sit magis tremenda & extimescenda ægrotum nostram opem implorantem lædere, [ut proinde plus tuerit detrimenti à Medico quàm à Morbo] quàm in dubiis casibus admodum caute agere, diætam solummodo instituere, & videri fatò permittere; cùm denique tutius & longe optabilis sit Medico, *nil conscire sibi*, & innocentiæ clypeo muniri, quam stragem hominum qualemcunque, licet inopinatum, facere, & tela huc illuc jaculari, ex quibus nonnulli è medio forte tollantur; certè Hypothesin omnem periculosam, argumentis quantumlibet doctis stabilitam, prudentiæ erit evitare. Neque demùm ego inteligo, cur ratio formalis morborum acutorum melius explicetur per Venena, præstigiarum ritu, corpus humanum nunc subito invadentia, nunc derepente relinquentia, quam per occultas veterum qualitates, jam diu in hoc sæculo scientissimo in ludibrium versas.

Argumentum est infidum, & vel puero dignum, quo Medici nonnulli ad partes *malignitatis* tuendas, uti solent, quod scilicet *febrium* quarundam natura rectè statuatur *maligna*, quoniam eædem sunt sæpe *contagiosæ*. Nam si *contagium* necessario indicaret aut probaret existentiam *malignitatis*, consequenter *scabiem* ipsam morborum *malignorum* numero fore accensendam. In quo tamen morbo nec vires concidunt, neque appetitus prosternitur, nec pulsus, aut urina quicquam à sanissimis discrepant; ac denique in quo functiones tùm animales, tum naturales constant, fiunt. Certè *cotnagio* aliquo non carent morbi, quotquot insignem *inflammationem* in se habent: ut pestis ipsa, de qua jam loquor, ut *variolæ*, ut *morbilli*, ut *tussis infantum convulsiva*, & cæteri id genus morbi, qui inflammationi intensissimæ originem suam debent.

Quod ad *Sudorifica* in febrientibus attinet, haud inficias eo, *sudores* sive naturales, sive arte sollicitatos, in primis febrium insultibus [cùm priori cutis incipiant occludi, cùmque sensibilis aut insensibilis perspiratio corporis plurimùm impediatur] nonnunquam maximi è re fore *Sudorifica* autem quæ in usu esse debeat, sint *temperata*, non ea quæ incendium internum promovent. Neque sint tàm *sicca*, & pharmaceutica, neque etiam tam spirituosa, qualia flammam flammæ admovent, quàm *liquida* & culinaria, quæ copiam materiæ sudoribus proliciendis supplere possunt, quæque ob calefactionem suam externam, non ob calorem suum ingentium sudores provocant.

Rem unam adhùc notatu non indignam, nec à scopo nostro prorsùs alienam, nolo prætermittere. Ea nimirum *Febris*, quę anno præterito grassata est, & cujus historiam nunc breviter tradam, *malignæ* etiam numen, apud Medicos quosdam diaphoreticorum usu gaudentes forte adsciscebat.

A media parte mensis *Maii* anni 1688. per aliquot septimanas; *Febricula* quædam [qua ægrotantes de leviusculis doloribus singulos eorum artus per vices tentantibus, de dolore etiam capitis frontem imprimis corripiente, atque de vertigine quadam maxime conquerebantur] adeò epidemicè invalescebat, ut nullam similiter, quacunque ex causa, aut quavis anni tempestate, hactenus observaverim. Integræ familiæ quamplurimæ eadem febre pariter corripiebantur, ut vix unis è multis procellam illam generalem

effugere

effugere contigerit. Insultus autem hic febrilis ità Epidemicus ex varietate ipsius tempestatis anni tunc temporis pendere nobis planè videbatur, æstu aliquot dierum intensissimo in frigus derepentè mutato, perspiratione corporis sensibili tunc impedita, & poris qui apertissimi fuerant ex improviso occlusis. Illud vero super hac re advertam, nunquam tot homines simul ægrotasse, nunquam pauciores fuisse fato perfunctos. Ea quidem febre laborantes, methodis tam congruis quam absurdis, nimirùm venæ-sectione, catharsi, sudorificis, administrationibus omnibus muliebribus, aut medicinalibus, domi aliquantisper continendo, foras in aerem prodeundo, equitandi exercitio aut alio quocunque, imò perturbatione omni & cura paululum vacando, ac denique nihil quicquam, aut quodlibet agendo, in universum ferè omnes convalescebant. Si quos autem mitissimo illo morbo malè mulctari acciderit, adolescentes fuerunt, & juvenes, fervidiori temperamento donati, atque sudorificis calidissimis ultra modum lacessiti. Quod in hac re notandum restat, extimescendum est nobis, naturam hujus febris ità mitem ac benignam, tam impropriis quam salutaribus remediis facilè propulsatæ, effectus diros atque funestos posthæc fortè habituram: nempè optatum illum successum frustrà expectantibus bonis illis mulieribus, & gregalibus medicastris, ex cardiacis suis & nescio quibus sudorificis [cum alia tempestas anni curationi fuerit plane adversa, & febris quæpiam symptomatis admodum truculentis (tipatam sese ostenderit) quem tempore vernali, & cæptis quibuscunque plurimum favente, atque in febre omnium mitissima, prius visi sunt experiri.

Priusquàm exempla aliquot curationum methodi nostræ beneficio peractarum libeat proponere; paucula quædam adjiciam, quæ symptomata infantum magis usitata respiciunt; quæcunque apud Autores vulgo invenienda sunt curiosis relinquens.

Inter omnes affectus, qui vitæ infantum interminantur, nullus tot gravia symptomata progenerare solet, quot *Dentitio difficilis* & laboriosa. Ægritudo illa novem mensium, sive *prægnatio* (quæ *sexcentarum & innumerarum calamitatum autor*, æquè ac ipse uterus, perhiberi potest) genitrices non paucioribus periculis, quam fœtum omne *Dentitio* exponit. Etenim cùm gingivæ tenellorum inflammationem talem sæpissimè subeant, qualem aliæ corporis adultorum partes (unde febres teneris impendent vehementissimæ) eo quòd dentes ex alveolis in conspectum facile erumpere nequeant, minime est demirandum eorum tenera corpuscula tot symptomatis febrilibus gravissimis eapropter jactari solere. Nimirum illinc iis *tormina ventris*, *vigiliæ*, *inquietudines*, *profluvium alvi*, aut ejusdem *constipatio*, *dejectiones & vomitus vicidos*, *aphthæ*, *febres*, *convulsiones*; similia: quæ universa eidem fere methodo [ratione ætatis, & symptomatum violentiæ habita] acidum primo contemperandi, ac deinde leniter expurgandi sæpissime cedunt; nisi morbus chronicus in acutum transiens, sit valde complicatus, atque altas adeo egerit radices in regione partium principalium, ut nulla jam arte dimoveri queat; aut nisi misellis fuerint ingenita mala, imo pessima, stamina vitæ.

Duplex est *Dentitionis tempus*, infantibus molestum: unum quo dens osse maxillari primum emergere nititur, & quo gingivæ pars extera & superior, absque aliquo ejusdem tumore, albido quodam circulo circumscribi ut plurimum solet. Alterum est, quo dens mole jam auctior, & amplior factus, gingivam tumidam semper reddit, inflammationem insignem in eadem parit, atque eam perrumpere omni vi conatur. In primo illo *Dentitionis* molimine, æque ac in secundo, Chirurgi gingivas infantum quacunque ex occasione imperite incidunt, quo scilicet dentes facilius erumpant, unde vulnus citra necessitatem, & nullam plerumq; opem ferens, teneris promiscua infligitur, quum secundum solummodo

Den-

Dentitionis tempus (quod diligenter notandum est) eam plagam inferri proprie requirat.

Est & aliud circa hanc rem observatione non prorsus indignum. Nempe quòd *Chirurgorum* nonnulli gingivam intumescentem aperire jussi, *phlebotomo* suo id facere consuescant: quod pluribus exitio fuit. Nam cum incisio ejusmodi statim cicatrisetur, neque foramen aliquod denti extrudendo aliquantisper permaneat, planè inefficax ea sit, atque alia remedia interim negliguntur. Curandum est igitur Medico, ut instrumento magis commodo [sive sit *scalpellum* quo calami scriptoriis vulgò conficiuntur, sive sit aliud, cujus dorsum in densitatem *vexaculæ* æmulam assurgat] *incisio* semper fiat.

Hic vero observandum, quod inflammatio tanta ex hac causa tenellos nonnunquam corripiat, ut frusta tentetur curatio nisi incipiat Medicus per applicationem hirudinis unius aut alterius infra utramque aurem. Nam cum in ipsis tenellis necessario requiratur sanguinis detractio, si talis omittatur revulsio, medicamenta quantumvis propria & salubria sine ea vix scopum destinatum attingent.

Præterea inter dentiendum os tanta teneritudine sæpe affligitur, ut omne alimenti genus pertinaciter respuant. In hoc casu summopere cavendum, ne alimentum, calidum, imò vix tepefactum, infantibus præbeatur. Nam calor oris & gingivarum fere exurens, vix minimum caloris adventitii gradum fert sine molestia & dolore accedenti.

Quandoquidem *aphthæ* ab halitu acri incendii interni teneram oris pelliculam (quemadmodum & alias corporis partes interiores) rodente aut vellicante proveniant; quæ illam acrimoniam potenter retundunt, atque etiam tollunt, ea sola nobis maximi sunt æstimanda. *Gargarismata* autem, topica, aut στοματικὰ φάρμακα nullius hic sunt usus. Nequeunt enim *Infantes* os suum quoquo modo *colluere*, nisi id inter ipsam deglutitionem quadantenus evenire existimetur. Quippè illico deglutiunt, quicquid illis propinatur ad colluendum, aut hauriendum; imo illum ipsum humorem, qui *tussis* vi ad fauces rejicitur, expuere nolunt (nisi invitos quandoque *vomitus* cogat) sed in ventriculum suum delabi constanter permittunt. Nec vero materia, ex qua *gargarismata* conficiuntur, ita est nonnunquam innocua, ut tuto eorundem usui in tenellis locus relinquatur. Certum est, *aphthas* (quantumlibet lactationem, aut qualemcunque comestionem impedire solent) *testaceis*, & lenissimis catharticis dicto modo intercalatis protinus recessuras esse; neque video, cur pluribus artificiis ad finem attinendum nimis docte uteremur, cum pauciora medicamenta & simpliciora, tam tutissimos quam præstantissimos effectus edere possint.

Ratio autem, quare oris superficies adeo *aphthis* producendis faveat, cùm interim cæteræ corporis partes ulcusculis nullis afficiantur, hæc est: quoniam pellicula est eadem, quæ circumvestiens regionem oris per œsophagum in ventriculum ipsum continua serie ejusdem tunicæ exporrigitur ac descendit. Quamobrem halitus acres ex effervescentia corporis præternaturali circa hypochondria contingente, tanquam ex aheno, per *oris* spiraculum sursum feruntur, atque membranæ illius partis labem suam facillimè infigunt. Ideoque gustus *linguæ* delicatulus sapores omnes promptissimè distinguit. Denique propter eandem rationem Medici temperiem corporis prædominantem *ex conspectu linguæ* usitato valent dijudicare.

Diarrhœa Infantum ab orgasmo humorum in intestina delabentium, vel à turgescentia illic bilis cum acido prædominium habente semper profluens, neque adstringentibus proprie dictis, neque *narcoticis* est cohibenda. *Adstringentia* enim refluxum humorum acrium versus partes nobiliores producere solent, quod humidissimo & fluidissimo temperamento præditos in discrimen vitæ manifestum conjicit. *Narcotica* quidem ferociam humorum turgescentium ad tempus consopiunt, quo scilicet vi sæpe maiori paulo post recrudescant. Ad-

de

de quód vires puerulorum tenerrimæ, & à morbo jam multùm fractæ ac enervatę *opiatorum* energiam potentissimam rarò sine maximo salutis discrimine sustinere valeant. Quæ verò acorem molestias omnes facessentem molliter demulcent, & tutiùs exhibentur, atque iis rectiùs conveniunt. Quamlibet enim in leviоribus hujusmodi casibus (ubi *febris* abest) *Diascordii*, & similium, utroque medicamenti genere constantium, usus in malam partem non cessisse, quin potius emolumento alicui fuisse, nobis quidem videatur, tamen compertum est, ea in Febricitantibus infantulis periculo suo haud vacare; atque *cretam*, *corallia*, *margaritas*, ac id genus alia ferocientes humores compescentia, citrà aliquam caloris novi accensionem, ut demùm *Rhabarbaro* expurgentur, symptomati huic perdomando optime conducere, & suppetias saniores ferre.

Sed notandum est Narcoticorum mediocrem usum in Vomitu pertinaci, & præsertim in illo qui à Lacte vitioso pendet, non esse prorsus vituperandum, quantumlibet natura infantilis à Narcoticis penitùs abhorreat. Nonnunquam enim symptoma tàm grave, & maxime si torminibus diris ac diuturnis fuerit conjunctum, nequaquam est debellandum nisi Laudani liquidi guttis duabus, syrupo rosarum pallidarum, aut syrupo de cichorio cum rheo instillatis. Nam cùm ventriculus adeò sit debilis ut nulla medicamenta, ne dicam alimenta, paulisper retinere queat, æquum videtur & necessarium, ut ad ea transgrediamur, quæ symptomati dent inducias, dum medicina leniter cathartica vires suas exerat atque tùm ventriculum, tùm intestina humoribus pravis repleta liberet & exoneret.

Nec minus in *Fluxu deorsùm*, quàm rursùm habito, sive *Vomitu*, eadem prodesse liquebit. Quamdiu enim in ventriculi regione potissimùm regnat quę est perturbatio, atque Aciditas in primis omnium viis potestatem suam maximè exerit, medicamenta quibus facultatibus pollent, eas integras, & illibatas, ventriculo impertiunt *Emetica*, *ut sal vitrioli*, *vinum benedictum*, *tartarum emeticam*, &c. hic præ aliis remediis palmam nonnullis præripere videntur; sed si ætatis tenerrimæ, & vitium summæ imbecillitatis ratio in *emeticis* propinandis locum aliquem promereatur, & si coagulationum facilis solutio, ac deindè subductio, à rebus nullam naturæ vim iniicientibus, nullum vitæ periculum secum ferentibus, satis efficaciter, imò longè tutiùs, atque ab *emeticis*, aut *narcoticis* haberi possit, sanè prudentis Medici erit ab istis omnibus abstinere, aut etiam in totum abhorrere.

Veruntamen si magna illuvies humorum serosorum ac noxiorum in ventriculo redundet, & tunicas ejus adeò obliniat, ut functiones naturales planè pervertat, atque tam alimenta quam medicamenta sine nausea & vomitu ventriculus nequeat paulisper retinere, possunt quandoque cum fructu & satis tutò ipsis anniculis, aut bimis infantibus exhiberi radicis Ipecacuanhæ circiter grana quindecim. Quippe pulvis iste, blande emeticus, nullam post se liquidorum aut potulentorum ingurgitationem necessariò postulat; & Emeticis modo dictis longe mitior est, & operatio tenellis multò securior; denique humores viscidos ventriculo impactos, frequentem cruditatum ac deinde fluxuum causam, præ aliis omnibus Emeticis in sylva Medico reperiundis expedit, solvit, & paulatim exantlat.

Neque eadem testacea tantùm prosunt in *fluxu omni*, verùm & *Torminibus* infantum undecunque natis; in quibus non modò præstantes, sed & *specificas* (si quælibet alia) facultates habent. Non ego *corticem Peruvianum* (principem omnium hujus sæculi medicamentorum) *febribus intermittentibus* magis *specificum*, non *Opium* (celebratum illud alterum remedium) *vigiliis* & *doloribus* pertinacibus compescendis, quàm *testacea* illa priùs memorata *Torminibus infantum specificè* subvenire censeo. Quanquam enim inter innumerata fere experimenta, in tanta temperamentorum varietate, paternis tot tralatitiis infirmitatibus

con-

contingentias; forte ſingularem hic illic inſtantiam contrà nos militantem, curioſus quiſpiam forte fortuna, inquam, obſervare poterit; id tamen naturæ ſumme depravatæ, non remedio in viribus ſuis delinquenti, eſt omninò tribuendum: Neque enim *corticem ipſum*, longe lateque pro *ſpecifico* deprædicatum, *aſthmaticis* viris febre, ſive intermittenti, ſive aliquantum remittenti, laborantibus, ità certò convenire conſtat. Et nihilominus *Specificorum* omnium *Princeps* in id genus morbis, & maxime in primo illorum genere, jure merito nunc audit.

Quod ad *Convulſiones* ſpectat, aut inſultus illos ſæpe minùs proprie dictos *epilepticos*, tàm à viribus jam proxime attritis & exhauſtis, quàm ab acrimonia materiæ morbificæ propaginem nervoſam exſtimulante utplurimùm pendentes, *teſtacea* noſtra, & maxime ſi *caſtoreum* iis adiiciatur, magis eximiis imò & magis innocuis facultatibus, vel in tanto affectu, vigere deprehendentur (utcunque apud plures hactenus pro quiſquiliis & rebus nullius momenti ſint æſtimata) quàm aut *aquæ antepilepticæ*, quæ teneros plurimùm excalefaciunt, aut *ſpiritus volatiles* qualeſcunque, qui ſcintillarum inſtar in omnes corporis partes exemplo proſiliunt, quique ex parvis initiis magnum incendium febrile ſæpiſſime faciunt. Nam cùm tunica ventriculi interior tota ſit nervea, atque tùm alimentorum, tùm medicamentorum facultatibus in penetralia corporis intimiora quantocius transferendis ſit idcircò accomodatior, cumque ſpiritus illius partis, ut & cæterarum, incolæ jam jam irritentur, vellicentur, ac in motus inordinatos exagitentur, videtur nobis maxime neceſſarium, ut acrimoniam illam nervos irritantem abſorbentibus remediis, & tumultum ſpirituum plane compeſcentibus, imò ſomnum iis ſine *narcoſei* conciliantibus, non verò rebus tumultum ſpirituum majorem excitantibus, & quæ calorem jam latè depopulantem augent, curatio potiſſimùm inſtituatur.

Porrò in intervallis Convulſionum ſanguinis modica detractio, ſive ea ſit per ſectionem venæ, ſive per hirudines aut retro aures, aut brachio adhibitas, ſæpiſſimè eſt ex uſu, & maxime conducit. Et poſteà teſtacea catharticis lenioribus intercalata prodeſſe poſſunt.

At verò in ipſis Convulſionum paroxyſmis phlebotomia infantes in ſummum periculum conjicit, cùm tenera natura, Convulſionibus jam laceſſita, peneque ſuccumbens, virium imbecillium ulteriorem ſimul diminutionem ex tanta venatum depletione vix ac ne vix ferat.

Neque vires Infantum tunc ſunt eſtimandæ ex Convulſionum vi & robore, ſed ex intermiſſionum ſtatu & conditione, & potiſſimùm ex obſervatione virium ad potulenta & eſculenta ſive debilium ſive validarum.

In *Convulſionibus* quamplurima pro *ſpecificis* vulgo habita (quorum nomina diu in omnium ore tritiſſima reticere placet) tam ab autoribus graviſſimis quàm à practicis celeberrimis decantari ſolent. Veruntamen virtutes multorum (quantum obſervare licuit) noſtram de ſe expectationem videntur vix expleviſſe, quanquam & in tanto affectu omnem movere lapidem laudabile quidem ſit, neque cujuſquam induſtria in exquirendis appropriatis medicamentis eſt reprehendenda. In paroxyſmis infantum convulſivis, utpote à torminum prægredientium materia acri nervos omnes vellicanti jugiter obortis, ea quæ acidum obtundunt, contemperant, aut infringunt, idque ſine corporis novo æſtu aut calefactione, quæque aciditatem ſic infractam atque aculeis orbatam per inferiora deducunt, inter alia comperientur vires non contemnendas, atque horrendo huic ſymptomati debellando nonnunquam pares continere.

Quin & hujuſce dicti veritatem multùm comprobatam habui in puella annum vix unicum agente, filia cujuſdam agricolæ, *Convulſionibus* quas unquam vidi graviſſimis, vehementiſſimis & frequentiſſimis correpta, quæ per plures dies ante meum adventum labia, oculos, artus, imò & totum corpus minima cum intermiſſione exagitaverant. Fuit illa

tunc

tunc temporis pallidissima, nec non horrido aspectu; alvus interim adstricta, atq; id quod parcissimè dejiciebatur colore fuit viridissimum. Alta tamen voce ejulabat quantumlibet vires prosterni videbantur, ut vicinam commiseratione haud levi eadem afficeret. Durantibus vero hisce *motibus convulsivis*, ac torsionibus ventris, vix cochleare alimenti aliquamdiu assumserat, *cardiacis* solummodo nescio quibus subinde enutrita. Huic miserę infantulæ subveniebam, & curationem feliciter adhibebam nullis aliis medicamentis, nisi unciis aliquot *oculorum caner.* cum *crystallis tartari* admixtis Simpliciissimi illius Pulveris scrupulum unum aut amplius singulis horis in *aqua pulegii*, aut consimili, statim deglutire cogebatur, à cujus repetita dosi somnus paulatim conciliabatur, ac paroxysmi *convulsivi* fuerunt plurimum imminuti. *Enema* è lacte saccharato, eodemque salito, semel atque iterum injiciendum esse curaveram, donec tandem *crystali tartari* (tàm alvum leniter solvendi, quàm obstructas vias aperiendi facultate pollentes, modo quantitas eorum sufficiens introsumatur) viam sibi per inferiora patentem faciebant. His vero paucis, & hac nulla remediorum pompa, infans ille deploratus è faucibus imminentis fati, insperato quidem, sed perfectè evadebat. Cur autem, ut id obiter dicam, tenellos *convulsionibus* excruciatos, & simul *vigiliis* ac inquietudine quasi absumptos, *vesicatoriis* aut nuchæ, aut aliis partibus admotis, ulterius ego torquerem, nequeo probè intelligere; quandoquidem id genus medicamentum *comatosis* stupore excitandis, aut potius extorquendis, videatur esse propriè & peculiariter dictum; cumque porro Epispastica vias urinarias vel adultorum tanta acrimonia nonnunquam afficiant, ut ab iis cruciatus sævissimos cogantur aliquamdiu subire, fatendum est corpusculis tenerrimis illa minus tuto posse convenire.

Quidni addam quod, ex quo methodo suprà laudata in medendis Infantibus usus fuerim, plures eorum, sub primum meum ingressum, *convulsionibus* correptos viderim, imo & nonnullos iis adeo jam graviter debilitatos, ut medicamentis qualibuscunque deglutiendis nullæ omnino vires amplius suppeterent; sed quod vix meminerim quidem tenellorum quenquam convulsionibus tunc temporis prorsus *immunem*, post primum usum *pulverum* prædictorum, denuo correptum memet ipsum vidisse.

Veruntamen fatendum est hujusmodi medicamenta nonnunquam minus esse apta, ad cerebrum restituendum, tantis spirituum irritationibus affectum tantis eorum nixibus aut organismis concussum. In gravioribus igitur paroxysmis convulsivis, Pulveris Antepileptici in capite de Epilepsia inferius descripti grana quindecim, aut scrupulus unus, aut alia antispasmodica, infantibus aliquoties propinari possunt. Ex quo, longioribus spasmorum induciis paratis, propria cathartica, aut etiam nonnunquam Mercurii dulcis novies vel duodecies sublimati grana duodecim, satis tuto exhibentur, ad materiam morbificam è sedibus superioribus infrà deturbandam atque eliminandam. Imo vero perpendendum, an in vera Mania, sive in maxima furentium spirituum rabie, quicquam medicamentorum æstus illo cerebri impetuosos melius compescat, aut incendium illud restinguat quàm frigus Mercurii suprà descripti, aut Æthiopis Minerales intensissimum. An autem Elleborus, de quo tanquam specifico in Mania perdomandâ tanta à veteribus Medicis vulgo perhibentur, quandoquidem radix sit calida & ficca ordine tertio, maximaque corporis perturbatione operetur, sit huic morbo tubulento magis accommodatus, quàm impense refrigerantia, judicent, si velint, illi, penes quos miseri Maniaci diu vincti manent, ad arbitrium dominorum despoticorum sæpe incarcerati, & quorum libertatem præmaturam nonnunquam vix permittit hæredum rapacium quæstus, aut tutelæ illorum curatoriæ emolumentum.

Va-

Variola & Morbilli Infantum, plerumque illis mitis & tranquilla sanguinis effervescentia, sæpè non ita malè se habere solent, ubi nec Medicorum auxiliatrices manus expetuntur, neque curatricum sibi magnoperè placentium abundans peritia efflagitatur. Cùm verò effrænis sanguinis impetus medicam opem jure expostulet, *testacea* priùs recensita id ferè auxilii *infantibus*, quod *adultis narcotica*, præbere solent. At verò spiritus volatiles, qui in usu sunt, aquæ cardiacæ, Mithridatium, Theriaca Andromachi, & cætera calidiora alexipharmaca, aut diaphoretica, sunt imprimis fugienda, quæ exanthematis præproperè expellendis, atque præcipiti eorum foras extrusioni omni ope moliendæ præcipuè destinantur; at quæ, loco virtutis cardiacæ aut expulsoriæ quam præ se ferunt, *variolas* ex se benignas in periculosas multoties immutant; & *morbillorum* materiam, aliàs in superficiem corporis facilè succedentem, irritant, perturbant, & introvertunt, dyspnœas lethales sæpè invitant, catarrhosque suffocativos excitant; ac denique sanguini leviter & modicè æstuanti mox ulteriùs succedendo videntur maximè quidem inservire.

De *Variolarum* natura pensitanti mihi in mentem sæpè subiit admirari, qua ratione regimen intensè calidum in hoc morbo non modò apud ineptas nutrices, verùm & Medicos, alias satis doctos, ita invaleseeret; cùm hic morbus sit maximè *inflammatorius*; cùmque *suppuratoria* omnia medicamenta, propriè sic dicta, partibus corporis, sive uni, sive pluribus intumentibus, & in suppurationem proclivibus externè applicari solita, tùm à Medicis, tùm Chirurgis, uno omnium consensu, sint & esse debeant facultatibus summè temperata: qualia sunt *radices althææ*, *& liliorum*, *folia malvæ*, *althææ*, *brancæ ursinæ*, *farinæ lini*, *fœnugræci*, *tritici*, *butyrum*, *adeps*, *oleum*, *vitellum ovi*, *mucilagines*, *medulla*, & similia, quæ calore minimè excellunt. Remedia enim calidiora, sive interna, sive extra adhibita, sunt planè *discutiendi*, & rarefaciendi, & facultate prioribus quodam modo contraria prædita. Adde quòd hæ functiones naturæ *suppurationi* ita incumbentis revera perturbent, & in confusionem præposteram necessariò adigant. Quamobrem *testacea*, quæ sunt viribus admodum *temperata*, quæ *suppurantibus medicamentis* natura sua benigna ac miti proximè accedunt, quæ *putredini* corporis universali summoperè resistunt, quæ denique functiones neque animales neque naturales interturbant, aut inordinatas reddere solent, pluribus certè nominibus *Variolarum curationi* symbolum conferunt.

Potui pluribus rem institutam defendere, atque adeò limites hujus opellæ in longinquum proferre. Sed Lectorem nolo diutiùs detinere, ambagibus scholasticis unquam determinationem aut subituris, aut promerentibus; & ad praxin medicam nihil quicquam attinentibus; nolo Autorum inter se in æternum vellicantium citationibus glorioſis umbram eruditionis non vulgaris aucupari; ac denique nolo aliorum sententias subtiliter vellere, quo in alienis hallucinationibus ipse triumphos agam, & quo meam qualem, qualem opinionem quoquo modo propugnem. Etenim probe novi quam revera difficillimum sit, veritatem rerum penitus scrutari; novi illum ad veritatem cujusque rei proxime accedere, qui minùs aliis errasse deprehenditur. Utcunque enim homines ex qualibet ansa cristas suas in altum vulgò erigant, & *scientiæ consummatæ* speciem in hac vel illa disciplina sibi facile assumant, mortalibus tamen haud concessum est ultrà tenuitatis & fragilitatis naturales terminos progressus facere. Et profecto quanto quis aliis *scientia* est *superior*, tanto ut plurimùm se gerit *submissior*. Videtur autem nobis quædam rerum mediocris comprehensio, atque pari scientiæ proportione limitata, a supremo mundi gubernatore, omni sæculo partitim diffundi, ut scilicet neutrum alterius *ignorantiam* nimiam merito exprobaret. Sane perdidimus nos inter magnas rerum humanarum vicissitudines quamplurima; quæ in prioris alicujus sæculi præclaram memoriam & cesserunt, & semper

per vertent. Neque etiam desunt ipsimet nostro huic sæculo [quicquid invidi ringuntur] sua inventa laude admodùm digna quæ *artem medicam*, usquedum *Ars* erit, & magnoperè *nobilitabunt* & à nostris sic excultam seræ posteritati sacram tradent.

Exempla aliquot *Infantum* methodo hac nostra curatorum nunc tandem exhibebo; id autem non eo animo ut conamina nostra, qualiacunque ea sint, *aliis* omninus peritioribus *methodis* anteferenda proponerentur. Quippè quid alii judicio magis valentes possint, non est nostri determinare. Illud duntaxat agimus, ea quæ pro *vero*, aut saltem *verisimilimo*, ex nostra observatione, sunt comperta [eandem judicandi potestatem aliis facilè relinquentes quam nos jure suscipimus) & quæ nonnullis è re fore haud veremur conjectari, in lucem emittere, & publici juris facere.

Observatio I.

NObilissimus Infans, *Filius* natu maximus Illustrissimi *Marchionis* [Viri muniorum omnium in Republica maximorum summè capacis, quem nullæ rerum humanarum vicissitudines ab integritate singulari unquam transversum egerunt, ac denique ingenii celeritate quadam incredibili donati) temperamento corporis valdè sanguineo & succulento præditus, sed cui nervi ominò infirmi fuerunt, *febre acuta* plus semel fuit correptus; *materia* autem *febrilis* in *Pulmones* illius potissimum se semper transferebat. Interim *Dominus* dyspnœa graviter laborabat, & difficilis inter dormitandum anhelitus ejus adstantibus clarè fuit auditus. *Pallor* faciem venustissimam obducebat, *sitis* maximè urgebat, & *calor* cutis intensus ac mordax, cum jactatione & inquietudine continua.

Sanguinem è brachio paulo liberalius primum detraxi, ac deinde *ipsa hac methodo* quam descripsi semper auspicatò sum usus, qua *febris* cum omni symptomatum satellitio fuit facile profligata, & sanitas demum restituta.

Cæterum primum tempus, quo *illustrem* hunc *Infantem* ac *Dominum* ego invisebam, fuit, cum jam quatuordecim menses esset natus, Junii die 14. anno 1685. *Tussi autem convulsiva* tunc temporis fuit maximè debilitatus, cum curæ nostræ committeretur; Clar. Domino Doctore *Short*, Medico nemini secundo, insociam operam sliciter accersito. Vena brachii dextri ex communi consilio statim aperta, & sanguinis unciis circiter quatuor detractis, equidem proponebam *margaritarum*, & similium aciditatem prædominantem contemperantium, usum solito copiosiorem; *succi pulegii saccharo cando* edulcati cochleare interim bis vel ter in die simul præbendo atque tertio quoque die alvum ejus *manna* blande solvendam, cui quidem *methodo*, ut à me alias comprobatæ, ac simul tutissimæ, facile annuebat Vir candore singulari, & perspecta morum probitate non minus quam peritia artis, præstantissimus. Atque eo pacto *Nobilissimus* ille *Infans*, Augustissimæ post Regiam Familiæ proximus à Patre tunc Hæres, qui ex judicio præclarissimi illius Medici haud minus *trium mensium spatio* liberandus videbatur, *decem* circiter *diebus* [ut non male tum temporis palam augurabar] e gravissimo hoc morbo convalescebat.

Porrò eundem *Nobilissimum Puerum*, jam quinque annos natum exinde *febre continua* decumbentem; & primum *de capite* ac *ventre* alternis vicibus quiritantem, sed mox immanissimis *tormi-nibus* in regione *Ilii* intestini misere excruciatum, (ut ad *Iliacam* quasi *Passionem* jam proxime accederent] cum pulsu debilissimo (fortunante Numine) ad sanitatem reducebam. Notandum autem, quod cùm hæc *febris acutissima & continua*, in *intermittentem* & tutam denuo transmuteretur, cujus paroxysmus, nullo rigore aut frigore inter initia (ut fieri solet) constans, sed *tussicula sicca* aditum sibi pariter ac durationem faciens, semper à prandio singulis diebus recurrebat, *corticis Peruviani* vires experiri placuit. Verum emolumentum exindè enatum erat fugax, & mere palliat-

liativum, donec stillæ aliquot sanguinis è naribus fluentis cum *tussi* vehementius urgente, & *febres* novas vires capessente, me aliquamdiu prius reluctantem (eo quod robur nativum ex hoc morbo jam plurimum attereretur) è brachio *sanguinis uncias* ad minimum *sex* detrahere tandem cogerent; atque die proxima *catharsin* adhibere. Quibus igitur exactis, *iulapium corroborans*, & reliquiis *tussis* abigendis præcipuè destinatum, illi jam valdè imbecillo ita protinus conducebat, ut ad perfectissimam valetudinem quotidiè propius accederet, & sanitas ex omni parte confirmata [qua ab illo tempore jam integra *fruitur*) ei restitueretur.

Observatio II.

2. FIliolam ejusdem *Celsissimi Marchionis*, & *Dominam*, undecim menses natam, habitu opimo & crasso præditam, *febres* acuta cum *tussi ferè convulsiva*, ineunte vere, sed & tempestate admodùm frigida, nuper correptam, *methodo* prius *recensita* auspicatò tractabam, & paulo majore temporis spatio (nempe æqua ratione tempestatis anni habita] ad integram sanitatem reducebam, nisi quod sub finem *curationis* guttas aliquot *elixir: Propriet. dulcis*, *testaceis* exhibitis denuo adjici curaverim.

Observatio III.

3. UNicus *Filius* illustrissimi *Comitis*, (non modo antiquo *Natalium* splendore, verum & universis *animi dotibus egregiis* ornatissimi) septendecim septimanas natus, *torminibus* ventris, *dejectionibus viridibus*, *aphthis*, *inquietudine* perpetua, nec non *subsultibus membrorum* crebro recurrentibus, incipiente Februario, laborabat. Aures, è quibus madidus quidam humor [pro more Infantum) copiose effluere solebat, jam fuerunt prorsus exarefactæ. Hujusmodi præscriptionibus obtinui, ut *Nobilissimus* ille *Infans* intra spatium sex dierum quam rectissimè valeret.

℞. Pulv. è chel. cancr. comp. ʒi. Margar pp. ℈ij. sal prunell. ℈j. M. F. *pulvis* in viij. p. æ. dividendus. Sumat unam statim, in cochleari *Julapii* sequentis, superbibendo cochleare alterum.

℞. Aq. lact. alexit. ʒiv. puleg. ʒii. pęon. comp. ʒiij. sacch. perlat. ʒi. M. F. *Julap.*

Postquam primis duabus diebus *illustris Infans* de *Pulveribus* prædictis quod præscriptum erat assumpserat aliquoties in die, ad Symptomata quibus detinebatur consopienda, & ex quibus revera sunt consopita, exhibui diei tertiæ aurora *syrupum solutivum* sequentem, quo alvus leniter subducebatur; atque res omnis in vado fuit constituta:

℞. Syr. de cichor. cum rheo, de rhamn. cathart. ā. ʒj. rhei el. pulv. gr. xij. tinctur. croc. gutt x. M.

Deinceps per duos alios dies in *pulveribus* illis exhibendis adhuc pergebam, ac rursum tertio *catharsin* eandem instituebam. Quibus absolutis ægritudo omnis in totum evanuit, color faciei pallidus fuit in vividum immutatus, atque aures, uti prius, exsudare protinus cęperunt.

Observatio IV.

4. HOnoratissima ejusdem Illustrissimi *Comitis Filiola*, tres annos & dimidium quarti nata, *febres* lenta exacerbationibus valde irregularibus constanti corripiebatur, atqui Illa de gravi *capitis* dolore maxime, & *ventris* nonnunquam, conquerebatur. Alimentum omne fastidio illi fuit, & somnolentia identidem premebatur, ut *variolarum* suspicio apud domesticos omnes fuerit oborta; subsultibus nervorum aliquoties inter dormiendum, nec non *tussicula sicca*, nonnunquam tentabatur. Sequentia præscripsit.

℞. Aq. lact. alexit. ʒvj. epidem. ʒß. margar. pp. ʒj. pulv. è chel. cancr. simpl. ʒij. sacch. crystall. ʒß. M. F. *Julap.* de quo capiat cochl. iij quarta quaque hora, vase prius diligenter agitato.

℞. Aloes Succotr. ʒj. summit. centaur. min. fol. sab. sicc. an. ʒß. pic. Burgund. ʒj. tereb. *Ven.* q. s. *Empl.* umbilici regioni adhibendum.

Die

Die proxima perſiſtebat in uſu *Iulapii*. *Epiſpaſticum* etiam modicum ſubtus nucham fuit applicatum.

Enema è lact. facc. & ſalit. ℥vi. quoniam alvus non reſpondebat; injiciebatur.

℞. Æthiop. Mineral. calomel. an. gr. vi. mivæ cydon. ℈ii. f. *Bolus* ſero exhibendus.

Sequenti die ſumebat *Syrupum* hunc *Cathartieum*.

℞. Syr. de chamn. cathart. ℥ii. pulv. *Comit. Varvicenſis* gr. vi. rhei el. pulv. gr xii. tinctur. croc. gutt. xx. aq. ceras. nigr. ℥i. M.

Cryſtall. tartar. ℥ß. ad vim purgativam exacuendam in hauſtu ſeri poſſetici proprinabatur.

Eadem nocte quatuor cochlearia *Julapii* prædicti exhibebantur hora ſomni.

Quarta die & quinta *Mixtura* ſequens cochleatim deligenda reliquis additamento fuit.

℞. Coralin. ℥ii. ſol. menth. ficc. pulv. ℈i. pulv è chel. cancr. ſimpl. ℥ii. ſyr. de balſam. *Tolut.* de althæ. an. ℥i. aq. aurant. ℥ß. M.

Veſpera ſextum diem præcedente *Bolus* ſupraſcriptus repetebatur, & mane ſequenti *Syrupus Cathartieus*; ex cujus vi & efficacia, ſub meridiem, *Nobiliſſimæ Dominæ lumborum* ſpithamæ longitudinis ventriculo evomuit. Quo facto, ab ægritudine omnimodi promptiſſimè liberabatur.

Obſervatio V.

5. HOnoriſſima, & unica *Filia* Sereniſſimi *Principis* ac *Ducis*, vix unum menſem adhuc nata, *nauſea* ac *vomiturition*e fuit male affecta, nec non *ſedibus viridibus*, ac proinde *torminibus* cruciata. *Pulvere perlato* ad gr. viii. vel ℈ß in cochleari aquæ menthæ, bis vel ter in die propinato, *tormina* ventris facile propulſabam, atque *Rhabarbaro* à gr. vi. ad ℈ß. in tantillo *Syrupi de cichorio cum Rheo* materiam morbificam blandiſſime ſubducebam; ex quibus color dejectionum viridis in meliorem immutatus, ac *torſionibus* ſtatim ſublatis, dies noteſque fuerunt quietis plenæ. *Nauſea* pariter ac *vomitus* ventriculo jam emandato, protinus ceſſabant.

Obſervatio VI.

6. *Filia* unica eximii Domini, & Parlamenti Senatoris, atque ex ampliſſima & florentiſſima familia in Comitatu *Surriæ* oriundi, ſex menſes nata, *febre inſolita*, ac mali moris, qualem *malignam* nuncupare amant, aliquandiu fuerat correpta, *Dejectiones* ejus *virides* fuerunt, color faciei pallidiſſimus, nec non plumbeo proximus. *Aphthæ* oris lactationem omnem prorsùs impepiebant; & *ſymptomata* quædam *inuſitata* maximum vitæ diſcrimen una intentabant. Mentum ſuum, quantum potuit, ſurſum attollebat, & caput retrorſum dies noteſque deflectebat, adeo ut ego abſceſsum aliquem circa fauces hærentem, aut *ſtrangulationem* repentinam, ſtatim ac advocatus, proinde ſuſpicarer. Huic alterum e *pulveribus* præmemoratis ad gr. xv. qualibet vice exhiberi juſſi, ſecundum methodum ſuperius deſcriptam. At vero toties quoties propinabatur ex inproviſo contigit *Ebullitio* talis, qualem in nullo infante tam perceptibilem obſervare adhuc licuit. Omnia enim deinceps in tumultum enormem conſerva ſunt, atque res in extremo diſcrimine perinde verſari videbatur, ac ſi *ſuffocatio* totalis eam ſtatim confectura eſſet. *Ebullitionem* vero uſitatam inter *Acidum* & *Alcali*, ſub primam illorum in vaſe admixtionem, plane referebat. Porro effervescentia hac finita, illa *Sudore* multo protinus diffluebat. Neque tamen poſt plures *pulvernm* doſes, & ſubſequentem leniſſimam *catharſin* aut ſymptoma illud tantillum minui, aut cætera in melius mutari videbantur. Itaque *Mercurii dulcis* & *fluorum ſulphuris* an. gr. iv. in tantillo ſyrupi caryophyllorum, tandem veſperi exhibebam, & mane inſequenti, ad ſummam humorum corruptelam ſive corrigendam, ſive averruncandam eadem repetebam. Ex ſecunda autem illorum doſi matutina, non ita diu poſt exibitionem, magnam

humorum putridorum & fœtidiſſimorum ſanguine ſtriatorum copiam, colores irridis multiformes æmulantium, illa evomuit; ex quo ſtatim convaleſcere incœpit; & *pulveres illi* à quibus paulo ante ita abhorrebat, tunc iterùm propinati *optimè* quidem *conducebant*, nulla jam ebullitione inter eorum uſum amplius comparente. Exinde etiam plorare, ac intenta voce vagire incœpit. Item *tuſſis* pareximguam moleſtiam creans, cùm fuit exorta, tum facile prupulſata. *Aphthæ* quantociùs recedebant, *febris* protinus evaneſcebat, color vividis vultuï reſtitutus, atque infantula hæc univerſis pro *deplorata* merito habita priſtinum vigorem omni ex parte citò recuperabat.

Obſervatio VII.

7. FIlius unicus *Præfecti* navis onerariæ ad *Indias Orientales* navigare ſolitæ, octo dies tantummodo natus, tempore hyemali, *torminibus dejectionibus virideſcentibus* atque *inquietudine* continua laborabat. Adde, quod *aphthæ*, ad inſtar *cruſtæ albæ* labia interna, imo & totum os adeo jam obducebant, ut mammis nutricis os ſuum tenerrimum admovere, aut minimùm lactere haud valeret. In hunc igitur modum præſcripſi.

℞. Marg. pp. ℈ii. pulv. è chel. canc. ſimpl. ℈i. M. F. *pulvis* in viii. *chartulas* dividendus. Sumat unam ter in die, temporis opportunis, in cochleari *Julapii* ſequentis.

℞. Aq. lact. alexit. ℥ii. puleg. ℥i. ſacch. perlat. ℥iii. M.

Die prima, ac deinceps, *tormina* ſunt conſopita, & ſomnus placidus conciliabatur.

Tertia die ſumebat *ſyrupum ſolutivum* ſequentem.

℞. Syr. de cich. cum rheo ℥ii. pulv. rhabarb. gr. vi. aq. roſar. gutt. xxx. Miſceatur.

Eadem veſpera *pulverem* prædictorum alter propinabatur.

Die quarta lactere incœpit, *aphthis* am evaneſcentibus; atque ſedes fuerunt omnis viriditatis expertes. Verumtamen eadem die; quinta, in uſu priori *pulverem* perſeveravit.

Sexta *ſyrupum ſolutivum* cum Rhabarb. pulv. ℈ß. loco gr. vi. ſumebat. Quibus demum exatis, perfecte convaluit.

Obſervatio VIII.

8. FIlia Theologi liberali eruditione eximie perpoliti, decem circiter menſes nata, *profluvio alvi* violentiſſimo, inter *dentiendum*, corripiebatur, ut ex dejectionibus continuis (quæ virides fuerunt, nec pauciores quadraginta aut quinquaginta, ſpatio viginti quatuor horarum) ſicut parentes mihi retulerunt, fere exanimis foret, & ab omnibus habita pro deplorata. Exhibebam ei *pulverem* deſcriptorum inter quos in ſiſtendis *Diarrhœis Cretam* primas obtinere, & vel *Coralliis* præſtare, conjectari ſoleo) ſcrupulum quarta ad minimum quaque hora, ſed & ſæpius inter initia, donec fluxus admodum remittenter, feroci bilis ſedaretur; ſomnus una conciliaretur, & vires aliquantum redintegratæ fuerint. Tertio die præparatos jam humores è corpore exigebam *Rhabarbaro* illo nunquam ſatis laudando, quod tam partium jam imbecillarum robur firmat, quam impuritates blandiſſime tollit & expurgat. Perſeveravi in iiſdem ter vel quater in die exhibendis, donec tertia dies rurſum rediret, qua *catharſin* eandem repetebam. His finitis perfecte convaleſcebat.

Hic porro adjiciam. Quemadmodum *Rhabarbaro*, inter *purgantia infantibus* ſive *febre* ſive alias affectis accomodata, palmam facile adjudicem; ita vix aliud reperire eſt ex natura ſua inſalubrius, aut periculoſius, in tenellorum *febribus*, decantata illa *Aloe*, quæ febricitantibus [quantumlibet *præparatio* ejus *Sacra* indigiretur] pernicioſiſſima tamen extat tum propter intenſum ſuum *calorem*, tum propter *corroſionem* ſuam inſignem tenertimæ indoli maximè adverſam. Atque hujuſce reï veritatem potuï, ſi libuerit, confirmare, hiſtoria memorabili *Nobiliſſi-*

mi

mi Infantis vix quadriennis, febre lenta correpti, & binorum dierum ſpatio ad eas incitas, redacti, per uſum potiſſimum *Hieræ Picræ*, in vehiculo, utimos eſt, calido infuſæ, ut labes viſcerum inde ſubito enata, quam *Autopſia Anatomica* poſtmodum demoſtrabat, omnem fidem longè ſuperaverit. Verum ſileo, memor quemadmodum de *mortuis*, ita & *QUO AD VIVENTES*, *nil niſi bene*, & honorificè dicendum.

Obſervatio IX.

9. FIlia Generoſi, quadrienis; æſtate anni 1687. laborabat *FEBRE* omnium vehementiſſima, quas in tenera hac ætate unquam vidi; habitus corporis fuit admodum macilentus, ſitis adfuit inexplebilis, calor cutis ultra illos annos acer adeo & mordax, ut tangentis manus incendium ejus interum vix ſine moleſtia ſuſtinere poſſet. *Parotides* interim dolore excruciabant, nec non mediocriter intumebant; genæ rubore ſummo ut plurimum perfundebantur; atque illa anxietate & inquietudine continua langueſcebat. Eam ſic ægrotantem veſperi primùm inviſebam. Cui illico propinabam ex *pulveribus* prædictis, & redditis parum expulſoris, ſemidrachmam, paulo poſt repetendam, in cochleari *aquæ Pulegii*. Nane inſequenti eadem ſunt iterata; ſed bihorio poſt hauſtulum matutinum, ſanguis è naribus copioſè fluebat, atque tota frons livida & turgidula erat, cum rubore inſigni hic illic interſperſo, tanquam ſi omni ex parte recens verberata frons ejus videretur. Sub tempus ſiniſtrum *macula* plane *coccinea*, magnitudinis duorum plus digitorum eademque rotunda ſe exibebat. Quibus ſpectatis neutiquam deterritus, imo rem bene ominans, in *pulveribus acidum contemperantibus*, ſed iis jam minus expulſoris propinandis per illum diem permanebam. Proxima autem, hoc eſt, die tertia ex quo adveni, tametſi *febris*, *calor*, & *ſitis*, æque intenſa atque prius tunc manerent, tamen *pulverem* purgantem, cujus operationi promovendæ opem non exiguam conferebant *cryſtalli tartari*, exhibere nullus verebar; unde quinquies aut ſexies dejeciſſe eam contigit. Denique *eadem ipſa* die *febris* illa in totum profligata eſt, *ſitis* veſperi nulla, & *calor cutis*, tanquam ſaniſſimæ, jam fuit tactui maxime temperatus, ut proinde ſub noctem puſilla integræ valetudinis conſcia parentibus ſuis læte exclamaret: *Quàm rectiſſimè nunc ego valeo.*

Obſervatio X.

10. FIlia Generoſi, annum unum nata, habitu optimo aut præpingui, menſe Novembri, propter *difficilem dentitionem* graviſſimè *febricitabat*; ſitis illi inexplebilis fuit, vultuſque palidiſſimus, niſi quod & nonnihil viriditatis pallori conjungeretur. Quotieſcunque os mammæ lactura admovebat, *tuſſi* ſtatim exorta à lactatione deſiſtere toties cogebatur; quo ſymptomate equidem admonitus, uvam tumidam ac inflammatam fuiſſe conjiciebam. Os præterea *aphthis* valde exulcerata eſt, quod firme occluſum vix unquam aperire volvit, niſi naribus quandoque compreſſis, ad ſpiritum ducendum, ſimul medicamentum ſumendum, nonnunquam impelleretur. Sedes ejus viridiſſimæ, atque acidum redolentes, cum jactatione frequenti, *torminibus ventris* eam excruciari oſtendebant. Inter dormitandum anhelatio adſtantium aures clare pertingebat. Præterea ne tantillum vagire tunc potuit, donec excurrente ſeptimana, & ex remediis ipſiſſima hac methodo, quam deſcripſi, adminiſtratis multum retuſa ægritudine, clamor infantibus uſitatus præſentium aures tandem demulceret. A *ſecunda catharſi* ſingula ſymptomata manifeſtò remittebant, & à tertia celebrata, color vulti floribus cum candore nitidiſſimo ſenſim redibat, os ſanum fuit, oculi redditi vivaces, atque valetudinem confirmatam deinceps obtinebat.

Adjiciam & *Chronicus affectus* exemplum non vulgare, quod nec ab in-

ſtituto multum alienum, nec ipſum fortaſſe erit prorsùs inutile.

Obſervatio XI.

11. PUer quidam tredecim annos natus, *atrophia*, uti apparuit, *verminoſa* adeo emaciatus fuit, ut ipſiſſimo ſceleto, quàm Puero viventi ſimilior videretur. Facies fuit cadaveroſa aut *Hippocratica* dicta, oculi concavi, nares acutæ, oſſa pellibus tantummodo circumtecta. Ex morbo fatuus, & rationis omnino expers fuit; de altera parte conclavis in alteram, ope artuum ſtrigoſorum, vix repere ut limax potuit: omnes ejus excretiones, ſive per urinam, ſive per ſedem, fuerunt interdiu in braccas, noctu in lectum, involuntariè emiſſæ. Huic in dies exhibebam *Aethiopis Mineralis*, quem in uſu habeo, grana viginti quinque, aut ſemi drachmam, manè & veſperi, corpus interim blandiſſimè laxando quarta quaque die. Complures illinc *lumbricos* per alvum excrevit, atque deinceps εὔχδος, & εὔσαρκος paulò poſt evaſit.

Præparationem autem *Aethiopis* noſtri *Mineralis*, utpotè apud nullum Autorem, quod ſcio, legendam, & uſui multiplici, ut opinor, futuram, deſcribere non gravabor.

℞. *Hydrarg.* p. ij. *Flor. ſulph.* p. j. Agitentur in mortario vitreo, donec omnes globuli Mercuriales penitùs evaneſcant, & maſſa redigatur in pulverem fuſcum tenuiſſimum, qui paulum conſervatus maximè nigreſcit.

Vulgaris modus *Aethiopem Mineralem* conficiendi eſt, *Mercur.* crud. & *flor. ſulph.* an. p. æq. incorporando, & deflagrando, donec genus quoddam *capitis mortui*, finita combuſtione, in forma *pulveris* mediam admiſtæ maſſe partem retinentis reſtet; cujus facultates genuinæ annon exuſtione illa plurimùm deleantur, an verò etiamnùm, & quantùm vigeant, nondùm ità conſtat, ut quid certi ſtatui poſſit: quemadmodum & de plurimis præparationibus aliis igne ex ortis idem ſit dicendum.

Præparationem hanc cæteris *Mercurialium* ut plurimùm anteferre ſoleo, tùm quia qualicunque quantitate, & quotieſcunque *ſalivationem* nunquam excitat, quæ tenerrimis naturis neque convenire poteſt, neque inexpectata citrà horrorem adſtantium ſummum unquam conſpicitur; tum quia *ſimplici* ac *naturali modo* perficitur, abſque aliquo auxilio *Artis* nimioperè curioſæ, quæ *medicamenta* nullo loco numerare ſolet, niſi *ignium* luculentorum torturæ ea priùs commiſerit, quò ſcilicet *puriora* & à ſordibus neſcio quibus ingenitis *defęcatoria* illinc fiant, cùm tamen ex *optimo* ſtatu, & naturalibus eximiis facultatibus pollenti in *deteriorem*, minùs tutum, at prorsùs novum eadem non rarò tranſmutentur. Sic autem indomita *Mercurii volatilitas*, cui quidem *figendæ* tot laboribus & tanta contentione *Chymici* diu ſudarunt, minimo *mortarii* & *piſtilli* negotio facillimè ſubigitur.

Potui quamplurima alia *Curationum* exempla enumerare, niſi diutiùs eadem in re immorando moleſtias Lectori faceſſerem.

Potui & in memoriam revocare, atque meritò comprobare conſuetudinem illam veterem, ſemperque optimam, morbos pleroſque tùm infantiles tùm Pueriles facilè præveniendi, medicamentis notis & ſalutaribus, corruptelæ humorum reſiſtentibus, & ſingulo ferè menſe exhiberi ſolitis. Quippe cum indoles puerorum tenerrima impreſſionibus omnibus externis pariter ac internis, tàm obnoxia ſit, cùmque indigeſtiones aut cruditates in teneris tàm facilè prædominium obtineant, prudentis Medicis erit; diatheſes illas morboſas ita per Ἐπιχάρσιν corrigere & emendare, quæ nequeunt in temperie tàm molli ac imbecilla in totum tolli.

Potui & pluribus diſceptare, an *tutius* ſit *Infantes* recens natos *nutricum conductitiarum* cuſtodiæ, uti mos inceſſit, temerè committere, ut ſcilicet Parentes, poſtquam infans ex nutricum errore aut incuria animam innocen-

centem jam efflaverit, illum tunc maximè periclitari tandem intelligant; an verò ab ortu primo potiùs ablactandi fuerint; an Matres ipsæ nutricis partes jure agere deberent; aut denique annon nutricula, ubi talis requiritur, sit domi maternæ alenda, & sub Parentum œconomia sit à mariti consortio diligenter cohibenda.

Verùm jam tempestivum est *Objectionem* diluere, tàm Medicorum quorundam in praxi egregiè versatorum, quàm aliorum qui *materiæ medicæ*, qua patet, recens investigandæ operam diligenter dederunt: Nempè culpabunt *methodum vostram* simplicem, & minus ornatam esse, tàm ex rebus vulgò notis constantem, quàm *varietate* illa *Præscriptionum* Medico docto apprimè necessaria, atque apud Autores sæpè exsuperanti, plurimùm destitutam, imò & crimini dabunt, me *præparationes Chymicas* apud Autores plerosque omnes in operibus jam diu celebratas, aut penitus ignorasse, aut, saltem immeritò posthabuisse,

Hi igitur meminerint, *Medicum esse Naturæ* tantummodo *ministrum*, & φύσεως μόνον ἰατρὸς. Querantur verò iidem nos nudos esse natos, *Naturam paucis contentam*, quòdque *Artis* sit *Naturam*, quoad possit, æmulari, vel potiùs *adumbrare*. Sciant etiam illum, *qui nimis longas, vel qui nimis multas remediorum formulas præscribit, aut ex Ignorantia peccare, aut Dolo malo.*

Quod vero ad *Chymiam* attinet, malim ego eam sat probè callere, quàm promissis Chymicis inanibus & gloriosis fidem nimis credulam adhibere. Nihil dicam, quòd apud Clarissimum *Lemerium*, Hermeticæ artis, ut & hujus sæculi (quoad rem *Chymicam*) decus & ornamentum, aliquamdium fuerim *parisis* convivator, nec non contubernalis. Sin Ars Medica *methodis curativis genuinis* minùs antehac fuisset destituta, cùm *Chymica* primùm in Medicina locum præ aliis non ita pridem ambirent, *præparationibus Chymicis*, ni multùm fallor, ea minùs postmodum exuberasset. Quorsùm enim ad res ignotas, incertas, imò periculosissimas quorsùm vel ad *Asila Ignorantiæ* confugerent Medici, nisi rerum diu notarum & à pluribus expertarum, suspicio aliqua notabilis meritò fuisset oborta? Certè *umbram*, amissa *Substantia*, non ita avide captaverant, nisi lux *umbræ* illius tremula incantamento quodam oculos fortè perstrinxisset. Nolim vero *Chymiam* intrà *pharmacopejæ* limites circumscriptam temerè vilipendere, quemadmodùm & nullis limitibus Medicis conclusam nolim alios inconsulto magnifacere.

Cæterum illi; qui medicamenta nulla arte nisi Spagyrica, nulla ratione nisi igne posse rectè præparari autumant, attento animo expendant, quod Vina omnia Medicata, Tincturæ plurimæ, sine ignis auxilio optimè conficiantur, atque sic ventriculo sint magis grata & accepta, sic corpori universo sint magis benefica. Et profecto ignis Spagyricus sæpenumero partes rerum crassiores, noxias, fœculentas, & impuras, una cum puris & salutaribus videtur cogere & impellere, ut ex promiscua illa particularum adversantium conjunctione fastidium & nausea, ægritudo & perturbatio facilè in ventriculo oriantur. Cujus rei veritatem non solummodo frequenter in Vinis Medicatis nunc cum igne, nunc sine igne confectis observavi, sed maximè in Elixiri Proprietatis Dulci conficiendo, quod à multis annis semper domi comparavi, ut egenis aliisque gratis donarem. Nunquam verò memini, ullam ex quamplurimis mulieribus, quibus illud medicamentum, longa semper ac frigida infusione præparatum, toties præscripsi, & quæ vulgaribus ejusdem præparationibus sæpè offendebantur, conquestam esse de remedii noxa aut fastidio, nisi quod nonnunquam paulisper calidum id videretur. An verò vulgares ejus præparationes magis peccent in festinando haud satis lentè, an in electione Myrrhæ aliorumque minùs convenienti, an in spiritu nimis igneo perperam in usum recepto, an denique in

omnibus illis respectibus simul sumptis considerationem aliqualem fortassè meretur. Spiritus enim vini, aliorumque multorum recenter destillati, quatenùs empyreumate tunc plurimùm saturati, ventriculo nocent, & partes vitales lędunt, cùm interim aliquamdiu conservati, ignem suum infensum fermè deponant, naturæ magis benigni & innoxii, & gustui magis grati semper reddantur.

Ad hæc notatu dignum est, maximos rerum Chymicarum fautores, & rationi medendi veteri præfervidos hostes (ut nihil dicam de ciniflonibus istis & circumforaneis operatoribus, qui omnia medicamenta adulterinis corrumpunt, & *fumos* tantummodò *vendunt*) in summa rerum inopia, paucissimis exceptis, vitam plerumque agere; tametsi credulis, imperitis, & avaris *aureos montes* (quod ajunt) *polliceri* haud vereantur. Quanquam autem verum sit divitas ac facultates viris sapientibus, peritis, & in unaquaque arte optimè versatis, juxtà meritum suum haud semper concedi, tamen verisimillimum id esse duco, quòd extrema illorum inopia ita passim obvia, *medicamentorum* aut *ARCANORUM* suorum celeberrimorum *noxæ*, quinimmò summæ perniciei, originem suam debeat: quòdque pars eorundem non exigua sit saluti generis humani (propter *Ignis* exitialem sive *participationem* sive *incorporationem*) saltem in idonea, si non maximè adversa. Etenim si hominibus magna ex parte è re forent, aut virer eorum dictis vulgò congruerent, etsi hunc vel illum *Alchymistam* locupletare non valerent, tamen sedulos ejusdem *Artis* cultores in pecuniis corradendis (quemadmodùm plerosque omnes artifices industriam adhibentes, & utilitatem aliquam publicam præ se ferentes, quæstus, undè vivant, mediocris concomitari non desinit) haud ita frequenter frustarentur. Si *Filio meo charissimo consilium darem*, quid illi facto opus fuerit ad magnam vim auri, aut saltem sufficientem comparandam; me quidem autore, spectata morum probitate sese ornaret, nullis fraudibus quenquam ludificaret, neque confingendis mendaciis quoquo modo operam daret, quodcunque vitæ genus, aut quamcunque negotiandi rationem, ad rem familiarem augendam, ex instituto ille prosequeretur. Nec minùs eidem inculcarem, eam esse rationem omnium facillimam, ut egestate misera prematur (quantumlibet veteratoribus nonnullis imposturæ suæ ad tempus aliquod prospere contingant) alios perfidè circumvenire, falsa pro veris narrare, atque scelesti impostoris, aut hominis nequam partes ullas agere.

Sed ut ad *Chymica* redeam, quantumlibet *opera naturæ* apud quosdam evilescant, & *Natura* ipsa, apud *Epicurum* ceu iners incusetur, nunquam ego possum non existimare, *naturæ opera*, iis quæ solertia *artis* comparantur, longissimè quidem præstare, imò cum *Galeno* eadem omni laude esse majora & excelsiora. Quamobrem rectissimè *divinus* noster *Senex* ἡ Ἰατρικὴ λαμιστὰ βατὰ φύσιν ἐστιν.

Sed hic, neque sine animadversione aliqua præterire, quòd usus in Praxi hodiernus & creberrimus Corticis Peruviani, Chalybeatum, Mercurialium, & Narcoticorum, pariter ac Medicamentorum Spagyricorum, Materiam illam Medicam quam Natura ipsa benignè suppeditavit, & quæ in *Dioscoride*, *Galeno*, aliisque veteribus tàm fusè exhibetur, jam exilio quodam mulctasse videatur. Nimirùm horum paucorum usus multiplex facilè addiscitur, & memoriæ mandatur. Neque vires animi his retinendis enervantur, neque robur corporis laboribus immensis exhauritur. Porro hæc brevissima studia otium permittunt hilaritati, recreationibus, compotationibus, & amicis debitum. Adeò ut libri veterum penè omnes, qui industriam requirunt ut probè noscantur, & qui molestias graves lectori creant, planè evilescant, aut nauseam pariant. Verum enim verò quantumlibet sordescant, & gustui neotericorum ingrati sint veteres sive Principes, sive mino-

res

res Medicinæ Duces, vincet certè, & in sæcula triumphabit Veterum Medicorum gloria sempiterna, Veritasque doctis semper amica, tàm in Medica, quam Scientiis aliis. Post omnes enim inventiones Artis & solertiæ, post tot abscondita in medium nostris temporibus prolata, post tot in Anatomia mira Phænomena ope Microscopii patefacta, & ingenii curiosorum radiis illustrata, post tot Bezoardica, Benedicta, Polychresta, Specifica, & Mirabilia Chymistarum inventa, denique post tot nova medicamenta, eaque minimè contemnenda, ex Indiis advecta, Materia profectò illa ipsa Medica, quæ in *Dioscoride* & *Mattiolo* uberrimè reperitur, & ex prædiviti Naturæ penu summa industria coacervatur, Medicis probis, peritis, & doctis tanquam thesaurus Medicinæ maximè pretiosus, in deliciis & existimatione nunquam non habebitur. Et quanquam juniores fortè multi aliis viis gaudeant aliquandiu aberrare, certè pauci seniles Medici, qui ex alienis periculis aut naufragiis sapientes & cauti sunt facti, observationi & experientiæ plurimorum sæculorum commenta nova & figmenta tandem præferent. Ut vero illi rei Herbariæ summi Magistri in usum Medicum commodius perducantur, en liber diu extitit *Jussi Molleri* Germani, dictus Faciculus remediorum ex *Dioscoride* & *Matthiolo*, *Basileæ* excusus, in quo omnia illorum remedia sub capitibus ordini morborum congruis clarè exhibentur, quo libro raro contingit videre utiliorem, & Medicis magis necessarium. Atque in hujus defectu, notandum est, supplementum commodo præponi *Matthioli* Commentariis, continens *Simplicium medicamentorum facultates secundùm locos ex Dioscoride*.

Hæc vero de Materia Medica qualitercunque præstanti dicta, & ex autoribus, sive veteribus, sive recentioribus deprompta, sunt intelligenda ea lege, ut acre judicium Medici periti requiratur in seligendis & usui adaptandis simplicibus certis: notis, & salubribus, atque indubiis ac incertis, absoletis, & insalubribus repudiandis; ea etiam lege, ut methodus medendi, præceptaque Medica usum medicamentorum ad sanitatem, sive tuendam, sive comparandam dirigant; ut denique evacuationum universalium recta & requisita administratio Simplicium selectissimorum usum præcedat, aut comitetur. Etenim quid Herbale quantumvis magnum in manibus anus imperitæ? Quid instrumenta affabrè, ac singulari artificio confecta, sine artificis exercitati scientia & dexteritate? Quid denique Bibliotheca instructissima, & ornatissima, in custodia indocti, ignari, aut insipientis?

Veniam dabit æquus Lector, si in hac re paulo nimius ego videar. Nam modi quidam & consuetudines diversiformes, nunc forte meliores, nunc deteriores, in medendo pariter ac in vestibus, oriuntur ac transeunt; & vulgus Medicorum promissis novorum ductorum nimis facilè fidem tribuit, donec Experientia fidelis Magistra, tutiores ad Veritatem vias tandem demonstret. At vero nullum seculorum præteritorum mihi videtur fuisse Novitatum magis cupidum quam nostrum hoc doctum curiosum, quod multis nuper inventis, & nonnullis admodum utilibus superbiens, atque Microscopiorum & Telescopiorum veteribus incognitorum adminiculis confidens, nihil nunc in sublimibus cœlis, neque in terræ penetralibus, notitiam suam effugere posse facile arbitratur.

Verum ne Ingeniosi sibi nimium assumat, proponam illis considerandа duo visibilia, obvia, & tamen mirabilia Phænomena, quibus si quis acumine subtili pollens lumen aliquot clarum effere poterit, illum ego habebo Philosophum *Aristotele* magis admirabilem, aut in Arte Medica ipso *Hippocrate* sapientiorem, & peritiorem.

Et primum obsecro, dilucide explicet fluxum illum stupendum, & constantem, atque refluxum maris; quæ causa naturalis totum Oceanum

in tantos ac tàm regulares motus adigat, & impellat; quæ causa, præter Summi Numinis præpotentiam, tantas undarum moles omni terra excelsiores, ut constat navigantibus in mari tumido ac procelloso, accumulet, & certis tamen finibus, ac si solidæ fuerint illæ moles, circumscribit, quænam causa tàm rapidos maris æstus in statis novi & pleniluniis commovet, limitibus tamen alvei sui propriis concluſos, & tàm raris terræ inundationibus conjunctos. Secundò interrogo, an certo illi constet, utrum stellæ illæ infinitæ, quorum numerus tantus oculis sat conspicuus, numerum multò majorem Telescopia patefaciunt, & quarum Stellarum, quæ primæ magnitudinis reputantur, hoc globo Terræ majores existimantur centenis octo vicibus, utrum, inquam, stellæ totidem pariter atque Planetæ rapidissimo cursu diurno (si sit oculis fidendum) circumvolvantur; Terræ; an Terra ipsa, illud exiguum punctum comparatè ad cœlos (cujus ambitus à Gassendo calculatur constare miliaribus Italicis 26235. & semidiameter miliaribus 4177.) diurno motu circà suum axem continuò rotetur, ordine rerum terrestrium nullatenus interim immutato? Explicet etiam quomodo tantum terrestris Globi pondus sine columnis suffulciatur, & in medio Aeris Fluidi fixum & firmum permaneat, sive mobilis sit hæc Tellus, sive immobilis.

Ad hæc distantia Cœli stellarum Fixarum à Terra diligenter ponderetur, quæ terrenarum semidiametrorum 19000. vulgò æstimatur, quò Philosophus noster de hac re facilius sententiam ferat.

Rursum quæro, an certo illi constet, Stellas visibiles tanta esse distantia dissitas à Terra quantam supponunt, aut conjiciunt, aut demonstrant Mathematici; an athmosphæra, qua terra undique quasi circumvestitur, non efficiat, ut objecta longè dissita magnitudine sua decrescant, & juxta longitudinem intervalli diminui videantur; an denique æther illud purissimum, vaporisque immune, quod suprà athmosphæram in cœlos protenditur, Stellarum distantium omninò minuat magnitudinem veram? Certè lux valdè obscura oculis atque intellectui humanis elucet, cum circà res Cœlestes, & suprà captum, speculationes nostræ versentur. Nimirum de natura terrestrium non nisi perquàm exiguam cognitionem, de cœlestibus planè nullam habemus, nisi quam Numen Cœleste, ex immenso suo Omniscientiæ thesauro, nobis patefacere dignetur. Quid si instantiam singularem caliginis nostræ super naturam cœlestium adijiciam? Omnes neoterici curiosi opinari consentiunt, Solem esse corpus igneum aut ignem cœlestem; & tamen, quò proprius Soli accedunt excelsa montium cacumina, aut planities montium magnæ, reflexionibus radiorum Solarium recipiendis æquè accommodæ, ac planities convallium inferiores [quales planities montanas insignes juxtà Armeniam peregrinatores nobis describunt] eo magis [quod contrarium naturæ ignis quo nos calefacimus] nivibus geluque montes tegi, utcunque in Climate præfervido ponantur; quo verò longius ab igne Solari tellus alicubi recedit, eo magis locos incalescere. Fa, stuosè igitur, si lubeat, intumescant homunciones cum sublimibus suis notitiis quibus planè impossibile est efficere, ut aut doctrinæ copia, aut ubertate orationis aut philosophiæ sapientia, cæcus aliquis natus, consuetudine hominum quantumlibet familiari utens, certam claramque lucis ipsius aut colorum quos oculis suis nunquam usurpavit, comprehendere possit.

Ad hæc, si stellæ illæ infinitæ, in superioribus cœlis Fixæ, tanta magnitudine donentur, quanta Mathematici demonstrant illas constare, equidem porro supponerem, pace Theologorum, neque fortè citrà rationem aliquam conjicerem, si minus nequeat caligo humana id demonstrare, lucidas illas regione stellares esse posse spirituum cœlestium proprias ac peculiares sed; easque fore corporum

cæle

cæleſtium propria domicilia; cùm corpora mortalia ac pereuntia in cœleſtia & perennia fuerint tranſmutata.

Conſecutiva pariter ratione etiam ſupponerem, ſi contemplatio permittatur circà res obſcuras ac conjecturales procul verſari, orbes illos Planetarum magnos, ſtellis ſuperioribus ſubjectos, aut Æther illud amplum, quò priùs errabat Planetæ, poſt conflagrationem poſtremam eſſe poſſe ſpirituum malorum diriſque devotorum hominum recepta. cula tenebroſa; tenebris, inquam, pluſquam Cimmeriis, pluſquam Ægyptiacis ſemper obſcurata: cùm lumen Solis, unà cum mundo inferiori pereuntis, fuerit prorsùs extinctum; cùm Planetæ omnes ulteriori ſplendore radiorum Solarium fuerint ſpoliati; & cùm velum aliquod denſum inter lucidas Beatorum regiones, tenebraſque maledictorum, fuerit obductum; aut denique cùm omnia inferiora in tenebras primas, quæ ante mundum hunc conditum Chæos tegebant, tandem redierint.

Inſuper ſupponerem, aut ſaltem benè ſperarem, tot mundos ampliſſimos Stellares minimè quidem deſertos, incolis Beatorum infinitis eſſe, aut in futurum fore plenos; neque tali incolarum feliciſſimorum penuria illos laborare, qualem vulgò ſuggerit iniqua noſtra aliorum à nobis diſſentientium, quantumlibet bonorum cenſura, & adverſa Zelotarum rigidorum iracundia nimis velle non raro videtur. Quanto autem ſplendore (Deus bone!) cœleſtes illæ regiones irradiantur, cùm Moyſis à Sacro Monte deſcendentis [poſtquam Lippitudine quadam oculorum gloriam Majeſtatis ſuppremæ fuerant intuitus! vultus effulgens, niſi velo tectus, à populo ſpectari haudquaquam poſſit] cùm Sancti Stephani cœlos patefactos vivida fide proſpicientis facies adeò reſplenderet, ut ipſis inimicis ſuis Angelica quidem videretur.

Et ſi tantum fulgorem vel mortalium vultus cœleſtem lucem paululùm aſpicientes participare videantur, quantis exultationibus, quantis illuminationibus animæ immortales tandem perfundentur, cùm inſtar Solis reſplenduerint, & cùm nulla nocte interpoſita, nullo ſplendoris occaſu ſummarum illuſtrationum fruitione æternum fuerint donatæ!

Certè orbes illi inſignes, ſplendidi & ſublimes, tàm quos oculis intuemur, aut quos teleſcopiis perluſtramus, quàm qui per immenſum illud æther nullis cogitandi terminis circumſcribendum, quaquaverſus expanduntur, ſunt Magnificentiæ Infinitæ permanentia monumenta, quæ rerum cœleſtium contemplatores in altam Numinis admirationem neceſſariò ducunt, ſurſumque rapere interdum debent. Quin & minimi quidem animalculi, aut reptilis deſpicabilis fabrica, tanta elegantia ac artificio compoſita, ut & plerorumque aliorum naturæ operum nobis propinquorum; atque ideircò ſæpenumerò ſpretorum, & vulgò minus adverſatorum, conſtructio exquiſita diligenti examine perſcrutata, admirationem haud exiguam Supremæ Poteſtatis meritò promovebit.

Quinetiam ſi enodandis & illuſtrandis phænomenis aliquantum obſcuris otium detur, explicet quis denuo, ex quo fonte, & à quo principio primum profluat motus ſanguinis circulatorius, cujus prima demonſtratio noſtrati præclariſſimo Harveio merito tribuenda eſt, & dicat cui primo motori naturali originem ſuam debeat. Vidi enim attonitus, ſimiliter ac multi alii, ipſis oculis, [& fortè majori admiratione commotus, quam ſi ſeptem illa mundi Miracula perluſtrare contigiſſet] ſanguinem animalium torrente quodam ferri per arterias ad extrema, eodemque celeri curſu per venas ab extremis reduci, ſed planè inſcius ſum, an a corde, an a cerebro primus ſanguis impetus ſit petendus; nec non ignarus ſum, an Animæ noſtræ ſive ſolium, ſive ſedes, in parte aliqua corporis principali collocetur, an non ſit *totum animæ diſtributum in toto & totam in qualibet parte*, ſecundum ſummum Philoſophorum. Certè nimis manifeſtum eſt tenui noſtræ rerum naturalium comprehenſioni Maximum & Potentiſſimum Naturæ Dominum [quem mortalium ſapientiſſ. nequit unquam cultu & honore ſatis amplo proſequi, animo

ſatis

fatis humili ac demisso venerari) ita noctem & caliginem rationibus rerum naturalium undique offudisse, ut ratiocinationes pleræque nostræ, aut hallucinationes potiùs, viris prudentia aliis prælucentibus, citiùs risum quodam modo moveant, quàm admirationem aliquam mereantur.

Deus Optimus Maximus, à quo tanquam fonte æternum inexhausto omnia bona ac fausta continuo descendunt, & *à cujus gratia & benedictione felix Medicæ Artis successus*, præ aliis quibuscunque, jugiter pendet, his, quæ sincero animo fideliter scripsi, pro Bonitate sua immensa favere dignetur, quo in Publici commodum, privato semper anteferendum, cedant.

ELENCHUS RERUM.

QUA ratione Autor hæc conscribere inductus. *Pag.* 559

Quæ ad *curationem Infantum* certiorem spectant, a Medicis hactenus desiderari. 560

Faciliorem autem eam fore ac vulgo creditur. ibid.

Probatur id argumento ex ætatum differentiis & temperamentis. ib.

Morborum omnium Infantilium *una eademque causa*. ib.

Quænam ea sit. 561

Tempestivus remediorum usus in febribus quàm sit utilis. ib.

Quis *Infantis*, & quis *Pueri* nomine intelligendus. ib.

Diagnosis horum morborum quibus criteriis sit investiganda. ib.

Unde pendebat incertitudo, ut videbatur, diagnostica. ib.

Quòd *pulsus* infantum sit minus observandus. ib.

Ut & *urina* eorundem. 562

Causa eorum affectuum *procatarctica*. ib.

Quantum salus fœtus à matre pendet. ib.

Cur innata generis bonitas, aut vitium, aliorum animalium quàm humanæ proli certiùs transmittatur. 563

Causæ aliæ affectuum infantilium recensentur. ib.

Nempè frigus facillimè susceptum. ib.

Lac nutricis vitiosum. 564

Narratio memorabilis quantum discriminis subire soleant infantes, qui Nutricum Conductitiarum custodiæ exponuntur foris. ib.

Præmatura carnium esitatio. ib.

Potus liquorum spiritibus abundantium imprudenter concessus. ib.

Vinum puellis adultis quamobrem prosit, & cur Acida aliis plurimùm noceant. 565

Vinum quibus convenit, & quos maximè lædit. ib.

Quodnam eorum Infantibus magis innocuum. ib.

Causæ omnes morborum tenellorum in *una proxima* semper coalescunt. 566

Historiæ affectum infantilium. ib.

Symptomata universa *Acido* prædominanti ortum suum debere. ib.

Non in *hypotheseon* inventione, sed infelicitate ipsius *praxeos* Medico licere gloriari. ib.

Hippocratem indicationes curativas non à primis, at secundis qualitatibus expugnandis desumpsisse. 568

Prognosis. ib.

Curatio. 569

Sylvii de la Boe laudatio, pariter ac censura. 570

Quodnam fundamentum curationis infantum sit imprimis jaciendum. ib.

Indicationes Curativæ duæ. ib.

Celeberrimus *Sydenhamius* primus viam dedita opera monstravit *purgandi* vel in ipsis *febribus*. ib.

Quàm utilis ac necessarius sit *catharseos* usus. ib.

Quantum conveniat catharsis, in ea quæ nunc prædominatur Febre Epidemica. 572

Prima indicatio est *accidi* exquisita *præparatio*. ib.

Quod

Quod *humorum præparatio* olim usitata fuerint inutilis ac inanis. ib.
Cur tot veteres Medici *catharsin* in febrientibus neglexerint. ib.
Præparatio humorum per *alexipharmaca* & *sudorifica* rem deteriorem plerumque facit. ib.
Coctionem citius promoveri *evacuationibus* quam cæteris quibuscunque. ib.
Præparantia medicamenta enumerantur. 573
Quænam Testacea cæteris anteponi mereantur. ib.
Annotatio iis non indigna scitu, qui medicamenta pauperibus liberali manu, & absque aliqua mercede, elargiri amant. ib.
Sententias alienas de facultate medicamentorum modestia summa esse invicem trurinandas. 574
Quare *magisteria* numero *Præparantium* non accensentur. ib.
Quare nec *salia volatilia*, nec *spiritus volatiles*, nec *salia lixivialia*, nec denique quodcunque genus remediorum impense *calidorum* supra modum sint laudanda. ib.
Quod prædicta *Præparantia* sint ex *anodynis* potentioribus. ib.
Usus eorum perminutus effecit, ut illa eorumdem facultas Medicis minimè observaretur. 575
Ex quibus Medici peritia est jure æstimanda. ib.
Formulæ & usus *medicamentorum præparantium*. ib.
Objectioni duidam occurritur lepida quadam fabella. 576
Traduntur *formulæ* blandorum *cathartico rum*. ib.
Quid nonnunquam faciendum sit in symptomatis dissonis & incongruis. ib.
Annotatio de usu Mercurii dulcis vulgaris ter sublimati periculoso, ejusdemque sexies, novies, aut duodecies sublimati, usu multiplici tutissimo. ib.
Medici Clarissimi insignis observatio de hujus excellentia in Comate puerorum. 577
Emplastrum regioni umbilici. ib.
Rhabarbari præ aliis purgativis merita laudatio. ib.
In quo loco sit habenda *aloe*. 578
Method-medendi ulteriùs exponitur. ib.
Tractatio *puerorum* paulo provectiorum. ibid.
Cautiones quædam primam infantum *purgationem* respicientes. ib.
Quod *catharsis* è *fortioribus*, rarissimè sit tenellis injungenda. ib.
Quædam *Hippocratis* contra nos militantia, atque adversùs usum *catharseos* in *febribus* facientia. ib.
Iisdem respondetur. ib.
Error Medicorum quorundam fatalis purgatione præposterè utentium. ib.
De *puerorum venæ-sectione*. 579
Reprehensio *Chymiatrorum* istorum, qui sese hostes internecinos *omni venæsectioni* palam denunciant. ib.
Adeptorum imaguncula quædam. ib.
Testaceorum vires & facultates. ib.
Testaceorum nomine quænam hic intelligenda sint. ib.
Propter ignorantiam illorum usus *opiata* in usum ita immodicum irrepsisse. 582
Quod *narcoticis* infantibus neque sint necessaria, neque tuta. ib.
Medici *narcoticis* faventis super ea re scomma. ib.
Medicamentorum omnium impense *calidorum*, ut & *cardiacorum* in meditatione tenellorum notatur periculum. ibid.
An *Testaceorum* usus *obstructiones* pariat. ibid.
Quid veteres Medici de Acidorum usu uno ore senserint. 581
Quanto magis apud nos acidorum usus, quam alibi extimescendus. ib.
Quid sit de *crisibus* judicandum. ib.
Naturam crisium evacuationes plurium generum vel in *febribus* plane indicare. ib.
De *præcipitantium* usu & viribus quid sit sentiendum. 582
Cathartica esse *Præcipitantium* medicamentorum primaria. ib.
Quomodo *febres* admodum mites deveniant sæpe, quas dicunt, *malignæ*. ib.
Febrium apud nos causam repletioni ut plurimum deberi. 583

Quod

Quod in Febribus ſpiritus animales nullo veneno, ut quidam docti ſentiunt, vulgò inficiantur. ib.
Notio *malignitatis* coarguitur. ib.
Sudorifica qualia, & quouſq; ſint utilia. ib.
Hiſtoria *febris* quæ anno præterlapſo fuit maximè *Epidemica*. 589
De *dentitione difficili* infantum, ejuſq; Curatione. *ib.*
Duplex *dentitionis* tempus. 585
Quodnam inſtrumentum ſit gingivis incidendis magis commodum. ib.
Hirudinum applicationem Dentitioni facilius promovendæ multum conducere. ib.
Aphtharum curatio. 586
Cur *aphthis* producendis ita ſint proclives infantes. ib.
Cur Medici temperamentum corporis ex conſpectu linguæ ſoleant dignoſcere. ib.
Diarrhæa quomodo curatur. ib.
Vomitus infantum. ib.
Quo caſu, & qua cautela Narcoticorum uſus modicus infantib. permitti poſſit.
Quodnam Emeticum ſine magno diſcrimine illis nonnunquam exhibere liceat. ib.
Torminibus eorum quæ *ſpecificè* conveniunt. ib.
Convulſionib. quæ apprimè conducunt. 587
Quod in intervallis Convulſionum, nunquam in ipſis paroxyſmis tuta, atque aliquando neceſſaria ſit ſanguinis detractio. ib.
Exemplum puellæ *convulſionibus* vehementiſſimis correptæ, & rebus nullius momenti æſtimatis ad ſanitatem reſtitutæ. 588
Argumentum à *natura variolarum* deductum, adverſùs regiminis calidioris uſum. 589
Quòd maxima hominum pars à veritate facilè deflectat, quis verò propiùs illi accedat. ib.
Exempla diverſorum *Infantum* per noſtrã hanc methodum à *febribus* ſuis liberatorum. 590
Aloeticorum noxæ, in tenellorum febribus, inſignis obſervatio. 594
Pueri *atrophia verminoſa* penè confecti curatio. 596
Æthiopis mineralis deſcriptio nova, ejuſque comparatio cum præparatione vulgari. ib.
Objectio contrà method. præſcriptam. ib.
Reſponſio. 597
Quid ſit de *Chymia* ſentiendum. ib.
Quamobrem chymicorum nimis amantes in ſumma rerum inopia plerumq; degant. 498
Ad opes comparandas quænam ſit ratio vivendi requiſita. ib.
Præcellentia operum naturæ iis quæ arte fiunt. ib.
Materiæ Medicæ, quæ in Dioſcoridis aliorumque Veterum libris uberrimè exhibetur vindicatio quædam, & præ aliis Recentiorum, modis ejuſdem laudatio. ib.
Molleri liber ſcripta Dioſcoridis, & Matthioli in methodum praxi Medicæ accommodam reducens æquis encomiis celebratur. 599
Nullam verò Materiam Medicam ex uſu eſſe ſine method medendi. ib.
Duo naturæ ſumme admiranda phænomena Curioſorum explicationi proponuntur, in quibus Supremæ Omnipotentiæ permanentia veſtigia ſunt ſemper manifeſta. 600
Alia quædam Ingenioſorum ruminatione haud indigna. ib.
Concluſio.

FINIS.

GUALTERI HARRIS

MED. DOCT. CELEBERR.

Coll. Med. Lond. Socij, atq; Cenſ.

OBSERVATIONES

DE

MORBIS ALIQUOT GRAVIORIBUS,

Cum DISSERTATIONE DE LUIS VENEREÆ Origine, Natura, & Curatione.

Quibus ſubjunctus eſt

VINCENTII KETELAER

DE

APHTHIS BELGARUM COMMENTARIUS.

GUALTERI HARRIS

MED. DOCT. CELEBERR.

Coll. Med. Lond. Socij, atq; Cens.

OBSERVATIONES

DE

MORBIS ALIQUOT GRAVIORIBUS.

Cum Dissertatione De Luis Venereæ Origine, Natura, & Curatione.

Quibus subjungitur est

VINCENTII KETELAER

DE

ARTHRIS BELGARUM COMMENTARIUS.

SUMMA RERUM

In hoc Libro de Morbis aliquot Gravioribus & de Luis Venereæ.

QUamobrem Medicus quidam ocliſſimus nihil unquam ſcriberet de Morbis Cephalicis Pag. 609.

De Epilepſia. 610

Paroxyſmi epileptici deſcriptio. ibid.

Quare dicitur morbus Sacer. 611

Curatio. ibid.

Duo ſymptomata memorabilia, minùs obſervata, epilepticis ſupervenientia, advertuntur. ib.

Eademque profligata. ib.

De Paralyſi artus omnes impetenti, capite interim immuni relicto. ib.

Unde hæc paralyſis. ib.

Ejuſdem curatio. ibid.

An à flatu morbus hic deducendus. 612

Terebinthinæ hic vires. ib.

Quantæ perturbationes à flatibus excitantur. ib.

De Diabete. 613

Suppreſſio urinæ totalis eam præcedens. ib.

Deſcriptio Diabetis. ib.

Xenocratem Medicum omnes morbos curare ſolitum, ope ſtercorum & urinarum. ib.

Quod Diabetes ſit renum Diarrhœa. ib.

Curatio ſenis fere octogenarii. ib.

De aquis mineralibus Briſtolienſibus. ib.

De vino Burdegalenſi, in hoc morbo. ib.

De Vulnere pulmonum. 614

Encomium ironicum pugnæ ſingularis. ib.

Vulneratum hunc lectulo neceſſariò incarceratum, cui febris aberat, & appetitus vireſque conſtabant. 615

Vnde præpoſterum hoc ſymptoma. ib.

Curatio. ib.

De Variolis à Lumbricis prognaris. ib.

Poſt febrim ſecundariam ſublatam, alia à vermibus exorta eſt, diſcriminis plena ibid.

Curatio ejus. ib.

Quinquaginta quatuor Lumbrici, novem circiter pollices longi, ex inteſtinis depulſi. 616

Præſervatio à novo illorum proventu. ib.

Sal cathartícum amarum frequenti nunc in uſu, quid reverà ſit. ib.

Sal gemmæ eſſe aquarum mineralium catharticarum penè unicum principium. 617

Aquas illas cathárticas, quæ minimùm ſalis deſtillantibus ſuppeditant, uſus eſſe minus tutioris. ibid.

Vnde Salſedo illa Oceani veriſimiliter deducenda. ib.

De Angina. ibid.

Quid in tumore faucium inſigniori omnem deglutitionem inhibente fuerit faciendum. ib

Curatio. 618

Cautio in uſu Sulphuris requiſita. ib.

De Variolis Anomalis, ſive cum morbillis conſociatis. ib.

Caſus Reginæ Optimæ, nunc Beatiſſimæ, iſtis Variolis (prob dolor) extinctæ. ib.

Theriacæ Andromachi fatalis nonnunquam uſus. ibid.

Hiſtoria ac progreſſus diurnus variolarum illarum perniciosiſſimarum. ib.

De Affectione Hyſterica. 619

Curatio. 620

Narcotica fœminis hyſtericis, ad ſomnum coni-

conciliandum, ſæpè inauſpicatoi exhiberi. 620
Narcotica puerperis maximè omnium pernicioſa. ibid.
Eorundem nocumenta primaria. ibid.
De Cardialgia & Vomitu. Item de Dolore Colico. ib.
Cardialgiæ curatio. ib.
Præſcriptum Bateanum ad termina ventriculi, viſcerumque. ib.
Quod Colicus dolor ſit Ventriculi, non Coli affectus. 621
Julapia Medicorum veterum annumerantur. ib.
Præcautio Colicæ. 622
Paroxyſmi Colici gravioris curatio. ib.
De Hæmorrhoidum fluxu immodico. ib.
Fotus ex ſpiritu vini rectificato ad illum ſiſtendum. 623
Ejuſdem fotus laudatur uſus ad fluxum menſium immodicum ſupprimendum. ibid.

DE LUE VENEREA:

DE Lue Venerea. Pag. 624
De Origine hujus morbi, an fuerit admodum antiqua necne. ib.
Argumentà quædam pro ejus antiquitate. ibid.
Luem ſcortationis eſſe comitem indivulſum. ib.
Et ſcortatoribus ſemper impendere. ib.
An tempore Hippocratis lues graſſata fuerit. ib.
Quantum ſit dolendum Luis curationem à Medicis ita derelictam eſſe, & imperitorum inſcitiæ vulgò demandari. 625
Luem eſſe Proteiformem. ib.
Tantò majus à Lue diſcrimen contingere quanto illam ſæpe minus eſſe cognitam, ac intellectam. ib.
Alios plures morbos ex Venereo progigni. 628
Luem eſſe morbum venenatum. ib.
Comparatio inter illam, aliaque venena. ibid.
Quàm ſit diverſa veneni Venerei natura. ibid.
Quæ temperamenta Luem ægrius ſuſtineant. ib.
An minor ſit ſævitia ac tyrannis Luis Venereæ, noſtris temporibus, quàm olim fuerit. 627
Varii medendi modi. ib.
De Salivatione quid ſentiendum. ib.
Hydrargyri nocumenta annotantur. 628
Quamobrem Fernelii, Palmarii, aliorumque doctorum Medicorum methodi Salivationi vulgò cedant. ib.
Cautiones quædam notatu dignæ, Luis curationem reſpicientes. 630
Inſulſa opinio vulgi, præpoſtero quodam modo ſe infectos curari poſſe cogitantis. 631
Concluſio. ib.

FINIS.

GUALTERI HARRIS M. D.

Celeb. Col. Med. Londin. Soc. atque Censoris.

OBSERVATIONES DE MORBIS ALIQUOT GRAVIORIBUS.

MOrborum gravissimorum, paucas aliquot curationes, quæ fortè Lectori haud displicebunt, aut quæ non planè inutiles erunt, adiicere lubet. Quod si paucæ sint, quas recenseo, observationes, sanè minus erit temporis dispendium, neque Lector diu bonas horas male collocabit. Convivium Medicum, multiplicium Observationum apparatu instructum, quod voracem helluonum litteratorum appetitum pleniùs saturare potest, liberum sit aliis copiosiùs exhibere, scilicet quibus aut otium placet tàm laudabile, aut immensi adsunt scientiarum thesauri, aut quibus denique aliis tam facile sit morbos quoslibet averruncare, quàm muscas interficere, vel fabulas narrare. Tenuitati nostræ in præsentia sufficit frugalis & Philosophicus apparatus. Neque etiam prorsùs contemnenda est mensa sobria & perparca, eaque Medicis potissimùm, qui in omni re solent modum aliis imponere, regulasque inanitatis conservandæ rigidas ac temperatas ferè tradunt. Nec facile ferre possum, ut e memoria mea id unquam elabatur, quod inter colloquendum cum doctissimo e nostris Medico ab ejus ore aliquando excidit. Nempe illum, qui de republica Medica optime meruerat, & qui plurimorum morborum curationes scriptis suis eruditis fusius docuerat, equidem semel serioque percontabam, quamobrem ille de morbis Capitis nihil unquam in lucem emisisset, qui de tot aliis morbis tam feliciter, & cum plausu universo prius scripserat: respondit Vir integerrimus, *id propterea factum fuisse, quoniam illos morbos curare non potuit.*

Idcircò an Ars Medica conjecturalis, ut ajunt, & quodam modo incerta sit, & in omnia sæcula semper fuerit; an ità constitutum sit generi humano, misero, improbo & scelesto: à Supremo rerum omnium & Sapientissimo Rectore, ut pœnas debitas, morborum diversorum & quandoque incurabilium castigatione, mortales persolvant; an humanum sit, & penè necessarium, plùs minùsve errare; an denique veritati rerum naturalium, & maximè medicarum, densæ tenebræ semper obducantur; sapientum judicio & determinationi relinquendum arbitror. Sin perfectæ, & consummatæ ægritudinum curationes, quæ nunquam frustrabuntur, rarò innotescant, & tantummodò desiderentur, tanta est hominum ægrotantium, tanta circumstantiarum diversitas, tanta ejusdem hominis in disparibus ætatibus dissimilitudo; saltem voluntatem, & studium aliis benefaciendi, candidus & sciens Lector æqui boniq; consulet.

OBSERVATIO I.

De Epilepsia.

PUella formosa, undecim annorum, sanguineique temperamenti, Epilepticis paroxysmis gravissimis, & maximè diuturnis affecta, Decembris decimo octavo, anni 1701. consilium meum postulabat. A sex mensibus proximè elapsis duos paroxysmos vehementes quotidiè sustinuerat, quorum uterque illam per duas vel tres horas ita convellebat, ut viris aliquot robustis plerumque opus esset manus pedesque Epilepticæ puellæ vi detinere, nè sibi nova mala ex verberibus, & contusionibus, tunc temporis accerseret. Præter illos majores, & regulares paroxysmos, alios in dies leviores, facilèque fugaces frequenter habuit; quotiescunque scilicet aut sternutare illam contigerit, aut quoties casus aliquis repentinus, terrore forte injecto, illam faceret expaveſcere. Paroxysmus verò hujusmodi fuit: cadebat primò quasi exanimis in terram, aut lectum, undè morbus vulgò nuncupatur Caducus, & postquam motus expers paulisper manserat, artus huc illuc magna vi, & molimine contorquebat, ut manibus sibi alapas impingere posset. Caput sæpè in spasmis deorsum flectebat, & tanto rursùm robore retrò tundebat, ac si occiput cuipiam illidere, & confringere moliretur. Oculi torvi undiquaque volvebantur, & spuma ex ore tandem profluebat. Triste denique fuit, horrendumque spectaculum. Morbus merito Sacer dicitur, sive ob magnitudinem suam, quandoquidem magna apud Veteres Sacra dici consuevere; sive ob difficillimam ejus curationem, qui non humana ope, sed solummodo divina, credebatur posse tolli. Huic virgunculæ à prima morbi invasione, etsi nonnunquam sternutaret, tamen nares fuerunt semper siccæ, meatusque earum occlusi, & nullis recrementis squalentes, adeo ut nullus omnino mucus, durante ægritudine, è Capitis aut Cerebri glandulis exstillans per ista emunctoria abstergeretur. Similiter volæ manus incendio interno exarescebant ab initio primo paroxysmorum, neque unquam ex perspiratione salubri humidæ sunt repertæ.

Post quamplurima medicamenta ruri successu nullo, incassumque administrata, præscripsi ei pulveres insequentes, quorum unum sumebat bis in die, in cochleari Julapii Cephalici, superbibendo ejusdem, quaque vice, cochlearia tria.

℞. Lumbric. terrestr. pp. ʒi. cranii human. pp. ʒii. cardamom. min. ℈ii. M. F. Pulvis tenuissimus in chartas xii. distribuendus.

℞. Aq. cerasor. nigr. flor. tiliæ an. ℔ß. pæon. comp ʒii. tinct. castor. ʒii. syrup. pæon. comp. ʒii. M.

Sed quia tantam pulveris nauseabundi, quantitatem ventriculus fastidiebat, paulo post singulas doses, Elixir Proprietatis dulcis, guttas triginta, sacchari tantillo instillatas, insuper mox deglutiebat. Pro delicatioribus

bus nauſea, & guſtus medicamenti ingratus poteſt immutari, aut palliari, olleis moſchatæ Chymicæ guttis aliquot ſaccharo commiſtis, pulverique priori additis, aut ambra griſea ſaccharo admiſta; an vero remedium idcirco præſtantius, an fuerit deterius, haud certo nobis conſtat.

Secundo die quo pulveres illos ſumebat paroxyſmi ex binis in ſingulum quolibet die reducebantur.

Quarto circiter die cœpit multum incaleſcere, & febrili quadam effervescentia corripi, quamobrem ſanguinis uncias ſeptem e cephalica dextri lateris detrahi imperavi: unde vehemens ille fervor protinus propulſabatur: nec non paroxyſmi epileptici intra ſeptimanam à primo pulverum hauſtu penitus evaneſcebat. Calor autem febrilis modo deſcriptus, maturationem humorum impurorum in ventriculis cerebri anterioribus, aut in ſincipite vicino, ad futuram expulſionem, ut videbantur, deſignabat. Nam ſub finem primæ ſeptimanæ duo phænomena memorabilia, eaque ſaluberrima, ſe oſtendebant. Primo Naſi meatus, ſive ductus excretorii, per quos tanta muci copia ſæpe in ſanis vulgo tranſmittitur, & qui tam diu tamque denſe occludebantur, ſub finem primæ illius ſeptimanæ ita pendebantur, ut circiter ſe. libra muci, aut purulentiæ cum ſanguine ſtriatæ e naſo profluens emungeretur, tanquam ſi abſceſſus aliquis in cerebro ruptus viam ſibi expediiſſet. Secundo vole manus tamdiu torridæ & arefactæ, madore miti & ſalubri perfuſæ tactui ſentiebantur. Quo protinus factum, ut ſternutatio in poſterum contingens nullas amplius moleſtias, nullas caduci morbi acceſſiones progigneret. Exinde omnis intumeſcentia vultus, quæ diligenter conſpicienti prius animadverſa eſt, omnino diſparuit, neque terror ex quacunque levi cauſa amplius pavidam percellebat. Conſului, ut hæc puella aliquamdiu perſiſteret in repetendis ejuſmodi pulveribus, illoſque poſtea iteraret tribus diebus ante aliquot novi & plenilunia, ut & Fontanellas ſub utroque crure aperiri curaret, & nulli omnino paroxyſmi Epileptici ab illo tempore hactenus redierunt.

OBSERVATIO II.

De Paralyſi.

UXor Tribuni militum, fere quadragenaria, ſub initium Martii, anni 1693, (cum gelu admodùm intenſo tellus rigeret, & cum primum mandata regia acciperem, ut Majeſtati ſuæ ad imperandas Fœderatas in Belgio copias proficienti ſervirem) Paralyſi in omnibus artubus, tam ſuperioribus quam infimis, corripiebatur. Ne digitum quidem utriuſque brachii ad ſe ſuſtentandum flectere potuit, atque in lecto ſupina recubabat, motu omni membrorum deſtituta. At vero Caput, tanquam arx, & propugnaculum inexpugnabile, urbe reliqua capta, & ab hoſtilibus morbi copiis occupata, ſui juris & ab omnibus functionum læſionibus liberum permanebat; adeo ut valeret Domina clare permulta proloqui. Veruntamen in tanto ac tam immani affectu, an Lingua Mulieribus, propterea quod ob omni mendacio enarrando, aut confingendo per totam vitam, tantam immunitatem & privilegium præ allis corporis partibus merito conſequenter, ut neque ſilentio ingrato, neque titubationi ineptæ damnaretur, cum torpor languidus reliqua omnia membra prehendiſſet, nunquam ego exploravi aut anxie perquiſivi.

Paralyſis hæc fuit univerſalis, & pene Apoplectica, omnibus illis nervis, qui e vertebris medulæ ſpinalis prodeunt, & per truncum artuſque corporis diſſeminentur, debita ſua tenſione relaxatis, illiſque ſolummodo nervorum conjungationibus à malo immunibus, qui à medulla oblongata originem ducentes Capitis functionibus inſerviunt. Rariſſimè quidem hoc genus Paralyſeos contingit,

quam Hemiphlegiæ, & partium peculiarium alterutrius lateris impotentiæ paralyticæ frequentius obveniant.

Huic Dominæ imbecillæ ita paucis hujusmodi medicamentis suppetias tuli, Numine Divino favente, ut illa paucos post dies digitis suis inter cibandum modice uteretur, & decima die ab ingressu meo eam ancilla leviter sustentatam cubiculo obambulare viderim, priusquam id temporis in Belgium transfretarem.

℞. Terebin. è Chio ℥iii. solve in vitello ovi recentis immiscendo syrup. de stœchade ℥i. aq. lact. alexit. ℥iv. M. F. Potio.

℞. Castor. opt. gr. xv. conserv. flor. salviæ ℈ii. syrupi pæon. comp. q. s. M. F. Bolus.

Sumebat illa haustum illum terebinthinatum quatuor matutinis insequentibus, ac deinde ne ventriculus nimiam nauseam contraheret, alternis aliquod matutinis temporibus; Bolum vero singulis noctibus.

Notandum verò post haustus illos aliquoties propinatos, Dominam ægrotantem affirmasse; flatum quendam dolorificum, morbi procul dubio causam proximam, quicquid de humore nervis irriguo vulgo determinatur, à superioribus spinæ vertebris magisque deorsùm impelli, tanquam si fuste quodam [ut loqui amant] flatus videretur detrudi; & sensim, prout flatus ille per spinam descendebat, haustu terebinthinato repetito semper inferiùs depulsus, toties remisisse Paralysin; & vires ejus fuisse magisque redintegratas. Notandum etiam Terebinthinam pro miris facultatibus flatus discutiendi, quibus pollet [in quacunque corporis parte flatus forte includantur, & subtilli ac penetranti sua vi introitum in vias humoribus impervias facillius quam regressum suum faciant] inter celeberrima medicamenta Carminativa, annumerari oportere. Dedi nonnunquam Terebinthinæ Venetæ ℥vi. vel ℥i. (& tantam ejus quantitatem Veteres vulgo adhibebant) in haustu similiter dissolutam, non modo in Paralyticis, verùm & in Arthriticis & Rheumaticis affectibus, cum optimo successu; sed in hoc postremo morbo venæsectio bis vel ter repetita ejus usui debet anteire.

Propter hanc Terebinthinæ vim carminativam, idcircò etiam Balsamum Sulphuris terebinthinatum tanti, in Paralysi medenda, meritò æstimatur, ut Medici in Nosocomiis id plurimi faciant, quanquam guttarum ejusdem Balsami duodecim exigua, & perminuta vulgo dosis est plerumque causa, quòd auxilium solummodo exiguum & imbecillum ferat. Sed & spiritus terebinthinæ, ex quo conficitur Balsamum, brevi ac fugaci facultate præditus, atque è ventriculo in intestina citissimè transiens, tantam aut tam diuturnam impressionem nerveæ ventriculi tunicæ, & consecutione quadam cæteris corporis nervis e spina oriundis nequit efficere, quantam tenax, permanens, & balsamica ipsius Terebinthinæ facultas potentius & efficaciùs potest. Atqui non est tam facile exponere, quam verum est affirmare, flatus in corpore pervagantes esse immediatam & proximam causam tùm dolorum multiplicium, qui miseros excruciant, tùm hujus morbi quasi anodyni & insensibilis, stupore potiùs quàm dolore noti & insigniti. Theoria flatuum per corpus volitantium, nobis adeo abdita & incognita videtur, ut ventorum tuberculorum natura, [cùm in aere nonnunquam fragore magno tonitribusque bella quædam gerant,] est ardua quidem & difficilis speculationi Philosophorum. Sanè quantascunque procellas, & fluctuum jactationes ab imo mari usque ad cœlos venti interdum suscitant, quantos tremores & terræ motus venti in penetralibus terræ concluſi solent nonnunquam excitare, tanta aut istiusmodi tormina, cruciatus & convulsiones, flatus in corpore humano geniti, & concluſi cient.

OBSERVATIO III.

De Diabete.

MErcator opulentissimus, annos septuaginta septem natus, mense Decembri, anni 1701. per quinque dies integros, suppressione urinæ totali laborabat, ut nè guttam quidem, durante illo tempore exstillaret.

Die mensis septimo, post varia medicamenta & evacuationes universales, à me, alioque Medico inclyto priùs frustrà adhibita, Cataplasma sequens umbilico ægrotantis tandem applicari jussimus.

℞. Sapon. nigr. ℥vj. croc. opt. ℥ß. sal. succin. gr. xv. Misceatur Fiat Catapl.

Proximo die fontes urinarii, obstaculis perruptis, aperiebantur, & diluvium quoddam urinæ exundans succedebat, adeò ut illa vespera Cataplasma protinùs submoveri mandarem, & pro sene venerando anxius timerem, nè morbus priori contrarius, nempè *Diabetes* compareret.

Die nono nullus dubitandi locus relictus est; etenim signa *Diabetis* pathognomonica se ostendebant. Lotium sine modo, & fere sine intermissione continuò reddebat, sitisque fuit inexplebilis, tanquam si Dipsade venenata fuisset morsus. Sed potus copia quantacunque lotio non respondit, neque quisquam sic affectus à potu aut mictione se tantillum inhiberi patitur. Fuerunt qui urinæ illius dulcedinem melleam gustare dignabantur. Ipse de morbi genio & dignotione, sine urinæ gustu, satis persuadebar. Sed hic commodè occurit excreta gustandi occasio idonea, si adesset *Xenocratis* discipulus, aut si *Xenocrates*, famosus olim Medicus, in vivis esset, qui nulla medicamenta ægrotis exhibebat, nisi ex urinarum & stercorum sordido immundoque tribu fuerint deprompta. Iste omnium ægrotantium, ut fertur, urinas & fœdissimas fæces prægustabat [aut prægustare saltem merebatur] quò meliùs de morbis sententiam ferret, & quo certiùs judicaret, quorum animalium excrementa ex domestico suo sterquilinio, aut promptuario pharmaceutico, seligeret & propinaret.

Ægrotans Dominus fuerat priùs carnosi & valdè succulenti, quanquam senex, temperamenti; sed carnium & musculorum omnium velox fuit colliquatio ab hoc morbo. Die mensis decimo quinto, ex obeso macilentus, ex corpulento penè strigosus factus. Nam omnes corporis succi per canales urinarios tunc maximè patulos torrente quodam profluebant. Cùm liberi & nepotes omnes numerosæ suæ familiæ cum amicis & consanguineis, conclamato ægros valedicturi, id temporis convenirent; post varia medicamenta confortantia, post theriacalia, aliaque incassum adhibita, in mentem mihi venit hoc urinæ profluvium immodicum fuisse quamdam veluti Diarrhœam aut fluxum meatuum urinariorum, sicut aliud illud Diarrhœæ genus est intestinorum proprium, per alvum eodem impetu derivatum, & carnium omnium colliquationem eandem producens.

In deplorato hoc casu Senis ornatissimi, experiri placuit Rhabarbari polychresti, innocui, & senili ætati quemadmodùm infantili maximà congrui & accomodi, vires egregias, an in profluvio renali illud æquè conduceret ac in fluore intestinali solet. Etenim morbus uterque non videbatur multùm absimilis, quandoquidem sola fuerit locorum affectorum discrepantia, & *Diarrhæa sit quasi Diabetes alvi, Diabetes renum Diarrhæa.*

Sic itaque præscripsi, Medico altero haud refragante.

℞. Rhei electuar. incis. vnc. m. santal. alb. citrin. an. dram. j. cardamom. minor. dr. m. Misceatur Infundantur lento igne, in vase clauso, in vin. Canarin. opt. ℔j.

Sumpsit ægrotus hujus Vini colati cochlearia sex, hora sexta matutina insequenti, die Decembris decimo-sexto, atque tantundem repetebat hora decima antemeridiana. Quis vero hujus Vi-

ni Medicati fuerit effectus! Certè Seni tam miserè languescenti, etsi ante illum diem continuus urinæ effluxus tanquam rivuli cujusdam, per vias urinarias fuisset, tamen ab illo meridie usque ad decimam vespertinam, Diabetes penitùs sistebatur, nullum mingendi desiderium eatenùs habuit, sitire protinùs desiit, & eodem haustu tribus vel quatuor matutinis iterato, è gravissimo hoc morbo perfectè convaluit.

De aquis mineralibus *Brissolienſibus* quantùm in hoc morbo prosint, & quantam existimationem meritò sint assecutæ, jam vulgo, & idiotis innotescit. Sed & aquæ illæ celeberrimæ in plurib aliis languoribus, ac debilitatibus, præterquam illis renum, famam & existimationem optimè merentur, valetudinem infirmam insigniter roborant, & sitim in Diabete exortam præ aliis omnibus celerrimè extinguunt. At verò mihi videntur aquæ universæ minerales juvenili & constanti ætati, magis quam senili, & potissimùm decrepitæ accommodari. Quippè vinum Burdegalense, aut consimile, Senum fluoribus potentiùs & apriùs, quàm aquæ quælibet medicamentosæ, procul dubio medebitur.

OBSERVATIO IV.

De raro exemplo Vulneris Pulmonum.

CApitaneus quidam ferè quadragenarius, incola *VVestmonasterienſis*, in menomachia, sive pugna singulari, quam cominùs habuit, sub initium Februarii, anni præteriti, fuit pectore transfixus, & grave vulnus subter mammam dextram accepit. Sic verò Honor, salute longè charior, in culmine suo acuto & supremo resplendebat, sic Dignitas conservata cum purpura nobilissima cincta. Quippè Philosophos tantummodò decet injurias aspernari, & credat Philosophi, si ita placet, *spretas injurias exolescere*; sed res militaris contrarias tradit regulas, sciuntque viri manu prompti, quàm pulchrum sit de quavis offensiuncula aliter digladiari, & quantùm præstat id aereo campestri honoris cubili quàm plumeo & vulgare occidere. Nam *Cælo tegitur qui non habet unum.*

Duorum Chirurgorum peritissimorum curæ, vulnere percussus sese committebat, qui vulnus acceptum sat citò, si non præmaturè, consolidabant. Nam paulò post, cùm omnia in tranquillo videtentur, procella quædam improvisò exorta est, & abscessu in pectore rupto magnam puris copiam cum sanguine striatam evomebat.

Post septem septimanas à vulnere primùm inflicto equidem accersitus, illum lecto incalceratum deprehendi, quanquam pulsus fortis & regularis fuit, vox clara, & vultus instar sanorum conspiciebatur. Illicò quæsivi, cur lecto interdiu non exsurgeret, qui neque febre, neque vulnere videbatur coactus in lecto procumbere? Respondit, neque vires deesse, neque voluntatem ad surgendum, sed quotiescunque se erigeret in lecto, aut ad vestiendum, aut comedendum, paroxysmus tussiendi pertinax ac diuturnus statim oriebatur, cujus violentiam & molestiam vix tolerare potuit; periculum tamen paroxysmi sese extemplo erigens, coram me fecit, & gravissima deindè accessio tussiendi contingebat, circiter horam quaque vice solita permanere. Durante tussis paroxysmo, integram pituitæ & purulentiæ cujusdam libram paulatim exantlabat; idque, ut ajebat toties quoties paroxysmum subiit. Porrò striæ aliquot sanguinis exiguæ, à violentia tussis, inter excreationes pituitæ miscebantur; atque dolor in parte vulnerata nonnunquam sentiebatur.

His visis, equidem arbitrabar, inferiorem Pulmonum lobum diaphragmati adhæsisse, ex ichore aliquo vulneris residuo, aut sanguine incrassato, aut mucosa pituita agglutinativam vim acquirentibus, nimirùm à præpropero aut immodico Narcoticorum & Adstringentium usu. Quamdiu enim supinus decumbebat in lecto, à molestiis omnibus liber, & perturbationis ex-

pers

per permansit æger, nullo pondere premebantur pulmones, sed quamprimùm se erigeret in lecto, pulmo pristino motu libero privatus, & deorsum ductus, onere præternaturali opprimebatur. Hinc connectionem partium inusitatam, abscessus prædictus viscositate sua posse gignere videbatur, & attenuantia medicamenta Narcoticis contraria indicare.

Et cùm neque Balsamica, neque Pectoralia, neque etiam Spirituosa, quicquam conducere tollendæ causæ citò observarem, & cùm tantam illuviem pituitæ viderem tussi exantlatam, Diætam exsiccantem hujusmodi præscripsi, cùm Prognostico, si quid illi spei ex medicamentis quibuscunque affulgere possit, ex hoc potu, temporis progressu, indubitatè expectaret:

℞. Rasur. lign. guaiac. ℔ß. sarsapar. incis. ʒiv. chin. nodos. incis. ʒij. santal. alb. citrin. an. ʒß. infund. in aq. font. ℔. xij. per xv. horas. Deinde coq. in vase dupl. lento igne, ad tertiæ partis consumptionem; addendo inter coquendum passul. major. incis. ʒiv. & sub finem coctionis glycyrrh. ras. ʒij. Coletur, & depuretur per subsidentiam. Bibat ℔ij. vel paulò ampliùs quotidiè.

Eventus fuit, quòd paucos post dies lecto exsurgere valeret, tussi immunis & intrà duas septimanas, sanitati perfectè restitutus horto obambularet. Veruntamen persistebat paulisper, meo monitu, in usu potus Diætetici, nè recidivam aliquam pateretur.

OBSERVATIO V.

De Lumbricis Variolas progignentibus.

FIlius natu maximus Orbatissimæ Viduæ, undecim annos natus, in Junio, æstatis penultimæ, Variolis laborabat. Cùm primùm illum inviserem, febris fuit peracuta, pulsus celer & vermiculans, ventriculus nausea affectus, anhelitus difficilis; de nullo tamen dolore rogatus querebatur, quoniam caput stupore ingenti fuit detentum, usquè adeò ut penè elinguis esset, & adstantes nullos cognosceret. Pustulæ rubræ paucæ erumpere in facie incipiebant. Sed post operationem Emetici illius mitis, ac tutissimi, nempè radicis Ipecacuannæ, omnia in melius versa proximo manè multùm remittebat febris, anhelatio sublata, & gravibus omnibus symptomatis solutus est; adeò ut variolæ protinùs mites, satisque distinctæ, sine discrimine procederunt.

Die duodecimo à primo morbi insultu, febre secundaria prorsùs immunis fuit, & extra discrimen omne videbatur constitui; adeò ut parentem admonerem, me ante dies alios quatuor elapsos non ampliùs rediturum, nisi inexpectatum aliquod symptoma ante tempus destinatum præsentiam meam requireret. Sepositis igitur, aut intermissis medicamentis, jussi, ut solummodo haustulum vini Canarini tepefacti bis quotidiè sumeret. Die verò morbi decimo quinto, nuncius mihi proderanter accessit, obnoxiè rogans, ut puerum huc moribundum, nulla interposita mora, protinùs inviserem. Adventans eum reperi febre acutissima correptum, pulsu undulante & formicante, anhelitu difficili, & torminibus ità exquisitis excruciatum, ut ingentes clamores continuo tolleret. Præterea duos Lumbricos rotundos viventes vino illo perturbatos rejecerat, alterum vomitu, alterum verò sede. Quo indicio me commonefaciente, plures alios Lumbricos tam gravia symptomata posse comparare conjectans, statim præscripsi salis mirabilis, salis cathartici amari an. ʒiij. in aq. font. tepefact. ʒvj. solvendas, & quamprimum exhibendas. Porro ol. nuc. mosch. per express. ʒj. instar Cataplasmatis, umbilico adnibendam.

Insequenti manè rediens, procellam planè sedatam & tranquillitatem novam stabilitam inveni. Quocircà febris omnino profligata est, tormina consopita, pulsus sanorum similis, & facilè respirabat. Denique à nutrice audiebam, infinitum, & penè incredibi-

dibilem filamentorum quorundam, aut vermium minimorum numerum per sedes, quas paulo ante copiosas habuit, fuisset expulsum.

Quamobrem nè novi tales tumultus in posterum ab aliis Lumbricis contingerent, & quia tempus purgandi commodum appropinquabat, præscripsi Bolum sequentem, vesperi illo exhibendum, & mane proximo haustum cathartícum, repetendos tertio quoque die, ad quintam usque vicem.

℞. Semin. hyperic. ℈j. semin. santonic. agaric. troch. an. ℈ß. syrup. de absin. q. s. M. F. Bolus.

℞. Rhei elect. agaric. opt. an. ℈ij. follicul. senn. mund ℥j. semin. hyperic. ℥ß. fol. thym. satureiæ sicc an. p. j. tartar. alb. crud. ℈ij. Inf. & coq. in aq. font. q. s. Colat. ℥iij. dissol. mann. sal. mirabil. an. ℥iij. M. F. Potio.

Ex prima catharsi duodecim Lumbricos mortuos dejecit; proxima decem; tertia quindecim; quarta undecim; & denique quinta sex alios, omnes rotundos, albidos, mortuosque, ac plerosque circiter novem pollices longos præter agmen quoddam, aut seminarium nascentium vermiculorum, vix formam perfectam adeptorum, cum prima purgatione excluforum.

Inter purgationes inducias hostibus dabam, & nulla anti-helminthica propinabam, sed solummodo statui, ut cochlearia iv. vini prioris Canarini, ad vires refocillandas, & corpus ab ulteriori putredine conservandum, bis in die pergeret haurire. Tùm demùm consului, ut incolumis, ægritudinisque omnis expers, aere rusticano se reficeret; utque post intervallum duarum septimanarum de Electuario sequenti lingeret cum bacillo glycyrrhizæ, ad magnitudinem nucis juglandis, singulis matutinis, donec totum deglutiret.

℞. Semin. santonic. integr. ℥j. mell. commun. ℔ß. M.

Si incorrupta valetudine denuò fruebatur, & à Lumbricis securus in posterum degebat.

Cum vero *Sal Cathartícum Amarum*, & Sal Mirabile, vires suas auxiliatrices in præsenti curatione præbuerint atque in frequenti merito jam sint apud nos usu, nec non primum illorum salium vulgo credatur esse verùm ac genuinum sal ex aquis mineralibus purgantibus extractum, æquus & idoneus usus nullo modo, ut opinor, interpelletur, si demùm innotescat, *Sal illud Polychrestum esse sal Gemmæ, sive Fossile, aut Marinum*, in magna copia aquarum mineralium catharticarum coctum, crystallizatum, aut ad siccitatem evaporatum. Quanquam & magna pars salis communis, sive marini dicti, quo cibos condimus, est sal fossile in aqua marina solutum, purificatum, & evaporatum. Aut aliter fit sal illud cathartícum ex sale fossili, sive marino, similiter soluto, atque inter concrescendum instillando oleum aliquod Chymicum, putà Absinthii, &c. Nam varii sunt operandi modi, varii ejusdem ferè salis dicti cathartici sapores, juxtà opificum diversam peritiam aut versutiam. Neque mihi quoquo modo persuadere unquam potui, à primo ejusdem salis usu vulgari, aliud id esse posse, quàm sal muriaticum arte alteratum; quandoquidem tàm inexhausta salis copia, pro minerali aquarum cathartícarum habita, vili pretio passim suppetat, & cùm tam exigua illius quantitas ex aquarum de stillatione re vera suppleatur.

Quinetiam tametsi Cur ioti facilè conjiciant, neque omnino dubitent, nitrum, alumen, vitriolum, aliaque salium genera; ex analysi aquarum mineralium exquisita, quam destillatio illis suppeditat, se invenire, ac detegeret; tamen rarissimè aliud illorum principium salinum, aut causam salis ejusdem generalem comprehendere fas est, quam, sal Fossile in penetralibus terræ concluſum, & cujus mineras subterraneas rivuli aquarum præterfluunt, antequam earum scaturigines in conspectum nostrum prodeant. Et certè aquæ Fontium Mineralium salsedine majori, aut muriatica imprimis donantur, cùm sale præfato primum saturentur, sed

postea per colatorium terræ, quàm præterlabuntur, paulatim expressæ, magis magisque dulcescunt : quemadmodùm & aquæ ipsæ marinæ redduntur etiam dulces, per intima terræ, lege naturæ Circulatoria, circumfluentes. Sic sal marinum in terra fit fossile, ut fossile in mari fit marinum.

Ad hæc, aquas illas minerales catharticas, quæ minimum salis destillantibus præbent, & tamen purganti facultate eadem pollent, qua aliæ quæ plus ejus reddunt (quales sal perparcè suppeditantes sunt aquæ nostræ Espomenses & Richmondienses, in ære saluberrimo sitæ] sal noxium aliquod, præ aliis continere posse ad suspicandum inducor.

Denique salsedinem Oceani immensi ex nullo alio fonte deducere licet, nisi ex quamplurimis mineris salis illius fossilis, per alveum maris longe lateque distributis.

OBSERVATIO VI.

De Angina.

COnjux Excellentissima Præsuli amplissimi, & Archiepiscopi Reverendissimi, pietate, eruditione, & prudentia singulari maximè conspicui, Angina corripiebatur. Interiores laringis & faucium musculi phlegmone tenebantur, tumorque internus deglutitionem inhibebat. Os pariter illuviæ phlegmatica & spumosa obruebatur.

Manè accersitus phlebotomiam in brachio instituebam, & paulò post enema emolliens iniiciendum ; quo rejecto, Domina insignis Linctus insequentis cochleare singulis horis accipiebat. Notandum verò, si tumor ejusmodi faucium, introrsùm versùs, omnem deglutiendi facultatem auferat, Concurbitula sicca una aut altera colli spondylis affixa, ita musculos gulam, sive œsophagum, & guttur comprimentes retrò abducet, ut opportuna potestas detur medicamentis hauriendis, aut alimentis absorbendis, durante scilicet Cucurbitularum applicatione.

℞. Ol. amygd. dulc. recent. flor. sulphan. ℥i. cryst. tartar. pulv ℥ii. syrup. de althæ. ℥iii. ol. nuc. mosch. still. gtt. iv. sacch. cand. ℥ii. M. F. Linctus.

Ex operatione medicamenti tàm vulgaris, quod primas vias, citrà reliqui corporis perturbationem ullam, commodissimè expurgat, & alvi fæces, durante phlegmone, satis valide detrahit, rediens proximo manè inclytam Dominam ab angina perfectè liberatam inveni ; ac deinde post duos dies hausturn catharticum propinabat, neque aliis remediis illi opus fuit. Hoc verò morbo laborantes iterùm atque iterum audivi constanter asseverantes, quod ex singulis cochleariis ejusmodi Linctus delibatis intumescentia sensibiliter magis magisque decrescere soleret.

Et perfecto constat Sulphur tam vivum, quam in flores sublimatum, in tumoribus illis faucium, hæmorrhoidalibus ; aliisque pluribus præstantes, minimeque contemnendas continere vires. Annotandum solummodo universalia illius usui præcedere debere, & corpora fluida, ac constipationis immunia priùs reddi oportere, quo curatio, ejus ope, feliciùs ocyusque succedat.

OBSERVATIO VII.

De Variolis Anomalis, cum Morbillis consociatis.

CUm in Tractatulo priori noxam ægrotantibus formidabilem, ex medicamentis impensè calidis, Theriaca putà Andromachi, Mithridatio, aliisque similibus, non modo in therapeia Infantum, verùm & Adultorum febricitantium adverterim, & crebris usurpatim sermonibus; Exemplum veritatis prædictorum maxime deplorandum, cum pace Superiorum, hic enarrabo, quo meliùs tanti Exempli authoritas alios à consimili infortunio, si Deo placet, deterreat, Cum primùm Sereniſſima Regina nupera nostra, immortali corona jam fulgens in Cœlis, mihi statum salutis Sereniſ-

reniſſimi Regis exinde etiam Beati, exponere dignaretur, quo tempore honos immeritus tanto Regi ſerviendi mihi conceſſus eſt; Regina, inquam, inter optimas, prudentiſſimas, dulciſſimas, & maxime pias (omnium quę hactenus ab exortu mundi, aut ubicunque vixerunt; & à cujus præſentia nemo ſine gaudio & alacritate unquam diſceſſit) merito annumeranda, de ipſa narrare dignabatur: *quotieſcunque ſe admodum malè valere, aut febricitare perſentiſceret, ſibi morem invaluiſſe, ex conſilio Clariſſimi Lovveri, tum defuncti, ut Theriacam Andromachi, ad ſudores accciendos, ſub ingreſſum lecti, haud parce ſumeret.* Cui ego tum temporis, duobus circiter annis priuſquam variolis illis perniciosis corriperetur, ex quibus vitam mortalem cum immortali comutaret: *etſi veneratione non levi Doctiſſimum Lavverum ſemper proſequor, tamen mihi videtur Majeſtatem Veſtram ex illo medicamento tam impensè calido extremum vitæ periculum ſubituram eſſe; quandocunque Vos detinebit Febris permanens & Continua. Nunquam enim vidiſſe contigit Febres magis exitiales, & Phreneſi furibunda citius conjunctas, quam in illis ægrotis qui Theriacam Andromachi, Mithridatium, & ſimilia calidiſſima Alexipharmaca, inuente primum Febre, inauſpicato ſumpſerunt. Idque nocumenti eo magis evenire ſolet, quo Febricitantes fuerint temperamenti calidioris & ſanguinei, & quo temperamento omnium optimo nemo Veſtrum excellit. Porro Galenus*, inquam, *qui in laudes Theriacæ multiplices librum conſulto ſcripſit, nuſpiam ejus uſum ad Febres Ardentes, ſed ad Chronicas ſolummodo effectus ac venenatos, laudibus ſuis celebravit.* Attamen his omnibus, aliiſque ejuſmodi oblivioni dein traditis, & conſilio celeberrimi *Lovveri* memoriæ firmæ etiamnum inſcripto, Reginæ ſummè admirandæ, ſub primum Variolarum inſultum, veſpera prima Theriacam Andromachi ſummere placuit, atque ſudoribus nullis juxta conſuetudinem emanantibus placuit mane inſequenti ejuſdem duplicem quantitatem iterare, ad ſudores fruſtra eliciendos, priuſquam Medicorum conſilium explorare. Si vilum eſt rerum omnium ſapientiſſimo Gubernatori Reginarum optimam à populo indigno in Cœlos derepente transferre. Nunquam tot lacrimis, tam veris fletibus, tam univerſis luctibus quiſquam mortalium, nè pares quidem dilectiſſimus à filio clariſſimo, ante illam plangebatur. Neque enim tam Reginæ unius jactura deplorata, quam Regni totius clades & ruina tum temporis videtur contingere. Verum tamen dolorem acerbiſſimum quem tantæ calamitatis memoria ſemper refricat, multum mihi minuit, quod ſcopulos illos, in quos naufragium fuit factum, ego indigitarem, periculi futuri præmonerem.

Et quia nonnullæ Doctorum procul diſſitorum, & maximè tranſmarinorum criminationes ſuper hoc funeſtiſſimo caſu fuerint in vulgus inique diſſeminatæ, tam quoad Medicos quam quoad morbum; ad veritatem rei certius cognoſcendam pauca quædam ſcitu non indigna, permiſſu Superiorum exorato, adjicere non gravabor.

Variolæ, quibus pretioſiſſima illa vita tam ſubito abrepta eſt, fuerunt omnium deterrimæ, ac ſummè perniciosæ; nimirum cum Morbillis conſociatæ, quaſque Eryſipelas in facie, Petechiæ, & Hæmoptyſis uſitato concomitantur. Et Medicos id temporis advertebam inſigniores, cùm alii Variolas comparere, alii Morbillos contenderent, conjunctas fuiſſe morborum ambrorum vires, & quorum vim ſimul unitam me plus ſemel obſervaſſe, affirmabam. Quod quia nunquam à quopiam Authore, quod ſcio, litteris conſignatum, neque à Medico forſan alio prius obſervatum, digreſſio hæc veniam faciliùs obtinebit.

De hiſtoria Variolarum illarum, ac natura penè Peſtilentiali (quæ quantum ab errore illo Theriacali pendebat, facile eſt judicare) potui multa conſcribere, ſed ea breviter tantumodo perſtringam. Die tertio morbi exanthemata in conſpectum primum prodi-

bant,

bant ; cum tussi admodum molesta ; arqui ea facie erumpebant , ut Medicis plane dubium esset , an Variolæ certo forent , an Morbilli . Die quarto Variolæ in facie , ac reliquo corpore , sub propria & distincta forma se ostendebant . Die sexto manè pustulæ Varioloſæ per totum pectus in Morbillorum maculas rubras majusculas sunt conversæ . Atque Erysipelas , *Rosa* dicta , totam faciem intumescentia replebat , pustulis prioribus locum cedentibus . Illa vespera , Petechiæ plurimæ latiores , & rotundæ , in fronte supra supercilia , & in temporibus aspiciebantur . Cùm verò maculas illas non fuisse Petechiales , [quas mox venturas ego mane prædixeram] verùm Sphacelates ob nigricantem earum colorem , quidam Medicus Peritissimus asseveraret , proximo mane diei puta septimi , aliquot Maculaarum illarum phlebotomo Chirurgi celeberrimi , durante Consultatione pungebantur , & sanguinis ex illis effluens veras Petechias fuisse demonstrabat . Post mediam noctem diei sexto succedentem , & qua nocte ipse pervigilabam , magna anhelitus difficultas obortа est , & paulo post sanguinis sputum copiosum . Die septimo mictus sanguinis sputo ejus successit . Die octavo latæ Morbillorum maculæ in pectore permanebant , sed in artubus inferioribus , ubicunque fuerant pustulæ varioloſæ , omnis illarum intumescentia , prorsus evanuit , eæque in Maculas rotundas , postularum magnitudinis æmulas , intensè rubras , & summè coccineas versæ , superficie earum levi , & nequaquam eminenti , instar stigmatum Pestilientialium . Porro pustula una magna pure repleta , lato circulo coccineo Pustulam ambiente , instar cujusdam Anthracis , suprà Cordis regionem à me tunc annotatu est ; & sub qua pustula plurimum sanguinis extravasati , aperto posteà corpore , est repertum . Denique circiter mediam noctem animam sanctissimam , proh dolor ! efflavit .

OBSERVATIO VIII.

De Affectibus Hysterica .

AN affectiones mulieribus Hystericæ , ab utero potissimum , an à ventriculo depravato , an ab aliis corporis partibus originem traducant ; an illæ aut ab utero , aut à liene , aut à pulmonibus , primario vel secundario pendeant , ego haudquaquam disceptabo . Controversias sane Medicas levioribus ingeniis , aut quibus aliis per ortium licet , facile est suscitare ; licet dirimere , prudenterque judicare , res est gravissima ac laboriosa , doctorumque Professorum subtili acumine perquam digna , sed morbum propulsare salutaribus remediis est omnium utilissima , summopere laudanda .

Mercatoris opulentissimi , qui paulo ante Munimentorum omnium Societatis *Africanæ* fuerat Præfectus , uxor eximia , annorum circiter triginta quinque , valetudine adversa diu laborabat . Sed inter plures mulieribus querimonias res præcipuè notè fuit , quod ab hora decima vespertina , qua ibat cubitum , usque ad secundam matutinam , erecta in lecto assidere pallio suo cooperta cogeretur , neque interim caput pulvinari incumbere posset , metu strangulationis deterrita , à flatibus sursùm elevatis . Cùm Narcotica somnum nequaquam inducerent , quin eum potiùs arcerent , & perturbarent ; cùmque Chalybeata , aliaque varia à Medicis præclaris antea præscripta , constitutioni tenerrimæ plurimum obesse putarentur , equidem consului ut Bolum sumeret cubitum iturа , superbibendo cochlearia quatuor hujusmodi Julapii .

℞. Conserv: flor. borrag. ℈ii. castor. opt. ℈ß. syrup. caryoph. q. s. M. F. Bolus.

℞. Aqu. lact. alexit. ℥iv. puleg. rutæ an. ℥ii. bryon. comp. pæon. comp. an. ℥i. syrup. de armenis ℥iß. M. F. Julap.

Ex his tantum lavamen protinùs sensit , tantam spiritus pacem & requiem , ut in lecto decumbere non amplius dubitaret ; & quanquam somno

non

non ita repente se componeret, tamen noctem facilem, flatibusque immunem, neque somno mediocri destitutam, in posterum traducebat.

Sed quia Pilulæ illi magis gratæ fuerunt, hujusmodi præscripsi, quarum unam aut alteram, quandocunque se male haberet, si hora decubitus sumeret, nunquam placida & tranquilla nocte Domina hæc postea carebat; neque à plus decem annis has pilulas in promptu semper habenti, necessarium fuit ampliùs confugere ad meum, aut cujusquam alterius Medici auxilium.

℞. Castor. opt. subt. pulv. ℥i. myrrh. el. galban. puriss. an. ℥ß. croc. opt. ℈i. extract. gentian. in tantillo aq. gentian. comp. dilut. q. s. M. F. pilul. mediocres.

Non hic silentio præterire possum, Narcotica fœminis Hystericis, ad soporem inducendum, non sine noxa & incommodo sæpè exhiberi. Siquidem Hysterica propriè dicta, ut castoreum, myrrha, galbanum, assa fœtida, & crocus, quamplurimis mulieribus somnum tutò & efficaciter conciliant; quando Opiata aut Narcotica, quantumlibet nocturnæ requiri capessendæ sint dicata, præter alia mala & incommoda, eas mulieres insomnes agere noctes sæpenumero cogant. Inter omnia vero tempora, quibus Narcotica tenero sexui inauspicatissimè solent exhiberi, nullum mihi videtur magis infelix & infaustum, quàm illud *Puerperii* tempus. Et quanquam neque Obstetrices vulgares, neque Medici ipsi, in torminibus & vigiliis Puerperarum, Narcoticis audacter uti sæpè minimè erubescant, tamen persuasissimus sum, sanam priùs & firmam fœminarum multarum valetudinem, Narcoticis tunc temporis usurpatis præter modùm sæpissimè lædi, depravari, & præ aliis omnibus causis propterea in morbidum ac valetudinarium statum perverti. Hinc igitur illis obstructiones pertinaces, mensium suppressio, decolores & pallidissimi vultus, inappetentia, termina ventris diuturna, melancholicæ, & nonnunquam maniæ supervenient. Hinc denique labes morbida temperamento adeò clavo trabali infigitur, ut neque Chalybeatis, neque aliis quibuslibet possit in solidum tolli, ante proximum parturiendi tempus, quo sanè vera, & maximè opportuna crisis eadem sanitati pristinæ restituendi rursùm redit, & occasio idonea errores priores corrigendi, si qua unquam, ministratur.

OBSERVATIO IX.

De Ventriculi dolore summo, cum Vomitu periodico conjuncto. Item de dolore Colico, ejusque tam Præcautione, quàm Curatione.

ILlustris Domina ventriculi dolore gravissimo, & vomitione importuna, alternis ferè septimanis, redeunte, per plures annos laborabat. Medicos nostros celeberrimos diu, frustraque consuluerat, qui venæ sectione, emeticis, narcoticis, chalybeatis, aliisque minime contemnendis remediis ventriculo affecto subvenire nitebantur. Post multam operam, ut accidit, inutiliter locatam, ego Vinum sequens Medicatum præscripsi, quo primùm sæpiùs, posteà rariùs, iterato, ab omnibus symptomatis ventriculus ejus tandem liberatus est, & absque aliis medicamentis Domina præfata convalescebat.

℞. Summitat. absinth. Rom. centaur. min. an. M. ß. flor. chamæm. p. ii rad. gentian. incis. ℥ii. Infund. frigidè per xii. horas in vin. alb. ℔iii. Colatur. rursum infund. frigide rhei el. incis. ℥x. rad. calam. aromat. pæon. mar. sicc. an. ℥iii. enul. campan. ℥iß. semin. coriand. ℥i. M. Coletur tantummodo inter utendum.

Præclarissimus Bateus noster in adversariis suis privatis (quorum syllogen magnam mihi contigit comparare, nempe de singulis corporis morbis, à capite ad calcem, observationes omnes complectentem tàm suas, quàm alienas, quas in communi hominum consortio annotare solebat) præscriptum

tra-

tradit, quod in Pharmacopœja Bateana à Shiprono, Pharmacopola non ita pridem peritissimo, typis mandata, describitur sub titulo Tincturæ Rhabarbari; & cujus notitiam Baro illustrissimus G. ventriculi dolore, & viscerum torsionibus, ante ejus usum, diu excruciatus, à Pharmacopola suo, quadraginta librarum monetæ Angelicæ pretio acquirebar, cùm nullo ære à Medico suo ordinario id impetrare possit. Nempè ejusdem ejusdem usu Baro ille nobilissimus citò convalescebat, cui irrita prius fuerant alia medicamenta. Hæc verò fuit formula.

℞. Rhabarb. elect. incis. ℥ii. uvar. passar. enucleat. N. 60. glycyrrh. ras. ℥ii. sacchar. candid. ℔ß. aqua vitæ vel anis. ℔ii. Macerentur &c. Fiat Colatur. De cochlearia ii. vel iii. matutino tempore, quoties fuit necessarium.

Colicus dolor sic falsò nuncupatur, cùm paroxysmus quilibet gravior sit semper Ventriculi affectus, non Coli intestini. Magnitudo Coli ampla fæcibus accumulandis est maximè idonea, ejusque plicæ ingentes eisdem retinendis sunt accommodæ. Sed substantia coli crassa & obtusa, quanquam flatus ex eo sursum lati caput, ventriculum, aliasque principes corporis partes nonnunquam lacessant, in alvo puta constipata, tamen tantis cruciatibus, spasmisque progignendis, quanti Colica laborantes sæpissimè torquent, non videtur esse posse causa effectrix aut adæquata. Cæterum ventriculo cruditatibus depravato, ac læsis ejus functionibus [cum Culina sit totius corporis, in qua scilicet cibi omnes coquuntur, comminuuntur, & in cremorem quendam, aut Chylum, conficiuntur ad futuram alimenti distributionem, corporisque nutritionem] morbi ferè omnes, & maximè colicus dolor, juxtà discrepantiam temperamentorum, & partium peculiarium imbecillitatem, sive nativam, sive adventitiam, diversimodè contingunt. Os, sive introitus ventriculi, insigni nervorum plexu cingitur ac munitur, spiritibus plurimis eò excubias primas facientibus, nè res noxiæ aut hostiles, pro amicis atque alimentosis, sine sensatione aliqua, perturbatione dolore, aut singultu ingruente, tanquam, classico quodam, in castra ventriculi ampla admittantur. Tunica etiam ventriculi interior tota est nervea, ac sensationi inserviens, adeò ut, cùm sæva aliqua tempestas in ventriculo oriatur, flatibus furibundis procellam suscitantibus, illicò fremant propinqui spiritus, facilè in spasmos ruant, & tensiones, inflationes intumescentiasque maximè dolorificas cieant. Proinde ventriculus tùm ex fabrica sua, tum usu, sedes propria, ac primaria, torsionum illarum molestissimarum, & sæpe pernicioſarum, quæ in Colica excruciant, videtur stabiliendus. Certè Galenus, veteresque Medici sapientiores, ventriculum tanquam basin ac fulcimen penè omnis sanitatis considerabant, cùm Absinthiata in acqua, si quando conjungeretur febricula, in vino si febris abesset, toties propinarent, ac si sola, instar omnium, salutem corpori imbecillo restituere fere valerent.

Obiter Julapia hodierna, destillatione exorta, veteribus Medicis planè incognita fuerunt. *Aqua*, *Vinum*; *Ptisana*, sive hordei mundati decoctum; *Melicraton*, sive hydromel extemporaneum; Ὀξυμέλι, sive *vinum mulsum*, aut mellitum; *Passum*, sive vinum passulatum, ex uvis siccis expressum; *Sapa*, sive vinum coactum; *Posca*, *Oxycratum*, sive acetum aqua mistum, aqua mistum, fuerunt omnia ferè Julapia, quibus majores nostri urebantur, in medicina administranda. At verò Julapia illa veterum, propter simplicitatem, sumptus parcimoniam, atque [illegible], an ea hodierno in usus, eò quòd magis gratificentur & gustui delicatulorum, & locupletum voluntati, præponi mereantur, sagaces, periti, probique Medici litem dirimant.

Quod vero ad præcavendam Colicam attinet, masticatio frequens Rhabarbari ventriculum sic effectum præ aliis corro-

corroborat, cruditatibus onustum sublevat, flatusque illius discutit, antequam in procellam sæviorem denuò exsuscitentur. Dioscorides consulit, ut Græco, *ut ventriculo affectis rhabarbarum ita ut est* in substantia scilicet *masticetur, ac citrà sorbitionem ejus liquidis immisti lentè deglutietur* Expertusque ipse eloquos, qui diros paroxysmos Colicos, saltem unum & alterum, Iliacæ passionis ferè æmulos, quondam sustinui, eaque masticatione diu liber à leviſſimis, protinùs evasi.

Paroxysmis gravioribus subitò occurrendum est, neque segniùs agendum, nè enormes vomitiones motum fibrarum intestinalium periſtalticum tandem pervertant, Iliacamque illam miserandam passionem inopinanter accersant. Sanè chronicis, levioribusque ventriculi inflationibus sæpè recidivis sedandis Tincturæ illæ suprascriptæ Rhabarbarinæ, aut Rheum manducatum, Elixir Salutis dictum, ut & Mihridatium, Theriaca Andromachi, plurimaque ejusmodi alia sæpissime sufficiunt. Quod si Colicus dolor vehementiùs excruciet, immanesque eboriantur vomitiones, fœcibus obduratis, viaque dejectionum prorsùs occlusa; post venæsectionem, enemaque valde salinum, ubi indicantur, cathartica laudano conjuncta paroxysmum tollere plerumque solent. Neque etiam exigui usus nonnunquam sunt, cùm sal mirabile, tùm catharticum amarum in aquis mineralibus soluta, atque iterata quousque vias inferiores aperire possint. Tutissima enim sunt hæc blanda cathartica, cùm fortiora illa magis invalentia, bili ferocienti stimulos addentia, vires ægrotantium, & maxime Melancholicorum nimis labefactent, lœrumque post se crebrò relinquant. Item, post universalia, corticis Peruviani pulverati minuta quædam quantitas cum laudano liquido exhibita, & in intervallis vomitionum toties iterata, si à Medico præsente prudenter imperetur, curationem paroxysmi atrocis breviſſimam quandoque complet.

OBSERVATIO X.

De Hæmorrhoidum fluxu immodico.

EXimia Domina, ac vidua, gracilis, & bilioſi temperamenti, Episcopo admodùm Reverendo mihi vicino convivens, nocturno tempore tantam sanguinis jacturam per Hæmorrhoides derepente fecit, ut pluſquam quatuor ejus libras adstantes æstimarent, tanto meum adventum post mediam noctem, paucis horis deperditas. Et credibile quidem fuit permagnam vim sanguinis per sedem, nimirùm absque torminibus, tunc effluxisse, quoniam Domina præfata id temporis mihi narraret, secta tantummodo in brachio olim vena, tantùm furorem atque impetum sanguinem suum tunc exagitasse, ut in maximum vitæ discrimen conjiceretur, animamque pene efflaret, priusquam sanguis rapide erumpens medicamentis variis sisti possit. Et si vena in brachio, loco patulo & medicamentis topicis exposito, illam in extremum vitæ discrimen ita inducere valuisset, quantò majus periculum in hoc casu immineret ex vena rupta aut excisa, in loco quo vas ipsum prorsùs lateret, & quo nulla topica medicamenta partem internam affectam pertingere possint! Postquam verò Domina languescens Sacrosanctum ac postremum Viaticum ab Episcopo illo Reverendiſſimo sumserat, tanquam rebus terrestribus quamprimùm valedictura, & in cœlestes regiones illicò migratura, (interim comparatis quæ in usum præsentem mihi videbantur comparanda) jussi ut portionem spiritus vini rectificati in vase idoneo calefacerent famuli, utque pannos laneos, unum post alterum, spiritu illo probè calefacto imbutos, ano ægrotantis submoverent. Quo fotu pauliſper usurpato, sanguis ita vehementer profluens penitus sistebatur, sine quocunque alio remediorum apparatu, atque extra omnem metum ægra protinùs constituta est. Spiritum verò rectificatum, tamen summè penetrabilem, idcircò calefaciebat, ut fumus ex-

exurgens in venas internas ad supprimendum fluorem vi sua sanativa & corroborante ocyus introiret. An verò spiritus Terebinthinæ in consimili casu pares vires cum vinoso habeat, de quo tanta merito celebrat insignissimus & peritissimus Chirurgus noster Dominus *Toung*, in Devonia artem Chirurgicam summa cum laude, & cum multorum commodo exercens, neque disceptabo, neque, si experientiæ sit consentaneum, quicquam repugnabo. Fotui ex aceto in Hæmorrhagiis externis multum tribuitur, pariter ac Oxycrato, Veterum *Posiæ*, sive aceto aquæ immisto & introsumpto. Eadem Domina ex tanto ac tam subitaneo sanguinis profluvio, Febre intermittenti Tertiana deinceps correpta est, quæ cortici Peruviano tacillime cessit.

Porro autem observavi, fotum eundem ex spiritu vini rectificato, nonnunquam iteratum, pariter atque fotum ex aceto vinario, fluxum mensium pertinacem sistere posse, cùm nulla medicamenta interna scopum destinatum attigerint, & cùm adstringentia ac narcotica non ita tutò fuerint adhibenda.

Antequam hanc decadem Consiliorum dimitto, æquum videtur admonere, quod præscriptorum in eis unum & alterum, quoad minuta quædam minoris momenti, forte non fuerint ad amussim cum illis quæ multò prius præscripseram; ideoque memoria, quantum penes eam fuit, in minusculis quibusdam suppleri. Sed summa rerum præscriptarum, undè Curationes recensitæ potissimum pendebant, ubique, & omni ex parte, fideliter tradita est.

DE LVE VENEREA,

HIC morbus tam gravis & acerbus est; tàm latè serpit, & perniciem suam undique spargit; tantis cruciatibus miseros plerumque opprimit; & pristina sanitas tam difficulter restituitur, ut ab annectiendo quædam eò spectantia non potuerim prorsus abstinere. Primordia hujus mali quæ pudendis solis labem inurunt, contemptui & ludicro habeant, si ita placet, ganeones & Belli nostri, & petulantibus facetiis, tanquam nugas & crepundia, ea excipiant; sed quandocunque aut prima illa inquinamenta aut succedentia, in sanguinem denuo transferentur, atque per totum corpus virus distribuetur, pœnas insipientiæ debitas illi abundè persolvent.

De origine hujus morbi ambigitur, an ab omni ævo, post homines natos, extiterit; an superiori fere sæculo in *Europam* ex *Indica* Occidentali fuerit advecta. Multa sunt testimonia, aut saltem suspiciones non contemnendæ de antiquitate hujus Luis, quanquam tot ferè Regna non ita pridem contra ejus Natales probrosos decertarunt, alterum in alterum illud opprobrium rejiciens, quot urbes olim *Homerum* sibi gloriose vendicarunt. Certè nomen ejus legitimum usque ad nostra hæc sæcula in teneris latuit. Nec forma & figura hujus Monstri à prioribus Medicis satis clare & distinctè sunt descriptæ, neque ante novam suam denominationem nisi confuse admodum cognita. Hoc autem proculdubio scimus, plurima olim apud nos Nosocomia Leprosis recipiendis fuisse extructa; & multùm fallor, si unica & singularis domus apud nos etiamnum maneat, Leprosis vulgo recipiendis peculiariter dicata. Porro Venerei contagii eadem semper causa tyrannidem exercuit, nempe vaga & promiscua scortatio; nullisque sæculi defuerunt meretrices infames, quæ corpore prostituto vilem quæstum facerent: *posita* vero *causa ponitur* etiam *effectus* quemadmodum & *sublata* semper *tollitur*. Quibuscunque enim in regionibus, quibuscunque demùm locis, prostibulæ istæ, ac corruptelæ juventutis vulgares prorsus exulant, legumque asperitas scortationem omnem coercet, deest etiam una cum impuris scortis Lues hæc Venerea. Ubicunque vero lupanaria palam permittuntur, remisso magistratu aut dis-

dissimulante; vel ubicunque meretriculæ latebras aliquas sędas securè nanciscuntur; eadem Lues cum horrida malorum turba, cumque omni suo miseriarum famulitio; longè lateque dominatur. Atque, ut mihi quidem videtur, in utero impuro meretricum vulgarium, quę plurimis viris, quantumlibet sanis, se se prostant & commiscent, certo & naturaliter progignitur Lues, perinde atque in nido ex ovis nascuntur volucres. Et quoniam *corruptio optimi* est *omnium* semper pessima, cur non ex seminis prolifici, & in tanto naturæ usus destinati, corruptione prava & incongrua venenata illa Lues possit φυσικῶς propagari? Et nullus dubito, pauciſſimos usquam esse scortatores, qui, quaatumvis pœnas meritas aliquam diu effugerint, non seriùs aut citius in laqueos illos inciderint, qui non turpi & funesto illo veneno fuerint tandem aliquando contaminati.

Sanè Lues hæc pernicioſa est Supremi Judicis tremendum quoddam flagellum, instar ensis illius stricti capiti Damoclis inter epulandum impendentis, omnibus scortatoribus semper interminans, quod sapientes impuris amplexibus facile detertebit, quodque insipientes severissimis flagris aliquando cædet. Quis enim mulierosus certus esse potest, meretriculam qualemcunque sibi uni, ut videtur, stipendia facientem, non aliis pluribus fuisse prius aut denuo fore per vulgatam, atque ideo obnoxiam venereo inquinamento, ut cunque ista mendaciis suis, perjuriisque usitatis, pudorem aliquem commiscatur?

Neapolitanus hic morbus vulgo nuncupatus est, & ab obsidione *Neapolitana* primum ejus contagionem traduxisse ut plurimum creditur, anno scilicet post *Christum* milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo tertio; cùm *Neapolium* castris suis circumdaret *Carolus* octavus, Gallorum Rex. Sed cùm tumorum popularium tanta sit incertitudo, ut sapientes vix quicquam pro certo pronuncient, quod non manifestis & sibi notis testimoniis confirmatur; cum aliorum morborum primus exortus in tenebris æque permaneat; cum ita constitutum sit rebus humanis, ut in singulis sęculis quædam continuo pereant, oblivionique tradantur, & alia quædam rursum emergant & suscitentur; cùm virus Venereum in omnes fere regiones totius orbis, quantum nobis innotescit, ab oriente ad occidentem, à septentrione, ad meridiem, jamdiu spargatur, & usquequaque diffundatur; cum denique Medici aliquot graviſſimi Luem istam infamem ante obsidionem illam Neapolitanam contagio suo virulento *Europam* jam invasisse constanter affirment, sane difficile est aliquid certi & indubitati in re ita obscura stabilire & decernere; quanquam antiquam Luis prosapiam admodùm aperte indicare videatur antiqua, ac permanens causæ existentia, nempè scortatio illicita, vaga, & promiscua, primordiis forte rerum humanarum, aut saltem effræni hominum libidini, ac corruptelæ meretriciæ cœva.

Sed ut hanc rem paulò altius perscrutemur, *Hippocrates*, cujus autoritas apud omnes doctos plurimum valet, libro tertio de Morbis Epidemicis plurima horrenda symptomata enumerat, quæ ad formam Venereorum quam proximè accedunt: ut, *pustulas magnas, & pustulas corpore universo erumpentes, maximeque caput impetentes, ulcera sędiſſima circa pubem & pudenda, inflammationes Erysipelatodes malignas & depascentes, diarrhęas & cibi fastidia, tabes multas*, aut atrophias, *nunc sine febre, nunc cum febre contingentes; carnium, nervorum, & ossium mutilationes ex decidentia magnas*, à carie præcedente, *prolapsus partium abscessibus corruptarum, & denudationes femoris integri, tibiæ, aut pedis totius, prolapsus brachii aut cubiti totius, & omnium miserrimas carnium jacturas, cum pubem pudendaque malum affecerit: ichores ulcerum & abscessuum puri absimiles, & pure omni deterioris, capillorum defluvia fluxiones ad pudenda multas, dolores graviſſimos cum vigiliis, ulcera oris serpentia, & tubercula tam interna quam exter-*

externa circa inguina, aut bubones, *tubercula faucium*, *ulcerationes pudendorum*, & similia, quæ quidem breviter tradit, & more suo conciso. An vero hæc omnia à Peste vera, an à Pestifera hac Lue oriantur, in utramque Partem ut differant par est doctis liberum relinquere.

Quicquid vero de turpibus Luis natalibus sit statuendum, certè dolendum est maxime, curationem tantæ Ægritudinis, omnes corporis partes, tam internas quam externas, à capite ad calcem, polluentis, è manibus Medicorum doctorum & peritorum ità profuisse, Chirurgis, necnon tonsoribus imperitis, ignarisque quibuslibet vulgo concedi. Quis enim tam fatuus & insultus, quis tam illiteratus ardelio, qui non Medicaster in hoc morbo circumforaneus facile evadat, sine instituto, sine sumptu, & sine arte; qui non curationem Luis, aut saltem Gonorrhæ infallibilem perfricta fronte polliceatur? Quales autem hi sunt Medici? Sartores utplurimum & fabri, similesque artifices, popinatores inertes & decoctores, qui in officinis suis fidem prius labefactaverant. Quam infelix igitur & misera est Infectorum conditio, qui duplices sustinent pœnas, damnanturque tum atrocissimi morbi cruciatibus, tum rudis agyrtæ ignorantiæ periculosæ! Quasi leviſſimi quilibet affectus peritiam Medicam jure efflagitarent, morbus vero maximè anceps, meduliſque, penitus infixus, quivis illiterato possit tuto demandari!

Ut autem summum discrimen Lue Infectorum manifestiùs appareat, considerandum est, hunc morbum frequenter esse Proteiformem, & post primam ejus subjugationem, sæpè novas posteà induere facies. Illud equidem facilè adducor ut credam, propterea quòd tot tabidos, & atrophia confectos, pulmonibus ferè intactis, nec nisi secundario læsis, viderim perire. Et nisi ex acuto aliquo morbo illos contigerit extingui, marcore & atrophia vix intellecta tandem contabescere sem per observavi. His lac Asininum, pectoralia, narcotica, & similia, primam venenatam causam nihil respicientia, ad supremum usque diem frustrà exhibentur. Chirurgi salivatione absoluta, & mercede laborum accepta, integram sanitatem audacter promittebant; atque denuo ægrotantes longe diversis symptomatis quàm priùs affecti, neutiquam somniant de reliquiis fomitis venenati, aliquamdiu consopiti, & intus delitescentis, sed sub nova forma revirescentis. Interim Medicus quantumlibet peritus, nihil causæ Venereæ facilè suspicabitur, atque ægrotus partim ex verecundia, partim præteritæ curationis securus, de pristinis rebus oblivioni jam traditis nullam mentionem facit. Heu quanto igitur discrimine versantur hujusmodi ægrotantes, cùm nec ipsi de causa ægritudinis primaria ne verbum mussitent, cùmque Medici contrà morbum incognitum, Andabatarum more, cœcutientes militent! Certè Autores nonnulli, magis emunctæ natis, veritatem horum suboleverunt, cùm ita prudenter illi consulerent, quoties aut dolor Ischiadicus, aut Rheumaticus, aut alius valdè pertinax, remediis propriis & usitatis nequaquam cederet, ut ad Diætam sudorificam, è Ligno sancto, Sarsaparilla, & consimilibus, tanquam ad sacram Anchoram confugeremus.

Ex his Luis reliquiis spretis, & aliquamdiu abditis, non solummodo pendet valetudinaria, & misella parentum, æquè ac aliorum scortatorum conditio; sed & hinc morbi aliquot puerorum tralatitii, & ferme immedicabiles, & quos nominare minimè convenit, pè nati insontes, viri tandem facti, contumeliam, mœstitiam, atque animi perturbationem aliquam exinde immerito patiantur. Quamlibet enim majus est reverà deducus à vitiorum suorum, quàm natalium, turpitudine & infamia, tamen novi viros eximios & fortes, clara & illustri stirpe,

sed illegitime prognatos, qui præter modum dolore opprimebantur, quoties de natalibus suis spuriis meptionem aliquam factam ex susurris clancularii in communi hominum consortio illi suspicarentur. Atque in ea re major est Turcarum justitia & sapientia, apud quos nemo parentum culpam in filios inique transfert, & nulla est ignominia natis ex partu illegitimo prodiisse.

Porro statuendum est Luem Veneream esse morbum venenatum, & maxime deleterium. Et quanquam non ità repente interficiat, ut ictus & morsus animalium venenatorum, tamen temporis aliquo spatio, modo longiore, modo breviore, vitam infectis certissime adimit, nisi remediis propriis & salutaribus sanitati pristinæ tempestive restituantur. Paucis igitur agamus de veneni hujus, cæterorumque natura, & previuscula comparatione. Inter alias notas sunt signa venenorum, insignis faciei totiusque corporis pallor, & extremorum perfrigeratio, quæ in Venereis sunt maxime conspicua. In venenis assumptis, natura materiam venenatum omni vi expellere nititur in superficiem corporis & partes externas, unde maculæ variæ, pabulæ, & exanthemata oriuntur: Similiter in Lue Venerea prodeunt maculæ, interdum parvæ, lentiginum instar, interdum latiores, eæque modò rubræ modo flavescentes; & primùm circa frontem ac tempora, deinde caput reliquum, tandemque per totum corpus diffusæ; nec solummodo maculæ, sed & pustulæ & tubercula in cute erumpunt. Venenis pro os assumptis, calidis dico & erodentibus, magnum exoritur incendium in faucibus, & ventriculo, atque intestina doloribus aut torminibus exquisitis cruciantur: Lue infecti faucium inflammatione, & paulatim exulceratione, semper corripiuntur; ventriculus illorum sensim prosternitur, & quanquam artus dolorum sævitiam & atrocitatem utplurimum ferunt, tamen plus semel nevi, aut intestina, aut hypochondria eisdem diris cruciatibus affecta iisque tempore vespertino recrudescentibus, quos artus utplurimum & magis regulariter sustinent. Denique Verena propria sua & peculiaria medicamenta, sive Antidota; ut ritè expellantur, requirunt: Lues, nisi propriis & quasi specificis Antidotis pernicies ejus virulenta depellatur, vulgaria omnia pharmaca, & methodus omnes, quantumlibet doctas, solet aspernari.

Sed natura hujus Veneni est alia atque alia, tum secundum regiones magis ad Septentrionem aut Meridiem positas, tum secundum Temperamentorum varietas. Etenim in Hispania & Lusitania, de hoc morbo [sæpe tam mitis iste est illic] vulgo colloquuntur, quemadmodum nostri solent de Liene & scorbuto. Siquidem illorum Medici ad febricitantes matronas nobilissimas ac virtute præditas accersiti, solenniter quærunt, an Lue Venerea laborarent, sicut nostri de Catameniis, quanquam & verecunde interrogant, & in illis regionibus, ubi Veneni aliqua portio indesinenter perspirat, Infecti multi sese totam vitam hoc morbo comite satis placide traducere nonnunquam posse, sæpe confitentur. Apud nos vero longe aliter se res habent, & hæc Lues ferocem & immanem tyrannidem exercet. Nullus hic symptomatum & cruciatuum finis, nisi aspera aliqua, aut diuturna mitior, medicatio interponatur, donec aut dolores contorquendo, aut ulcera depascendo, aut ichor venenatus ossa corrumpendo, miseriis finem imponant, & lacerum putridumque cadaver tandem abjiciatur, pabulum sanè ingratum, & vix vermibus acceptum.

Quinetiam juxta Temperamentorum diversitatem Venenum hoc dissimiles vires apud nos obtinet. Temperies Melancholica, & Biliosa ejus exterminationem ægrius sustinent, quàm Sanguinea, & Phlegmatica. Multo facilius restituuntur juvenes unàm

ætate

ætate provecti. Idemque est dicendum, de Scabie, Herpete, & nonnullis aliis morbis varia temperamenta affligentibus. Et sicut Temperamentorum differentia efficit, ut Cathartica longè dispares effectus obtineant; hoc corpore mitissimis medicamentis facilè purgato, illo fortissimis ægrè cedenti; utque idem dejectorium medicamentum eodem pondere diversis hominibus exhibitum, in uno celerem ac violentam, in alio tardam ac mitem, & in alio nullam omninò operationem concitaverit: ità & de Venenis dicendum est quod illa citiùs aut seriùs interimere soleant, non modò ex propria, & innata vi perniciosa, sed secundum fortiorem, aut debiliorem repugnantiam naturæ ejus, qui venenum accepit. Nam opinio ista vulgaris ficta est, & falsa, quæ *Indos*, ab iisque *Italos*, ita artem veneficam statuit calluisse, ut in statum diem, aut tempus prædeterminatum, sive fuerit septimana, sive mensis, sive annus. Venenatos omnes, certo conficere possint. Natura enim unius quàm alterius, quemadmodum dictum est de catharticis, veneno magis se opponit, & lethale virus reprimit, aut frustratur.

Sunt qui Luem arbitrantur, fractis, & attritis senio viribus tyrannidem suam fermè omnem jam depositisse, & ad interitum suum cum senecta demùm vergere. Eademque apud plures doctos sententia jam diu obtinuit, quandoquidem blanditiis verborum tàm literati quam aulici spe vana ductis nonnunquam se accommodant, & gratiam lenociniis solent sibi conciliare. Qui vero sic sentiunt, nosocomia hodierna paulisper adeant, aut Chirurgos probos ac exercitatos consulant: videant ulcera multiplicia, cancrosa, & depascentia, tophos & gummata, ossium caries, & carnium putrilagines; videant tabes, lipothymias, cachexias, denique totam Pandoræ pyxidem ibidem apertam; exaudiant etiam horrendas miserorum execrationes, gemitus acerbos, & ululatus permolestos; tandemque dicant, an Venus egregia illa mansuetudine mancipia sua hodierna excipiat; dijudicentque pariter, utrum Mars an Venus plures ex numero viventium tollat, uter denique illorum amasiorum exitium pejus, & frequentius cultoribus suis inferat.

Quod ad Therapeiam attinet Luis, alii sine Hydrargyro, & nescio quibus ineptis Arcanis eandem audacter pollicentur; alii denique emeticis, & catharticis Mercurialibus, & Diæta Sudorifica intercalata, similibusque, venenum illud penitus subigere annituntur.

Medici fermè omnes, totumque Chirurgorum sodalitium, uno consensu, Salivatione tanquam breviſſima, & maxime efficaci methodo, Luis curationem aggrediuntur. Nec denegandum est cuiquam in Arte Medica mediocriter versato. Salivationem esse omnium Methodorum, quas hactenus excogitavit peritia Medica, maxime expeditam, atque efficacem, ad virus illud Venereum valdè obtundendum, & malignitatem ejus perniciosam abundè frangendam, si minus ea valeat non rarò ad venenum istud penitus delendum. Certè in his regionibus Borealibus, frigoris prædominio obnoxiis, ubi labes Venerea tanta immanitate sævit, Salivatio præ aliis adhuc notis inducias maximè veloces, perniciei dilationem, & symptomatum omnium vehementium cessationem obtinet celerrimam; nec non in quibusquam infectis, & potissimum in juvenibus, curationem perfectam aliquando complet. Sed si consideretur horrenda illa, terribilis & nonnunquam intolerabilis medicatio, tantis cruciatibus & periculis extremis stipata, saltem exoptanda est, & omnium votis exposcenda, alia jucundior methodus, tutior illa, minusque molesta.

Potentissimum, & efficacissimum Salivandi genus est id, quod per

inunctionem Mercurialem excitatur; & quod solum, tanquam *dignum nodo cuneum* Sydenhamius noster præclarissimus laudat. Sed refert scire, attenteque contemplari, in quot vitæ discrimina Salivatio ista conjicit infectos; quot ex ea solent vulgo interire, quam horrendas capitis, fauciumque efficit intumescentias, suffocationem repentinam frequenter minitantes, & vix fræno manus peritissimæ recte gubernandas. Norunt quidem aliptę quam periculosas diarrhœa, dysenterias, lipothymias, in temperamentis maxime Mercurio rapugnantibus, ista crebro producit, sed aliam vix exercebunt artem, vix querent aliptæ, nisi quam in tyrocinio à Magistris suis didicerunt. Tanta vero est in hoc Salivationis genere humorum fusio, tanta succorum omnium corporis sæpè exantlatio, ut nil mirum sit spiritus vitales una dissipentur; & maximè si in hac terra, aliter felicissima, ubi Melancholia tantum obtinet imperium, complures ex tam rapida fluidorum profusione succumbant ac pereant. Quam fugax scilicet voluptas acerbissimas sustinet sæpenumero pœnas! Quanta cura & industria Sirenum illarum veneficarum blanditiæ sunt ab omnibus fugiendæ, quicunque aut sanum corporis temperamentum conservare volunt, aut vitam longævam jucunda denique senectute finiendam cupiunt!

Porro si facultates Hydrargyri tanta copia in corpus intromissi, ac sanguinis motu circulari omnes corporis partes pervadentis, velut in Salivatione vulgari contingit; si illius vires naturæ humanæ tam noxias, ac inimicas; si virus ejusdem nervis & cerebro peculiariter adversum, attestante id paralysi, & tremoribus frequentibus; si, onus & tormina, quæ ventriculo & intestinis vulgo infert; si pallidissimum plumbeumque colorem, quem vultui impertit; si denique quod à veteribus omnibus Medicis Hydrargyrum in catalogo Venenorum annumeretur, diligenter perpendamus: sanè Medico probo incumbit, quando duobus Venenis tàm Morbi quam Remedii una convenientibus sit necessario occurrendum, de Antidoto aliqua propria, salutari, & excellenti, sollicitum esse. Et si tela ad hunc morbum ritè expugnandum magis apta, & idonea unquam reperiantur, è Medicorum pharetra magis magisque denuò instructa potius quam ex aliorum quorumcunque sive armamentario, sive officina, ni plurimum fallor, certo extrahentur.

Et quicquid delirum vulgus, aliique nonnunquam saniore judicio præditi, contra sentiant, sane nescio, an quisquam omnium morborum qui miseros mortales solent excruciare, judicium tenerrimum Medici periti & exercitati, potius quam agyrtæ aut indocti alicujus requirat ac mereatur, quam Lues ista immanis & venenata.

Quanquam verò Salivatio omnibus aliis Methodis ubique palmam præripuit, tamen notatu dignum est, quod *Julius palmarius*, Medicus Parisiensis clarissimus, & eruditissimus copiosius disseruit, qui Magni illius *Fernelii* fuit discipulus & qui librum de Morbis Contagiosis tum doctè tum eleganter scripsit. Ille Salivatione, quantumlibet tunc populari, quantumlibet nunc vulgo usitata, *vix centesimum quemque* Lue correptum, perfecte sanari tradit, sed recidivo illos morbo, ex scintillis aliquamdiu consopitis recrudescente, nonnunquam citius, nonnunquam post plures annos affici, & langueſcere. Atque *alii*, inquit, *decies*, *alii duodecies* suo tempore *Salivationem frustra sunt experti*, tanta interium cum doloris acerbitate, malorumque miserrimorum acervo, ut forti viro multo satius sit semel mori, quam vitam morte pejorem sic proferre.

Ego itaque hæc animo diu multumque evolvens, nunquam complecti potui, quamobrem *Fernelii*, *Palmarii* aliorumque Medicorum doctissimorum methodi tutiores ac jucundiores

tam

tam paucos ſectatores conſequutæ ſint, & praxi hodierna ita proſcribantur, niſi ob has potiſſimùm rationes:

1. Medici illi præclariſſimi odio adversus Hydrargyrum nimis acri flagrabant, propter noxas illas graviſſimas, quas ſæpius infert corpori. Et *Fernelius*, primus omnium Medicorum, curationem Luis ſine quocunque Mercurialium uſu interno, & fortè nimis temere ſuſcipiebat & palam pollicebatur; Amuletis ſuis ſelectis ac ſaluberrimis, Diætæ Sudorificæ, victus tenui & frugi, & catharſi intercalatæ ſolummodo confiſus. Et certè propter auſum ac tentamen tantum, tamque ſalubre generi humano, ſi fortè minùs felix fuiſſet ſucceſſus, omni laude digniſſimus eſt egregius ille Medicus, quanquam in peſtifero hoc morbo uſus illius medicamenti periculoſi, quod à * Primo vocatur *Venenum omnium rerum*, ſumme neceſſarius nobis hactenùs videtur. Nam *malum ovum malo corvo* apprime convenit. *Palmarius* autem Hydrargyroſi vulgari infenſus fuit, tùm ob perniciem ejus, tum propter extremos cruciatus, doloreſque aſperrimos, quos inuncti ſuſtinere neceſſario damnatur; tùm denique quia propoſita ſua curatio per Guaicam & Amuletum, aut per Alexipharmaca ſua Hydrargyro conjuncta, tutior fuit, & longè ſalubrior inunctione vulgari, ſputantium vires exhaurienti. Quocirca alias Luem extirpandi methodos, tutiores, ac magis ſalutares, nec non jucundiores, licet nonnunquam paulo cunctabundas, fuſe proponebat.

2. Chirugi uno ore Salivationi præ aliis curandi modis facere videntur, aut quia præmiis donantur majoribus, iſto modo valetudini proſpicientes, ſumma cum aſſiduitate, infectumque ſub imperio quodam deſpotico vitæ ac mortis clanculùm in conclavis, remotis aliis plerumque arbitris præterquam nutrice, tamdiu tenentes; aut quia durante tyrocinio nullam aſiam æque certam Lui medendi artem illi hactenus didicerunt; aut quia aliam diſcere vix unquam volunt.

3. Quoniam Chirurgi technis ſuis hanc Medicinæ partem, quantum in illis fuit, tanquam ſibi jure propriam utique arripuerunt & Medici, ſive ob moleſtias tam fædæ curationis, ſive allis negotiis impediti, illam provinciam quaſi derelictam nimis neglexerunt, ac vilipenderunt.

4. Quia curationes temporaneæ & palliativæ in hoc morbo, ut in aliis nonnullis, magis placent, ægriſque gratificantur, quam Eradicativæ, quæ magis operoſæ ſunt, & exercitatione non parva egent. Quam ob rationem induciæ multorum graviſſimorum Narcoticis derepentè comparatæ, & ægrotantibus ſæpè magis placent, & Medicis nonnunquam præferuntur, quam quæcunque alia, permanentibus interim aliquandiu doloribus, ſalutaris medicatio His adde, Salivationem ſymptomata omnia Venerea ita ut plurimum tollere, ut nulla recidivæ ſupicio impræſentiarum reſtet, aut præmii procraſtinandi ratio convaleſcentibus amplius appareat.

Quod ad impoſtores illos imperitos, turpiſſimos lucriones, ac nebulones vulgares attinet, qui ſine Mercurio, ſine quacunque moleſtia, & neſcio quibus *Arcanis* inſulſis curationem breviſſimam, nec non infallibilem, omnibus Lue infectis cum inſigni impudentia pollicentur, argumento ſunt Bacillino quam Medico digniores, & faſcibus Magiſtratuum aut colliſtrigio, proutve teratores perfidi, ſunt potius caſtigandi, quam diſceptationibus, aut ullis rationum momentis accipiendi.

Denique tertium Lui Venereæ medendis genus, quod poſthabita Salivatione ſolenni per inunctionem inſtituta, & ſpretis deceptorum inſciorum fallaciis, catharticorum aut emeticorum Mercurialium vi & efficaciæ, cum

* *Nat. Hiſt. lib.* 33. *c.* 6.

Diæta è Lignis & Radicibus exsiccantibus, ac regimine debito, conjunctorum nititur, fusiorem orationis copiam planè requirit. Sed nè tot impostores & agyrtę dolis & insidiis suis hinc ansam aliquam avide arripiant, vela dicendorum contraham, & pauca haud prorsus inutilia jam dictis adjiciam.

Et 1. notandum est. Ligna exsiccantia, gummi, corticem, & lignum Guaiaci, lignum Sassafras, atque radices Sarsaparillæ & Chinæ, tantum fere emolumenti naturæ humanæ conferre, & debilitatæ suppetias salutares præbere, quantum damni & nocumenti Hydrargyrum corporis infligit. Sunt hæc salubria quædam hujus morbi venenati, licet imperfecta, pariter atque Mercurii Alexipharmaca, quando quidem & citra Mercurii auxilium opera & oleum nostrum sine fructu perdi solent. Et quanquam illa ex se nunquam apud nos scopum attingunt, Hydrargyro prætermisso, venenumque Venereum nequeunt penitus delere & extinguere, tamen robur nativum erigunt & fovent, palloremque huic morbo congenitum, in vividum ac sanum colorem certo certius immutant.

2. Notandum est Cathartica deleteria dicta huic morbo expugnando, qui vires corporis validissimas ipse infringit, & robur summum facile comminuit, quandoque minus convenire, quàm mitiora & blandiora medicamenta. Et quoties fortior & validior requiritur catharsis, illa longè tutius obtinenda est, in debilibus scilicet naturis, senna, rhabarbaro, agarico, jalappa, epithymo, polypodio, manna, hermodactylis, aut eorum quibusdam, additis etiam ceu stimulis, sale mirabili, cathartico amaro, polychresto, prunellę, aut crystallis tartari; his, inquam, sæpe securius & commodius alvus movetur; neque plura eorum identidem repetita rita corpori imbellium nocent, quemadmodum scammonium, colocynthis, & helleborus, quæ aut ventriculum conturbant, aut intestina corradunt, gravibusque tórsionibus excruciant, aut visceribus omnibus, partibusque principibus maligna sua qualitate sunt infensa.

3. Quanquam Mercurialia, & Hydrargyrosis, in omnibus temperamentis Lue inquinatis indiscriminatim vulgo usurpentur, tamen notandum est, corpora crassa, obesa, phlegmatica, & frigida, ab illis maxime omnium lædi; & constat injurias insignes, quas Hydrargyrosis talibus facit, vix unquam postea deleri, adeo ut non minus discriminis à medicamento quam ab ipso morbo illis contigerit. Atqui Sanguinea, Biliosa, & præfervido calore redundantia corpora, incommodo minore Hydrargyri usum paulo copiosiorem sustinent, quam aut prius nuncupata, aut Melancholica Temperamenta. Etenim calida & sicca viscerum intemperies, contrariis quibus pollet facultatibus Hydrargyrum, corrigitur, emendatur, & nonnunquam insigniter juvatur, atque bilis ferocientis acrimonia plurimum demulcetur.

4. Quotiescunque Lue jampridem infecti qui Ptyalismum prius subierunt, aut qui aliis modis ad tempus tantummodo sunt restituti, morbo recidivo è latibulis erumpente, aut novam formam sortito, turbas novas commovente; quoties, inquam illi in atrophiam, neque à Pulmonibus tabidis, neque à Lumbricis pendentem, inciderint, quanquam Diarrhęa admodùm violenta exhauriantur, à Narcoticis quibuscunque abhorrendum est Medico, & restringentibus interdicendum. Nam Malignitate venerii venerei intus delitescentis sic imminuta, & per sentinam corporis depositа, propria Antivenerea optato eventu non diu frustrabuntur, & corpusculum strigosum deleteria Lue pene confectum, præter expectationem rursum pingueścet.

5. Cùm virus Venereum sit benè retusum ac fractum, omnisque symptomatum ferocia refrænata; at fomes venenatus haud penitus extinctus; sub-

cine-

cineribus delitescat, novos postea tumultus suscitaturus: quemadmodum & in aliis nonnunquam casibus ubi symptomata anomala, doloresque vagi infirmos detinent, Medicamenta nervina, arthritica, amara, & antiscorbutica *salubria*, aliquamdiu usurpata, catharticis blandis identidem intercalatis, reliquias Veneni istius infracti tuto profligabunt, integramque tandem sanitatem præ aliis restituere valebunt. Siquidem talia corruptelæ humorum deleteriæ contraria, sanitati tuendæ, amissæque recuperandæ, vitæ producendæ, staminibusque vitalibus tenuioribus confirmandis apprimè conducunt.

6. Infantes à nutricibus lactantibus infecti, quanquam maculis, pustulis, ulceribusque scatent, quanquam & nocturnis illis doloribus erunt excruciati, facillimè omnium restituuntur. Farina sarsaparillæ ferè insipida, saltem nullo gustu ingrato, aut fastidioso prædita, panatellis aut pulticulis suis, ut par est, *commista*, addito etiam, ventriculi gratia, santali citrini polline, nulla pariter nausea donati, catharticique debitis intercalatis, tenerrimæ ætati, ut lætè nonnunquam observavi, salutem perfectam reddidit. Quod vero infantuli à contaminata nutrice infecti, tanquam à Peste quadam, sint ante inceptam curationem, quamprimum amovendi, non opus est ut admoneamus.

Denique 7. infectis, cum curatio modis mitioribus magisque benignis ac salutaribus quam Salivatione illa acerba & excrucianti instituatur, non est iis persistendum ad certum quendam ac determinatum dierum numerum, sed nunc diutius, pro ratione veneni, naturæque reluctantis, remediis immorandum, quousque sub regimine debito venenum penitùs subigatur, & symptomata omnia prorsus evanescant.

Antequam finiam, nequeo tacitè prætermittere errorem popularum insulsum, at valde pernicioſum, qui longe lateque inauspicato increbruit. Nimirum didicit, aut forte audivit ignarum vulgus, si quispiam infectus cum sana muliere mutuis amplexibus se commiscuerit, à labe omni venerea se confestim fore tutos & immunes. Quot innocuæ virgines inter alias ex hoc stupido errore perierunt! Sed cùm sanguinem pervaserit virus pestilens, & viscera afflatu illo impuro imbuantur, credat etiam plebecula insipiens pari ratione, se clavam *Herculi*, quod ajunt, & fulmen *Jovi*, extorquere posse, & se montes excelsos, virtute cujusdam incantamenti, posse radicitus avellere & alioversum transferre.

Ut vero finem faciam, nonnullis videri possum nimis acriter perstrinxisse morbum Venere clementi prognatum, Dea scilicet illa amabili, cui tam Principes summi, quam vulgus infimum, vota sua nimis frequenter faciunt, & cujus illecebræ pectora ferè omnium æstu quodam impotenti facile percellunt. Acrius, inquam, hujus morbi sævitiam perstrinxisse videar, quam plurimi medicastri, qui eundem in postremis habere solent, ac pro nihilo, ut ajunt, ducunt; ut scilicet artis cujusdam exquisitæ, quam alicubi didicerunt, ostentationem glorioſe faciant, atqui ut reverà crumenas incautorum aliquando emungant, ut familiarer suos opprimant, ad quæstum commodumque proprium inique referant. At vero longe præstat Medico probo, liberalibusque disciplinis instituto, verum dicere, quam quæstu quovis duci, communique utilitati quam suæ consulere. Modici rerum status, modo res sint bene partæ, nemini pœniteat. Nam pauca nonnunquam desiderium explent, permulta animum rarissime satiant. Paucitas rerum commode beneque vivendo necessariatum facile suppletur, virisque bonis rarius deest. Sed in superfluis accumulandis nullus vulgo finis gravissimarum sollicitudinum, nullum molestiarum maximarum tædium, rapinarum terminus; quasi dira illa execratio, aut fascinatio, avaros injustosque semper comitaretur, ut in opulen-

tia inopes, in abundantia egeni vitam prorsus inquietam traducere damnarentur. Præcipiti cursu breviuscula labitur vita. Nec magna pompa impedimentorum necessaria est, ut amœna fit profectio, neque requiritur tanta viatici copia, ut breve iter conficiatur. Præclare illis actum puto, quibus in benè agendo deponitur vita. Nec sapientibus *lugendam esse* corporis *mortem*, *quam* animæ *immortalitas consequitur*.

Etenim *tum demum nos verè victuros* constat, *cum è vita hac excesserimus*. Quid eò olim eximiè dixerit Philosophus, (pectore spe tumido, consolationis pleno, animoque futuris gaudiis admodum aspirante) in senectam vergens, & *Senectutem* ornatissimè laudans * *Si in hoc*, inquit, *erro*, *quod animas hominum immortales esse credam*, *lubenter erro: nec mihi hunc errorem*, *quo delector*, *dum vivo*, *extorqueri volo*.

* Cic. *de Senectute*.

FINIS.

Com-

Commentarius Medicus

DE APHTHIS NOSTRATIBUS,

SEU

BELGARUM &c.

AUCTORE

VINCENTIO KETELAER

MED: DOCT:

DE
APHTHIS
NOSTRATIBUS,
SEU
BELGARUM
AUCTORUM
VINCENTIO KETELAER
MEDICO.

COMMENTARIUS DE APHTHIS NOSTRATIBUS SEU BELGARUM &c.

INde malo huic, quod Septentrionalibus hisce plagis tam frequens atque anceps est, Aphtharum nomen sit inditum, meritò miramur. Nam quæ à priscis Medicinæ conditoribus nobis Aphthæ describuntur, adeo à nostris diversæ sunt, ut toto cœlo distent. Hippocrates Aphorismo vigesimo quarto Sectionis tertiæ, multisque aliis locis, inter morbos primæ infantium ætatis proprios eas numerat, & superficiaria oris ulcera, maligna & serpentia, ignea quadam caliditate prædita vocat, quæ nuper natis infantibus, tenellisque accidunt. Ad ea Galenus, in puerulis, ait, recens in lucem editis Aphthas fieri. Sic autem vocant ulcerationes oris superficiarias, præ molitie maximè instrumentorum exortas, quæ neque contactum, neque lactis qualitatem ferre possunt, quod non parum seri in se continet. Est autem id natura abstergendi facultate præditum, adeo ut mirum non sit, si in mollioribus corporibus quasdam in superficie ulcerationes efficiat: Et alibi facilè eas placari inquit, si infantis os, cibis & potibus prorsus insuetum, modicè adstringas. Nec oris tantum, sed & aliarum partium fervida & superficiaria ulcera Aphthas vocarunt. Unde Hippocrati *Græcè* dicuntur. Sic illi, & ex illis omnis Medicorum Natio deinceps uno fere ore locuta est. Qui acrimoniam, & corruptionem nescio quam assumptorum, è ventriculo exhalantium aut è capite in subjectum os procumbentium, causam earum statuere, & repellentium usu tractavere. Nostrates verò Aphthæ ab his omnibus procul sint, & natura, causis, ipsaque curandi methodo differant, in progressu patebit. Quod praxim auspicantibus non leviter semper imposuit, quos nomina & Veterum ductum secutos in exitiales errores sæpe lapsos fuisse necesse est. Non utique dubitem, si ani-

si animi sensu candide aperire licet, asserere, id vitii, quod vulgari notione Aphthas appellamus, iis qui medicinam nobis tradidere, vel plane fuisse incognitum, vel alterius apud illos quam hic indolis; ut mirum non sit, nulla aut obscura ejus vestigia monumentis eorum contineri. Quid enim? si hodie Galia, Italia, Hispania & calidiores regiones id adeo ignorent ut ne fando quidem de eo quicquam inaudiviſſe videantur, saltem ex Practicis eorum nemo, ut nobis conspicitur, prælibaverit aut attigerit; quid de Antiquis existimabimus, qui eodem aut ferventiori cœlo usi sunt? Fateor quidem Hippocratem in calce Prognosticorum hæc de se prædicare: Non esse quod à quoquam nomen alicujus morbi desideretur, quod iis libris descriptum non sit: Quippe signa ibi tradita vere esse & in Lybia, & in Delo, & in Scythia, id est, regione calidissima, temperata, frigidissima. Ubi non tam Græciæ quam universi mundi praxim ob oculos posuisse videtur, & eum rerum usum assecutus, ut omnes humani corporis affectiones viderit atque indicarit. Quamquam tanto viro, quem semper veneratus sum, nihil derogatum velim, affirmare tamen id ausim, si tanta frequentia, tantoque periculo, ut nobis, ita antiquis Aphthæ unquam visæ fuissent, non tam oscitanter, negligenterque posteris eas exposuissent: Quippe qui minimos ac tutissimos quosque affectus ea cura, eaque ambitione prosecuti sint. Hac quoque causa nihil iis dignum à quopiam hactenus editum est; quod antiquos compilando ingentia volumina quisque malit condere, aut etiam mira sectari, quam endemia & patria vitia propria studio eruere. Sed de nomine eo minus litigandum est, quod majorem potissimum reverentia videtur receptum, ne quid usquam locorum aut gentium foret quod priscis illis patribus inobservatum videretur.

Aphthas igitur, ut Nobis occurrunt, hoc modo fusius & rudiùs describo: Pustulæ sunt albicantes summis ac internis oris & interdum vicinis respirationis ac deglutitionis partibus insidentes plerumque per lentam ac imperfectam crisin febribus supervenientes, borealibus his tractibus familiares. In tuberculorum & pustularum censum redigendas esse, non in ulcerum, fides oculorum evincit. Quid, quæso, istis cum ulcere; Non hic solutio continui, non imminuta, sed aucta magnitudo est. Pariter non exedendo escharam seu crustam tenellis partibus inducunt; sed vel maturæ frustulatim decidunt, vel interiora repetendo non manifestiora sui vestigia, quam si nunquam fuissent, in ore relinquunt. Eas quoque semper candescere, aut subalbicare & ad cineritium colorem vergere, imprimis si funestæ sunt, nihilo minus liquet. Ut rubræ & atræ pro humoris differentia speculantium potius figmenta sint quam usu inveniantur. Saltem dum meliora doceamur eas negamus. Non enim verisimile est, ut in rebus sibi adeo vicinis & cogantis fors tantum polleat, cùm albæ plus millies nobis oblatæ sint, ut rubratum, nigrarumve ne umbræ quidem unquam apparuerint. Superficiariæ hæ pustulæ candentibus apiculis orbiculatis utrimque ab uvula frequentissimè incipiunt & inde per devexiores sint, toto ore sparguntur: Linguam, gingivam atque ipsa labia, quà ori intus obtenduntur, occupant. Sæpe nec his limitibus subsistunt sed pomaria proferunt ad imas fauces, gulam, œsophagum & quæ his continua copiosiùs fero solent proluì. Hujus rei non levia nec pauca indicia sunt. Nam ut ea præteream quę à deglutiendi & spiritum ducendi difficultate petuntur, instar omnium documento est, Aphthas, quando jam maturuerunt & excernuntur, tanta copia aliquos dies & per os & per alvum nonnunquam rejici, ut aliquot pelves vel matulæ congestas eas vix capiant.

Non inficias eo tenacem & glutinosum mucum, qui individuus earum comes est, videri posse illas augere: tamen quocunque modo res expenditur, tantum Aphtharum semper relinquitur,

ut

ut nec os, nec quicquid eſt vicinarum partium tantum earum vim capiat. Ut non immerito videri poſſim ſtupore quodam in eam opinionem raptus, tantis Aphthis conſpectis ipſum ventriculum & tenuia inteſtina interiùs tota iis obſeſſa fuiſſe. Sed de hac re noſtratium practicorum judicium eſto: Diſſimulare mentem fas non erat.

De cauſis Aphtharum & quomodo generantur major difficultas eſt, & quia rei caput, hic paulo diutiùs & preſſiùs morandum. Ante omnia non temere quidem videor mihi perſuaſiſſe, hunc affectum, qui omni ætati & ſexui communis eſt, eodem ſemper modo oriri & à cauſis pendere, quæ magnitudine atque acrimonia, ſeu quis malit malignitate quidem, nunquam autem natura diſſideant. Ut audiendi non ſint qui alias in nuper natis & infantibus, alias in adultis ponunt. Quippe puellorum Aphthas à lacte nutricis ſeroſiori aut acriori, molles & teneras oris partes erodente ac exedente naſci, aut alia quadam cauſa externa oppido quàm ridiculum eſt. Omnis acrimonia ſeu aſſumptorum, ſeu catarrhi è capite in ſubjectum os delapſi, ſeu è ventriculo exhalans non excitabit, ſed ut adſtringentia, natas Aphthas abolebit. Si oculis & obſervationibus ſuis practici mallent credere, quàm præjudiciis quæ temerè ab antiquis hauſere, fateri cogerentur, nihil eſſe, quod generationem & Aphtharum maturationem plus remoretur quàm earum rerum uſum quas Aphtharum cauſas ſtatuunt. Quotidie videre eſt ſi ortis Apthis prolapſus ſeri in fauces aut alias interiores partes ſuperveniat, quàm ſtatim evaneſcant ac malo omine diſcedant. Sed non tam aliorum placita laceſſere quam propria firmare ab inſtituti ratione monemur.

Omnes, quotquot ſunt, Aphthas per criſin gigni, plerumque imperfectam & lentam; & unam ac ſolam cauſam agnoſcere empyreuma, quod vario fonte in vaſis natum à natura in dicta loca eliditur ex animi ſententia ut demonſtretur, omnem hinc operam dabimus. Id haud difficulter perſuadebitur, ſi illa notione & ratione Aphthæ ſpectentur, qua continuis & ardentibus febribus viridi conſtantique ætate ſuperveniunt: Ibi genium ſuum imprimis produnt: Ibi earum ortum & eruptionem ſymptomata perturbationis criticæ manifeſtiſſimè anteeunt, alias ſeviora, alias mitiora pro cauſæ antecedentis & materiæ in vaſis morbificæ copia ac malignitate, viriumque robore aut dejectione: Ibi ſubitam ad ſalutem aut mortem, in melius vel deterius mutationem fieri; & poſt naturæ morbique conflictum eas naſci longè evidentiſſimè conſpicitur. Vario namque ancipitique marte res peragitur, nunc antecedentis cauſæ empyreumate illo à natura probè ſubacto ac mitigato per eas criticè expulſo magna ægrorum euphoria & ſymphoria; nunc morbifica materia uberiore, contumaciore aut maligniore negotium naturæ exhibente, proſtratis viribus, ægrorum exitio cuncta tentantur, & vel nullæ Aphthæ prodeunt vel mox omnibus in pejus ruentibus, triumphante morbo, ſumma animi anguſtiæ conduntur atq; diſcedunt. Quam anadromen, quandocunq; aut quotieſcunq; tandem fit, niſi anagoge vel naturæ ſponte vel artis auxiliis ſequatur pro depoſitis & conclamatis ægri meritò habentur. Quæ, quæſo, evidentiora criſeos indicia? Aphtharum materia ab internis ad externas, à nobilibus ad partes ignobiliores truſa bonam ac ſalutarem conſtantibus viribus mutationem cauſatur; contra ſymptomatico motu ab externis & ignobilioribus ab interna & nobiliora aut in vaſa majora regurgitans, opprimendo, & tantum non exſtinguendo vitæ fontem perniciem affert.

Fateor equidem perfectas criſes, quæ ſtatis diebus morbos pleniſſimè ſolvunt, in his oris quàm rariſſimè occurrere, & criſium ſigna adeo confuſa & obſcura nobis offerri, ut fere fruſtra captentur: Nihilo tamen minùs imperfectas, quæ lentè & ſenſim exſtirpant quicquid in corpore malorum eſt, frequentiſſimè dari conſtat. Quibus non immerito Aphthæ accenſentur: Eſt enim affectus hic tardior & plerumque longiùs protrahitur, nec in dies tantum, ſed in ſeptimanas, nonnumquam menſes. Contigit utique fæ-

pi-

pissime, maximè si initio morbi universales vacuationes neglectæ fuerint, cùm eæ per Aphthas commodè post tentari nequeant, eam plethoram & cacochymiam in corpore exundare, quæ non nisi longo tempore per Aphthas, diaphoresin, sudores, urinam & lenia alvi ducta absumi possit. Nam venæ sectioni, quod palmarium ad deplenda vasa præsidium est, aut acriori, iteratæve purgationi nullum locum esse post ortas Aphthas, si ex dictis nondum patet, pleniùs & fusiùs in earum curatione urgebitur. Adeo ut omnis vasorum colluvies Aphthis potissimum exhaurienda sit. Adhæc antequam periodum legitimè absolverunt, & omne, miasma, Aphthis eliminandum sublatum est, variis de causis stationem deferunt & interna repetunt. Hoc casu maximam partem aut in solidum quà per excretionem, quà per anadromen evanescunt, adeo ut interius os quod pridie aut aliquot ante horis undique iis obtectum erat, postridie vel paulo post omnibus liberum & vacuum sit, ægri expeditius deglutiendi & spirandi munia obeant, sibique restituri videantur. Sed qui debellatus apparet hostis, in insidiis latet, hoc plus metuendus, quò à vitalibus propriùs absit. Quodcunque istius miasmatis in vasa tunc rediit, (ut ex recrudescente febri, cordis oppressione, citato interdum alvi profluvio aliisque facile colligitur), novam ibi materiam, quam ubi obnoxiam faciat, invenit; & fermenti vice in suas partes rapit quicquid sequi promptum paratumque est. Cum quo prælia instaurat, quibus si non satisfacat & concidat, tamen plurimum quantum natura delassatur, & non nisi commodis alimentorum & medicamentorum adminiculis suffulta, denuo se exonerat, novasque Aphthas gignit. Quæ non aliter fere quàm si nullæ unquam fuissent, suum spacium requirunt, quo maturentur & excernantur. Neque id semel, sed interdum sexies, septiesve aut sæpius contingit, ut expulsa Aphtharum causa, vitæ arcem infestis signis petat. Ex quibus videtur esse perspicuum, omnes Aphthas per modum criseos nasci, quæ ex ancipiti & diuturna naturæ & morbi lucta moras trahat, longiores, breviores, ut alteruter fortior pluribus aut paucioribus præliis bellum illud confecerit. Nunc de antecedente & continente Aphtharum causis dicendum est. Antecedentem non ejusdem indolis & moris esse, vel id unum argumento est, quod tanta illius moderatio & benignitas aliquando sit, ut quamvis copia fatiget, edomita tamen & mitigata nihil negotii cordi faceſſat: Alias tam feralirabie grassetur & infestet, ut quascunque partes tetigerit, extrema iis minetur: Si cordi incubuerit, ejus calorem, motum, & quicquid ex eo in universum corpus virium diffunditur, tantum non suffocet: Si in infimum ventrem præceps feratur, symptomatum phalangem invehat, inter ea pernicioſissimam diarrhœam, qua corpori vix succus & viribus fomes relinquitur: Pari modo si mentis sedem invaserit, deliria, vigilias, jactationes, furores, aliaque sævissima infligat, adeo ut hæc tanto imperio, quanto illa obsequio se gerat. Neque aliunde ferme illa empyreumatis diversitas petenda est, quàm à materiæ morbificæ coctione aut cruditate. Per pepasmum enim & coctionem, quæ excessu qualitatis infecta sunt, ad tēperiei mediocritatem rediguntur; & quæ orgasmo huc illuc palabunda vagantur, in ordinem redeunt; quæque substantiæ modo quodam omnis coctionis expertia sunt, ab utilibus separata convenientibus viis excluduntur: ut quocunque modo ferociam ponant, quæ a naturæ finibus longiùs recesserunt. Et ut hic quorundam, juniorum imprimis, qui postquam cum sapientia veterum divortium fecere, ipsis quoque artis vocabulis nuncium misere, palato inserviatur, non intelligimus coctionem illam cæco modo fieri ab nescio qua natura partibusve solidis; sed cùm sit fermentatio, mistorum concursu, virtute & efficacia absolvi. Facilè enim concipimus plurima heterogenea inter se commissa se infringere, atterere, & luctando omnem asperitatem & feritatem amittere. Novum etiam è corde spiritum accessum semper humores non modo ciere, stimulare & miscere, sed & quadam veluti Majestate omnia moderari.

Quam-

Quamvis difficile ſit omnes continenter meatus & ductus prodere, quibus animalis ſpiritus ad cor & deinceps in ſanguinem redeat; tamen de re ipſa dubitandum non eſſe, ſatis arguit & ſtructura cordis & ejus nunquam intermiſſa atque indefeſſa munia. Ex muſculis miro opificio totum contextum non niſi animali ſpiritu inflatur atque agitatur. Deinde ſingulis pulſibus is ignis in corde accenditur, qui non aliter in offœto ſanguine oriri poſſe videtur, quàm accenſione & inflammatione acerrimi cujuſdam agentis: quòd qui aliud ab animali ſpiritu cómminiſcitur, næ ille argutando meras nugas agit. Conſentaneum etiam naturæ legibus eſt, ut quæ cordis anfractus ſemel tranſiere, ſi ſibi conſultum velint, identidem officinam illam repetant, quæ a morticino languore vindicentur. Hic animalis ſpiritus in orbem ad cor regreſſus & ſanguini poſtliminio redditus ut rei naturalis pepſeos & coctionis autor eſt, ita pepaſmum & coctionem rerum alienarum, quæque præter naturam ſunt, primariò obit. Ut tanquam naturæ miniſtret atque emiſſarius eam omnibus formam indat, quæ vel vitæ ſuſtentandæ ſint, vel excretioni facilitandæ. Hinc quæ ante ſeptimum morbi diem Aphthæ ſuboriuntur, multo moleſtiores & lethaliores ſunt iis, quæ à ſeptimo vel nono die proveniunt; Quod earum materia mitior & mollior tractu temporis evaſerit, minuſque jam viribus fractis gravis ſit, quàm contumacior viribus integris.

Sed quia hactenus aphthas ut continuatum febrium comites vel pediſſequas expendimus, antequam antecedens earum cauſa dimittitur, videndum eſt an ea ſemper in febrili miaſmate conſiſtat. Memini plurimis adfuiſſe me qui in ſumma apurexia aphthis tenerentur; quique præſenſiſſe nullam febrim, ab omnique graviori malo ſe immunes fuiſſe aſſeverarent. Poſſe etiam aphthas per ſe oriri nulla præcedente vel comitante febri haud difficulter inducor, cùm quævis labes à natura victa & eo loci criticè expulſa earum materia eſſe poſſit. In infantibus certè & nuper editis talis acrimonia ac malignitas, præeunteſque febres non ſemper obſervantur, Omnis earum cauſa & origo in illis videtur deberi materno ſanguini & polydædalæ iſti impuritati quam in utero contraxere, quæ levi ſæpe ebullitione per ſudorem & aphthas fugatur. Inquinamentum tamen febrile, majoribus vaſis concentum, ſua naturæque propenſione ad Apthas tendens, plerumque earum antecedens materia & cauſa eſt. Quæ ut continens fiat & ad dicta loca feratur nunc videndum eſt.

Docet uſus, vacuationes, quamvis morbis ſint pares, tamen eos non ſolvere, quin etiam magis irritare, ſi eorum cauſa per loca non ſibi commoda viam affectet. Ita in variolis, & morbillis, ut & Aphthis ſtimulata alvus quantum ſæpe noceat experimur. Unde ad ſalutarem excretionem non modo requiritur naturæ inclinatio & robur, quibus à moleſtis & alienis rebus liberetur; ſed vel imprimis ut peculiari humorum morbificorum ingenio ac mortui ii meatus & viæ pateant, per quas inoffenſo curſu ferantur. Hinc in imperfecta criſi, qua omne malum non una ſubita mutatione, ſed pluribus judicationibus abſumitur, optimè monet Hippocrates: quæ ducenda ſunt, eò ducenda, quò maximè natura vergit per loca convenientia. Neque hæc Aphtharum continens cauſa per arterias proximè in eos, eique vicinas partes videtur egri, ſed potius per vaſa, adulto hoc ſæculo detecta, quæ limpham vehunt, & ab inventoribus lymphatica appellata ſunt. Illa non tantum limpidiſſimam & puriſſimam ad oris, vocaleſque partes irrigandam aquam manant; ſed & ſæpe vitia, quæ induerunt, in eadem loca deponunt. Quid enim obſtet quominus ſincerus hic humor ex vaſis majoribus admittat & tranſferat quædam miaſmata & ſanguinis vitia, cùm tenuitate & fluiditate aptiſſimum vehiculum ſit? De hoc tamen cum nemine contenderim, quia ad felicem Aphtharum curationem exiguum momentum ac pondus videtur conferre.

Id extra omnem aleam eſt, plurimum ſeri Aphthas comitari & ore, totoque capite exuperare, Videre licet ſub earum exor-

exortum, ægros flammante febri aliquando non ſolum in ſomnum pronos, ſed profundo etiam ſopore inquietari, vellicari, & turbulentiùs evigilare. Quæ ſimul arguunt feri in capite plethoram & acrimoniam empyreumatis ſero junctam, menti, ſenſibuſque vel ſepultis gravem.

Poſtquam internas Aphtharum cauſas, modumque generationis rudi minerva delineavimus, quo fato ſeptentrionalem plagam potiſſimum oppugnent, quod in deſcriptione poſtremum erat, quærendum videtur.

Dari morbos endemios, qui certis quibuſdam locis & populis peculiariter adhærent, nec aliis regionibus temere conſpiciuntur, ab omni ævo obſervatum eſt. *Lucretius* libro VI.

Eſt elephas morbus qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media neque præterea uſquam.

Atthide tentantur greſſus, oculique in Achæis finibus: Inde aliis alius locus eſt inimicus partibus ac membris, varius concinnat id aer. Alpium accolæ quàm obnoxii ſint ſtrumis, bronchocelis, & ſteatomatis; & Sarmatæ ac Poloni illi plicæ qua capilli veluti glutine inviſcantur ac complicantur, notum eſt. Sed omiſſum inſtar eos arguit Scorbutus noſter qui haſce oras perpetua Tyrannide occupat, & hic veluti ſepem regni conſtituit. Aphthas autem noſtrates ex eorum cenſu eſſe facilè mihi conſentiet, qui omnia retro ſæcula, & qua diverſos à noſtro orbis porrigitur, animo relegerit. Priſci artis noſtræ Patres in hoc affectu ſilentio pluſquam ſacro uſi fuere; & qui deinceps inſecuti ſunt, quique hodie calidioribus terris humanæ ſaluti conſulunt, nuſquam earum meminere.

Solo, ut ſupra dictum eſt, nomine nobiſcum conveniunt, qui, ſi utrarumque natura ſpectetur, maximo intervallo diſſident. Si rem ſuis momentis perpenderimus, non utique magno labore cauſas explorabimus: nam qui in his oris humor naturæ vi in Aphthas propendet, eaſque gignit, ferventiore tractu eum ſudor omnem exhauri. Quippe aer ſubtilior, corporum habitus rarior, humores tenuiores & fluidiores, omnia denique ad diaphoreſin & ſudorem comparata ſunt; contra apud nos frigidius & humidius cœlum, victus crudior, habitus corporum denſior & humores craſſiores, reliquaque omnia totidem fere ſudoris remotæ ſunt. Nec levia aut pauca indicia ſunt, quæ probent, noſtratium Aphtharum materiam æſtuante plaga critico ſudore diſſipari. Nam hic copioſior ſudor & uberiores urinæ Aphthas imprimis tutiores, levioreſque efficiunt: quæ vacuationes ſi quo modo prepediantur aut ſubſiſtant, maxima Aptharum vis etiam à valido, ſed oppreſſo corde emergit ac continuo ſuccreſcit. Materia enim aphthodes ſero potiſſimum miſcetur & ob id commodiſſime vacuatur per vias quibus ſerum & lympha defœcatur. Ad hæc nihil in aphthis funeſtius eſt illis excretionibus quæ revulſionis lege ſudorem remorantur: ut ſi alvus, uterus, hæmorrhoides, aliæve partes ſponte vel temere irritatæ præſentibus aphthis magnam eorum, quæ conſuevere, copiam profundant.

Adeo ut noſtrates aphthæ ſuboriantur lenta criſi, quæque hic æmuletur eam, quæ in naturis, locis, aere, victu calidioribus ſudore aut urina peragatur. Eſt quoquam prodire tenus ſi non dàtur ultra.

Nec omnibus quidem borealibus tractibus ex æquo frequentes ac graves ſunt: Singulæ ferè urbes aliter eas experiuntur. Zelandia noſtra adeo iis expoſita eſt, ut ſeneſcente autumno aut ineunte hyeme decimæ quæque & ultra ex continuis febribus per eas terminentur. Horum omnium endemiorum malorum cauſas ſi ex Phyſicis inſtituti noſtri ratio pateretur transferre, non aliam nunc animo lubentius amplecterer, quam in mundi hujus incunabulis omnia ex iis ſimpliciſſimis rerum ſeminibus (quæ innumerabilia ſunt) coaluiſſe atque etiam dum conſtare, quæ firmam & ſtabilem, nullaque creata vi domabilem naturam ſortita, multifariam quidem inter ſe committuntur, dividunturque, neutiquam verò primum ſubſtantiæ modum exuunt vel mutant. Quæ primordia ut terram

no-

noſtram componunt & pro naturæ ſuæ indole omnia afficiunt, ſingulis hujus regiones & plagas iis omnibus referciunt, quę nobis vel amica vel inimica, ſalutaria vel noxia ſunt. Nec ſubterraneis modo mineralibus alia aliis loca ingravidantur, atque impręgnantur; ſed ſumma hinc terra quæ inquinamenta induit, illis aquas, aerem, fruges, fructus, omnemque hominis nutricatum ſpargit: adeo ut inter ſacra menſæ, dum genio litatur, cum gulæ illecebris ea admittantur, quæ cuniculos in vitam ſenſim agant, eamque, mox demoliantur.

Has leges, æternaque fœdera certis impoſuit natura locis.

Ut Medicina, naturę ſimilia, ex combinatione ſimplicium alia atq; alia in uſum hominum medicamina præparat ita ex fæcundiſſima naturæ penu quædam ad ſalutem & noſtri conſervationem nobis ſuppetunt, nonnullæ in perniciem ſimul obrepunt; quod aliena & heterogenea labem ſuam ubique relinquant: adeo ut ex iis fontibus domeſtici & vernaculi morbi emergant, quibus vita ſuſtentatur & conſervatur.

Ventorum quoque ac cœli, ſoliſque clementia vel ferocia, locorumque ſitus ſua huc pondera conferunt. Cyclades Zelandiæ noſtræ, mediis aquis innarantes, cùm non niſi vada ſint congeſto aggere cincta & ambienti pelago vix caput extollentia, cùmque Neptuniam hanc prolem ventorum furori obiiciant, quid mirum eum hic cœli hauſtum eſſe, qui præter uliginoſi ſoli ſalſedinem, eorum affectuum parens ſit, de quibus aliæ gentes ne fando quidem inaudiverint? Sed longius digreſſi in viam redeamus. Dum procatarcticas & externas cauſas noſtratibus aphthis eas aſſigno quas in genere omnium endemiorum morborum ſcaturigines agnoſco, non eadem mea ac illorum mens eſt qui veterum aphthas tradidere; Illi enim, dum ea externa aſſumuntur, vel alio quovis modo internas oris partes feriunt, acri eroſione, aliaque infeſta qualitate proximè volunt parere ea ulcera, quæ ipſis aphthæ vocantur; ſecus autem: vitia ea ut foris ingruunt, ita aphthas nunquam edunt, niſi prius univerſum ſanguinem affecerint idque negotii ſolidis partibus creaverint, ut continuæ febres inde plerunque ſuccreſcant, quæ peculiari naturæ, humorumque motu in aphthas deſinunt. Sed ad ſigna earum tranſimus. Diagnoſtica, quæ præſentes eas indicant, cùm oculis obvia ſint, & dijudicari vel à mulierculis poſſint, minus anxiam & ſollicitam operam poſtulant. Ea verò diagnoſis, aphthas imminentes & mox erupturas ex artis legibus ſpeculatur, difficilior eſt, & incerta augueandi fide fere nititur. Utcunque ſe habet, præſtrinxiſſe eam, utique fraudi non erit, Inſtare aphthas docent primò ſpirandi & deglutiendi labores; æſtuſque pectoris reciprocantis inordinatior atque immoderatior: vox minus diſtincta ac clara, lingua etiam, omniſque interni oris compages ab indomita ſiccitate exaſperatur; Somnus nunc turbulentus, nunc profundus, ſed à quo non magno adeo opere ægri levantur. Quæ ab urinis in hunc finem indicia petuntur, adeo incerta ſunt, ut recenſeri non mereantur. Mitiſſimæ tamen aphthæ poſt coctionis ſigna, quæ nobis urinæ exhibent, apparent.

Nec contemnendo etiam argumento colligitur aphthas in procinctu ſtare, ſi ægri mala ab iis vacuationibus, quæ alias omnibus minuendis aut tollendis pares erant, adeo nihil remittant, ut magis magiſque in dies ingraveſcant. In continentibus febribus, vel tertianis putridis ſi alvus naturæ ſponte vel artis auxiliis proritata magnam vim bilis, ejuſque ſaburræ, quæ præcordia occupare ſolet, excluſerit, ſi vomitu, urinis aliiſve vacuationibus undique ægri rebus proſpectum fuerit, & ea tamen vel adeſt vel inſequitur vitalium anguſtia, præcordiorum oppreſſio, ac refugiente animo virium præcipitatio cum inquietudine, aliaque terrificorum ſymptomatum phalange, ut ægri depoſiti videantur; in his reipublicæ humanæ ſeditionibus ac tumultibus non temere apht-

has impendere ſuſpicabitur, quiſquis uſu cognoverit, unius noctis ſpatio hæc omnia componi, ſi ſolutis repagulis, victiſque obicibus naturæ vigore aphthæ proruperint. Quin illud, cum quo collato pede natura congreditur, facile concludet ejus ingenii eſſe, ut non per regiam viam, ſed faucium anguſtias ſalutarem fugam capeſſat; quo omnia etiam conſilia ac operam intendet, iis adminiculis, quæ inferius tradentur, in dicta loca hoſtem eliciat. Ex his ſignis, utcunque veriſimilibus nemo niſi limitando futuras aphthas prædixerit: cùm inter hæc nihil aphthodes ſæpe lateat ac metuendum ſit; & nonnunquam pauciſſimis horum præmiſſis magna copia derepente proſiliant. Qui vulgi auram aut etiam vaniſſimæ gloriolæ choragium ex hujuſmodi præſagiis captant, & ſe, & artem ſæpius deridendam exponunt. Ut aphthæ propinquæ Medicos identidem fallunt, ita præſentes non meliori fide agunt, ſi ex illis ſalutem vel mortem hariolari velimus. Imprimis enim, earum prognoſin attingam, incentum & anceps illud malum eſt. Sæpe cùm maximam ſui ſpem ægris ac Medicis fecit, præter omnem exſpectationem ad exitium tendit. Cum ratione tamen prognoſtica quædam pro earum differentia inſtituuntur. Cum aliæ, ſint infantium, adultorum aliæ, ſuæ etiam decrepitorum: nunc exhauſtis viribus, alias integris aut leviter labefactis ſuperveniant; Interdum mitificata & cocta morbi materia, aliquando cruda & effera oriantur: nonnunquam aliquot ſolum puſtulis ab utraque uvulæ regione ſummum duntaxat palatum ſpargant, rurſus non tantum univerſo ori interno, ſed etiam interioribus partibus inſideant; in tanto diſcrimine liquere arbitror, longe mitiores, tutioreſque eſſe quæ conſtantibus viribus, adulta ætate, poſt conflictum naturæ & morbi cum ſignis concoctionis à ſeptimo vel nono morbi die, non ita magna copia, pacatis pleriſque ſymptomatibus, & imprimis ceſſante aut multum remittente febre emergunt. Semper graves & tremendæ ſunt provectiori ſenectæ, ut & effetis viribus. Intutæ etiam ſunt, quæ aliquoties evaneſcendo repetitis ictibus & inſultibus naturæ negotium faceſſunt, non niſi ſumma ægri diligentia ac Medici cura, ope plerumque medicamentorum laborioſius revocantur. Qua indole maximam partem illæ ſunt, quæ ante ſubactam morbi materiam proveniunt. Nam ut omnis androme materiæ pacatæ ac coctæ vel per ſe anagogen ſalutarem habet, ita crudæ & ferocientis, vel nullam vel difficilem. Malum etiam ſi mulieri ſeu ſtati, ſeu intempeſtivi menſes profluxerint: revulſionis enim lege ab ea ſede, qua ſola cum ſalute ægri matureſcere poterant, in diverſam & alienam corporis regionem miaſma aphthodes trahunt. Sæpiſſime vidi etiam in vegeta ætate cùm ab aphthis nihil aut periculi perparum imminere videretur, à ſola menſium eruptione omnia in pejus ruere ac retro ſublapſa referri. Eadem ratione alvus ſæpius & copioſius egeſta, atque etiam hæmorrhoides hic nocent. Quamcunque corporis regionem aphtharum fomes invaſerit, præter eas, quas naturæ ductu atque auſpiciis ſibi vindicavit, ibi debacchari & extrema minari ſolet. Catarrhus quoque ſi aphtharum tempore in fauces vel vicinas interiores partes procubuerit, non modo aphthæ dilabuntur, ſed niſi vires validæ fuerint, exitialiter latere conſueverunt.

Graviores & periculoſiores illæ ſunt, quæ nullis inter initia morbi vacuationibus adminiſtratis, ab impuris, pleniſque vaſis effunduntur. Quod hic & alibi contingit quam frequentiſſime: Nam quamdiu vis morbi patitur, ſumptibus parcunt & in ipſo demum ſtatu ad Medici operam plerumque confugiunt, quo non modo omnia intentata ſunt, ſed attritæ vires & in aphthas natura propendens, vix quicquam dignum & par morbo tentari ſinunt. Cæterum cùm affectus hic ſæpe diuturnus & vario fato formidabilis omni ætati ac ſexui ſit, magno

ſola-

ſolatio & virium adminiculo appetitus, qui fere ſemper languet, nonnunquam exacuitur. Hoc beneficio, quamvis malum protrahatur, ægri perferendo ſunt, cum à novo commodi alimenti ſucco plus naturæ, quo ſulciatus, accedat, quam mora rerum, quæ præter naturam ſunt, ei auferat. Quod cùmprimis videre eſt, cùm

Placidus feſſum, leniſque foves,
Tuque ò domitor, ſomne, malorum,
Pars humanæ melior vitæ.

Sed ad curationem velis remiſque properamus. Ea in hiſce potiſſimum duobus conſiſtit: Aphthæ in ore conſpicuę, lenientibus ſtomachis maturandæ ſunt, & vaſorum reſiduus ille æſtus febrilis, qui quam rariſſime per aphthas univerſus ſimul & ſemel criticè expellitur, temperandus, omnibuſque modis minuendus atque abſumendus eſt. Prius autem quam hæc perſequar, quærere lubet quid ſtatuendum ſit de venæ ſectione & purgatione, communiſſimis atque efficaciſſimis ad deplenda, mundandaque vaſa, auxiliis. Quod ſanguinis eductionem, poſtquam aphthæ prodierunt, attinet, ſcio eam variis locis à quibuſdam temere adminiſtrari, nulla aphtharum ratione habita, modo ſuppreſſa aliqua vacuatio, aut plena, turgentiaque vaſa eum detrahendum, vel ebulliens effervescentia refrigerandum ſuadeant. Sed cùm ea per aphthas naturæ ſtudio ac motui adverſetur, cùmque victum, fugatumque hoſtem in penetralia reducat, & ea ſubſidia, queis bellum hoc natura feliciter conficere ſolet, ſubducat, ægroſque ab ea fœde mactari ſæpiſſimè viſum ſit, nullum locum conſpectis aphthis ſanguinis miſſioni relinquimus, niſi forte alius quis affectus, qui magis urgeat, iiſdem conjungatur. Vidimus in virgine viginti trium annorum, cui inordinati ac parciores menſes erant, vera pleuritide aphthas comitatas. Cum ſiniſtri lateris acerrimus ac pungens dolor, dyſpnœa, tuſſis, ardentiſſima febris, aliaque mala præſens remedium expoſcerentur, non dubitavi ſatis larga copia ſanguinem educere; & cum nec hoc auxilio, nec juleporum ac topicorum convenientium uſu ulla ſanguinolenta vel purulenta ſputa prodirent, nec quicquam eorum, quę jugulare ægram videbantur, vel hilum remitteret, medicamentum, quod placando dolori ac ſudori ſtuderet, exhibui: à quo (mirum viſu auditu que) quæ ſiniſtro lateri ac pleuræ impacta morbi materia fuerat, nigerrima ac fœtidiſſima per alvum omnis excernebatur & evaneſcentibus funeſtis illis ſymptomatis ſola animi deliquia ab ea diarrhœa orta cum aphthis perſevarevere, quæ in vigente ætate victu ac medicamentis roborantibus edomita priſtinæ ſaluti egram reſtituere. Eandem venæ-ſectionem memini in nauta meo juſſu factam, quem poſt aphthas phrenitis, aliaque horrenda mala tenebant, eaque adeo levatus fuit ut vel uni huic ſalutem ſuam debuerit. Hæc tamen non incautè tentanda ac æmulanda ſunt, & (ut dixi) niſi alia aphthis graviora omnem Medici curam atque operam in ſe convertant: plura enim & majora ab ancipiti hoc præſidio metuenda quam ſperanda ſunt. Omnem igitur ptæſentibus aphthis inciſionem venæ huc uſque damnamus atque proſcribimus, quamvis ex ægri rebus ante earum exortum non modo obiri poſſe ſed quam ſæpiſſime debere contendamus.

Nihil enim aphthas tam lenes ac tutas præſtat quàm ſi ſuo tempore univerſales vacuationes præceſſerint, naturamque ſub impuro onere ingemiſcentem aliquo faſce levaverint. Eædem rationes, que venæ ſectionem efflorescentibus aphthis diſſuadent, etiam contra purgationem eam militant, quæ cacochymiæ propria atque accommodata ab univerſo corpore & ulterioribus viis noxios quoſque humores trahit. Ea hic funeſtiſſima eſt & intra paucas horas hypercatharſi finem vitæ plerumque facit. Alia eſt purgatio improprie dicta, quæ craſſiorum inteſtinorum aut etiam, primæ regionis feces ſubducit, & non niſi conſecutione quadam ulterius extenditur, quæque non tam epoto quam injecto medicamento obitur. Ea præclaram

per aphthas operam sæpè præstat; & intestina eluendo, alvumque remorantem prolectando non tantum infimi ventris vitia mitigat aut compescit, sed etiam ab oppressione per eam vindicata natura alias evacuationes, per urinas, sudores, atque ipsas aphthas felicius molitur. Tamen & hic circumspectione opus est, ned nih tertium jam diem aut etiam ultra segnescente alvo commodè tentatur. Lenientes ac emollientes clysteres, si facultates ægri id præsidii genus patiantur, præ aliis omnibus probantur; sin minus, glandes. Quæ ore assumuntur medicamenta alviduca, vel alimentosa sunt, & hebetiora ac ignaviora fere frustra ad duriores feces accedunt, vel validiora subsidentem quidem alvum agitant, verum diarrhœæ metum injiciunt. Si quando intempestivo ac præpostero purgantium usus aut sua ipsius sponte conversо motu peccans humor in ventrem illabatur, dissipatis atque evanescentibus aphthis accensa febri, deliquia, singultus atque exitialis illa hypercatharsis invehuntur. Nec ea componuntur nisi omni ope præceps alvus sistatur & aphthæ postliminio redeant. Quæ omnia, ut felicissimè & ex ægri ac Medici votò res cadat, imminutis tamen viribus & temporis dispendio fiunt. Caveat igitur junior Medicas, sibique ac ægro temperet, ne hunc hostem exhibitis temere cathartics lacessat: nam galeatum fero duelli pœnitet. Quod quidam, imprimis pueruli, negligentius ac vilius habiti, totos quandoque dies ac noctes in aphthis summa animi alacritate ac vigore dejiciant (quod & in variolis aliquoties vidi) ea non tam exempla quàm monstra sunt. Postquam ex usu quotidiano prodidimus, quomodo utrumque illud potentissimum ac frequentissimum alexicacum venæsectio ac purgatio, in aphthis moderandum ad reliqua progredimur. Aphthæ, ut supra dictum est, vel cruda atque etiamnum turgente morbi materia, durantibus ebullitione & sanguinis in majoribus vasis effervescentia, febre, aliisque cognatis malis ante aut post septimum morbi diem oriuntur; vel à septimo die, subjugata ac probe concocta omni malorum materia, dilectione utilium tacta, à robusta natura in locis convenientibus gignuntur. In his præter commodam diætam & pauca quædam stomatica nullus usus medicamentorum est. Qui enim victricem & triumphantem naturam, erectis in ore tam illustribus tropæis, rebus his ingratis non aliter quàm si medio adhuc campo hoste committeretur aut in acie staret, interpellare ac turbare juvet? Optimum hic remedium est nullo uti remedio. Quamvis non ita frequenter, tamen fieri videmus, ut cum aphtharum ortu reliqua mala, quæ Medici curam sollicitant, obliterentur atque aboleantur, & omnis in solo ore ac faucibus labor consistat. Hoc in casu quibus os & ori vicina colluenda sint, quibus gargarizandum, quæ stomatica subsidia appellantur, quia in eo cardo rei vertitur, diligentius est limitandum. Utuntur hodie Practici, iique haud obscuri nominis, refrigerantibus atque adstringentibus, seu actu, seu (uti vocant) potestate talia fuerint. Sed quo fato ipsi viderint. Hoc constat, quantum ori ac faucibus per frigida illa spacii ac laxitatis, tantum cordi & vitalibus angustiæ, anxietatisque parari. Tantum possunt præjudicia, ubi animos semel invasere: nec cœcitatem modo inducunt, sed & videndi desiderium adimunt. Priscorum aphthæ, cum erodentia ac serpentia ulcera fuerint, refrigerantium ac hujusmodi adstringentium opem postulaverunt; sed alia longè nostratium ratio est, quæ quo magis proliciuntur, hoc mitiores sunt, & tum demùm ferociam suam in graves tumultus acuunt, cum exitu prohibentur. Male utique juvandi artem profitetur, qui cum natura, quam tuendam suscepit, digladiatur, & ab externis ad interna malum traducit, ablatum rarus quicquid extra sensuum ambitum est. Alterutrum repellando fieri necesse, vel ut ardor aphthodes, præpeditus, in-

staura-

ſtauratis prælitis, à valida natura ægrè vincatur, vel debilem obruat. Iis igitur, quibus os colluitur, aphthæ non fugandæ, ſed provocandæ ſunt. Quæ non alia ſunt quàm lenientia, maturantia, dulcia, pectori amica, omnia forma liquida & actu tepida. Plebs noſtra uſu & Medicorum præceptis edocta, poſthabitis omnibus operoſioribus & ſumptuoſioribus medicamentis tutiſſimè utitur, vel ſolo raporum juſculo ſaccharo edulcorato, vel ſi tempeſtas anni id negat ſola cereviſia tenui ſaccharata. Quę duo ubi intepuerunt, omnes oris partes alluendo, & in imas fauces deſcendendo, non modo aphtharum acrimoniam, ſi quę ſit, placant; ſed omnem etiam qualitatis exceſſum mitigant, atque hoc pacto maturationem perficiunt. Quanquam illa hoc magis probanda ſunt, quod nobis familiaria, alienam ac ingratam medicaminis vim non recipiant; tamen in eum finem plurima alia præſcribi poſſunt. Ut rei medicæ ignaris gratificemur, formulam gargariſmatis, quod domeſticum & quovis tempore omnibus parabile eſt, adjungam. ℞. hordei mundati ℥j. paſſularum exacinatarum ℥ij. ficus nu. iij. liquiritiæ raſæ ℥ij. Coque ex aq. communi ad ℔ij. In colatura ſolve ſyr. jujubini ℥ij. Miſce. Si procul à urbibus ruri degitur, loco illius ſyrupi, vulgari ſaccharo colatura dulceſcat, & palato concilietur. Hujuſmodi collutione oris identidem utendum eſt ut obſeſſæ atque aridæ fauces id jubent. His ſubjungunt multi varios linctus, quorum, quamvis nullos niſi refrigerantes ac repellentes improbem, tamen quia omnes ſyrupi ventriculi tenorem ſolvunt & flacciditatem ei inducunt, ad hæc plurimo muco conſtipant, nauſeamque & cibi faſtidia augeant, omitti ſalvis ægri rebus poſſunt. Si quis tamen eos concupiſcat ex omnibus jujubinus, tuſſilaginis, capillorum veneris, de liquiritia optimè eliguntur. Ea cautione ut inter initia exortus aphtharum temperati, in progreſſu & fine calidiores præferantur. Jam denique diſpiciendum eſt quomodo in imperfecta ac lenta criſi, quæ frequentiſſima eſt, aphthæ regendę ſint. Si omnis vaſorum majorum æſtus non cum aphthis deferbuerit, ſed turgeſcendo pro ſuo, partiumque quas occupavit ingenio tumultuetur, cautè tractandus eſt, ne feræ ſevientis more ſtragem edat. Nec ad hoc magna vi ſemper opus eſt! blădiendo & palpando ferociſſima quæq; manſueſcunt: peragit tranquilla poteſtas quod violenta nequit. Sępe commoda victus ratio palmam hic præripit ei medendi modo, quo plurimis & variis medicamentorum formis ægri delaſſantur, In victu conveniunt omnia corroborantia & quæ citra offenſam pectoris refrigerando humorum fervorem temperant, nec non urinam & ſudorem cient. Ille puerperarum potus ex vino Rhenano ovis, cinnamomo, ſaccharo & croco confectus ſępe omnibus intentionibus ſolus ſatisfacit, & niſi calidior ſitim, ſiccitatamque adaugeret, omnium, quæ promovendis aphthis ſunt, magnum inſtar foret. Nunc gallinarum, carnis vitulinæ, aut vervecinæ, niſi alvus laxior ſit, jus pauco croco aut cornu cervino pręparato conditum optimè naturam adverſùs hoſtem inſtruit. Si res tenuiores hos ſumptus non ferant, ova ſorbilia cum croco aut dicto cornu cervi præparato ſumpta idem fere præſtant. Lac etiam vaccinum cum hordei farina in pultem actum ad conciliandum ſomnum in nocte in ſumitur. Placentam apud nos ex lacte, ſaccharo & ovis in formam paulo ſolidiorem lento igne coquunt. Cui aliquem etiam hic locum damus, ſi fauces liberiores ſint deglutiendo. Hoc fere modo poſſunt plurima pro cujuſque genio ex victu quotidiano proponi. Sed fugienda ſemper in hoc affectu acida. Quæ licet putredini potentiſſime adverſentur, & languentem ventriculum ſtimulent, pleriſque etiam gratiora ſint, quia tamen pectoris ingratiis invitiſque pulmonibus uſurpantur ne tuſſim aphthis infeſtiſſimam pariant, releganda ſunt. Pro potu, quibus res anguſta domi eſt, utuntur ſuo raporum juſculo aut cereviſia dulcoratis, ditioribus varii julepi præſcribuntur, ne eo compendio ſanitas vileſcat. In rudiorum gratiam hæc formula ſit. ℞. hordei perlat. ℥vj. fol. & flor. borrag bugloſſ. an. m. iß. cinnamom ℥j. liquiritiæ ℥iß. Coque ex aq-

communi ad ℔iß. In colatura macerentur bihorium calidè conf. borrag. violar. an. ʒj facta per manicam Hippocratis colatura & additis sp. sulphur. gutt. xxv. f. potus clarus. Si verò majori humorum ebullitioni & sævioribus symptomatis hæc hactenus præscripta imparia fuerint, ad medicamenta generosiora ac potentiora confugiendum est. In contumacioribus vigiliis emulsiones ex seminibus frigidis, leniora etiam narcotica, si virium robur adsit, conveniunt. Variæ etiam potiones adversus febrilem æstum componuntur ex lapide bezoardico, cornu cervino salibus cardui benedicti, absinthii, oculis cancri, tartaro vitriolato cum syrupis violar. papaver. rhæados & stillatitiis, aquis calendul. cardui bened. quæ hic celebratur gelatina cornu cervi, ex re & summo usu est. Si verò hisce cardiacis & febrifugis indurata alvus constipetur, tertio quoque die (uti dictum) clystere vel glande sollicitanda est. Id enim in omnibus morbis, imprimis acutioribus contingit ut licet crassæ & indomitæ ciborum reliquiæ in intestinis nullæ colligantur, quia nihil aut parum earum rerum assumitur, tamen à majoribus vasis semper quædam in alvum deponuntur, quæ alendo corpori inidonea sunt & ob crassitiem per alias vias excerni nequeunt. Ne igitur hæc in imo ventre cumulata, longiori mora hypochondriis, naturæque molesta sint, tempestivè provocanda sunt. Hac sola cautione ne inquinamentum aphthodes introrsum deorsumque proriretur.

Si autem sponte vel præposiero assumptorum aut injectorum usu ad intestina ruat, & ea acri morsu vellicando ad pestiferam diarrhœam instiget, hoc casu non clysterum blandimentis acrimonia intestinorum eluenda est, ut aliàs in dejectionibus biliosis & fervidis frugiferè fit; sed una eademque opera effrænis alvus cohibenda, & perversus humorum motus corrigendus est. Cui inservit enumerata paulo ante simplicia, sudorem simul elicientia & alvum compescentia, si in potionem hujusmodi formentur. ℞. magister. coralliorum, cornu cervi præparati an. ℈j. theriac. ℈ß. croci gr. vij. syr. papaver. alb. si ætas & vires ægri sinunt, ʒß. aq. cardui bened. q. s. Misce, f. brevis potio, pro ætate adulta. Vel talis. ℞. decocti card. bened. aut scord. aut meliss. flor. calendul. cinnamom. omnium q. f. ʒiij. adde salis card. bened. oculor. cancri, tartari vitriol. si ingens æstus sit an. ℈j. syr. de rosis siccis aut corallior. ʒß. Misce. Atque hoc modo innumeræ potionum formulæ ex prædictis confiandæ sunt. Quæ quidem omnes id potissimum agunt, dicta victus ratione adjutæ, ut aphtharum materiam cæco furore in interiora atque inferiora pronam versus itinere ad superiora & exteriora repellant. Quæ res vel sola salutares ac tutissima aphthas facit.

Sunt enim illæ alicujus malignitatis participes, præcipuè in adultis & ardentibus febribus. Hujus ratione omnem fere Medici curam ad se trahunt, atque alias omnes vacuationes, cæteraque auxilia pro earum arbitratu ac imperio fieri par est. Quippe prima ac summa malignitatis ratio est, quod ea ipsi vitæ fonti insidietur atque hyperbolica substantiæ hyperbasi subitam atque inexspectatam plerumque cladem edat. Quam explicare ut hic locus non patitur, ita aphthas ea non carere plurima docent; & ante omnia acerrimus ille cordis conflictus, totiusque humanæ œconomiæ tumultus, ubi qui fusus, fugatusque videbatur, aphtharum æstus denuo ad cor redit. Hoc igitur præ cæteris agendum, ut ab ea malignitate vitalia vindicentur & sarta tectaque maneant. Quia verò aphthæ unquam fere ita matureſcunt quin vario insultu, iterum iterumque cor lacessant, viribus semper consulendum est, ut repetitis malignitatibus pares sint. Quod non ægrè fiet, cùm omnia quæ aphthis eadem & viribus dicata sint. Præscriptæ poliones ætati, viribus malorumque sævitiæ prudenter accommodandæ sunt, nec crebiores esse debent, quod citra virium jacturam non sumuntur. Instaurans victus securitati conjunctam magnam efficaciam semper habet. His observationes quasdam subjungerem nisi aliorum de hujus mali natura ac cura mentem audire satiùs putarem.

FINIS.

GULIELMI

COLE, M. D.

Novæ HYPOTHESEOS, ad explicanda

FEBRIUM INTERMITTENTIUM

SIMPTOMATA, ET TYPOS

EXCOGITATÆ.

HYPOTYPOSIS

Unà cum ÆTIOLOGIA REMEDIORUM, & ſpeciatim,

DE

CURATIONE PER CORTICEM PERUVIANUM,

Acceſſit DISSERTATIUNCULA

DE

INTESTINORUM MOTU PERISTALTICO.

PRÆFATIO,

GUILIELMI COLE, M. D.

Novæ Hypothesos, ad explicanda

FEBRIUM INTERMITTENTIUM SIMPLICIUM, ET TYPOS EXCOGITATÆ.

HYPOTYPOSIS

Una cum Etiologia Remissionum, & Periodi

DE

CURATIONE PER CORTICEM PERUVIANUM,

Accessit Dissertatiuncula

DE

INTESTINORUM MOTU PERISTALTICO.

FINIS.

PRÆFATIO.

PLurimi elapſi ſunt anni, ex quo dubitare cœperim, an Febrium Intermittentium cauſæ ab Antiquis rectè aſſignarentur, an verò earum origo à Nervoſo genere rectius petenda eſſet. Nam & hic loci plerumque ſe prodere ſolent earum Symptomata, quæ primò ingruunt, eaque ipſa ſunt ejuſmodi, ut ab alio fonte derivari vix poſſint. Tum præterea, ubi animo meo penitus inſediſſet, Nervorum munia, arctioribus licèt cancellis olim clauderentur, revera multò patere latius, atque ad plura, quàm Veteribus viſum eſt pertinere, (quod quidem in Tractatu, De *Secretione Animali*, ante oſtenderam) facilè hinc erat ſuſpicari, potuiſſe etiam plures Morbos, imo & has ipſas Febres, ab eadem ſcaturigine manare. Sed tanti apud me fuit ponderis ac momenti magnorum Nominum authoritas, qui aliunde eas arceſſerent, ut omnem ejus rei cogitationem aut prorſus negligendam, aut ſaltem diſſimulandam cenſuerim; Donec annis abhinc circiter decem, ſi rectè memini, occaſione oblata, attentius contemplandi Quartanam vernalem, quæ mox infra memorabitur, in eam planè ſententiam perductus ſum, primò hanc, & deinceps facili ductu cæteras omnes Febrium Intermittentium Species, à Nervoſo genere pendere, hunc focum agnoſcere, mineramque earum hic ſitam eſſe. Quam quidem opinionem ubi altiùs imbiberam, mecumque ſæpè ac ſeriò revolverem, tantò mihi plus lucis, ad Symptomata ſolvenda, in dies affulgere videbatur, ut tandem cogitationes meas ſucceſſivis operibus in Adverſaria ſummatim conïcerem, eaſque cum Medicis quibuſdam doctis, ut ſors tulit, identidem diſſererem. Denique id unum mihi ſupereſſe viſum eſt, ut experirer, utrum in curandis huiuſmodi Febribus, Corticis Peruviani vis atque effectus cum Hypotheſi noſtra ita conveniret, ut mechanica ratione ſatis aptè explicari poſſet: Nam, ut de me ſemel fatear, in Morborum productione, eorumque curatione, & in Corporeis operationibus quibuſcunque explanandis, non conquieſcit animus, aut ſatisfieri ſibi patitur, priuſquam intellexerit, qua via, quibus inſtrumentis, quo Naturæ artificio, & apparatu planè mechanico officiantur. Hiſce igitur invicem collatis, ut ſatis quadrare compereram, cuncta illicò ordine diſpoſita in chartas retuli, ea ferè forma, qua nunc prodeunt.

Cùm autem ante ſeptennium doctiſſimo D. Gibbonſio fortuitò occurrerem eique conjecturas meas aperirem: ille, librorum magnus helluo, edixit mihi non perinde novas eſſe atque ipſe reputaveram; quippe Cel. Alphonſum Borellum (L. de Motu Animalium) in Succo Nervoſo Febrium Intermittentium ſedem poſuiſſe; quinetiam Doctiſs. Mundio noſtrati (in διοχρησολογια ante Borellum idem ſuboleviſſe. Quos Authores mihi occupationibus practicis, & quidem ruri, implicato (ubi libri, iſtius præſertim generis, nuper editi, præ emptorum paucitate rarò veneunt) nequaquam legiſſe contigerat. Itaque his auditis, calamum abiicere, & adverſaria flammis committere, primo ſtatim impetu decrevi, ne cramben ante coctam, quæ nauſeam creare poſſit, apponerem.

At verò, poſtquam ſedatiore animo perlegiſſem, quicquid uterque ſuper hac reſcriptis mandaverat, ſtatim comperi, Hunc breviter tantùm & ſtrictiùs rem attingere, Illum longè aliter atque ego conceperam explicare: denique multò maximam Hypotheſeos meæ partem nunquam alterutri in mentem veniſſe.

Et ſanè Mundius, ipſa rei evidentia, ut puto, adductus, videtur Hypotheſeos noſtræ notionem habuiſſe aliquam, eamque, ut Cæſalpinus olim Circulationem Sanguinis, quodam modo per tranſennam conſpexiſſe; quam ſi penitiùs introſpexerat totamque animo fuerat complexus, non paucis tantùm lineis breviter adumbratam, ſed copioſius, atque (ut par erat) pro rei dignitate multò pleniùs explicatam traderet. Jam verò ille, Græco (*pag. libri ſui* 50.) Materiam Febrium Intermittentium, à ſanguine licet ſuppeditatam, in latice Cerebrum & Spinalem Medullam perluente hoſpitari ſupponit, cum eodem fermenteſcere, membranas eorum vellicare atque contrahere, eaque contractione, in Nervos adigi, unde rigor & tremor, læſa ſcil. tùm motus tum ſenſus facultate. Hac porrò commotione è Nervis iterum exuti, inque maſſam Sanguineam per lymphæ ductus transferri ſtatuit, ubi novos tumultus concitans Febrilem efferveſcentiam inducit, quæ poſt aliquot horas, excluſa per poros materia Febrili, ſedatur, Hinc apyrexiam ſuccedere, donec ſatis novi fomitis in eundem focum denuò congeratur.

Quæ quidem opinio, quamvis eodem fundamento nitatur cum mea, quam in ſequentibus profe-

profero, in hoc tamen ab ea distat, quod contractum nimis & angustum, ut mihi videtur, locum assignaverit; quippe quem per totum ubique Fibrarum Systema, tam in Corporis habitu, quàm in Cerebro & Spinali medulla, latius esse diffusum statuimus. Quinimò de Typorum ratione nihil suggerit, quod non ante multoties dictum, quodque animo, probabilitatis saltem avido, neutiquam satisfaciat.

Borelli autem multò longius à meis recedunt sensa (Par. 2. Propos. 227. & seqq.) ut pote qui non in ipso Cerebro vel Systemate Nervoso in genere sed, in glandulis aliquibus obstructis mineram suam collocavit: qua causa Nervulorum illic sitorum extremitates pari ratione & necessitate sic obstrui supponit, ut Succum suum effundere non valeant, eumque propterea sensim coacervatum hac mora fermentescere, pravasque induere qualitates; usque adeo ut tandem noxa, primò ad Cerebrum, deinde ad Cor & Sanguinem transmissa, singulà ordine emergant Symptomata.

Verum tamen, vix satis commodè, ut mihi videtur, exposuit, qua via, quibusve machinis, hæc materies ad Cerebrum, multò minus ad reliquias partes, per Corpos universum ita convehatur, ut, ictu ferè oculi, prorumpant Paroxysmi. Ut taceam Typorum quam affert solutionem (ex Authore petendam) analogiamq; qua nititur, quanquam forsan in liquoribus lentius motis concedantur vix tamen in corpore nostro locum habere posse; in quo nempe & sat rapidè per omnes partes movetur sanguis, & pluries in die diluitur; idque non rarò tam diversi generis liquoribus, & quandoq; medicatis quos ob obstruentem materiam abstergere, atque à conceptaculis suis dimovere necesse est; cum tamen Paroxysmi interim curtus suos nihilominus exacte repetant.

Quocirca, ubi perpenderam doctorum horum virorum sensa, meas non multum anticipare cogitationes, nihilque in se habere, quod mea præstituta semita cogat deflectere, imò eatenus saltem firmare, quòd & ipsa in Nervoso genere Febrium Intermittentium mineram constituant, calamum quem deposueram (sed quem, arrepta hac ansa ad indagandas nupera Apoplexiarum frequentiæ causas, amicissimus Mei, doctissimusque D. Kimberley, a me, ut resumerem, impetraverat) ad intermissum diu hoc pensum amicorum quorundam doctissimorum hortatu, ægrè licet, revocavi: & sic tandem ad umbilicum Dissertatio hæc, qualis nunc prodit, perducta est.

Dum verò de eadem edenda meditor, Cl. Mortoni circa eandem materiam doctissimus Tractatus in lucem prodiit; in quo haberi non pauca, nostris consentanea ferió mihi gratulor; tum quod plurimum Viri iudicio tribuam, tum præterea, quod ab illius exemplo fuerit defensio paratior, si forte novitatis affectatæ arguar, ab iis scilicet, quibus, nisi quod excogitarunt Veteres, nihil sapit. Sin verò, me quandoque explicationes à suis placitis discrepantes attulisse compererit, non est, quod succenseat Vir Candidissimus, qui Philosophandi libertatem ipse profitetur, eaque, ut par est, revera utitur; præsertim, si perpenderit, eas non contradicendi animo, sed diu ante evulgatum eius librum à me conceptas, imò & descriptas esse; cuius rei plures appellare possum testes fide dignissimos.

Postremò, si quicquam ab aliis ante prolatum hic illic sparsum Lector invenerit, sciat velim, me nullius sensa mihi arrogare: quin potius tibi quisque per me sua vindicet; dummodo id tantum, quod certè verissimum est concesserit, invito mihi & prorsus imprudenti excidisse. Cum enim tanta librorum copia ad Artem Medicam spectantium hoc seculum abundaverit, mihique Memoria ab ipsa usque pueritia fuerit infirmior, neutrum spondere audeo, aut peregisse me omnia quæ sunt nuper evulgata, aut quæ perlegerim omnia memisse. Ipsam verò Hypothesin quod attinet, de illa ausim profiteri, quantum ex propria & aliorum lectione, qui has chartas evolverunt, observari potuit neminem hactenus eandem, aut planè consimilem protulisse. Hanc tamen si improbaverit quispiam, aliamque in medium adduxerit, quæ Morbi Phænomenis solvendis magis congruat, me certe gratissimum, non lectorem tantum, sed & discipulum ac sectatorem habiturus est.

GUI-

GULIELMI COLE M. D.

NOVÆ HYPOTHESEOS,

Ad Explicanda

FEBRIUM INTERMITTENTIUM SYMPTOMATA, ET TYPOS EXCOGITATÆ.

HYPOTHYPOSIS.

CAPUT I.

Præcipuæ Authorum, de Febrium Intermittentium Sede & ratione formali, expenduntur Sententiæ.

PRiusquam *Hypotheſin* proponere aggrediar, par eſt, ut quid de Febrium harum *Sede* & *Ratione formali* ſenſerint præcipui Authores, breviter exponam, & inde vel lucem fœnerentur dicenda, vel refutationem facilius ſubeant, dum una videntur probabiliora. Nempe non magis propriis, quam aliorum opinionibus, me mancipatum palam profiteor.

(a) Authorum circa hanc materiam ſententiæ ad duo genera redigi poterunt. Nimirum *vel* Fermentativam ſubſtantiam in loco aliquo extra uſitatum Sanguinis tramitem maturari, inque ejus gremium ſtatis periodis pro genio maturatæ ſic materiæ, regeri ſupponunt; vel totum in ipſa ſanguinea maſſa negotium tranſigi, dum ſuæ accenſionis fomitem continuo ſecum portat, donec tandem uſque adeo quædam ejus particulæ præmotibus inteſtinis exaltentur, ut in fermentum pro reliquis inturgeſcentiam febri-

(a) *Duplex in genere Authorum, circa focum materiæ Febrium Intermitt. ſent. vel in loco aliquo peculiari; Vel in maſſa ſanguinea locantium.*

febrilem commovendis faceſſant.

(a) Sententiarum harum *prior* in genere longè maximum cultorum numerum habuit; atque tum Veterum (imo univerſorum ad hoc uſque ſeculum] erat, tum variorum è Modernis; licet alii aliis nixi fundamentis in diverſas ab invicem abierint ſententias.

[b) Priores à *Bile*, *Pituita*, *vel Melancholia*, *in primis viis*, utpotè Hepate, Liene, Ventriculo, Inteſtinis, Meſenterio, &c. (hi in illo ex iſtis viſceribus] putreſcentibus, atque inde in venas convaſatis, turgeſcentiam iſthanc in Sanguine ortum trahere, ſupponebant; idque his vel illis periodis, juxta quod humores iſti ex propria habilitate citiùs aut ſeriùs in fermentativam indolem maturari, apti nati eſſent.

(c) Recentiorum verò non exigua hoc Seculo natorum pars, quamvis humoribus dictis (ſaltem tanquam Sanguinis formaliter conſtitutivis) nuncium remittant; de *particularibus* tamen *fermentis* atque *extra Sanguinis vias* ſtabulantibus, Febrium iſtarum productivis conſentiunt.

(d) Ex his duorum Sententiæ præcipuè conſiderationem merentur.

[e) Primam Celeb. *Sylvius*, cui & non pauci obtigerunt aſſeclæ, propalavit; qui in *pancreatis vaſis* recondi & maturari hoc fermentum, atque ab obſtructione unius vel plurium ejus ductuum, eaque vel majori vel minori, iſtas Febres oriri ſupponit, Nempe vult Succum pancreaticum, præ vaſorum propriorum excretoriorum obſtructione detentum, acceſcere, atque hinc fermentativam, ubi Sanguini commiſſus fuerit, indolem nancifci; iſtum verò copia ad aliqualem diſtentionem inducendam auctum, atque penetrantiorem mora evadentem, clauſtra ſua ſubitò perrumpere, atque mox Sanguini, juxta protruſionis animalis & circulationis leges; redditum, in eo, ubi ad Cor pertigerit, turgeſcentiam Febrilem concitare, atque inde Paroxyſmum; qui tantiſper durare neceſſe habet, donec difflata vel ſubacta fuerit fermentativa hæc materia.

Obſtruentem iſthanc mineram valdè *tenacem* ſupponit, ut proindè aſportari ſtatim nequeat, ſed tantummodò perforati, quo fiat, ut, ubi evacuatus fuerit, quem prius incluſerant, ſuccus, mox iſtorum vaſorum conniveant ora, moramque adeò novo perpetim affluenti faciant, donec hic ad eundem aciditatis gradum evectus & debita menſura coacervatus, iterum pertundat obicem. Quas quidem congeſtionis & eruptionis alternationes haud ceſſare autumat, donec penitus abſumptum fuerit obſtruens craſſamentum; quod ubi obtigerit, evaneſcunt extemplo paroxyſmi. Variorum Typorum rationes ab unius vel plurium horumce vaſorum obſtructione deducit Cl. *Author*, prout in ipſius *Praxi* cernere licet.

(f) Alteram à nuperis annis Vir doctiſſimus, *D. Ionas*, in medium protulit: qua ſupponit *Chylum*, *Sanguinis improportionatum* factum, quaſdam ex crudioribus ſui partibus *circa arteriarum extremitates* ubivis deponere; utpotè quoniam minus ſequaces prorsùm cum reliqua maſſa minimè, ſaltem pari paſſu, moveri queant; ubi tantiſper commorantur, donec *acorem* contraxerint, Quo inducto, primùm ſenſiles, quæ nuſquam non habentur, vellicat iſthæc materia partes; dein Sanguini affuſa inter Sulphureas ejus particula commotionem talem inducit, ut paroxyſmus Febrilis acturum invadat. Vid. Cl. *Author*, Tr. *de Febr. Intermittentibus*.

(g) Sententia, quæ in *Maſſæ Sanguineæ* gremio Febrium harum focum latere vult, & cui ſummus honos plurimorum opinione deferendus, Magnum *Vvilliſum* Authorem agnoſcit. Supponit Vir Doctiſſimus *Chyli*, *Supplementa*, Sanguini degeneri facto minus quandoque congrua, nec proindè ut aſſimulentur apta nata tam

diu

(a) *Vel in maſſa ſanguinea locantium*
[b) *Veterum ſententia*; *Humores in primis viis putreſcere*. (c] *Recentiorum*.
[d) *Duplex*. (e) *Sylvii in Pancreatis vaſis recondi fermentum febrificum ſtatuentis*
(f) *Joneſii in habitu partium circa arteriarum extremitates*.
(g) *Vvillifii in maſſa Sanguinea*.

diu tamen illius contubernium sortiri, eamque eo circulari (quod quidem facile per sat longum tempus fieri concipiatur, cum mollis ante suam, quæ non statim patratur, exaltationem, & sequacis sint genii) donec ad molem & grandem & molestam assurgant: qua mora tum proprio nixu, tum sanguifici, quocum inivere commercia, fermenti vitio, ad fermentativam & ipsa exaltantur indolem. Quam ubi indepta fuerint, turgescentiam in Sanguine concitant; unde paroxysmus exoritur, qui tantisper & durat, & alternatim redit, donec obliterata fuerit, quæ noviter usque appellentia vitiare solet, Sanguinis dyscrasia. Consulatur Cel. *Autoris Diatribe de Febribus*.

Præ me non foro solemnem vel harum vel aliarum quarumvis Authorum opinionum, quæ meis minimè quadrant, adornare refutationem, multo minus petulanter convellere. An vero dum aliam in medium proferre Hypothesin aggredior, meum esse censeo, rationes adducere; quæ & prolatis assensum dare prohibent, & dubitandi causam vindicent ne gratis secessum moliri insimulet. Dum vero hoc absque convitio in contra sentientium judicium præsto, illam mihi indulgendam iri veniam & licentiam, quam quisque sibi jure deberi autumat, confido.

(*a*) Et primo quod ad *indigenam Fermentum* [ut ab hac ordiar Hypothesi] spectat; quamvis hoc rationibus non parum speciosis à doctissimo, perque omnia dehinc secula merito celebrando Authore, stabilitum sit, multumque invaluerit; Mihi tamen (sit magno illius nomini honos) vix probabile videtur, Morbum, saltem qui in massa Sanguinea palestræ suæ non exiguam partem sortitur, interpolatum, imo & qui periodis non solum frequenter recurrentibus, sed &, ut plurimum, valdè regularibus constat, à Fermento quod tum in ea primum conficitur, tum cum eadem ad usque tempus paroxysmi, imò & plurium subindè recurrentium, indesinenter gyratur, conflari.

(*b*) Quæ hoc mihi suadent, pauculæ enumerare liceat.

(*c*) Et quidem *primo* concludendum censeo, *Sanguinem* in sua constitutione *valde heterogeneum* esse: id quod (ut argumentum à Chymica analysi mittam) non solum à varii generis cibis, quibus universi vescimur, verum insuper à partibus multigenis nutriendis (quæ quamvis hinc pabulum suum forsan non immediatè desumant, secretionis tamen medio ex eo, per vias inferius tradendas, cunctas quantumvis difformes id delibare neutiquam dubitavero) variisque functionibus administrandis colligere pronum est. Proindè sicut hinc ad Febrilem turgescentiam (etiam dum maxima illi eucrasia adest, modo a forti sollicitetur occasione) proclivis est, sic ubi hanc semel conceperit, constanti tenore eandem subire tenetur, donec tota deflagraverit exagitata materiæ congeries; quo facto ad novam longo tempore inhabilis videtur, verùm vappida potius quam accensibilis redditur. Idcirco ubi hoc contigerit, Febris *Continua* vice *Intermittentis* invehi debet: Cum verò hoc in crasi naturæ evenire probabile sit, multò magis ubi à recta degeneraverit, eveniet; quando præ particularum irregularitate ad enormiores turgescentias pronus est; magisque proinde singulæ, quæ ad istas natæ sunt, exantlari necesse habeant. Nec quidem ista sic ad turgescendum prona, si ad Sanguinem unicè spectet, citò renovari, quoad hanc vim, poterit materia, verum lenior in ejus locum à tenui, quo hujusmodi Febricitantium maxima pars utitur, victu suppeditabitur, quæ proinde exaltari & laxari tantoperè statim nequit, ut commotiones tam subitaneas in subjecto adeo, prout videtur, vappescente iterum cieat. At vero.

[*d*] *Secundò*, Sicut hoc in genere dicendum videtur, sic porro fortius inculcandum, si *varias* hominum, à diversa, qua

[a] *Desiderata in opinione Willisii.* (b) *Rationes dissensus.*
(c) *Rationes dissensus; Prima.* [d] *Secunda.*

qua singuli donantur, Sanguinis crasi enatas *constitutiones* perpendamus; quos tamen universos ferè Febribus Intermittentibus, eodem modo, quo ad periodos, decurrentibus, corripi aptos cernimus. Quod vix fieri posse videtur, si cum Sanguinea massa identidem circumferatur materia hæc Fermentescibilis; quandoquidem præ particularum in singulis invicem varietate, si non communem ad turgescendum aptitudinem amittat, saltem varientes multùm Typos induere debeat. At sub epidemica tempestate (stante licet propria cujusque constitutione; quas insuper cuncti fere homines multum invicem discrepantes fortiuntur) eadem symptomatum, saltem maximè notabilium, series, idemque, ad amussim fere, periodorum recursus observâri potest; ut altius quærenda videatur istarum ratio.

(a) *Tertiò*, Multæ concurrere solent *circumstantiæ* ad turgescentiæ istius periodos variandas; ut pote alimentorum qualitas nunc hæc, nunc illa, quantitas nunc major, nunc minor, tempus assumendi varians, aliæque plures quotidiè occurrentes, vixque solertissima vitandæ industria: Quæ omnes sicut Sanguinis crasin singulis diebus aliquatenus variare debent, sic [præsertim ubi à debita deflexerit] multum conducent ad substantiarum assumptarum maturationem, atque hinc turgescentiam mutandam; cum interea certas plerunque redeundi vices obtervent paroxysmi.

(b) *Quartò*, Nec parum momenti habere videtur *circulatorii Sanguinis motus* consideratio, ad indigenam hoc fermentum excludendum; eo, quod cunctis ejus partibus confusionem inducat: Quæ quamvis debitam particularum exaltationem nequaquam impediat, est è contra singulas agitando, atque invicem variis modis, ut sic magis usque comminuatur, adducendo, perque angustias in solidarum partium habitu urgendo maturationem ad Animalis œconomiæ usum promoveat; imò forsan in statu degeneri ad Febres agitatione nimia disponat; Vix tamen, ubi hæ inductæ fuerint, adeò reciprocantes turgescentias, quales in intermittentibus cernimus, permittere potest; quandoquidem ab isthac incongruarum particularum confusiva agitatione sicut circulationis modus necessario multum à naturali mutatur, sic major usque confusio inducitur, quæ non antè compesci potest, quam particulæ, sic ultra modum commotæ, vel exterminatæ vel debitè subactæ fuerint; crasique sanguinis, cùm non eadem ob prægressam hanc constitutionem mox redeat, debilior tandem succedit. Unde ad tales turgescentias haud facile brevi iterum assurgere potest massa.

(c) *Quintò*, Si vero daretur tale aliquod Fermentum, minus tamen probabile videtur, *Chyli Supplementa*, quibus innititur Hypothesis, isthoc præbitura: quandoquidem liquor iste multò *mollioris* esse *indolis* videtur, quam ut, data quamvis in Sanguine Febrili diathesi, ad fermentativam subitò assurgat dyscrasiam. Et quidem molles substantiæ, Sanguini affusæ (maximè, si sensim instillentur, id quod de Chyli Supplementis constat) tantum abest, ut tales inducant turgescentias, ut potius inceptas cohibere natæ videantur, utpote particulas exaltatas hinc obtundentes atque diluentes. Hinc jusculæ avenaceæ, panatellæ, emulsiones, ac in Febribus ad omnibus imperantur Medicis. Nec sanè.

Sextò, Necessario innatum fermentum ad Febriles turgescentias, sive continuas, sive interpolatas in sanguine concitandas requiri videtur, quandoquidem ab *assumptis minime congruis* has sæpenumerò momento quasi pullulascere, nec minus à *regestis susceptò frigore effluviis*, experimur. Quod certè pro argumento erit, extraneum potius ad interpolatas producendas deberi: Imo paulatim & prævis, inque horas sensim invalescentibus, velitationibus ad commotionem Febrilem tandem assurgere debere videtur Intestina fermentatio si

(a) *Tertia*. (b) *Quarta*, (c) *Quinta*.

si hæc pro adæquata causa habenda foret.

[a] Et sanè mihi maximè congruum videtur, ad *interpolatum morbum* invehendum, *interpolatum* pariter *Fermentum* requiri, eo quod relatio proportionata inter causas & effectus ubivis habeatur. Quippe quandoquidem palam videtur, nequaquam prohiberi posse continuam turgescentiam, quousque causa efficiens minime subacta intus latitaverit, sic pari ratione dum morbum statis ire & redire periodis cernimus, quid aliud comminisci possumus, quam quod toties suggerendus sit novi pabuli ad redintegrandam hanc turgescentiam, cujus materia priore deflagratione exantlata fuerit, proventus? At vero Chylum appellentem neutiquam pro tali habendum esse, hinc (præter id, quo de molli ejus genio indigitatum modo fuit liquere censeo, quod non pari passu cum Febrili insultu suggeratur, quam sive cibaria frequentius sive longioribus intervallis assumantur, statas observare periodos, cuivis notum est. Agnosco sanè & Sanguinis dyscrasiam Morbum fovere: quandoquidem universi (Chylo excepto) ab hoc proveniunt liquores, à quorum aliquo fermentum isthoc, quodcunque sit profluere debet; imò & Chyli suppetias irregulari methodo suppeditatas, paroxysmos quandoque vel accelerare vel retardare. Verum lis est de usitata & solenni insultuum ratione, quam à minus frequentibus pessundari casibus nemo asseruerit.

Proinde conjicio, quòd ad subitam turgescentiam identidem concitandum necessum sit (b) *Fermentum* aliquod *activum* & *Sanguini incongruum*, alicubi *ultra ejus vias* recondi, quod & isthic maturari, maturatum huic affundi possit, ad turgescentias dictas concitandas, imò quod priùs ferociam suam in foco proprio exerceat, quàm Sanguinis affundatur: atque insuper absumptum renovari possit iterum ad novos paroxysmos, quamdiu morbida hæc perstat diathesis cudendos, Ubi verò loci hoc contineatur & stabuletur, proximè disquirendum.

Et primò, quod ad *Veterum* (c) Doctrinam, quæ in visceribus & primis viis latere isthoc Fermentum vult; Ex quo majori Anatomicorum diligentia fabricæ corporis & recessuum, motusq; Sanguinis notitia accuratior invecta fuit, deprehensum est, *nulla* talia offendi *conceptacula*, in quæ vel deflectere vel in quibus congeri possunt, quales ad hoc opus comminiscuntur, humores; quin porro circularem Sanguinis motum nequaquam permittere, ut quidvis hujusmodi in vasis Sanguiferis recubet. Quod enim ad (d) *Ventriculum* atq; *Intestina* attinet [quæ propriè magis primarum viarum Nomenclatura insignienda sunt] quicquid, ut ut aliunde quàm à Chylo proveniens, eorum subit cavitates, communem Chyli viam solummodò emetiri debet, adeoq; iisdem, quibus Hypothesis *VVillisiana* obnoxium est difficultatibus. Porro, (e) *Mesenterium* nulla possidens conceptacula, verùm colligendis & tuendis chiliferis sanguiferisq; ductibus, quo respectivis eorum liquoribus commeatum præbeant, destinatum vix idoneum tali fermento repositorium concipi potest. (f) *Hepar* dein, & *Lien* [in quibus potissimùm & maturari & recondi supponunt ista fermenta] unicè ex vasis & glandulis secretorio operi dicatis conflari, à consummatissimo [nunquam sine honoris præfatione nominando] *Malpighio* deprehenduntur, per quæ celeriùs multò deferri solent, quos convehunt, liquores, Sanguis scilicet & secreti liquores, quam ut pro conceptaculis solummodò haberi permittant. De Sanguine quidem [ut paulò plenius rem hanc explicem] nemo puto ambigit, quin constanti tenore prorsum per propria vasa, tam in istis visceribus

quàm

[a] *Ad interpolatum Morbum producendum, fermentum per vices supplendum.*

[b] *Fermentum febrificum hujusmodi extra Sanguinis vias stabulari debere.*

(c) *Desiderata in Veterum opinione. Nulla conceptacula à vasis distincta pro reductione fermenti febrifici in Sanguinem.* (d) *In Ventriculo, intestinis.* [e] *In Mesenterio.*

[f] *in Hepate & Liene.*

quàm in reliquio corpore, versus colabatur De (a) *Secretis* autem *liquoribus* constat, quòd, quamvis lentiùs multò quàm Sanguis ferantur, in peculiaria tamen vasa depositi, vel in tales deferantur cavitates, unde ni postmodum illis cum Sanguine commercii (nisi longo forsan per Chyli vias itinere) datur prout in secretione, quæ in vesicam biliariam fit, cernitur, vel immediatè Sanguini remandetur, ut remixti iterum cum eo circulentur, id quod in *Liene*, quem nullis vasculis exportantibus donari agnoscunt Anatomici (& *Glandulis conglobatis*, in quibus tamen nullas cavitates huic muneri, ut videtur, pares hactenus detexit culter) usu venit: sin intra vasa vel habitum istarum partium alteruter horum liquorum ultra præstitutum à Natura tempus moretur, magnarum obstructionum, inflammationum, variorumve tumorum (qualia raro in Febribus intermittentibus, earum saltem necessario productiva, observantur) imo quandoque rupturarum, prout in *Lymphaticis* aliquando cernitur, potius quam regulari modo reciprocantium paroxysmorum Febrilium materiam suggerunt. Quin insuper liquorum istorum influentia, si daretur huiusmodi moræ locus, multo nimis contracta videtur ad *universa symptomata*, prorsus quidem impar ad aliqua (ea scilicet, quæ nervosum Systema affectum testantur, qualia sunt rigor, horror, oscitationes, convulsivi quandoque affectus, &c. solvenda, quorum sanè productio, cùm sit universalis, & universale Fermentum exigit, & speciatim tale, quod in Cerebrum ejusve propagines primò agat; cùm interea particulare (quod comminiscitur Hypothesis & parcè nimis Sanguini suffundi necesse haberet ad grandem adeo, imo repentinum, affectum, qualis est plerumque paroxysmus Febrilis, invehendum; & locis incommodis. Ut taceam *inæqualem distributionem*, quam Sanguini, qui promiscuè & fortuito ad has vel illas partes deportatur, affusum subire tenetur efficere posse, ut ad paucas solummodo partes corporis, imo paucas Sanguinis particulas, pertingat, quas proinde, intactis reliquis, vi sua efficere deberet, adeoque partiales molestias nunc hac, nunc illa corporis Sede, produceret; cùm tamen universim eodem quasi instanti corpus affici percipiamus. Sed antiquatam jam diu sententiam missam facio.

(b) Quod ad *Sylvianam* Hypothesin spectat; Hæc iisdem fermè difficultatibus obnoxia videtur: Nempe nimis *angustis limitibus* ad symptomata tam latè diffusa explicanda concluditur; quandoquidem mineram illic sitam velit, unde nec promptè, nec universaliter, nedum in universum corpus, sed vel in ipsum primitus Sanguinem, ad varia, quæ experimur, symptomata concitanda, dispensari valet. Quin nondum constat, dari vias, per quas liquoribus immediatè ex biliaribus pancreaticisq; ductibus in Sanguinis gurgitem conceditur transitus: Imo vix est, qui nunc dierum ambigit singula, ex hactenùs repertis, vasa secretoria *exportationi* solummodo liquorum in Hepate & Pancreate ex Sanguine secretorum, Lympha excepta in intestina inservire; quo ubi pervenerint, longum nimis & perplexum in Sanguinem iterum, præcipue verò in remotiores corporis plagas iter inveniet ad tam gravia, & quidem repentina symptomata inducenda. Adde quod liquorum hujusmodi effervescentiam producendam, ex isthac suppositione designatorum energia *multum refringi* deberet; dum & tractum tam longum emetiuntur, & aliis mitissimæ aliis fortè repugnantis indolis, in itinere affunduntur; ut proindè multum satisfacere, antequam præstitutam attingant Scenam, concipiatur. Agnoverim sanè hujusmodi Fermentum Sanguinis semel affusum brevi turgescentiam sat ma-

(a) *Secreti liquores exturbandi sunt.* (b) *Vel immediate Sanguini remandandi. Noxa ab eorum detentione. Symptomatis febrium intermittentium producendis impares. Desidereta in hypothesi Sylviana.*

gnam concitare posse, quandoquidem circulatorii motus beneficio per tota massam non longo tempore distribui valet: Verum notari poterit turgescentiam hanc non ante concitari, quam prævia, quæ nervosum Systema affectum testantur, perque plures quandoque horas ferociunt, suum absolverint stadium.

(a) *Jonesianam* tandem Hypothesin, sicut admodùm ingeniosè, sic summa probabilitate excogitatam censerem, modo cæteris Phænomenis satisfecerit, cùm universalitati turgescentiæ Febrilis perbellè respondeat. Nempe necesse videtur, ut si minera morbifica ubivis circa extremitates arteriarum stabuletur, unoq; instinctu & momento in eruptionem omnis ubique commoveatur, universim hinc in corpore turgescentiam creet, dum intus ruens, statimq; peragrato Corde, ad omnes regiones ab omnibus veniens, & proindè universaliter affectus, Sanguis deportatur. Verùm dubitare subit, utrum quod *in corporis cortice*, saltem circa Fibrarum ubivis extrema hæret, atq; hic loci solummodo, ad qualem sentimus *rigorem* inducendum, afficit sat ad hunc affectum quadret. Quippe videtur, quod rigores ab extremis orti, illic loci primum percipi debeant; quod tamen raro, si omnino usu venit. Primum etenim in *dorso* horrorem usitatè patimur, contrahunturq; præcordia, neć, nisi interposito aliquo spatio, extrema corporis affici percipimus; id quod motum vellicantis humoris per loca prius affecta, deorsumq; serpentis, arguere videtur. Observare possumus, quod ubi acicula vel re alia quavis acuta vel corrosiva superficies corporis læditur, de loco sic affecto conqueramur, quamvis postmodum forsan ad ipsum cerebrum serpat malum, modo ut in punctura tendinis &c. grandius fuerit, convulsionesq; excitet; verùm & has quidem ab horroribus Febrium intermittentium multum abludentes: Imo incipiente psora aliisve similibus cutaneis affectibus, molestia primò seu in cute prodit, licèt, à Cerebro perceptio proveniat. Porro ambigui potest, utrum *tota* materiæ morbificæ pro singulis Paroxysmis concitandis quantitas, quam universim in partium habitu dispergi supponit, *eodem gradu & tempore acescat*, quandoquidem partes, in quibus stabulari debet, multum inter se caloris gradu discrepare deprehenduntur, quarum proinde aliæ citius aliæ longiori intervallo, restitanti huic in suis loculis materiæ acorem imprimere natæ sunt: Quod si ita sit, vix omnes ejus portiones una erumpere concipiantur. Ad hæc quæri forsan poterit, qua ratione præcaveatur, *ne citius* concitetur turgescentia, quam usitatè fit, imo *ne perennetur*: fermentescente usque & usque, quoties producitur, cum alluente Sanguine materia isthac acescente. Quippe quamvis altiorem aciditatis gradum tempore paroxysmi producendi acquisiverit, ante tamen aliquam habuit, utpote ad hunc sensim ascendens; atque Chymicis experimentis notum est, Sulphureos liquores (qualem esse Sanguinem; cum plurimis aliis Medicis & ipse Cl. *Autor* censet) Acidis, etiamsi in inferiori gradu constitutis, diffusos cum iis turgescentiam aliquam subite Propterea cùm mineram hanc continuò in circuitu suo lambat Sanguis necesse videtur, ut continuò etiam turgescentibus subeat. Unde quoque & hæc antè satietur & mitescat, quam ad gradum Paroxysmo inducendo, quem vult Hypothesis, requisitum assurgere possit (ut proinde in profundioribus latibulis, quam quæ Sanguinis transcursui adeò pateat, recondi & maturationem subire teneatur. Quin insuper forsan metus esse poterit, modo universim sic omnes nervuli [ex quibus universas solidas partes constare infrà conabor ostendere] apud extremitates suas vellicarentur, ne *Tetanus* oriatur, cùm contractiones omnium pariformiter versus cerebrum habendę sint; unde, cùm nusquam relinquatur locus, quo retorqueatur ab illo motus, par videtur, ut corpus rigidum permaneat. Porrò quandoquidem frequenter usu veniat, ut rigor per horę spatium, vel ampliùs, perduret, videtur quod materia vellicans

(a) *De Jonesiana*.

talibus includatur conceptaculis, unde *difficulter* exitum quærere valet; at si in habitu partium, juxtaque valorum ora, tantummodo hæreat, probabile est, partim contractionis, quam invehit adminiculo, confestim ex recessulis suis extrusam, partim petulentis Sanguinis impetu, superinductæ hinc effervescentiæ ope aucta, mox eluendam fore.

CAP. II.

Conditiones Causæ Febrium Intermittentium Continentis, ipsiusque Sedes & Materia in Genere proponuntur.

(a) QUandoquidem igitur nec *stadium*, unde prorumpant Febres intermittentes ab his Magnis Viris assignatum, nec *materiam*, quam eas producere volunt, agnoscam, par est, ut eorum loca alia, quæ si (ea est mea tenuitas) non plenariè omnibus satisfaciant dubiis, saltem paucioribus obnoxia sint, in medium, qua potero, adducam. Quod antequam aggrediar, proponendæ sunt Conditiones aliquæ, quas ad alterutrum designandum necessarias duco.

(b) Et *primò* necesse videtur materiam producentem, si non mole, saltem virtute, *Magnam* fore; quippe quod Morbus [quo nomine singulos Paroxysmos satis aptè insigniendos censuerim, eo quod non raro à perfecta apyrexia, integraque sanitatis usura identidem adoriantur) pro magno haberi debeat, cùm & symptomatum violentia, quandoque ferali exitu paucis cedat; & proinde causam requirat quæ talem effectui proportionem gerat.

(c) Secundò pariter requiri videtur, ut sit *Universalis* quo scil. uniformiter (quantum saltem patitur corporis nostri fabrica) tam in Sanguinem ubicunque scatentem, quàm universum corpus agat. Sentimus enim non solùm intima corporis, sed vel remotissimas, imò omnes, partes, quanquam non eodem istanti, brevitamen singulas interjecta intercapedine, plerumque affici quod verò intercedit, tum temporis inter symptomatum ex primo ingruentibus aliquorum invasionem, tum horum in variis subjectis irregularitatis, facilè vel aliquorum corpus perluentium fortuita inæqualitate, vel partium ab iis alluendarum dispositione, quarum hæ pro fabricæ ratione celerius, illæ tardiùs eos transmittere natæ sunt, vel ab ipsa hinc pendente dispensatione [cùm quæ angustissimis deportantur canalibus, perceptionem nostram non statim excitent, imò seriùs, ocyùs, pro materiæ ad vasa deferentia proportione motusque gradu afficiant) deduci potest.

(d) Tertio postulat invadendi celeritas, ut *fermè Instantanee* in actum ubivis erumpat, seque per totum corpus, influentia saltem, momento quasi diffundat ista hæc materia. Imò quandoque observare licet, quod vix ipsi epileptici, cunctis vitæ muniis alioquin integerrimè fungentes, celeriùs Paroxysmis suis corripiantur & consternantur, quàm quidem ex iis, qui Febribus Intermittentibus tentantur, de rigore universali se ictu oculi percellente, conquerentes. id quod mineram morbificam ubivis diffusam & congestam, non secus ac insigniter maturatam, me judice, arguit.

(e) Quartò, Utcunque recondatur, & ubicunque discumbat, necesse est ut saltem transactis primis Symptomatis, satis *promptè ex loculis suis in Sanguinem*, ubi secundaria se exhibent, *exitum* inveniat: secus, si vel viæ sint multùm perplexæ, vel exclusionis loci non satis patuli, vix apta ratio vel frequentiæ Morbi in diversis, vel reciprocationis, saltem regularis, quæ plerumque habetur, in eodem ægrotante reddi non potest.

(f) Quintò, Quandoquidem inter re-

el-

[a] *Conditiones Causæ continentis flarum Febrium.* (b) *Prima Conditio ut sit magna.*
[c] *Secunda, ut sit universalis.*
(d) *Tertia ut celeriter in actum erumpat ad prima symptomata producenda.*
[e] *Quarta. ut eis transactis parata sit ad secundaria.*
(f) *Quinta, ut ad novi fomitis productionem locus & tempus concedantur.*

ciprocationes Paroxysmorum notabile intercedit spatium, atque prælonga quandoque sentitur apyrexia, quasi cum prægresso Paroxysmo universa quæ corpus exercuerat diathesis morbida evanuisset; Requiritur, ut tempore apparentis quiescentiæ talem obtineat materia Febrifica in posterum pullulatura, *secessum*, in quo & *immunitatis à molestis Sanguinis incursibus* nanciscantur; unde & cumuletur, maturetur in tale quod volumus Fermentum.

(*a*) Sextò tandem requiritur, ut talis circa hæc proponatur Hypothesis, quæ *omnium Symptomatum* ordine suo producendorum *rationem* aptè reddat. Et quamvis mihi non id arrogem, ut perspicuè adeò hanc Spartam exornem, quò cunctis de *Meæ* certitudine persuasum sit, veniam tamen indulgendam confido hujusmodi molimini (quemadmodum solet novas circa Cœlorum motus Hypotheses, quando priores minùs Phænomenis quadrant, excogitantibus) quandoquidem sicut omnibus veritatis investigatoribus incumbit, saltem laudabile est, sic nemini in rebus Philosophicis versanti veritum est sua ad hanc rem collimantia sensa propalare.

Conditiones hæ, quamvis aliquæ huic, aliæ aliis ex præfatis Hypothesibus forsan quadrant, *collective* tamen sumptas, neutri competere consuerim; id quod respiciendo ad singulas, opinor, colligatur. Sic quod ad

[*b*] *Primam*: In *Sanguine*, liquorum, quo corpus copiosissimo, imò & in turgescentias maximè prono, quin contineri forsan possit minera Morbifica, quæ tribus prioribus conditionibus satisfaciat vix dubitari valet: At vero huic reliquas parum accommodatas esse hinc deduci potest, quod nec primorum Symptomatum, rigoriis, oscitationis, pandiculationis, &c. quorum scena ultra Sanguinis vias delitescit, ratio ab isthic sita genuinè desumi posse videatur, nec quidem reciprocationis; cùm vix assignari puto solida potest causa, cur turgescentia in Sanguine semel cœpta constanti tenore ad totalem deflagrationem procedere non debeat; nec quidem verisimile mihi apparet (prout supra allegavi) deflagrata prima minera aliam tam brevi intervallo, atque inter vel longissimè protelatos paroxysmos habetur, reproduci posse. Pariter &

(*c*) *Secundo*, *Veterum* allegato dogmati prima forsan, & quarta quadrent; cùm & materiam in primis maturatam viis energiam magnam ad stupenda Symptomata, iis, quæ in Febribus intermittentibus sentiuntur haud inferiora, concitanda possidere posse, sat tum ex vulgaribus crapulæ, ut & quorundam noxiorum qua alimentorum, qua medicaminum assumptorum (funestis quandoque) instantiis, tùm etiam lumbricorum productione, indeque enatis Symptomatis, constet. Porro nil vetare videtur, quominùs maturata hic materia *noseri* quamvis primitùs focum proprium afficiat, ubi tamen Sanguini affundi contingeret magnos in eo tumultus concitare queat. Verum sicut hæ, ubi Febrium istarum causæ evaserint, ad Antecedentes solum, non continentem, de qua termo est, referendæ sunt; si porro censeo, satis ex modo dictis liquere, reliquas conditiones allatas isti Hypothesi minimè competere posse.

(*d*) *Tertio*, Idem de congruentia sive incongruitate conditionum dictarum ad *Sylvianam* Hypothesin allegari potest; quæ cum præcedente magnam cognationem quoad nimis restricta mineræ Morbificæ situm & influentiam, habet.

(*e*) *Quartò*, *Jonesianæ* quidem plures convenire posse, constat. At num materia morbifica, si in corporis solummodo habitu extra vasorum oras stabuletur, adeo uniformiter maturari valeat, ut tota eodem ferè tempore in actum erumpat, modo innui, dubitari posse. Quin an primis (saltem) symptomatis perspicuè solvendis satis quadraret, quorum stadium,

(a) *Sexta, ut symptomatis omnibus ordine solvendis quadret*
(b) *Conditionum harum quarta, quinta, & sexta non quadrant Hypothesi Vvillisianæ.*
(c) *Nec secunda, tertia & sexta Veterum Hypothesi.* (d) *Ut nec Sylvianæ.*
[e] *N. c tertia & sexta Jonesianæ.*

vel saltem carcer, à quo motus dispensationisque animalis origo habetur, tam longe à foco, quem assignat doctissimus Author, distet, mihi non satis constat.

(a) Utergo *propriam* asseram sententiam, conjicio, *Corticem Cerebri primariam* esse *Fermenti*, quod comminiscor, *sedem* atque, *Liquorem illic secernendum* seu propria culpa, seu vitiata, undecunque partis secernentis textura, improportionatum quodam modo functionibus animalibus, ritè & solito modo obeundis, jam factum, at satis ante ulteriorem maturationem lenem, ipsam esse Morbi *mineram*; quæ debinc in Neditullium atque exinde in cunctas nervosi Systematis propagines, lente deponitur, in quibus porro absque molestia congeritur, perindè, ac usitate fit, prorsumque urgetur, donec tractu temporis (celerius vel tardiùs, pro genio & gradu depravationis) maturata inturgescentiam, qualem experimur, erumpat. Et quidem, sicut liquor iste multis, iisque perquàm nobilibus, in œconomia animali usibus debitè constitutus inservit, sic à debita deflexerit crasi, hanc multum interturbare posse, pronum est concipere.

(b) *Systematis Nervosi* nomine non *ipsos* solum Nervos, dum hanc denominationem solemniter fortiuntur, intelligo, verum insuper *universas* quæ corpus constituunt *Fibras*, sive Musculorum, sive Membranarum, aliasve ubicunque reperiendas, utpotè Nervorum solummodò propaginibus & productionibus habendas, atque ab his actuandas, ut motui, sensationi, absque functionibus animalibus obeundis inserviant, quippe ab iis continuatæ nullam aliam, quantum mihi liquet, originationis suæ rationem obtinere valent; quin tubulatas esse, & sui, & partium, quarum sunt augmentum, fidem facit. (c) Nil enim aliud, juxta Cel. *Entij*, pluriumque aliorum doctorum virorum sententiam, haberi potest Meditullium Cerebri quam Arboris Humanæ Radix in Cortice, tanquam terra propria, plantata, latè verò per truncum, ramos, ramulosque innumeros se dispergens; quæ quamvis origine sua Arborum more, satis contracta & tenera sit, necesse tamen habet & multum in progressu ampliari, & in propagines multo compactiores excrescere, præ alimenti, quod his suppeditat, & copia & lenta protrusione; quippe cujus medio & magis usque accumulatur, (cùm non subito præparientum munimentis difflari possit) appellens materia, & arctiususque pressura compingitur: Unde obiter, & senectutis ratio, & moriendi tandem necessitas, exacta compactionis proportione, elucet. Sed de hac re infra fusius.

(d) Quotidie audio multos, eosque doctissimos viros urgentes nondum *Succi nervosi existentiam* sat plenam patronis suis probationem nactam esse ea potissimum ratione quod in conspectum non prodeat. Quibus, salvo honore, reponere liceat æquum esse (prout olim petii) hos Celeb. *Entii*, *Glissonii*, & *Willisii* argumentis super hac materia responsionem aptare [saltem mihi, forsan quod molestis occupationibus detentus fuerim, talem nondum vidisse contigit] non verò, donec hoc præstiterint, indesidenti Hypotheseos criminationi usque immorari. Quid ego huic objectioni reponi posse censuerim (*Tr. de Secretione Anim.*) pridem exposui, nec muto sententiam, cum nil, quod meis sensis meritò adversetur, hactenùs conspexerim. Quin insuper cùm tensitatis motricium fibrarum [ab omnibus concessæ] ad motum præstandum, ejusque nonnunquam non per momenta sed horas protrahendæ, ratio haberi non possit, nisi tubulati fuerint nervi, qui illis materiam ad hoc negotium suppeditent; liceat iterum suggerere, quod mihi arduum sit concipere quidnam hoc efficiat, nisi quod, non solùm *Li-*

quoris

[a] *propria Sententia; Cerebrum, & Systema Nervosum, esse sedem, & succum Nervosum depravatum materiam febrium Intermittentium.*

(b) *Systema Nervosum complectitur omnes corporis fibras.*

(c) *Meditullium Cerebri est Arboris humanæ Radix, Nervi & Fibræ, Rami ramulique.* [d] *Existentia succi nervei adstruitur.*

quavis ſpecie hoſce ingrediatur tubulos, ſed etiam ſatis *craſſa* & lentæ ſit conſiſtentiæ; cum ſecus nimis cito difflabile eſſet; eoque magis, quoniam quò longius ab origine procurrunt, tantò magis ampliari neceſſe eſt tam has, quam Arterias, quo & molem corpori dent, & materiam inſuper huic actuando miniſtrent.

[a] Perdoctis equidem quibuſdam viris placet. Nervos *non ſuccum* ſed *Aerem* deferre, ſpirituſque animales ex hoc conſtare, iſto potiſſimùm nixis argumento, quod ad expanſiva, qualis aeri competit, facultate procedant horum effectus. Verum mihi (ignoſcat eorum humanitas) videtur, hunc, quamvis ad celeres & expanſivos, quos in Muſculis præſertim, experimur motus, multum conducere probabile ſit; qua de cauſa neutiquam ejus miſcellam cum ſucco nerveo negavero: Attamen, nec unicè iſtum effectum producere, nec quidem in nullis corporis noſtri fibris ſeorſim conſiſtere poſſe facilè credidero. Admiſceri ſanè aerem tam omnibus liquoribus, quam ſolidarum partium ubique compagi, neceſſe cenſeo: cùm & una cum omnibus alimentis non poſſit non deglutiri, & ubivis corpus noſtrum ſatis poroſum ambiens atque premens excludi nequeat; imo nulla forſan fermentatio abſque hujus (vel ingeniti, vel forinſecùs admiſti) ope haberi poteſt. Verùntamen, cùm vel hujus opinionis patroni, opinor, conceſſerint, maximam ejus partem, quæ nervos ſubit, in illos ſolita alimentorum via deportari debere, vix rationi conſonum videtur, ejus particulas adeò ſeſe ad omnibus Sanguinis, ad Cerebrum ruentis, partibus extricare poſſe, utfinceræ eorum tubulos ſubingrediantur; cùm & multum his irretientur, & præ motum expanſivo ſui juris hinc factæ, facilè cedentium nervulorum radiculas, atque exinde parietes, uſque adeo extendere natæ ſint, ut præcaveri non poſſit, quin una ſubintrent plures ex mollioribus & plicatilibus illis atque valdè exilibus, quibuſcum modo commercium habuerunt, Sanguinis etiam particulæ. Quin notari poterit, particulas Aereas, quæ figura, quam convolutæ induunt capaciores requirere ad ingreſſum meatus, quam quales multæ ex humidis, proprieque Sanguineis, exigunt; quandoquidem *Hæ*, præter exiguitatem jam modo memoratam, facilè cum neutiquam rigidæ ſint, ſed omnibus aliarum motibus promptè obſecundare natæ, extremitatibus ſuis ſe in ſecretorios in cortice ductus, quantumvis valdè arctos atque exinde in adſitos nervorum Medullam Celebri cõrflantium recipere valent; cum è contra *Illæ* curvaturis ſuis) quod neceſſe eſt comminiſci, modo recepta de iis ſententia vera ſit; conſtare ſcil. ex oblongis, flexilibus ſed ambientium preſſura convolutis, at reſtitutionem perpetim molientibus, particulis) ad aperturas haſce præmultarum aliarum, diverſi generis interpoſitione, appellentes ſubintrare nequeant, niſi valdè patulos offendant meatus. Hinc ut conſtet, impense majorem humidarum ex Sangnine particularum copiam cum iſtis ingredi imo iis vehiculi loco inſervire, ſolum flumen quo innatant præbentes, ſed & commeatum promtiorem, vaſculorum horum latera molli irrigatione laxando, parantes. Quas quod minus liquoris Nomenclaturam meritò ſortiantur, non video quid vetet; cùm & ex verè humidis particulis conſtent, & aliæ alias contingere, liquorum aliorum more prorſumq; urgere; preexilibus licet fluentis cõcluſe, neceſſe habeant

At quandoquidem Nervoſi Succi exiſtentiam ſic adſtruere ſuceperim, liceat gradum ulterius, aliquanto provehere, atque antiquatum, imo à longè plurimis exploſum dogma, ὡς ἐνεργείᾳ in ſcenam revocare, (b) *Nutritionem* ſcil. *veram*, *non formaliter ſolum & directivè ſed vel materialiter à Succo Nerveo præſtari*; *Nervoſque* vel ſaltem *eorum propagines*, ipſa eſſe *Vaſa*, quorum miniſterio hoc opus peragitur. Quod quamvis ſatis paradoxum forſan prima facie appareat, ſi tamen altius penſitando, omni

[a] *An ſolus Aer in nervis contineatur, ſpirituſque animales ex hoc conſtent.*
(b) *Succum nervoſum eſſe ſuccum nutritium.*

probabilitate non prorsus destitui deprehendatur, hujusce Succi existentiam valentius firmabit. Solummodo præfari Lectores liceat, quod tam prolixa digressione eos à propositi discursus contextu detineam.

CAP. III.

Nutritionem Nervorum ministerio peragi, Succumque Nerveum esse ipsam Nutricatus Materiam, adstruitur.

(a) UT probabilitatem huic Sententiæ (à Celeb. *Glissonio* magnis rationum momentis stabilitæ) ulteriorem aliquam diem, monendum imprimis est, universa corporis stamina, *partes solidas*, earumque fibras, ex *Nervorum propaginibus* conflari, prout modo asserui: de quo si quis dubitaverit, monstret oportet unde alias trahant originem. Quippe cum ab omnibus agnitum sit vasorum, non solum ad Motus & sensationis munia præstanda, sed etiam ad Nutritionem, per universum corpus continuationem, & promptum ex unis in alia commeatum dari eorum necessario principium aliquod & originationis & dispensationis assignandum est; quod forsan hinc facilè, aliundè verò difficulter deduci poterit. Et sanè hujnsmodi istorum fabricæ adstruendæ & naturæ & arti mechanismus ubivis observandus aperte suffragatur.

De *Corde* quidem forsan lis esse potest, an scil. ad hoc deveniant. Et sane nulli alii fonti, nisi *Cerebro* vel *Cordi* suam debere originem quisquam, opinor, censuerit. [Quod enim de *Hepate* olim, circa venarum ab eo ortum, commentati sunt veteres, jam dudum evanuit) cùm obvium sit nullam præterea partem æque universalem ac istæ in corpus influentiam [quę quidem vasorum ministerio peragitur] obtinere.

(b) Verum *Cordi* [Sanguinis quidem Antliæ non autem Officinæ] vix quisquam hoc tribuerit, qui perpenderit, ipsum nihil aliud quàm *Musculum* esse, quos omnes ex Nervosis staminibus oriri nemo negaverit. Et quamvis hoc primum vivens olim dicebatur, quod motu puncti salientis primum in conspectum veniret, isthæc tamen Phrasis in conceptus primordiis non motrici alicui insitæ virtuti, peculiari fabrica [quæ jam nulla esse potuit, vix dum jactis corporis rudimentis] pendenti debetur, sed nixui expansivo spirituosi illius liquoris seminalis, qui viscidam formandi Fœtus rarefacit & extendit materiam, reciprocationesque, quas cernimus, hoc nomine quod repressus sit, subire facit: adeo, ut tunc temporis purè passivum sit, quod Cor postea audit; donec Cerebro fabricato cujus tamen declinationem in Ovulo, perinde ac in plantarum feminibus cernitur etiam ante ejus imprægnationem, haberi curiosiores quidam Anatomici statuunt) Nervorumque inde prognatorum famulitio ad hanc, non minus quam cæteras omnes partes, actuantem nobilioris generis materiam (Animæ, hic tanquam in solio sitæ, directione] porrigente, quam vi non sua inchoaverat, nova hac & mirabili naturæ arte motum aliunde ineat, atque in posterum perenni tenore conservet: Quippe necesse est, ut satisfat tandem Succi primordialis, hic primum visibiliter emicantis, energia, præ crassiorum identidem sese ingerentium particularum miscela; quin mole Cor auctum, & quadantenus induratum, externæ mechanices subsidium pro motu suo ulteriori exposcet. (c) Hunc vero Cordis motum non sibi ipsi, sed Cerebro, deberi ulterius colligi potest, tum ab hujus affectibus, sive ab affluxu Sanguinis nimio, sive depravati appulsu concitatis, prout in Febribus ipsam afficientibus, & lenta deliria motusve convulsivos & contracturas tendinum inducentibus, quandoque usu venit quibus in casibus pulsus, exactos secus rhytmos servans, valdè irregulariter sæpenumero se habe-

re

[a] *Universa corporis stamina Nervosæ esse originis adstruitur.*
[b] *Non à corde profluere.*
(c) *Argumentum ab irregularitate pulsus Cerebrum afficientibus.*

re ſolet materiæ ſcil. Morbificæ parte in Nervos Cordi infertos depoſita ; tum etiam ab externis accidentibus Cerebro labem affigentibus.(a) Ipſe quidem aliquando obſervaſſe nemini, quod ubi præ ictu violento calvariæ impacto concuſſio magna [non tamen, prout fors tulit, lethalis] Cerebro inducta fuerint, pulſus licet non prorſus ſiſteretur, longis tamen adeo intervallis reciprocationes ſuas obierit, ut trium vel quatuor pulſationum ter ſingulas in ſtatu ſano numerandarum intercapedo intervenerit; influentia ſolita Cordi à Cerebro læſo ſic proculdubio denegata. [*b*] Non equidem rationi abſomnum videtur menſuram augmenti noſtri, per aliquot luſtra ad plenam uſque ſtaturam à Corde determinari : Quippe ab hujus capacite & robore pendet, quod & Sanguinis tanto longios in recta linea propellatur, antequam retorqueatur, & propterea arteriæ formationem ſuam, qualem cernimus, ſortiantur, quæ ſecundum vim motus Sanguini apud Cor impreſſi, & magis uſque [dum fluidior, vel ſaltem magis cedens, perſtat corporis materia] divaricantur, tandem deſinunt in capillaria tenuiſſima, quorum proportio [quam exactiſſime ubique ſervat in operibus ſuis Natura] nec ulteriorem tolerat extenſionem, nec quicquam eorum extremitatibus addi permittit, ut pote ad ultimam deductis exilitatem. Verum hoc non materiæ genio [circa quam habetur quæſtio], ſed mechaniſmo debetur : ipſumque Cor quamvis formationem ſuam ſpirituoſę in Cicatricula hoſpitanti materiæ debeat, atque ſic actualem Organizationem ante reliquas partes forſan induat, [licet probabile ſit, ut modo innui, omnium Sciographiam in ſeminali, quæcunque illa ſit, maſſa, in ipſis conceptus primordiis una emergere] poſt liminio tamen rigidius evadens, motum ſuum ab eadem per Nervos deportanda neceſſe habet mutuari. Proinde quamvis non negavero arteriarum, qua vaſorum ſanguiferorum propagationem à Corde immediatę haberi, non tamen Fibrarum tam has quam reliquum Corpus conſtituentium, cùm vel illæ partes arteriæ, non ſecus ac cæteræ omnes partes ſine altiori, quam à Corde influentia mox collabeſcant ; non quidem vel iſtarum, quæ ipſum Cor, ubi Muſculi texturam induerit, conſtituunt, (*c*) cum conceptu arduum ſit Cor ipſum à Sanguine intra ventriculos contento, creſcere vel nutriri poſſe; imo tandem nè venarum quidem, licet in Corde terminentur : utpote quæ ſolummodo à craſſiore reflui primigenii liquoris parte ex maſſa viſcida ſeminati concinnari videntur.

Inferendam ergo arbitror, *Nervis in Cerebro radicatis* adſcribendam eſſe *univerſorum corporis ſtaminum*, quanquam non veram forſan *originationem*, quæ in ipsa prima formatione quærenda eſt, [*d*] *vim tamen influentialem in Corpore formato*, qua non ſolum moventur, & ſentiunt, quæ harum functionem capacia ſunt, ſed vel exiſtant ſingula, hoc eſt, conſervantur & nutriuntur; nec aliunde quorumcunque ſive liquorem, cujuſvis præterea denominationis, fluidorum, in ejuſmudi corpore principium motus deducendum eſſe. Quod quidem quamvis, quantum ad motum animalem & ſenſationem attinet, nemo forſan negaverit, de Nutricatus tamen ſupplementis vix ſtatim concedetur; utpote quoniam altè inſedit notio Sanguinem, tanta quam cernibus copia ſcatentem, adque univerſas corporis regiones indeſinenter diſtributum, inque ſuo gremio Nutritionis materia (agnoſcendum, quidem de remota) continentem, hanc ubivis pro partium indigentis immediate deponere. Verum ut alia quæ huic ſententiæ contraveniat, ex Celeberr. *Entio* petenda, mittam; hinc forſan litem hanc dirimendam eſſe cenſeo, quod *Nulla per extrapoſitionem* vera ſolidarum partium (*e*) *Nutritio* (juxta ejuſdem Cl. Viri effatum ſumma ratione nixum) concipienda ſit. Si autem vaſorum Sanguiferorum miniſte-

[a] *Hiſtoriæ*. [b] *Menſuram quidem augmenti noſtri à cordis, qua maſculi, robore determinari*. [c] *Ne ipſum vero à ſuo ſanguine nutriri*. (d) *Cunctarum partium vis influentialis ad omnia munia à cerebro*. (e) *Nulla per extrapoſitionem Nutritio*.

rio hujus materia immediatè ſuggeratur nequaquam, ut videtur in intimum Fibrarum (ex quibus unicè conflatur corpus) habitum deponi poteſt, quandoquidem has illa vaſa neutiquam ſubintrare valent, utpote earum plurimis multis parafangis craſſiora; quin ipſa ex fibris, pariter nutriendis, conflata ſint: imo potiùs appoſitioni obeſſe debet Sanguinis impetu ruentis alluvies quoniam inde nec delectus pro ſingularem partium indigentiis, nec aſſimilandarum ſubſtantiarum mora haberi poſſe videtur.

(a) Ut vero ſententiam meam plenius exponam, probabilitatemque aliquam problemati adſtruam, expendendum venit.

Primò, Quid ſit *Nutritio*.

Secundò, Quænam ſint ejus *Requiſita*.

Tertiò, Quæ ei *obſint*.

Quibus pro modulo meo explicatis, pareſt ut inveſtigare ſatagam.

Quartò, An *Sanguini*, vel potius

Quinto, An *Syſtemati nervoſo*, *ſuccoque nerveo* accommodanda ſint.

Sexto, *Modum*, quo rem hanc tranſigi concipiam tradam.

[b] Primò *Nutritionis* voce intelligendam cenſeo electivam appoſitionem materiæ alicujus in corporis viventis ſubſtantiam, ſive ad deperditæ inſtaurationem, ſive in augmentum à natura præſtitutum: Utramque enim actionem ſub eadem claſſe comprehendi cenſeo. Quamvis enim Phyſiologi inter facultates *Nutricem* & *Auctricem* diſtinguere ſoleant, atque illam conſervationi, hanc determinatę individui extenſioni præficiant, illorum tamen venia cenſuerim verbotenus ſolummodo diſcrepare, cum reipſa conſentian. Si enim quid reſarciendum ſive inſuper ſupplendum in corporis augmentum ſit, eadem omnino rationes res tranſigenda videtur. (c) Quippe nil aliud in utroq; opere habetur, niſi particularum in partis ſive augendæ, ſive reſarciendæ porulos quę iis congruæ ſint impactio, ex eadem materię alibilis maſſa, iiſdem in utraq; inſtantia vaſis deportata: quę quidem particulæ cùm tali motu appellant, qui vel illis libertatem à reliquis minus congruis ſecedendi ſive permittat, ſive imprimat (uti cenſere debet, qui Nutritionem à Sanguine, perque vaſa ſanguifera, immediate deducunt) vel ſimpliciter apponendas adducat, hoc tantum præſtant, quod in iſtos deflectant porulos, quos (cùm propter anguſtias prorſum eundo offendunt, elabi ſtatim nequeant) inſequentium protruſione uſque adeo compingantur, ut ſic præ ſimilitudine & congruitate in ipſam partis ſubſtantiam tranſeant, atque in hoc ſolummodo diſcrimen ſitum eſſe cenſeo; quod in *Augmentatione* particulæ appellentes materiam partium magis extenſilem offendant, poruloſque in ſuperficie contractiores; quo fit ut, dum ſeſe incuneare ſatagant, aliquatenus extendant, quam ſubeunt cavitatem, viamque ſic aliis irruituris faciant: cum *mera nutritione*, ſic dicta, partes nutriendæ, haud amplius appellentium energiæ extenſivæ, præ aliquali rigiditate, obſecundent, verum has ſolummodo retineant [utpote mole, & figura congruas] donec præ aliorum à tergo inſequentium protruſione etiam hæ foras extrudantur, iſtis locum ceſſuræ. Utcunque tamen de diſcrimine inter duas haſce actiones ſtatuatur, *Nutritionem* (ut ſummatim dicam) nil aliud niſi particularum, mole & figura congruarum, in porulos partis novarum ſubſidio indigentium impactionem cenſeo.

Ut vero hanc plenùs explicem; ſequitur, ut;

(d) Secundo, *Requiſita* ad opus pauliſper recenſeam & expendam.

Sub hunc cenſum cadunt,

Primò, *Cavitatis implendæ* Conſideratio.

Secundo, *Aptitudo materiæ appellentis*, ut cavitatem hanc ſubingrediatur.

Tertiò,

(a) *Apparatus ad probandum Theſin*, [b] *Primò*, *Quid ſit Nutritio*.
(c) *Differentia inter Nutritionem & Augmentationem accidentalis tantum*.
[d] *Secundò Nutritionis Requiſita*. *Primum ut cavitates ita conſtituantur, unde debite ſuſpiciant, & tranſmittat alimentum congruum & effætę exituro faveant*.

Tertiò. *Conformatio partis nutriendæ*, ut impulsam sistat materiam.

Quartò, *Vasorum advehentium* debita ad materiam advehendam *proportio*.

Quintò, Talis in apponenda materia *motus gradus* qui appositioni faveat.

Sextò, *Mechanica* apponendæ materiæ *Directio*.

Primum quod spectat; Clarius est; quam ut probatione indigeat, viventium corpora valde rara esse, h. e. *innumeras ubique cavernulas* inter solidam eorum substantiam interjacere, Succi nutritii supplementis admittendis natas: Quin insuper meatibus non solùm per totum intus habitum in vicem communicantibus, verùm etiam extrorsum hiantibus, referta esse constat: Quippe præter id quod in dies ex transpiratione experimur ratio suadet, porulos hosce ad ipsam partis cujusque superficiem pertingere, quoniam absque hoc congestio nimis ad vitæ munia magna ab appellentibus liquoribus citò eveniret. Horum porrò sepimenta sat extensilia sunt, id quod ex ipsa multorum mollitie; reliquorum [primis saltem quatuor vel quinque ætatis lustris] augmento constat. Unde cùm continuus adsit in omnes partes à Sanguine, Cordis ministerio, porrò & à pluribus inde emergentibus liquoribus (mitior licet, tamen aliqualis) impulsus, necesse est materiam cavernaculis nisce priùs inclusam identidem emigrare; unde & locus subsecuturæ relinquitur, & supplendarum particularum necessitas emergit.

(a) *Secundò*, Ad hoc munus requiritur ut *apta & congrua* apportetur *materia* cùm non omnes indiscriminatim particulæ omnibus partibus resarciendis conveniant. Aptitudo hæc, quamvis plura forsan requirat, in duobus tamen potissimum consistit, *mollitie* scil. & *exiguitate* particularum appositioni dicatarum. *Mollities* ni summa adsit haud concipi potest has ad omnes partium, imò valde sensibilium, recessus sese tam placide, quam cernimus accommodare posse. *Exiguitatem* insuper valde notabilem requiri palam est quoniam secus admissioni in porulos, quos ineffabili & numero & exilitate corpus habere certum est, nequaquam habiles esse possunt: Et quorsum naturæ de tot alimentorum comminutionibus cura, quorsum tot artis circa eorum Fermentationem & Coctionem subsidia; nisi ut exquisita iis comminutio inducatur? Et quidem solemni observatione stat nullam habere nutritionem à rebus compactis, quæ comminutionem pati non possunt, vel etiam à multis ex iis, quæ alimentorum Nomenclaturam secus obtinent, modò crudis deglutitis, quæ pariter comminutioni hinc multùm obstant. Quippe sicut multò infra sensum cadunt prima corporis nostri fundamenta, sic porrò & hujus augmenta, & redintegrandi ratio, ad quæ idcircò concurrentes particulæ valdè notabilem tenuitatem postulant, non minus, quàm mollitiem.

[b] *Tertiò*, Porrò necessum est, ut ita *formentur* partes nutriendæ, ut *statim præterlabi* materiam appellentem permittant, verum ei aliquam moram nectant. Quæ quidem conformatio quamvis forsan, respectu vasorum afferentium, alicubi in pororum circa extremitates constrictione consistat. (Quam præstat tum ipsa Fibrarum in corporis superficie saltem implicatio, quo sic firmitas ei concilietur: tum cuticulæ superinductio; tum atmosphæræ pressura, quæ partes omnes, præsertim ei propius expositas, multum compingit] potissimum tamen in aliquali receptaculorum in parte resarcienda ampliatione fundatur, cujus gratia magis liberum in iis offendens materia spatium segnius agitatur, nec adeò libere statim elabi valet. Et hoc necesse ferme habet evenire ubivis in partium nutriendarum habitu, quoniam quamvis, ubi multa concurrerint ad partem aliquam conflandam stamina, robur eo nomine induant, si tamen singula seorsim contemplemur, adque infimam texturæ rationem attendamus [in qua necesse

(a) *Secundum, ut apta sit materia apportanda, id quod in mollitie & exiguitate particularum potissimum consistit.* (b) *Tertium, ut partes nutriendæ non nimis promptum dimittant materiam.*

ceſſe eſt ut eorum nutritionem ſtatuamus) omnia valdè tenera & cedentia concludere debemus; in quibus proindè carvenularum proportionem propter affluxum materiæ alibilis ampliandam fore pronum eſt concipere; motu nempe liquoris hic fatiſcere incipiente, utpote magis preſſi, quanto priùs ad ſuperficiem partis acceſſerit, ubi ſtrictiora eſſe vaſa modò innui.

(a) *Quartò*, Neceſſe videtur, ut quę materiam nutritioni idoneam apportant, *eius* ſolummodò ſint *amplitudinis* vaſa ut materiæ advehendæ *proportionem* gerant, ea de cauſa, ut abſque moleſtia partibus iſthæc apponatur, nec ulteriorem hic requirat ſecretionem, cùm omnia quoad hanc actionem placidiſſimè tranſigenda ſint. Quippè cùm nutritio ſit ultima quæ ad corpus ſpectat actio, ſicut palam mihi eſt nullas ampliùs ſecretiones ad hanc rem immediatè requiri, utpote ad quam omnes in anteceſſum deſtinatæ fuerunt; ſic pariter conſtare videtur materiam ad eam deſignatam tali ſolummodò menſura diſpenſari debere, quæ ei exactè quadret. Proindè cùm hæc ſapientis naturæ deſignatione in minimis, ut dixi, corporis molleculis habeatur, neceſſe videtur, ut perexilia ſint, quæ materiam nutritiam apportent vaſcula, ne præ confuſione particularum peſſundetur deſtinata. Et quorſum tot ubique ſecretiones, niſi ut tandem puta & exactè defœcata paretur materia, quæ muniis animalibus inſerviat; quod ubi obtigerit, nemo certè ei ulteriorem ſeparationem adſcripſerit, cùm jamjam ad præſtitutæ depurationis metam pervenerit; Cùm verò inter hæc munia nemo eſt, quim Nutritionem numeret, atque ad hoc opus vaſa apportantia requirantur, rationi conſonum videtur, ultimam hanc appoſitionis materiam in talia tandem deponendam eſſe vaſcula, quæ eam abſque ulterioribus vel mora, vel ſeparationibus ad partem, cui deſtinatur, immediatè convehant.

(b) *Quintò*, Omninò neceſſe videtur, ut *Motus materiæ apponendæ* talis ſit, undè aptè ſe hæc in partium, ejus ſupplementis indigentium, porulos inſinuet; hoc eſt, ut particulæ apponendæ ſic ſeſe cavernulis, quas offendunt, juxta poſitionem maximè congruam, applicent, undè nec ipſæ facile dimoveri periclitentur, nec ſimilium aliarum appulſui, nec ſubtiliorum [qui Spirituum nomine veniunt] tranſcurſui officiant. Hic ergò motus lenis placidulque ſit oportet; cujus medio iſtæ, cum fluidæ, & verſatiles ſint, poſitione tantiſper, ſed amicè varient, donec, quam volumus, tandem naciſcantur.

(c) *Sextò* tandem, par eſt, ut *Mechanicæ directionis* ratio habeatur, quo particulæ alibiles debitè & facilè ad deſtinata loca traducantur. Quæ quidem exigit, ut fat tam rectis, quàm arctis & compactis ductibus coerceatur apponenda materia, donec ad appoſitionis locum pertigerit, externæ autem applicationi neutiquam faveat. Quippe cùm nil niſi Machina ſit Corpus noſtrum, cunctas in ea actiones ad Mechanicas leges exigi neceſſe eſt. Hæ autem poſtulare videntur, ut quicquid apponendum deportatur per vaſa appropriata intus pellatur, non extrorſum compingatur. Notum eſt ſtirpes atque arbores Fibrarum, quæ horum ſunt vaſa, directione ab intra creſcere, atque involucra eorum hinc extendi, pro ratione materiæ intus delatæ; unde indicia tam nutritionis, quàm augmenti eorum deſumimus. Et ſicut hoc in integris cernitur, ſic porrò idem in ſingulis partibus intus concluſis pari modo præſtari uniformitas & ſimplicitas naturæ legum ſuadet. Quidni & hoc in animalibus locum potius habere debet, quorum liquores (ſaltem aliqui, imo longè plurimi) motu multùm citatiori feruntur: Unde vice appoſitionis confuſio potius induceretur, niſi apponendarum particularum directioni cautè natura proſpiceretur: quod unicè, quantum mihi videtur,

ſepi-

(a) *Quartum ut proportio adſit inter materiam nutritioni deſtinatam & vaſa advehentia.* (b) *Quintum Ut motus gradus in appellente materia ſit lentus.* (c) *Sextum juxta mechanicas legis partes nutrienda, traducatur.*

lepimentorum recta ducentium, imo valdè arctorum, admotione præstari potest; unde & tuto & placidè ad partem ipsam nutriendam destinata manuducatur materia? Quippe cùm isti liquores multo quàm qui nutriendis plantis dicantur magis exaltati sint; magisque heterogeneis, universim sese, modo sibi permittantur, diffundere in proclivi habent, utpote non proprio & intestino solùm nixu, sed vi agitationis adventitiæ pulsi; Proinde necesse est ut, tam sat arctis vasorum carcellis ad appositionis munus peragendum coerceantur, quàm iisdem, quantum fieri potest, rectissimis ad locos resarciendos deducantur. Et quidem nullam aliam corporis animati, quod ad operationes ejus attinet (exceptis quæ ad animam ipsam immediatè spectant) Ideam mihi efformare possum, quàm *Machinæ hydraulicæ*, quæ tubulorum affabrè dispositorum ductu omnia quæ sui sunt muneris, & quandoque artificii ignaris, stupenda profert; ista vero tanto exactius & faciliùs, quanto minùs à recta positione hi deflectunt.

[*a*] Ab istorum requisitorum consideratione inferre licet *Nutritionem* veram *lentas gradibus* fieri; quin materiam semel appositam, nisi à violenta causa, non admodùm cito diffari. Et hoc quidem communis experientia comprobat: Quippe multos cernere est parcissimè vel comedentes vel bibentes, qui tamen corporis habitu satis carnoso nihilominùs prædiri sunt: quorum insuper nonnulis (mea observatione) & alvus valde lubrica est, & aliæ evacuationes pro more aliis solito dietam procedunt imò cuivis in propatulo est, multos ægrotantes prostrata appetentia laborantes, cibumque aversantes nihilominùs per sat longum tempus à Contabescentia liberos persistere. Et quamvis hoc omnibus non contingat, nullum tamen inde in contrarium deduci posse argumentum censeo; quoniam quod in gradu inferiori aliquibus recte valentibus competit, pro stata Naturæ regula hac in parte tenendum mihi videtur; quippe quæ lentis motibus opera sua, minimarum particularum medio peragenda, molitur, ut sic proportio inter motum & materiam servetur. Verùm quod multi demptis copiosi alimenti Supplementis cito carnibus non secus ac viribus, deficiant, hoc aliis causis, patulis scil. meatibus, atq; Succis acrioribus debent: unde fit, ut necesse sit alimenta & frequentiùs & copiosiùs subministrentur, quæ & hos redundant, & illis proportionem gerant.

Ut vero res hæc aliquanto pleniùs elucidetur, par est, ut Nutritionis impedimenta paululùm enumerem, saltem recolligam. Idcirco.

(*b*) Tertio, Constat Nutritioni obesse. Primo, *Cavitatem* partis Nutriendæ *nimis amplitatam*. Quippe si nimis patula fit, nequaquam satis coerceri possunt particulæ appellentes, ut sese ad parietes compingant, quin plures, ut modo monui una fluxitantes, forsan & nimis invicem heterogeneæ, quales ubi sat spatii datur facile confluere possunt, alternatim se in motus, ultra proportionem appositionis vegetos, concitare gestient, adeoque & præpropere erumpere, & tonum partis, motibus hisce extendendo, lædere necesse habebunt.

Secundo, *Nimiam* sive *crassitiem*, sive *heterogeneitatem* particularum apponendarum. Nisi enim satis comminuantur, neutiquam prioribus comminutionem debitam passis sese applicare & assimilare valent. Porro in propatulo est uniformitatem, quanquam forsan non requisitam, saltem proportionalem, inter singulas similaris cujusque partis [nec enim ad alias, nisi qua tales, spectat Nutritio] particulas haberi, quæ à continentium invicem similitudine unice peti potest; eo quod valde difformes se in exhausta spatiola, quæ determinata amplitudine & figura donantur, nequaquam ingerere, saltem debite iis applicare possunt.

[*d*] Tertio *Poros* in extremis *præter modum biulcos*: Quod si contigerit, appositio

[a] *Hinc infertur Nutritionem lentis gradibus peragi.* (b) *Tertiò Nutritionis Impedimenta. Primum, Cavitas nimis patula.* (c) *Secundum, nimia crassities, vel heterogeneitas materiæ.* (d) *Tertium Pororum in extremis nimia dilatatio.*

tio minimè haberi poteſt; verùm tum præ continuo, quem ſubeunt liquores in omnibus vaſis, impulſu, tum rarefactione, quam indigenus efficit calor, neceſſe erit deſignatam alimoniam foras ſe propipere. Atque ab hoc pororum potentiori, quàm par eſt, habitu multos ad macilentiam diſponi æquum eſt concipere: atque obſervari poterit, iſtis, qui balneationi ſe aſſueſcunt, multùm de carnoſo habitu brevi decedere.

[a] Quarto *Amplitudinem nimiam* vaſorum verſus partes Nutriendas adferentium, quæ ſi vel heterogeneam, vel etiam æquò copioſiorem, apportent materiam, appoſitionem peſſundant, hinc obſtruendo, illinc adductam maſſam ultra naturæ dimenſum agitando.

[b] Quintò; *Motum* materiæ apponendæ *nimis concitatum*. Quippe hoc contingente, nec ſeceſſio debita, ſi ex heterogenea maſſa ſecretio immediatè ad actum Nutritionis inſtruenda ſit, haberi poteſt nec, ſi ſelecta tantummodò materia per propria vaſa deportetur, hujus particulæ vel debitum ſingulæ ſitum obtinere, vel inter ſe commodè coire valent, verùm confuſi adeò linquentur meatuli, ut inde intrumpatur identidem Spiritum commeatus (forſan enim tales à Succo ipſo Nerveo diſtinctos, licet non ſeorſim motos, utpotè adeò comminutos & exaltatos, ut ſat habiles ſint ſeſe qua data via explicare, non incongruum erit concipere) ex quo perturbari neceſſe habet, nedum Nutritio, ſed vel univerſi corporis œconomia.

[c] Sextò, Talem *mechanicam vaſorum ſtructuram*, unde incuneatio ſuprà allegata impediatur: Quandoquidem enim impulſus, quo hoc peragitur, ſupernè per vaſorum rectitudinem (licet non exquiſitam, talem ſaltem, qualem permittunt partium invicem accumbentium reſpectus) inſtituendus eſt, ſequitur eum, qui poſitioni huic adverſatur, parum appoſitioni favere. Quippe totum eſt angulorum rationem motus quoſcunque multum determinare, eum omnis in recta linea naturaliter peragatur; adeò ut, ſi diſtorqueantur corpora mota, tantò magis remittit eorum energia, quantò ab hac deflectant. Cùmque hoc vaſorum manuductione in corporibus noſtris peragatur, neceſſe idcirco eſt, ut iſta ſic diſponantur, ut ad regularem, quem memoravimus, liquoribus contentis motum communicandum conſpirent; quod quidem poſitionem à recta quàm minimùm licet, deflectentem exigit. Atque hoc eo magis adſtrui neceſſe habet, ſi concipiamus hoc non ſolùm contra ruituri liquoris impetum, ſed vel motum, [undecunque derivandum] Syſtalticum ipſorum peragi debere.

Recenſitis ita Nutritionis Ratione formali, Requiſitis, & Impedimentis, par eſt ut [quod

[d] Quarto loco propoſitum erat) diſpiciam an *Sanguineæ* maſſæ, quà tali, competat hoc Nutriendi corporis penſum.

Pro Sanguinea quidem Nutritione militat, quod in confeſſo ſit Sanguinem, quocunque modo Nutritionem peragi ſtatuamus, particulas omnigenas nutritias ſuppeditare debere, quas proinde in gremio ſuo continere & circumferre neceſſe habet. Quo dato, non abſonum forſan rationi videatur, congruas ex harum, per univerſum corpus inſidenter circumlatarum, numero tum ad partes quaslibet ipſarum Supplementis indigentes pertingere, tum in receſſus vacuos motu progreſſivo itidem delatas ſeſe ingerere, ex quibus cùm præ oppoſitis anguſtiis elabi nequeant quid vetat quo minus in veram partium ſubſtantiam, aliarum pulſibus adactæ, tranſire poſſint?

(e) At vero *Nutritionis* opus rem majoris eſſe molis, quàm cui plenè elucidandæ tam craſſa & perfunctoria ſufficiat ex-

(a) *Quartum Amplitudo nimia vaſorum adferentium.* (b) *Quintum, Motus materiæ Nutritiæ nimis celer.* (c) *Sextum, perplexa & à recta nimium recedens vaſorum advehentium poſitio.* (d) *Quartò an Sanguis nutriat; Conceſſo Sanguinem materiam Nutritiam ſecum portare.* [e] *Non verò hinc evinci immediatam ſuppeditare.*

explicatio, quin Sanguini in vasis suis circum cursitanti simpliciter haud facile competere posse, evinci forsan poterit, si negotium juxta ejus Requisita supra allegata aliquantulum pensitemus. Quoniam vero ad nodum hunc solvendum opportunum videatur Sanguinis Anatomiam in medium adducere, quandoquidem sine debita constituentium ejus partium cognitione de effectibus haud detur definire, idcirco aliqua circa hanc rem præsanda veniunt. Cùm vero argumenti hujus κεφάλαιον prosecutio, plura includere debet alienæ indaginis, sufficiat ad præsens negotium annotasse.

[*a*] *Imo*, Massam ejus *multiformem* esse, atque particulis omnigenis conflari, tam crassioribus, quam minutissimis id quod necesse habet evenire, quoniam præter particulas debitè comminutas, omnes partium & vasorum porulos [quod ferendum est; tum exiguitatis, tum figurarum ratione, subingredi hinc aptas conflatur insuper partium ex novitio Chylo, sat omnium consensu, crasso liquore; partim ex effœta post deflagrationem materia, cujus multæ minutiæ aptitudinem ad motum amittentes sat strictam combinationem inire, grumosque inde crassiusculos constituere natæ sunt.

(*b*) Secundo, Harum perplures, communi consensu, multùm *acres* esse: Nec sanè aliter fieri potest, ubi tot varii generis alimenta ingerimus, tot Fermentationibus hæc agitantur; unde aliquas eorum particulas asperiores nec subigi statim aptas, è reliquarum amplexibus extricari necesse est, alias alioquin lenes, coalitionibus tamen novis in massulas firmiores, atque figurarum hinc mutatione tenerioribus parum congruas, facere probabile est.

(*b*) Tertiò, Particula hujus massæ ob motum quidem identidem subit Fermentativum, valdè *confusas* esse; ut pote quoniam quotidiana Chyli Supplementa Fermentationem ei inducentia omnes susque deque nequeunt non agitare; adeo, ut ars naturæ mirabilis admodum in singulis ad debita munia extricandis merito eluceseat.

d Quarto Universam in genere satis *Viscosam* esse; unde alias particulæ nullo negotio prehendere, atque hinc secretionibus, saltem instantaneis, obicem ponere deberent; ni

e Quinto, *Motu lattonis* sat *concitato* perpetuo cierentur; præ cujus insuper impetu nequaquam probabile est congruam singulis munis secessionem, nisi in vasis peculiari artificio concinnatis, obtineri posse: Qui motus quamvis circa arteriarum extremitates remissior sit, quàm propriùs à Corde, sat tamen vel hic loci citatus videtur, ad eludendam quamlibet electivam secretionem, quæ à mera percolatione pendere concipi potest, nisi [prout monui] affabre, & peculiari modo, ad hoc constructa sit pars, prout in secretionibus perfectivis, Intestinali scilicet ad Chylum, & Cerebrali, ad Nervorum contenta par est supponere. Intereà ut quadret ad combinationes nimis strictas inter singulas arcendas.

e Quibus perpensis (ut ad propositam disquisitionem respiciamus;)

Primo vix rationi consonum videtur cavitatulas ubique in habitu, vel minutissimarum, ferè, partium, quæ inter se impendio sunt difformes, ex tali quam innuimus massa materiam in absumptæ instaurationem perpetim seligere posse. Quippe cùm regularis Nutriendi modus sit (id quod hinc evincendum est, quod Nutritionis forma in particularum appositarum juxta priores quiete consistat ad quam sensim & in singula momenta lentiùs usque progressus habetur) quid tale à præfata difformitate particula-

a *Considerationes circa sanguinem, Primò, Massam ejus multiformem esse.*
b *Secundò, multas continere particulas acres.*
c *Tertiò, valde confusas esse ejus particulas.* d *Quartò, multas habere satis viscosas,* e *Quintò, Motulationis valde citato ferri.* f *Negatur Nutritio immediate per sanguinem, quia non respondet Requisitis primo.*

cularum, motibus & intestinis & protrusivis concitatum, sperari potest, dum idoneæ hinc nec facilè segregari, nec commodè se in cavernulas dictas insinuare possunt, quarum quidem multæ & parietes rigidiusculos habent, & penitus forsan reconditæ sunt, quam ut promptus in eas commeatus ex Sanguineo rivo concedatur?

[a] Secundum ex allatis requisitum non multùm hic moror; cum minimè dubium sit, complures in Sanguinea massa delitescere particulas sat molles, minutas, & huic operi aptas; quibus si in meatulos dictos concedatur ingressus, palam est eas, moram hinc nactas, facile quidem apponi posse. Verum: (ut taceam multos insuper in Sanguinea massa, ut modo indigitavi, delitescere valde asperas, quæ molliorum illarum efficaciam pessundent) hoc opus, hic labor est; quandoquidem primam hanc admissionem adeo difficulter ex Sanguineo rivo immediatè habendam supponam; Unde nullius momenti erit ad evincendum hinc Sanguinem, qua talem, aptitudinem possidere ad immediate Nutriendum, quam illi neutiquam simpliciter negabimus: verum difficultas in partitularum Nutritiarum, ex multiformi, & raptim agitata, massa; extricatione consistit, quæ vix ad tam elegans permansurumque opus, ut est corporis animati, præsertim humani compages, instantanea concipi debet, est accuratum lentumque requirere videtur artificium.

[b] Tertium requisitum eodem fere, quantum ad Sanguinem attinet fundamento nititur: Quippe si materia nutritia non nisi admodum difficulter admitti possit, de coarctatione inposterum habenda non est, ut multum solliciti simus.

(c) Quod ad quartum attinet; Quandoquidem lentis gradibus nutrimur; ut proinde exigua solum quantitate supplenda sit materia Nutritia; videtur quod nota arteriarum amplitudo huic operi valde improportionata sit. Si enim instantanea ex Sanguine in partibus nutriendis segregatio Nutritionis actui minime conveniat [prout stabilire conatus sum] verum necesse sit in propria vasa prius recondi quod apponendum est, certe sanguifera minime huic competere possunt negotio; quorum contentum ejus esse genii fatendum est, ut non huic soli, sed omnimodis fere usibus inserviat, utpote omnigenarum secretionum mineram: ut proinde vasa eum deferentia nimis ad hoc opus ampla cavitate donari facile concipiamus. Quin vix probabile est hunc in specie ad ultimos omnium partium recessus pertingere: quorum multi immane quantum arctiores sunt concipiendi, quàm ut crassiores ejus particulas admittant. Verum insuper.

[d] Quinto, Constare videtur rapidum Sanguinis motum circulatorium non posse non huic operi multum officere. Quippe, præter quàm quod necesse sit hinc multum confundi omnes ejus partes, unde secretionem vix haberi posse concipiamus, verisimile mihi videtur alluentem Sanguinem pernici adeo motu potrusum, præsertim tot asperis particulis refertum, vice appositionis tenerrimam partium (quantumvis Solidarum nomen fortitarum) substantiam abraturum, nisi alia ratione contra hujus impetum cavisset Natura, taliter nimirum eas extra Sanguinis vias construendo, tamque firmiter compaginando, ut ipsæ sibi munimento sint. Atque hujus quidem exemplum in rapidorum fluviorum decursu notare possumus, qui ripas ex molliori & facile cedenti terra atterunt, nisi hæ palis vel aggeribus extranea arte muniantur; imo hæc ipsa sustentacula tandem demoliuntur.

[e] Sexto tandem, insertionis; quam respectu plurimarum partium nutriendarum Arteriæ sortiuntur, obliquitas multum mea sententia Sanguinea nutritione detrahit. Quippe notum est solidarum partium; quibus solis nutritio competit, stamina ubique inter vasa

(a) Secundo. [b] Tertio. (c) Quarto. (d) Quinto. (e) Sexto.

vasa Sanguifera interjacere, ad quæ proinde Nutricatus materia, si ex his immediatè suppeditanda sit, ægrè pervenire potest: Quin, ut alia sileam, ipsa fibrarum arterias constituentium consideratio hoc evincere poterit. Cùm enim hæ extra gurgitem sitæ sint (istæ præcipuè, quæ vel mediam vel exteriorem tunicam constituunt) vix credibile est, eas ex alluente Sanguine nutriri posse, quandoquidem & decurrentis Sanguinei rivi celeritas, & febricæ istarum, qua ad motus contractiles destinantur, ratio (quæ strictiores eas esse compagio suadet) regularem congruis quibusvis, saltem ut ad eas, quæ longiùs removentur, pertingant, particulis ex hoc adventantibus admissionem vetare videantur.

Ab istorum consideratione vix mihi probabile videtur Sanguineam massam quà talem, Nutritionis materiam immediatè suppeditare posse.

(*a*) Dispiciamus ergò tandem, an *Succo per Nervos Delato* hoc pensi quadrare possit. Quod quidem ita se habere forsan non prorsus absurdum erit concipere, si ad Requisita suprà dicta cogitationes nostras exigamus. Idcirco. *Primò*, Quandoquidem, ut suprà allegavimus, totum corpus, quà solidum Nervosæ est originis & constructionis, *Nervorumque* proinde *propagines ad omnes* ubique *cellulas* pertingunt, nil obstare videtur, quin supplementa Nutricatus istæ, (modò tubulatæ fuerint Succumq; deportent) his suggerant. Et quidem *tubulatas* esse quid vetat, cùm certum sit insectis, sola Microscopiorum ope perceptibilibus, organa, imò vasa ad nutritionem & augmentum adesse; quippe quæ nemo per extrinsecam materiæ applicationem crescere, puto asseruerit: Imo vix aliter constructas esse hinc concipi potest [sive tubuli isti recta decurrant linea, sive medullæ, valvularumve, interventu, prout in plantis multis cernitur, ab hac identidem, quarto aliqualis decurrenti liquori nectatur mora, deflectant, perinde est) quod nullus, quantum mihi videtur, iis competere possit motus contractilis (nisi rem aliter explicare volueris, ubi contorsio vel aliud quoddam curvaturæ genus accesserit, quale Musculis ad parallelogrammi figuram concinnatis competere sagacissimus *Steno* opinatur] præterquàm à fluida quapiam, quæ per eas traducatur, & à qua earum distendantur latera, materia: quam quidem liquores speciem non posse induere, & alibi, & suprà evincere conatus sum. Cùm vero non constet ulla alia, quæ Succum ad has cavernulas apportent, vasa hic haberi præter Arterias (quas ab hoc officio modo exclusimus] sequitur munus istud hoc ad hæc, si non necessario, saltem probabiliter, assignari debere, donec sc. evidentiora, magisque accommodata, detegantur.

[*b*] Verum *Secundò*, si ad genium quà contenti (quodcunque tandem sit) nervosi, quà materiæ nutritiæ undecunque delumendæ, attendamus, facile concipiemus nutricatus materiam ab illo suppeditari posse. Horum alterutrum, quantumvis diserepare volueris, & (*c*] *molissimum* & *minutissimum* esse debet; *Illud*, ne vasa adeo tenera vellicando in molestas contractiones continuo urgeat, quin leniendo sat patula servet, atque hinc ad ulteriora pro functionibus animalibus peragendis Supplementa pro re nata suspicienda disponat; quæ conditio necessaria est, etiamsi unicè motui & sensationi inserviat; Porro necesse est, ut pertenuibus constet particulis, & quandoquidem strictissimis donantur cavitatibus vasa, quibus subeundis præstituitur *Hæc*, quo se placide in cavernulas, quibus destinatur, insinuet; quod vix commode, si asperæ fuerint ejus particulæ, præstare poterit, quando quidem præ rigiditati & angulis, tum par-

(a) *Quinto. Succo Nervoso competere Nutritionis pensum, probatur à consideratione Requisitorum Primi. Necesse est, ut fibræ sint tubulatæ.* [b] *Secundi.* [c] *Molliss. sime & minutissime tunc succi nervei particulæ.*

tibus sensibilibus molestiam creare concipiantur, tum porro hiatus nimis amplos [cum vix credibile sit prorsus uniformes confluere) inter se relinquere debeant ; sin grandiusculæ fuerint palam est in multas ex cavernulis supplendis neutiquam deponi posse *a* Agnosco substantias multum angulosas & penetrantes, in utrolibet necessario scatere, Salia scil. Volatilia, quæ ipsos esse Spiritus Animales forsan omni probalitate non caret: Verum hinc argumentum pro molliori unà adhibenda, quæ ista frænare debet, substantia desumi posse arbitror ; quippe hæc præ & tenuitate volatilitate, si non foras se poriperent, saltem conceptacula sua perpetim exercent, si quantitate ad hæc debite inflanda idonea, absque lenissimo aliquo, imo lat copioso, vinculo in iis includerentur.

b Tertium nutritionis requisitum quod spectat; Plurimum aptati mihi videntur nervi ad nutricatus materiam suppeditandam. Hi cum vel in specie, vel propaginum [quas esse universas fibras supra astruxi] interventu *ad omnes* ubique *cavitatos*; prout suprà dixi *pertingant*, quin in progressu amplientur (id quod ex mole Corporis præ cerebri meditullio impense grandi constat) materiam hanc semel admissam ad omnes hasce, sive medio in itinere, sive circa extremitates, occurentes, prompte deducere possunt ; quandoquidem nullum qui perluenti officiat obicem hinc fingere possumus ; cum & patentiores usq; inveniat canales, & tandem ad *ampliores* adhuc *circa eorum extrema cavitates* deportetur : Ubi tandem aliquantisper, vel præ fibrarum deferentium cum aliis implexu vel circumpositarum objectu, vel pororum in Corporis superficie, propter causas suprà allegatas, constrictione necesse habet detineri, imo protrusione subsequenti usque adeo compingi, ut nil vetare videatur, quo minus in partis substantiam sic transeat, atque sub tali conditione maneat, donec tandem vel inveterascens, vel Sanguinis forsan alluentis impetu abrasa, foras & hæc extrusa fuerit. Equidem cavitates ubivis, in quibus non minus nutritionis negotium, quàm Animalitatis munia, transiguntur, a nervosis staminibus definiri saltem constat, cum totum corpus membranosum ; vel saltem fibrosum; ut; ut rationi consonum videatur, materiam, quæ his replendis debetur per hæc ipsa, tanquam vasa, depluat, à quibus coercetur, quo sic tam magis congrua, quam promptiori ductu adveniat.

c Quartò porro, ipsa vasculorum istorum *exilitas*, & *angustia* comparativa (quæ à multis in argumentum ducuntur nullum omnino Succum nervosum dari) fidem mihi faciunt per hæc nec quidem alia ulla, deportari materiam nutritiam. Admitti aliquid fluidi nemo negaverit. Hoc *Liquoris* formam necessario induere, anteà sat probatum dedisse mihi videor. *d* Quo sic habente, quandoquidem nil quod impurum vel incongruum est (quandiu Corpus sanum perstat] ulterius segregandum vel requirit admissus liquor, utpote qui Fermentativarum quarumvis aliarum substantiarum consortio liberatus fuerit, vel patiuntur vasa tantopere arcta placide in hisce prorsum iste, cum semel admissus fuerit, progredi necesse habet conceptaculis, quæ licet angusta sint, non video tamen quid vetat quo minus commensurati sint nutrimenti supplementis desideratis. *Veram* enim *nutritionem lentissime* [prout supra deduxi] peragi, & proinde parcis indigere supetiis sat obvium videtur. Quippe sicut multi longum [ut ante notavi] absque tubescentia notabili tolerant jejunium, sic contrà marcore confecti, quamvis [remotis quæ eos huc deduxerant causis] a cibis cupeptis sat cito reficiantur, viribus, lon-

a *Objectioni obviam itur:*
b *Tertij.* c *Quarti. Sicut parte admittenda est materia tritia, sic vasa admissura sunt per tenuia,*

longius tamen multò ſpatium temporis requirunt ad Corporis habitum priſtinum recuperandum, quantamvis alimentorum copiam, etiam ſupra alios, quotidie integrant. (*a*) Quorum ratio hinc facilè (mea ſententia) deduci poteſt; Quòd, cum Sanguis ad vitæ munia jam aptior redditus indeſinenter ad Cerebri corticem pellatur, hoc quidem aliqualiter expandendo, congruarum quas jam adfert ſuppetiarum ope, partim fatigatos Spirit. refocillat, partim novas copias in horum & Succi celebralis abſumptorum locum ſuppeditat, Cùm verò ſecretio ex cortice in medullarem ſubſtantiam (quam eſſe Nervorum radicem quilibet agnoverit:) præ-perenni impulſu continuò procedat, parca licèt (quod concedendum quidem, modò etiam concedatur eſſe continuam) hæc manu fiat, hinc progreſſus ad Nutritionem indefinenter habetur, ſed lentus; quoniam non niſi lentè in tam arctis vaſis moveri poteſt concluſa materia; quæ inſuper lentiùs poſtmodùm per Nervorum tractus, eundo ampliatos, ſerpit. Quo fit, ut, ſicut ſe hinc facilè ad quaſvis exhauſtas, vel aliter ampliatas, cavernulas, quibus proportionem gerit, applicet, ubi in eas intruſus fuerit, ſic porrò in iis ſat firmiter deinceps ſtabuletur, quando quidem extra Sanguineæ alluviei vias ſita propria tendentia haud prompte elabi poteſt Ubi vero ſemel abſumpta fuerit, longa ad reparationem temporis intercapedinem requirit, tum propter parcam illam, quam dixi, à Cerebro diſpenſationem, tum quoniam neceſſe eſt, ut ictibus ſubſequentium Supplementorum compingantur appellentes Nutritiæ particulæ, quod in multum exhauſtis partibus haud ſtatim, medio liquoris tam lentè mori, tamq; exilibus vaſis deportati, ſperari poteſt. (*b*) Huc forſan faciat, quod aliquoties obſervavi; quod nempe à Febribus, quæ Corporis habitum multum deprædarunt, convaleſcentes, licèt ſat copiosè per complures dies cibos potumque ingerant, nec tamen notabilem ejus partem ſudore excludant, multo parciùs urinam quàm ſolent ſani reddant, donec carnibus redintegratis ad priſtinum ſtatum, tam quoad hoc, quam reliqua vitæ munia, redeant. Cujus ſolutionem hinc petendam reor; Non quod in venoſo genere diutiùs forſan quam ſolebat reſtitet potulenta materia, cùm & venæ non ultra modum turgeant, & Pulſus rectè ſe habeat; nec quidem quod tranſpiratio liberiùs procedat; quippe quod veriſimile videatur Poros in ſic emaciatorum cute, debellato jam morbo, & excluſa quæ pridem in Corporis habitu ſtabulans eos diſtenderat materia, contractiores factos non perindè atque olim huic muneri idoneos eſſe; ſed potiùs, quod à Nervorum radicibus, in fibras univerſas præ Morbo inanitas traducenda, abſorbeatur mora priùs aliquali in Sanguine debitè cocta (majori ſolita proportione, quo partes emaciatas reſarciat: quod quamvis omnino lentè aliquanto tamen jam celeriùs præ naturæ indigentiis tranſigitur; undè longius impenditur temporis ſpatium antequam ſolita menſura urinæ materia colligi poſſit ad debitam congeſtionem, alio ſic deflectens: nempè non ex ſola excrementitia, ſed vel nutritia etiam, magna ex parte conflari urinam cenſeo.

Atque hinc forſan ſatisfieri poteſt, juxta propoſitam Hypotheſin.

[*c*] Quinto Requiſito, *motui* ſcilicet *leniſſimo* materiæ apponendæ; qui ejus gradus ſicut à Sanguine in Arteriis peniciter decurrente vix omninò, ſic ab iſto liquore in Nervorum canalibus deportato pendere facillimè, me judice, concipi poteſt. (*d*) Quippe præterquàm quod multùm motus, quem Sanguis habuit, liquor iſte inter ſecernendum amittat, neceſſe eſt inſuper ut coarctatio, quam in perexilibus hiſce vaſculis, ſed mollibus, ſubit, moras ei nectat: quin in ampliata uſque, ut monui, tendens nequit

(a) *Cur emaciati non citò ad priſtinum habitum redeant.*
(b) *Cur à Febribus convaleſcentes urinam Quam parce reddant.*
[c] *Quinti.* [d] *Motus ſucci Nervoſi nequit non eſſe lentiſſimus.*

non tantundem Celeritatis amittere, quanta proportioni ampliationis resp. adeo, ut nil obstare videatur quo minùs, ad oppositionis locum pervenerit, placidissimè huic se applicare valeat. At insuper.

[a] Sextò, *Mecahanicè* adeo ad contenta sua ad universas corporis partes devehenda distribuuntur Nervi eorumq; propagines, ut, modo constet hos Succum deportare, agnitu non sit difficile promptissimum per istos ad omnes ubique partes haberi commeatum. [b] Mechanismus hic in tali transmittentium vasorum positione consistit, qua materia recta, quantum fieri potest, linea ad locum designatum manuducatur. Et quamvis hoc ubivis in tam conferto partium nutriendarum agmine adamussim præstari nequeat, certum tamen est ad talem accedere vasa hæc positionem, quam proxime patitur istarum ratio; unde concussa scaturigo minus molestiæ in suo transitu offendat, adeoque præcaveatur ne vel stagnationem subeat, vel alia quærat diverticula. Hinc notum est Nervos, divaricationes suas ad angulos acutos usitato sortiri; eosdem tibi in Musculos, Membranasve, inseruntur cum iis ejusdem pariter conficere angulum, quo sic facilius per eorum habitum discurrant. Agnoverit quilibet hujusmodi diramificationem ad Motum Sensumque largiendum maxime accommodatam esse; quidni vero & ad Nutritionem? quandoquidem materiæ Nutritiæ Supplementa hoc modo facillime, juxtaque Naturæ leges, quæ omnia modo maxime familiari patrat, hoc est, Mechanico, dispensentur; cum interea si per arterias distribuenda sint, sat perplexum & præditum ad partes à latere Arteriarum sitas iter obtinere deprehendentur: Imo vix solida assignabitur ratio nutriendarum ipsarum Arteriarum; quoniam vix quisquam, puto, concesserit Nutrimentum ad eas aliâ quam per capillares via, si ex Sanguinea massa immediatè suppeditandum sit deportari; ut proinde earum tunicæ aliis arteriolis, atq; hæ aliis, & sic in infinitum, ad Nutritionem indigeant: (c) Quippe nemo, arbitror, asseruerit has ex transcurrente & rapido alveo hoc desumere, quod quidem [ne motus velocitatem, secernendiq; hinc difficultatem iterum memorem] compages earum strictissima, nullis nisi Arteriarum ramificatarum aperturis (saltem quæ secretioni ad talem quem volumus usum inserviat] pertusarum, vetare videtur. Ut hinc mihi concludere pronum sit Nervis eorumque propaginibus, ex quibus unicæ conflantur tam Arteriæ, quàm cæteræ partes solidæ, pro tot Nutrimenti dispensandi instrumentis uti Naturam, nec aliis hoc pensum deberi.

Restat ergo ut (quod

[d] Ultimò explicandum proposui) *modum*, *quo Nutritionem peragi* censeo, tradam. Qui quamvis sat liquido, ut opinor, in antedictis contineatur, atque colligatur; ut tamen rem summatim ob oculos ponam. *Videtur mihi*, quod ex decurrente per *Cerebri* [quo generali nomine & *Cerebellum* intellectum volo] *corticem* Sanguineo rivo, nequeant non particulæ quædam Nutritioni aptæ, quæ ad orificia vasculorum secretoriorum, Systematis Nervosi radicum, uberrime in illo consitorum commensuratæ & congruę appellunt, ab iis admitti, & à reliqua massa, more operis colatorij, secerni. Hæ semel admissæ, indesinenti Sanguinis perluentis, quin porro aliarum ex eadem scaturigine segregatarum, idemque iter capessere gestientium, protrusione, ulteriùs continuo propelluntur; adjuvante tum Systaltico tunicarum quæ vascula istihæc constituunt motu, tum partium circumpositarum pressura, sed motu, dum omnia juxta Naturæ normam transiguntur, leni & placidissimo, imo lentiori propter ampliatam, quam toties dixi, vasorum istorum cavitatem quantò longius a fonte pro-

ce-

[a] *Sexti.* (b) *Distributio Nervosarum fibrarum quam rectissime fieri potest habetur.* (c) *Arteriæ à concluso sanguine suo nutriri nequeunt.* (d) *Sexto, proponitur modus, quo Nutritio peragi concipiatur.*

cedunt, atque contractiorem extremitatem. Dumque per hæc sic traduntur, sicut eorum latera distendunt, sic porrò ubi commensuratos sibi porulos vel hoc modo aperiunt, vel avolatione aliarum particnlarum relictos (quod præcontinuo appulsu novarum indesinenter hic illic evenire necesse est) inveniunt in eos se insinuare satagant (quotquot scil. earum juxta hos progredientes aptitudinem ad hoc munus sortiuntur) eosque præ motu isthoc leniſſimo, aliarumque à tergo protrusione, facilè subintrant, numerumque earum, quæ parietes hosce constituunt, dum congruè se iis applicant, ungentes iisdem promptè assimilantur, utpote ejusdem prosapiæ. Hic quin satis tenaciter hæreant aliquantisper, molemque solidiusculam cum reliquis constituant, non video quid vetet, cum ubivis spatula multiformia alias hic antè depositis intercepta (quippe nusquam non quædam reperiri, corporis nostri singularumque ejus partium stateræ impositarum, si alia deessent argumenta, præ multis aliis concretis comparativa levitas facilè evincit) singulæ ita subingredientes offendunt; undè fit, ut appulsu tum suo istas hæ firmiùs compingant, tum subsequentium ipsæ pariter compingantur; dumque prius reconditas sic paulatim usque & usque urgentes extrudunt, ipsæ quoque eandem vicem tandem subeunt, loco suo ab aliis pulsæ. Actio hæc ubivis per totum singularum, ex quibus Corpus constat, fibrarum propagatur, & lentissimè quidem; unde cum continua absumptio nullibi non habeatur, continua pariter ex hisce Supplementis instauratio pari passu succenturiatur. Quod verò supereſt liquoris nondum absumpti, extraque fibrarum harum oscula fertur, pars a Sanguine alluente absorbetur, eique vegetiorem, uti fas est suspicari, Fermentationem conciliat, pars alicubi à lymphaticis suscipitur, pars altera in conceptacula, ad quæ terminantur quædam ex hisce vasculis, utpote ventriculum, utramque vesicam, &c. deponitur, pars denique foras per poros cutis amandatur; singulæ pro insertionis terminationisque ductulorumque suorum ratione,

(*a*) Atque hac ipsa quidem ni fallor, methodo sicut *nutrimur*, sic pariter; & ad præfinitam Naturæ lege staturam & molem *augemur*. Cujus hanc subit assignare rationem; quòd nempe in ipsis Corporis fabricandi primordiis omnia tenera admodùm sint, laxiusque cohæreant quę sese invicem primitùs Corporis stamina, vascula scilicet contexenda applicant particulæ; undè fit ut hæc præ teneritudine valdè sint extensilia, quippe ex materia aliquatenùs viscosa conflata. Dum verò tractu temporis arctius, quod necessariò fit, compinguntur, usque adeò tandem solidescunt, ut ulteriorem extensionem neqnaquam subire possint: Quod quamvis solidissimis Corporis partibus primum obtingat, reliquis tamen quadantenùs competit, cum eadem quoad Mechanismum ratione teneantur & istæ (id quod primo auctum in dies succedentibus annis Corporis robur, deinceps senescentium, declinante ad actiones hinc Promptitudine, aviditas & rugæ ad oculum evincunt) unde fit, ut viginti [plus minùs, pro variis hominum constitutionibus) annorum decurrere soleat spatium, antequam plenum augmentum Corpus humanum subeat, quoniam ossa lentè extenduntur; Quibus quamvis obsecundare necesse habeant molliores, atque hinc ab iis aliquatenùs hac in parte determinari: ipsa tamen nativæ proportionis, quam ad Cerebrum & Cor, partes primò influentes, obtinere debent, & mechanismi ratione, non ultrà notas mensuras evagari concipiantur.

Et sic tandem peragi *Nutritionem Nervorum* scilicet *eorumque propaginum* officio imò vel ista quidem vasa à suo, quem portant, Succo alimentum proprium desumere fas erit (nec prorsus forsan absurde) concipere. [*b*] Cui

(a) *Qui & augmentationi Corporis competit.* (b) *Conciliatur sensus & Motus ista cum hac de Nutritione Hypothesi.*

Cui porrò accedere potest, quòd & ipsa *Motus Sensationisque* præstandorum ratio tum huic Hypothesi probandæ conducat, tum forsan ex dictis elucidari poterit Quippe neutrum absque debita fibrarum tensione haberi potest, quæ quidem neutiquam, opinor, in Animalium corporibus, ubi nullis solidis retinaculis aligantur harum extremitates, concipi potest, nisi sint tubulatæ, quo culi ab implente aliqua apta, non tamen nimis lubrica materia lateribus ad motum præstandum vel abbrevientur, vel, pro fabricæ ratione, incurventur; ad sensationem vero impressiones ubivis factas ad Cerebrum, sedem animæ principalem [rigidorum genium præ debita plenitudine quodammodo sic æmulantes) dicto citius transmittant. Utralibet hæc actio leniſſimam, me judice; requirit materiam implentem; cùm secus ipsæ perpetim lacessitæ tum continuis motibus convulsivis exercitarentur, tum objectorum externorum perceptionem perverterent, dum proprias solum læsiones utpote quoniam propiùs sitæ sunt, sic ad Cerebrum trasmitterent. Hæc vero lenis materia quin ternis hisce usibus inserviat non video, cum cuncta opera sua maximo compendio ubivis transigat natura: Imo rationi consentaneum censeo quod, quandoquidem, pro materiæ Nutritiæ, quæ partes motui & sensationi dicatas constituit & subit, puritate vel depravatione, istæ facultates vel majori perfectione sese exerant, vel deprimantur aut perventantur, communi & per eundem tramitem, ad alterutrum munus præstandum, distribuenda sit materia; quo operum simplicitati, cui Natura universim litat, consulatur.

[a] Verum gravis in nostram Hypothesin se sistit objectio; qui scilicet fiat, ut in *Paralysi*, Nutritione per plures forsan annos sat regulariter procedente, Motus tamen & sensus deficiant, quod vix fieri posse concipiatur, si alterutrius munia eorumdem vasorum, ejusdemque materiæ, ministerio peragantur.

Cui dubio ut satisfaciam, perpendi poterit, imprimis, neutiquam, mea sententia, supponendum esse Nervorum canales in Paralysi tantopere obstructos esse, ut nil omnino transmittant, verùm forsan potiùs præ inducta laxitate materiam incongruam & admittendi & devehendi capaciores evadere; Secundo, *Rationem Nutritionis* ab ea, qua peraguntur *Sensus* & *Motus* utcunque iisdem vasis alterutriùs materia devehatur, toto Cœlo distare: Quippe ad *Illam* requiritur solummodo, ut apta quidem & mollis materia leni motu deferatur, id quod in quibuslibet sive tensis sive laxis, modo sat capacibus, vasis præstari poterit, atque pro ratione impulsus à tergo in utrislibet determinatur; ad *Hos* vero postulatur, ut quodammodo tensa istæ sint; quo impressiones sursum vel deorsum promptè admittantur, quod in laxis minimè obtineri potest; unde videtur Nutritionem in utroque casu haberi posse, non item Sensum & Motum, quippe quod, sive tensæ sive flaccidæ fuerint fibræ, cavitas decurrenti liquori usque pateat; imo commodissimè, ut inferiùs dicetur, in somno, quando maximè laxantur omnes partes, vectigalia sua admittit Cerebrum.

Quibus sic habentibus facilè concipio quod, quandoquidem Nervosus liquor ex varij generis particulis conflatur, quibusdam scilicet mollioribus ad appositionem & vehiculum, aliis Spirituosis, h. e. Salino volatilibus, aliusve, si placet, generis aculeatis, tum ad reliquas debitè cominuendas, tum ad vasorum parietes invigorandos aptis, si alterutras istarum prædominari contigerit effectu valdè invicem diversi statim invehi debeant, quippe si aculeatæ vel nimia quantitate abundaverint, vel ul-

[a] *Objectio Qui fiat ut in Paralysi, deficientibus motu & sensu, Nutritio tamen peragatur? Solutio.*

ultra modum efferæ evaserint, vix fieri potest, quin tenera conceptacula nimirùm lacessant, unde vel convulsivi affectus, si noxa in loco hisce producendis apto impingatur, emergent, vel dolores, si remotiùs ab origine istorum vasorum ejus causa resideat, invehentur: Cùm ex adverso, si vel infra debitam mensuram deprimantur istæ, vel viscidiores accesserint, quæ, exercitationi, obstent pronum est deducere, tam motum, quam sensationem defecturos, idque vel citiùs vel tardiùs pro gradu & quantitate inertis hujusce materiæ; unde observari poterit paralyticos effectus nunc sensim obrepere, nunc confestim adoriri. Ubi ergo contingerit talem materiam in Nervorum, sive universorum, sive particularum quorundam, radices deponi, quæ aculeatas, quas dixi, particulas vel quantitate superet vel viscitate illaqueet, obvium est concipere, quod quantumvis motus & sensatio minuantur, Nutritio tamen progredi poterit; nulla tali in Nervis hic contingenti obstructione quæ impulsum materiæ à Cerebro universim sistat, imò propter laxitatem, vasis deportantibus præ Spirituum depressione inductam, patentiori forsan via ad extremitates usque concessa: atque notum est partes extremas in tumorem quandoque in Paralyticis attolli sub prima saltem invasione; quod quidem ab hac causa non minus, forsan, congrue deduci posse arbitrior, quam à congestione, sanguiferorum vasorum medio, an partibus sic affectis: quamvis interea omnibus palam sit has tandem macrescere; congruarum scil. particularum appulsu partim fatiscente, partim viscosarum aliarum heterogenearum, quibus contubernium inierunt, retinaculis earum in recessus ex haustos secessionem impedientibus.

[a] Alia insuper non levis momenti occurrit difficultas, quomodo sc. fieri possit, ut grandes *Musculi* (ut de aliis taceam partibus) nervis suam debeant originem, cùm neutiquam constet nervos, nisi forte perpusillos, intentidem, à quo singuli ordiuntur inseri.

Cui repono, primum, nequaquàm necessum videri, ut nervi in specie hic inserantur, quandoquidem periostio (quod nemo negaverit) continuantur quidem nervosæ esse prosapiæ nemo ambigit. Hinc quidem fieri potest, ut cum ex fibris commodè constet, quas esse, tubulatas ipsum sensationis, prout suprà innui, Phœnomenon evincit materiam tum ad primitivam formationem, quando omnia valdè tenera sunt, tum ad futura nutritionis munia postmodum hæ suppeditant? Et quamvis satis arctæ sint hæ fibræ, cum tamen lentissimis gradibus peragatur nutritio, quidni pars nutritiæ materiæ hac deferatur? Partem dico; quippe, secundo, alia pars nervorum in ipsos Musculos insertorum ministerio foras deducatur, qui statim atque ipsos attingunt hanc, ni fallor, admittunt formam, inque fibras Musculares facessunt, inter quarum singulas non video quid veret quò minus lateralis communio intercedat, non secus ac inter arteriis, venasque cum venis adjacentibus, unde semel admissæ materiæ facile ex unis in alias transmissio haberi potest. Verum, tertio, forsan & aliquota pars nutritij, quem volo, succi per ipsas Membranarum fibras deportetur; siquidem cum hæ arctissimè subjectæ carni adhæreant, non prorsus absurdum videtur quod vascula introrsum ubivis dispergant, quorum medio illac transmittatur contenti sui portio. Et quamvis angustæ admodum singulæ hæ, quod fatendum, sint fibræ, si tamen perpendatur sat longum tempus ad nutricatus materiam distribuendam requiri, quin inter dormiendum (quo tempore potissimum deponi nervorum suppetias censeo) multum has laxari ad hanc materiam admittendam, vix adeo durum forsan atque prima fa-

(a). *Objectio Quomodo tam pusilli Nervi grandibus Musculis aliisque partibus nutrimentum suppeditare possint? Solutio.*

cie solet, videbitur sufficientem intrudi posse ad lentum hoc munus præstandum.

(a) At urgetur insuper sat improbabile videri *liquorum punctura tendinis* copiosissimè *effluentem* Nervorum esse, quem tamen Nutritium esse ex partis sic affectæ, imò quandoque totius Corporis, marcore constat.

Cui referre liceat, Primò, quod, quandoquidem tendo ex numerosissimis arctissimè colligatis fibris Nervosis compaginatur, vix probabile videatur unicum solummodò ex his vulnerari, verùm multas præscindi, vel saltem læ. di; adeò, ut ex singulis hisce prorupptu o suo liquori via detur. Atq; notu n est, quòd, si quando extrosum pateat apertura, hac liberiùs proruant quicunque liquores, ut pote tum ab intra pressi, tum minorem resistentiam hinc offendentes, quàm dum vasis suis includantur. Secundò, Probabile videtur singulas juxta sitas, vel per laterales anastomoses, vel fibrilas oblique insertas invicem, prout jam modò innui, communicare; adeò, ut universus ad sat longam distantiam hac consequenter, data porta affluat liquor; quas alluere solet, suo brevi fraudari pabulo necesse habent. Huic insuper accedit, Tertiò quòd præ dolore vulneri superveniente, tam partes circum jacentes, quàm ipsa sic læsa, in enormiores contractiones adigantur, atque sic majori, quàm secus fieret, copia allatum exprimant Succum: Verùm, Quartò, quod ad liquoris sic excreti quantitatem attinet, credibile videtur nedum totam, sed nec maximam forsan ejus partem à fibris hisce suppeditari, sed ipso sero Sanguinis conflari. Quippe cum ubique habeantur vasa sanguifera, quorum aliqua pertundi ab inflicto hoc vulnere necesse habent, quid vetat quominus hinc excernatur serosior Sanguinis pars aliqua; quandoquidem minimè dubitandum est, quin hìc circulationis vi multò copiosiùs fetatur quàm Nerveus liquor; cujus quidem serum promptè satis ex vulnere erumpere in proclivi habere, fibrosioribus & chromaticis partibus, præ crassitie & figuræ ineptitudine, introrsum per solitas vias redeuntibus, tenuitas, & laxior cum illis cohæsio in missione Sanguinis conspicua, facilè suadent.

(b) Supereſt ut attingam, quod *Celeberrimus Entius* ὁ μεγαλος, quamvis Nervis nutriendi Corporis pensum deferat, modum tamen, quo liquorem suum admittant, longè diversum ab aliis comminiscatur, Quippe conjicit fibras ex quibus conflatur Ventriculus, Chylum recens illic elaboratum absorbere, Nervisque illic ubertim insertis demandare, ab iis inde ad Cerebrum recto itinere asportandum per aliquos in universum Corpus distribuendum.

[c] Verùm[sit venerandi semper tanti viri memoriæ honos] oportuit, censuerim, discriminis modum & rationem monstrasse inter Nervos *paris Vagis* (illius saltem ramos, qui ad ventriculum tendunt) aliosque in Ventriculum inferos, atque reliquos universos, qui Nutrimentum hoc in Corpus distribuunt; Unde scilicet fiat, ut illorum motus sursum, nempe Cerebrum versus, horum vero, ab hinc (quod quidem nemo non agnoverit) deorsum ad singulas partes tendat; porro & indigitasse quinam alii Nervi ad Ventriculum nutrimentum sum proprium apportent, saltem quonam mechanico artificio contra flumen descendentis Succi nervei ascendat iste [multo quin etiam quam Succus verè nerveus crassior] liquor nempe protrusionem à Cerebro in omnes nervos (modo ab obstructione liberos) eamque indesinentem sive vigilemus, sive dormiamus, haberi quilibet, opinor; concesserit, qui secum reputaverit, nec vel Motus, vel Sensationis rationem inter vigilandum aptè concipi, nec in somno, feriantibus hisce muniis, novas Succi nervosis suppetias ad exhaustas interdiu copias reparandas suggeri posse, nisi motus iste à

Ce-

(a) *Objectio. Improbabile videri Sinoviam punctura tendinis effluentem è Nervis prosluere.* (b) *Modus Nutritionis Cl. Entio assignatus proponitur.* [c] *De eo ambigitur.*

Cerebro; Corporeæ (ut dictum est) arboris radice, sit continuus. Quippe quotidie in nobis experimur, quod quantumvis diurnis laboribus fatigatis nos exoptato lecto committamus, æquè tamen vegeti sequenti manè plerumque surgamus, atque pridiano; quod fieri non potuit, nisi recens in nervos in absumptæ locum deposita fuisset actuans materia: quam etiam quo minùs in maximè omnium patulos [quod æquum, puto, erit concipere, cùm mole cæteros superent) Paris Vagi ad Ventriculum tendentis hiatus, æquè ac in angustiores deponuntur, vix est, opinor, qui negaverit, modo perpenderit omnium in Corpore nostro liquorum motum Mechanicè præstari, saltem qui solidam in contrarium rationem adducat. Et sanè quantumvis nervos hosce isti usui unice destinatos supposuerimus, si tamen ad flacciditatem Ventriculi [quem motu, non proprio, sed Musculorum Viscerumque circumpositorum, pressura nempe forinsecùs ab his inducta, contenta sua extrudere, audio ingeniosissimum, doctissimum, Anatomes imprimis callentissimnm. D. *Bacciaco*, *Genuensem*, ad oculum, supra omnem dubitandi scrupulum, sæpius intra triennium ultimo elapsum *Oxoniis* demonstrasse, juxta observationem Cl. D. *Chyrac*, Professoris nunc *Monspelien-sis* Ephemerid. German. ad A. D. 1685. Observ. 125. accuratissimè traditam) attendamus, merito quærere possumus, qua ratione Succi hujus segregatio, inq; fibrarum (quas esse nervorum propagines suprà conatus sum ostendere) tunicis insertarum ora intrusio habeatur, multo magis.

CAPUT IV.

Conditionis allegatas Continentis Febrium Intermittentium Causæ Succo Systematique Nervoso competere monstratur.

SEd à prolixa nimis hac digressione par est ut in viam redeam, si saltem digressio dicenda sit qua ad fundamentum quo tota nititur proposita Hypothesis, stabiliendum effertur, atque dispiciendum jam venit, an ad *Succum Nervosum* satis aptè quadrare possint *Conditiones Fermenti Febrilis* supra allatæ. Et quidem rem ita se habere, non prorsus forsan ineptè colligere licet, si perpendamus.

Primo, *Eximiam* esse hujus Succi *energiam*; id quod ex notis ejus effectibus, Sensatione & Motu, in se quidem sat admirandis [ut de nutritione taceam] abundè constat. Et quamvis quantitate Sanguini multùm cedat, nil tamen hoc vetat, quo minus istum activitate multum superet, utpote tum ex puriori maximeque elaborata ejus parte, à crassioris & inertis compedibus secretionis Cerebralis medio sequestrata, conflatus, tum ulteriùs in nervis exaltatus, quorum insuper robustis canalibus coercitus hinc non solùm ab avolatione detinetur, verùm quaquaversum ad partes singulas manuducitur. Sin tantorum effectuum, quos experimur, materialis sit, dum recte habet, causa, quidni agnoscamus eundem depravatum, ulteriusque evectum altiores, hosque plane stupendos, producere posse effectus.

Secundo, *Influentiam* ejus *Universalem* esse: nec enim aliter fieri potest, cùm non solum nervi ad omnes partes exporrigantur, sed, prout adstruxi, universum ex eorum propaginibus integre confletur Corpus: adeo, ut cum isti ubivis reperiantur canales, quin semper activi hac materia [quanquam non eadem semper mensura referti, par est, ut, ubi generalis instinctus ad eruptionem accesserit, concluſa universim sat vegete ex suis cancellis se expedire gestiat, atque sic universales excitet turbas. Hinc

Tertio, *Instantaneam* fore *eruptionem*. Quandoquidem enim supponendum est universas fibras, etiam ad motus usitatos obeundos, moderate saltem, plenas esse, quarum ferme singulæ lenem quantumvis materiam includentes, una quandoque ad nutum animi in motum con-

a *Monstruatur conditiones supra recensitas Succo Nervoo quadrare.* b *Primũ.* c *Secundũ.*

citantur; quanto magis evenire debet, ut eodem fere momento turgescentia producatur, ubi hæ, si non ultra modum distendantur (quod tamen quandoque contigit) saltem turgescibili materia per totos suos ubique tractus, moderate licet, scateant, quę pulveris pyrii ad motum solo admoto indiger igniculo ad eruptionem concipiendum.

Quartò *Eruptionis* ex suis conceptaculis *locum*, ineque *Sanguinem admissionem* ubivis haberi. Quippe sicut Nervuli isti vel eorum propagines nusquam non prostent, sic pariter & sanguifera vasa per omnes ubivis Corporis regiones capillaribus suis disperguntur; prout aperte constat ex quibuslibet fere, vel leviusculis, vulneribus, ex quibus proportione ad inflictam plagam, partisque texturam, effluit confestim Sanguis: quin ossa venis non diffitui, imo has sub illorum solidam compagem penetrare palam est ex rubedine aliquali quam in eorum medula cernere est. Et quid vetat quo minus venæ utrique huic muneri conveniant, Sanguineæ scil. massæ revehendæ, atque una Nervosi contenti, quicquid post usus Animales exantlatos supereſt, excipiendi, cum & sat patulę sint & introrsum dirigendus sit utrisque liquoris cursus? Nec forsan alia illis reliquis suscipiendis comminisci in promptu erit conceptacula, si lymphatica exceperis; quæ tamen nondum quantum scio ad intima Musculorum, aliarumve partium, penetrare deprehensa sunt: imo probabile videtur à solis glandulis, quas esse regularium omnium secretionum organa incomparabilis *Malphigus* adstruxit, oriri, ut conjicere par sit eorum liquorum harum solummodo productum esse: Quo sic habente haud arduum erit colligere, unde tandem fiat, ut febrilia in progressu symptomata ingruant.

Quintò *sat* ortii & *temporis* concedi ad novas suppetias in futuros Paroxysmos congerendas, si in Nervoso systemate eorum sedem fundemus. Id quod hinc palam videtnr, quod sicut sat copiosè ad unumquemque Paroxysmum producendum suggeri debet Fermentativa eum comitans materia, sic pariter, si demus Nervos eam suppeditare, hi quamvis tum notabilis in ortu sint exilitatis, qua quidem parce omnino singuli Succum suum admittere necesse habent, tum tardi hic, etiam sit inter secernendum, motus, fibrarum tamen in progressu ampliationis, (cum perennis ratione, quanquam non eadem omnibus horis mensura, secretio) longiusculum requirant temporis spatium quo & impleantur ipsi emergentesque fibræ, materia quam subeunt ad Fermenti genium exaltetur: Quippe utramque hac in nostra Hypothesi conditionem requirimus. Nisi enim debite distendantur vasa, se fortiter satis [modo non summè acris sit concluſa materia, quod hic neutiquam supponimus] constringere possunt, quò vel altiùs in sua adigant conceptacula, multo minùs exterminent molestum hospitem; porrò, nisi acredinem aliqualem nanciscatur intus stabulans materia (id quod mora aliqua obtinendum videtur, cum lenis alioquin genii sit dum naturaliter se habet) nequaquam parietes tantopere ac cernimus lacessere potest: Quin angustiæ quas circa fibrarum ubivis extremitates haberi supra notavimus, contentaque ab eruptione prohibent, vel saltem hanc minuunt, donec aptè ad hoc opus exaltentur. Adeo ut cùm constet ipsarum universim partium fibras semel [lente licet] exhaustas, lente resarciri, quidini concludamus carum castitates, sic confertim evacuatas, sat multum temporis inter depletionem suam & supplementi novi admissionem requirere, cùm statim ab evacuatione conniveant extremitates?

(a) Sextò, *Cuncta* ab hac suppositione sat genuinè, ni fallor, *solvi* posse *symptomata*. Quod quidem quamvis in omnibus Hypothesibus allaborandum est, nisi tamen facili ductu, atq; filo conformi, ab ipso fundamento nunquam deflectente, omnia sequantur, suspicionem meri-

tò

(a) *Sextam*.

to movere poteſt hoc arenoſo ſolo poſitum eſſe, ædificiumque ſuperſtructum levi molimine everſum fore. Priuſquam vero horum explicationem aggrediar, præeſt ut accuratiorem totius *Hypotheſeos* delineationem ob oculos ponam.

CAP V.

Hypotheſis particulatim proponitur.

(a) UBi vel præ pororum occluſione, uſitatis hinc detentis effluviis, inque Sanguineam maſſam regeſtis, [quæ valde frequens Febrium Intermittentium non ſecus ac multorum aliorum Morborum, occaſio eſt] Vel anomalia aliqua, quæcunque tandem ſit, circa unum vel alterum ex cæteris Non naturalibus quidpiam functionibus naturalibus minus congruum aut in Sanguinem admittitur, aut in illo producitur, [modo non ejuſce ſeu generis ſeu gradus ſit, unde naturalis ejus craſis funditus laxetur; quod quidem ſi fieret, continuam productam iri Febrem cenſuerim] cujus ratione talis in eo congeritur materia (utrum Fermentativæ indolis, an cujuſvis lenioris) quæ à vero, & juxta œconomiæ naturalis leges concinnando, Succo Nerveo aliena licet; (b) eam tamen ſortitur particularum ſuarum minutiem, ut in Nervorum radice, per corticem Cerebri ubivis ſparſas, uſitata percolatione admittetur; (c) vel ſi propter ſubitam aliquam forſan & inexplicabilem ſecretoris hiſce ductibus Nerviſque indeprognatis, impreſſam laxitatem contigerit eouſque ampliari eorum ſinus, ut ex laudabili etiam Sanguine craſſior, quam ſecus aſſolet, in eos excernatur liquor; (d) Incongrua hæc materia in illorum tubulis (quodam modo flaccidis eſſe contigerit) aliquantiſper ſine notabili moleſtia ſtabulari poterit, utpote tum à perfici Sanguine fluvii concitatione liberata, tum plurimarum & valde heterogearum & Fermentativarum, ſubſtantiarum, quæ eas ibidem comitantes continuo laceſſebant, conſortio ſequeſtrata; quin molliores ipſa genii, quam ut brevi continentia vaſcula ſupra modum exerceat; imò aliquatenus viſcoſa, unde & animis cita diſſipatione arcetur, & ſpiritus pariter ab avolando arcet: atq; inſuper capaciora, quanto longiùs in vaſis ſuis fertur, ſpatiola, quæ motum ejus tanto magis retardari ſinant, offendens.

(e) Dum in iſtis coercetur, ſenſim magis uſque lentorem amittit, atque magis hinc activa evadit; idque partim Salium Volatilium [, quos forſan ipſos eſſe Spiritus Animales faſerit ſuſpicari, ſaltem donec aliam aliquam magis eorum muniis præſtandis idoneam in corpore hoſpitantem ſubſtantiam, quæ hanc appellationem mereatur, quis monſtraverit] vegeta actione partim reliquarum ex quibus conſtat particularum colliſione dum locum mutant, partim porrò ob caloris, quo cunctæ foventur partes, excitationem multùm intenditur hæc activitas: Quam quidem, ſicut in ſtatu ſano omnino notabilis eſt ſic in morboſis aliquibus majorem neceſſario evadere (at gradibus pro cauſarum differentia ſat diſtinctam) nemo non agnoverit, qui ad Morborum quorundam ferociam attenderit. Utque exaltationem iſtæ ſic ſubeant particulæ, eandem priùs concluſis, dum in has impingunt, imprimunt.

(f) Dum ergò hoc tranſigitur; facilè concipiatur materiam hanc ſat placide per plurimum horarum, imo forſan dierũ, ſpacium intra conceptacula hæc non ſolum coerceri, ſed & per ea prorſum ſerpere poſſe; quandoquidem & mole revera exigua eſt, & Salia Volatilia, ſat, modo ſibi permittantur, acria & pungentia lentore ſuo quadantenus frænare nata; & ipſæ, ex quibus conflatur, particulæ ne-

[a] *Hipotheſeos Summa.* (b) *Radices Nervorum in cortice Cerebri laxari, Vel propter poros ab aere occluſo. Vel anomaliam in aliquo ex cęteris Non naturalibus.*

(c) *Vel præ aliqua alia ſubita occaſione.* (d) *Hinc Nervos admittere materiam incongruã*

(e) *Quæ mora, quam hic trahit variis cauſis ſenſim exaltatur.*

(f) *Verùm ad aliquot horas forſan & dies ſine moleſtia per Nervos & Fibras progreditur*

nueunt non aliquam moram ad ulteriorem ſuam comminutionem, atque hinc exaltatationem, ſubeundam expoſcere. Cui porrò favet, quod valdè producta ſint plurima ex hiſce vaſis, in quibus concluditur; quo fit, ut motus in iis lativus, qui quidem vel ab admiſſionis initio lentus erat, tum præ aucta in progreſſu ſuo capacitate, tum extenſilitate, uſque & uſque minuatur; unde & Fermentativus, qui & ipſe pariter ſat lenis ab initio erat, aliquantò adhuc mitius procedere neceſſe habet: quamvis enim hic aucta particularum copia augendus, concipiatur, videtur tamen quod cùm ſingulæ hinc plus offendant ſpatii, magiſque proinde ab invicem diſterminentur, minus invicem ſæviant.

(a) Ubi verò tractu temporis uſque adeò impleta fuerint vaſcula hæc, ut abſq; moleſtia ulteriorem diſtenſionem tolerare nequeant, cùmque inſuper eum laxitatis quoad craſin ſuam particulæ ſingulæ ſic obtinuerint gradum, ut ad ſeceſſionem ab invicem moliendam in procinctu ſient, lancinatio illis repentè imprimitur; qui fit, ut ſeſe in motus contractivos ad moleſtum hunc hoſpitem extrudendum, componentes, rigorem indicant. Quę quidem lancinatio & irritatio quamvis uno forſan in loco incipiat, ſive hoc apud originem medullæ oblongatæ contingat, ſive in canaliculis, dicto tamen citiùs in univerſum Syſtema Nervoſum, tanquam admoto pulveri pyrio torre accenſo, propagatur; quandoquidem omnes particulæ ſic evectæ tum maturationis gradum non multum inter ſingulas diſcrepantem, utpote ab eodem fonte omnes derivatæ obtinuerint tum invicem contiguæ ſint (imo ubivis lateraliter per fibrarum, uti credo, anaſtomoſes communicantes) undè motus ibi conceptus facilè ad ſingulas tranſit.

(b) At quoniam lancinatio hæc ſemel incepta, brevi per totos ubivis fibrarum tractus, præ earum ſaltem plenitudine, ſi non & univerſali materię turgeſcentia, quam diximus, propagetur, hinc fit, ubi, ad earum extremitates pertigerit, has in corrugationes arctioreſque, cæteris partibus, contractiones adigere neceſſe habeat? Cujus rei ratio infra ſubdetur: Hinc neceſſario diutulè coercetur lancinans materia: unde non ſtatim evaneſcere poteſt Rigor (qui ab iſthac lancinatione provenit) materia eum concitante ſic intus detenta; verum aliquantiſper præ aucto particularum jam magis laxaturum, ſeceſſumque momentium, ſeque propterea in vaſorum latera majori impetu impingentium, conatu identidem augetur; (c) donec tandem ſuperata hac renitentia, foras prorumpat, in Sanguinem ſcilicet ubivis præterfluentem, quem, tum præ difformitate particularum conſtitutivarum, tum inteſtinis harum quibus perpetuo exercetur motibus, tum agitatione circulatoria, in magnos concitare tumultus neceſſe habet, Cumque hoc in tota maſſa contingit, ſicut magnus ſic porro univerſalis contingit æſtus: Qui non ante ſedari poterit, quam vel exantlata vel ſufflaminata fuerit fermenti hujus affuſi activitas, atque particulæ Sanguinis exagitatæ, & à reliquis laxatæ, per ſudoris, aliuſve naturæ lege præſtitutas redactæ fuerint: [d] quo faceſſat paroxyſmus, atque apyrexia ſequitur, modo vel in totum ſubacta aut extruſa fuerit conturbata materia, vel naturalis Sanguinis craſis ante hujus Morbi invaſionem integra fuerit: ſecus fieri vix poteſt quin etiam ſoluto formali Paroxyſmo, turbæ uſque in Corpore perſtent, ob reſtitantes in Sanguine Materiæ reliquias.

[e] Quòniam verò etiamnum perſtat cortica-

[a] *Donec ad debitum plenitudinis & maturationis gradum evecta conceptacula lancinare incipiat; unde Rigor Univerſalis.*

(b) *Qui præ corrugatione extremorum non ſtatim evaneſcit.*

[c] *Poſtea verò, errumpente in Sanguinem hac materia, Febrilem calorem accendi.*

[d] *Tandem Sudore, &c. maturatam critice excludi.*

[e] *Atonia verò corticalium Cerebri glandularum perſiſtente iiſdem gradibus uſque repetere Morbum. Donec cuncta in ordinem redacta fuerint.*

ticalium Cerebri glandularum Atonia, quæ semel inducta præ earum teneritudine brevi corrigi non potest, fibræq; Corporis universæ aptitudinem sua ad materiam turgescibilem suscipiendam statim exuere non possunt; quin ipsum Sanguinis serum, ex quo sua desumunt Nervi Supplementa minus illis congruum, etiam post primum Paroxysmum, multo magis in decursu Morbi, quanto magis vitiatur ejus crasis, suppeditare necesse habet Succum; hinc fit ut isthoc novum indesinenter glandulis hisce, sed depravatum, pabulum suggerente, his vero admittentibus, adque fibras universas Nervorum ductu transmittentibus, materia novi Paroxysmi sensim congeratur, qui post aliquam temporis intercapedinem maturata, iisdem quibus prior erat, gradibus, concluſa hac materia repetit, eandemque scenam exhibet: atque hoc toties transigitur, donec vel medicamentorum adminiculo, vel tempestatis mutatione, vel causarum aliarum interventu, qua morbida materiæ committentis dyscrasia edometur.

Hęc *Hypotheseos meæ* summa est; cui ut probabilitae aliqua concilietur, perpendi poterunt considerationes sequentes Scilicet.

(*a*) Primo, Certum, est Nervos, eorumq; propagines, *admodum lente*, comparatione ad Arterias & Venas habita, Supplementa sua usitato admittere, lenitus autem adhuc deponere; id quod (prout supra deduxi) inde provenit, partim quod meatus secretorii Cerebrale valdè angusti fit, partim quod Nervorum, fibrarumque ab iis prognatarum, tractus & in valde productam longitudinem excurrant, & eundo multum amplientur, partim quod hæ extensilis sint texturæ, præsertim quæ Musculorum [ex quibus maxima pars Corporis constat ventrem constituunt, partim denique quod impulsus apud Cerebrum valdè languidus sit, unde gradu non nisi lento ad eorum extremitates serpere necesse habet, quod Nervi indè accipiunt; emissionem vero tardiorum fore, hinc liquet, quod plurimæ in tendines quæ Musculos constituunt, fibræ colligantur, cæteræ fere objectu membranarum aliarumve partium, quanquam non obturentur, tamen necessario coarctentur adeo, ut moram egressuro suo liquori nectere facilè concipiantur. Cùm ex adverso ad venosi generis contenta qua suppeditanda, qua propellenda, primum Chylus magna Copia in vasorum lacteorum numerosos ductus Peristaltici Intestinorum Motus beneficio, exprimitur, inque Sanguineum rivum per notas vias Viscerum pinsatione, proprioque vasorum contractivo nixu, sat fortiter urgetur; dein admissus, adque Cor appellens, tum ejus systole per Arterias rapidissimè, Sanguinis Nomenclaturam jam nactus propellitur, tum systaltico & suorum vasorum, & Musculorum, contractione per Corporis habitum in venas cogitur, in quas quandoquidem promptè & copiosè transire constat, haud ambigi potest quin patuli ei transmittendo in habitu, non minus Cerebri quam aliorum partium meatus adstent, præ illis quis, ad Nervosa contenta suppeditanda destinati, in Cerebró patescunt.

[*b*] Secundò, quandoquidem à Sanguine suum mutuantur liquorem Nervi, Constat (juxta leges, quibus subjicimur, mechanicas) *proportionem servari debere* inter utriusque generis vasorum adimplectionem; adeo ut si parcè Vasa sanguifera Supplementa sua recipiant, prout in inedia evenire necesse est, parcè & Nervis sua suppeditantur; sin copiosè illa admittant, vix dubitari potest quin pari proportione [quanquam non quantitate] suum hic dimensum impertiant Totum etenim transmittendorum liquorum per universum Corpus negotium indebitè proportionetis & continuatis, quin

(a) *Considerationes quædam ad Hipothesin confirmandam. Primo Nervi lente* [*Comparatione ad arterias habita*] *supplementa sua admittunt, lentius deponunt. Attamen*

(b) *Secundo proportio servari debet inter Nervorum & Arteriarum dimpletionem.*

quin & contractilibus vasis peragitur, iisque moderatè saltem] plenis, adeo ut facto impulsu apud originem cujuscunque eorum tractus, necesse sit ut, qua data porta, in singula juxta hujus proportionem [obsservatis tamen secretionum legibus] juxta liquoris deponatur quantitas. Et quidem pro impulsus gradu constat transmissionem metiendam esse; adeo ut, si motus impulsi liquoris refringatur (quod fieri necesse est, si pars ejus à recto, quo reliquus defertur, tramite in laterales deflectat] præsertim si in valdè angusta vasa, eaque alterius generis, maximè si in progressu suo amplientur, instillet liquor hanc motus refractionem passurus pronum sit concipere, quod istorum Vasorum contenta valdè lentum, præ gurgite, è cujus gremio secedunt, motus gradum sortiri debeant, & proindè longius ad sui adimpletionem temporis spatium requirent. Hinc quanquam Sanguis pluries intra singulas horas Corpus circum curfitet, verisimile videtur liquorem Nervosum plures forsan dies ad subintrandos ductus suos universos, ubi multum exhauriri contigerit quod prius continebant, postulare. Unde sequi videtur.

(a) Tertio, Tantum abesse ut irritatio, quæ vascula hæc ad contentorum suorum cumulatam, quam dixi, extrusionem stimulat, continua futura sit [modo impendio prius ex hausta fuerint] ut *diu protelari* debeat; utpote quoniam à plenitudine Vasorum magna ex parte [sub aliquali tamen conjunctæ acrimoniæ consideratione] pendent, quæ non solùm, ob rationes jam modo allatas, cito haberi non potest, sed insuper ab ipsius Sanguinis comparativa debite defuncto Paroxysmo, paucitate. Quippe præ criticis evacuationibus, quæ in fine solenniter eveniunt, multum huius quantitas minuitur; adeo ut posteà necesse sit Arteriarum venarumque subsidentium canales novo alimentorum proventu redimpleri, antequam meatus, quos dixi, Cerebrales tributa sua copiose obtinere possint: Atq; hinc fit quod si cirticus Sudor in fine Paroxysmi copiose procedat, longius, cæteris, paribus, protelatur sequens; cum ex adverso, si parce citius redeat. Verum,

(b) Quartò, Quamvis Nervosi contenti Supplementa perpetim [nisi forsan sub ipsa Paroxysmi initia Cerebro tunc temporis præ lancinante concluſa materia arctius solito se constringente, id quod in epilepticis etiam Paroxysmis usu veniat] suppeditentur, *non* tamen *æquali mensura omnibus horis*. *Interdiu* quidem, quamvis non arctissime, quadantenus tamen, constringitur Cerebrum; secus; functiones Animales vix debite obiri possunt: utque hæ exerceantur, sicut necesse est, ut hic extrudatur identidem, atque versus Nervorum Fibrarumque tractus dispensetur, quiseos invigorare debet, liquor, sic vix verisimile est eodem tempore recentem, nisi parcè, admitti posse; tum radicibus nempe, tum medullari substantia [ex fibris Nervosis conflata] hoc tempore magis contractis: Verum *noctu*, dum inter dormiendum, feriantibus plerisque Animalibus muniis, laxatur Cerebrum non secus ac cæteræ pleræque partes, & faciliùs & copiosiùs liquorem suum tum admittit, tum propaginibus suis porrigit: Corde enim Sanguinem indesinenter in universum Corpus propulsante particularum idonearum secessionem aptiùs multò in laxata vasa secretoria, hoc nomine & capaciota & magis extensilia haberi, quam in contractiora magisque rigida, qualia dum vigilamus, præsertim verò dum nos exercemus, cuncta sunt, obvium est: [c] Ubi vero a somno expergiscimur; statim contractis Cerebris prius laxati meatibus, ulteriùs protruditur quod tunc temporis depositum erat; adeòque materia, & Succo Nutritio, [maxime dum recte valemus) & Fermentativo huic (dum sic ægrotamus) per totum Vasorum, ad exterma usque, tractum suppeditatur; quæ quamvis unica hac for-

[a] *Tertio, Irritatio ad extrusionem nequit esse continua sed diu protelari debet.*
[b] *Quarto Succus Nervosus non omnibus horis æqualiter à Cerebro admittitur. parcius interdiu. Copiosius noctu.* [c] *a somno in habitum partium protruditur.*

forsan admissione non sufficiat ad turgescentiam, quæ Paroxysmum inferat, concitandam animalitatis tamen munia, qualiquali saltem modo, inter Paroxysmos præstanda sat esse potest. Atque hinc quæstioni occurri potest, quomodo scil. hæc munia mox à solutis Paroxysmis peragi possint, si copiosè adeò atque supponimus extrudatur in Poroxysmo Nervosum contentum. Quippe certum est nunquam in totum exhauriri, verùm sat ejus ad hæc præstanda suppresse, eò quòd minor quantitas ad hęc sufficit, quàm ad turgescentiam quam volumus concitandam. Nihilominus tamen observare est, solutis Paroxysmis multum languidos & elumbes evadere hos passos, donec redintegrato per somnum Succo dicto paulatim vires resumant.

(a) Quinto, Attendere possumus, quod quemadmodum & modica quantitas, & lenis contenti Nervosi genius, lentusque motus, ad functiones placidè (quemadmodum exerceri solent) præstandas requirantur; sic *ad vehementem ac citam, imò universalem*, quæ in Febrium Intermittentium decursu persentiscitur, *turgescentiam*, concitandam necesse videtur ut, ut modo non admodum acris sit, tum sat *larga copia* suppeditetur, tum, *majori impetu* prosiliat materia hanc efficiens, quò proportio inter effectum & causam [quod quilibet concesserit] intercedat, Acrimoniam sanè grandem si sortita fuerit haud dubium est quin (ut ut exigua mole, Venenorum exemplo) graves excitet turbas; Hanc tamen, quamvis aliqualem in hoc Nervorum contento supponam, non tamen valde notabilem, nedum summam, esse inde evincendum censeo, quod tamdiu hoc in fibratum sensilium tractibus sine molestia hospitari possit: Et quamvis sensim ad altiores usque acrimoniæ gradus assurgat, quarum ubi debitum attigerit, statim in actum erumpit, sat tamen iste depressus est respectu ejus quo multa potiuntur acria. Idcirco sicut necesse est ut sat uberi proventu, & ubivis intra Nervorum fibrarumque claustra congeratur ad Pandiculationem. Rigoris, &c. Phœnomena producenda; sic porro videtur; quod pari copia ex istis in cunctis Corporis regionibus effundi debeat ad Febrilia. (b) Et quidem fortassis Ephemeræ Febris ratio, hinc (aliquando saltem) deduci poterit; quod scil. Nervosus liquor aliqualem, sed levem solummodo, a diathesin passus, verùm nimia congestus copia, ad exitum, seu propria tendentia, seu ab externis occasione concitatus, propter, adeoque magnam in Sanguine turgescentiam copiosè ei affusus excitet. Quo facto, exatoque Febrili Paroxysmo, reliquiisque per Sudorem, viasve alliis criticis evacuationibus dicatas, extrusis non amplius redit, utpote quoniam nulla remanent vel in Nervoso vel Venoso genere, vel in alterutrius conventis dyscrasia.

Considerationes hasce longo deductionum systemate ad præfatam Hypothesin accommodare non opus videtur utpote cum quo collimenta satis in propatulo sit; an autem quicquam ad eam stabiliendam conferat, penes alios judicium esto: Me jam ad *Symptomata solvenda* accingo: quorum quidem rationem quamvis sat facile ex ipsa Hypotheseos proposita adumbratione despici posse censeam, par est tamen, ut singulatim ea (saltem maximè notabilia, ad quorum normam cętera facilè solvi possunt) paulisper prosequar; quæ proinde prius enumeranda veniunt.

CAP. VI.

Symptomatum recensio & Solutiones.

(c) SYmptomata, quorum Syndrome Febres Intermittentes constat; ad

(a) *Quintò Ad magna symptomata concitanda vel acrimonia vel quantitate vel motu peccare debet materia.* [b] *Ephemeræ (nonnunquam) causa.*

(c) *Symptomata Febrium Intermittentium trium sunt generum.*

ad tria genera revocari possunt; *Præclusoria*, *Exhorescentiæ*, & *Incalescentiæ*; Quæ quamvis numerosa valde sint, ut si omnium minutulorum recensioni & explicationi navanda foret opera, minium & chartæ & temporis impendi necesse sit; seligenda tamen sunt magis notabilia, à quorum Solutione reliquorum, arbitror, facilè deduci queat ratio.

(*a*) Prioris generi (juxta maxime accuratam doctissimi *Jonesij* enumerationem) sunt, pandiculationes, & oscitationes, plurimarum partium Corporis quandoque coarctationes, unde fit, ut vestimenta laxiora sentiatur; tutis aspera evadit, scrotumque corrugatur; morosiores solitò plerumque evidimus: quandoque majori, quàm alias fit, acumine sermones censerimus; aliquando ad leves Vertigines Cephalalgias vel proclives sumus.

(*b*) Mox rigor [prioribus pauliſper adhuc persistentibus, imò aliquando auctis] cum magno frigoris sensu plerumque invadere solet; qui à levioribus vellicationibus quandoque ad immanes concussiones progreditur & in dorso utplurimum primùm sentitur. Interea plus solito & tardior & contractior deprehenditur, anhelitus ingruit difficultas, qui aliquando eousque progreditur, ut nos morituros credamus [& quidem plerique ex iis quos Febris intermittentes enecat, in augmento, si non mox ab initio Paroxysmi, fatis cedunt; Spiritibus nempe usq; adeo depressis, ut non amplius se ab invisc antis crudæ massæ amplexibus extricare valeant, indeq; suffocatis] Hypocondria contrahuntur, immodicè quidam sputum excernunt alii lachrymas involuntarie profundunt, quosdam desidendi conatus, alios Vomitiones celebræ quandoque infestant, Urina solito & pallidior & copiosior cernitur.

(*c*) Evanescente Rigore succedit paulatim Calor (imò quandoque Rigoris & caloris reciprocationes alternant sæpius vices) qui brevi plerunque ad immanem assurgit gradum, cum Capitis Dolore, Deliriis, Vomitionibus, Diarrhæa, Difficultate anhelitus, Siti molesta universi Corporis quasi Distensione, Lassitudinibus, &c. Quorum Symptomatum pars quamvis & tempore exhorrescentiæ sentiantur, aliam tamen explicationis & resolutionis suæ rationem jam habent, quam quæ in principio invadentibus competebat.

Tandem, Ubi multum per aliquod temporis spatium (verùm brævius vel protractius pro Cruditatis vel Coctionis in minera Morbifica gradibus) incaluerimus, ut plurimum Sudor erumpit; quo apparente, evanescere incipit calor, una cum reliquis Symptomatis: procedente vero, somnus obrepit, vel saltem quietis gradus aliquis, donec difflatis molestæ & jam coctæ, quæ Paroxysmum concitaverat, materiæ reliquis, ad totalem apyrexiam redamus.

(*d*) Symptomata hæc nec omnia in omnibus, qui Febribus Intermittentibus tentantur, occurrunt nec eadem violentia singulos, quibus adsunt, exercent: Quippe nec omnibus eadem Corporis constituto, eadem ad hunc vel illum Morbum, vel symptomata ad eum spectantia, procatarxis; nec circa causarum antecedentium amolitionem, vel ante, vel in Morbi decursu, cura; unde grandes anomalias circa has, non minùs cæteros Morbos, pullulare necesse est: Quin notum est, quod in epidemicis annorum constitutionibus quæ ad has disponunt, non secus ac in alias, in quibus alii quivis dominantur Morbi, Symptomata quædam, unam aliquam partem Corporis quandoq; afficientia, præ cæteris ferociant; materia nempe promiscua secus conciatura ad has deflectente: Imo rigor ipse quibusdam saltem per aliquos Paroxysmos, deest. Verùm cùm hæc sat communi observatione constent, sufficit ad præsentem Hypothesin si explicemus. (*e*) qua ratio-

[a] *Præludoria*. (b) *Exhorrescentiæ*. (c) *Calescentiæ*.
[d] *Nec omnia omnibus, nec singulis æque violenta eveniunt*. [e] *Eorum ratio-*

tione ſingula ex enumeratis ab aſſignata origine provenire poſſint.

(*a*) Et primo, ubi Succus Nutritius, in Fibris ſingulares partium modo dicto congeſtus, eum depravatę maturationis gradum indeptus fuerit, ut ad turgeſcentiam in procinctu ſtet, imo laxari jam in craſi ſua incipiat, partium continentium parietes, prout ſupra aſtruxi, ad extrudendum quod moleſtum eſt leviter prius irritat; eumque Muſculorum Fibræ maximè hujus irritationis capaces, & præ cæteris (uti ſaltem mihi apparet) extenſiles ſint, quin motus Muſcularis, tam in voluntarij, quam ſpontanei ſint præcipua organa, hinc primus in plerunque ad Paroxyſmum cernitur apparatus: Quippe in *pandiculationibus*, *Muſculorumque extenſionibus* paulatim contrahuntur Fibrarum eos conſtantium parietes, paululumque, quanquam non ſtatim extrudatur, ſaltem arctiùs compingitur contenta materia, quæ uſque turgens mox iterum ad ſimiles motus identidem vaſcula ſua urget, donec tandem hac arciori evadente, magisque laxata, in rigores iſti tranſeant.

(*b*) At quoniam à Cerebro, ſicut materia iſthæc decrivatur, ſic motus inſtinctus incipere debet, hinc neceſſe videtur, ut Muſculi ipſi propriores primo afficiantur; cumque Organiſmi ratione hi qui Maxillæ inferiori movendæ deſtinantur, illisque contermini, maximè conſpicuum motum edant, primum *oſcitationibus* Paroxyſmi adventus prænuntiatur. Fibris iſtorum Muſculorum univerſis in tales motus conſpirantibus, qui laceſſenti materiæ exterminandæ maximè conducat.

(*c*) *Partium*, imò univerſi fere Corporis, *contractio* eandem agnoſcit cauſam: Quippè in arctius ſpatium neceſſario ſubſidere debet Corpus cùm univerſæ, ſic arctantur Fibræ: quod in vaſis, quorum motus eſt contractio, intus leceſſitis non poteſt non haberi. Quin cutis aſperatur, Fibris Vaſorum ſecretoriorum, quæ ubivis in cute habentur, partim introrſum retractis, partim glandulas cuticulares connivere cogentibus, atque hinc in prominentias adigentibus: unde & tranſpiratio tunc temporis multùm cohibetur. Scroti corrugatio eandem fibrarum retractionem, præ incluſa vellicante materia, agnoſcit.

[*d*] Ut reddatur ratio, cur *moroſiores* quandoque ſentiuntur ægroti, quandoque vero *altiori ingenii exercitio*; quam ſecus aſſolet, pollere deprehendantur, neceſſum quidem foret, ſi ad amuſſim rem explicare velimus, ut Unionis Animæ cum Corpore, quin actionis Subſtantiæ Materialis ad Immaterialem, translationis modum demus. At quoniam hoc impar humano intellectui onus quilibet, opinor, reputaverit, ſufficiat augurari, quod, dum ad acrimoniam aſſurgit congeſta, quam dixi, in Cerebro materia, hoc moleſte afficiendo, inque contractiones aliquales, ſecus forſan ſat regulares, licet, citatiores tamen quam in pacato ſtatum inſtitui ſolent, adigendo, animam pariter, præ nexu indicibili (quem omnes agnoſcunt) quo iſti unitur, in moleſtam ſenſationem huic reſpondentem, effectusque conſequentes trahat. Et hoc quidem à Spirituum (vel quovis alio nomine indigitare volueris immediatum animæ inſtrumentum [motibus, quantum ad corporeum agens ſpectat, pendere videtur. Quippe dum hi cum vehiculo ſuo quodammodo ni Cerebro, præ universa Syſtematis Fibroſi ad hoc propagati contractione, incarcerantur non ſecus ac hinc agitantur, neceſſe videtur ut Animæ, cum internuntiorum munere fungantur, analogas his quas Corpus patitur impreſſiones communicet; adeoque, ſi placidior ſit, liberiorque horum per proprios canales tranſcurſus, altiori acumine ſeſe exerat anima; ſin magis impeditus, ſicut & moleſtiùs hi in eorum parietes impingunt, & quadantenus à rectiori tramite diſtorquentur, ſic pariter moleſtam huic exertionem im-

[a] *pandicula* (b) *Oſcitationis*.
[c] *patrium contractionis*.
[d] *Motum aſperitatis, vel ingenj acuminis aucti*.

impertiunt: Et sanè cùm debita organorum tensio (quam Spiritus, non quidem seorsim, sed Succo Nerveo debitè uniti, præbent) non minus quam conformatio, ad animalia munia admodum necessario requiratur, potissimum vero Cerebri ad Intellectionis actus si tensionem hanc ultra modum [prout in assignato casu concipimus) augeri contigerit, quidni anima tanto fortiùs vel citatiùs perceptiones suas actionesque indè profluentes exerat, quanto hæc major vel molestior fuerit; modo istius materiæ, quæ tensionem hanc dat, transcursus à tramittibus solitis non divertatur, quod si evenerit, vel deliria comatosi aliive affectus hujusce dyscrasiæ consectarij necessario invehentur?

a Ab istorum Spirituum nimius citatis nunc temporis ab allegata causa motibus, excrusuq; quadantenus retardato, non mirum est *Vertigine* oboriri: Quin cùm materia Paroxysmum commissura, præ ista, quæ naturaliter hic secernenda est, aliquantulùm crassiuscula sit; rationi consonum videtur hanc ad illorum agitatione rarefactam quodammodo, & motus gradum ulteriorem quantumvis exiguum, hinc indeptam, eorum motibus & magis proindè officere, & iis se comitem præbentem intra anfractuosa Cerebri demeacula gyros quosdam describere; in quibus Vertiginis ratio consistit.

b Cephalalgias præ lusorias à materiæ hujus portiunculis in Membranarum Cerebri fibras pertenues depositis, jamq; exaltatione hucusq; progressa acrimoniam induentibus, pendere censeo. Quippe cùm membranæ pro adæquatis sensus organis à plerisque habeantur, sicut hos affici in præsenti Symptomate certum est, sic porrò à materia in eorum fibris concluса hoc præstari mihi probabile videtur, cum nullus hoc tempore in Sanguine Orgasmus, prout ante adstruxi, deprehendatur, unde materiam lancinantem intra Vasorum sanguiferum tubulos delitescere concipiatur.

Jamque instructa, ut dixi, acie, præfatisq; velitationibus transactis, erumpunt copiæ morbificæ, à Spiritibus in prælium trusæ.

c Et primo plerumque agmen ducunt *Rigores*, & *Horrores* cum adjuncto *Frigoris* sensu. Horum rationem sic reddo. Ubi congesta in Fibris materia acrimoniam, ita ut dictum est, adepta in crassi sua laxari incipit, atque hinc, præ nixu Spirituum hostem istum amoliri [satagentium ut dem Cl. *Cartesij* materia subtilli impræsentiarum philosophari omittam, qua tamen revera ipsis Spiritibus, imo cunctis præterea Corporibus motis, primitus transcursu suo pernici instinctum ad motum dari verisimile mihi videtur) turgescere, lavatæ ejus particulæ, dum ab invicem motu suo expansivo recedere conantur, in continentium Vasorum parietes impingunt, atq; hinc eos angulis suis lancinando in subitas contractiones, exterminandi inquilini hujus molesti causa, adigunt; cujus quidem extrusionem hisce nixibus non longo tempore differri posse haud arduum est concipere, quandoquidem in fluido natat lancinas hæc materia; Hoc facto quies sequitur, donec recens irritatio successerit, quam statim inducit & numerus & motus, aliarum hujusmodi particularum ubertim hic scatentium, & prorsum delatarum; quæ porro positionem suam hinc variantes, angulisq; alter utrinq; præditæ identidem in eos impingere atq; exercere concipiantur: Atque in hac partium sensilium motus & quietis reciprocatione Rigoris forma consistit. Quoniam vero hoc innumeris in locis evenit, utpote quoniam tota contenteæ in fibris materiæ massa particulis hisce turgescibilibus referta est, quæ proinde omnes, quanquam non eodem momento, brevi tamen spatio in eandem turgescentiam assurgere in procinctu stant, hinc Rigor universum corpus citissimè corripit.

d In dorso ut plurimum & *incepit Ri-*

a *Vertiginis*. b *Cephalalgie præluseriæ*. c *Rigoris & Horroris*.
d *Cur in dorso rigores incipiant, & hic loci graviores sentiantur*]

ger, & *immaniſſime ſævit*, quoniam ſicut Nervulorum iſtorum, qui unicè Spinale Medullam conſtituunt, & quorum expanſione longè maximus Corporis partium numerus conſtat, ductu in totum partium ab iis prognatarum habitum diſpenſanda eſt (iuxta Hypotheſin noſtram) tam Morbifica hęc, quam alibilis materia; ſic neceſſe eſt, ut ipſi ſat copiose eandem referti ſint, quo debitè eandem propellant in omnes ſuas propagines, quod quidem requirit, ut ea prius ſatis ſint diſtenti: Hic loci proinde turgeſcibilium, particularum primo congeruntur copiæ quę, ubi ad debitum laxitatis & maturationis, quam diximus, gradum evectæ fuerit; inſtructuque ad eruptionem à cerebello aceſſerit, & citius & ferocius iſthic lancinationes ſuas exercebunt, tum quod arctius ab oſſeo munimento compingantur Vaſa illas continentia ut dilatari nequeunt, tum porro quod hac via ad reliquum Fibrarum per universùm Corpus exceptis lis ejus partibus quas Nervi ab ipſo, magis propriè ſic dicto, Cerebro provenientes irrigant] propagatarum Syſtema tranſmittendus ſit totus ſuus proventus; modò ſaltem Hypotheſis mea circa Nutritionem debite ſtabiliatur.

[*a*] *Frigus* verò, quod una cum Rigoribus preſentiſcitur, à Spirituum depreſſione, atque univerſali ferè, quam dixi partium ſolidarum Contractione, qua debita liquorum diadoſis quodammodo ad tempus ſufflaminatur, provenire cenſeo. Et quamvis ſuggeratur forſan contrarium potius hic eventurum, eo quod præ maſſæ liquoris Nervei allegata, laxitate ſingulæ in motus libertatem ſeorſin vindicentur ejus particulæ, quam prius invicem complicatæ minimè ſortiebantur, tunc dierum a pleriſque agnitum ſit caloris formam potiſſimum in minutarum, quæ illius ſunt ſubiectum, motum conſiſtere, ut proinde quanto magis in craſi ſua ſolvantur iſtæ, comminuantur quale quid hic comminiſcitur] motuſque hinc inteſtinos, ineant, tanto calor intenda tur; Attamen regeri poterit, quod quandoquidem non omnes motus gradus calorem ſtatim producant, verùm plurium inſuper circumſtantiarum habenda ſit ratio [utpote morarum particularum figuræ, aliarum aptitudo ad earum impreſſionem ſuſcipiendam, vaſorum has includentium debita cavitas, in qua nixus ſuos libere exerceant, materiæ impellentis vigor, potiſſimum verò proportio] quod alibi adſtruxi (inter gradus motus in objecto quod calidum denominatur, & ſenſorio percipientia, ut videlicet illè hanc ſuperet] facilè fieri poteſt, ut motus iſtarum quas contemplamur particularum, utcunque ſolutarum, non uſque adeo intendatur gradus, ut calorem ſenſibilem ſtatim inducat, modo reliquæ ad eum accelerandum non concurrant circumſtantiæ; quibus deficientibus Frigoris ſenſus neceſſe habet hinc induci. Unde allegare poſſumus, quod vaſcula ſolutam hanc lancinantem materiam continentia, præ ictibus quod infligit contractiones ſubeuntia, ejus particulas uſque adeo coarctent, ut minorem in ſolido motus quantitatem obtineant, quam liberum magis ſpatium nactæ ſortitæ erant, ipſæque fibrarum conſtituentes, quæ ad motum calorificum una cum aliis cauſis concurrere debent, arctius compactæ minorem [ut non obſtante motu interpolato, quem ad Rigorem determinandum aſſignavimus, qui non eſt particularum intimè conſtituentium, ſed organicarum, qua talium] agitationem ſingulæ, nunc ſubeunt: quia Spiritibus ipſi animales, qui per totam maſſæ hujus in fibris dictis concuſæ molem diſpergantur, ab acida, vel acri materia morbifica, quanquàm non in totum peſſundentur & deſtruantur, tamen uſque adeo deprimantur (prout in notis experimentis circa admixtionem Salium Volatilium cum Acidis palam eſt] ut motus ſuos inteſtinos ſolitos [à quibus calorem noſtrum

(a) *Frigoris*.

vivificum & pendere, & debitum ſuum juxta horum proportionem ſortiri gradum, autumno] proſequi nequeant. Porro Spirituum in Sanguine [qui præcipuum; vel par ſaltem maximè notabile, Caloris noſtri ſubjectum eſt] eſt micatio inteſtina ab acidis aliiſve eam ſufflaminare aptis, particulis aliquatenus hoc tempore deprimitur; Unde cum motus in ea calorifici intra ſolitum gradum procedant, neceſſe eſt, ut Frigoris ſenſum experiamur: Qui inſuper ipſæ Cordis, non ſecus ac reliqui Corporis, Fibræ motivæ, rigidiores aliquantulum ob infarctum a depreſſiori quam ſolet materia factæ nequeunt ſtatim vegetarum adeò Sanguini concitationem imprimere, Spiritus à compedibus, quos illis particulæ dictæ aptarunt, ſeſe extricare valeant.

(a) Quod ad *Rigoris durationem* attinet, Notandum eſt, quod, quandoquidem Fibræ ſingulæ in arctius ſpatium, ſic ut modo dictum eſt, irritatæ contrahantur, hoc apud eorum extremitates potiſſimum evenire debeat, utpote quoniam longe maximus earum numerus nil ultra habeant, qui annectantur, quod earum motui adverſetur; unde prompte obſecundantes motui ſuperiores tractus introrſum quadantenus urgeantur, atque hinc conniveant: quæ vero apud Oſſa, Tendines, aliaſve ſolidas partes terminantur, quamvis hinc à coarctatione iſta apud extremitates, quam reliquis adſcribo, arceantur, hoc tamen nomine quod hic inferantur, obicem contentis ſuis ſolito concitatus ſecus erupturis, inveniant; Ut taceam [quod ſuperius innui] rationi conſonum videri has lege naturæ hic loci contractiores ab ipſa origine, præ reliquo tractu, eſſe debere ad Nutritionem Animalitatiſque cętera munia [commodiùs ſaltem] præſtanda, hinc neceſſario fit, quod quandiu contractiones iſtæ perſtant, Rigores evaneſcere non poſſint, utpote quoniam moleſta, quam dixi, qua referta ſunt vaſcula hæc, materia eorum parietes continuo vellicat, ad cujus tandem excluſionem vel brevius ſpatium requiritur, prout vel acrimoniæ in illa gradus, vel ejus quantitas, major vel minor fuerit.

(b) *Pulſus* hoc tempore & *debilitas* & *tarditas*, ab allegata Salium Volatilium ſeu Spiritum Animalium in Succo Nervoſo depreſſione provenire videntur. Quippe cum liquor qui ad Fibras Cor conflantes tendit, iſtius ſolummodò potio ſit qui in reliquas deponitur, ejuſdemque omnino generis; ſicut debitam activarum ſuarum particularum exertionem requirit ad motivam vim ei impertiendam, ſic ſi iſtas æquo depreſſiores habeat, palam eſt hunc Muſculum functiones ſuas [inter quas motum pro præcipua habendum eſſe quilibet mihi largietur] minus quam par eſt vegete obire debere. Si obiciatur, acrimoniam, quam in Succo Nerveo comminiſcor, irregularitatem potius vel celeritatem quàm tarditatem Pulſus inventuram; regero, quod ſub initium Paroxyſmi acres vel acidæ particulæ, præ combinatione quam cum ſpiritibus inierunt, nondum adeò efferæ evadant, ut notabiliter ſe ad lancinationes inferendas exercere poſſint, utpote partim ab illis ante adhærentibus delinitæ; partim craſſiores hinc moles ſortitæ; mox verò ubi ulteriori exaltatione, lenioribus iſtis ſub jugum miſſis, propriam, hoc eſt, lancinantem, indolem induerint, & citatior evadit pulſus, & quandoque ſat irregularis; quin de Cordis angustia & contractione querimur, que rigoribus, quos in reliquo Corpore experimur; reſpondere haud forſan abſurde concipiantur.

Verùm non iſti ſolùm fortaſſe cauſæ pulſus depreſſio imputanda erit, ſed inſuper impeditæ Sanguinis micationi; in quo, non ſecus ac Succo Nerveo, activæ deprimantur particulæ; quo fiat, ut minus ſolitò tranſcurſo ſuo Cordis Ventriculos quà diſtendentes, qua iaceſſente, in partem cauſa hujus Symptomatis.

(a) An-

(a) *Durationis Rigoris.* [b] *Pulſus debilitatis & tarditatis.*

(*a*) *Anhelitus difficultas* pariter à Causa Nervis insidente commodissimè deducenda videtur, utpote quoniam omnis motus tam Pulmonum, quam reliquarum partium, his debetur. Quamvis enim infarctio istorum à Sanguine talem affectum inducere potest, in tamen in isto casu; quandoquidem nulla Venarum distentio, nullus faciei rubor, aliave signa appareant, quæ Sanguinem nimia hic congeri copia testentur; idcircò supponere liceat, quod tùm Nervi Pulmonibus ministrantes, tum ipsæ horum constitutivæ Fibræ Succo, modo quem dixi, dispositò refertæ functiones suas motivas haud satis pro œconomiæ animalis lege promptè exercere possint, imo contrahantur; unde non mirùm respirationem, tantopere ad vitam necessariam, molestè procedere: Quinimò Diaphragma Musculique omnes ad respirationem concurrentes, eodem modo affecta, hanc anhelitus difficultatem angere facilè concipiantur.

[*b*] Ab hac causa pariter & *Hypochondria contrahuntur*. Nempe cum Diaphragmati appendatur Ventriculus, cui ex una parte incumbit Hepar, ex altera vero Lien per vasa annectitur, necesse est ut, sursum retracto Diaphragmate, sicut majus pondus sustinendum accedit, sic porrò contractionis sensatio ab iisdem in arctius spatium (partim hac ratione, partim à musculorum abdominis pariter affectorum compressione) retractis necessario inducatur: ut taceam ipsas miscera hæc conflantes Fibras, eodem quo cæteræ modo, ut sæpius dixi, à Succo depravato, jamque exertionem moliente, infarctionem subire.

(*c*) Quod quidam *sputa copiosè secernant*, multi *lachrymas involuntarie profundat* alii (imò fere omnes) *urinam frequentius*, & renuiorem, *reddant*, ab alia potiori causa vix mihi videtur profluere quàm hac; hac quod nempe Succus Nerveus, à dictis causis vascula sua sese astrigendum irritans, ex iis in Glandulas excretorias profundatur (nunc has; nunc illas prout dispositæ fuerint ad ejus impressionem suscipiendam) ubi secretiones [*modo quem olim explicui*] concitat; eoque copiosius quo magis ad acorem accedit, utpote hinc non solum Vasa propria Glandulas ad fortiores nixus extrusivos irritans, verum insuper Sanguinem præterfluentem (plurimorum Medicorum consensu) tundendo: quod quidem & universaliter præstare concipiatur, cùm in hujus gurgitem ubivis ferè è vasculis suis enutrietur & exprimatur; unde serum ejus ad secedendum tantò magis aptatur. Atque hinc urinæ hoc tempore pallor; serosioris Sanguinis parte Sulphurearum & Chromaticarum consortio sic orbata.

(*d*) *Vomitionis*, quæ sub initium Paroxysmi, infantibus adhuc Rigoribus & Frigore, invadunt, mihi sat evidenter Nervosum genus primariò affici denotant. Præterquam enim quod ipsa Vomitio convulsivum sit symptomata, aliisque multis Cerebri & Nervorum affectibus frequenter superveniant; Ventriculi non raro Saburra humorum ante Paroxismi invasionem vacuus deprehenduntur, Saltem mox depletur, persistente nihilominùs Vomitione: & quæ billiosa procedunt quandoque excreta vix instantaneæ ex Sanguine secretiones producta concipi possunt, verùm biliarum conceptaculorum, in contractiones adactorum, effecta potius censenda sunt, quandoquidem nulla in Sanguine conturbatio, quæ talem festinam secretionem præcedere debere videtur, nunc temporis sentitur, id quod urinæ, quem dixi, pallor evincit.

(*e*) Ab eadem provenire causa *proclivitatem ad alvum exonerandam*, quę aliquos

(a) *Anhelitus difficultatis*.
[b] *Hypochondriorum contractiones*.
(c) *Salivæ lachrymarum, urinæ profusionis*. [d] *Vomitionis*.
[e] *Proclivitatis ad alvum exonerandam*.

inceſſit, arbitror; Glandularum ſcilicet vel hepaticarum, vel inteſtinalium, medio Nervorum inſertorum, jamque laceſſiri incipientium, contractiones ſubeuntium, atque hinc ſecretionem aliquam ex perluente Sanguine (qui ſemper vel in integerrimo ſuo ſtatu, materiam pro omnis generis ſecretionibus in gremio ſuo portat) molientium miniſterio.

[a] Hactenus *intra Nervoſi Syſtematis claustra* tranſigitur conturbatio; anguſtiis, quas dixi, apud Fibrarum extremitas materiam Morbificam adhuc intra earum Tractus coercentibus: Hac jam uſque adeo exaltata atque effeta evadente, ut reſiſtentiam præfatam ſuperandi vim nata ſit, mox *eruptio* ſequitur, unde depleri incipientibus Vaſis illis, pari paſſu evaneſcere neceſſe habent prædicta Symptomata; idque vel citius vel tardius pro acrimoniæ gradu, atque particularum invicem Heterogeneitate; unde turgeſcentia & conſequenter eruptio ſeriùs ocyùs efficitur. Excluſa materia vel immediatè in Sanguinem fertur, vel ſaltem vaſorum Lymphaticorum ductu (excepta illa ejus portione quæ ſeu tranſpiratione in auras diffiatur, ſeu in glandulis excretoriis in conceptacula ad ſita, Ventriculi ſcilicet Inteſtinorum, &c. hiantibus, ſecernitur; quæ quidem ad reliquam, qua univerſum Corpus perluitur, perpaucа videtur) ad illam mox transduci neceſſe habet; quo ubi pervenerit, alias, diverſaque ratione, excitare turbas in proclivi habet, utpotè viribus auſta; Quippe tam longa incarceratione energiam ſuam haud affatim prorſus exerere potuerunt ejus particulæ; nixu earum expanſivo hinc cohibito, quin ipſis ob mutuas, leniores licet, colliſiones magis exaltatis; quo fit ut ſuperatis obſtaculis majori impetu [obviorum ubivis experimentorum circa liquorum in utribus concluſorum eruptionem exemplo) proſiliant: Cum vero inſuper Sanguini jam affuſæ plurimis ejus diverſi generis particulis, quæ eas diſtorqueant, adeoque aliàs iis imprimant motuum determinationes, occurrerint, fieri non poteſt, quin à mutua inde provenienti exagitatione notabilis exoratur excandeſcentia.

[b] Plurimorum Medicorum hujus Seculi conſenſu, ſancitur *abundare Sanguinem particulis Sulphureis*, quibus accenſionis, quam vocant, cauſam tribuunt. Hoc aliqui in dubium vocant, quoniam nec revera inflammabilis eſt, nec oleoſam, inflammabilem [ſaltem abſque prævia Fermentatione, niſi forſan in exigua admodum quantitate, quæ neutiquam proportionem ſolitæ in maſſa incaleſcentiæ æquet] deſtillatus exhibet ſubſtantiam: imo allegari poterit, quod à colliſione Salium diverſi generis, non minùs quàm particularum omne genus heterogenearum, confuſis motibus invicem agitatarum, Calor excitetur; unde incaleſcentiæ, quam experimur; ratio abſque Sulphurearum introductione habeatur. Cui tamen ex adverſo referri poteſt, quod præ arcto, quod quandoque inter Sulphura & Salia quædam intercedit, connubio facilè concipiatur præpediri illa poſſe, quo minùs ſe protinus exerant, donec congruo, quod nexum ſolvat, adhibito menſtruo ſeſe in actum vindicent, atque hinc excandeſcentiæ ſint ſubjecta. Quin notum eſt verè accenſibilium ſubſtantiarum agitationem & celerrimam & maximè diffuſivam eſſe (quanquam magis vel minùs pro varia admixtione aquoſarum aliarumve cujuſcunque ferè generis, quæ earum particulis quoquomodo ſeſe interponunt) adeo ut nil obſtare videatur quo minùs, exigua quidem quantitate, non ſolùm per totam maſſam, in ataxias ſemel adactæ, uberiùs micent, verùm etiam reliquas ejus conſtitutivas particulas præ maxima ſua energia hinc agitando confundant, adeoque Febrem veram inducant. Et ſanè quan-

[a] *Tranſactis Nervoſis ſymptomatis ingruunt Febrilia.*
[b] *An dentur ſulphureæ in ſanguine particulæ?*

quandoquidem pinguibus, & proinde Sulphureis, utpote butyro, pinguedine Animalium, oleo Olivarum, &c. quotidie plurimi vescamur, quid vetat quò minùs hæc suam istam aliquousque retineant indolem, quandoquidem vix forsan evidens assignabitur ratio, unde tam subitò mutetur? Atque hoc eo magis tenendum videtur, quoniam magna pinguedinis quantitas variis in Corporis locis habetur, cujus natales, nisi à Sanguine secerni concedamus, vix aliunde, puto, facilè deducemus. Quibus sic habentibus non absurdum videtur conjectari, rationem incalescentiæ Febrilis à Sulphurea materia profluere posse, *Accensionemque* haud admodum impropriè denominari posse qua Nativum, qua Febrilem, Calorem.

(a) Quicquid verò de hac re statuatur, Symptomata quæ in *Paroxysmo*, quem vocant, *Caloris* habentur, à Præfatorum duorum liquorum miscella non admodum difficulter solvi posse autumo.

(b) Quippè, primò, ubi Fermentativus hic ex conceptaculis dictis sic eruperit liquor, Sanguinique affulus fuerit, particulas ejus laxiores [seu Sulphureæ fuerint, seu cujusvis præterea generis, modo his congruæ] quæ priùs placidè cum reliquis circulabantur & fermentescebant, licèt nondum eum subjerint digestionis gradum, qui ad consummatum Sanguinem necessarius est, in motus enormes adigit; unde, præ collisionibus inter difformes invicem utriusque generis particulas, plurimùm augeatur earum motus, tum intestinus tum lativus, à quibus *Calor* necessario intenditur, atque juxta proportionem quam istæ ad invicem quoad moles & figuras gerunt, major vel mitior evadit; quo fit, ut quamvis intima Sanguinis crasis haud funditus hinc laxetur, utpote ab usque adeò digestis particulis, quæ ad nexus amicabiles, non facilè ab istarum aliarum conturbatione statim dissolubiles, pronæ sunt, pendens, massa tamen notabilem ebullitionem concipere necesse habeat. Atque hinc discrimen, quod suprà notavi, inter Febres Intermittentes & Continuas (quod ad Paroxysmum Calores attinet] fortasse provenire censeam, quòd scilicet in *illis* laxiores & minùs digestæ, Sanguineamque perfectionem nondum adeptæ, particulæ in conturbationem cieantur; in *his* scena inter verè Sanguineas potissimum transigatur, [quantumvis non negandum sit etiam has crudioribus particulis sic exagitatis multoties prophasin debere (quo fit, ut laxata nimiùm massæ Sanguineæ compage nulla possit intercedere apyrexia.

(c) *Caloris* autem & *Frigoris alternationes*, quæ quandoq; infestant, ob inæqualitatem succi, Nervosi, depravati, ut retulimus, ejusque proinde interpolata maturatione & effusione, profluere concipiantur. Quippè quidni aliquando inveniat, ut, quæ ejus portio Fibrarum extremitatibus proximè accumbit, requisitum ad eruptionem moliendam gradum acquirat, tum interea alia atq; alia altiùs latentes & discontinuæ eundem nondum sortiantur, utpotè crudiores & crassiores; undè sicut à prioris ad præfatum acrimoniæ gradum exaltatione *Rigor*, & ab eruptione *Incalescentia* inducuntur, sic à pari sequentis maturatione, pariq; extrusione, non abludens symptomatum invehatur successio; quæ sæpius forsan reciprocatio eveniat, modò inæqualitas in Nervoso contento major sit: ubi verò tota fermentiscibilis materiæ moles sic maturata & extrusa fuerit, tunc æquabili tenore ebullire perstat sanguis, aduſq; plenam materiæ Febrilis subactionem, criticamq; foras expulsionem; nisi forsan insuper magna sanguini etiam subsit inæqualitas; quæ si contigerit, haud mirum erit remissiorem quandoque intentiorem ebullitionem & ex-

(a) *Febrilium symptomatum ratio*.
(b) *Caloris*.
(c) *Caloris & Frigori alternationum*.

ſcandeſcentiam poſtmodùm, haberi, non ſecùs ac Rigores ſub initium interpolari.

(a) Exagitato hoc modo Sanguine, obvium eſt *Capitis Dolore*, *Deliria*, *Vomitiònes*, *Diarrhœam*, *cæteraq*; Febrium Symptomata pullulaſcere ſat facilè poſſe; Sanguinis turgeſcentia jam caput aliaſq; partes circulationis via poſtliminiò afficiente, ſecretoriaſq; partes quandoq; ad materiæ moleſtæ extruſionem irritante; atque hoc majori aliquando ferocia præſtant, quam in continuis ſolent; quandoquidem præ affuſo hoc Fermento, acrimoniam mora ſua indepto, immanior nequit non ebullitio concitari, quàm ubi indigena exaltatione commoventur; id quod cuivis ab incongruatum & fermentativarum ſubſtantiarum commixtione liquet.

(b) Ubi verò eò proceſſerit Calor & conturbatio in Sanguine, ut tum Nervoſi fermenti, tum ſanguinearum ad turgeſcendum proclivium particularum, vis jam exantlata fuerit, partimq; hinc varietur moleſtarum particularum figura, partim aptiores ad ſecedendum moles hæ acquirant; quin inſuper Glandulæ in peripheria Corporis quæ prius præ lancinatione contractiones ſubierunt, jam laxiores evadant, & præ detentæ materiæ congeſtione diſtendantur (has quippe partes valde extenſilis eſſe fabricæ ſtrumarum productio ſuadet) *Sudor*, ut plurimùm, *criticus* erumpit, Nervis pariter fortaſſis (quos nunquam vacuos eſſe, quamdiu vel motus vel ſenſatio perſtant, credendum) calculum ſuum ad hoc molimen (prout olim adſtruxi (c) conferentibus, æquabilioremq; Succum jam ſuppeditantibus; cujus quidem perexigua quantitas ad determinatione laxatæ, ut dictum eſt, atq; ſecedendum pronæ, imprimendam ſufficere jam videtur, quoniam materia aptè depoſita, viiſq; liberis hoc Morbi tempore redditis, exiguus ſufficit impulſus: Unde forſan ratio languoris, & debilitatis, quæ nunc temporis ſentiuntur, deduci poteſt Nervis ſc. hoc modo plùs exhauſtis. Hinc ſequi neceſſe habet (d) *Apyexia*, hoſtili materia tandem expulſa, cujus quidem portio ſi adhuc reſtiterit continuo moleſtias creat. Agnoſco quidem criſin quandoque per *Hæmorrhagiam*, *Ptyaliſmum*, &c. evenire: Verùm hujuſmodi evacuationes mihi tantummodo ſuggerunt Glandulas cuticulares haud aptè ad tranſmittendam materiam, Paroxyſmi vi præparatam, adhuc diſpoſitas eſſe: unde non mirum hanc & ab arctiori nexu, quàm prius cum reliquis Sanguinis partibus inierat, quodammodo liberatam, & notabili copia congeſtam, quin multum adhuc exagitatam, minus uſitatas ſibi aperire exitus vias, utpote jam magis cedentes, cum non per ſolitas prorumpere illi datur.

CAPUT VII.

Typorum Ratio.

[d] TRadita ſic *Hypotheſes meæ* circa Febres Intermittentes *Symptomatumque*, cum ſuis momentis, Sylloge, proximum eſt, ut ſtatorum pariter *Typorum* rationem ex eadem aſſignare ſatagam; utinam meliori auſpicio, quàm quo alios in hac indagine verſatos rem penetraſſe multos perſæpè Medicos conquerentes audio.

Horum præcipuos, *Quotidianarum*, *Tertianarium* *Quartanarium*, ſicut omnes frequentiſſime occurrere norunt, ſic Medici pro reliquorum norma habent. Quamvis enim ſub aliis quandoque periodis ſeſe ſiſtant, utpote *Quintana*, *Sextana*, *Octana*, &c. porrò & in iis *anomalias* quaſdam, præcipuè quoad Paroxyſmorum redùplicationem, notemus, cum tamen priores illæ ſtatas agnoſcere invaſionis ſuæ cauſas videan-

(a) *Capitis, delirij, vomitionis diarrheæ, &c. ſecundariorum.* [b] *Criſeos in fine emergentis.* [c] *De ſecr. Anim.* [d] *Apyrexiæ ſequentis.* (e) *Typi quotidianarij, tertianarij, quartanarij ſunt reliquorum.*

deantur, utpote ſat regulariter & certis anni temporibus invadentes, & proinde majorem in Corpore diſpoſitionem ad tales, quæ eas, producant, ſubeundam arguant, iſtæ vero rariùs, imo perraro, adoriantur, ad priorum cauſas & rationem formalem expiſcandas potiſſimum attendere incumbit. Et quidem hæ, quæ longius, ut dixi protelata periodum ſortiuntur, non parum forſan conferant ad evincendum Intermittentium focum in *Cerebro* & *Nervoſo genere* latitare. Mihi quippe ante plures annos contigit duas hujuſmodi periodos vidiſſe, unam *Quintanæ*, alteram *Octanæ*, quas olim rogatu primùm Cel. Doctoris *Tyſonii* deſcripſi, ipſi, poſteà vero Anno 1685. Cel. Doctoris *Murgravii* [tunc temporis *Societatis Regiæ Londinenſis Secretarii*] in Tranſactionibus Philoſophicis Menſis *Auguſti* evulgandas permiſi, quarum univerſa Symptomata, (prout ex ipſis Hiſtoriis loco citato habitis colligere eſt) evidentiſſimè Convulſiva erant. Illarum vero cauſis exploratis (ſi ſaltem hoc aſſequi detur) non admodum forſan difficile erit aliarum iſtarum Phœnomena ſolvere.

(*a*) Ut ergo hoc aggrediar, Prolegomeni loco notandum eſt [id quidem quod nullius obſervationem fugit, ſed tamen attingendum eſt.]

Primo, Quod ſingulæ, Species eundem in genere Symptomatum apparatum ſortiantur; utpote rigorem; dorſi dolorem, deindè incaleſcentiam, &c. Et quamvis quandoque contigat horum aliqua, quæ uſitato eas comitantur, deeſſe, hoc tamen non minùs in una Specie quàm aliis evenit.

(*b*) Secundo, Quod ſingulæ pariter earum Specie ſua obſervent anni tempora, nullæ vero indiſcriminatim omni, niſi raro, invadant: Quartanæ *Autumno*, Tertianæ *Veræ*, Quotidianæ *Hyeme* ſuccreſcere ſolent; rariſſimè autem evenit quod ullæ *Æſtivo* tempore (ſaltem regulares) adoriantur: Et ſi quando ſic varient ſuas invadendi vices, deprehendatur vel multum à ſolita temperie aerem deflexiſſe, vel notabilem & peculiarem dyſcraſiam Sanguinem aut exindè profluentes liquores ſubiiſſe, præſertim vero Nervoſum genus, ni fallor, malè habere. Et quidem inſtantiam *Quartanæ Vernalis* à liquorum dyſcraſia profluentis, mihi ante decem circiter annos [ſi rectè memini] in viro nobili circa triginta, puto, annos nato [quæ &, ut obiter moneam, anſam mihi, quo ſum ſolicito ad Philoſophandum mecum circa ægrotorum meorum caſus animo, dedit Febrium Intermittentium genium ulteriùs penſitandi, hancque meam, qualemcunque, Hypotheſin excogitandi] contigit obſervaſſe; qui acri præditus ingenio, inevertigines, artuum contractiones, inſolitos languores, ut ſe moribundum identidem crediderit, aliave Nervoſi generis malè affecti evidentia ſymptomata incidit, quæ remediorum, quà Cephalicorum, quà Chalybeatorum; verbo, accuratiſſimæ quam præſcribere potu Methodi, vim diu eludebant (ut ſolent hujuſmodi affectus multum, eſſe contumaces) at modo mitius modo atrocius, ægrotantem exercebant; quæ tandem ſub menſis *Aprilis* initium in regularem admodum quartanam degenerabant, nulla tunc ſæviente aeris ad hunc affectum procatarxi; cujus duodecim Paroxyſmos ubi perpeſſus fuerat, ſponte deſiit Morbus prægreſſis ſymptomatis multùm, prout illi prævixeram, imminutis, licet non in totum ſublatis. Sequenti anno circa medium Majum rediit Quartana, cumque ad totidem circiter Paroxyſmos exercuit, & tandem ſponte, pariter ac priori anno, diſparuit, unde in totum fere evanuerunt Nervoſi generis Symptomata, atque ex illo tempore ſat pancreatice vixit.

[a] *Prolegomena ad horum rationem reddendam. primùm, Eadem in genere ſingulis ſpeciebus ſymptomata. Secundum, ſingulæ ſua (ut plurimum) obſervant anni tempora. Excepto.* [b] *Hiſtoria quartanæ vernalis, quæ cogitationibus hiſce occaſionem præbuit.*

(a) Tertio, Quod quamvis omnes Febrium Intermittentium Species Pathognomonicorum Symptomatum in genere similium, ut dixi, Syndrome stipentur, multùm tamen invicem descrepent quoad varias singularum circumstantias, durationem, puta, ferociam, reciprocationis tempora, &c. sive anomalias, spectes, sive verum regularium typum.

Ex quibus inferre liceat, quod sicut omnes in genere ab eadem primitùs scaturigine promanare mihi videantur, sic porrò earum differentias, regulares saltem, à peculiari anni constitutione profluere censeam, quæ in perplurimis instantiis circa aliorum etiam Morborum productionem Corpora nostra diversis modis afficere nota est. Quippe ad regulares adeo, prout cernimus, non secus ac frequentes, inque plurimis longè dissitis locis evenientes effectus producendos, generalis omnino requiri videtur causa, quam, nisi in aere, frustra quis quæsiverit, utpote qui & cæteris ex nonnaturalibus communior est, & varias pro ratione propioris Solis ad verticalem positionem, respectu nostri, accessus ejusdemque recessus, aliasve circumstantias subit alterationes. Et quamvis quandoque à solita norma quadantenùs recedant, prout in exemplo jam modo allato; vix aliud tamen hinc inferre licet quam quod Corporis nostri Constitutio ab aliis causis alterationes quandoque subire possit, iis analogas quas istæ aeris sub tempestatibus solitis imprimere solent.

(b) Constitutiones hasce Anni in quaternariam classem distinguere solemus, *Vernalem* puta *Aestivam*, *Autumnalem*, & *Hyemalem*, ex quibus *Aestivam* perrarò Febribus Intermittentibus producendis aptam esse modo notavimus. Reliquas ordine paululùm lustralibus.

(c) Primò, *Vernalem* quod attinet; Obvium est hac tempestate cuncta ferè, tum Vegetabilia tum Animalia, magis in suo quæque genere vegeta, cæteris patibus, quàm prægressa hyeme fuerant, evadere, quod vix alii causæ quispiam imputaverit, quàm quòd tunc temporis aeris massa, texturæ, quam à priori discrepantem induit, ratione, præq; Solis versus Zenith propiori accessu, celeriùs fit agitabilis, unde & telluris Globus, & cuncta ad eum spectantia Corpora, diverso modo affici necesse habent, quàm aliàs solebant. Quippe istam Solis actionem, sic ut reliquas ad terram spectantes particulas subtiliare & agitare concipiatur, atque tales ex iis, quæ ad Volatilitatem suapte genio pronæ sunt, sursum elevare Atmosphæræ commiscendas, sic potissimum verè *Aereas* plurimùm concitare nemo inficias iverit, utpotè elasticas. Hinc Animalium Corpora præcæteris maximè afficiuntur, utpote quorum universi pori sat patuli sunt, quò hæ facilè admittantur: & speciatim isti pulmonum non solùm cæteris patentiores [id quod expirationis copiosissimæ comprobat observatio] sunt, verum etiam magis à repetitis usque inspirationibus, ad vitæ finem necessario perennaturis, quæ tanto impetuosiùs aerem illo deducunt quàm alibi fit, affici disponuntur.

[d] Corpuscula quamvis multimoda hinc excitentur, quæ tamen in Corpora nostra maximè forsan notabilem influentiam nunc temporis exercent, *Nitrosa* esse arbitror. Quippe hujusmodi substantiis tellurem refertam esse apud omnes inconfesso est: Ex qua partim forsan præ intestino ejus calore; præcipuè autem vernis temporibus, indies auctis, elasticarumque nunc maximè vigentium energia in Atmosphæram plurimæ elevantur, dein auctiori æstatis calore tum ipsæ priùs evectæ altiùs tolluntur, plures perpetim exuscitantur. Istæ autem Hyemali tempore, Solari nunc fatiscente agitatione, circa hanc, sublimioribus pa-

[a] *Tertium. Nihilominus quod aliquis circumstantias discreparit.*
[b] *Distributio constitutionum Anni.*
(c) *Scil. in Primo Vernalem.*
(d) *In hac particula Nitrosæ maximè latent.*

patiis delapsæ, detinentur, torpidioresque fiunt; imò plures forsan itidem ex multiplici Salium Volatilium, Acidorum, aliarumve ad hanc rem idonearum particularum numero, quæ in harum prosapiam sic transeat, producunt & contexunt, utpote non admodùm difficulter agitabiles; donec tandem in aerem denuò eleventur, inque Corpora nostra hujus famulitio, majori Corporis hac tempestate laxitate calculum suum conferente, se insinuent, Hisce in Sanguinem nostrum identidem introductis [nec solùm in superficie, sed porrò una cum alimentis] indeque in Systema Nervosum traductis ejus Succo admiscendis, omnia vegetiùs peraguntur, quandoquidem uterque liquor magis indè subtiliatur. Verùm ubi hos nunc temporis perturbari contigerit, sive à pororum occlusione, sivè ab assumptis sive ab occulta aliqua intestina degeneratione hoc fiat, obvium est effectus proportione notabiliores fore, quàm si minus activis substantiis abundaverint. Agnosco quidem Nitrosas substantias etiam Hyeme, modo gelu rigida fuerit, in aere plurimùm scatere; Verum hac ex Atmosphæra nunc minus agitata detrudi fas sit suspicari, imò ipsas minus vegetè [quemadmodum non ita pridem. *Tr. de Nupera Apoplex. frequentia* deduxi] se explicare; quin Corpora nostra earum actioni supiciendæ minus, saltem aliter quàm solvent verno tempore quando scilicet vivifico Solis tempore perfundi: incipimus, disposita esse: adeo ut minimè concipiendum sit eosdem ab his effectus nunc productos iri, qui alia tempestate emergent.

(*a*) Secundo, *Autumnali* tempore cernimus omnes fere, tam Vegetabilium, quàm Animalium Species magis effœtas evadere, iisdem causis, quæ rigorem prius inducebant, jam longa actione exantlatis: unde in alius generis substantias (potissimum, uti reor, *Acidas*) minus quidem, sed diverso modo, energeticas, mutatis figuris & textura, transeunt: adeo ut, ubi intervenerint occasiones, quæ conturbationem in fluidis concitent, necesse sit multum variari quoad circumstantias valdè notabiles eorum agendi modos effecta, potissimum vero propter recedentem jam Solaris caloris influentiam tardius moventur; unde sicut productiores ut plurimum, cernuntur affectus hac tempestate invadentes, sic porro; ubi interpollatos esse contigerit, longius protelantur eorum Paroxysmi.

[*b*] Tertio, *Hyeme*, vivifico universorum qua vegetabilium, quà animantium calore ad infimum jam, quem œconomiæ vitalis ratio permittit, activitatis gradum depresso, activæ eorum particulæ, quanquam sat magno adhuc numero, atque energiæ pollentes gradu ad naturalem singulorum texturam conservandam (si plantas quasdam excipias, quæ annuatim emarcescunt, at toties vel à seminibus vel radicibus redintegrantur) ad quod etiam ambientis frigus, particulas secus in confusionem proruituras coadunando, tribuit; attamen vel sub jugum missæ multum languent, vel aliqua ex parte deficiunt; hinc nempe præ æstivis caloribus prægressis absumptæ, nec in specie ante vernos redintegrandæ; illinc acidarum prædominio depressæ, quo minus se debite exerere possint: quin insuper madore, hujusce tempestatis comite, nimium dilutæ: Huc porro accedit quod variorum concretorum, præcipuè maximè heterogeneorum, partes crassiores, minusque activæ, debitæ proportionis atque indè agitationis (deficientibus aliquatenus activis) carentia secessum patinatæ sint; undè totius crasis dissolutio, saltem gradualis periclitatur. Verum hoc maxime in Animalium corporibus, contingere necesse habet; in quibus præter intestinum [qui quidem in his notabilior est) particu-

la-

(a) *Secundò Autumnalem, in qua Acidæ.*
(b) *Tertiò. Hyemalem, in qua Crudæ.*

larum inter se motum, alius habetur, lativus sc. cujus ministerio aliquoties massa per universum Corpus rotatur; qui proinde, aliqua partium solidarum impressioni suscipiendæ reliquis magis apta fuerint, hanc magis afficere in proclivi habet.

(a) *Æstivam* tempestatem ab hoc censu excludo, quandoquidem, prout monui, Febribus Intermittentibus producendis [nisi forsan in enormi aliqua, valde epidemica, quorundam Annorum constitutione] minime nata videtur verum potius generalibus & continuis per universam Sanguinis massam diffusis efferveſcentis, eo quod Sanguis hoc anni tempore in acme sua constitutus sit, pori cutis præ ambientis fervore magis patuli, porro & aculeatæ particulæ quæ prægressa tempestate, angulis suis reliquam, qua involutæ erant, exagitabant massam, actione illa quadantenus retusæ sint: molliores vero alimentorum (qualia nunc præ fervoribus experimus, saltem sitibundi magis diluimus) particulæ Sanguini commistæ, placidius hinc per laxatam peripheriam, utut forsan velocius, circulentur, nec proinde à solitis viis recedere aptæ sint: Et quamvis fatendum sit diluentes hasce particulas indesinenter pariter; & citius quàm aliis anni temporibus tavolare, hinc tamen constat Sulphureas in magnas ebullitiones facile excursuras, nisi illæ & debita mensura, & frequenter suppeditentur.

b In duabus primo recensitis constitutionibus, Febrium, quas volo, productio ab *Acrimonia* materiæ pendere videtur, cujus vi partes, in quibus primario residet, in ataxias adiguntur; Verum non eodem in alterutris modo. Quippe in *Vernali* particulas quas suppeditat Aer, minus regulariter angulosas esse, quàm in Autumnali, ab omnibus, puto, concedetur; præcipue tum nitrosis tum elasticis multum scatere; suppetias porro alimentares & magis nunc temporis heterogeneas & vegetas esse: unde ubi ad Febres hujusmodi procatarxis contigerit, haud fieri potest quin præter aereas, multæ crudantur ex fermentescibili proventu particulæ quæ acrimoniam sapiant; quæ proinde sicut universæ in genere œconomiæ animali, sic speciatim Nervoso generi molestæ evadant. Agnosco quidem nitrosas particulas (quæ hac tempestate potissimum dominantur, magnamq; utifas est credere, in Corpora nostra, qua quoad sanum quà morbosum statum, influentiam) habent regularis forsan esse figuræ, atq; turbinatas, juxta mentem immortalis *Cartheſii*; hac ipsa tamen ratione, quandoquidem ad motus aliis (modo ab illo assignato) imprimendos dispositæ sunt, plures omne genus occursationibus suis communiunt, & sic irregularem multarum congeriem & sibi ascisunt, & in massa suscitant, quin præ auctis hac tempestate caloribus vere aereæ plus elasticæ evadunt, copiosiusq; congeruntur, reliquasque magis exagitant.

c Circa *Autumnum* vero multo parciori numero suppeditantur Nitrosæ; at earum vice partim restitantes ab æstate prægressa Salinæ in Sanguine particulæ (nec enim omnes forsan cito dissipantur) præ mutui collisionibus multum acurari necesse habent, unde & fermentativam indolem induunt; partim ab alimentis quotidianis noviter suppediatæ facilius a debita crasi degenerant, utpote Spiritibus jam minus vegetis, nec æquali ac Vere dimensio præditæ. Porro, ab hac particularum aculeatarum differentia necesse videtur, ut, sicut priores in actum promptius erumpere natæ sunt, sic & reciprocationes paroxysmorum citius redeant; utpote quoniam, ubi unius Paroxysmi materia absumpta fuerit; nova; & ab alimentorum & ambientis genio vegetior, tanto citius succrescit. Et quamvis acu-

[a] *Æstiva Constitutio Febribus Intermittentibus producendis minime apta.* (b) *In constitutione Vernali & Autumnali, Acrimonia in causa esto; Sed Vernalis diversa.*
(c] *Ab Autumnali.*

acutioribus forſan angulis polleat autumnalis hæc fermentativa materia, quam vernalis, quippe cujus particulæ longa attritione eam tandem induunt figuram, quam acidis tribuere ſolent, gladiolarem ſcil. iſtæ tamen cum hinc magis uniformes emergant, minùs proinde ad actionem ſubitò exerendam aptæ ſunt quæ, ubi complexarum particularum ſimul agentem maſſam contemplamur, earum heterogeneitatem tanto majorem expoſcit: Quin inclinans anni calor, qui effectum materiæ concretorum omnium maxime determinat, hanc jam magis fatiſcere cogit.

(*a*) In tertia autem conſtitutione, *Hyemali* ſcil. res multo aliterve habere videtur. Quippe acidis hiſce vel aſſumptis vel exantlatis, Sanguine autem crudioribus omne genus particulis noviter admiſſis referto, Cerebro porrò magis, quam aliis anni temporibus ſolet, laxato, utpote cum hujuſce tempeſtatis qualitate, affluentiſque Sanguinis genio nimiùm Symbolizante; Fit ut, ubi diſpoſitionem aliqnam, quacunque demum phaſi, Cerebrum ad Febrem Intermittentem producendam indeptum fuerit, particulas Morbificas, iſthic, ut dixi, ſecretas plus juſto facilè congerat; undè cùm abſque lancinante forſan irritatione, quam mollities vetat, hæ vaſcula iſthæc jam jam laxiora diſtendant, citius ad turgeſcentiam, quam & præmagna invicem heterogeneitate, quantumvis in genere moliores ſint tantò promptius concipiunt: Quo fit, ut earum extruſio citiſſimè peragatur, intra nycthemeri ſcil. ſpatium, imo quandoq; multo citiùs pro ratione ſcil. quantitatis congeſtæ materiæ, & hujus, Nervorumque dyſcraſiæ.

(*b*) Hinc obvium videtur, qua ratione, (ex noſtra Hypotheſi) Intermittentes Hyemales per cæteris omnibus cellerrimæ ſunt reciprocationis Vernales proximè iſtas ſequantur, Autumnales vero adhuc longius protelatas ſortiri debeant ſuas periodos; quin porrò cur & Symptomata alterutrius generis ab aliis (gradu ſaltem) diſcrepent. Quippe [ut paululum recapitulem] cùm aliæ ab activa magis, vel copioſa materia, aliæ à magis inerti, vel homogenea, aut in minori copia ſcatente, in minera ubi matureſcendi otium conceditur reſidente, pillulent, ſequitur, quod invaſionis periodos variare neceſſe habeant; quin inſuper diverſitatem in ipſis Symptomatis deprehendam fore, quandoquidem, quæ ab activa magis materia concitantur tantò violentiora emergent, at, quod inde reſultat, tantò (cæteris paribus) minoris durationis, utpote quoniam præ agitationis celeritate citius materiæ committentis exolvitur vis.

[*c*] Verum hæc *longiorem* quidem *in genere* inter unius generis quàm alius reciprocationes fore *diſtantiam* fortaſſis evincere concedetur, vix autem certis, quas experimur, periodis determinandis, variis inſuper anomalis, quæ inter diverſos ægrotantes ſentiuntur ſolvendis, ſufficere: Idcircò ulteriùs pedem promovere incumbit, atque in hanc rem [obſcuram quidem] qua licet, altius inquirere; Et quanquam fatendum ſit difficillimum eſſe de iis, quæ intimis Corporis noſtri penetralibus deliteſcunt & perpetrantur, definire, ubi particularum ſumma exilitas, & variorum inter ſe motuum perplexitas ſagaciſſimorum indagatorum ſenſus eludunt, inque præſenti ſpeculatione (quod tamen ſine convitio dictum & intellectum velim) rem forſan minùs attigerint præclariſſimi Authores, ſaltem mihi veritatis aſſequendæ cupientiſſimo haud plenè ſatisfecerint; quod tamen in eadem indagine, tantorum virorum exemplo, me exercere geſtiam, imo ſi ceſpitavero, apologiam hinc mihi adornare dabitur.

[*d*] Ut ergo rem [fundamento ex palam obſervandis jacto] aggrediar; In proſcenio quidem notari poterit, *Homines uni-*

(a) *In hyemali cruditas & Heterogeneitas in culpa ſunt.* (b) *Hinc ratio diſcriminis in genere inter alterutrius durationem.* [c] *Sed particularis certorum Typorum ulterius quærenda.* [d] *Soli Homines fere, febribus intermittentibus proclives.*

unicè, ni fallor, saltem cæteris animalibus multò frequentiùs, *ad Febres intermittentes* non secus ac plures alios morbos, *proclives esse*. Nimirùm par est, ut Cerebrum Humanum, summis Animæ Rationalis exercitiis destinatum sicut interna structura multo, quam brutorum, magis exquisita polleat, sic hinc magis tenera constet, quò liberis & pernicibus Spirituum transcursibus obsecundet. Unde (ut vix invenire est vel consummatissima bona suis vacare incommodis) præ illis multò faciliùs vel labefactari, vel incongruæ materiæ saburram data ansa cumulare periclitatur.

(*a*) Quo sic habente (ut propriùs ad rem accedam)

(*b*) Primò, Notari poterit, Nos *alimenta statis temporibus*, iisque, præter propter, certis *assumere* (secus quàm bruta, plurima saltem, faciunt) nec nisi heluones, uno transacto pastu alium ingere; donec scil. concocta & distributa (saltem ex Ventriculo elapsa) fuerint priùs ingesta: Qui secus faciunt brevi se ab integra sanitate, nisi debitis exercitiis noxam amoliantur, præcipitare non rarò deprehendantur.

[*c*] Secundo, pariter observare est, Nos *statis dormiendi*, non secus ac comedendi, *horis assuescere*, quanquàm non paribus distantiis. Quippe cuncti [saltem longè plurimi] semel tantùm intra 24. horas somno se dedunt; maxima autem hominum pars plus semel intra spatium alimenta assumunt.

[*d*] Tertio, Respiciendum ad *variarum anni partium qualitates*, in quibus magnam Sanguinis, & quidem universorum liquorum, crasèos differentiam haberi nemo non fatetur.

[*e*] Quarto, ubivis notari poterit *varias hominum* occurrere *constitutiones* adeo ut quamvis admultos annos multi vitam producamus, magnam tamen singuli diversitatem quà ad actionum quarumvis exerendarum promptitudinem, quà ad morbos vel incurrendos, vel vitandos, experiamur.

Ab hisce observatis, cuivis obviis, ut illationes aliquas deducam, colligendum legitimè censeo.

(*f*) *Exprimò*, In pastuum intervallis ingesta priùs alimenta coctionem, naturæ designatione, in Ventriculo subire debere, in Sanguinem notis viis indè distribui, atque aliqualem illic maturationis gradum subire quin insuper secernendam in singulis, tam internis, quam externis, Glandulis materiam aliquatenùs ad munus suum sic obeundum aptandam esse, imo ex parte (omnibus rectè constitutis) secerni, antequàm noviter aliqua appellens, quæ isthanc in hisce functionibus inte turbet, ingerenda sit. [Revera, quamvis regularem Natura sibi ipsi cunctis animalibus digestionis ordinem præstituat, Humano tamen generi majori cura prospexisse credatur, quandoquidem non escæ persequendæ, nisi quatenus Corporis indigentis, potissimùm quò altioribus animi functionibus ritè obeundis famuletur, resarciendis inservit, sed multiplici, & tantùm non indesinenti, tum Animi tum Corporis exercitio nos natos voluit.) [*g*] Quo agnito, vero consonum videtur, aberrationes ab hac norma, quamdiu saltem Morbi adhuc sunt in fieri, nec in totum depravatur liquorum crasis, regularem, præterpropter, decursum observare debere; Spiritibus nempè, quos vocant; cum omnis digestionis sint opificis, materiam morbificam pari methodo (quantum ejus patitur capacitas) maturare natis. Huic accedit quòd statim atque ægritudo nos invadit, dejiciatur plerumque appetitus, majorique studio, ut plurimum, sanitati nostræ recuperandæ naturali instinctu litemus. unde & ex parte saltem, subtrahitur fomes Morbi; quo fit, ut materiæ congestæ subigendæ navetur opera, hincq; ab usitata regula minus recedunt Spi-

[a] *Observanda præliminaria ad Typologiam, nostram construendam.* [b] *Primum.* (c) *Secundum.* (d) *Tertium.* (e) *Quartum.* (f) *Deductiones ex primo observando.* (g) *Quæ regularem præterpropter fore recursum paroxysmi arguant.*

Spiritus. [a] Agnoſco quidem immane quantum aliquî, & quoad alimentoſum aſſumendorum tempora, & reliquam vitæ regulationem, ab hac norma deflectant, qui tamen inculpata fruantur valetudine. (b) Verum attendi poterit, hos nequaquàm à teneris unguiculis huic vivendi generi aſſueviſſe, eſt vel natura robuſtam conſtitutionem ſortitos eſſe, vel cautè per multos annos vivendo talem ſibi comparaſſe, quæ ab hujuſmodi irregularitatibus, quibus in poſterum ſe dedunt, haud facile, ſaltem brevi, deturbetur quin plurimos ex his, in quos cadit hæc redargutio, inferioris eſſe ſortis homines, qui duris laboribus & exercitiis, partim Morborum cauſas expellunt, partim optima ſibi hinc conciliant, quæ materiam morbificam digerant, Fermenta. At quoniam caſus iſti rariores ſunt, nec in eorum cauſas penitiùs datur penetrare, imo vix dubitem quin hi forſan plures anomalias, tam in Febribus Intermittentibus, quam alias, ubi invadunt, Morbis perpetiantur, idcirco miſſos facio utpote naturæ regulam haud infirmare valentes.

Sed iſta conſideratio in genere indigitat periodicam quidem fore affectuum à nervis pendentium reciprocationem, ſed noſtras vix ſatis attingit: Quippè, cum maxima hominum pars ſæpius in die comedamus, inferri hinc forſan poſſit toties invaſuras exacerbationes, niſi aliud quid accedat, quod ulterius protelet; Idcirco.

[c] *A ſecunda* inferendum. Primo, Quod, quandoquidem in ſomno laxatur, Cerebrum, materiæ nutritiæ Supplementa tunc temporis maxima copia, & commodiſſime (haud dicam unice) admittat, Secundo, Dum pariter idem aliquatenus, dum vigilamus, conſtringitur, diſtributioni conſtanti tenore his horis impendatur opera, adeo ut certo quidem tempore, hoc eſt intra 24. horas, totum Nutritionis compleatur negotium. Unde ſequi videtur, quod, ubi vel liquorum craſis, vel partium ſuſcipientium & mandatium tonus a præſtituto deflectit, has, niſi aliæ ſubveniant conſiderationes, uſitato obſervare debeant, diarias ſcilicet, periodos naturæ delicta, nec aliis temporibus tam clare aberrationis notas dare poſſe cum ſemel tantum intra hoc temporis ſpatium ad eundem redeamus, quoad dicta, ſtatum. (d) Quippe *impletis inter dormiendum radicibus Nervorum*, imo vix fieri poteſt quin præ indefinenti Cordis pulſu altius multo, tot horarum quas ſomno dicamus ſpatio, impellatur in laxatos eorum tractus ſecretus identidem a Sanguine liquor, qui expergefactis longius ſtatim, præ contractione hinc ſubſequente, urgetur) in promptu eſt concipere regulari quandantenus more poſtmodum procedere, non ſolum Protruſionem, ſed & exaltationem (ſive naturalis ſit, ſive Morbida) donec vel extruſa fuerit materia, vel ſubacta id quod vix ante dictum tempus finiri, me iudice poteſt. Haud equidem negavero Sanguinem irritativa materia quandoq; adeo refertum eſſe poſſe, ut hujus portio & admitti & maturari citius, quam ſecus aſſolet, valeat, adeoque turgeſcentias irregulares concitet, ſive ida pororum ſubitanea occluſione, ſive quacunque inteſtina exaltatione, proveniat Verum iſthæc, ut modo dixi, cum non ſint naturæ ſolenniter res ſuas ſatagentis effecta, nec, niſi forſan in Epidemicis quibuſdam annorum conſtitutionibus, uſitatè eveniant; cum interea Intermittentes regulares, quarum breviſſima periodus raro infra Viginti quatuor horas terminantur, numeroſæ quotannis occurrant, nequaquam proinde Hypotheſeos probabilitatem infirmare valent cum & his anomaliis ſolutionem aptare ex dictis fortaſſe non admodum difficile eſſe attentus lector perſpiciat.

Verum hæc unius ſolum generis Febrium

[a] *Objectioni ab incaute viventibus.* (b) *Occurritur.* (c) *Deductiones à ſecundo obſervando.* (d) *Quæ ad Nyctemeri ſaltem diſtantiam Paroxyſmo elongari debere ſuadent.*

bium Intermittentium. Quotidianarum scilic. rationem prima facie reddere videntur; imò fortassis vix plenè istarum, nisi additis aliis deductionibus liquorum crasin spectantibus, à quorum dyscrasia, anomaliæ potissimum deveniunt; idcirco ulterius quærendum quid longiores intermissiones pariat: proinde.

[a] *Ad Tertium* ex observatis respiciamus, Varietatem scil. constitutionum Anni, in quibus usitatè nascuntur variæ Febrium Intermittentium Species.

Has in trino genere potissimum fundari, *Vernali*, scil. *Autumnali*, & *Hyemali* supra dixi, *Æstivam* enim ab hoc censu excluſi.

(b) *Vernalem* quod spectat; In hac *Nitrosas* substantias & sat magno numero in Aeris scatere, & vegetius tunc temporis agitari notavi, & in Corpora nostra promptè & congruè, tum inspirando, tum una cum alimentis, intus serpendo, sese innuare; unde & ipsam crasin nostram videntur ex parte constituere, nec quidem elasticum ipsum, Aerem iis in totum, dummodo vitalis esse perstat, vacare posse, creditur: Hæ nativo genio sat activæ, tum à Calore nostro, tum Salibus Volatilibus intus magno numero hospitantibus, in actum facile concitantur; quo fit, ut ad plurimas quas assumimus crassiores alimentorum particulas, qua comminuendas, qua regulariter disponendas, & in ordinem debitum redigendas, multùm conferre merito conseantur. Dum verò hoc transigere satagunt, à crassioribus istis, vel numero vel lentore illarum debitæ miscelæ & actioni improportionatis evadentibus, obstaculum offendentes quin sese ferocius præ isthac resistentia exerentes, has in alaxias quadantenus adigunt, sed leniter. (c) Quippe cùm tantoperà nobis, ut dixi, familiares sint, nequaquam molestè & noxie contubernales suos cujuscunque generis usque adeo conturbare natæ sunt ut totam statim [nisi multùm supra modum exagitatæ] crasin pessundent; imò contrà aliquatenùs illas, tum solidarum partium, tum liquorum, partes quæ rectè constitutæ sunt, placidis lancinationibus firmant; interèà & indigestis, quanquàm laxioribus, leniorem hanc exagitationem imprimentes: Quo fit ut pars solùm admissorum, crasin adhuc præ intestina undulatione quodammodo servantibus liquoribus, depravetur, quæ idcirco non intra Nycthemeri spatium ad congestionem & turgescentiam assurgere potest, verum longius hinc temporis spatium ad actionem exerendam requirit; hinc ut totodie sequente placidè se istæ sic depravatæ substantiæ cum contubernalibus suis intra claustra sua componant, ulterius in horas propulsæ, nondum scil. ad maturationis apicem evectæ, ad quam quidem numerus conducit. At quoniam à præfatis causis continuo istarum promovetur maturatio, nil vetare videtur quò minus ubi secunda Supplementa, laxato postera nocte Cerebro, superinducta fuerint, novus concitetur inter priorem illam matureſcentem materiam & novas hasce suppetias orgasmus, qui (ad modum quo agit cereviſiæ mustum, alij priùs in dolio reconditæ, sed maturationis gradum imperfectiorem subeunti, admixtum) primo conturbationem, dein depurationem toti liquori inducit. Huic insuper orgasmi Morbifici protelationi aliquantùm conducit, quod quantumvis Nitrosæ istæ particulæ liquorum perturbationi) modo majori quam par est copia admissæ fuerint, accesserit quæ prædispositio) conferant, pars insuper earum, ubi in Fibrarum habitum conicis suis apicibus se insinuaverint, easdem quodammodo roborent, adeoque citiorem quam secus fieret illarum.

(a) *De ductiones à tertio observando quæ singulos Typos ab invicem discriminant.*

(b) *Ad Constitutiones Anni quæ hoc determinant respiciendum. Primò Vernalem.*

(c) *Cur Nitrosæ particulæ (dominium hac tempestate obtinentes) diebus tantummodo alternis se extrant.*

rum eruptionem impediant, unde quoque fit, ut vel hinc aliquatenùs frænetur orgasmi vis plenaque proinde non sit expectanda ante sequentem noctem fomitis ad alterum Paroxysmum committendum congestio.

[*a*] Verum quod ad *Autumnalem* attinet constitutionem, res paulò aliter se habet. Quippe præ Æstivis caloribus Nitrosæ, quas dixi, particulæ, tam intus in Corpore nostro, quam foris in Atmosphera & multùm disperduntur, & præ longa actione figuras suas, quæ determinatam ad agendum aptitudinem iis largiuntur, mutasse necesse habent; unde mihi verisimile videtur, quod, ex iis, quæ restant, nonnullæ qua in Salia alius generis degenerent, qua alias in Sanguine, contubernales suas, parilis figuræ, sibi præ collisionibus adsciscant, atque hinc *Acidæ* producantur. (*b*) Has quidni, cum plurimis præstantissimis Philosophis, gladiolarem figuram induere fingamus? Quippe, præ longa attritione, quam fluido natantes subire tenentur, detritis, hinc irregularibus, quibus undique secus stipantur angulis, isthęc maxime illis familiaris & genuina videatur; imo forsan vix in promptu erit aliam assignare, modo solidiusculæ sint nec frustulatim difringantur, cum in confesso sit hanc, eas maximè omnium ad lanciandum disponere. Jam vero particulas istas gladiolares quanquam Nervia magis, quam quævis aliæ, infensas, minori tamen numero in Sanguine congeri probabiliter quis dixerit, partim præ remissiori, hac tempestate quando maxime pullulant, Caloris gradu [sufficienti licet ad hunc effectum producendum] partim quod pauciores in tam difformi & molli fluido eum soliditatis gradum obtineant, ut reliquarum agitationi usque eo resistere valeant, quo sese ab indefinita comminutione tueantur; ut proinde multum dilui & disterminari necesse habeant; adeo ut tum parciori manu in Cerebrum deponantur, tum viscosiori, præ ea quæ cæteris tempestatibus obvenit, materia involutæ longius expectent temporis spatium, antequam sese in nocendi libertatem vindicare possint, Cum verò auctæ identidem inque Nervis eorumque staminibus, constanti, licet lenta, segregatione harum suppetiæ depositæ, atque in istorum conceptaculis incarceratæ fuerint ex quibus sese (ob rationes supra allegatas] statim expedire nequeunt; tandem) longiori licet, ut dictum est, intervallo, quam ad Nitrosas particulas suppeditandas requiritur sat grandi numero congestę in actum, modo assignato, se proripere concipiantur. Quippe quandoquidem solitæ laxandi & sese constringendi, quæ Cerebro competunt, atque indè Nervoso Systemati propagantur, vices semel tantum intra Nycthemeri spatium redeant, hinc sit, ut præ parciori numero incongruarum harum acidiusculârum particularum, quæ proinde se priori die extricare non potuerunt, alterum adhuc Nycthemerum ad congestionem huic, negotio sufficientem requiratur: Ad quod etiam conducit materiæ quæ eas involvit pigrities & viscositas magis uniformis, quæ proinde longius ad sui subactionem tempus requirit, exertionem quę Acidarum harum tanto magis retardat. Dum vero istæ tandem debite evectæ & associatæ erumpunt, præ aculeis & majorem & contumaciorem rigorem inducunt; eoque magis quoniam Nervosæ partes hoc Anni tempore magis effętæ minus valide se ad inquilinos hosce molestos extrudendos accingere possunt.

(*c*) Suggeri hic forsan poterit, quod quemadmodum *VVillisiana* Hypothesis degenerationem Succi Nutritij, sic nostra materiæ Morbificæ congestionem, id *subtripla* solummodo quotidie proportione (comparatione ad diathesin, quæ reliquas Febres Intermittentes producit habita) ad quartanariam periodum por-

(*a*) *Secundo, Autumnalem.* (b) *Particularum acidarum figura.* *Cur hæ nocendi vices non ante quartum [inclusive] diem obtineat?* (c) *Objectioni de concidentia nostræ suppositionis cum VVillisiana.*

inducendam requirere videatur : Quod tamen vix concederetur ; quandoquidem ex Quartanarii singuli ferè ab invicem multum quoad constitut. humorumq; depravationis mensuram discrepant ut proinde in his majorem, in illis minorem istius mineræ quantitatem Nervos, [juxta Hypothesin] indies subire nil vetet ; Unde Paroxysmorum typus in variis ægrotantibus multum variabitur Quod quidem de omnibus Intermittentium Speciebus dicendum est : Nullaque tam constans, ac cernimus, quoad anni tropas observabitur periodus.

a Cui repono, Primum, Concedendo quandoque evenire, ut tanta copia etiam hæc acidiuscula materia congeratur, ut ad maturationem citius, quam Quartanaria exposcit periodus, assurgat : atque hinc tum Autumnalium Tertianarum, tum Quartanarum duplicium, triplicium, ratio deducenda videtur : Non quod materiæ eas producentis indoles ab ista, quæ Quartanas exquisitas concitat multum diversa sit, sed quod vel majori quantitate in Sanguine congerantur, adeoq; oscula Cerebralium Glandularum magis distendo copiosius subintre, vel quod hæ aliundè majorem adiathesin subierint : Verum, Secundo, hoc Hypothesin nostram nequaquam labefactare videtur, quæ tantummodo supponit congestæ materiæ molem tantam esse debere, ut ad turgescentiam debitè maturetur, atque hinc irritet ad sui exclusionem Nervos: Si vero infra hanc proportionem [quæ à pororum in Cerebro figura & diametro pendet] subsistat, nequaquam [juxta eandem] invectum fore Paroxysmum; quippe quod sufficiens non adsit causa ad eundem producendum. Quo dato, facilè, arbitror, concipi potest, quod sicut supposui materiam Tertianæ producendæ destinatam, prima nocte in Nervorum originem depositam, neutiquam ad plenam mensuram pro Paroxysmo invehendo assurgere, quantumvis in aliis majori forsan quantitate, in aliis minori scateat; eo quod ulterius usque & usque pulsa tam patulas inveniat cavitates, ut placidè satis per eas toto die serpat; sic si secunda insuper nocte, quando iterum ad novas copias admittendas laxatur Cerebrum, restet adhuc prorituræ prius inclusæ mineræ locus, turgescentia tamdiu protelari debet, donec plena congestio habeatur, quæ si non totum Nycthemerum, prout in exquisitè regularibus fit, saltem maximam ejus partem requirit : Quod quidem præ aciditate modo assignata obtingere debere haud arduum erit concipere; quandoquidem hinc nec tanta, prout deduxi, admitti copia potest, quanta posset si magis heterogenea foret, aut aliis figuris donata, materia ingressura, nec glandularum Cerebri cordicalium oscula, hoc Anni tempore, imo ab hujus angulis aliquatenus ad contractionem sollicitata, eadem, qua aliis temporibus, mensura suscipere possunt.

b De *hyemali* constitutione non est, ut plura dicam, postquam supra indigitaverim, quomodo facilè fiat ut Quotidianæ, quas maximè huic tempestati familares esse quilibet novit, pullulent. Quippe cum sub hac, magis quam cæteris, laxetur Cerebrum, totumque Systema Nervorum, & *plurimæ* in Sanguine congerantur *heterogeneæ particulæ*, facilè ad Hypothesin attendendo, concipiendum est has sat magno numero in corticales Cerebri glandulas, inde in Systema Nervosum traducendas unica nocte modo prædispositio accesserit, deponi posse, quæ præ heterogeneitate, cruditate, & numero, ante sequentem in actum maturatæ erumpant.

At quoniam plurimæ ubivis in Febribus hisce, non secus ac continuis, occurrant anomaliæ, harum solutio [saltem plurimarum] fortasse non admodum difficulter haberi potest si ad

Quartum ex observabilibus, supra positis, respiciamus, Constitutionum sc. in singulis hominibus varietatem, innumeras insuper quæ a fortuitis, sive externis, sive intra nos productis, occasionibus obveniunt mutationes. Quippe observare possumus quosdam ex

na-

a *Respondetur.* b *Tertio hyemalem.*

nativa Fabrica tenerrimi esse habitus, alios robusti, idque innumeris gradibus; quin insuper inter alterutros, singulos fere nunc quibusvis Aeris, Alimentorum, &c. vel leviſſimis injuriis facilè obnoxios esse, nunc magnis obsistere natos. Id quod hinc provenire videtur, quod Sanguis, & reliqui Succi, imò & ipsa solidarum partium substantia; non uno eodemque tenore omnibus horis commoveantur, & contexta sint, ad quandoque forsan Nitrosis particulis magis scateant quandoq; ad acorem vergant quandoq; crudioribus particulis referta sint, quandoq; porrò supra modum exaltatis, nunc obstructionis alicubi habeantur, quę liquorum motui multum officiant, aliæve forsan inscrutabiles absint Morborum causę Atque hæc non solum juxta Anni tropos, sed peculiares hominum, qua à primigenea formatione, quà variis accidentibus, constitutiones eveniunt; à quorum singulorum habitudine internam texturam variis temporibus multùm diversificari necesse est. [a] Hinc fit, ut quamvis à præfatis considerationibus regulariter secus, ut dixi, procederent isti affectus, ubi tamen hujusmodi, quas jam modo attigi, discrasiæ obvenerint, vix præcaveri potest quin irregularitates, qua in ipsis typis, qua Symptomatis ingruant (id quod ex dictis obvium videtur) quas vel summatim perstingere immensi esset operis, imo forsan recensere impossibile, cum quotanis phasin suam variet.

[b] Verùm contra hanc, de varietate constitutionum, particularumq; Sanguinis, &c. in singulis diversitatis, suppositionem, objici forsan poterit, Sanguinem indies mutari, nec per multos dies, saltem septimanas, eundem numero, quoad magnam sui partem, persistere; utpote indies absumptum, indies ab assumptis quotidians renovatum: quod etiam fatum subire tenentur cæteri liquores, quippe ex hujus penu sua delibantes vectigalia. Undè forsan parum verisimile videatur novitias hasce particulas assignatam Fabricæ regulam certo adeo observare posse, ut constanter reciprocantes harum constitutionum Morbos producunt.

(c) Cui repono, Primum, Me non hisce liquoribus, eorumve particulis seorsim spectatis effectus hosce assignare, verum Aeri Caloriſque in tensioni & remissioni magnam eorum partem deferendam esse censere; utpote quoniam ista motum his imprimunt, eundemque aliquatenus determinant: imo multas diversimodè constitutas substantias ministrat. Aer, quibus magna effectus pars debetur. Verum insuper Secundò, par erit suspicari multas harum ex agilioribus particulas, determinatum quendam induentes Schematismum, eundem subsequentibus abhuc inertibus, imprimere posse, sin tum vim motùs in cujusvis fere generis fluido perpendamus, qui alias atq; alias pro ratione majoris vel minoris agitationis, comminuit, atq; hinc diversimode figuras mutat; tum solemnem naturæ regulam in Corporibus nostris cunctisque eorum partibus construendis. Quippe cùm constet, non omnem materiam singulis concinnandis aptam esse, ast determinatæ molis & figuræ particulas ad quasvis ex iis, perstitute earum Fabricę continuandæ gratia, necessario appellere debere, quin organa ad concoctionem necessaria nullo non tempore eadem, quantum distinguere possumus, persistere; ut proinde eandem hæc, pro dispositionis suę ratione, oblatis alimentis actionem variis temporibus imprimant: Quidni concludamus constanti, lege sancitum esse, tales ex his indesinenter vel fabricari vel seligi particulas, quæ tam prioribus, quibus jam avolantibus succedunt, similes evadant similibusq; dotibus instruantur, quàm his, quę solidas partes constituerant, sed jam extrusæ sunt κατὰ λόγον conformes fiant. Idcirco Tertio, asserendum videtur quod quamvis aliquota effectus pars liquoribus debeatur, maxima tamen à partibus solidis determinetur, quę prę stabili textura ex fluido quantumlibet

(a) *Quæ anomalias determinant*.
[b] *Objectioni, sanguinem indies mutari allegantì*. (c] *Respondetur*.

difformi, quamvis forsan alterationes aliquas ab iis subeant, ad sui tamen normam subsequentes disponant. Quibus sic habentibus, sequitur eandem crasin usque persistere debere, aptitudinemque ad easdem Specie actiones mutationesque perennare.

(a) Ut tandem totam hanc de Typis Hypothesin in summam contraham, unoque intuitu exhibeam, Suppono *Cerebrum in somno laxatum*, materiam pro Morbo producendo, modo supra exposito; congerere: unde in adsitos primum Nervos *expergefactis*, præ Cerebri tunc temporis inita contractione, atque hinc jugi protrusione, in universum Fibrarum (quas esse tantummodo Nervorum propagines adstruxi) Systema urgetur; Hic matureſcere istam sic congestam mineram, donec ad talem acrimoniæ gradum evecta fuerint, unde concepraculorum parietes lacessiti in contractiones adigantur; quem ubi assecuta fuerit, oritur Paroxysmus, in cujus progressu exterminantur tum degener isthæc minera, tum plura, qua Fibrarum, qua venosi generis contenta; unde Symptomatum omnium succedit quies. Glandulis vero Cerebri corticalibus usque laxitatem suam retinentibus [imo forsan aliquatenus præ conturbatione quam inducit Paroxysmum ultra labefactatis] *iisdem gradibus* in alium Paroxysmum materia heterogenea accumulatur, eodemque modo matureſcit. Hanc vero congestionem, & ad productionem Paroxysmi maturationem, vix ante *Nycthemeri* stadium contingere posse censeo (nisi heterogenea materia supra modum scateat Sanguinea massa, corticalisve Cerebri substantia majorem solito subierit laxitatem; quandoquidem ex naturæ præstituta lege Somnum semel tantum intra hoc temporis spatium capessimus, quando novæ suppetiæ inexhausti pridiani alimenti Supplementum addmittendæ veniunt. Atque hinc *Paroxysmi Quotidiani*.

Quoniam vero diversis anni temporibus diversa Sanguini adest crasis, atque *Verno* tempore *Nitrosis* hic refertus est particulis, quæ Nervosi Succi penum ab allegata depravatione quadantenus præservant, Nervorumque laxata stamina lancinationibus suis lenibus quodam modo sese constringere faciunt, unde ea mensura qua *Hyeme* (nisi forsan primo sub insultu; depravari aptam hanc accumulare nequeunt materiam; Suppono *minori* hinc *copia prima nocte* congeri, quam quæ ad turgescentiam sequenti die concitandam (id quod tam à debita copia, quam acrimonia materiæ pendere videtur) sufficiat; unde expectanda sunt ulteriora Supplementa *sequenti nocte* suppeditanda; quibus prius inclusæ mineræ affusis, tum sufficienti copia suppetit Paroxysmi materia, tum fermentatio (licet [illegible] à mustea hac prius aliquatenus maturatæ inducitur: unde *Tertiana periodus*.

At quandoquidem autumnali tempestate & deprimuntur Fermantativæ particulæ, exantlatis nimirum magis activis, & Salinæ versus Aciditatem vergunt; quæ porro eruptionem, turgescibilium sufflaminant, hinc suppono materiam Paroxysmorum productorum *nedum primo*, sed *nec secunda*, *nocte* ad idoneam Paroxysmo concitando plenitudinem aggeri posse, [magis insuper exhaustis priori paroxysmo fibris, præ immanioribus, quæ in his quam aliis Intermittentium Febrium speciebus contingunt, rigoribus] verum *tertiam*, expectandam esse adhuc effectum producendum: unde *Quartana* tandem emergit *periodus*.

Sin vero vel peculiari aliqua constitutione, vel altiori Aciditatis gradu, unde sufflaminentur Sulphureæ & turgescibiles particulæ, magis adhuc constringatur Nervosum è Cerebro emergentium tonus, quo, fiat, ut parce admissa acidiuscula materia ægrius exeat, unde tota fere labes Cerebro imprimatur, hinc *Quintanas*, *Sextanas*, *Octanas*, &c. oriri conjecerim, quæ tamen omnes *Nocturna*, quæ dixi, Supplementa requirant ad motum Febrilis materiæ determinandum.

Anomalis harum Febrium partim à quantitate heterogeneæ in Sanguine materiæ

(a) *Anacephalæosis rationis Typorum.*

teriæ ad ſecretionem Cerebralem aptæ; præcipue vero à corticalis Cerebri partis, Nervoſorumque ſtaminum peculiari atonia pendere cenſeo.

Et ſic quidem videor mihi aliquam Typorum rationem reddidiſſe; quam ſit, tanquam minus veriſimilem, quaſquam ſuggillaverit, ipſe mihi probabiliorem, vel inter priores Hypotheſes, vel ex proprio ſuo ingenio depromtam commonſtret obſecro; Quod ſi fecerit, plurimas à me reportabit gratias, utpote quem veritatis avidum nequaquàm pigebit diſcendo ſeneſcere.

CAP VIII.

Methodi Curationis in genere, Variunque ad eam Spectantium Adminiſtrationum, ratio.

(a) ADumbrata ſic & *Morbi*, & *Symptomatum*, & *Typorum* ratione [utrùm ſatis ſolide penes alios judicium erit] proximum eſt, ut *Curandi methodum* proponam, adminiſtrationibuſque ſingulis *Ætiologiam*, juxta allatam Hypotheſin, pro modulo affigam. Quippe cùm pluribus præſidiis ad eundem ſcopum aſſequendum utantur authores, incumbit ut, conſiterit eventum votis reſpondiſſe, iſtarum ſingulatum ratio, qua licet, aſſignetur.

(b) In primis autem attingendum eſt (id quod omes Medici norunt) non prorſus una eademque methodo (licet forſan non admodùm diverſa) ſingulas tractandas. Cùm enim præ conſtitutionum, qua annorum, qua ſingulorum Hominum, varietate liquorum, imo & ſolidarum partium craſis, non uno ſemper modo ſe habeant, palam eſt variari debere intentiones, atq; una adminiſtrationes, quæ has complent: cujus ſanè cauſa nulla omnino methodus, in quacunque Febrium iſtarum ſpecie, præſcribi poteſt, quæ ſingulis individuis ea laborantibus, aptari valet. Adde quod multę circumſtantiæ ſubvenire poſſint ad iſtam qualemcunque variandam, utpote ætas, ſexus, aliorum Morborum complicatio, tempus Morbi, quo advocatur Medicus, plurimæque aliæ: Idcircò juxta prudentis Medici judicium ad particulares caſus accommodandæ ſunt adminiſtrationes.

Quandoquidem igitur tres anni conſtitutiones habeantur, prout ſupra notavi, in quibus tot pullulare ſolent Febrium Intermittentium Species, quę genio ab invicem ſat longè diſtant: ſingulis ea propter ſua medendi methodus aptanda venit. At quoniam quædam dantur, quæ omnes ferè indiſcriminatim percurrunt adminiſtrationes, par eſt, ut generalibus deſignatis medendi indicationibus, has primùm in genere proponamus, unà cum agendi rationibus, quas deinceps ad ſingulas Species, iuxta indicationes debitas; accomodare facilius erit.

In genere igitur [donec talia ſi quæ ſint, Medicamenta, quæ *Secretioris Chymiæ cultores* venditant, atque unico ictu cunctos indiſcriminatim Morbo debellare aſſerunt, quæ proinde nullis prævиis ratiocinationibus aut indicationibus ad ſui exhibitionem indigent, publicè innoteſcant) *Indicationibus* hiſce inſiſtendum videtur. viz. Primò, (c) *Materiæ Morbificæ orgaſmi contemperatione*; Secundò, *Spirituum in ordinem reductioni*; Tertio, *Toni partium affectarum, præcipuè Cerebri, corroborationi*, Quibus omnibus quamvis eædem forſan quandoque ſufficiant adminiſtrationes, ſpeciatim tamen.

[d] *Primæ* adimplendæ convenire videntur, tum evacuationes, ſomitem ſubtrahendo, eæque qua generales qua particulares, utpote, inter illas, per Phlebotomiam, Vomitionem, Catharſin, Diaphoreſin; per Veſicatoria autem Sputum moventia, & ſi quæ ſint aliæ, inter has; tum Digeſtiva & Attemperantia, ut & forſan Topica. (e) *Se-*

(a) *Methodus medendi generalis, cum ſingularum adminiſtrationum ratione.*

[b] *Non prorſus eodem methodus medendi ſingulis Febrium intermittentium ſpecibus competit.* [c] *Generales indicationes.*

[d] *Adminiſtrationes quæ primæ debentur.* (e) *Quæ ſecundæ.*

cundæ quamvis & Evacuantia ex accidenti conduceant, causas nempe inordinatæ Spirituum agitationis removendo, immediatiùs tamen tum digestiva & attemperantia, tum quandoque Opiata conferant, ut proinde maxima ex parte coincidant quæ istæ indicationes. (a) *Tertiæ* Specifica dicta potissimum deberi censeo.

Idcircò primo loco [ut dictas percurram administrationes] attendendum, quod vix ulla Febrium Intermittentium Species occurrat, in qua, saltem sub primam invasionem, *Sanguinem*; modo sat tempestive advocetur Medicus, *mittere* non conveniat (b) *Nisi*, forsan in *ægrotis valde debilibus* vel quibus *præivere hæmorrhagiæ* cujuscunque generis copiosæ, aliive morbi, qui vires multum exhauserunt; vel etiam ejusmodi *Idiosyncrasia* laborantibus quos aliquando convenire datur ut prosternantur statim à liviuscula quavis Sanguinis eruptiores vires: Quæ tamen postrema contra indicatio, quandoquidem perrarò occurrit, nec nisi experiundo dignoscitur, à culpa Medicum, qui obviis indicationibus judicium suum regere tenetur, absolvere videtur.

(c) Hanc *aliis administrationibus præmittendam* censeo, & quo pacatiùs efferveſcat Sanguis, & minori impetu in cerebrum arietet; quo fieri expectandum est ut & Deliria, phrenitides, Capitis Dolores, &c. præcaveantur, vel, si adsint, magna ex parte tollantur; & minori copia heterogenea materia Paroxysmum in Posterùm inductura in Systema Nervosum deponatur: quippe Sanguine aliquatenùs diminuto contractis aliquanto reditur Cerebrum; unde minùs hore necesse habent admissura radicum oscula. Et quidem *in ipso Paroxysmi Caloris Ardore* potiùs administrandam quam in intermissione, suaderem, quoniam (ut taceam me frequenti *experientia* hanc praxim suffultam habere) turgescenti tunc temporis maxime Sanguini alteratio hinc efficacius imprimitur, quam sedato induceretur, quin partim exausto, partim aliorsum derivato Sanguine, subsidit, ut modò dixi, Cerebrum, seque contrahit, efficaciusque dum sic à turgescente lacessitur Sanguine ex intimis suis recessibus congeri aptum extrudit cruorem; unde magna ex parte præcavetur, quo minus in posterum materia in ulteriores Paroxysmos secernatur: Porro cum præ Febrili calore fortius istæ quam alio tempore invigoretur, atque arctius, subducto Sanguine, se compingat, citiùs proindè ad tonum debitum redit: Cum, ex adverso, si in intermissione Sanguinem mittamus, nisi vel multum quantitate luxuriaverit, vel plurimum tunc conturbatus fuerit [quod non omnibus, imo nec plurimis, contingit, saltem proportionaliter ad conturbationem, quæ in Paroxysmo habetur] parum omnino alterationis à tali expectandum esse praxi censeo; utpote quoniam congestionem, quam toties memoravi, in Cerebro nequaquam impedire potest; eo quod circulatio Sanguinis eodem ferè tenore procedat quandoquidem perrarò tantum detrahimus quantum huic eatenus munuendæ sufficiat, ut Cerebri constringatur tonus ad ingressuram identidem crassiorem materiam arcendam. Quin insuper Sanguinis missio vomitioni [postmodum, si cætera consentiant, administrandæ, præmissa, & periculum ruptionis vel apertionis Vasorum sanguiferorum præcavet, & liberiorem, Sanguine sic quadantenùs sedato, atque hinc reliquis Succis, successionem particularum depravatarum, tum ex ejus alveo, tum Nervis, Glandularum ministerio, in Ventriculum deponendarum permittit, Hæc quo minùs in sequentium Paroxysmorum (d) uno vel altero forsan *repetatur*, non video quid vetet, modo vel immanis turgescentia, vel capitis affectus perstent vel redeant, cùm sic identidem Cerebro sese constringendo, detracto, per vices fomite (quod turgescentiæ tempore commodissimè præstandum hi videtur) otium concedatur.

Post Plebotomiam *Vomitoria*, ut plurimùm in usum ducenda sunt. (e) Horum usus

(a) *Quæ tertiæ*; *Phlebotomia*. [b] *Quæ prohibeant*.
[c] *Alia evacuationibus præmittenda*
(e) *Vomitoria*. [d] *Repetendæ, si opus sit*.

usus tanti plerumque est momenti, ut sæpenumerò observari poterit, debite exhibita Febres Intermittentes cujuscunq; generis in totum, absque aliis subsequentibus adminiculis, & sine recidiva, sustulisse; saltem multum ad curationem conferre universali consensu constat; præcipue si saburra oneretur Ventriculus, nulla *a* vero prohibentia adsint; utpote pectoris angustia, crasisq; Phthisica, vomendi magna difficultas, tenera nimis Corporis, præsertim vero Ventriculi Nervorumque, constitutio, &c. Atque *(b) modum opitulandi* hunc mihi propono; Nempe præterquam quod Saburram in Ventriculo delitescentem, inque mineram morbificam secus cessuram, eliminent Viscerumque obstructiones, præsertim Hepatis, expediant, atque sic & Sanguinem & Nervosum Succum ubivis ad illa copiose satis delatum ab impuritatibus liberent, maximæ opis esse judico ad tonum Nervorum, ipsiusque Cerebri, roborandum: Quippe cùm hunc quadantenus laxari supponam, videtur mihi quod, ab irritationibus convulsivis in Ventriculo inceptis, contractivus ad Nervorum usque originem, ipsiusque radiculas in cortice fundatas, propagetur motus, qui non solùm quod in eorum conceptaculis continetur exprimit, sed & laxitatem corrigit, tonumque restituit; utpote quoniam tensione semel illis hac arte reddita, eandem, œconomiæ animalis lege illis debitam, retinere aptè dispositæ videntur.

c Porro, *Cathartica* quandoque (sed non semper) Febres Intermittentes fugare, Autorum testimoniis liquet, saltem aliquando indicari leges artis docent, idq; & sub earum initia, & in progressu; Et quidem eo efficacius, si [*d*] *paucis ante Paroxysmum horis* exhibita fuerint. Quorum ratio, ubi speratus procedit effectus, hinc forsan peti potest; quod nempe quando (in priori casu) laxiora in Sanguinis massa (sive à retentis effluviis, sive à qua vis heterogenea materia per Chyli vias amissa proveniant) recrementa fluitent, unde in Cerebrum deposita Paroxysmum forsan unum vel alterum induxerint, eveniat quod quamdiu vel Sanguinis crasis, vel Cerebri Nervorumq; tonus non multum vitiantur, ista medicamenti purgantis vi in propria vasa secretoria [directione quamvis quotidie observabili, quoad intimum tamen agendi modum impendio abstrusa] secedere cogantur; unde nil vetat, quin brevi sedetur affectus, glandulis cerebralibus nondum magnopere laxatis. Ubi porro *id progressu morbi* quandoq; propinatum fuerit hujusmodi medicamentum, dum materia paroxysmum mox inductura jam maturata in procinctu ad eruptionem stat super inductæ fermentativæ particulæ tum huic, fermentativam pariter indolem jam nactæ, admixtæ magis eam exagitant, inq; novas & insolitas commotiones, crasin ejus admixtione turbando, concitant; unde inter binas hasce substantias orgasmus prompte (lenior licèt, sat tamen ad effectum fortis) instituitur quo ex conceptaculis suis se expediant; tum Cerebri Nervorumq; laxatorum, ut dixi, Fibras præter solitum vellicando, arctius sese constringere faciunt; unde non solum vegetius exterminât incluſũ hospitem, sed & ulteriorem novæ materiæ admissionem, proprium tonum [nisi supra modum labefactatæ] constrictione isthac quandantenus restitutæ, præcavent, Verum *non semper* [*e*] hunc effectum eorum exhibitionem sequi, imo *quandoque contumaciores* reddi hasce sic tractatas Febres, non dubito quin cunctorum fere Medicorum experientia, non minus quam mea, constet; nec usque ratione. Quippe si vel multum perverti Sanguinis crasin contigerit, (sive hoc in nimia partium eum intimè constituentium laxitate, sive earumdem strictiorię quo textura, sive heterogeneitate consistat) vel mulum labefactetur tonus Cerebri, corticalis præsertim ejus partis, vel die Intermissionis longè ab initio secuturi paroxysmi, quando omnia sedata fuerint, nullaq; ad orgasmũ propensio adest, exhibeantur purgantia,

(a) *modo non adsint prohibentia*. (b) *Modus iuvandi*. [c] *Cathartica*. (d) *Tempus exhibendi maxime opportunum ante Paroxysmum*. [e] *Cur non semper prosint*.

tantum abesse videtur, ut juvent, ut potiùs multùm nocere debeant, idque vel Sanguinis particulas confundendo, vel tonum Cerebri, quod in debitas contractiones non statim adigere valent, oborta conturbatione debilitando. Si ergo indicentur, censuerim *vel Lenientia* (a) solummodo, quæ nec Sanguinem nimium exagitent, nec Systema Nervosum supra modum lancinent, exhibenda esse, (modo contumacior sit Febris, Nervoso sc. genere gravius affecto] talia quæ, *in Nervos admitti habilia*, per eorum tractus sat perniciter serpere nata sunt, atque una hererogeneam, quam inibi offendunt, materiam in itinere resolvere, & abstergere; leni intereà tantum quasi titillatione ipsos ad familiares contractiones sollicitare apta; qualia me judice *Calomelan*, aliaque forsan mitia Mercurialia, audire merentur; in quorum numerum referrit forsan potest celebratum illud olim *Riverii Febrifugum*. b Sin vero eveniat, ut ab exhibito *Drastico* aliquo Cathartico dispareant affectus; hoc isti *causæ* adscribere liceat, quod scil. talis Medicamenti praticulæ, aculeatæ cum sint, ferociter adeo in Cerebrum, inter circulandum, idque derepentè, impingentes, partim insolitam imprimant velificationem; partim humidiorem, qua scatet, confertim exhauriant materiam, unde aliqualem corrugationem subire necesse habet; quo fit ut, proxime secuturus Paroxysmus pręcaveatur, aditu mineræ Morbificæ ingredi solitæ hinc denegato: cumque non statim redimpleantur [prout supra evincere conatus sum) sic exhausta conceptacula, hinc in solidum redire desinunt Paroxysmi Cerebro ad nativam tensionem, ubi semel sat fortis (quod in hoc casu evenire ex ante dictis concipiatur) accesserit instinctus, sponte redeunte. Utcunque sit, quamvis forsan aliquando Drastica hæc talibus, quibus robustior Cerebri adest tonus, conveniant, vix dubito tamen quin tenera Corporis constitutione donatis exhibita periculosissima deprehendantur.

c *Diaphoretica* ante Paroxysmnm exhibita quandoq; Febres Intermittentes sustulisse notum est, Cujus *rationem* hanc forsan comminisci licebit; Quod nempe parrim laxatis stragulorum (tunc temporis admovendorum) fotu glandularum in cute poris, quò copiis apud ostia stantibus detur exitus, imò toto fibrarum habitu ubique hinc itinerato; partim impulsu particularum Medicamenti cito Sanguinem trajicientis, adque Cerebrum (ad cujus poros congruitatem obtinere concipiatur; utpote vel ex Salibus Volatilibus constantis, prout in Spiritu Salis Armoniaci, aut similibus cernere est, vel ex activis cujuscunque generis particulis Fermentatione, ut in Theriaca, &c. aliove modo multum exaltatis & comminutis conflati [pertingentis, morbifica, nondum plene ad requisitum Acrimonię pro Paroxysmo concitando gradum evecta, per Tractus Fibrarum prona labatur; quo fieri potest, ut nulla hinc molestia conceptaculis impressa: sicut mos secus erupturus præcavetur Paroxysmus, si otium datur cum Cerebro, tum Fibrarum universo Systemati, sese usq; adeò contrahendi, ut in posterum admittendæ materię heterogeneę minus aptę evadant. Adde quòd admissæ Medicamenti summè exaltatæ particulæ texturam forsan mineræ Morbificæ ad acorem vergentis tantoperè mutent, ut hinc etiam prohibeant, ne Fibrarum continentium tunicas lancinent.

d Verùm *non semper* hanc methodum votis respondere, quin quando; *contumaciorem* hinc evadere Morbum, vel in alium transire, deprehendatur. Quippe si tonus Cerebri antè fuerit multum laxatus, vix hinc contrahetur; adeo ut, hac forsan diffilata, nova postmodum (assignato modo) succedet; saltem valde elumbes evadant ægrotantes, scorbutusque, aliive à depressis, depravatisvè Spiritibus, tono partium nimiùm laxato, perfluentes hnjus vice in Scenam prodeant affectus.

e *Diuretica* quod spectat; Hæc securius, imò & efficaciùs, Febribus hisce edomandis adhibentur, utpote quæ *tam Digestivorum, qua Evacuantium* munere fungun-

a *Qualia exhibenda sint.* b *Curationis solutio à drastico*, c *Diaphoretica Ratio agendi.* d *Hæc administratio non semper proficua est.* e *Diuretica*

guntur. Atq; inter hæc, *Acidiuscula*, vel saltem ex *Acidis* & *Alcalinis combinatis* conflata, maximè efficacia deprehendantur; *a* Quæ quidem *officium hoc præstare* forsan concipiantur, partim Sanguinis, Sulphurei liquoris, turgescentias reprimendo, adeoque ad æquabiliorem crasin redigendo, partim secum materiæ Morbificæ particulis associando, & sic majores grumos diversæque figuræ concinnando, unde tum ex liquoris poris elabendi promptitudinem induant, tum congruitatem ad secretoriorum vasorum porulos nanciscantur, partim denique leni lancinatione partes solidas ad molles adigendo contractiones.

b Verum, præter istum quem præstant Evacuantia, magnum, imo forsan maximum, effectum *Alterantibus*, in Febribus Intermittentibus debellandis, deferunt Medici, ut rarò illis tota linquatur curatio, quin ista in subsidium advocari soleant.

c Ex his quædam *Digestiva* (mihi) dicenda videntur, quædam usitato vocabulo *Specifica* audiunt, utpote quæ (debitè saltem adhibita) ad Paroxysmos sistendos, at modo non vulgo obvio, imo forsan vi, uti creditur, explicabili collimant.

Accuratam horum distinctionem prætexere velle pro temerario, suggilletur ausu; quandoquidem abstrusæ adeo sunt operationis Medicamentorum, vel maximè familiarum, rationes, ut nemo sanus sibi arrogaverit dogmaticè hac in re pronunciare; Unde quoque tam discordes ubivis inter Authores circa singulas fere observentur sententiæ, si tamen meam in re obscura dubitabundo proferre, aliorum exemplo, liceat, censuerim.

d Digestiva appellari posse quæ (sive Naturę sint producta, sive Artis effecta) partim Sanguinis aliorumve in Corpore liquorum particulas placidè comminuendo & transponendo, partim taliter hinc aptando, ut per Urinæ vias leniter secedant, partim solidas partes molliter, imo imperceptibiliter, quod debitam contractionem subeant, vellicando, atque sic tum liquorum crasin depravatam, tum partium tonum amissum corrigendo, vim suam exerunt. Hinc fieri quidem potest, ut Paroxysmos quandoque sistant; verum non sub hac consideratione quod Digestiva, sed quoniam necesse est ut, illis ad debitum redactis statum, Febres Intermittentes (non secus ac reliqui omnes Morbi) sponte evanescant: Et quamvis vel Specifica sat longa in Corpore mora hoc ipsum tandem satagant, utpote energia ad hunc scopum forsan collimante segnius licèt se prodente, donata; ut plurimum tamen propriè talia obicem Paroxysmis antè ponunt, quam verè restituatur Corporis œconomia; id quod hinc liquet, quod non raro ab illis sedati post intervallum non admodum longum redeant.

e Digestiva hæc *Salinæ*, pleraq; saltem, *prosapiæ*, quin simplicioris esse texturæ [quæ sc. hisce muniis natæ sunt eorum particulæ) deprehendatur, atq; angulis, iisq; rigidiusculis, prædita: quorum ratione non statim ab occursantibus, cujuscunque fere generis, absque aliqua lucta, subigi, & dissolvi possunt. Proindè ubi, intra Corpus suscepta, à Spiritibus fermentisve, quibus occurrunt, actuata fuerint, se per liquorum, in quibus ista scatent, massam explicare gestiant, atque sic præfatas operationes producant. Sub hunc censum cadunt, non solùm quæ Acida saturant, atq; inde incongrua secedere faciunt, qua ratione Cl. *Etmullerus præcipitantia* potissimum agere censet, sed & quæ qualvis Sanguinis aliorumve liquorum irregularitates, sive sub turgescentia vel effervescentia complectendæ sint, sive in strictiori illorum crasi consistant, subigendo corrigunt; ad exclusionem verò particulas reductioni ineptas, idque potissimum, ut dixi, per Urinæ vias, disponunt. Quamvis hujusmodi Medicamenta, pro varietate substantiarum in Sanguine quæ reductione indigent, variis generis esse possint, adeo ut alia Acidis, alia Sulphureis in eo abundantibus

a *Ratio agendi*, b *Alterantia duplicia*. c *primo Digestiva*. d *Ratio agendi*.
e *Salinæ sunt prosapiæ*. *cujuscunque sit generis*.

debeantur, alia in Lixiviali ejus ſtatu offerenda ſint; iſta tamen, quæ vel moderatè Acida, vel Nitroſa, vel ex Acidis & Alcalibus una maritatis, ut in Tartaro Vitriolato, conflata, unde nova & blandè incidens emergenti concreto accedit craſis, communiſſimæ eſſe indicationis cenſeo; tum quoniam Nitroſo pabulo, *b. e.* inter Acidum & Salſo volatile quodam modo ambigente, magna ex parte conſtare & reſarciri activas Corporis noſtri ſubſtantias, atque à tali defectu vel irregularitate earum enormitates, quas patimur, maxima ex parte profluere, credendum mihi videtur; ut proinde talia ſupplenda ſint medicamenta, quæ iſtis facultatibus dotentur; tum quoniam ubi Sulphureas nimium exaltari contingerit particulas, prout in ſtatu Febris uſu venit, eorum alterutra, debitè adminiſtrata, iis coercendis aptiſſima, communi Medicorum conſenſu, deprehenduntur. Quin porro, præ aculeis quibus ſtipantur, maxime ad tonum ſolidarum partium, prout ſupra indigitavi, roborandum (quod niſi fiat, vix debite comminui & ſubigi poſſunt liquores] accommodata videntur. Et quidem ad hac toni partium invigoratione deduci (ex parte ſaltem) poteſt ſolutio effectus, quem quandoque obſervavi, Spiritus Salis Armoniaci, paulo ante Paroxyſmum, quo ſiſtatur, exhibiti, Quippe conjectari fas ſit hunc, celeritur diſtributum, adque Nervoſi Syſtematis tam radices quam propagines citiſſimè pertingentem, tonum eorum levi lancinatione uſque adeo corroborare, ut hinc texturæ contentorum mutatio, novo & inſolito iis impreſſo motu, ſuccedat; undè Paroxyſmus mox erupturus derepentè ſuffilaminetur.

a Objiciat forſan aliquis, me degenerationi Succi Nervei verſus *Aciditatem* vel *Nitroſitatem* productionem Quartanæ & Tertianæ (quæ duæ longe maximum Febrium Intermittentium numerum complent adſcribere ut, proinde Digeſtiva, ſive Nitroſa, ſive Acida iis curandis minime competere concipiantur, verum potius augendis.

b Cui repono, quod quamvis [ut hoc obiter dicam horum uſum in omnibus indiſcriminatim Febrium Intermittentium caſibus neutiquam ſuaderem, magnum tamen intercedere diſcrimen cenſeam inter Aciditatem Medicamentorum, & iſtam quam Morbus producit, tam quoad genium, quam effectus. Illius materia ſummam, cujus ad hoc munus capax eſt, exaltationem ſubiit: Hujus tantùm eſt in Fieri; utque evolvantur & exaltentur particulæ, ex quibus conſtat, altiorem uſque activitatis gradum acquirit fomes; unde multùm diverſos à conſummata effectus producere diſponitur: Illa quodammodo ſimilaris eſt; Hæc multum diverſi invicem generis ſociatas habet particulas, quarum ſcil. miſcela atq; actione ad hunc ſtatum in foco ſuo aſſurgit, ſtatimq; hoc adepta erumpit: Illa à Natura præſtituta eſt; Hæc degenerantis & depravati liquoris, effectus: Illa confertim ſuggeritur, inq; Ventriculo & primis viis actionem ſuam orditur; Hæc ſenſim inq; remotis regionibus, Nervoſi Syſtematis ſtaminibus, progignitur: Illa Antecedenti Morbi cauſæ edomandæ debetur; Hæc ipſa pro Cõtinente habenda, eſt. Proinde multum alterutrius diverſificandos fore affectus palam eſt. Quippe cùm Ventriculum, ut jam modo innui, primam actionis ſuę ſcenam obtineat medicamentum, ſicut in illum, multum a fomitis morboſi foco diſſitum, ejuſque contenta, primum vim ſuam exerere neceſſe habet; ſic magna ex parte exantlari veriſimiliter concipiatur antequam tam longinquum iter, emetiri poſſit, ut morbidam mineram, etiamſi ejuſdem omnino proſapiæ foret, integram attingere, eamque augere queat. Idcircò conjectari ſubit, quòd Ventriculi tono, ſi vitiatum eſſe contigerit, reſtituendo medicamenta hujus generis aliquatenus conferant, cum ſint aſtrictoria, quo ſic aptior vitæ muniis paratur materia; quin in Sanguinem admiſſa turgeſcentias reprimendo debi-

tam

a *Objectioni ab Hypotheſi de Typis.* b *Reſpondetur.*

tam ejus Fermentationem promoveant tandem verò ad Nervorum origines intercirculando, portione aliquali, quantumvis perexigua, delata eos paululùm ut dixi, lacessendo [nec enim hactenus aculeis suis, licèt aliquatenùs retusi evadant, orbari conjicio] in lenes adigant contractiones, quò incogruam arceant materiam secus subingressuram. Cùm è contrà Morbida minera jamjam deposita, inque ultima hac regione in Acidam, ulterius identidem in vasculis suis serpendo, maturata tantum absit, ut juxta normam medicamenti agat, ut potius conceptacula sua, à quorum bene constituto tono omne Corporis robur functionumque integritas pendet, delasset, Spirituque una concluso deprimat; Atque hoc tantum beneficij invehere concipiatur, quod ubi ad debitam acmen perducta fuerit, Nervosas partes, quibus includitur ad sui, hospitis scil. ingrati, extrusionem proritet; quo facto Morbus (ad tempus saltem quoddam) cessat.

(*a*) Digestiva hæc *non uno tantum Morbi tempore*, initio sc. usurpanda censeo, sed *toto ferè decursu*, quoniam & longam minera Morbifica subactionem requirit, & nova usque pullulat ab omnibus alimentis seges, quæ ab illius contagio in similem, ad longum quandoque tempus, facessit, ideoque ab his medicamentis pertinaciter exhibitis corrigi postulat.

[*b*] *Specifica*, quæ vocant, *Antipyreta* quod spectat; Hæc complexæ naturæ mihi videntur; atque nec Salium, nec aliorum, uti Chymicis appellare placet, *principiorum* (utut concedatur fortassis ex his conflari) ratione energiam suam in Febribus Intermittentibus domandis exerere, sed *Crasis* & *Texturæ* adeo ut in liquorum nostrorum gremium admissa, licet multum comminui necesse habeant, non tamen in ista Principia dissolvi, verum texturam suam sartam tectam per totam agendi Sphæram servare conjiciam. Texturæ hujus ratione cum ex Vegetabilibus ut plurimum, constent, non admodum duras & lancinantes, licet figuræ irregularis sortiri possunt particulas, sed tamen solidiusculas; unde non statim subigi in totum valent à molioribus, quibus admiscendæ veniunt, liquorum particulis sed partim hos peragrando à cohæsionibus indebitis arceant, partim interpositione sua, eas si nimis magno numero adhærere contigerit, quaquaversum explicatæ dissolvant, utpote mole & qualiquali soliditate majorem ad agendum, quam istæ ad resistendum vim nactæ; partim porro (imo præcipuè) ad Cerebrum, inter circulandum delatę in illud agant, modo inferius, ex iis, quę de cortice Peruviano verba faciens tradam, intelligendo. Horum sat magnum numerum habuerunt Majores; atque Alia uno, Alia alio seculo & Famam & Neglectum subiere: Et reverà pauca omnino ante, præsens seculum sive inventa sive reperta fuere, quæ votis efficaciter in multis ægrotantibus responderunt; [*c*] Nostro verò, ubi innotuit *Cortex Peruvianus*, vix, est ut de altiori solicitis simus, quandoquidem hic modo debita cautione exhibitus fuerit, raro Medici expectationem fallit, ut proindè pressius considerari mereatur; quod integro capitulo mox fiet.

(*d*) De *Opiatorum* viribus si quęratur; qua ratione nempe Febribus hisce sistendis conferant, Augurari liceat quod, quandoquidem hæc, functionum Animalium exertionem cohibendo in Cerebrum indubitate agant, quædam eorum particulæ inhiantes Vasculorum secretoriorum (quas esse Nervosæ arboris radices suppositi) meatus inter circulandum depositæ, partim eos aliquatenus obstruant, partim Succum alibilem in Sanguine adhuc commorantem quadantenus incrassent, adeoque ineptum ad tantillos poros (quantumvis, ut dixi ampliatos] statim subingrediendos red-

[a] *Digestiva tot fere decursu Morbi usurpanda.* [b] *Secundo Specifica Agunt ratione Crasis & Texturæ non Principiorum Chymicorum.* (c) *Cort. Peruvianus instar omnium.* [d] *Opiata.*

reddant; quibus porro dum Succus iſte ex Sanguine hic ubique ſecretus accumbit, ipſis quoque ſubtiliſſimis ſubſtantiis, *quæ ſpirituum* nomine innoceſcunt magna ex parte ingreſſum denegat: quo fit ut, una cum Supplementorum morbificorum prohibito commeatu, vel ipſa materia quæ Nervoſum Syſtema ad Motum & ſenſum præſtandum actuare ſolet, ab introitu arcetur, obrepitque hinc Somnus; In quo quidem [ut hoc obiter notem] Cor ſolito more pulſat, functioneſque viſcerum parum ſolummodo immutantur. Interea ut aliquarum partium ſatis languide perficiantur, quod forſan huic cauſæ imputare detur, quod quandoquidem has partes ad vitam apprime neceſſarias ſummo Artifici conſtruere placuit, quæ propterea perpetim moveri neceſſe habent, hanc nervis ad eas tendentibus atque vectigalia deferentibus, præſertim *Pari vago*, ſive amplitudinem ſive conformationem donare voluerit, qua ſat liber ad hæc munia idoneæ ſubſtantiæ tranſcurſus concedatur, dum reliquis aliter conſtitutis denegatur: Et quidem *hujus Paris* tubulos cæteris patentiores eſſe a multifaria *Hypochondriacorum* Affectuum & Symptomatum, quæ Hominus numeroſius multò, ni fallor, quàm reliqui Morbi inceſſunt, turma colligere eſt; Cujus ratio vix forſan aliundè ſat mechanicè, quàm ab hac Nervorum iſtorum ampliata cavitate, deduci poteſt; quippe cujus medio & incongruas ſubſtantias faciliùs admittant, & ſpatium indebitis harum noxiiſque exaltationibus præbent. Poſtquam verò iſtæ *Opiatorum* particulæ inducias Nervis, quo ſe contrahere incipiant, ſic paululum dederint, quidnifieri poteſt, ut ſolito *reſtitutionis motu* brevi ad debitam menſuram redeant, atq; ſic impoſterùm deſinant Paroxyſmi? Reverà, Opiatorum tot tamque ſtupendi, ubi debita cautione adhibita fuerint, ubivis obſerventur effectus, maximè verò quoad orgaſmum humorum qua ſedandum, qua præcavendum, ut ſicut multis nominibus primas, ferè, in medicamentorum Claſſe forſan mereantur, ſic quandoquidem conſtat Succos, quibus perfluitur Corpus, indebitas ſubire Fermentationes, dum in Febriles Paroxyſmos maturantur, hac inſuper ſub ratione ea in *Febrifugorum* cenſum, dum has compeſcunt, transferre haud dubitavero.

(*a*) Porrò non exiguam *Pericarpiis* efficaciam in Febribus Intermittentibus curandis quidam adſcribunt; atque Practici ferè omnes horum formulas libris ſuis inſerunt. Et quidem ſi *Helmontij* & *Kergeri* authoritate ſtandum foret, vix aliis Febrifugis opus eſſet, modò eorum, quæ illi adhibuerunt compotes fieremus. Mihi ſanè nunquam quantum memini, tam fœlici eſſe contingit ut notabilem ab ullorum applicatione effectum cernerem; licet quædam ſatis decantata aliquoties admoverim. Et quamvis ſuſpicari forſan ſubeat effectum internis una adhibitis remediis debirum externis hiſce aſcribi (Quippe putaverim paucos vel Medicos vel Agyrtas Febres Intermittentes tractantes hiſce ſolis, abſq; internorum exhibitione, niti) ſi tamen revera talis iis competat vis, hujuſmodi ſolutionem aptare forſan non incongruum erit.

(*b*) Nimirum cùm eorum materia vel ex *Aſtrictoriis*, vel *Salibus Volatilibus*, vel *Reſolutivis* conſtet (prout ex formulis, quas afferunt Authores colligendum eſſe cenſeo) conjectari liceat alterutrum ex duobus prioribus genus [licet forſan aliquantulum diverſo agendi modo] Tendines quibus applicantur contractiones qualesquales adigere, utpote promptè poros cutis in vitali Corpore permeantia, & Calore & Madore partis actuata. Quæ quidem contractio quò minùs ad Cerebrum ipſum brevi propagetur non video; cùm ubivis plus vel minùs tenſas eſſe omnium partium ad Senſationem Motumq; (ſaltem ad motus promptitudinem) Fibras nemo Medicorum negaverit, iſtas verò Tendinum præ reliquis hac diatheſi pol-

[a] *Pericarpia*. [b] *Ratio agendi, modo effectum ſortire certè conſtiterit*.

pollere, quin & valdè sensiles esse. Quo dato, ubi hic loci qualem dixi facta fuerit impressio, analoga ad usque fibrillas Cerebrum conflantes propagari necesse habet, eaque sat fortis ob multitudinem & consensum Fibrarum, quæ primitus afficiuntur: Unde laxatus quodammodo hujus corrigitur tonus, atque tum quod incongrui in universarum tractibus congestum erat leniter extruditur, tum obex secus ingressuro ponitur. Tonus autem naturalis hinc semel restitutus non facilè ut supra notavi; nisi a causa violenta, statim iterum deficit. Quod autem ad modum quo Resolutiva se exerunt; attinet; Istorum particulæ nonnullæ præ Calore partis, habituum erupturientium medio dissolutæ, inq; Venularum cuticularium oscula asportatæ [utpote extrinsecus prę involueris ab avolatione coercitę] Sanguinis texturam intus delatæ aliquatenus alterent; imo forsan & sat efficaciter, quandoquidem a nullis vel ventriculi, vel Intestinorum, vel aliarum quas devorata peragrare tenentur, partium Fermentis refractæ in Sanguinem illibatæ ferantur; ipsæ vero Sanguini pro adoptivo ad hunc usum Fermento inserviant. Dum vero cum hoc circulantur, quidni ad Cerebrum pars delatæ, tum ejus tono roborando conducant, tum in illius tubulos admissę eorum contenta, pari modo ac de Sanguine dictum est, afficiant?

Horum, non secus ac cæterorum medicamentorum, formulas quamvis mihi non propositum sit, cumulare; unum tamen, quod novitatis quadam gratia forsan arridebit, attexere non pigebit ex relatu Eruditissimi Medici D. *VVelsted*, qui mihi edixit se optimo successu expertum esse Cataplasmata ex Cortice Peruviano subtilissimè pulverisato cum sapone nigro in debitam consistentiam redacto, Carpis admota.

CAPUT IX.

Methodus Febres Intermittentes in Specie curandi.

(a) ADministrationibus Medicis in genere sic lustratis, par est, ut eas *ad Medendi usum* accommodem, & quasnam in singulis Febrium intermittentium Speciebus, quove ordine usurpandas censeam, exponam, sed breviter. Quippe si ea sit, quam astruxi, inter singularum causas affinitas, indicationes generales plurimùm coincidere debere par est conjectari. Nec formulas, ut modo dixi, attexere necesse videtur, cum apud omnes Practicos ab undè prostent; Imo unici Corticis Peruviani debita (præmissis universalibus) nec præmatura, exhibitione nullam non fermè earum Speciem tandem prosterni notum sit, proinde longis hic circa singulas deductionibus opus non videatur.

(b) Idcirco, In *Quotidianis* (ut ab his ordiar) universim ferè [sub conditionibus allatis] Sanguinem mittendum censeo; quoniam in his magis heterogenea materia refertam esse ejus massam conjicio, unde majori cura de afferveścentia præcavenda prospiciendum. Dein ad Vomitoria, ut plurimum, accedendum, maxime si nausea, vel Vomituritio vel Ventriculi oppressio infestet. Atque si facile vomat ægrotans, Sale Vitricoli, vel Oxymelite scyllitico, imo forsan sero lactis cervisitaro, Carduo Benedicto alterato, sufficiat vomitionem concitare, secus, Infusum Croci Metallorum, vel Antimoniale quoddam aliud, in usum trahatur. Vomitione peracta Digestiva exhibere conveniat, quo sic & reprimatur sanguinis Orgasmus; & pars morbificæ materiæ ab hisce maturatæ per Urinæ vias amandetur. Hæc ex Cremore Tartari, Sale Mirabili Glauberi, Sale Absynthij, Corallio, aliisve aliquibus Alcalinis

(a) *Methodi medendi generalis ad varias Febrium Intermittentium Species adaptatio.*
(b) *Primo, Ad Quotidianas.*

linis (vel seorsim exhibitis, vel Acido alicui maritatis, prout indicatio seu Acidorum, seu salium fixorum, seu particularum sulphurearum in Corpore luxuriantium, edomandorum tulerit) concinnari possunt, atque vel una cum decocto aliquo aperiente, addito quandoque vino albo, vel cum iusculis avenaceis exhiberi, idque bis terve de die; persistendo donec coctio in Urinis, si obtineri possit appareat. Sin præ inquietudinibus, aliisve gravibus Symptomatis, magnam, & laxius hærentem, intus stabulari saburram colligi possit, ex usu erit minorativum aliquod purgans, utpote decoct. amarum, Sennæ Gesonis, vel tale aliquod exhibere, imo, si usque perstet vel redeat ventriculi oppressio, Vomitorium repetere. At insuper quoniam nimis irritari, atque hinc obrui, periclitatur Systema Nervosum qua præ ipso materiæ morbificæ genio, qua omni tempore, quo maximè istæ ingruere solent, hinc tum Vesicatoria in usum ducenda veniunt tum Salibus Volatilibus, utpote Sp. CC. Salis Armoniaci, &c. roborari convenit Spiritus Animales, quo digestio & citius & efficacius inducatur. Verum si contigerit hæc per quinque vel sex paroxysmorum decursum incassum adhiberi, opportunum erit ad Specifica, inter quæ præcellit Cortex Peruvianus, confugere, quorum (huius præsertim) post evacuationes efficacia maior deprehenditur.

(a) *Tertianæ* curationem quod spectat, Hæc non multum disparem Quotidianæ medicandi rationem, non solum quo ad magna, uti vocant, remedia, Sanguinis scil. Missionem, & Vomitoria, sed & reliqua, exigit: Hoc tantum discrimine quod quandoquidem Vere, quando Hæ maxime ingruere solent Febres, tum Sanguis magis spirituosus existit, saltem particulis magis exaltatis atque Fermentativis quam Hyeme pollet, magisque proinde ad turgescentias, ubi data fuerit ansa, pronus est, maiori, hac tempestate, industria reprimendus sit ne noxias Cerebro suppeditare perstet substantias tum Nervosum genus hinc ferocius lacessitum maiorem circa contentorum lucrum efferationes sedandas curam exigat. Idcirco maiori, cæteris paribus, copia celebranda venit Phlebotomia, trequentius quę iteranda, si usque sæviat Morbus, habito tamen respectu ad Corporis habitum, ætatem, euphoriam, aliasque circumstantias. Porro cum Bilis nunc temporis promptiùs & copiosiùs generari & ferocire inque Ventriculum exundare soleat, unde magna, Paroxysmorum initio, ad movendum propensio plerunque invadit, hinc quoque de emeticis propinandis magis curandum, nisi labes aliqua, sive nativa sive adventitia (quales cuncti fere notant practici) quæ eorum contra indicet exhibitioni, adsit: imò minorativis Purgantibus, si magna scateat saburra, uti convenit. Digestivis insuper insistendum, iisque vel Nitrosis vel Acidis, quandoquidem hæc tum Sulphureis Sanguis exaltationibus, tum Bilis, quę multùm lixivialis est prosapiæ, nimię productioni & efferationi, adversantur. Ante verò Paroxysmos aliquot, si redeant, commodè exhibeatur haustus Crollianus (ex Aq. Cardui Benedicti, Sale Absynthij & Ol. Vitrioli) vel tale aliquod præcipitatorum, quod maturatæ & jam erumpere gestienti mineræ commixtum, partim quadam dissimilitudine energetica morbificas alteret particulas; partim his in grumos post actionem hanc grandiores [mutata insuper hinc figura] invicem coeuntibus tanto efficicaciùs eliminandis conferat; partim insuper vegetiori hinc irritatione Glandulas Cerebrales ad debitas contractiones adigat, quò imposterum heterogenearum admissioni minùs pateant. Sin post sex vel septem Paroxysmos sic tractatos usque perstet Morbus, oportunum erit ad Corticis Peruviani usum, perindè ac in Quotidiana, pervenire, cujus forsan sub initium vel irritus, vel periculosus, sentiatur usus ob rationes infra subdendas; hoc autem tempore maximè si præmissum fuerit Vomitorium] rarò spem fraudat.

Ad *Quartanas* quod attinet: Hę minus exi-

(a) *Secundò, ad Tertianas.*

exigere Sanguinis missionem videntur, eo quod magis effœtus iste, hoc quo invadere solent anni tempore, deprehendatur; saltem non tanta copia, quanta Vere vel Æstate) nisi aliæ aliter suadeant circumstantiæ] licet, detrahendus venit; verùm pro ratione sive orgasmi, sive affluxus ad aliquam peculiarem partem, determinanda quantitas. Vomitoriis autem non minùs hac, quam quavis alia, tempestate locus est, imo aliquoties repetitis; quoniam labefacto magis hoc tempore Cerebri tono quin ab accescentibus magis contentis fermentativis usque læsionem retinente excitatio fortior requiritur ad noxiam impressionem efficaciùs corrigendam. Porro Digestiva Alcalina, Saliaque Volatilia, magis hic ex usu sunt ad acorem edomandum, iisque diutius immorandum; quin decoctis amaris, quæ & huic intentioni satisfaciant, & crasin Sanguinis restituant, obstinatiùs insistendum. Si vero his ad septem vel octo Paroxysmos propinatis non cedat Morbus, tandem ad certissimum illud specificum, Corticem Peruvianum [vel si quod aliud paribus instructum dotibus sive inter Vegetabilia felix aut docta sagacitas, sive Chymicorum furui suppeditaverint) perfugere oportet, quod quidem præmaturæ, nec debitis præmissis evacuationibus exhibitum, frequenter incassum, Imo quandoque noxiè, propinari, multis ubique observationibus, si rem ad trutinam revocare velimus, constare ni fallor, poterit.

CAPUT X.

De Corticis Peruviani, circa Febres Intermittentes sistendas, facultate.

SUpereſt, ut de famoso illo & multiplici experientia comprobato, in his affectibus remedio, *Cortice Peruviano*, aliquantò fusiùs differamus tum quia reliquis *vim Febrifugum* multo certiùs exerens altiorem proindè considerationem meretur, tum quod, si monstretur operandi modum ad allatam Hypothesi quadrare, isti firmandæ pro fulcimento aliquo fortassis inserviat.

Ut de Natalis ejus loco, descriptione, &c. verba facere mittam;

[*a*] In hac disquisitione, *primò*, ex notis ejus effectibus potissimis proferendos censemus, cùm & valdè arduum sit in genere in abstrusas rerum naturas à priori penetrare, & speciatim, quandoquidem relativæ hic medicamenti vires perpendendæ veniunt, non alio ritu ad earum rationem reddendam procedendum videtur, quàm ut observatis effectis in Corpora quibus adhibetur, ad modum efficiendi progrediamur. *Deindè*, qualis sit texturæ, quantum conjectando hariolari valemus, inquiremus. *Posteà* Scenam operationis investigare conabimur. *Debinc* modum agendi ex prædictorum collatione pro virili indigitabimus. *Tandem* videbimus an huic responsura sint observanda.

(*b*) Quoad primum, Ubivis notum est, imprimis, *Paroxysmum*, si non proximum ab exhibitione, saltem sequentem, si sat largis dosibus offeratur Medicamentum; ut plurimùm *precaveri*; modò non admodùm propè à Morbi initio, vel etiam Corporibus valdè Cacochymicis propinetur: Quippe non rarò contingit, si dum cruda sunt omnia, hoc est nulla particularum Morbificarum ab invicem vel à plurioribus disjunctio debita habetur (uti fit in Morbi initio, vel etiam ubi magna humorum saburra intus latet] exhibeatur, non solùm pessundetur effectus, sed & multùm noceat, Febre scil. aucta in seqq. Paroxysmis, vel in longum excurrente, vel in continuam versa, vel Cerebro Nervosoq; generi labem haud facilè emendabilem affigente; unde languores, comatosi affectus, motus convulsivi, &c. emergunt.

Deinde observari potest nullam evacuationem notabilem seu per Vomitum, seu Sedem, seu Urinam, seu Sudorem, ordinariè ab isto cortice excitari solere, imo non raro sedari si affecti prius ad tales evacuationes propensi fuerint. Ordinarie, dixi, quo-

(a) *Circa effectum Corticis Peruviani quinque perpenda.*
[b] *primò Noti ejus effectus.*

quoniam nonnunquam, licèt rariùs evenit, ut tali aliqua ejus usui supervenient. te, liberetur ægrotans. Porro aliquando; imo sat frequenter observari potest Paroxymum eundemque quem antè cursum eadem pariter ferticis destiterint tandem redire, mos, postquàm per sex vel septem vices ab usu corocia, reperre; & hoc non solùm irregulariter se gerentibus (licèt istis magis, quàm his, qui majori cura sannitati suæ litant) sed vel cautissimè viventibus contingit; maximè vero sub epidemica, ad Feb. Intermittentes disponente, constitutione Aeris hoc usu venit, vel etiam his evenit qui longo, antequam hujus remedii usum aggressi sunt, tempore insultus istos passi sunt. Insuper, observatione frequenti constat, à Catharticis] saltem fortioribus, utpote quæ in remotiores Corporis recessus penetrant) præpopere administratis recrudescere istos affectus, non minus ægre nunc domabiles, quàm ab initio fuerant. Adhæc (notante primum puto, Cel. *Sydenhamio* si lecto se, in usu Corticis, multum addicat ægrotus raro levamen speratum inde percipit: unde non mirum si quandoquidem desidiam tantopere colimus magna pars hominum apud multos male audiat; ut mos est plurimis, qui, sua licet culpa, infructuose hausta universim damnant remedia. Porro majorem vim exercere deprehenditur cortex si una cum austeris vel Acidis exhibeatur; quo modo famosus ille, non ità pridem, Febrifugus *Talborius* propinasse perhibetur, addito scil. singulis dosibus Succo Limonum: atque hinc forsan obtinuit usus, inter nostrates medicos frequens, decoctum amarum superbibendum offerendi; cum pleraque amara styptícitate & austeritate polleant. Tandem (ne plura congeram) frequenti observatione habetur, multos hujus medicamenti usu à Febribus hisce liberatos citiùs vigorem pristinum recuperare [quantum mihi saltem observasse contigit] quàm qui aliorum plerorumque Febrifugorum ope convaluerunt.

a Quoad secundum; *Texturam*, scil. *Corticis*: Videtur hæc valde *stricta* esse; hoc est, particulas Salis Sulphuris, Spiritus (si quæ hujusmodi actu sint, ex quibus concreta constant) tam arcte cum terrestribus implexas esse, ut ægre extricabiles sint, seu mavis, usque adeo ramosas esse constituentes particulas atque invicem implicatas ut nexuum istorum solutio non parum negotii faceſſat. Atque hoc colligere licet ex usu naturali maximè obvio quem plantæ, cujus est, præbet, quippe cui datus est [perinde ad cæteris plantis sui cortices] ut tegumenti vice partes penitiùs reconditas, in quibus earum vita potissimùm residet, ab aeris, pluviarum, &c. injuriis muniat: cui quidem usui parum aptus esset, nisi particulæ ex quibus compaginatur satis arcte, præ reliquis quas involvit, implicarentur, atque sic à prompta dissolutione prohiberentur. Quin insuper constat eum haud prompte in ullis liquoribus (nisi fortè talibus qui magna corrodendi vi præditi sunt] dissolvi, imò nec tincturam deponere aliam, quàm quæ colligatur esse tantummodò decisio integralium particularum minutiorum, quæ intra poros liquorum ad hanc rem adhibitorum contineri valent, id quod arguitur tum ex sapore, eodem cum integro pulvere degustato, tum quod talis tincturæ efficacia ejusdem cum illo generis esse deprehenditur, licèt debilior, nisi ea quantitate propinetur, quæ pulveris in substantia exhibiti dosi respondeat. Si obiiciatur, *Amaritudinem* satis *laxum*, juxta Chymicos, *principiorum nexum* arguere, atque valde compacta nullum, prius quàm laxata fuerit eorum inima compages, saporem præbere, prout in Metallis, Lapidibus, aliisque similis texturæ experiri datur; Respondeo, Primò, Istam Amaritudinem in Cortice nec valdè notabilem, nec obviam esse, nisi vel aliquandiù in ore detineatur pulvis, vel prævia maceratione in liquore aliquo idoneo eliciatur; unde saltem inferre licet texturam non esse valdè laxam (nec enim compactissimam omninò volumus) Verùm, Secundo, Qualitatem hanc non à prin-

a *Secundo Texturæ modus ratio.*

à principio aliquo Chymico mihi videri necessariò deducendam, aſt potius à determinata quadam figura & mole Corporis afficientis, quarum gratia hoc vel illo modo sensorium feriens diversam sensationem ab ea, quam efficiunt aliter modificata, imprimit; & quid vetat complexa Corpora tales induere figuras, sub valde exigua quidem mole, unde in Poros Corporum sensilium] quos in nobis sat patulos esse quivis concesserit) intrantes eos eodem modo afficiant, quo principiorum Chymicorum patroni simpliciorum suarum substantiarum particulas volunt? Ratione hujus compaginationis necesse videtur, ut & friabiles sint ejus particulæ, & præ comminutionibus, quas vel intra vel extra Corpus subire contingat, irregulares atque angulosas multo maxima earum pars induant figuras, unde fit, ut non solum in teneros, ad quos deferuntur, se sat promptè ingerant meatus, verum & illorum latera quodammodo lancinent, atque sic, si sensilibus esse contigerit, in corrugationes, & contractiones aliquales cogant.

(a) Quoad tertium; Inquirere oportet non solum in ipsam *Palestram* in qua sed & *antagonistas* quibuscum, in sistendis Febribus Intermittentibus strenuus hic athleta colluctetur. Idcirco *quatuor* lustrandæ veniant *regiones*, quas ejus particulæ vel pertranſire vel saltem afficere [quocunque tandem modo id fiat] censeantur, ut in quanam ex iis energiam suam potissimùm exerceat dignoscamus; *Chylosæ* scilicèt *massæ officina* & *viæ* à Ventriculo adusque vasorum lacteorum thoracicorum in Venis Succlaviis ostiola; *Vasorum Sanguiferorum tractus*, in quibus cum Sanguine includuntur, atque una circulantur; *Habitus Corporis* ubiviis ultra vasa isthæc constitutus, ex quo fomitem Morbi ad Paroxysmum concitandum erumpere concipiantur; & tandem *Nervosum genus* [hoc est, tam Cerebrum, quam Nervorum tractus, & propagines Fibras partium constituentes] *America*, ut ita dicam Mi-crocosmi; quam tot ditionibus nobilem, tot provinciis onustam, per transennam tantùm veteribus quasi notam, nostro primùm seculo Celebb. *Glissonius* & *Vvillisus* & plenius monstrarunt, & quod in ea (exiguum sane) conspectum eorum effugit ad penitiùs indagandum posteris viam tamen indigitarum.

(b) Dum vero *Regiones* istas nomino, haudquaquam ita intelligendas vellem, acsi unice supponerem *vasa continentia* esse objectum immediatum actionis Medicamenti; verùm & *Succos inclusos* sub hac Nomenclatura comprehendi volo quandoquidem hujus influentia & actio in hos pariter determinari videtur utpote quibus immediate admiscetur, & ad quos sese motu tam lationis, quam fermentativo identidem varie applicant ejus particulæ interea tamen & alia una affici concipiantur, atque ad effectum, si non primariò producendum, saltem complendum concurrere; in quantum scilicet tonus eorum, sine quo nulla functio animalis rite obiri valet, tandem istarum actione roboretur.

[c] Primo, In *Chylum* quidem Corticem hunc agere aliquo modo posse nil vetat, cui & illibatis viribus admiscetur, & quo cum iter tam longum una emetitur: Quin & amaritudine aliqua, ut modo notatum erat, pollet; aqui notum est concreta hac qualitate donata, à Medicis & usitato (saltem ex iis pleraque) & efficaciter adhiberi ad pleraſque Chylosæ massæ inordinationes corrigendas, præsertim ubi Acidis scatet particulis, quales cum in quartanaria diathesi [ad quam & primitus usurpatus fuit Cortex, & in qua efficacissimam vim exercere cuncti norunt) dominium obtinere vulgo censeantur, in Ventriculo, Chyli officina, se vomitionibus Acidis sæpe numero produnt. Porro dum ulterius cum Chylo provehuntur ejus particulæ, atque exactiorem cum ea subeunt Miscellam, accessu Bilioſi & Pancreatici in duodeno liquorem, & Lymphæ in Glandulis Mesentericis & receptaculo communi,

(a) *Tertiò, Scena operationis Lustrandæ.* (b) *Corporis regiones quas pertransit.*
[c] *Primò, Quid agant ejus particulæ dum peragrant.*

muni, usque adeò exaltari concipiantur, ut notabilem in eum inertem satis & viscosum liquorem, vim toto itinere imprimant, vel saltem reagendo altercationem inducant, unde fieri vix potest, quin Sanguinis ex illo resarciendus & reliqui inde conficiendi liquores, imò tota Animalis œconomia multò meliùs in posterum habeant. An verò hoc sufficiat ad rationem quæsiti effectus reddendam mox dispiciemus.

(*a*) Secundo, Nec quidem negandum admissas Medicamenti particulas afficere posse *Sanguineum laticem*. Utcunque enim strictior illis (quod modo deducere conati sumus) sit compages; quandoquidem tamen cum multiformi adeo massa commiscentur & gyrantur, haud fieri potest quin quibusdam ex hujus partibus alterationem, sive id agendo fiat, sive earum actionem recipiendo, saltem eas ab associationibus indebitis interpositione sua arcendo, inducant; præsertim quãdo vegetiori eius motu & calore eas magis invigorari contigerit. Porro Febrilis caloris quem formaliter in Sanguine fundari [undecunque tandem instinctum habeat] uno ore fatentur Medici, cessatio, multorumque inde profluentium Symptomatum sedatio, quæ illarum admissionem brevi subsequuntur, Sanguinem ab iis quodammodo affici fidem aliquam faciunt. Qui quidem effectus, quamvis potissimum ulteriori alicui actioni [uti inferius astruere conabimur] forsan debeatur; nil vetat tamen quo minus ab istius contubernalis cum Sanguine consortio ex parte pendeat; si non alia causa, hac saltem, quod robur deperditum eius crasi hinc restituatur; quod citius, ab huius, quàm aliorum, Febrifugorum efficaci usu redire ut plurimum, prout suprà innui, observetur.

(*b*) Tertio, Tertiam quod attinet regionem, *Habitum* scil *Corporis*, quandoquidem cavernulis plurimis abundat [tales nempe dari ipsa rara & cedens partium compages, ponderisque præ multis aliis eiusdem molis Corporibus; carentia, si nulla ab autopsia suppeterent argumenta fidem faciunt) vix dubitari potest, quin si in eas Corticis particulis ingressus detur (quod quin faciant nulla vetat ratio) afficiant. Quippe cum hæ ex Membranis vel Fibris, si non in totum, saltem maxima ex parte, constentur [sive propriæ sint, sive vasorum, quibus universa singularum partium stamina constent, & quas interiacere multis in locis spatiola necesse est) quas omnes sensibile esse credibile est, par est, ut censeamus rigidiusculas hasce particulas subintrantes, in motus, saltem contractiles, ad amoliendum hinc ortam molestiam, eas urgeant: unde saltem ingruentium Symptomatum probabilis ratio assignari potest.

(*c*) Quarto, De ultima ex memoratis regione maior forsan iis moveri potest non solum sc. an afficiant *Succum Nervosum*, sed insuper an vel, admittantur in *Nervosis Systematis* tractus Corticis particulæ, quippe fortassis suggeratur, augustiores esse tubulos istos, quam ut quid vis, nisi subtilissimum, illæsi capiant, particulas vero huius Medicamenti, irregulares & rigidiusculæ cum sint, prout ex suprà allata de textura suppositione constat, si admitti contigerit, nimis arctandas, fore, quàm ut se explicare valeant, vimque suam, quæcunque illa fuerit, exerant, saltem molestiam asperitate sua parietibus indefinenter inducant: quin insuper has tot liquorum quos pertranseunt actionem passas, ante forsan exantlandas fore, quàm ad originem Nervorum pertingant. Verum neutrum mihi concedendum videtur: Quod enim spectat ad admissionem, si inde conferamus innumeros (magnitudinis dicam, an minutiei?] gradus inter Vascula infectorum Nervosque no-

a *Secundò Quid dum secundum*. b *Tertiò, Quid dum Tertiam*. c *Quarto, de quartà dubium an ullæ subingrediantur: saltem an non, si ad missæ fuerint nimis hic compingantur*.

noſtros, hinc verò Corporum, nulla vel attentiſſima mentis acie aſſequendam, diviſibilitatem (præſertim ubi concurrerint efficaces comminutionis cauſæ, quales in Corporibus Animalium adeſſe nemo, opinor, negaverit) facilè concident priores ſuggeſtiones. Actionem verò, ſi admitti contigerit, quod attinet; Multa Cerebrum & Nervoſum genus afficere poſſe illæſo Sanguine (imò forſan multos cum eo circuitus abſolvere) ſuadet Nervoſorum quorundam affectuum ab aſſumptis aliquibus, infeſta vi pollentibus, productio, Sanguine interim parum tacto: ſic *Paſtinacæ Sylveſtri radices* in affectum maniaco ſimilem [licet brevi ceſſaturum] comedentes ſæpè compulerunt; ſic *cicutæ aquaticæ* & *hyoſciami radices*, *nux vomica*, aliaque plura hujuſmodi comeſta, in Nervoſum genus potiſſimùm vires ſuas exerere deprehendantur; uti palam fit ex iis, quæ circa hanc rem protulit Celeberrimus *VVepferus*, *Hiſtor. Cicut. aquat.* Ut taceam *Hydrargyrum* non ſolum aurifabris inque mineris verſatis, ſed etiam aſſumentibus & ſalivationem movere, & pertinaces quandoque artuum cremores aliaque Nervoſi generis graviſſima Symptomata integra Sanguinis craſſi perſiſtente, inducere. Porrò idem evincit *Specificorum* Medicamentorum in Convulſivis, aliiſve Nervoſis affectibus exhibitorum, ad eos debellandos efficacia; quorum quamvis ſingulis, pro talibus habitis immeritò forſan titulus iſte & effectus adſcribendi ſint, ſi tamen etiam uni vel alteri, collatis debitè rationibus, jure competer deprehendantur, ſat erit ad evincendum Medicamenta viribus non penitus deſtructis ad Cerebrum pertingere poſſe. Quo minus forſan nec noſtro *Cortici* denegatur iſta facultas.

Quamvis autem ſingulæ hæ *regiones* ab hujus Medicamenti particulis, ſic ut dixi, afficiantur, non tamen eodem omnes modo, nec gradu nec adæquatè ad effectum, de quo Sermo eſt, producendum.

(*b*) Et primò non admodùm probabile videtur, in *Chylum ſolum* agendo rem præſtare. Etenim ſi monſtrari poſſet Morbum à Chylo vitiato pendere, non tamen dum in primis viis verſatur; id quod poſtulat præſens ſuppoſitio. Quippe prima invaſionis Symptomata nec ſemper, nec, ut plurimùm, in iſthac regione ſe oſtendunt, verum remotiſſima adoriuntur; nempe rigoribus, extremorum frigiditate; &c. antè plerunq; impetuntur ægrotantes, quàm nauſea, vomitionibus aliisve Ventriculi vel reliquarum primarum viarum affectarum indiciis; imò frequenter Morbum derepentè invadere conſtat, ubi nullas, nedum Chyli, ſed nec quorumvis prætereà liquorum vitiatorum notas colligere licet. Quinimò ſi à Chyli vitio profluviat affectus, facilè fieri poſſe videtur ut, denegato per jejunium ejus proventu, Paroxyſmus, abſq; alterius Febrifugi ope, præcaveatur, quod tamen perraro accidit. Imo tanta poſt paucorum Paroxyſmorum decurſum anorexia multos inceſſit Febricantes, ut nil ferme alimentorum plurimum poſtea intercapedine haurire velint, eundem tamen re norem his ſervantibus, imo ingraveſcentibus. Non equidem negavero *Chylum*, repetita forſan hujus Medicamenti aſſumptione uſq; adeo corrigi poſſe, ut purius pabulum Sanguini, atq; exindè Succo Nervoſo, aliiſq; liquoribus, conficiendis ſuppeditando anſam impoſterùm debellando Morbo præbeat, (quippe fatendum eſt, quamvis ejus anomalis propriè non debeat ortum Morbus, accenſum tamen indè foveri.) Verùm hoc potiùs arguit antecedentem in Chylo affectus cauſam, quàm continentem haberi. Si ſuggeratur, Corticem, ante brevi expectatum Paroxyſmum exhibitū eundem quandoq; præcavere, dum intereà ultra Ventriculum perexiſſe vix præſumatur; regero, Primo, non abſimile vero mihi videri particulas quaſdam ejus tenuio.

(a) *Reſpondetur.* [b] *Non* [*adæquatè*] *vires exerit in primam regionem ad Febrem tollendam.*

nuiores mox absumptione [præsertim si tincturæ forma exhibeatur] cum liquoribus, quibus, ad egressum paratis, illic occurunt, ulteriùs transvehi posse, atq; lege motus Chyli & Sanguinis, qui sat celeriter peragitur, cito per totum Corpus distributum ad ipsum materiæ Morbificæ stabulum longissimè dissitum sic deferri: Verum Secundo si cui solutio hæc minus arriserit, saltem non absonum videtur, ita ab isto in Ventriculo commorante affici posse Nervorum hic insertorum extremitates, ut ab actione isthac, absque materiæ transmissione, in longinquum delata effectus reddatur ratio. Quippè cum chordis tensis assimilari Nervos debitè constitutos solenne sit apud Medicos, à laxatis vero multos provenire Nervosos affectus quidni, si in Cerebro (uti ante adstruere conati sumus) fundetur hinc, concipiamus adstrictionem, præfatis Nervis in Ventriculo impressam, adusque Cerebrum, universosque exindè Systematis Nervosi tractus, celerimè propagari posse, atque hinc mineram ab eruptione coercere, cum non raro observetur Nervos, certis in partibus in contractiones actos, reliquos omnes pari modo afficere; id quod ex Convulsionibus à punctura Tendinis oriundis, nec non periodicis illis, quæ in parte à Cerebro sat remota, manu, v. g. vel pede, fluunt. Porro & ex istis (quod præsens subjectum proprius attingit) quę quandoque a Vomitorio exhibito excitantur, palam fit: Quin insuper ex historiis Medicis fide dignis constat, subitum terrorem Febres Intermittentes quandoque sustulisse; cujus ratio vix, nisi a Nervorum contractione, reddi potest. Quæ quidem instantiæ quamvis vegetionem forsan supponant impressionem, quam quæ a Cortice in Nervos stomachicos infligi potest, videntur tamen evincere Nervulos, præsertim in Ventriculo, quovis modo lacessitos, sat cito sua in reliquos universos seu commoda seu noxas propagare posse; Cumque levis contractio sufficere videatur ad tonum Cerebri, adeo sua constitutione naturali teneri, restituendum, hinc levis impressio sufficere concipiatur ad contractionem talem efficiendam.

[a] *Secundam* quod attinet *regionem*; nec hic ad sistendum Paroxysmum terminari actionem Medicamenti verisimile mihi videtur. Quippè cum prima supra a memorata, Symptomata in partibus ultra Sanguinis vias [saltem gurgitem] ingruant, sicut probabile est materiam Morbificam in ulteriori regione stabulari, sic pariter remedium vires suas, in eam potissimum impendere, Porro cum solidiuscæ sint ejus, præ Sanguinis particulæ, quid vetat quo minus has prætervectæ (ut naturale est Solidis vim Motus tam retinere tenaciter, quam facilè concipere) eo sat integris viribus pergant, quo multa laxioris & flexilis, texturæ ex eius sinu penetrant? Quinimo nullas in Sanguine turbas concitare deprehenditur, nullas inde evacuationes usitate movere, unde colligatur notabilem inter alterutrum discrepantiam intercedere. Adhæc, si Febri qua tabi, medendæ debeatur, cur non æque efficax in continuis, quarum causam continentem in Sanguine haberi communi fere consensu sancitur, pellendis observatur? nempe vix puto, constabit impendio in his averruncandis, modo Nervosi generis affecti Symptomatis vaceant, si recte ineantur rationes, energiam deprehendi, quantumvis mos seculi sit, ut vix parcius in his: quam Intermittentibus præscribatur. Sane, utcunque inter Succos primo agere soleat Medicamentum, cum tamen hi non sui gratia in Corpore habeantur, sed ut solidis partibus (in quarum debita constitutione sicut præcipua sanitatis effecta, sic in depravata Morborum indicia, ex quibus eorum rationem colligere debemus, præcipue deprehenduntur) materiam in Nutritionem, Motum sensationem, &c. impertiant (quin functionum Animalium non est ex se, sed quatenus hic ministrent, atque actuandis

(a) *Nec in secundam ad hunc effectum*.

dis inſerviant, participes ſint, idcirco concludendum videtur Medicamentorum non ſecus ac Alimentorum, actionem ad has afficiendas (ſaltem præcipue) ultimo deſtinari, atque illos vix magis pro agendi Scena [niſi in paucioribus Morbis, qui in iis proprie fundantur] quam vehiculo, vel ſaltem menſtruo præparatorio, habendas eſſe.

(a) *De tertia regione* ſuggeratur: quod quandoquidem & neceſſario cum Sanguine in Corporis ubivis habitum deferantur, & cavernulas, ut ſupra notavi, in eo numeroſiſſimas, in quas deflectant, offendunt Medicamenti particulæ, illic uſque adeo, præ otio quo hic frui poſſint, maturentur, ut tandem mariæ Morbificæ (ſivæ iſthic illius focus habeatur, unde cominus hic eam aggredianrur, ſive alibi reſideat, quo fiat ut, poſt maturationem in Venas regeſtæ, ad eundem ubivis ſitum cum Sanguine transferantur) debellandę pares evadant. Verum præterquam quod ſupra oſtendere conati ſimus materiæ Morbificæ ſedem non hic primitus inveniendam, nec proinde Medicamentum energiam ſuam iſthic adæquate exerere quæri inſuper poterit, quomodo, ſi daretur iſthic hoſtem congredi, tantillum quod admittitur Medicamenti, nec admodum ex ſe agilis, nec in omnium minutiſſimas propter texturam tanto pere compactam, prout modo deduxi, cito dirimi habilis particulas, univerſa ſic præcaveat Symptomata: quandoquidem & Sanguinis copia immaniter adeo particularum hujus numerum ſuperet, ut non detur proportio inter Medicamentum & Morbum; arteriarum per quas deportatur ramificationes tam numeroſæ ſunt, ut minimè concipiendum, mea ſententia, ſit iſtas ad omnes Corporis partes diſtribuendas ſufficere, nec proinde hac ratione ad Morbificæ materiæ eruptionem reprimendam: ut taceam magnam earum partem unum fortaſſe capeſſere vaſorum tractum, neglectis relictis reliquis [id quod non improbabile illi habebitur, qui perpenderit quàm difformis ſæpè obſervetur cruoris emiſſi, & pluribus ſcutellis excepti, ut nempe una portio cocci neum ſortiatur colorem, alia lividum, reciprocantibus quandoque in variis vaſculis hiſce Phaſibus (quo modo fieri poteſt, ut ſufflammata forſan in una Corporis regione eruptio, procedat nihilominus ſolito tenore in alteris, quæ vim Medicamenti, ſiquidem illo haud pervenientis, non perſentiunt; adeoque & partiales hinc excitentur rigores, & poſtmodum materia hac in Sanguinem rivum ex loculis iſtis effuſa, febris ſolitum repetat curſum, tota Sanguinis maſſa Febrilem commotionem, ubivis impreſſam, mox concipiente. Verùm multò minùs probabile Medicamentum hic maturatum ad mineram alibi ſitam transferendum deſtinari: Cùm præterquam quòd multas ejus particulas tranſpirationis lege foras expelli contingat, vix in promptu habebitur ratio, quæ ſuadeat reliquas, confundente Sanguinis motu, ubi ab eo reſorptæ fuerint, agitatas ad focum ubicunque locum dirigendas fore.

(b) Reſtat ergò, Quarto, ut in *Cerebro & Syſtemate Nervoſo* quæratur operationis ratio adæquata; quaminibi (probabiliter) inveniendam eſſe ut monſtrare ſatagam, non abs re videtur obſervanda quædam paucula generaliora [c] [ex ſe quidem pleraque ſatis forſan obvia] circa relativam Medicamentorum ad Corpora noſtra, Succoſque incluſos, actionem (quantum ad præſens inſtitutum ſpectat) præfari, quo clariùs evincatur ſuppoſitionis iſtius probabilitas.

[d] Primo Igitur, quandoquidem conſtat nulla concreta indiſcriminatim in cuncta alia agere, verùm ſingula, prout texturæ, tam agentis quam Corporis, in quod actio imprimitur, ratio permittit; nota poterit ea, quorum *laxior* eſt compages, intus ſuſcepta, *promptiùs vim exerere*, quibus vero

(a) *Ut nec in Tertiam.* [b] *Sed in Quartam.* (c) *Conſiderationem præliminarem circa relativam Medicamentorum actionem.* [d] *Prima.*

strictior competit, *tentiùs*. Hinc multum discriminis interest, inter actiones *liquidorum* & *solidorum* assumptorum; ut nempe *illu* & liquoribus, quibus obviam fiunt, facilè se per totum admisceant, & in solidarum partium porulos, modo satis hient, promptè insinuent, unde levi negotio in alterutra imutando agant, modo cætera consentiant; *hæc* vero, priusquam vires suas exerere, notabiliter saltem, possunt, vel prævia quadam præparatione compagem solvi exigunt, vel saltem multum comminui, maximè, si compactioris, nec facile solubilis, sint texturæ.

(*a*) Secundo, Notari poterit ea, quorum particulæ *molliores* sunt *laxiorque compages*, intra Corpus admissa [in quo motu progressivo continuo urgentur] sicut compactioribus citius vires suas exerunt, sic *citiùs exolvi*, adeo, ut nisi vel intime possideant particulas valde energeticas, (hoc est, sicut valde minutas, sic & solidas & angulosas) vel sat magna copia exhibeantur, vel etiam talia non offendant, quæ earum vim retundant, ultra primas vias, vel saltem Sanguinem, actionem suam extendere nequeant, ad remotiores vero regiones fatiscunt. *Compactiora* vero ad has, *integris* ferme *viribus* provehi possunt, imo debent; quandoquidem & magis resistunt actioni liquorum, quibus primo admiscentur, & istorum commeatu prorsum usq; ad eas feruntur imo, quæ eas primo impetu perlabuntur, repetitis usq; & usque circuitibus tandem postliminio attingant.

b Tertio, Ad actionem Medicamenti determinandam; (talis præsertim quod in longinquum deportandum est, atque solidas partes afficiendas destinatur) particulariter consideranda est *figuræ* & *soliditatis* ratio; ut nempe quorum cum notabili *soliditate* multum *irregularis* figuræ sint particulæ, præterquàm quod fortius & inter fluidas substantias vibrentur, & in partium, ad quas appellunt meatus impingant, viam insuper aliis vel subtilioribus vel mollioribus, sat facile inter eorum prominentias & meatum latent, ubi semel in eos admissæ fuerint, concedere concipiantur; cum intereà quæ *molliores* & *flexilis* sunt genij, maxime si minus sint irregulares, paucisque angulis præditæ, hoc nomine vasa, vel obturare, vel præterlabi, aptæ natæ sint, nulla unde in ea impressio haberi potest.

c Quarto, Nec minus ad hoc momenti habet *aptitudo*, seu fluidarum substantiarum, quibus admiscendum venit Medicamentum, seu solidarum partium, ad quas deportandum est, *ad actionem* hanc *accipiendam* sicut enim inter illas & Medicamenti particulas, vel repugnantia, ratione figuræ & molis, esse debet, quæ luctæ occasionem det, vel similitudo, cujus gratia congrue coeant sic meatuum quoad mensuram figuras, aliaq; requisita, apta habenda est ratio cum secus vel mitotum istæ ab ingressu arceantur, vel indebito modo præ incongruitate officiat.

d Quinto, Perpendendum est, illuc ad Morbum quemvis perdomandum deportari debere Medicamentum, ubi *fomes* residet; adeo ut si viscus aliquod, vel artus, vel particularis aliqua alia pars afficiatur, universim consulant Medici, nec fallaci eventu, ut remedium ad locum sic affectum, si Morbi illic stabuletur causa, dirigatur, vel, secus, ad partem unde influit. Pari modo, si universum Corpus efficiatur, sicut rationi congruum est illuc, quà licet, derigendum esse Medicamenta, unde in totum influere; sic ubi talibus dotibus aliquod pollere deprehenditur, ut universalem usitatè, debellet Morbum, quidni concipiamus & hic deponi, & potissimum agere, undè influentia istiusmodi propagatur, eoque magis sit sat subitaneus effectus subsequatur?

(*e*) Ab istorum consideratione colligere licet, *Primò Cortice Peruvianum*, quan-

a *Secunda*. b *Tertia*.
c *Quarta*. d *Quinta*.
e *Illationes ad Corticis Peruviani effectum determinandum: Primo*.

quandoquidem, ut supra deduxi, particulæ ejus pro solidis, etiam ad ultimam suam Scenam, habendæ sunt, atque hinc ægrè dissipabiles, ultimam suam in Sanguinem activitatem statim impendere non posse, verum multos cum eo circuitus absolvere, antequam vires suas disperdat [id quod paulo antè Notavi;] [a] *Secundo*, ejus particulas, dum partium habitum permeant, sat facilè illic deponi posse, prout ad cavernulas [vel, si magis, poros] iis admittendis aptas natas in transcursu suo appulerint; quarum quidem permultas nequeunt non ubivis, præ insigni Corporis raritate, offendere: Ex his vero, *Tertio*, nullis æquæ huic muneri paribus occurrere posse, ac istis, quæ in *Cortice Cerebri* habentur; id; duplici ratione; imo, Quia *tenerrima* est isthæc pars, & proindè facilè crassiusculis & solidiusculis hisce Corporibus cedens, quia à Sanguine minimè subigi, nec cum eo exactè misceri queunt, facile divortium subeunt, inq; tales [ubi eo per circulationem delatæ fuerint] meatus, qui minus iis resistunt, facile penetrant; Secundò, Quia *angustiora* (uti saltem æquum videtur suspicari) sunt *capillaria* vasa Sanguifera quæ hic terminantur, quam quæ uspiam alibi inveniri datur, quandoquidem isthic loci secernendus est *Succus Nervosus* (imo si malles *Spiritus Animales*) subtilissimus in toto corpore Liquor: quo fit ut, ex Arteriolis cum suo Vehiculo, Sanguine, elapsæ istæ particulæ, ægre præ mole & figura (quam quadantenus angulosam & irregularem esse comminutionis ratio suadet) venularum cavitates hic loci actissimas, subintrare valeant, quin potius in juxta adsitos Glandularum Cerebralium, præfato Succo admittendo dicatos, porulos deflectere in proclivi habent, quoniam eos quam venarum (quarum, etiam Capillarium parietes præ istis rigidiusculi audire merentur) magis cedentes inveniunt, imo & præ sua teneritudine magis se figuris istarum particularum accommodare aptos.

(b) *Si quæratur* quomodo, quandoquidem longe maxima Medicamentis pars si in substantia exhibeatur) per Sedem amãdatur, reliqua vero, quæ venas subit, usque adeo distrahitur, perque totam distribuitur Sanguinis massam, ut valde exigua, Arteriarum considerata proportione, ejus portio ad Cerebrum deferri possit, tantilla ejus (& quidem satis, ut videtur, inertis) quantitas, quæ inter Sanguinem illò deportatur, tanto effectui producendo par esse possit, *Responderi*, forsan haud prorsus incongruè, poterit quod, quoniam juxta Nervorum originem deponitur (qui licet angustis cancellis hic coercentur, toti tamen Corporis notissimam, & quidem instaneam fermè influentiam imprimunt) perpusilla Medicamenti quantitas hic deposita ad grandes effectus in partibus hinc actuatis producendos sufficiat: sive enim effectus ratio à Nervorum constrictione, unde ad debitum tonum prius laxati redeunt, deducenda sit, hoc facilè ubi omnes compinguntur & compatiuntur, præstari potest; sive à particularum Medicamenti in eorum tubulos admissione pendeat, constat pauculas admodum in tam exilia vasa receptas grandi effectui producendo pares esse posse, quoniam singula totam ferè cavitatem [exceptis quæ puro Succo Nervoso & Spiritibus transmittendis inter earum Angulos interjacent spatiolis] saltem statim ad ingressu, occupant, atque hinc materiæ Morbificæ introitum negant, unde si vel unica in singulos Nervulos particula forsan penetret sat erit ad effectum, qui per totum eorum tractum sentiatur, inducendum. Quin insuper nil impedire videtur quo minus, quæ uno circuitu alio deferuntur ejus particulæ; huc postmodum, rara *Circulationis* lege, perduci possunt; atque sic tandem ut, repetitis & circulatione & pulveris exhibitione, præfata ratione compleatur effectus.

(a) *Secunda* [b] *Tertia. Objectioni de perpusilla quantitate Medicamenti quæ in Cerebrum deponitur. Respondetur.*

(a) Designato sic operationis Stadio, proximum est ut aliquantò enucleatiùs tradam, quoniam, juxta præfatam suppositionem, *agendi modo* vires tam notabiles exerat *Cortex*: Quod quamvis *Jam* præstitutum quis censeat; quoniam tamen minus apte forsan contexta habetur quę Hypothesin constituunt, utpote propositæ methodo satisfiat, par est ut saltem in summam totum negotium redigam, unoque sic quasi intuitu videndum ob oculos *ponam*, *Idcirco*, conjicio, quod, ubi primum In Ventriculum admissum fuerit isthoc Medicamentum, actione Stomachalis Fermenti (Succi scil. ex Glanduloſa tunica in ejus cavum exsudantis) quod cuncta statim adoritur assumpta, comminuantur laxiores, faciliùs proinde cedentes, ejus particulæ; ex quibus, tot ad trajiciendos Chyliferos meatus in Intestina hiantes aptitudinem hinc nanciscuntur, intus solito Chyli itinere in Sanguinis feruntur gurgitem, ab hoc (non secus ac lympha qua cum in transitu suo congressę sunt) ulteriorem identidem comminutionem passę, pariter ac ipsi robur, ut supra innui, afflantes, ejusve forsan crasin quovis modo immutantes. Sanguinis commeatu istę, quibus contigerit cum hac ejus portione, quę ad Cerebrum tendit, commiscери, illo delato, in Glandulas ejus Corticales, earum osculis satis apte respondeant, modo novissimè explicato deponuntur, atque inde pars, more Succi Nervosi, in ipsum Cerebri Medullium (ex primis Nervorum staminibus, exinde identidem amplificandis, conflatum] in sequentium protrusione, & motu partium Systaltico, urgentur, in quo quæ ductuum angustia, lentaque illa protrusione lentissimè moveri necesse habent; pars crassior aliquandiu in ipsis Glandularem istarum demeaculis hærent. Dum isthic commorantur, partim præ angulis, quos ex soliditate & constructionis lege sortiri supposuimus, leniter partes ambientes ad contractiones sollicitant [quas membranosa conflari textura nemo, opinor, negaverit, & proinde aliquantulum ab has ab irritatione proclivas] unde laxior earum tonus emendatur, partim, insuper subingressuris crassioribus & heterogeneis è Sanguine particulis, quas (ut in allata de his affectibus producendis Hypothesi monstrare conati sumus) materiam Morbificam constituere arbitramur, hinc aditum denegant; interea ut præ irregularitate sua sat viæ, inter earum interstitia & vasorum horum latera, subtilioribus ex Sanguine particulis, quales in liquorem Nervosum facessere solent, ad perennanda Sensus & Animalitatis munia concedant; partim denique, quæ ex illis maxime subtiliantur, se Succo Nervoso continuò progredienti associant, interque illius particulas motitati, & ab indebitis cohæsionibus interpositione sua arcent, & motu æquabiti, cum sat illis congruæ sint, urgent, quin insuper, prę majori soliditate quam quæ illis competit, atque angulis, quorum ministerio ad Corpora minùs compacta comminuenda aptantur, ipsas ulteriùs dividant, atque hinc subtiliores, & usibus designatis aptiores reddunt. Hoc facto, quamvis, ut quandoque fit, proximè secus invasurus Poroxysmus non inhibeatur [maximè si paulò ante Paroxysmum prima vice detur] quandoquidem materia Morbifica, prius admissa & maturata, ad eruptionem parata in proscenio stabat; sequens tamen, ut plurimum, vel præcavetur, vel saltem mitiùs invadit (nisi nimis propè, ut dixi, à Morbi initio, quando omnia sunt cruda, vel etiam Sanguine multùm impuro, propinetur) eò quod isti ab ingressu præcludantur viæ à Medicamenti particulis, & tonum partis quadantenus hac intercapedine roborari credibile sit. Unde tandem fit, ut continuata exhibitione [imo quandoque post unicam dosin] ad constitutionem debitam redeant Vascula ista, atque hinc ut, prę-ciso sic fomite, statim, vel saltem brevi, in totum evanescant Paroxysmi.

Supra quidem innui *Medicamenti particulas* adhuc *in Ventriculo commorantes* multum ad sistendum Paroxysmum opis conferre posse, Nervos illic sitos &, eorum

[a] *Quartò, Agendi Modus.*

rum consensu, totum Systema Nervosum, invigorando. Verùm cum ista nimis evanida sit agendi ratio, ad constantem sanitatem inde expectandam: cum porrò motis è ventriculo Medicamenti particulis, nisi quid ulteriùs præstarent in Corporis penetralia delatæ, suspicio obortiatur & Nervos tensionem illam brevi remissuros; cumque insuper ratio modo assignata & facilis, & constans, videatur naturę regula ad effectum solidum producendum, huic potissimùm innitimur.

(a) Disquiramus jam tandem, an huic Hypothesi quadrent *de usu Corticis* in limine *Observata*, quæ si indè probabiliter explicari valeant, argumento forsan erunt, eam non prorsus ineptè excogitatam fuisse.

Ex his *primo* aliqua parte satisfactum censeo ex noviſſimè dictis. Quod verò ad *limitationes* assignatas spectat; videtur quod dum in morbi initio, crudioribus existentibus, hoc est, non satis in compage latis, Succis, vel etiam ubi magna adest horum suburra, exibetur cortex, nequaquam vel prima dosi satis subigi & comminui possit, vel si quibus ex ejus particulis id obtinuisse contigerit, se in Cerebro à crudorum istorum, vel aliter vitiatorum in Sanguine luxuriantium, consortio extricare valeant, ut in meatus Cerebrales vel debite, vel sat magno numero ad effectum producendum, viam inveniat: quin eveniat quandoq; ut, cum istis humoribus subintrantes, paxillorum ritu eos tantò arctiùs loculis his compingant; unde nec *Spirituosi* destinati *Succi* [quem par est comminisci ad functiones Animales; explicandas] per ipsum Cerebrum commeatus, nec ejus in Systema Nervosum debita distributio haberi potest, sicque necesse erit ut Nervosa quamplurima huic emergant Symptomata. Imò dum in Sanguinea massa adhuc hospitantur istius Medicamenti particulæ, conjicere licet, quod materiæ heterogeneæ copiosè in ea congestæ debitam maturationem (inter ejus particulas spiculis suis se ingerendo, sicque à mutuis congressibus ad hoc opus necessariis arcendo) atque hinc exterminationem, impediendo, eam proinde tantisper detineant, donec laxata universin Sanguinis crasi Febris *continua*, vice intermittentis, inde tandem excitetur.

(b) Ex eo quod *nulla notabilis evacuatio* ejus exhibitionem subsequi soleat, interea ut sedetur Morbus, deducere forsan licebit, *imò*, Quod quandoquidem evacuationum materia ex Sanguine, maximam partem, proveniat, vix verisimile videatur illic materiam Morbificam formaliter stabulari, cum si ita res esset, vix sedaretur Morbus nisi extrusa causa atq; parum probabile apparet tantulam (si satis, ut supra stabilire conati sumus) Medicamenti quantitatem in sanguinem, & per magna id proportione superantem, & in vasis valde amplis (comparatione ad alia habita) contentum & gyrantem admissam hanc corrigendo solùm rem præstare posse: *Secundò*, Proinde, quod in talem substantiam agat, quæ & in evacuationibus concitandis efficiendis munere fungitur (quod quidem Succo Nervoso competere, olim *Tr. de Secretione Animali* adstruere conati sumus) cujus propterea pacationi, ubi ad has ultra modum invehendas ab admissa quavis irritante materia instinctum nacta fuerit, allaborandum; & cui propriorem aliquam gerat proportionem ratione quantitatis, quam ut dixi, ad Sanguinem habet; qua cum porro in ejusmodi vasis coercetur, unde nec ejus particulæ ab invicem nimium disgregentur, nec facilis & subtus nimis, vel illis vel quibusvis ante reconditis substantiis, egressus detur; o qu fiat ut sat illis, genio à commotionibus molestis ciendis alieno præditis, moræ ad una concluſas subigendas; vel si quod aliud iis demandatur pensum exequendum, concedatur. Si vero contigerit aliquando, ut *illius usum evacuatio* aliqua *subsequatur*, non hoc Medicamento, tanquam solemni illius effectui,

(a) *Quinto. Phænomenon & observatorum solutio juxta Hypothesin. Cur Corticis perexhibitio præmatura, vel non succedat vel quandoque damno sit.*

[b] *Cur morbus sine evacuatione ab hoc medicamento disparent.*

fectui, jure adscribendum videtur, cùm perraro eveniat; sed potiùs importunæ administrationi, vel insigni Sanguinis, aliorumve liquorum, concitationi, qui à quovis heterogeneo, quantumvis leni, admissio in motus enormes, ante, conturbati, non raro pelluntur, vel etiam alicui idiosyncrasiæ (quales quibusdam hominibus competere, dum certæ aliquę offeruntur substantiæ, frequentia authorum testimonia, imò cujusvis pene observatio fidem faciunt) imputandum erit. Porro quando evacuationes isto exhibito sedari contigerit, hoc meritò imputandum videtur eximiæ ejus in Nervosum genus energiæ: quamvis enim Sanguis aliive præcedanei liquores commoti materiam his præbeant, attamen Nervosas partes lacessendo sortiri ex eo deducere licet, quòd [præter id, quod de *Fermento Secretorio à Nervis oriundo* olim notavimus] harum solummodo ministerio partes Secretorię in contractiones expulsivas aguntur. Porrò Nervos quovis modo irritatos varias non raró evacuationes ciere, ex Diarrhœa à subito terrore ad quam nonnulli, satis recta utentes valetudine, proclives sunt; salivationibus, nedum à medicamentis Mercurialibus oblatis (quæ Sanguinem vix, comparatione ad effectum eorum in Nervos, impense afficere consentiunt Medici) sed vel ab ingrati Medicamenti hauriendi conspectu, obortis, Sudoribus, Urinave copiosissimis hypochondriacorum (quorum quam multis Nervosum genus, præ venoso ejusve contentis, malè habere testatum faciunt Symptomata) colligere obvium est. Cùm ergo Medicamentum has sedaverit, in promptu est conjicere, id hoc præstare in istas substantias, quæ eas concitant agendo sive id fiat manus iis injiciendo (hoc est vel activitate sua obtundendo eorum angulos, vel sic iis sese applicando, ut hinc majores moles, novasque, & minus noxias, figuras induant) sive in textura conturbatas in ordinem redigendo, sive viam iis in Sanguinem erupturis præcludendo; aliove quocunque modo eas afficiendo.

[*a*] Quòd post aliquot periodos debellari visi *Paroxysmi redeant*; hinc pendere videtur; quod quæmadmodum admissæ in corticalem Cerebri substantiam vel Nervos Peruviani Medicamenti particulæ haud citò [cum quodam modo, ut dixi, irregulares & rigidæ sint, licet non usque adeo ut molestiam creent] ex tenerrimis eorum conceptaculis exterminari valeant, ubi dum commorantur particulas Morbificas ab ingressu arcent, unde persanari per spatium plurium Paroxysmorum videatur Morbus sic quando vel longa ejus ante oblatum remedium duratione, vel præ causæ cujusvis violentia, vel etiam dum aeris intemperies; ut in epidemica constitutione fit, usque fovet effectum. Nervosum genus apud originem suam laxum adeo & labefactatum fuerit, ut ad pristinum non ante restituatur tonum, quam istæ, ut exantlatæ & exclusæ fuerint particulæ crassiores [quales in omni, vel saniissimorum, Sanguine scatere verisimile est porulos Cerebrales, eosdem quo ante modo constitutos, atque jam nupero hospite liberos, offendentes, necesse habeant in eas ingressum capessere; unde pari ac ante modo in posterum progredi debet Morbus, cum omnia eodem ritu quoad Nervos cõstituta sint. Quocirca necesse est, ut sæpius repetatur Medicamentum, quo sic identidem sufficiantur ad partes præfatas, nondum perfectæ sanitati restitutas, novæ copiæ, ut saltem Morbus ad idoneum magis anni tempus, quod plenæ faveat sanationi, proteletur.

[*b*] Cur ab *exhibitis Catharticis*, saltem fortioribus, quandoq; redeant Paroxysmi, ratio sat congrua mihi videtur; quod horum particulę drasticę facile se inter circulandum cum Sanguine in porulos Corticis Cerebri ipsiusque Systematis Nervosi, ubi Medicamenti hærent particulæ, insinuare possint, hasq; ex loculis suis extrudant; unde in posterum in istos, sic ampliatos. Morbificæ materiæ denuò con-

(a) *Cur Lecto affixi raro lavamen ab hoc medicamento sentiant.*
(b) *Cur Cathartica præpopere exhibita Paroxysmos quandoque reducant.*

concedatur ingreſſus: quin inſuper non mirum partes has, priùs debiles, ab his tantopere aculeatis (prout fas eſt conjectari) magis uſque labefactatum iri (quemadmodùm multoties vel ſanis à talibus exhibitis accidit) adeoque multo, quàm ſecus eveniſſet, curatu difficiliorem reddi effectum.

(*a*) Quod multos fallat expectatio levaminis, dum per hujus uſum *lecto abſtinere nolunt* hinc deducibile videtur; quod partim præ laxitate glandularum quibus, fere, conflat cutis [quod quoque omnibus præterea partibus uſu venit] partim ſtragulorum mulcedine, pori uſque adeo pateant, ut, tranſpiratione ſolito magis procedente, multæ particulæ Medicamenti, ſecus ad Cerebrum deducendæ, hac viam foras capeſſant; quæ vero illuc pertingunt ſe in venas præ iſta laxitate nunc magis hiante ſat facile cum reliquo Sanguine recipiant; unde in laterales quos dixi, in Cortice Cerebri receſſus; ad Nervos ducentes; minus apte deflectere poſſunt.

(*b*) Ex eo quod *cum Acidis* vel *Amaris* propinatum *magis conſpicuos* prodat *effectus*: in promptu eſt colligere, magis hinc compingi, & rigidas reddi ejus particulas, atque inde magis ſtipticas evadere, ſaltem iſta unà aſſumpta calculum ſuum ad effectum conferre, quandoquidem & vim illis Febrifugam competere etiamnum, pariter ac olim data fuit, credimus. Quam quidem energiam in Nervoſum genus potiſſimùm exerceri hinc ſtatuminari forſan poteſt, quod inter Specifica pro Cerebro & Nervis roborandis nuncupata, pauca reperienda ſint, quæ aliqua ſtypticitate non pollent; quorum & nonnulla inter Febrifuga habita fuerint. In quibus & Febrifugis, utpote Centaurio, Gentiana, Pentaphyllo, Alumine, *&c.* ante Cort. Per. repertum, vix minùs ſpei locatum fuiſſe quàm nunc in hoc, notum eſt, quæ quamvis hodie inferioris multo claſſis eſſe deprehenduntur quid vetat tamen quo minùs famulitio ſuo talia ex his iſti in effectu producendo, opitulentur, quæ nullam aptipraxiam noxiam, qua imminuantur ejus vires, exercere obſervantur: maxime quoniam, ſi in liquida forma propinentur, vehiculi loco inſerviant, quo citiùs & certiùs intus, ubi ſtativa ponit Morbus, devehant: Quin contemptus Veterum & novitatis invidiam, a quibuſdam, quibus nil fere ſapit, niſi quod ex Libris *Hippocratis*, *Galeni*, aliorumve ex Antiquis (quorum ſane, utpote primorum Medicinæ luminum, veneranda ſemper eſſe debet memoria] hauritur, imputari ſolitam amolietur Seculum, dum ab iis tranſmiſſa neutiquam repudiare notabitur.

(*c*) Quod tandem citiùs *poſt Intermittentes quam Continuas redeat* priſtinus *vigor*, pro argumento haberi poteſt (obiter) illas in Nervoſo genere fundari, non vero in Sanguine, harum ſtatione, cum vigor Corporis a debita ſolidarum partium, ex Nervis oriundarum, conſtitutione potiſſimùm pendeat; illius ergò correctis anomaliis, non mirum eſt reſtituendum cito fore robur. Quod vero in ipſis Intermittentibus *ad Hoc, quàm aliis Febrifugis* ſalutariter exhibitis celerius redintegrentur vires, hinc pendere videtur, quod ejus particulæ in Nervis & præfatis cellulis diutius commorantes, continuo eos ad ſeſe contrahendos placide ſollicitent, atque ita ad perfectã toni firmitudinem ſaltem ſimulandum: quæ tandem niſi gravioris impedimenti quiddam obſtet, præ nixus iſtius aſſiduitate, his exturbatis, brevi in perfectam redit. Quin porro & hac mora puriori ſolum Succo inter particularum Medicamenti (figuræ multum irregulatis ut ſæpius notavi) & Vaſorum latera tranſfixus, ut etiam innui, conceditur; unde identidem grato & familiari liquore remotiores eorum tractus referciuntur, quo & tenſitas & cætera animalia munia celerrime reſtituãtur. Cum intereà quæ alia quavis medendi ratione rem præſtant, quoniã ſtatim Nervos deſerunt, opem cito evanidam ſolum præbent. Unde tono, licet aliquan-

[a] *Cur paroxiſmi Cortice peruviani ſedati quandoque redeant.* [b] *Cur cum acidis vel amaris Cortex exhibitus efficacior deprehendatur.* (c) *Cur hoc medicamento curatis quàm aliis celerius redeant priſtina vires.*

quantum constricto, nondum tamen confirmato, verùm se subinde laxante, pluisculum heterogenearum particularum cum Succo laudabili necesse habet una subingredi, quo pacto & diu impediatur debita istarum partium constrictio, & ipsi Succo Nervoso, minus hinc puro, non licebit functiones Animales rite mox obire; donec tandem natura, aliis plerumque subsidiis adjuta, debilitatem lentè superaverit.

Si quæ alia circa *Corticis* administrationem peculiari observatione digna censeantur, vix dubitavero quin æque facilem, atque hæc, solutionem ab eadem *Hypothesi* juxta hanc Normam admittant.

(a) Ut verò tandem hæc, quæ de *grandi hoc specifico* Theoreticè sic protuli, ad Praxin quadantenus accomodem, subnectere liceat, Rationi congruum videri (id quod vix dubito quin à quorumvis Medicorum Experientia comprobetur) *Evacuationes*, minimè vero per *Vomitionem*, Corticis exhibitioni *præmittendas esse*; nisi forsan vel magna debilitas, urgentia Symptomata maturandam esse suadeant: *tam* nempè ad eluendam saburram quæ in primis viis, potissimùm vero Ventriculo, non raro hospitari solet, atque efficaciam ejus secus pessundet, *quàm* ad laxiora recrementa Sanguinis exturbanda.

Idcirco, quod ad *Vomitoria* attinet; quandoquidem non omnes homines æquè facile Vomitionem subeunt, his *Antimonialia*, utpote *Infusum Croci Metallorum*, *Sulphur. Antimonii*, *Tartarus emeticus*, &c. illis *Sal Vitrioli*, *Oxymel Scylliticum*, &c. pro cujusvis euphoria, porrigantur. Quod vero ad *Purgantia*; *Leniora* solùm propinanda suaderem, utpotè *Decoctum amarum*, *Sennæ*, *Cassiæ*, *Mannam*, juxta vulgo natas formulas; quin pilulari forma, *Pilulæ Tartareæ*, *Stomachicas*, vel similia; *Drastica vitando*, quæ nimiam forsan conturbationem cieant.

Modum exhibendi quod spectat; Quamvis Medici, qua forsan ut solertiam suam ostentent, qua ut ægrotorum sive palato, sive antithiis morem gerant, varias excogitarint præparationes atque formulas, efficaciissimè tamen *in substantia* datur (sive in pulvere, vehicula alicui admiscendo, sive in boli, vel pilularum forma) quemadmodum primitus exhiberi solebat. Quippe hoc modo diutius in Ventriculo commoratur; quo fit ut particulæ ejus à Fermento stomachali jugiter & comminuantur, & cum ingestis alimentis & liquoribus commisceantur, cum Chylo usque & usque intus convehendæ, quo pleniora Morbo edomando Supplementa Cerebro suppeditentur. Cui quoque usui decocta ex *Amaris* specificis [prout supra notavi] aliave vehicula quæ, *a noja* forsan ipsa; comminutas debitè saltem diluant, multum conferant. Et quidem mos obtinuit, nec absque ratione, ut & sat largis dosibus, utpote *drachmæ* pondere adultis, propinetur, & eadem dosi tertia vel quarta qualibet hora, iteretur, quo effectui producendo & idonea intus deportetur quantitas & jugi tenore suggeratur, ut sic novarum usque copiarum superinductione tanto certius opprimatur hostis. Cùm vero plures ubique dentur, qui *in specie* assumere nolunt, hi *Decoctum* ejus (in aqua factum) haurire poterunt; sed *benè saturatum* quippe quod paucas tantum particulas, præ comparativa earum crassitie, in poris suis recondere valet *Aqua*, nisi longa coctura tam hi dilatentur, quàm ulterius hac arte comminuatur *Pulvis*. Cui quoque effectui conducere mihi videtur, ut in subtilissimum pollinem hic redigatur, antequam coctioni exponatur, quo sic copiosiùs minutiores ejus particulæ ab aqua excipiantur. Et quidem nisi *dupla*, ad minimum, imo forsan *quadrupla*, quantitate [nisi exquisite ante comminuas (qua in substantia exhibetur) coquendum exponas, vix voti compos fies, quamvis enim promptius forsan in Sanguinem coctura præparatus admittatur, pauciissimæ tamen hinc ad sedem Morbi, *Cerebrum* scil. pertingere possunt ejus particulæ; cum paucæ omnino,

(a) *Considerationes practicæ circa usum Corticis Peruviani.*

no sic in Sanguinem ipsum ferantur, quarum, & maxima pars ab eodem retinetur, vel ad alias Corporis regiones deflectit. Huic Decocto si vel *Vinum* in subtripla forsan, vel subquadrupla proportione addatur, vel *aqua* aliqua *spirituosa*, utpote *Aq. Gentianæ composita* at in minori, imò quandoque *Acidum* aliquod nempe *Succus Limonum*, *Aurantiorum*, *Spir. Vitrioli*, *Gas Sulphuris*, &c. vel Sal aliquod *Alcalinum*, utpote *Tartari*, *Absynthii*, &c. prudenter juxta debitas Indicationes admisceatur, Ventriculo flaccido, vel depressis aut exaltatis Fermentis, provariis eorum dyscrasiis, commodius subveniatur. Sin ad Diarrhœam pronus fuerit ægrotans, parerit ut vel *Laudanum*, vel *stypticum aliquod* una propinetur.

Porro opportunum videtur, ut post devictor Paroxysmos, *ad plures dies*, duarum scil. vel trium periodorum, quæ invadere solebant, decursum *continuetur* Medicamenti exhibitio, quo sic præsto sint in Sanguine *novæ Copiæ*, in *priorum* conceptacula, quæ dixi, in radicibus Nervorum per Corticem sparsis admittendæ, si antequam debitè roboratæ fuerint has extrudi contigerit: Imò & *post Decendium* repeti non sine causa in usu est, ne defectu Antidoti in procinctu diversantis recrudescat Morbus.

(a) Quanquam verò primitus *solis Febribus Intermittentibus* sanandis adhibitum fuit *Hoc Medicamentum*, nunc dierum tamen ad *plerosque Chronicos Morbos* curandos, præsertim qui intermissionem subeunt, in usum trahitur; & non rarò exoptato successu. Quod quidem mihi, saltem arguere videtur (ignoscite *Hypothesin propriam*, ut solent Parentes Liberos, nimium forsan adamantes) nedum *Intermissionis*, quæ in Morbos deprehenditur causas in *Nervoso genere* quærendas esse, sed & vel eorum (plerorumque saltem) *Mineram hic* sitam esse; nisi aliis & fortioribus argumentis constiterit alibi delitescere.

[b] Coronidis loco unam vel alteram Historiam attexere placet, quæ vel ad Medicamenti allatum Rationale vel, Morbi sedem assignatam stabiliendum faciant.

Primam resulit mihi Reverendissimus Præsul, D. D. *Gilbertus Ironside*, Episcopus *Herefordiensis*, Scil. cùm olim Rev. Vir Febre Intermittente din laboraverat, pluraque alia in cassum tentaveram remedia; tandem ad *Corticem Peruvianum*, Medici sui consilio, perventum erat. Quo vesperi sumpto, somnoque mox obrepente, non ita multò post in insolitam *Insomnium* incidit, quod quidem vividam adeò menti ejus Ideam impressit & reliquit, ut distinctissimè, imò satis molestè, ejus recordationem à somno excitatur retinuerit; quod perraro alias unquam contingit. Ab illo vero tempore Febribus prorsus evanuit.

Quæ quidem observatio *Scenam* actionis hujusce Medicamenti *in Cerebro* haberi mihi non obscurè indicat, imo mea jam modo prolata sensa cumulatissimè confirmare videtur. Quippe (ut rationem aliquam hujus Phænomeni assignem) ubi Medicamenti particulæ ad Cerebrum cum Sanguine inter circulandum delatæ, inibique ab isto in Corticali regione secretæ fuerint atque in angustiores ejus recessus penetraverint, *tum* parietes Vasculorum aliquatenus irritant, adeoque tanto fortius ideas eorum, quæ inter dormiendum obversantur impingunt; quo fit ut æquè firmiter ferè excitatum hæ afficiant, ac si ab externis objectis immediate invectæ fuerint; *tum* hac impressione, quicquid incongrui has Cerebri, ubi agunt, regiones obsederat, exturbari faciunt; unde molesta, dum hoc transigitur, sensatio interna nequit non invehi: Dum vero ulteriùs in Nervorum propagines traduntur, sicut penitiorem Animæ Alam ab earum lacessentibus vibrationibus liberam [linquentes quietem magno Incolæ reddunt; sic porro crassiusculis, quas pluries memoravi, & heterogeneis particulis in Nervos ingressuris viam præpedientes, invasiones secus subsecuturas præcavent.

[c] Alteram Historiam Celeberri-

mus

[a] *Morbos plerosque Chronicos in Nervoso genere fundatos esse probabile videtur.*

[b] *Historias.* (c) *Historia rata.*

mus Doctiſſimuſque Dr. *BlacKmore* mihi narravit de quodam *Tertianario*: Cui, cum Paroxyſmi Febriles *Catharticis Peruvianis* repetita exhibitione ſublati fuiſſent? dein vero poſt menſem, circiter, recrudeſcerent, eodemque Remedio rerum fugarentur; Periodo immediatè ſequenti meræ Convulſiones Epilepticorum æmulæ, ſucceſſerunt; *eundem* omninò, quem Febris *Tertiana Typum* ad plures periodos ſervantes, adque horas, præterpropter, quatuor ſingulis vicibus durantes; Quas tandem ille, in aere verſatiſſimus, partim *Evacuantibus*, partim *Antiſpamodicis* brevi ſuſtulit.

Quæ inſuper Hiſtoria Hypotheſin meam ſupra exaratam: *de Intermittentium ſede*, non parum confirmare videtur, Unde enim fit quod, maturis tantummodo Symptomatis, Spaſmi (quos omnium ſeculorum conſenſus in Cerebro locavit) parilia cum Febre Intermittente ſtadia obſervaverint, niſi eadem utrique affectui competat Sedes; Cujus (inſolitæ ſanè) Metamorphoſeos rationem ut breviter, ſecundum ſupra allata reddere conet, in memoria revocandum eſt, velle *Hypotheſin meam*, materiam Febrilibus paroxyſmis producendis dicatam, poſtquàm Cerebrum trajecerit, in omnes Nervorum Fibrarumque tractus ſat libere diſpenſari debere, atque in illis lente ad menſuram turgeſcentiæ matureſcere: quo fiat ut, cùm tam late diſpergatur iſthæc minera, non uſque adeò in Cerebrum ipſum ſæviat, quandoquidem turgeſcentiæ inſtinctus, quantumlibet iſthic inceptus, facili negotio extrorſum ad ipſos vaſorum horum, eundo ampliatorum, materia uniformiter maturata refertorum, terminos brevi propagari valet. Atque ſicut Paroxyſmorum ſolitum, juxta modo dicta, recurſum, ſic pariter Symptomatum ſeriem regularem, ſat facile explicari poſſe cenſuerim. Horum medelam à particularum *Corticis* in radiculas Nervorum intruſione haberi ſuppoſui; dum ſcil. craſſiori materiæ Paroxyſmos in poſterum inducturæ aditum ſic negant; ubi tantiſper hærere autumem, donec Tono ſenſim reſtituto & hæ prorſum latæ extrudantur.

Quibus ſic habentibus; ut ad *Caſus ſolutionem* accedam; ſupponere liceat, quod, ſi ultimo admiſſæ *Corticis* particulæ non in quidem in Radicum meatibus, nimis adhuc, præ Tono nondum reſtituto (id quod recurſus Morbi poſt menſem indicat) parentibus, ſed illos præterveſtæ in Nervorum Spinalem Medullam conflantium principio hæſerint, quamquam aditum Morbificæ materiæ Cerebrum ingreſſuræ minime negant, ulterius tamen progreſſuræ obicem (juxta leges aſſignatas) ponant, adeò ut nulla ejus utpote neutiquam admiſſæ, congeſtio in Fibrarum toties memoratis tractibus haberi poſſit, nec proinde ad uſitata Symptomata diſpoſitio. Interea iſthæc in Cerebro partim congeſta, partim in *Par vagum* depoſita [Cujus quidem Ramorum cæteris amplior cavitas facilem *Corticis* quas admiſerant particulis tranſitum præbeat, quæ ad eorum extrema ſerpentes inibi coerceantur; quemadmodum ſuſpicari licet Paroxyſmos Hyſtericos in longum productos obſtruenti alicui materiæ circa Nervorum horum confinia hærenti durationem ſuam debere) acciditatem ſolito modo acquirat, Cumque ad erumptionis acmen (juxta præfatam pro Typis ſolvendis rationem) pervenerit quandoquidem in Spinalem medullam præ *Corticis* particulis, illic, uti ſuppoſui, aditum munientibus, erumpere non poteſt, in ipſum primò Cerebrum, dein, inſtinctu hinc dato, in Præcordia cæteraſque quas Per vagum perreptat partes lancinando ſævire concipiatur; unde eadem Symptomata, quæ in Epilepticis affectibus ſine hujuſmodi prophaſi emergentibus obveniunt, producta iri quid vetat? Quæ quidem Symptomata tantiſper perſiſtere & redintegrari forſan concipiantur, donec partem idoneorum Purgantium vi è loculis ſuis extruſæ fuerint Corticis particulæ, partim Antiſpamodicorum aliorumve Corroborantium energia, tam reliquiæ Fermenti Convulſivi poſt Paroxyſmos deliteſcentis ſubactæ fuerint, quam Tonus Cerebri reſtituatur, ad quæ ambo penſa ſubeunda hujuſmodi Medicamenta multum aptata videntur.

GULIEL-

GULIELMI COLE M. D.

DISSERTATIUNCULA DE MECHANICA RATIONE PERISTALTICI INTESTINORUM MOTUS, EX OBSERVATIONE ANATOMICA

Qua Oſtenditur.

Fibras, quæ pro Annularibus, habentur, eſſe revera Spirales.

DE SPIRALIBUS INTESTINORUM FIBRIS.

Sequentes Obſervationes à me ante ſedecim Annos, Anno nempe 1676. in ſolemni Conventu Auguſtæ Societatis Regalis *ad Philoſopham Naturalem promovendam inſtitutæ apud Collegium* Greshamenſe Londini *exhibitæ, in Tranſactionibus Philoſophicis Menſis* Mali *ejuſdem Anni à Clariſſimo Domino* Oldenburgio, *Societatis tunc temporis Secretario,* Anglicano *idiomate evulgate fuerunt. Quas quoniam nondum Civitate* Romana *donatas, ſaltem paucis vel* Medicis, *in hac regione auditas eſſe conſtat, placuit quibuſdam Doctiſſimis amicis, quibus ut fit, arriſerunt, exigere, ut eas in* Latinam Linguam *transferrem, atque prægreſſæ Diſſertationis calci ſubjungerem.*

DUm ante biennium, ferè, Sermones de *Mechanica Periſtaltici Inteſtinorum motus ratione* cum Viro Doctiſſimo conſererem, quam Anatomicorum gens potiſſimum ab *Annularibus Fibris*, alteram ex tunicis eorum propriis (una cum *Rectis* eas immediatè ineſtientibus, quas tamen, obiter in diſtinctam conficere cenſeo) conſtituentibus deducunt; *Ille* in hanc ſententiam

ivit

vit [quam & aliis ſibi notis Viris doctis placere dixit] eas potius pronumeroſis, exilibus licet, *Muſculis Sphincteribus*, quam diſtinctis *Fibris*, habendas eſſe, quibus motus iſte adſcribendus venit: quandoquidem *Muſculi* pro adæquatis motuum, huic Analogorum, ſaltem longè plurimorum, inſtrumentis agnoſcuntur; *Fibræque*, quamquam omnino neceſſariæ ſint, ea tamen ſolum ratione, quod ſat magno numero collectæ, apteque diſpoſitæ, in *Muſcularem compagem* coeant.

Conjectura iſthæc Opinione recepta mihi magis arridebat. Verum (ſit alterutrius Patronis honos) utralibet admittenda fuerit, mihi plures occurrebant difficultates.

Primò enim, ſuppoſito, ſive fibræ ſint, ſive Muſculis, ab invicem *diſtincta* eſſe, quod in *annulari* phaſi neceſſariò concedendum eſt; quæri poteſt, quomodo vel *Actuans materia*, vel) juxta doctorum quorundam virorum ſententiam) *Impreſſio* à ſuperioribus ad infima per totum Inteſtinorum Tractum tranſmitti valeat; quandoquidem Naturæ, ob motum Animalem propagandum, ſolenne eſſe deprehendatur, *Continuationem fibrarum* (ſive concavas eſſe volueris, ſive ſolidas) à parte unde incipit, ab iſtam in qua terminatur haberi; utrum Actuans aliqua transferenda ſit ſubſtantia an ſola Impreſſio: Cùm vero nulla talis, in ſuppoſitione Annulari, concipienda ſit, ſive Vaſorum, ſive Fibrarum continuatio; aſt lateralis ſolummodo contiguitas, alia quærenda venia ratio, quomodo ſub iſtiusmodi phaſi res tranſigenda foret. Hanc ergo à *mutuis* inter contiguas Fibras *inoſculationibus* quis forſan deduxerit, quarum medio in adjacentes uſque ſeries tranſmitti ſupponatur influens movenſque materia. Verùm adverſus hujuſmodi ſuppoſitionem mihi in mentem venit oggerere.

Secundo, *Hanc* neutiquam Naturæ methodis congruam videri: quæ *Vaſorum* (eorumque &, *ſtrictorum* &, quantum patitur uſus & organizatio partis, *directorum*) miniſterio fluidarum ſubſtantiarum per Corpora Animalium diſtributionem moliri ſolet, non *emiſſariorum lateralium*; niſi forſan ubi grave aliquod incommodum hujuſmodi artificio averrũcandum venerit; prout *e. g.* Anaſtomoſeous medio, quæ inter Arterias, Venas atque venas, hic illic deprehenduntur, quippe ſi in iſtis vaſis, quæ Sanguis largo atque rapido tranare debet flumine, obſtructio alicubi contingeret, obvium eſt Circulationem, tantopere ad vitam neceſſariam ſtatim interceptam fore, niſi lateralis aliquis concedatur tranſitus. Cujuſmodi tamen fabricæ paritatem vix in præſerti inſtantia comminiſci licebit: utpote quoniam iſtæ aperturæ ſolummodo concinnati videntur, ut ſtagnationis periculum in caſibus extraordinariis præcaveatur; Fibrarum autem annularium laterales inoſculationes (juxta hanc ſuppoſitionem) pro ſolemni & neceſſario actuantis hujus materiæ commeatu habendæ forent. Veruntemen.

Tertio, Difficillimum mihi videbatur, ex hac de *lateralibus aperturis* ſuppoſitione, *Inteſtinalem contractionem* ſolvere. Si enim Fibræ (ſimplices ne, an in Muſcularem fabricam conpaginatæ fuerint ab aliqua influente materia ſecundum longitudinem contrahantur hoc, me judice, à diſtentione ſecundum atitudinem [niſi contorſionem ſuppoſueris, quam in hoc caſu nemo allegabit] fieri debet. quam ut patiantur, diſtendens materia intra earum clauſtra aliquantiſper detinenda venit. Verum, ſi *lateribus* donentur *perforationibus* iiſque in oppoſita parte iſtis per quas admittitur materia hæc; proportionem gerentibus (quod quidem concedendum, ni fallor, eſt quandoquidem contractio per totum Tractum ſucceſſivè proportionata deprehendatur) quæri poteſt, quomodò hujuſmodi diſtentio haberi poteſt, ubi materiæ ad hanc rem deſtinatæ tam *facilis* conceditur *exitus*, eoque magis quandoquidem determinatio in recta linea, & deorſum iniri concipienda eſt? Si objiceretur, materiam hanc dum ſic movetur, tam in *laterales* iſtos *ductus* quam per *anaſtomoſes* dictas recta ducentes ſeſe diffundere poſſe; quoniam

æque

æque in fibrarum cavitates, ac per has anoſtomoſes tranſitus patet; imo tanto facilius, quanto illæ has proportione ſuperant; quo dato, nil vetare videtur quo minus ſequatur diſtenſio; Regerere haud abſurdum videbatur, *motum impreſſum* (juxta notas motus leges) æquo citius præ impulſæ materiæ diſtortione evaniturum, niſi violentior foret impellens cauſa quam in præſenti inſtantia facilè concipi valet; in qua & levis ab initio impulſus eſt, & ſatis flaccidæ ſunt, per quas ferenda eſt materia, partes. Verùm enimverò à nemine Anatomicorum, quantum ſcio obſervatum fuit, Muſculos [ut ex hac ſuppoſitione differam] qualeſcunqne vel materiam ſuam actuantem *à latere emittere*; aſt ſingulos valde compacta, & (comparativè) impervia membrana munitos perhibent.

Quartò, Obſervatu obvium erat cunctos *Muſculos binis Tendinibus* donari, à quorum altero incipiunt, in alterum deſinunt, & ab hujus verſus illum adventatione motum illorum; quem eſſe *Contractionem* cuncti agnoſcunt, peragi: Sed conceptu arduum eſt hoſce *coincidere* Tendines (id quod in iſthac ſuppoſitione concedendum eſt) ſin verò ita ſe res habeat, opinabar non minùs difficile futurum determinare, in quanam horum Muſculorum, (ſub circulari hac phaſi) parte Tendines locandi ſint, atque unde motus in alterutris *incipere* debeat, quandoquidem nec tendinoſam uſquam in toto ambitu ſtructuram quiſquam Anatomicorum deprehenderit, nec ſtrictam in partes ſubjacentes inſertionem; atqui notum eſt cunctos Muſculos *parti alicui ſtabili, h. e.* vel ſimpliciter, comparativè, immobili affigi, verſus quam ordinariè contrahuntur, & cujus ſubſidio motus inſtinctus à Nervis iis ſuppeditatur. Cùm ergo neutrum horum conſtet, liberum mihi videbatur de *Hypotheſi* (potiùs quam *Obſervatione anatomica* pro qua tamen haberi ſolet) dubitare; præſertim ſi mihi pleniùs ſatis facere poſſem ex alia [modo Autopſiæ ſaltem reſponderit] à meipſo excogitanda.

Etenim, harum vice, alio animo meo occurrebat ſolutio, quæ *me hanc* magis ad rationem Phænomeni reddendam accommodata videbatur. Nempe exiſtimabam *Fibras*, quæ *Annulares* habebantur, *Spirales* forſan eſſe, atque unico tractum ad ipſam Inteſtinorum imam regionem, *helicis* inſtar, propagari poſſe; quin, earum exilitatem, ſi ad circuitum largum; quo ſuper interiores tunicas volvuntur comparatio habeatur, facilè palpum iis obtrudere poſſe, qui ad hanc conſiderationem animum haud applicarent, nec proinde eas *evolvere* ſatagerent; quippe quod earum declinatio hac de cauſa ſub oculos non facilè caderet. Quæ quidem conjectura, ſi veram experientia comprobatur, abſque omni nodo totum negotium brevi expedire poſſe mihi videbatur. Quippe ſive merus iis ubicunque impreſſus fuerit motus, ſive ſubſtantia quævis in eas impellatur, quandoquidem aliquatenus *tenſæ* in ſtatu naturali concipiendæ ſunt, motus iſte, quandiu perſtiterit cauſa movens, per totos tractus ſucceſſivè propagandus venit: cumque hic in ambitum fiat, neceſſariò quandiù perſtiterit, Inteſtinum coarctare, fibras abbreviando, debet, atque indè quicquid in cavitate incluſum fuerit prorſum pellere; eoque magis ſi Muſcularis iis competeret fabrica.

Conjectura hæc, ſubitò licèt excogitata, ſicut doctiſſimo Viro, cui proponebam, non admodum diſplicebat, ſic mihi ipſi tanto gratior erat, quanto leviori negotio rem explicabat: Quippe animo meo diu inſederat Naturæ opera *maximo compendio* & *ſimpliciſſime* præſtari; quanquam hac forſan de cauſa iis nimia operoſæ machinationis expectatione non ſatis cautè attendatur. Verum an diſſectione confirmari poſſet, diu inquirere diſtuli; donec tandem, neſcio qua occaſione motus, Philoſophiæ dignitati injurium eſſe ratus nuda acquieſcere *ſpeculatione*, ubi conſuli poſſit *Autopſia*, experimentum agreſſus ſum, idque primum in portione *Duodedi bubuli* (quod quidem quæ comparativa ad cæterorum plerorumque animalium ampli-

tu-

ndi ne maximè huic operi accommodum videbatur) poſtea in inteſtinis *ovillis* & vitulinis , dein in *Colo* & *Cæco* bubulis. Quorum quidem experimentorum ſumma ſequitur.

Ut disjunctionem debitam (& facilem quæ niſi haberetur alia forſan quam naturalia emergere poſſe Phænomena obvium eſt ſuſpicari) membranarum & fibrarum efficerem, *coctura in aqua* adhibere coactus ſum ; quippe difficillimum imo impoſſibile ferme in crudis eſſe rem adornare deprehendebam ; atque Inteſtino *Bovino* neceſſe habui *quinque vel ſex horarum coctionem, Ovillo circiter quatuor* [plus minus pro ignis ſuppoſiti gradu] continuare ; cavendo tamen a *nimia* , quæ fibras plus æquo inteneraret: Qua factum eſt, ut uſque adeo laxaretur fibrarum compages , ut exteriores tunicæ, *Communis* , ſcil. & iſta quæ *ex rectis* conſtat *fibris* , levi negotio à ſubjecta (modo abſque mora, dum ſatis ab aqua maderet Inteſtinum attentata fuerit ſeparatio) ad quam deſtinata erat hæc indago , avelli ſe paterentur, atque *tranſverſæ fibræ* in conſpectum prodibant . Has tandem , detractis quæ inæquali præciſione decurtatæ erant ab invicem inteſtini ſummitate ſeparare tentabam; atque competi :

Primo , Me rarò (modo recte adminiſtrata fuiſſet coctura) *ſingularem aliquam fibram* à reliquis abſque ruptura diſſociare poſſe , quippe quod tum ſingulas valdè minutas eſſe tum in uſque exiliora filamenta progreſſu decurrere obſervarim . Verum earum ſat *larga congeries* , craſſiuſculum primo intuitu referens fibram, abſq; difficultate [*leni* identidem adhibita , & *reciprocante* , *inteſtini extenſione*] ſeſe exhibebat: Sin vero coctio nimis diu continuata fuiſſet, unde ſupra modum laxaretur compages , notari potuit ipſas minutales fibras, congeries dictas conflantes , ad invicem nimis prompte , licèt hinc diffractu faciles , disjungi , ratione inſertionum mox memorandarum.

Secundo , Obſervabam, quod ubi , hoc ordine procedendo , unius alicujus congeriei ſeparationem *dextrorſum* , cultelli apicem in hiatus intrudendo , moliter , *annulatim* hæc adſcederet (niſi quod fibrillæ *pauculæ* ab adverſa partè ortæ, aliquantulum morarentur) Quod quidem me, dum hoc primum experirer circa meam de *Spirali* fabrica conjecturam aliquantiſper vacillare fecit . Verum id ipſum *ſiniſtrorſum* attentans , deprehendi me ſat promptè , ut plurimum , congeries haſce ad aliquot ſpithamarum longitudinem evolvere poſſe ruptura ad quam tamen tandem proclives erant ob rationem ſequentem . Etenim

Tertio , Quamvis convolutiones iſtæ , maximam ſaltem partem , *diſtinctæ* videbantur, comperi tamen fibras aliquas ab iis brevibus diſtantiis *oblique* emanare , ſeque in proximam *inferius* convolutionem eodem modo inſerere , illiusque hinc partem conſtituere . Hæ convolutionum præfatum ordinem obſervabant , dum interea aliæ ab inferiori ortæ eas interſecantes, in *ſuperiorem* ſe inſerebant, eique ſic gratas augmenti vices rependebant; imo quandoque ulterius ſerpentes *altiori* alicui ſe eodem modo applicabant, iſtæ autem, cum parciori numero habebantur , quam quæ contrario ordine decurrebant , congeriarum , quas dixi , diſſociationem helicalem non multum impediebant ; verùm tam hæ quam obliquè deſcendentes , dum diſrumperentur , tandem totius faſciculi diffractionem inducebant , eoque citius, ſi ante finitam totam operationem ſiceſſeret , ad quod proclive erat , inteſtinum .

Quarto Obſervavi , quaſdam ex hiſce fibrillis obliquè deſcendentibus *ultra proximè ſequentem convolutionem* iter capeſſuras (pariter ac de aſcendentibus modo dixi) atque alias ſupra eam plures vero infra (quantum mihi viſum erat) excurſuras , adque *remotiorem* aliquam ſeſe applicaturas , vel ſaltem indaginem ulteriorem eluſuras . Atque hæc quidem fibrillarum harum excurſiva inſertio rationem mihi præbet phaſis annularis , cujus *ſupra* mentionem feci, dum ſeparatio dextrorſum attentaretur ; Quippe quod retinacula hæc convolutionum proximè accumbentium *promptam in ſummitate disjunctionem* [ubi ſcil. grandiores , quas dixi,

dixi, congeries præciſionem ſubierint; & proindè nil ultra habeant quod promptam earum ſic concanenatarum divulſionem remoretur (aliquatenus *retardare* poſſint. Adde quod fibrillæ iſtę *craſſiores* mihi apparerent, *ubi à ſuperiori* convolutione immediatè emergerent, quàm *ubi in inferiorem* inſeruntur, & proindè ægrius dirumpantur. Quanquam intereà.

Quintò, Expertus ſum, quod ſi ab *inferiori* inteſtini ſic præciſi extremitate *ſurſum vegendo* ſeparationem agrederer *non multò difficilius* foret evolutionem ſpiralem ſurſum obtinere, quàm fuerat dum ab inferiori incipiens deorſum evolverem. Quod quidem Phœnomenon neſcio an à teneritudine partis longa coctione inducta proveniat, cuius gratia de gradibus renixus in tenuibus illis fibris diiudicare haud licuit. Solummodo hic obſervatu erat, experimentum votis non reſponſurum, niſi iuxta contrariam prioris directionem, *dextram verſu* ſc. operationem hanc molirer. Verùm hinc peri-ſtaltici motus in affectibus *Iliacis* inverſi, quando nempè & alvinæ fœces & quandoq; Clyſteris (quale quid Authores memorant) vomitu redduntur, rationem haberi poſſe in propatulo eſt.

Sextò, Quando, ante inſtitutam coctu-ram, *Inteſtinum inverterem*, facile fuit primo tunicam glandularem, eiq; accumbentem divellere, dein ſpirales fibras modo dicto explicare, ſed *methodo oppoſita*, à ſiniſtra ſcil. dextrorſum; quod quidem obſervationem firmat, quandoquidem inteſtino inverſo neceſſe eſt, ut ſi helicali modo diſpoſitæ ſint fibræ, ſeparationis ordo pari methodo ſe habere debeat. Attamen operatio *aliquando difficilior* mihi viſa eſt, quam tum naturali poſitione eam aggrederer.

Septimò, In altero horum tentaminum dum inteſtinis Bovis ſic inverſi fibras evolverem, deprehendi iſtas quas cultello elevaveram quamvis ordine memorato ſecedebant, ſuper alias tamen excurrentes, *magis* adhuc *obliquam helicem* exhibuiſſe quam antè notaveram; nempe ad *duas*, vel *tres convolutiones* inter ſe reliquiſſe notabilem *fibricam aream*, quinque ſcil. vel ſex vicibus, quantum potui conjectari, hafque ita ſecedebant latitudine ſuperantem; donec altiùs uſq; & uſq; inter alias ſe inſinuantes, tandem vero ſubeuntes, diffringi neceſſe habuerint. Utrum hoc Naturæ familiare ſit, an eiuſdem luſus, penes me non eſt determinare.

Octavò, Multo difficiliùs eſſe expertus ſum (in unico examine, nec enim pluries experiri vacabat) *Inteſtini Cæci* fibras evolvere quam cæterorum, ſi non impoſſibile, utpote quæ *magis invicem intertextæ* videbantur, *contrariaſque* alter utrinque tendentias ſortiri.

Hæc obſervationum mearum circa hanc tunicam ſumma eſt; quam *unicum* eſſe, ſed *concavum*, &, *helicalem Muſculum*, ſi ita loqui liceat, fas ſit ſuſpicari. Quod vero pro tali habenda mereatur, inſertiones memoratæ evincere videntur, utpote quæ *Muſculi fabricam* ab acuratiſſimo *Stenone* traditam ſat appoſite, me iudice, referunt. Quo autem in loco figantur *tendines* non uſque adeo liquet, ſi vero conjecturæ venia detur, cenſuerim *Superiorem* ſaltem à *Pyloro* ordiri, ſi non potiùs a *Sphincture gulæ*, quandoquidem Doctiſſ. *VVilliſius* ventriculi tunicam carneam *Muſcularis*, imo quodammodo *ſpiralis*, eſſe texturæ deprehenderit; cumque motus inter hunc & inteſtina continuatio habeatur, haud abſimile vero videtur unicum Muſculum totum ab æſophago ad anum tractum conflare, *inferiorem* vero *tendinem in ani ſphincterem* deſigere probabile videtur.

Utrum *Venarum* atque *Arteriarum fibræ*: quo pro *annularibus* etiam vulgo habentur, *eandem cum inteſtinis* fabricę rationem ſortiantur, definire nequeo, quanquam hoc probabile forſan videatur, quandoquidem hiſce *periſtalticus* quodammodo competere *motus* videtur, Quippe vix Sanguinis in dextro Cordis Ventriculo ſub mortis articulum, qualem cernimus, congeſtio haberi poſſet, niſi fatiſcente vi ſiniſtri expulſiva ipſa hæc vaſa nativa indole eum profum truderent, Verum hoc magis oculatis aliorum manibus inveſtigandum linquo.

FINIS.

ELENCHUS CAPITUM ET RERUM.

CAPUT PRIMUS.

Præcipuæ Authorum, de Febrium Intermittentium Sede & Ratione formali, expenduntur Sententiæ. pag. 651.

DUplex in genere Authorum circa focum materiæ Febrium Intermittentium ſententia, pag. 651. Vel in loro aliquo peculiari; Vel in Maſſa Sanguinea locantium, ib. Veterum ſententia; Humores in primis viis putreſcere, ib. Recentiorum Duplex, 652. *Sylvii*, in pancreatis vaſis recondi fermentum febrificum ſtatuendis, ib. *Joneſſi* in Habitu partium circa Arteriarum extremitates, ibid. *Vvilliſii* in Maſſa Sanguinea, ib. Deſiderata in opinione *Vvilliſii*, ib. Rationes diſſenſus, 653. Prima, ib. Secunda, ib. Tertia, ibid. Quarta, ibid. Quinta, 654. Sexta, ib. Ad interpolatum Morbum producendum Fermentum per vices ſupplendum, ib. Fermentum febrificum huius modi extra Sanguinis vias ſtabulari debere, 655. Deſiderata in *Veterum* opinione. ib. Nulla conceptacula à vaſis diſtincta pro reductione Fermenti febrifici in Sanguinem, ibid. in Ventriculo & Inteſtinis, ibid. In Meſenterio, ibid. In Hepate & Liene, ibid. Secreti Liquores vel exturbandi ſunt, ibid. Vel immediate Sanguini remandandi. 656. Noxa ab eorum detentione, ib. Symptomatis Febrium Intermittentium producendis impares, ibid. Deſiderata in Hypotheſi *Sylviana* ib. in *Joneſiana* ib.

CAPUT II.

Conditiones Cauſæ Febrium Intermittentium Continentis ipſiuſque Sedes & Materia in Genere proponuntur.

COnditiones Cauſæ continentis iſtarum Febrium. 658. Prima Conditio, Ut ſit magna, ibid. Secunda, Ut ſit Univerſalis, ib. Tertia, Ut celeriter in actum erumpant ad Prima Symptomata producenda, 659. Quarta, Ut iis tranſactis parata ſit ad Secundaria, ib. Quinta, ut ad novi ſomitis productionem Locus & Tempus concedantur, ib. Sexta, Ut Symptomatis omnibus ordine ſolvendis quadret, ibid. Conditionum harum quarta, quinta, & ſexta non quadrant Hypotheſi *Vvilliſiana*, ibid. Nec ſed ſecunda, tertia, & ſexta *Veterum* Hypotheſi, ibid. Ut nec *Sylvianæ*, ibid. Nec tertiæ & ſextæ *Joneſianæ*, ib. Propria ſententia: Cerebrum & Syſtema Nervoſum eſſe Sedem; Succum Nervoſum depravatum Materiam, Febrium Intermittentium, ib. Syſtema Nervoſum complectitur omnes Corporis Fibras, 660. Meditullium Cerebri, eſt Arboris Humanæ Radix; Nervi & Fibræ Rami ramulique, ib. Exiſtentia Succi Nervei adſtruitur, ib. An ſolus Aer in Nervis contineatur, Spirituſque Animales ex hoc conſtent. 661. Nervoſum eſſe ſuccum Nutritium, 662.

CAPUT III.

Nutritionem Nervorum ministerio peragi, Succumque Nervenm esse ipsam Nutricatus Materiam adstruitur.

UNiversa Corporis stamina Nervosæ esse originis adstruitur, 662. Non à Corde profluere, ib. Argumentum ab Irregularitate Pulsus in Febribus Cerebrum afficientibus, 663. Historia, ib. Mensuram quidem Augmenti nostri à Cordis, qua Musculi, robore determinari, ibid. Ne ipsum verò à suo sanguine nutriri, ibid. Cunctarum partium vis influentialis ad omnia munia, à Cerebro, ib. Nulla per Extrapositionem Nutritio. ibid. Apparatus ad probandam Thesin, ib. *Primo*, Quid sit Nutritio, ib. Differentia inter Nutritionem & Augmentationem accidentalis tantum, 664 *Secundo*; Nutritionis Requisita, ib. Primum; ut Cavitates ita constituantur, ut debitè suscipiant & transmittant alimentum congruum, & effœto exituro faveant, ib. Secundum; Ut apta sit materia apportanda; id quod in mollitie & exiguitate particularum potissimùm consistit, 665 Tertium; Ut pares Nutriendæ non nimis promptè suam dimittant materiam, ib. Quartum; Vt proportio adsit inter materiam Nutritioni destinatam & vasa advehentia, 666. Quintum; Vt motus gradus in appellente materia sit lentus, ibid. nextum; Vt juxta Mechanicas leges ad partes nutriendas dirigatur, ib. Hinc infertur Nutritionem lentis gradibus peragi, 667. Tertio; Nutritionis Impedimenta, ib. Primum; Cavitas nimis patula ib. Secundum; Nimia crassities, vel heterogeneitas materiæ, 668. Tertium; Pororum in extremis nimia dilatatio, ib. Quartum Amplitudo nimia partium adferentium, ib. Quintum. Motus materiæ nutritiæ nimis Celer, ib. Sextum; Perplexa, & à recta nimium recedens vasorum advehentium positio, ib. *Quartò*, An sanguis nutriat. 669. Concessio sanguinem materiam nutritiam secum portare. ib. Non verò hinc evinci Immediatam suppeditare, ib. Considerationes circa sanguinem, ib. Primò; Massam ejus multiformem esse. ib. Secundò; Multas continere particulas acres, ib. Tertiò; Valdè confusas esse ejus particulas. ib. Quartò; Multas habere satis viscosas, ib. Quinto; Motulationis valde citato ferri, ib. Negatur Nutritio immediate per Sanguinem, quia non respondet requisitis, ib. Primò ib. Secundò ib. Tertiò 670 Quartò ib. Quinto, ib. Sext. ibid. *Quintò*, succo Nervoso competere Nutritionis pensum probatur à consideratione Requisitorum, 671. Primi, ibid. Necesse est ut Fibræ sint tubulatæ ib. Secundi, Molissimæ & minutissimæ sunt succi Nervosi particulæ, ib. Objectioni obviam itur, 472. Tertii; ib. Mora variis de Causis nectitur succo Nervoso in partibus nutriendis, ib. Quarti, ib. Sicut parcè admittenda est materia nutritia, sic vasa admissura sunt perennia, ib. Cur emaciati non cito ad pristinum habitum redeant, 673. Cur à Febribus convalescentes urinam parcè reddant, ibid. Quinti Motus succi Nervosi nequit non esse lentissimus, 674. Sexti, ib. Distributio Nervosarum partium quàm rectissimè fieri potest habetur, ib. Arteriæ à concluso Sanguine suo nutriri nequeunt, ibid. *Sextò*; Proponitur Modus quo Nutritio peragi concipiatur, ib. Qui & Augmentationi Corporis competit, 675. Conciliatur sensus & Motus ratio cum hac de Nutritione Hypothesi, 676. Objectio. Qui fiat in Paralysi, deficientibus Motu & sensu, Nutritio tamen peragatur, ib. Objectio, Quomodo tam pusilli Nervi grandibus Musculis aliisque partibus nutrimentum suppeditare possint. 677. Solutio ib. Objectio. Improbabile videri copiam punctura tendis effluentem è Nervis pro-

fluere, *ibid.* Solutio, ib. Modus Nutritionis à Cel. Entio assignatus proponitur, 678. De eo ambigitur, ibid.

CAPUT IV.

Conditiones allegatas continentis Febrium Intermittentium Causæ, Succo Systematique Nervoso competere monstratur.

MOnstratur, Conditiones suprà recensitas, succo Nerveo quadrare, 679. Primam, 680. Secundam, ibid. Tertiam, ibid. Quartam, ibid. Quintam, ibid. Sextam, ibid.

CAPUT V.

Hypothesis particulatim proponitur.

HYpotheseos summa, pag. 681. Radices Nervorum in Cortice Cerebri laxari, vel propter poros ab Aere occlusos, vel anomaliam in aliquo ex cæteris Nonnaturalibus, ibid. Vel præ aliqua alia subita occasione, ibid Hinc Nervos admittere materiam incongruam, ibid. Quæ mora quam hic trahit variis de causis, sensim exaltatur, ibid. Verùm ad aliquot horas, forsan & dies sine molestia per Nervos & Fibras progreditur, ibid. Donec ad debitum plenitudinis & maturationis gradum evecta conceptacula lancinare incipiat. Vnde Rigor, ib. Vniversalis ib. Qui præ corrugatione extremorum non statim evanescit, 683. verò erumpente in Sanguinem hac materia, Febrilem calorem accendi, ibid. Tandem sudore, &c. maturatam Critice excludi, ibid. Atonia verò Corticalium Cerebri Glandularum persistente, iisdem gradibus usque repetere Morbum, ib. Donec cuncta in ordinem redacta fuerint, ibid. Considerationes quædam ad Hypothesin confirmandam, ibid. Primo Nervi lentè (comparatione ad Arterias habita) supplementa sua admittunt, lentius deponunt. ib. Attamen, ib. Secundo, Proportio servari debet inter Nervorum & Arteriarum adimpletionem, ibid. Tertiò, Irritatio ad extrusionem nequit esse continua, sed diu protelari debet, Tertiò, Quartò, Succus Nervosus non omnibus horis æqualiter à Cerebro admittitur, ibid. Parcius interdiu, ibid. Copiosius noctu, ib. A Somno in habitum partium protruditur, ib. Quinto Ad magna Symptomata concitanda, vel Acrimonia, vel Quantitate, vel Motu peccare debet Materia, 685. Ephemeræ (nonnunquam causa) ib.

CAPVT VI.

Symptomatum recensio, & solutiones.

SYmptomata Febrium Intermittentium trium sunt generum, 686. Præludoriæ, ib. Exhorrescentię, ibid. Incalescentiæ, ib. Nec omnia omnibus, nec singulis æque violenta eveniunt, 687. Eorum Ratio, ib. Pandiculationis, Oscitationis, ib. Partium contractionis, ib. Morum asperitatis, vel ingenii acuminis aucti, 688. Vertiginis, ibid. Cephalalgiæ præludoriæ, 688. Rigoris & Horroris ib. Cur in Dorso rigores incipiant, & hic loci graviores sentiantur ib. Frigoris 689. Durationis Rigoris, 690. Pulsus debilitatis & tarditatis, ib. Anhelitus difficaltatis, 691. Hypochondriorum contractionis, ib. Saliva, Lachry-

chrymarum, Urinæ profusionis, ib. Vomitionis, ib. Proclivitatis ad alvum exonerandam, 692. Transactis Nervosis, Symptomatis ingruunt febrilia, ibid. An dentur sulphureæ in sanguine particulæ, ib. febrilium symptomatum ratio. 693. Caloris & frigoris alternationum, 694. Capitis doloris, Delirii, Vomitionis, Diarrhœæ, &c. secundariorum, ib. Crisεos in fine emergentis, ibid. Apyrexiæ sequentis, ib.

CAPVT VII.

Typorum Ratio.

TYpi Quotidianarii, Quartanarii sunt reliquorum norma, 694. Prolegomena ad horum rationem redendam, ib. Primum, Eadem in genere singulis speciebus Symptomata, ib. Secundum, singulæ sua (ut plurimum) observant anni tempora, ib. Exceptio Quartanæ Vernalis, 695. Tertium, Nihilominus quoad aliquas circumstantias discrepant, ib. Distributio Constitutionum Anni, 696. Scil. imo, in Vernalem, ib. In hac particulæ Nitrosæ maxime scatent, ib. Secundo, Autumnalem, In qua Acidæ, ib. Tertio Hyemalem, ib. in qua Crudæ, ib. Æstiva constitutio febribus Intermittentibus producendis minime apta, 698. In Constitutione Vernali & Autumnali Acrimonia in causa est, Sed Vernali diversa, ib. Ab Autumnali, ibid. in Hyemali Cruditas & Heterogeneitas in culpa sunt. 699. Hinc ratio discriminis in genere inter alterutrius durationem, ib. Sed particularis certorum Typorum ulterius quærenda, ib. soli Homines, fere, febribus intermittentibus proclives, 700. Observanda præliminaria ad Typologiam nostram construendam, ib. Primum, ib. Secundum, ib. Tertium, ibid. Quartum, ib. Deductiones ex primo Observando, 701. quæ regularem præterpropter fore recursum Paroxysmi arguant, ib. Objectioni ab inaure viventibus, ib. Occurritur, ib. Deductiones à secundo Observando, ib. Quæ ad Nycthemeri saltem distantiam Paroxysmos elongari debere suadent, Deductiones a tertio Observando, quæ singulos Typos ad invicem discriminent, ib. Ad Constitutiones partium Anni quæ hoc determinant respiciendum, ib primò, Vernalem, ib. Cur nitrosæ particulæ (dominium hac tempestate obtinentes) alternis tantummodo diebus se exerant, secundo, Autumnalem ib. particularum acidarum figura ib. Cur hæ nocendi vices non ante quartum (inclusive) diem obtineant; ib. Objectioni de coincidentia nostræ Hypothescos cum *Vvillisiana*, ib. Respondetur. Tertio Hyemalem, ib. Deductiones à quarto Observando, 705. quæ anomalias determinant, ib. Objectioni, sanguinem in dies mutari alleganti, ib. Respondetur, ib. Anacephalæosis rationis Typorum, 706.

CAPUT VIII.

Methodi curationis in genere, Variarumque ad eam spectantium Administrationum, Ratio, pag. 707.

METhodus medendi generalis cum singularum Administrationum ratione, 707. non prorsus eadem medendi Methodus singulis Febrium Intermittentium speciebus competit, ib. Generales indicationes tres, ib. Administrationes quæ primæ debentur, ib. Quæ secundæ, ib. Quæ tertiæ, ib. Phlebotomia, ib. Quæ eam prohibeant, Aliis Evacuationibus præmittenda, ib. Repetenda, ib. Vomitoria, 709. Modo non adsint prohibentia, ib. Modus juvandi, ib. Cathar-

tica, ib. Tempus exhibendi maximè opportunum, Ante paroxysmum, ibid. Cur non semper prosint. 710. Qualia exhibenda sint, ib. Curationis solutio à Drastico, ib. Diaphoretica, Ratio agendi, ib. Hæc administratio non semper proficua est, 711. Diuretica, ib. Ratio agendi, ib. Alterantia, ib.

CAPUT IX.

Methodus Febres intermittentes in specie curandi. pag. 715.

METhodi medendi generalis ad varias Febrium intermittentium Species adaptatio, 715. Primo Ad Quotidianas, 716. secundo, ad Tertianas, ib. Tertio ad Quartanas. 717.

CAPUT X.

De corticis Peruviani, circa Febres intermittentes sistendas, Facultate. pag. 717.

CIrca effectum Corticis Peruviani quinque perpendenda, 717. Primo, Noti ejus effectus, ib. secundo, Texturæ modus & ratio, Tertiò, scena operationis, 719. Lustrandæ quatuor Corporis regiones quas pertransit, ib. imò, Quid agant ejus particulæ dum Primam peragant, 720. secundo, Quid dum secundam, 721. 30. Quid dum Tertiam, ib. quarto De quarta dubium an ullæ subingrediantur, ibid. saltem annon, si admissæ fuerint, nimis hic compingantur, ib. Respondetur, ib. Non (adæquatè) vires exerit in primam Regionem, ad febrem tollendam, ibid. Nec in secundam ad hunc effectum, Ut nec in tertiam ib. Sed in quartam, 722. Considerationes præliminares circa relativam Medicamentorum actionem. ib. Secunda 724. Tertia, ib. quarta, ib. quinta, ib. Illationes ad Corticis Peruviani effectum determinandum, ib. prima, ibid. Secunda 725. Tertia, ib. Objectioni de perpusilla quantitate Medicamenti quæ in Cerebrum deportatur, ib. Respondetur, ib. quarto Agendi modus, quinto, Phænomenon & Observatorum solutio juxta Hypothesin, 737. Cur Corticis Peruviani exhibitio præmatura vel non succedat, vel quandoq; damnosa sit, ib. Cur ab hoc Medicamento Morbos sine evacuatione dispareat, ibid. Cur lecto affixi rarò levamen ab hoc Medicamento sentiant, 728. Cur Cathartica præpropere exhibita paroxysmos quandoque reducant, ib. Cur paroxysmi cortice peruviano sedati quandoq; redeant, 729. cur cum Acidis vel amaris cortex exhibitus efficacior deprehendatur, ib. cur hoc medicamento curatis, quam aliis, celerius redeant pristinæ vires, ib. considerationes practicæ circa usum corticis peruviani, 730. morbos plerosque chronicos in Nervoso genere fundatos esse probabile videri, ib. Hist. rara, 731.

FINIS.

Ad

Ad Clarissimum, Humanissimumque Virum, Medicum Exercitatissimum, Philosophum Gravissimum,

DOMINUM DOCTOREM COLE,

In Novam suam

De Febre Hypothesin ingeniosissimam.

JUPITER APOLLO

Jup. EVeniendum princeps flammis, armata malignis
Anguibus & sævis rutilos innexa capillos
Febris anhela, necis, cædisque Orcique ministra.
Debacchata diù & late grassata per orbem,
Prostravit mœstis populos mole sua da ruinis,
Haurit vitales succos, & faucibus artis
(Heu tristes epulas) horrentes pascitur artus.
Fluminibus totis sua proluit ora cruoris
Igniflua, & revomit geminatas ebria flammas.
Horrendo squallore & fœdo pondere ventrem
Gestat distentum, nec dum satia recedit.
Quodque malum exauget, quodque illachrymabile regnum
Tantæ Pestis alit, non ullus, *Phœbe*, tuorum
Illius obscurum valet explorare cubile;
Aut certamen init, tanto par Viribus hosti.
Æmula at illa *Jovis*, nigra caligine tecta,
Ignotis humana ferit præcordia telis.
Liventes librat flammas, atque inficit auras
Labe venenata, & nulli perviſa tuorum
Densis elisos iaculatur nubibus Ignes.
Labitur in venas vulnus, dolor ossibus ardet.
Perque imas errant incendia lenta medullas.
Tanti operis, molisque fuit mihi condere Gentem
Humanam, ut tali repetita strage periret.
En, age, si qua prolis te, si qua tuorum
Cura, o *Phœbe*, tenet, si quid tua pocula possunt,
Nec iactas artem mendacem, & numen inane,
Desere sacratum collem, mollemque catervam
Pieridum, & posita pharetra, citharaque sonora,
Terrarum populos propera fulcire ruentes;
Hoc opus ingeni est, Cœloque & *Apolline* dignum.

APOLLO.

Dictis mota tuis, hominum Pater, atque Deorum,
In Genus humanum pietas præcordia deflectit:

Porriget & certum miseris hæc dextra levamen.
Morbiliore luto, atque animi cælestibus apto,
Ætheris excocti quod dat purissima vena,
Cribis divinis purgato, & luce, meisque
Diluto radiis, hominis præcordia fingam,
Intentique operi multum sudabimus, alti
Ictibus & vastis resonabit regia Cæli.
Arte laboratum multa Cæleste metallum,
Atque indefessis opus haud Vulgare lacertis
Nostris excusum, languens mirabitur orbis.
Sic tandem prodit *Colæus*, amabile nomen
Ægris, qui sana mente ingenioque beatus
Divino, totoque afflatus numine *Phœbi*,
Imbelles reddet sanos. Medicosque docebit
Grassantis Febris rabidam cohibere furorem
Sedes obscuras, queis delituisse solebat.
Invictum quondam monstrum, referabit, opaca
Claustraque Nervorum pandet, cæcæque Medullæ.
Quas coluit Febris tot retro secla, patebunt.
Dicet, ut in Celsa sedet ambitiosa Cerebri
Arce, Luem, Pœnasque graves meditata, necemque:
Fingit ubi Pestes, & miscet lecta venena,
Armaque Fatorum, tormenta infanda, crucesque
Fabricat innumeras, atque ignea tela reponit.
Pabula ubi tristis nondum matura doloris,
Semina Morborumque, & moris stamina condit.
Inde venenatos ignes nunc torquet in artus
Luridaque in gelidas jaculatur spicula venas.
Continuò immanis carpit calor omnia, circùm
Flagrantes latices fundunt præcordia, & usta
Ætneus subitò per viscera depluit imber.
Pectora nunc lento carpit maculosa veneno,
Atque moras nectit, pigroque dolore trucidat.
Nunc alterna juvant; & dum lasciva quietem
Datque rapatque æstum accedens, sedansque vicissim.
Diviso imperio dominantur Vita, dolorque.
Indorum crescit plagis felicibus Arbor,
Auro quod vendunt pretiosior, inde sagittas,
Inde salutiferos *Colæus* fabricat arcus,
Fretus & his armis, argutos cujus ocellos
Vix mens ipsa fugit, fugit at mens sola, pererrat
Anfractus curvos atque ardua cliva Cerebri:
Et loca Fibrarum nullis accessa, meatus
Intrat & angustos, monstrum figitque, latebris
Nervorum stabulans, errandi nescia dextra.
Nunc alios arcus gestat, diversaque tela,
Vincendi certus, fugientem torquet in hostem.
Morbo cuique suam *Colæus* porriget herbam;
Nostramque arte potens, & Viribus, *Herculis* Instar,
Innumeras pestes, & monstra horrenda domabat.

JUPITER.

Tantum conde virum; nec menti parcius auras
Admisce æthereas, illasque infunde recentes.
Atque illibatam lucem, radiosque probatos,
Ingentem inspira virtutem, numinis & sis
Pro digus effusi, laudes ut carmine Vatum
Egregiæ dicantur, opusque feratur ad astra,
Consummatum *phœbi*, atque admirabile Donum.
Sit faustus, felixque tuus *Colæus*, amandus
Omnibus, attingat placidam doctamque senectam:
Ut valeant reliqui mortales, ille valebit.

RICARDUS BLACKORE,
M. D. Regii Colleg. Med. Lond. Socius

Ad

Virum Doctissimum, Experientissimum, & Amicissimum,

D. DOCTOREM COLE.

TEcta diu ignota Febrilis Flamma favilla,
Ignotosque focos habitans, hæc Vesta Triformis.
Invigilat nostris Custos malefida ruinis:
Tu referas secreta Deæ, monstrasque recessus
Queis struit insidia, in quos Victrice recedit
Post pugnam rediens, Turma stipata Dolorum.
Insultu labefactus Homo, velut Ariete quassus,
Non tulit ulterius, Sudore, Algore, Calore
Exhaustus, somno se victum dedidit ultrò:
Non morte, ac vera succumbit Imagine Mortis,
Illa quies rerum, sed Vinctum prodidit hosti,
Et reficit vires renovanda ad prælia Morbi:
„ *Dum motus* humorum, *atque hæc certamina tanta*,
„ *Pulveris exigui ictu* compastu *quiescunt*.
Hactenus hinc Medicos pariter lassavit, & Ægros
Muta Sibylla, tacet frustra consultus *Apollo*,
Atque Asclepiadum series longissima Vatum,
Nam referunt, *Colæe*, Tibi tot Numina munus,
Cujus mente Tripos, cui sixa in pectore Delos;
Teque jubent Nodosi ænigmata solvere Veri.
Ipse fidem absolvis: quanquam hac sudavit arena
Quondam *Jonesius*, *Britonum* Spes una salutis,
Et Medicis Senior clarus *Mortonus* in armis.
Tu doctus Varios olim secernere Succos,
Garus & irrguos per Nervos ducere rivos.
Promisitque alios devicta Apoplexia campos.
Sic ortu rerum Faber ingens Materia

Palam-

Palantes Atomos cogit, Spargitque coactas
Ad leges, *Colæ*, Tuas, artemque secutus
Humanos proprio formavit vortice Cœlos.
Exigues monstras Primus quos Flamma meatus
Intrat, ab introitu Tuque obice Corticis arces.
Sic olim Sapiens, regio dum Peste laborat,
Et Vapor Infernus certo inficit Aera Letho:
Ille specum inveniens per quem petit Æthere monstrum
Obstruit, & proprio jussit requiescere Averno:
Læta Salus sequitur, fœlixque oblivio morbi.
Sis Vatum Princeps, sic certus *Apollinis* Hæres:
Sit *Phœbi*, mihi, vel *Jovis* Arbore, gratior Inda.
Dum leni lambit Nervorum flumine Ripas
Succus, dum Tyrios Cordis rotat Antilia fluctus,
Nomen, opusque Tuum per totum circuler orbem:
Perpetuo Venæ Sinuato tramite Giro
Te refluum accipiant, prorsumque Arteria pulset.

STEPHANUS VVELSTED,
Med. Lond.

GULIEL

GULIELMI COLE, M. D.

LONDINENSIS CELEBERR:

TRACTATUS *DE* SECRETIONE ANIMALI.

GULIELMI

COLE, M. D.

LONDINENSIS CELEBERR.

TRACTATUS

DE

SECRETIONE

ANIMALI.

PRÆFATIO.

SEcretionum theoriam vel pede ficco tranſiliunt authores, vel per tranſennam ſolummodo, & generaliore ſermone leviter attingunt; ſaltem nemo palam ex profeſſo de naturæ in iis peragendis methodo diſſeruit: quanquam interea inter eximia, quæ in humano corpore præſtat, opera nullum, me judice, occurrit cognitu dignum magis, immo neceſſarium. Nec enim ſanitatem conſervari, nec morbos, vel ſatis intelligi, vel artis ope averruncari poſſe mihi videtur, niſi qua arte ſeparentur ſucci aliquatenus exploratum fuerit; quandoquidem illa à debita, horum verò maxima pars à prohibita, vel inidonea, iſtorum ſegregatione pendeant. Quin haud ullum aliud invenire datur, quod vel magis familiare eſt, vel naturæ matheſin plus prodit. Niſi enim perenni opera nervis ſuus ſuppeditaretur liquor, brevi de animalibus muniis actum foret: niſi aſſidue ſanguinis recrementa demerentur, craſis ejus harum rerum redundantia uſque adeo vitiaretur, ut lampadi vitali ſuſtinendæ haud par eſſe poſſit: niſi ſecretionis ope iis jugiter ſubveniatur, citò peſſundarentur coctiones præ fermentorum defectu, quæ niſi a ſanguine, aliiſve ex eo paratis ſuccis, ſuppeditentur, idque hujus miniſterio, haud facile explicari poteſt unde ſuam trahant originem. At ex materiæ ſecretæ contemplatione, quæ variis in partibus tam varia cernitur, at deſignatos uſus exacte proportionata, quin & placidiſſimè, & facillimo negotio, ut nulla œconomiæ animalis perturbatio, ſentiatur, ſecedit, ſatis patet, cuncta huc ſpectantia ad matheſeos regulas exquiſitè concinnata eſſe; cùm niſi vaſorum ſtructura ad has quadret, atque agentia eodem vires ſuas exerant, tales nequaquam produci poſſint effectus.

Hinc apud me ſtatui penitius, ſi quà liceret, iſtorum myſteriorum rationes ſcrutari; quanquam vereor an ſatis fauſto omine, cum abſterrere merito poſſent tantorum, quos, ut ſuperiora ſileam, hoc ſeculum protulit, virorum ſilentium, denſæque, quibus involvuntur hujuſmodi ſpeculationes, tenebræ; cùm neminem lateat, & quam in profundo res iſta tranſigatur, & in quantam minutiem redacta ſint vaſa, in quibus celebratur, ut omnem vel perſpicaciſſimornm, & quantacunque arte adjutorum, oculorum

lorum aciem effugiant. Quo verò securius in tam præpedita via dirigatur gressus, hæc mihi, ut potui, servanda proposui.

Primò, Naturæ methodum simplicissimam esse, & simili prorsus ritu institui, ubi similia designat opera. Quod exinde elucet, quod nullam rerum, quæ sub sensum cadunt, speciem invenire datur; quin singula ejusdem individua (nisi impedimentum aliquod interveniat) pari constituentium partium structura fruantur. Quodque pleniorem fidem facere poterit, Animalium (perfectiorum saltem) utcunque specie distinctorum pauca (fortasse nulla, occurrunt, quæ non quoad internam mechanicen ceteris omnibus (quantum distincta, ad quæ fabricantur munera patiuntur) quam maximam analogiam gerunt. Nec enim voluit summus ille Naturæ, & simplicissimus, *Architectus*, alias, operibus suis moderandis, sancire leges, quam quæ originem suam referrent, Archetypumque indigitarent.

Secundò, Corpus humanum, non secus ac cunctorum animantium, mechanico plane more construi, singulasque, quæ in eodem peraguntur, actiones (exceptis iis quæ ad animam immediatius spectant) mechanicè omnino præstari. Id quod nemo non sibi facile persuadebit, qui fabricam corporis (qualis tum ex veteribus, tum præsertim nuperis, inventis Anatomicis apparet) variamque succorum lustrationem pensitaverit; unde & cæteris, quæ sub sensum non cadunt, conjecturam fere pronum est, illi maxime, cujus mentem sanioris Philosophiæ, quæ tam claro jubare hoc ævo renitet, præcepta imbuerunt.

Tertiò, nil asserendum, quod indubitatis Naturis Phænomenis adversatur, nec ullos, vel partibus, vel liquoribus, usus assignandos, qui non totius corporis œconomiæ respondeant; ne vel statas naturæ leges rescindere, vel novas ipsi indicere velle censeamur.

Dum ad hanc Cynosuram conceptus meos dirigere conor, si forte minus feliciter rem explicavero, cæpti veniam tamen ab æquis rerum æstimatoribus habiturum me non despero, quandoquidem hinc forsan altioribus ingeniis ad negotium hoc solidius excolendum ansa dabitur: quam quidem eo fidentius mihi spondeo, quoniam præfractè nihil, aut pertinaciter, hac in re assero, sed *Hypothesin* tantum, à longo sane tempore à me animo volutatam, limatioribus aliorum judiciis trutinandam propono. Neque enim hanc, meam, sive hypothesin, sive opinionem, tam perditè depereo, quin eam mehercule repudiaturus sim, aliamque lubens merito vel superinducturus, vel à quocunque allatam amplexurus, modo ejusmodi sit, quæ magis Naturæ legibus consentaneam, & ad Phænomena solvenda accommodatiorem sese exhibuerit.

Interea monendus Lector, tractatulum hunc, parum, omnino immutatum, ante biennium prelo destinatum fuisse, id quod complures non mediocris notæ & famæ, juxta ac doctrinæ, viri testari possunt, qui sub illo tempore perlegerunt: Cujus rei ideo mentionem facio, ne, si forte aliqua ex iis quæ tanquam mihi tradita sunt, ab aliis post illud tempus typis mandata fuerunt, plagii, quod horreo, notam mihi qui inurat.

At

At redarguent, auguror, nonnulli, inter alia cenſuram forſitan moturа, quod Philoſophico hoc ævo, in quo tantopere experimentis ſtatur; ſcribens, aliorum fere ſolummodo obſervatis Anatomicis inſiſtam, conjecturis verò aliquanto liberius hic illic utar? Verum his reponere liceat, eo evectam eſſe ſtupenda Anatomen hoc ſeculo exercentium induſtria, corporis cognitionem, ut quamvis multa adhuc detegenda ſupereſſe haud inficias ivero, nec proinde prorſus dogmatice agendum eſſe cenſeam; licere tamen putem tales ex iis quæ jamjam reperta ſunt, deductiones elicere, quæ aliqualem operationum naturæ explicationem faciant. Quod cum à nemine, quod ad præſens ſubjectum, ex profeſſo factitatum obſervaverim; haud prorſus ingratum, quibuſdam ſaltem, opus præſtituturum ſenſi, ſi meas hac baſi licet nixas, ſuper iſtac re proponerem conjecturas, aliaſque omnes (at cunctas rationibus ubique, quales quales eæ ſint, ſtipatas, nec prorſus, confido, probabilitate omni deſtitutas) quandoque attexerem, inque methodum, quanquam minus forte accuratam, utpote meam, redigerem. Interea, ſi hæc arriſiſſe comperero, forſan in poſterum, ubi per negotia licuerit, daturus ſum operam, ut cultiora & experimentis auctiora prodeant, fortaſſis & alia ſubſequantur. Sin erraſſe me quis oſtenderit, ſicut non ingratum monſtranti præbebo ſic ſaltem aliquid ſolaminis attulerit, Magnis auſis excidiſſe.

ELEN.

ELENCHUS CAPITUM.

CAP. I. Quid per Secretionem intelligendum sit. Pag. 753
CAP. II. Secretionum differentiæ. 754
CAP. III. Secretionum scaturigo. 756
CAP. IV. Succorum ad particulas dimittendas prævia dispositio expenditur. 764
CAP. V. Secretoriæ partes quæ sint. 768
CAP. VI. Secretionum tam Simplicium, quam Mixtarum, generalis methodus. 769
CAP. VII. Secretionum Simplicium, seu Perfectivarum, ratio. 770
CAP. VIII. Secretionum Mixtarum ratio generalis. 775
CAP. IX. De Fermentis. 777
CAP. X. Fermenta ad Secretionem præcedanea quæ. 782
CAP. XI. Fermentum Secretiones Mixtas immediate concitans, quodnam sit. 783
CAP. XII. Hypothesis, pro Secretionum Mixtarum ratione reddenda, proponitur. 790
CAP. XIII. Phænomenon quorundam, & dubiorum, solutiones ex allata Hypothesi. 793
CAP. XIV. De vasorum biliariorum officio. 798
CAP. XV. Secretionum Privatarum ratio. 807
CAP. XVI. Secretionum præter naturæ institutum evenientium ratio. 809



GULIELMI COLE M. D.

TRACTATUS DE SECRETIONE ANIMALI.

CAPUT PRIMUS.

Quid per Secretionem intelligendum sit.

DE *Secretione* quatenus scilicet in humano potissimum corpore peragi solet, verba facturus, oportet ut in ipso limine quid per vocabulum hoc intelligi velim, exponam. Idcirco advertere licet corpus humanum, perinde ac cunctorum animantium, tum ex multiplici partium solidarum, particulis inter plurimum discrepantibus conflatarum, suppellectile coagmentari, tum etiam Variorum succorum commeatu irrigari; quos pariter non minus difformi particularum strue constare certum est, cùm & nutricatum illis suppeditent, & ex iisdem resoluta compage diffluentibus ex parte contlentur. Illæ siquidem, tum præ motu intestino tum sanguinis impingentis vi atritæ, inveterascentes particulas hujus alveum affatim deponunt, (novarum interim ab appellentibus succis proventu vicissim auctæ:) Isti verò, variis acti motibus, tum varias partium suarum comminutiones patiuntur; secus enim nequaquam habiles evadere possunt, ut vel in illarum, tantopere inter se difformium, substantiam facessant, vel alia vitæ munia præstent; tum aptitudinem hinc nanciscuntur ad particulas certas ex gremio suo deponendas: nec enim aliter fieri potest, quin in tam multiformi congerie (qualis tum ex deciduis solidarum particulis, tum chyli, ex pluribus diversæ prosapiæ substantiis enati supplemento provenit) multæ præsto sint, quæ quoniam agitatione continua cientur, atq; strictos intra vasorum cancellos coercentur, vel sponte, qua data via prorumpant, vel si aliunde vis accedat, sese è reliquarum contubernio facili negotio exturbari patiantur.

Hinc duplex emergit in corpose *Separatio*, alia quę intra massæ confinia celebratur, alia quæ determinatarum quarundam particularum ex eadem exclusione perficitur.

Prior in hoc consistit, quod quædam massæ particulæ in motum concitæ, & locum, quem prius occupaverant, consortiumq; quod cum aliis inierant, ipsæ deserunt, & in alias, dum hoc satagunt, impingentes, eas tum in minora fruſtula diffringunt, aliove aliquo modo dissociant, atque è sedibus proturbant, tum in consimilem motum concitant, aliique qualem ipsæ subierunt, divulsionem hoc nomine inducere cogunt. In hujusmodi Separationis, cuactarumque, quas uspiam in corpore invenire est, digestionum ratio consistit: diminuta enim hac ratione mole, mutataq; figura, majorem ad motum promptitudinem aliasque, quæ ab his pendent, dotes necesse est ut acquirant corpora talem suarum particularum separationem passa.

Altera Separatio, qua scil. materia quædam determinata extra massæ, cujus ante pars fuit, terminos fertur, certum, ut cum delectu perficiatur, organorum apparatum requirit, quorum ministerio particulæ quædam, præcedenti digestione ab aliis laxatæ, atque ad horum oscula proportionem quandam quoad molem & figuram nactæ, cum ad illa, sive intestino nixu, sive vi aliunde illata, appellunt, foras convehuntur reliqua massa prorsum per solitos & patentiores canales lata.

Quamvis utrumque genus commune *Separationes* nomen sibi vindicet, posterius tamen, quandoquidem peculiare naturæ artificium prodit, atque à priori satis distinctum sit, distinctam insuper & magis limitatam appellationem meretur, atque *Secretionis* titulum sibi proprie arrogat. Vox enim ipsa separationem modi sonat, qua separata materia ex alius, quacum antea delituerat, gremio fertur, atq; seorsim consistit. Huius explicationem nobis in sequenti Dissertatione proponimus, & ad eam sensa nostra accomodare conabimur. Interea tamen quoniam hæc alteram illam præsupponit, haud abs re forsan erit paucula ad illius naturam attinentia suo loco in medium proferre, quo melius ad hujus ad notitiam perveniamus.

CAP. II.

Secretionum differentiæ.

QUoniam vero plures; eæque variæ materiæ, Secretiones in corpore occurrunt, earum discrimina primum recensere, scaturigines que investigare oportet.

Secretiones igitur vel ad *privatum*, vel ad *publicum* usum instituuntur.

Quæ publico inserviunt (missis aliis differentiis) respectu materiæ ad duo potissimum genera referendas esse censeo, quod scil. aliæ *Simplices*, aliæ *Mixtæ* sint. *Simplices* volo, non ea vocabuli proprietate, ac si singulæ secretæ materiæ particulæ essent pure inter se homogeneæ, sed respectu massæ è qua separantur; utpote cujus purior solum, & simplicior, comparatione ad eam habita ex qua segregatur, aliqua delibatur pars; crassiori interim (licet non ubique omni puriorum particularum consortio prorsus orbata) alio per patentiores canales deportata, *Mixtas* appello, in quibus varii generis, tam tenuiores quam crassiores, eliminantur particulæ, restitante massa non minus tenuibus, imo plerunque pluribus, iisque alicubi vel tenuioribus, quam quæ secernuntur, referta.

Iis quæ prioris generis sunt [quæ & *Perfectivarum* titulo forsan insigniri merentur] hoc competit, quod materia ex qua constant introrsum, atque in penitores continuò corporis recessus, ad nobiliores, quam quibus integra, è qua proliciuntur, massa par esse potest, usus fertur. Porro & nervis insertis, vel in totum destituuntur partes iis peragendis destinatæ, vel minutioribus saltem gaudent, quam qui in eas, quæ alteri Secretionis generi famulari natæ sunt, inseruntur [quem vero in finem inferius suo loco dicetur.] Harum duæ solummodo [quantum auguror] in corpore occurrunt, quæ tamen maxime insignes sunt omnium, quas ubivis cernere est; *Chyli* scil. in vasa lactea, & *Succi nervosi* ex sanguine cerebrum perluente in nervo-

rum

rum canales percolatio. In quarum priori, lacteo succo in vasa propria secreto, crassa, & inutilis, per intestinorum tractus saburra amandatur: in posteri cruor, deposita in adstantes nervos puriori sua parte, crassior jam & effœtus quodam modo factus, per venas versus cor novis ex chyli & lymphæ accessu, nova oborta fermentatione, spiritibus imprægnandus redit.

Posterioris generis Secretionum, *Mixtarum* scil. extrorsum tendit materia, atque vel prorsus excernenda est, unde aut protinus è corpore excluditur, aut destinatas cavitates, ut commodius pro naturę intentione eliminetur, deponitur; vel ambitu facto intra corpus iterum dirigente vaforum structura, ad ulteriores usus reducenda, Harum omnium organa nervis, iisque mole amplis, donantur.

Ex his *Excretivæ*, vel ad *speciei conservationem*, vel ad *individui commodum* instituuntur: inter quarum materiam, licet simili instrumentorum apparatu, eademque methodo, prout inferius propalare conabimur, utramque peragi verisimile nobis videtur, magnum tamen discrimen intercedit. Quæ ad illam comparantur (quo spectant quæ in testibus, & mammis, peraguntur) ex materia, sicut multum elaborata, sic pariter toto genere utili conflantur, licet ab illa Perfectivarum satis distet. Quæ verò huius gratia fiunt, ex emerita & inutili materia potissimum constant, atque mere depurativę sunt; ideo nimirum à natura designantur, ut remanens massa purior, adque vitæ usus accommodatior persistat id quod cuivis satis obvium esse poterit, qui perpenderit quanta corpori incommoda à suppressis solitis evacuationibus superveniunt. At verò, dum secretum humorum inutilem voco, non id sic intelligi velim, ac si singulæ ejusdem particulæ corpori infestæ sint, ut nec illas omnes, quas, speciei conservationi dicatas toto genere utiles dixi, sic habendas esse quasi nullę ex iis post usum prędstitum ablegandæ foret: sed sicut secretionum, ad hunc institutarum, materia certam quandam ad usus quibus accommodata est præstandos, crasin necessario requirit, qua tam subtiles quam crassæ una maritandæ sunt, adeoq; liquor hinc emergens, ex diversi licet genii particulis conflatus, quandoquidem tota sua mole in aliud corpus transferendus est hoc nomine pro utili habendus est; sic in depurativis non paucæ (quod omnino concedendum) corpori satis utiles excluduntur particulæ, cùm tamen inutilium & emeritarum longe major ad eas conficiendas concurrit numerus; atque utiles his vel eo fine adduntur, ut liberiorem iis commeatum præbeant, vel præ subtilitate neuticam impediri possunt, quo minus se in vasa secretoria una insinuent, interea ut noxiæ solummodo destinato secernantur; tota idcirco secreta massa collective sumta prp inutili & excrementia habenda est. Hujus farinæ sunt urina, sudor, mucus narium, cerumen aurium, &c. quarum materia non unius generis est, sed plurimum inter se diversi, prout cuivis singulas perpendenti palam erit.

Secretioner *Reductivæ*, licet maximam partem ex materia non usque adeo subtili & activa, atque plurimæ ex remanentibus massæ, e qua prorumpunt, particulis conflentur, nequaquam tamen excrementia & prorsus inutili constant; sed tali, qui ulteriores in corpore usus, eosque satis insignes, præstare poterit: nempe ut variis in partibus fermenti loco contentis substantiis subveniat. Etenim ex succis, quibus scatet corpus, plures dantur, qui vel crudiores, vel crassiores sunt, quam ut propria & intestina fermentatione debitum maturationis vel tenuitatis gradum assequi possint, unde fermento, quo commodius digerantur, opus habent: proinde natura his prospiciens, ex elaboratioribus tales iis suppeditat liquores, qui activitate sua majorem particularum, ex quibus conflantur, comminutionem efficiat, ut sic debitam subtilitatem adipiscantar, atque singulis parribus, tali subsidio indigentibus, propria indulsit vasa, quorum ministerio congruum, & eliciatur, & affundatur fermentum. Partium huic muneri destinatarum longe major occurrit numerus & varietas, quam talium, quæ reli-

quis quibuſcunque Secretionibus dicantur; idque quoniam tanti ad corporis œconomiam recte adminiſtrandum intereſt, ut debita ſuccorum elaboratio, & ſubtiliatio, habeatur.

Quemadmodum verò Publicæ, quas diximus Secretiones variis uſibus impenduntur, hic ſcil. ſubtiliandis, illic depurandis circa quos verſantur liquoribus, alibi fermentis iiſque varii generis, concinnandis, aliiſque forſan muniis, ut hinc commodius œconomia adminiſtretur animalis; ſic *Privata* unicum, prout mihi videtur, in finem inſtituitur, ut nempe particularem aliquarum ſucci nutritii, per varias elaborationes; & depurationes (*publicarum* adminiculo) debito modo exaltari, talis à reliquis ſecluſio, inque certa prope conſita conceptacula ſeceſſio fiat, unde in partium ſubſtantiam appoſitione faceſſant: etenim ad hoc opus etiam Secretio requiritur. Cum enim ex appellentibus, qui nutrimentum ſuppeditant, ſuccis non quælibet indiſcriminatim ſingulis partibus nutriendis conveniant particulæ, ſed aliæ has aliæ illas, prout earum fert textura, exigant; cùmque jugem particularum quarundam avolationem partes ſolidæ patiantur, unde continua inſtauratione iis opus ſit; ut impenſas has reſarciant, ex præterlabente fluvio tales, quæ ad hoc munus idoneæ ſint neceſſe eſt ut admittant. Et revera in hunc ſcopum reliquæ omnes quodam modo collimant Secretiones [licet haud diffitear, & ad alios fines inſervire, nempe ut magis idonei evadant ſucci pro ſenſus & motus obeundis muniis, necnon pro intellectus operationibus exequendis, quandoquidem in his proferendis corporeis anima utitur inſtrumentis] quatenus ſcil. earum miniſterio materia partibus nutriendis debita vel exaltetur, vel à craſſioris fœcis inquinante commercio liberetur.

Præter ſolennia hæc Secretionum genera, obſervare licet quod aliæ quandoque *præter naturæ inſtitutum* fiunt, prout tum in hydropicis affectibus, tum in fonticulis, ulceribuſque aliis, ſive artis ope, ſive ſponte excitatis, cernere eſt. Quarum ſingulæ, quam vis à morbosa diathe-ſi pendent, non tamen abſque naturæ moderamine procedunt, maximamque illius ſolertiam oſtendunt, eo quod licet partes huic muneri plurimum ineptas offendat, tam commodas tamen præſtituere vias poſſit, quibus (nec quandoque ſine maximo emolumento) laboranti corpori ſuccurat, atque morborum alioqui emerſurorum ſegetem præſcindat.

CAP III.

Secretionum Scaturigo.

CUm verò plures in corpore ſubſtantiæ dantur particulis à ſe dimittendi aptæ natæ, proxime inquirendum eſt, ex quo fonte deveniat quod ſecludi cernimus.

Et primò, quod ad Secretiones *Perfectivas*, ſatis patet, unde earum materia derivetur. Cùm enim quod ſecernitur ſit tantum purior prout adſtruximus, appellentibus maſſæ pars, ſi attendamus qualis ſit, quæ ad Secretorias partes appellit, maſſa, res in vado eſt. Unde cùm duæ ſolummodo inveniantur; quæ ſub hoc cenſu cadunt; *Chyli*, ſcil. per inteſtina in vaſa lactea, & *Succi nervoſi* per cerebri corticem in nervos, nemo ambigere poteſt ex chyloſa ſolummodo maſſa ſeparari quod in lacter penetrat, ut nec ex ſanguinea proclivi quod in nervos inſtillatur; quandoquidem nulli alii, ad partes ſecretionibus his dicatas, pertingunt ſucci, ex quibus quicquam ſecerni ſupponamus: quod enim chylo in inteſtinis ex hæpate & pancreate naturaliter effunditur, fermenti tantum (niſi forſan & vehiculi cenſueris loco) huic inſervire poteſt, ut ulterius illic elaboretur, expedituſque in adſtantes inteſtinorum porulos coletur. verùm de aliis Secretionum ſpeciebus res paulo intricatior eſt, quam propterea enodare conabimur.

Supra notavimus duo ſolummodo eſſe ex quibus corpus noſtrum conſtituitur; *partes* nempe *ſolidas* & *liquores* (etenim ſub poſteriori hoc titulo *Hipocrates* ὀπῶν concludenda videntur, quoniam nuſquam in corpore ſpiritus ab humorum miſtura liberos dari adhuc compertum

tum est :] nunc par est, an ab utroque horum, an ab altero tantum, dimanet Secretionum materia, breviter primum inquiramus.

Et *Solidas* quidem *partes* ex liquoribus certa diatexi coeuntibus inq; exurgere eosdem, ubi statum illum deserunt resolvi (saltem fluidorum formam induere) nemini dubium esse potest: Cùm verò indesinens sit tam harum, quam liquorum, & absumptio, & instauratio nec magis in solidarum & consistentium absumtarum locum, quamdiu partibus integer perstat vigor, constanti tenore quædam ex liquorum penu deponantur particulæ, quam ab his emeritæ aliæ abscedant, inq; liquorum familiam, quibus natales debent, relabantur, [quod nisi fieret, in immensum, & ultra statum à natura terminum excresceret corpus [idcirco Secretionibus materiam quodam modo à partibus solidis suppeditari certum est : quod & inde argui potest, quod à concitatiori qualicunque evacuatione collabescere has comperimus Verum enim vero, quandoquidem nullus hic delectus supponi potest, sed quęcunque ab iis, jugi perluentis, ipsasq; deprædantis, humoris irrigatione perfusis, decedunt particulæ, illorum integrales partes fuere, atq; ferocientis solummodo hujus impetu abraduntur : cùm porrò, quæ sic divulsæ sunt, à prędatorio torrente absorbentur ; in cujus sinum delatæ unam cum eo constituunt massam, donec ulteriori opera ad secessum deponantur; idcirco Secretio ad liquida magis proprie limitanda mihi videtur, nec ad partes solidas attinere nisi horum interventu suscitetur.

Liquores autem, quibus perluitur corpus, licet varias indoles, non secus quam nomina sortiantur, ex uno tamen fonte omnes emergunt. Sc. ex Chylo fit sanguis, ex quo deinceps succus nervosus, cęterique omnes, quotquot in toto corpore invenire datur, vel immediate, vel mediate saltem proliciuntur Ex *Chylosa massa* in intestina depulsa Secretionem institui, eamque omnium maximam, modo notavimus; sed secreta illic materia tota introrsum fertur, atque ex puriori solummodo massę parte constat. Ex eodem autem chylo (ulli-ve assumtis) dum vel in ventriculo, intestiniśve stabulatur, vel lacteas, aut receptaculum, glandulasve mesentericas pertransit, nil secerni, vel in ejusdem depurationem, vel ad alios quoscunque usus inde constat, quia nulla his partibus secretoria vasa, quæ ex ejus penu aliquid delibent, & asportent, adsita esse hactenus compertum est ; imò contra, nervosi succi in glandulis mesenterii, & lymphæ, à remotioribus partibus refluæ, in receptaculo copiis augeri mihi videtur.

Scio equidem doctissimis quibusdam viris etiamnum arridere veterem chylo, per venas mesaraicas, in sanguinem tramitem non prorsus denegandum ; imò & venas glandulis mesentericis incertas ejusdem partem aliquam, dum per lacteas delatus huc appellit, delibare ; non enim æquum esse ducunt, ut universa ejus massa uno torrente, unoque in loco, sanguini affundatur, ne crudior cùm sit, hujus obruat calorem, spiritusque nimis deprimat, cordique ipsi, nullis factis ambagibus, ingestus molestias creet : quin insuper [præter id quod Cel. *Glissonius* de chyli parte à nervis in glandulas mensenterii terminatis admittenda supponit) tenuiorem assumtorum partem (maxime si admodum spirituosa sint) partim à nervis ventriculo implantatis, partim a venis illic desinentibus absorberi contendunt, unde citissimæ illius, quæ labore, inedia, aliisve de causis exhaustis, talibus exhibitis, supervenit, refectionis causam deducunt. Verum (præfatâ Cl. huic sententiæ adstipulantium virorum venia) quamvis sat esset his insigne illud Cl. *Lowveri* de ductus chyliferi ruptura experimentum objicere; nulla tamen, dato quod uno in loco sanguini chylus suggeritur, qualia comminiscuntur incommoda hinc invehi posse mihi videntur. Satis enim in propatulo est, exilibus tantum aperturis ductum thoracicum in venam subclaviam hiare atque liquorem quem portat lentissimo insuper, si dum sanguinis, qui largo, & rapido flumine decurrit, conferatur, motu ferri, quo fit ut

ut huic exigua proportione affundatur, idque licet non admodum longo, tanto tamen ante cordis ostium spatio, ut illi satis intime prius commisceri possit quam hoc ingrediatur, adeoque omnis, quæ à nimio refrigerio timeri potest, nova præcaveatur. Imo sanguini non procul à corde sociari debere videtur, ne prius elastica particularum aerearum [quibus abunde refercitur chylus] nitrosarumq; aliarum exantletur vis quam ad cor pervenit; hinc enim potissimam & diastoles & systoles causam pendere fas sit suspicari: Etenim & harum nativa expansione, & fermentatione quæ sanguineis particulis istarum miscella inducitur, fit, ut latius quam secus eveniret, distendi necesse habeat cordis sinus: cor verò & ab hac distentione molestiam (si ita loqui licet) sentiens, nitrosarum particularum aculeis lacessitum se ad contractionis pensum fortius accingit, adeoq; major sanguini agitatio, efficaciorque comminutio [sine qua haud vitalis esse persisteret] imprimitur. Si ergo chylus his refertus, vel procul nimis à corde sanguini ingeratur, vel portarum multitudine nimium distrahatur, facile particulæ ejus elasticæ, ubi primum hujus senserint calorem, in eum vim hanc suam impendunt unde contingat, cor ipsum iis fraudatum iri. Porrò constat totum chylum, qui à venis sanguiferis ubivis per mesenterium sparsis absorberi ex hoc supposito concipi potest, ad hepar ex circulationis lege tendere debere, cumque sanguine à liene refluo commisceri: at quoniam retorrida sanguinis pars omnium consensu in hepate deponenda ex naturæ designatione (ad quam insuper laxanda, & ad Secretionem dispanendam, lienem suas præstare vices probabile est, rationi satis incongruum videtur crudiorem & viscosum (cæteris paribus) hunc chylum sanguini, ad hoc munus huc properandi affundendum esse, qui & confusionem ei inducendo, & inviscando quasi, Secretionem hanc non potest non plurimum interturbare.

Quod verò nervos, sive in ventriculo, sive mesenterii glandulis, terminatos) chyli partem asportare supponunt, magna premi difficultate mihi videtur: Cùm enim nervi continuo tensi sint, [secus enim nec motus, nec sensatio, peragi possunt] atque ista tensio à contenta aliqua in illorum cavitatibus substantia, quę propter continuas expensas jugiter suppeditari debet, proveniant; Cerebrum (quod præ indesinenti sanguinis per largas arterias appulsu, nequit non omnibus momentis ex hujus sinu particulas aliquas admittere) continuo deorsum aliquid (sive spiritus animales, sive succum nervosum appellaveris) in nervosum canales detrudat quomodo concipi potest sursum quidpiam contra adversum flumen in iisdem vasis ascendere posse? Nec ex cita illa ab assumtis refectione quicquam nisi pertenuem aliquam substantiam (non enim omnem omnino ventriculi contentis transitum per tunicas negavero, cùm ex divini Hippocratis mente corpus ubivis permeabile & perspirabile sit] sed quæ chyli nomen haud sibi vindicare posse videtur, vel ad cerebrum immediate ex ventriculo deportari, vel à venis, alia quam solita per lacteas via, absorberi ex ullis sive experimentis, sive ratiociniis satis liquore censuerim. Sed quandoquidem spirituosæ, & quodam modo acres sunt, à quibus hic affectus induci solet, substantiæ, earum particulæ quædam, subtiliores (exiguo numero) per tunicæ ventriculi interioris porulos in venas admissæ; sanguinem exagitare, inque vegetiores motus, fermenti instar concitare, spirituſque fatiscentes exsuscitare, facile concipiantur. Porrò & [quod non levis esse momenti hac in re arbitror) credideri quod, dum in ventriculo stabulantur istæ substantiæ, nervis, confertissime ei insertis, tensionem, præ irritatione quadam ab aculeatis earum particulis, proveniente, imprimant, cujus ope si non ad cerebrum usque quodam modo regeratur contentus in iis succus, saltem in eo qui secus efflueret hinc detineatur, ipsumq; actuet, unde omnis lassitudinis sensus (quæ nervis distendente humore suo tandem orbatis supervenit) statim tollitur; hic verò effectus tandiu durare facile concipiatur, usq; dum, assumtis

per

per solitas vias sanguini adeoq; ipsi cerebro [quod brevi fit] suppeditatis, novæ & idoneæ spirituum copiæ ex horum penu in posterum suppetant. Sed hæc κατ' ἐξοχὴν dicta quis forsan autumet. Cùm verò non ex chylo dimanent istiusmodi Secretiones, aliunde quærenda scaturigo.

Duo autem solummodo superstant liquores, qui huic muneri quicquam conferre possunt, *Sanguis* sc. & *Succus nervosus*. Et ex *Sanguine* quidem satis obvium est magnam [saltem] secretæ materiæ partem promanere. Præterquam enim quod particulis ad quosvis ferme œconomiæ animalis, ad quos secretiones instituuntur, usus requisitis abundet, plurimaq; recrementa progignere necesse habeat; Id insuper evincit; quod nullas partes secretionibus, de quibus sermo est, dicatas invenire datur, quin vel numerosiores, vel mole saltem grandiores, adsitas habeant arterias, quam quæ iis ad alios usus requiri videntur.

Cùm verò & hæ partes nervis pariter gaudeant, iisq; satis amplis, dubitari potest annon ex *succo* etiam *nervoso* ex parte secernatur; quod secretionum harum materiam constituit.

Digressio de Succi nervosi existentia.

SUccum quidem *nervosum* dari perquam strenuè evicerunt Celebr. *Elissonius* & *Willisius*, aliique, quorum argumenta (à nemine, quod sciam, hactenus solidè refutata) non opus erit hic repetere. At nihilominus non desunt etiamnum magni nominis viri, qui eundem in dubium vocare præstant, tanquam nimis arbitrariam hanc opinionem causati, eo quod haud certo satis aliquo indicio constare autument, a quopiam unquam conspectum fuisse, nec nervi cavitatibus conspicuis pertundantur: quin, ne a veterum placitis recedant, magis iis *Spirituum* notio arridet, eorumque ope cuncta, quæ succo nervoso adscribuntur, phænomena solvi posse arbitrantur.

His quamvis satis responsum esse a Clar. supradictis viris opinamur, quoniam tamen *hypotheseos* nostra (inferius tradenda) magna ex parte hoc supposito pendet, liceat paucula in pleniorem hujus rei confirmationem ex abundanti addere.

Et primò etiamsi concederetur (cujus tamen contrarium ex iis, quæ a prædictis viris Clar. efferuntur, abunde, me judice, evincitur, a quibus etiam rationes, quare non comparet in defunctis, satis firmæ assignant) succum nervosum sub aspectum non cadere, anne idcirco pro nullo statim habendus est, cùm ex adverso tot rationum momenta dari eum suadeant? Quis nescit quam multa ubique occurrunt, quæ visui se nullatenus exhibent, cùm satis crassa ut sint objecta oportet, quæ ab oculis percipiuntur? Quis lucis radios (quibus tamen acceptum referimus quod cetera conspiciantur) contueri potest, quamvis ipsi sint corporum [minutulorum licet] systasis: Quis aerem quem spirat, & sine quo ne momento quidem superesse possumus, obtueri valet? Ne verò extra animalium corpora istantias quæramus, quis canaliculos in intestina hiantes, chyli [satis licet crassi liquoris] admissioni dicatos, unquam vidit, licet tales adesse nemo negaverit? Cui tantus oculorum contigit vigor, ut vel vasorum sanguiferorum ultimos capillares tubulos, ipsumque sanguinem, utcunque rubore suo clarum, ipsos tranantem, unquam conspicatus fuerit? quanquam nemo non concesserit hunc illo, & multo crassiorem, & magis conspicuum esse, quem nervis ejusdem patroni adscribunt, & vascula ista nervis multo patentiora. Quod si tam lynceo cuiquam esse contigerit, merito tamen pro oculatorum miraculo habendos erit, qui nedum sanguinem, sed vel ipsas arterias venasque, per *anarearum*, aliorumque hujusmodi animalculorum, tibias decurrentes, visu assequutus fuerit; cùm tamen his talia vasa, sanguinemque (vel saltem succum aliquem analogum) dari, inque extremas earum partes, ut nutriantur & augescant, derivari nemo, opinor, negaverit; (imo nec nervos, multo quam vasa sanguifera exiliores, quandoquidem tam exquisito sensu pollent) eoque minus quoniam nullis animalibus (quæ saltem cultrum Anatomicum subire possunt) ha-

ctenus compertum sit (dictante accuratissimo *Lovvero*) cor, ad sanguine pellendum natum, desiderari. Si verò ab oculorum testimoniis nulla harum rerum desumere liceat indicia, quorsum illorum suffragia tantopere in præsenti negotio experimus, ubi actionis ab hoc succo præstandæ ratio, ut perquam subtilis sit, inq; perexilibus canalibus hospitetur, cùm in exigua solummodo quantitate suppeditandus est, postulat? Non enim tanta copia, quanta sanguis, adesse debet, cùm & hunc activitate multum superet, & agente ferme tantum partes, tum in nutritione (ubi ad hanc concurrit) tum in aliis quibus impenditur, operationibus, præstat. Cûmque nullus huic, extra cordis sphæram delapso, notabilis impulsus a tenerrimo cerebro imprimi potest, propterea opus habet in pertenues rivulos distrahatur, quibus prorsum pellendis leniissima illa cerebri constrictio, atque admissarum a tergo novarum copiarum protrusio, sat esse poterunt. Porò ex nervorum, corpore exemtorum, notabili teneritudine [quoad medullarem substantiam volo] satis constat, frequentia in iis adesse spatiola, per quæ nil obstare videtur, quo minus tantæ subtilitatis, quantę hunc supponimus, serpat humor.

At verò quæ de spititibus animalibus profunctionis animalis muniis peragendis afferunt, non multum forsan negotii facessant, modo de eorum natura satis constet. Vix enim (ut mihi videtur) ullum de *Spiritibus* quibuscunque in corpore nostro hospitantibus sibimet fingere possunt eorundem patroni conceptum, qui non eos in *succorum* numero sistat. Quamvis enim æthereæ substantiæ titulo indigitant, non tamen isto sensu hoc eos voluisse credendum est, ac si pari cum veri æthetis particulis subtilitate certarent; sic enim intra nullos, quæ corpora nostra habent, vasorum cancellos detineri possent: his enim ea inest, tum exilitas, tum figuræ ad motus celerrimos concinnitas, ut cunctos (ferme) terrenorum corporum meatus libere permeare valeant, tantum abest, ut intra nervorum (quorum teneritudo satis pervios his meatus undique patere arguit) canales incarcerari sese patiantur. Idcirco per *Spiritus Animales* (quos omnium quot quot habet corpus subtilissimos esse cuncti consentiunt [ea solummodo puriorum & subtiliorum sanguinis particularum σύστασις intelligi potest, qua idoneæ evadant ut nervos, ad animalia munia sustinenda libere subeant; quam quidem ut obtineant oportet ut eas, tum moles, tum figuras, sortiantur, unde ad nexus aliquatenus sint dispositæ, ut sic, se invicem mutuo prehendentes; à nimis citò avolatione detineantur: etenim constans actionum animalium, motuum præsertim, necessitas exigit, ut ab agente perficiantur, quod in opere suo non nimis cito fatiscat. Hinc fidem facit, quòd sanguis (& reliqui propterea, quotquot inde proliciuntur, liquores) ex crassis, maximam partem, & compactis cibis parantur, qui sicut istam, nisi ex aliquatenus ramosis constarent particulis, nequaquam induere possent consistentiam, sic vix credibile est eousque in corpore nostro attenuari & comminui posse (ubi nullus tam fortis supponi potest motus, qui ad omnimodam comminutionem necessarius sit) ut nativę indolis prorsus obliviscantur. Adde quod vix tam pura in corpore separatio fieri potest, ut subtilissimæ ab omni crassiorum consortio in ulla recondi queant vasa si enim hinc innumeros tenuitatis gradus qui inter particulas sanguinis supponi debent, pensitaveris; inde verò meatuum in partibus secretoriis, [habito ad subtiliores ex illis particulis respectu] speciatim in cerebro, amplitudinem [id quod exinde patet, tum quòd laxam iis esse compagem primo intuitu quisque deprehendat, tum quod nullæ earum admodum sint ponderosæ; atqui in confesso est, corpora, quo plus habent ponderis, eo angustioribus poris donari (vix concipi potest, quin ex dictis particulis plures, diversæ magnitudinis & figuræ, in eosdem meatus se se insinuare possint, dumque intra arctiora inde potrectorum vasorum claustra coercentur, nec proinde satis pro voto se se singulæ explicare valent, quidni complicationes ineant; adeoque liquoris specie emergant? At verò sive detur tenuissimas solummodo particulas in nervorum conceptacula deponi, sive una cũ his

rales idem capeſſant iter, quæ craſſiuſculæ ſunt, hoc tamen pro rato habendum, omnem ſuam volatilitatem & activitatem cunctas, quæ, *Spirituum* titulo ubicunq; in corpore concluſæ, ſuperbierunt, ſubſtantias concitatiori ſanguinis motui & calori debere: Subtiliores etenim, grandioribus hoc nomine mobiliores, majorem hinc agitationis gradum, notabilemque agilitatem nactæ, hanc ea propter appellationem ſortitæ ſunt. Ubi vero motus iſte remiſerit, calorve evanuerit, ſponte hę ad quietem aliqualem ſe componunt, inque gratiam, tum inter ſe, tum cum aliis, quorum adeptæ ſunt conſortium, redeunt. Cùm ergo ſubtiliores ſanguinis particulæ, divortia præ concitatiori hujus agitatione affectantes, frigidiorem cerebri religione ingreſſę fuerint, reliquarum, agitationem ſuam adhuc retinentium, commercio præcluſæ, ſponte ſubſidunt, atque ſe invicem mutuo prehendentes in liquorem nequeunt non coaleſcere. Interea tamen illa particularum harum coalitio non impedit, quo minus ſe ſolita impere, ubi fortiorem ſenſerint calorem, expandant: cùm enim arctos adeo hinc nexus haud inire poſſunt, quin ſe facile divelli patiantur; ſi rurſum ſanguini affundi contigerit, præ hujus calore non minus efficaciter [imò fortaſſe majore vi] ſeſe explicare concipiantur, quam ſi ſub halituoſa manſiſſent forma, pyriique pulveris ritu, fomite hoc ignario ad moto fortius, hoc nomine quod compreſſæ, explodantur Hinc patere videtur, non tantum inter veterum *ſpiritus animales*, *nervoſumque* nuperorum *ſuccum*, diſcriminis intereſſe, ut magna inde lis oriatur. Quin novum eſt *Spiritus* nomen ad liquores aptari: etenim inter Chymicos à longo tempore obtinuit hæc appellatio: idque non ad unius generis liquorem exprimendum ſed plurimum diſcrepantes, & ex iis quoſdam conſiſtentia ſatis craſſos, modo notabili ἔνεργείᾳ polleant: Sic non ſolum ſubtilior vini pars hoc nomine inſignitur, ſed & liquores ſalini, tum qui ex urina, cornu cervino, &c. magis volatiles, tum etiam qui magna ignis vi ex Vitriolo, aliiſque multis concretis, acidi, ſatiſque ponderoſi proliciuntur.

Sed unde ſumus digreſſi redeamus, atque paulum, an ex ſucco nervoſo ſecerni aliquid ſoleat, expendamus; quanquam paradoxon forſan videatur hac de re, modo hujus ſucci exiſtentia concedatur, quæſtionem movere. Cum enim ex nervoſi generis affectibus hunc recrementis non raro ſcatere conſtet, iis amoliendis naturam deſtinato conſuluiſſe credendum eſt, proinde ſecretionis famulatu ad hoc proſpexiſſe ſupponatur. Et ſane huic favet quod ex ſecretoriis partibus, glandulis ſcilicet, nullæ (exceptis quas ad perfectivam attinere diximus) ſint, quin non ſolum nervis, ſed & iis vel mage numeroſis, vel mole majoribus donentur, quam qui vel nutrimenti ad illas deferendi vel ſenſationis impertiendæ, ut de motu ſileam, ad quem minime natas eſſe ſtructura teſtatur) proportionem ſolummodo æquent; imò quandoque tam magnos ſortiuntur, ut hi vaſa ipſa ſanguifera pariter inſerta excedant, Porro conſtat ſimplicia vaſa, alioſque ſecretorios ductus, prope nervorum extremitates in his partibus ſita eſſe, cùm hinc originem trahant: & quamvis hæc vaſa, Anatomicorum conſenſu, ſanguiferis etiam ancillentur, atque ſucci, quem deferunt, maximam partem ſanguini deberi veriſimile ſit, quidni & ſucco nervoſo miniſterium hoc præſtent, cum nuſquam alibi defæcari poteſt?

Excerni quidem aliquid ex hiſce nervis in glandulas omnino concedēdum videtur; interea tamen an ex ſucco nervoſo *ſecernatur* quod *excernitur*, ambigi fortaſſe poteſt. Dubitandi anſam præbet, primò, quod quamvis pleriſque, ſi non ſingulis, vaſa adſint, quæ vel extrorſum deportant, vel in ſanguineum chyloſumve rivum deferunt quod ſecernitur, nulla tamen adſunt quæ nervoſum, hic, ut volunt, depuratum ſuccum ad cerebrum immediate revehant; & cui, quæſo, bono depurandus hic loci foret, ſi nullus illi ad cerebrum regreſſus, detur, ſit que interea eo, cui affunditur, multo purior & defæcatior? Deinde, ſi dicatur (quod quibuſdam viris doctiſſimis placuit) per eoſdem canales redire per quos depluerat, inde etiam incumbit difficultas haud ſper-

nen-

penda. Si enim in glandularum ſubſtantiam è propriis concceptaculis, ut illic à noxia liberetur fæce, effundatur; quæri poteſt qua arte poſt illam depurationem in nervos reſumatur; Cum enim laxioris multo nervi ſint texturæ, amplioribuſque donatæ meatibus ſecretoriæ iſtæ partes [id quod exinde patet, quia craſſior ipſe eas trajicit ſanguis] credibile videtur ſubtiliores potius quam craſſiores (proinde rejectaneas) allati ſucci particulas per patentiores haſce vias [utpote ſatis craſſæ materiæ recipiendæ gratia amplioribus, quam nervi, tubulis fabricatas] elapſuras, certe vix in anguſtiores nervorum porulos ſe retrorſum recepturas, eoque minùs, quoniam nec patet quævis in eos retro impellat, nec, ſi admiſſæ fuerint, quomodo prout modo notavimus) contra adverſum flumen à cerebro continuo decurrens, ipſæ, cerebrum verſus, in iiſdem vaſis ferantur. Si autem ſupponatur, non totum, qui nervorum extremis appellit effundi ſuccum, ſed quaſdam ſolummodo illius particulas per ea, redeuntibus reliquis percolari, replicari poterit rationi conſonum videri, vel tenuiſſimas ſolummodo (ubi mera percolatione res tranſigitur) per incerniculi poros exituras; vel ſi craſſiores modo meatuum figuris & diametro reſpondentes, ab iis admittantur, ſubtiliores tamen una cum his ſe etiam inſinuaturas, utpote quæ (& minutiores & agiliores cùm ſint) haud impediti poſſunt quo minus in patentiores, & illarum (quæ tamen molis ratione magis ad hoc ineptæ ſunt] admittendarum capaces colimeatus una ſervant, adeoque non tam depuratio quam depauperatio hujus ſucci neceſſario invehetur. Quinimo ſi quis comminiſci voluerit, naturam, electiva quadam facultate, craſſiores ſucci hujus particulas in eos præcipue nervos, qui ad partes ſecretorias tendunt, demandare foras extrudendas, puriori parte per alios lata, par eſt ut monſtret quonam (mechanico) artificio peragatur, & quomodo ita rem habere conſtet, cum utrobique nervi inter ſe ſimiles conſpiciantur quod vix eveniret, ſi tam diverſi genii liquoribus deferendis nati eſſent; nec, ſi hoc daretur, ſecretio hæc in partibus, ubi terminantur nervi, ſed in ea qua incipiunt, cerebro ſcil. ſupponi debet peragi. Idcirco haud prorſus improbabile videtur, hoc quicquid ſucci nervoſi in glandulis deponitur, non recrementum aliquod eſſe, quod ab aliis conſtitutivis ejuſdem partibus diſſociatur, perinde ac in ſanguine uſu venit, ſed ipſius partem (integralem quaſi] eſſe, quæ vaſis ſuis abſque ulla particularum conſtitutivarum divulſione in appellentem ſanguinem effunditur, cujus, ubi munere ſuo functa fuerit, pars ſanguinis per venas reſſuo commiſta, idem cum eo capeſſit iter, pars altera (ejuſdem tamen genii) in ſecretoria vaſa cum deciduis ſanguinis particulis [cui ad hoc muneris hic loci affundi arbitramus] divertit.

Quod autem in prioris ſententiæ favorem impurioris ſaburræ mixtura quandoque laborare ſuccum hunc aſſeritur [id quod in convulſivis, & ſcorbuticis aliiſque hujuſmodi affectibus cernitur] cui idcirco extricandæ naturam iſtarum partium appoſitione proſpexiſſet ſupporatur; huic forſan reponere licet, impuritates iſtas ex naturæ deſignatione nequaquam evenire, quę ultimam quaſi manum ei impoſuiſſe videtur (quod aſſenſum fortaſſis ab illo merebitur, qui longam mineræ, ex qua prolicitur, elaborationem, accuratam ſeparationem, eximioſque, quos præſtat, uſus penſitaverit. (Unde cum in ſtatu naturali nil impuri in eo congeratur, ſupererogaſſe naturam videtur, ſi ſecretorias aſſignaret, ubi nil ſecernendum, niſi ejuſdem errore, generatur. Multos enim cernere licet qui, ſi non toto vitæ curriculo, ſaltem per plures annos ab omni affectu, qui ſuccum nervoſum vitiatum teſtetur, immunes degunt. Si verò quæratur quo modo hujuſmodi affectus, ubi invaſerint, tolli poſſint (quod tamen non raro uſu venit) nervoſuſque ſuccus ab hac ſaburra, ſi nulla habeatur ex eodem ſecretio, liberari queat? reſponderi forſan poterit, vix ullam hujuſmodi morbis adhibitam medicandi rationem ex voto ſuccedere ſolere, niſi ipſi fonti proſpiciatur, atque vel depravata ſanguinis craſis, quæ hoſce affectus & præcedere & comitari ſolet, in tantum reſtituatur

ur

ut nil cerebro, quod alienis qualitatibus dotatur, in posterum suggerat vel cerebrum ita roboretur, ut nil intra suos admittat, inque nervos demandet, nisi quod purum & defæcatum sit: quibus sic constitutis, satis obvium est concipere; puriorem noviter admissum succum, cùm intra tam angustos canales sese multum explicare nequeat, nec proinde prius inibi concluso confundi, hunc à tergo propellere, ipsum, tum retro admissi pressura, tum peristaltici nervorum motus vi (quem omnibus vasis membranæ vestientis beneficio adesse existimo) ulterius continuo protrudi, usque dum tota illa, quæ incongrua referta erat saburra, massa, vera cum hospite suo, extra nervorum pomœria eliminetur; (quod haud longe spatio peragi posse agnitu haud admodum difficile erit, si quantas, ratione molis, impensas ordinario patiatur succus iste supputemus) quo facto, absque ulla secretionis ope cessant, contumaces alioquin hi affectus.

Nec multum hanc sententiam infirmare videtur, quod nervi in aliquas inserti glandulas earumdem arterias & venas mole superant. Non enim hic effundi satis notabilem, quem deferunt, succi quantitatem negat, sed secerni tantum; Et enim effatu dignam (imo forsan proportione majorem quam musculis ipsis ad motus peragendos) his suppeditari debere, prout ex dicendis constabit, arbitramur. Interea tamen (ut obiter moneam) ex hac vasorum istorum disproportione haud sequi videtur, majorem liquoris, qui in vasa secretoria hic deponitur, partem ex succo nervoso, nedum secerni, sed ne suggeri quidem posse. Si enim celerem sanguinis motum cum leni illo succi hujus conferamus, facile conjiciemus, multo majorem illius, quam hujus, quantitatem, utcunque per exiliora vasa, glandulis hisce advehi posse; cumque continuus hic sanguinis appulsus, quantumvis singulis pulsibus quod affertur parum sit, atque exiguam tantum proinde secernendæ materiæ proportionem singulis vicibus suppeditet, sat magna tamen ejus quantitas pulsuum constantia vasis secretoriis non longo temporis intervallo sisti poterit,

Verum utcunque sit, sive scil. unicus sanguis secretionum materiam suggerat, sive nervosus etiam succus calculum insuper suum addat, hoc interim retinendum videtur, hujus separata recrementa [si omnino ulla] tam exigua esse, atque electiva quadam facultate (mihi, fateor, haud perspecta) intra ipsos nervorum tubulos; à puriori substantia, antequam ad glandulas ipse pertingit succus sejuncta, quæ idcirco eorum susceptoria potius, quam secreta, vi organa dicendę mererentur, ut non injuria Secretiones, quarum mentione in fecimus, ad sanguinem limitandas arbitremur.

Etenim quod ad reliquos liquores, quos in corpora invenire datur, attinet, satis obvium est nihil hos ad istam rem conferre posse. Cum enim nulli alii superstint nisi Lympha, humoresque intra certa detenti conceptacula, palam est hosce omnes nihil aliud esse nisi jam jam secretam materiam; atque vel introrsum labi, *Lympham* scil. quæ aut chylo in Receptaculo affunditur, aut aliis viis in sanguinem deducitur, vel in loculis dictis eo fine coacervari, ut aut fermenti loco aliis illuc appellentibus talique subsidio indigentibus; substantiis esse possit, aut commodius unica vice, & confertim, extra corpus exturbetur.

CAP. IV.

Succorum ad particulas dimittendas prævia dispositio expenditur.

POstquam unde secretiones ortum ducant hactenus investigavimus, atque omnes vel ex chylosa massa, vel sanguinea, profluere, tanquam verisimile conati sumus ostendere, proximum est, ut quoniam non omnia corpora particulis dimittendis (saltem non æque efficaciter) apta non sunt, istorum liquorum ad hanc rem dispositionem paululum expendamus, quam in intestina illa, cujus sub initio mentionem fecimus, particularum separatione, seu mavis fermentatione, sitam esse innuimus.

Universam hic fermentationis doctrinam longa verborum serie proponere

(quam-

[quamvis hac, in genere, non rite perspecta, haud satis illa quæ in sanguine aliisve succis peragitur, intelligi valet, utpote cui omnes suas alterationes debent] perquam ineptum foret, postquam Clar. *VVillisius* in hac palæstra tanta sua cum laude insudavit, atque hanc rem κατ' ἐξοχὴν præstitit. Paucula tamen interea delibare, non prorsus ad rem præsentem, uti mihi videtur, incongruum erit, ut sic tota negotii, quod explicandum suscepimus, series uno quasi intuitu in conspectum veniat: quæ & minus fortasse displicitura erunt, quoniam *mechanico more*, (succinctè licèt, explicare satagimus.

In primis autem quoniam, quod de *fermentatione* dicturi sumus, ad secretionis methodum duntaxat patefaciendam afferimus, considerare oportet multum discriminis quoad modum, quo particulæ ex massa aliqua secedere elective solent, inter corpora quiescentia, atque ea quæ in motu posita sunt, intercedere, licet utraque pari fermentationis gradu polleant. [Quietis vocabulo, non eam volo, quæ constituentes particulas inter se attinet, utpote in quarum mutuo motu, ipsa fermentationis constitit ratio, sed quæ totum compositum respicit, quatenus scil. intra certum locum quiescere supponitur.] In illis etenim quæ peragitur, quoniam nulla particularum confusio ab extraneis agentibus inducitur (qua scil. cunctis promiscue agitatis, illæ quæ ad secedendum accinctę erant in reliquarum amplexus retorquentur) perquam regulari modo procedit, atq; minus congruæ, postquam ab aliarum amplexibus liberatę fuerint, pellentium energiæ non invitę obsecundant, &, qua data porta, è massę gremio nullo negotio elabuntur. In his vero quæ instituitur, elegantius, & magis operosum, requirit artificium, satisque concinnum instrumentorum apparatum, unde aliæ determinationem ad egrediendum acquirant, aliis, non minus ad secedendum pronis, intus detentis. At verò quandoquidē utrobiq; consimilis est fermentationis consideratio, quæ omnem [saltem quę in humano corpore instituitur) ubi delectu habetur, secretionem precedit, idcirco huic in genere paulisper immorari liceat.

Ad *Fermentationem* igitur [præsertim quatenus in liquidis observatur] quatuor hæc potissimum requiri videntur; nempe.

Primò, ut supposito quod particulas ab invicem divisas huic exposita habeat materia, id quod omnis concedit *philosophia*) *in motu* hæ constitutæ sint particulæ, quod nisi fieret, perinde esset utrum divisæ forent, necne. Non enim, absque constituentium particularum motu, in quodcunque subjectum introduci potest alteratio, quæcunque tandem forinsecus accedat; hujus vero medio in novas *fasèis* assiduo disponuntur, novosque situs, necnon & figuras indidem adipiscuntur, unde novis plane ac diversis, quam quibus ante pollebat, viribus dotatur massa.

Secundò, ut particulæ istæ tum *variis figuris* præditæ sint, tum *magnitudine* inter se discrepent, secus enim, gradu motus quocunque polleant, illum tamen cito amittent, atque immobiles brevi evadent. Etenim dum plura, magnitudine & figura paria, invicem commoventur corpuscula, præ laterum æqualitate facillime se ad invicem applicant; unde pro laterum numero & proportione vel tota, quæ motus initio eorum singula interjacebant, replentur spatia, vel saltem multo angustiora redduntur, quam ut satis, pro perennando motu, corpora ista ab invicem recedere queant: imo tantum abest ut huic idonea sint, ut in maxime solidorum prosapiam [quæ ad fermentationem neutiquam nata esse nemo non concesserit] hoc nomine concreta ex iis conflata facessant; utpote quæ ideo talia, ex immortalis *Carteſii* sententia, evadunt, quoniam particulæ constituentes juxta se mutuo quiescunt; at quæ, quæso, efficacior excogitari potest quietis causa, quam hæc istarum incuneatio? Porro nec particulæ Æthereæ subtilissimam volo illam, à sole dimanantem, cunctorum corporum meatus interfluentem, materiam, nec non globulos cæleſtes [liceat modo de his philosophari] his alterationem imprimere possunt; quarum tamen actioni intestinas corporum mutatione non parum deberi rationi plurimum consentaneum videtur. Cùm enim huiusmodi

cor-

corporum particulæ latera ad invicem proportionata habent, neceſſe eſt, ut relicta parem proportionem obſervent ſpatiola atque vel recta ad invicem reſpondeant, vel parum ſolummodo à recta poſitione deflectant; interea tamen ut unius ad alteram proportionatus ſitus ſatis directum trananti cuicunque materiæ tranſitum præbeat. Hinc, quoniam particulæ dictæ ſatis rectos, per quos libere ſpatiari poſſunt, offendunt meatus, nulliſque detinentur remotis, quæ eas à recto per hæc ſpatiola motu inhibeant, ſeque illis medio in itinere objiciant, patet nullam vim ad ipſius corporis particulas (utpote in quas non impingunt) in motum vindicandas exerere poſſe, Verum, ubi corpora diſformibus inter ſe particulis conſtant, iſtæ ſatis ampla ad motum continuandum interſtitia neceſſario efficiunt, cùm præ laterum improportionata invicem menſura, angulorumque inæqualitate, tam prope accedere nequeunt, quin ſatis ſpatii aliis conſimili motu gaudentibus concedatur, unde & ipſæ liberum ſatis motum pariter ſortiantur, & in priores impingendo, locum variare faciant, angulosque earum atterant. Quinimo particulæ Æthereæ haud ſatis libere talium corporum meatus, propter inæqualitatem, varioſque flexus, tranare poſſunt, verum plura ubique offendunt obſtacula, quo fit, ut, dum in eorum extantes remorantesque impingunt partes, non poſſint non, præ eximia, qua pollent, pernicitate, earum renitentiam ſuperare, inque varios inter ſe hoc ingenio motus concitare. quin ipſis novum continuo hinc negotium exoritur, eo quod obverſa affatim inæqualium iſtorum corpuſculorum latera pari modo nova iis obſtacula faciunt, unde inceptus ſemel motus uſque perennatur.

3. Requiritur, ut ex hiſce particulis quædam ejuſmodi ſint indolis, ut multo, quam reliquę majorem *ad motum promptitudinem* habeant. Hæ ſub duplici ſenſu cõcludi videntur; ut nempe alię tales ſint ea conſtitutivis ipſius maſſæ particulis, quæ & *molis exiguitate*, & *figuræ* ad motum *aptitudine*, reliquas ſuperent, aliæ verò *aeris* particulæ, quæ, præterquam quod in cunctorum laxioris texturæ corporum nequeant non ſe inſinuare incautus, utpote incumbentis molis aereæ preſſura adactæ, quibuſdam inſuper tam arcte maritantur, eamque indipiſcuntur congruitatem, ut etiam inter ipſas eorum conſtituentes particulas locum ſibi vindicare videantur. *Mobilium* hujuſmodi particularum in fermentatione non levis eſt uſus, quamvis enim ab atherea ſubſtantia in motum concitari & poſſe, & ſolere, corporum particulas veriſimile eſt, vix tamen tam vegetus quam in multis experimus, introduci poteſt, niſi quædam intus hoſpitentur, quæ & impreſſam ab illis vim commodius reliquis ſuſcipiant, & in craſſiores efficacius tranſmittant. Etenim ſingularum ſubtilis hujuſce materiæ particularnm exilitas, ſi ad graſſiores terrenorum, quibuſcum verſamur; corporum partes conferatur; non eam ad has proportionem ſervat, utcunque pernici admodum illæ agitatione polleant, ut ſatis efficaciter eas in motum vindicare poſſint: adde quod diſperſæ, ubique vagantur, nec ſatis multas uſpiam, (dum ſui juris ſunt, nec artis famulatu colliguntur) ad eundem ſcopum collimantes invenire eſt, quæ motum, qui alicujus momenti ſit, in craſſiuſculis hujuſmodi corporibus producant. At vero, dum, in itinere ſuo per corporum iſtorum ſpatia, quaſdam offendunt ceteris minutiores, inque eas impingunt, in motum, utpote minus reſiſtentes, facile concitant; hæ vero, quandoquidem æthereis grandiores ſunt, minori negotio reliquis, quibus magis proportionantur, conceptum motum imprimunt, atque *craſſiores* (ut Clar. *Vvilliſii* verbis utar) *ſubigendo*, *ſubtiliando*, & *varie explicando*, *res ad maturitatem diſponunt*. Hæ quamvis omni fermenteſcibili materiæ ineſſe ſupponendæ ſunt, copias tamen ſuas novo proventu ex craſſiorum ſpoliis jugiter adaugent, dum impetuoſius moræ, earum extantes atterunt partes, quarum deciduæ minutiæ in harum proſapiam iſthoc ritu faceſſunt.

Aerem vero [cui ſuum quoque munus in fermentatione detulimus] quod

atti-

attinet; notum est, vi plurimum elastica præditas esse ipsius particulas[id quod *Nobiliss. Boylius*, magnus ille Naturæ Mysta, & Phylosophiæ columen, satis firmavit] quæ tamen, quamdiu tum ambientis pressuram sentiunt, tum aliorum non raro, quibus involvuntur, corporum repagulis coercentur, satis placide se inter ea componunt; ubi vero talis aliquis inductus fuerit motus, qui ad eas pariter agitandas vim habet, nulla mora sese explicare, sibique libertatem vindicare satagunt: utpote sibi majus nanciscuntur spatium, proximas quasque amoliuntur; atque hoc nomine & earum compagem laxant; iisque motum imprimunt, & majora undique aperiunt spatia, in quæ confertim irruentes tum subtiliores ipsæ, quas dixi, corporis particulæ, tum æthereæ, aucta cum numero energia, magis usque exagitant molem majoremque aeris expansionem conciliant.

Quarto requiritur ut fermentescens massa vel proprior quibus coerceatur, *terminos* habeat, vel adventitios nanciscantur, ne subtiliores ante avolent, quam destinatum opus peregerint. Hinc naturalibus hujusmodi productis solenne est involucris donari: quin in ipsis artis operibus ex voto non succedit fermentatio, nisi, forinsecus adhibitis claustris, spirituum (sic enim servato usitato vocabulo appellari libet) avolationi prospiciatur.

His sic constitutis, bina hæc emergunt, particularum scil. magis *homogenearum* confociatio, eademque opera *heterogenearum*, quæ tum tranantibus æthereis, tum spirituum motui, officiunt, exterminatio. Dum enim hi in motum conciti sese quaqua versum explicant, ac reliquarum trajiciunt spatiola, quandoquidem motu, quantum licet rectissimo, ferri avent, tum in crassiores, quæ taliter sitæ sunt, ut recto eorum motui obstent, tum in æreas constanter impingunt particulas; nec ab hoc nixu desistunt, tantisper dum commoda ad motus suos secundam lineas rectas, vel à rectis, quam minimum licet, deflectentes, obeundos spatia nanciscantur. Nec dum hoc satagunt, parum operæ præstant inclusæ aeris particulæ, quæ in motum semel concitæ massam elastici sui nixus vi laxant & attollunt, adeoque viam spiritibus faciliorem parat. Hi verò duo, extantes crassiorum angulos inter spatiandum deterunt, magis inter se conformes reddunt, quæ hoc nomine, & mutuis, illorum, motibus non invitæ obsecundant; eævero quæ [ut ut satis inter se conformes, situs tamen ratione spirituum motui obsistunt, ist hac arte in debitos ordines rediguntur, Interea quæ nec commode atteri possunt, nec præ difformitate in ordines reduci habiles sunt, eodem negotio horum impetu è reliquarum contubernio excluduntur, atque vel foras, qua patet via, labuntur, vel in confiniis saltem massæ hærent.

Fermentationis methodo sic in genere breviter tradita, satis pronum est colligere ad eandem pronos esse tum chylum, tum sanguinem. Et *chilum* quidem; quamvis particulas suas non tantopere ac sanguis exaltatas habet; utpote qui sanguineæ purpuræ per varios ulteriorum elaborationum gradus tandem induendæ, *candidatus* solummodo sit, ad fermentationem tamen, vel hoc nomine, quod sanguis ei natales debet, proclivem esse nemo negaverit. *Sanguinem* vero plurimum fermentativæ esse indolis vix est qui ambigat, idcirco multa de re adeo clara addere supervacaneum foret. Liceat modo paucula, quæ huic suffragantur, summatim ad dictorum normam recensere.

Et primo in *motu* (præter eum quem cordi acceptum refert) particulas ejus constitutas esse exinde liquet, quod & fluidus est, & calore, eoque satis eximio (quem saltem humanum corpus habet) gaudet; quemadmodum perquam eleganter Cl. *Thrustonus* nupertime disseruit.

Deinde, ex particulis plurimum *heterogeneis* constare, (ut celebratum argumentum, quod sc. alimenta, quibus vescimur, inter se admodum heterogenea sunt, præteream) id evincit, quod cum partes ex ejus penu nutriendæ variè, multumque invicem difformi

mi indole, ſint; ſanguis pariter particulis inter ſe difformibus conſtare debet, ut ſingulis congruum pabulum ſuppeditet. Adhæc, magna quam malo noſtro toties experimur, ad orgaſmum propenſio huc etiam facit, cum ab homogeneorum genio hæc multum [prout modo adſtruximus] abhorret. Quinimo varia, & tantopere inter ſe diſcrepantia, quæ ex corpore indies expelluntur, recrementorum genera, ut & varius partium & vaſorum ſecretoriorum apparatus, ſatis ſuperque huic rei fidem faciunt.

Porro, ſanguinem particulas quaſdam ceteris *minutiores & agiliores* ſortiri non Chymica ſolum analyſis ratum facit, verum inſuper ex ejuſdem geneſi & luſtratione ſatis conſtat. Quiſquis enim perpenderit eſculenta, quibus utimur [ipſa & varii generis, & non parum activis partibus conflata] ſalivari primum, deinde ſtomachali fermento, accedente inſuper caloris fotu, imbui; dehinc hepatici, pancreaticique ſuccorum miſcellam in inteſtinis obtinere: poſtea puriorem & magis ſubtiliatam eorum partem à lacteis delibatam, ſucci nervoſi, aliuſve ex ſanguine hujus ope deturbati fermenti, in glandulis meſentericis acceſſu (uti probabile videtur) irrigari; hinc lymphæ reducis, liquoris valde activi, copiis in receptaculo admiſceri: demum ſanguini ipſi affundi, eique ſatis intime maritati (cum quo dum gyratur, partim particularum, & præexiſtentis ſanguiſiis, & ſuarum, inteſtina actione, partim lationis vi, partim anguſtiarum, quibus inter circulandum ubivis in pulmonibus habituque corporis urgetur, moleſtia, inſignem comminutionem pati neceſſe habet] nec ille haud invitus fatebitur, tantam hinc craſſiorum cum tenuioribus particularum attritione neceſſario oriri, ut non exiguum eouſque attenuatarum numerum ſanguis ex iſta emergens elaboratione ſortiatur, quæ *ſpirituum* titulum merito ambiant. Porro maxima, quam in cunctis actionibus animalibus exerendis experimur, promtitudo ſatis huic rei ſuffragatur: ſicut enim ad hanc valde activæ ſubſtantiæ requiruntur; ſic cuilibet notum eſt, quod, ſi debita pneumatoſi & elaboratione ſanguis deſtituatur, confeſtim hæ ceſſant vel imminuuntur.

Nec quidem *aeris* mixtura caret ſanguis; ſive enim ulla ejus portio inſpiratione in hujus flumen tranſmittatur, necne, alimenta tamen, quibus veſcimur, in ſua ipſorum compoſitione eo referciuntur: porro, & inter maſticandum & deglutiendum, ſatis magna illius quantitas non poteſt non in ventriculum deſcendere, inque ſanguinis maſſam una cum chylo transportari, ut minime dubitandum ſit non parum operæ ad ejus fermentationem & micationem conferre. Atque hinc forſan potiſſimum fit, quod tam efficax ſit ad devoratos cibos fermentandos panis una cum iis eſus: Hic enim plurimas ubique, ſi rite paratus & excoctus fuerit, cavernulas præ ceteris quibuſcunque cibariis obtinens, largam ni his aeris quantitatem neceſſe habet continere, qui in ventriculum detruſus, poſtquam egregiam illic chylificationi operam impendit, tandem in venas una rapitur, ut pares ſanguini vices præſtet: Imo hinc non minima ex parte debere videtur, quod rubore ſuo tingitur.

Ne autem evaneſcant ſpiritus, reliquaque peſſum eat maſſæ compages, natura firmiſſimis munivit vallis, *arteriis* ſcil. & *venis*, quæ inter alia beneficia hoc, non exigui momenti, ſanguini præſtant, quod uſque fluidus in iiſdem (quod etiam poſt mortem obſervari poteſt) multo diutius quam alibi perſtet; quod nulli atq; magis cauſæ aſſignandum videtur, quam ſpirituum incolarum concentrationi, qui ſic coerciti, inque maſſæ penetralia, dum avolare nituntur, regeſti, fibroſas particulas à mutua implicatione motibus ſuis arcent.

At vero quoniam præter *inteſtinum*, quem cum omnibus aliis fermentativis corporibus communem ſanguis habet, *alio* inſuper intra dictos canales cietur *motu*; quo uſque adeo homogeneæ cum heterogeneis confunduntur particulæ, ut talis, quam diximus, ſegregatio regularis nequaquam inſtitui poſſit, cum-

que

que pro variis œconomiæ animalis indigentiis plures, & inter se multum diversæ, imo aliæ prorsus, quam quæ, quiescceret, secludi possunt, ex ejus penu secerni debent substantiæ; idcirco aliis artibus, iisque conspectioribus, ad hæc munera prospexit natura, quas in disquisitionis hujus decursu elucidare conabimur. Interea ratum esto nullas, quales ubique cernimus, absque præcedenti fermentatione, concitari secretiones, imo nec cetera vitæ munia præstari posse.

CAPUT V.

Secretoriæ partes, quæ sint.

SAnguinis & chyli ad particulas dimittendas perpensa dispositione, sequitur ut cujus genij partes sunt, in quibus secretiones peraguntur, videamus.

Missis ergo ambagibus Secretionem omnem (privata sola excepta) quæ regulari modo, & ex primordiali naturæ instituto peragitur, sive sit succi proficui, sive excrementitij, in *glandulosis partibus* fieri existimo.

Glandulis quidem omnibus id commune officium esse, ut secretionem aliquam instituant, à Celeb. *Glissonio* proditum est: At verò secretiones omnes (quæ nimirum ex sanguinea massa fiunt) in *solis* glandulis haberi solertissimo *Malpighio* [quantum mihi rescire contingit) primo placuit, qui postquam penitiori inspectione partes illas, ubi ex iis maxime conspicuæ instituuntur, cerebrum puta, hepat, & renes (contra quam antea creditum fuerat) glandulosas compererat, ex methodi, qua natura uti solet, simplicitate & uniformitate reliquas omnes (publicas sc. nec enim de privata intelligendum esse hoc doctiss. viri effatum satis testatur eorum, quæ super hac re profert, continuatus tenor) siquæ testant, de quibus non satis constat qualis sint prosapiæ, ejusdem esse naturæ, idque merito, pronuntiavit. Huic sententiæ non parum favet, quod magnam secretionum partem in glandulis celebrari nemo Anatomicorum inficias unquam ivit. Mammas, testiculos, glandulam pituitariam, maxillares, tonsillas, pancreas, sicut glandulas esse nemo dubitat, sic pariter secretioni inservire notum est. Adde quod vix uspiam in toto corpore secretionem ex sanguine haberi adhuc compertum est, quin, licet secretoria haud detecta sint vasa, glandulæ tamen, vel saltem glanduloſa aliqua substantia, juxta locum, ubi prorumpunt, sitæ sint. Sic ad basin cordis glandulas sitas esse Cl. *Lovverus* docuit, atque ex iis liquoris in pericardio contenti fontem deducit: sic cutem substantiam glanduloſam esse, tanquam valde probabile. Cl. *Steno* censet; quam & *Malpighius* miliaribus refertam innuit: sic glanduloſam, quæ in plexu choroide occurrit, substantiam humorem cerebri ventriculis suppeditare idem *Steno* arbitratur; imo pluribus instantiis, nisi longum esset, res hæc evinci posse. Ex quibus quanta probabilitate *Malpighij* nititur sententia satis liquet.

Quam vero Cl. hic vir de illa solummodo quæ ex sanguine fit sententiam pronuntiavit, liceat mihi ulterius extendere, chyloſamque secretionem sub eodem censu complecti. Cum enim non tota affatim massa ex intestinis in lacteas elutrietur, sed purior tantum pars ab inutili crassamento secernatur, cujus etiam non tam quantitas (qua tamen satis larga suppeditatur) quam perfectio, & noxiæ fæcis carentia ad futuros usus requiritur, utpote ex qua progignuntur cuncti, etiam nobilissimæ sortis liquores; haud proinde vero consentaneum videtur naturam, dum tanti momenti, & quę reliquis analogiam habet, secretionem molitur, ab usitata norma deflectere velle, nec dissimilia, ut hanc patret, organa designare. At inquies, nemo Anatomicorum ullarum glandularum intestinis adsitarum meminit, nec quicquam iis cum glanduli commune esse propalavit; omnes enim ex duplici tunica (præter eam quam peritonœo debent) constare asserunt quarum unam carnoſam volunt,

alte-

alteram nervosam : nec quidem inter se consentiunt; alij enim interiorem carnosam, exteriorem, nervosam, alij contra statuunt; nullam vero glanduloſę substantiæ mentionem facient. At vero pace tantorum virorum res aliter se habere mihi videtur: Dum enim, operum naturę uniformitatem revolvens, intestina, tenuia præsertim, attentius lustraturus aperio, statim mihi se sistit interior eorum tunica facie glandulis omnino simil, duodenim maxime in quo, quia major inde luctearum exoritur numerus, magis conspicua glanduloſa natura. Nempe si inspiciatur quando à bilis tinctura immunis fuerit, alba, mollis, & porosa apparet; tantumque abest ut ad chylum propellendum [cui tamen usui ab Anatomicis destinatur] nata videatur, ut si incisione in longum ducta intestinum aperiatur, statim sese explicat hæc tunica, atque superficiem convexam; vice concavæ qua integris intestinis potitur, sponte affectat: quæ quidem in hac *Fasei* convexitas non tam à fortiori fibrarum tunicæ exterioris contraxione [licet hæc ex parte ad phænomenon hoc exhibendum concurrat] quam interiores hujus libera, ubi sui juris fit, expansione pendere videtur; quoniam nullam sic explicata renitentiam prodit, quam tamen necesse haberet subire, si, quemadmodum comminiscuntur, fibris transversis (quales ad chylum pellendum necessariæ sunt constaret; unde & in statu solito vi compingi & coarctari verisimile est, haud secus ac spongia manu compressa, cui & quo ad usum omnino similis videtur. Idcirco probabile videtur, universam hanc tunicam (non secus ac cunctæ glandulæ) nil aliud esse nisi vasorum congeriem, osculis in intestina hiantibus præditorum, à quibus continui ad venas usque lacteas protenduntur ductus, in quas post varios forsan mæandros, & mutuas implicationes, tandem colliguntur; pari ratione ac capillares venulæ in unum coeunt truncum; ex quo liquet, nil hanc tunicam peristaltico intestinorum motui conferre posse, verum iis renixu suo dilatandis potius conferre. Agnosco fanè hosce sub aspectum non cadere tubulos, sed hic naturæ mos est, ut separationes in minimis vasis moliatur, quorum cavitates ne adjuti quidem attingere potest, vel perspicacissimi oculi acies; verum tales dari ipsa chyli in lacteas transmissio palam facit. Plane omni ex parte glandulis similis videtur hæc tunica, ut hic ad sententiam, vel *Malpighianam*, firmandam nonnihil forsan lucis accedat.

Constat quidem ex accuratiori nuperorum Anatomicorum observatione inter partes, communi isthac glandularum appellatione gaudentes, satis magnum discrimen intercedere: aptissime enim, ex substantiæ modò in *Conglomeratas*, & *Conglob.* Cl. *Sylv.* distinxit, quæ sane interiori fabrica non parum ab invicem distare videntur. Verum quandoquidem utraque species secretoria vasa obtinet(licet ab illis vel extrorsum tendant vel saltem in certa conceptacula terminentur; ab his ad venas vel immediate, vel mediantibus aliis ejusdem familiæ glandulis properent, prout Cl. *Steno* observavit) probabile idcirco mihi videtur, eidem utramque muneri in genere inservire, nempe Secretioni, licet aliquatenus, ob variam istarum partium inter se structuram, diversæ,

CAPUT VI.

Secretionum tam Simplicium, quàm Mixtarum generalis methodus.

SEcretionum differentiis, fontibus, & organis hucusque lustratis, tempus est ut ad modum, quo eraguntur, descendamus. Et quoniam multum discriminis intercedere mihi videtur inter simplicium & mixtarum, non minus secernendi methodum, quam materiam, de iis oportet ut ut seorsim agamus, præmissa tamen communi, qua utrumque genus convenit ratione.

Idcirco ad *omnem*, quęcunque in corpore peragitur, *Secretionem Percolatio* immediate requiritur. Dum scilicet (ut ad mentem fere Cl. *Charitoni* rem hanc explicemus) liquor aliquis varię magnitudinis & figurę, iisque satis laxatis,

ſcatens particulis, ſecretorio operi deſtinatas partes tranat, eæ, quæ figura & magnitudine adſtantium ſecretoriorum vaſorum oſculis proportionem gerunt, ſive maſſæ à tergo inſequentis protruſione, partiumque ambientium preſſura impulſæ, ſive ab infuſa quacunque ſubſtantia ad ſecedendum determinationem nactæ) in conceptacula iſta, modo idonea poſitione advenerit, facile divetunt; in quæ poſtquam admiſſæ fuerint, non invitæ ab aliis poſt ſe admiſſis (juvante periſtaltico iſtorum vaſorum motu) ulterius propelluntur; reliqua, interea maſſa, cujus particulæ, vel hac aptitudine, vel tali determinatione carent, vel nimia quantitate ad tam anguſtos canales congeruntur, vel etiam rapidiori curſu urgentur, per patentiores vias transfretata.

Ab hac percolationis methodo (quæ ſatis cuivis obvia eſt, utpote ad *mechanices* normam accommodata) ſequitur varii generis liquores ex uno eodemque fonte, modo ſatis heterogenea conſtet materia, variis in partibus emergere poſſe: pro ut nempe variorum vaſorum colatoriorum poruli diverſa ab invicem figura & diametro pollent, quorum propterea hęc unius, alia alterutrius, generis particulas [ubi determinatio forinſecus acceſſerit] ſuſcipere nata ſunt. Sic in majori mundo, dum plures aquę dulcis (ſat licet inter ſe diſcrepantes) fontes hic illic exurgere cernimus; omnes tamen ex mari impenſe ſalſo, aliiſque prout fas credere, qualitatibus, ab admiſtis pluribus varii generis ſubſtantiis prædito, oriundos, eoſque viribus, ab hoc plurimum diverſis, non ſecus ac ab invicem, donatos; palam eſt talis colaturæ, qualem diximus, medio hoc præſtari ſecus enim (ſi nempe ſatis patulos inveniant meatus) nil vetat, quo minus omni ſuo, cujuſcunque tandem generis particularum, ſatellitio ſtipatę prodeant: prout ex ſalinis alicubi emergentibus fontibus, ipſumque maris genium redolentibus, dignoſcere licet.

Interea non prætereundum eſt me, dum Secretionem omnem percolatione immediate peragi aſſero, *Percolationis* voce ipſam ſolummodo actionem, qua congruæ particulæ ex cæterarum gremio in organa earum ſuſceptioni diſpoſita ſecedunt, intelligendum velle, abſque reſpectu ad cauſas hanc receſſionem efficientes Quamvis enim quando ad ſecretionem explicandam affertur, pro ea vulgo ſumi ſolet quæ ſola partium conſtrictione, aut ipſius maſſæ impulſu, particularumque ſecedentium ſponteneo nixu fit, nulla extranea ſuperaddita, ſubſtantia, quæ determinationem ad ſubintrandum det; non minus tamen & illa hanc appellationem meretur, quæ immediata activæ alicujus materię in ipſa parte ſecretoria in prætерfluentem maſſam affuſione peragitur, cujus ope cum determinatæ quędam particulæ in congruos adſtantium vaſorum porulos propellantur, retentis aliis, quæ hac aptitudine carent, adeoque ſeceſſio electiva, ad iſtorum ſcilicet porulorum certam figuram, & diametrum proportionata, concitetur, quid hoc aliud eſt quam percolatio; Ne vero nimis longe à recepto loquendi uſu recedamus, priorem modum *Mere percolationis* appellatione indigitare liceat, ut ſic magis diſtincte procedamus.

CAPUT VII.

Secretionum Simplicium, ſeu Perfectivarum ratio.

UT ergo ad Secretionum memoratas ſpecies deſcendamus, videtur Secretiones *Simplices* (quas & *Perfectivas* appellavimus) *Mera percolatione* perfici. Præcedanea quippe, ſive inteſtina fermentatione, ſive fermentorum undecunque deſumtorum miſcella (de quibus poſtea) uſque adeo laxatam laticis compagem, atque ejus particulas ſic comminutas & disjunctas ſupponimus, ut facili negotio aliæ ex aliarum conſortio ſeſe, ubi vis aliqua propellent acceſſerit, exturbari patiantur, unde nil amplius requiri videtur, quam ut, modo vaſa convenienter diſpoſita adſtent maſſæ protruſio, & continentium partium preſſura accedat, quo fieri

si non potest, quin tenujores particulæ, & quæ vasorum hiantium proportionem non excedunt, in ea divertant. Et hac quidem arte, nec prorsus alia, tum *chyli* ex intestinis in lacteas, tum *succi nervosi* ex arteriis cerebri in nervos, trajectionem (servatis circumstantiis debitis) perfici arbitrior.

Ut vero hoc magis pateat, alterutram pauliſper expendamus. Et primo quod ad *Secretionem intestinalem* attinet quandoquidem tunicam intestinorum interiorem *spongiæ* assimilavimus, ejusdem exemplo rem hanc exponamus. Hæc ex innumeris juxta sitis tubulis, extrorsum aperturas habentibus, conflata est, qui (sive distincti permaneant, sive invicem communicent, haud ad rem præsentem refert) introrsum adque oppositum latus, per totam molem continuas sortiuntur cavitates, per quas admissus aliquis, si propellens præsto sit causa, promptissime se diffundit liquor. Isti verò tubuli, quandoquidem determinatæ sunt figuræ & diametri, non quasvis indiscriminatim admittere possunt substantias, sed tales solummodo, quæ vel quoad molem, & figuram, aperturis proportionem habent, vel ipsis exiliores sunt; eas vero, quæ vel majusculæ sunt vel minus idoneæ figuræ, hoc nomine ab introitu prohibent: adeo ut, si diversi generis particulis massa hæc liquoris abundet, quorum aliæ meatibus dictis majores aliæ minores sunt, liquet tenuiorum solummodo, cæteris paribus, secretionem è crassiorum medio fieri. Cum vero hujusmodi in istos canales admissus fuerit liquor; atque alium huic, à quacunque causa, superinduci contigerit, vel compressio in parte primo admittente facta fuerit, ulterius statim serpit prius incluſus, usque dum ad oppositum latus tandem pervenerit.

Eadem prorsus methodo in præsenti negotio res transigitur: Cùm enim spongiosa sit intestinorum, quæ proxime chylum amplectitur, tunica, plurimisque aperturis, (quod nemo negaverit) in intestini cavitatem hiet, atque undique alluentem chyli massam particulis ad istos porulos proportionatis abunde refertam, habeat, ex hisce subtiliores, & magis congruas facile intra hiatus suos dum adhuc laxiores & patentiores [intermissa compressione sunt, admittit: Postquam vero motus peristaltici vi quem totum exteriori tunicæ suæ debent] propius adiguntur intestina, atque connivere coguntur isti poruli, necessario altius compellitur admissus succus, donec remittente hoc motu laxatisque tubulis, novus istius succi suscipitur proventus, atque repetita coarctatione tum ipsa protruditur, tum priùs contentum ulterius protrudit, tantisper dum tandem, iterato sæpius hoc labore, in lacteorum majores rivos (qui ex dictorum tubulorum confluxu emergunt) adigatur, plenumque, auctis sic copiis, torrentem exhibeat. Compressio isthæc intestinorum, ejusque per tam frequentes vices iteratio, quamvis chylosæ massæ per eorum cavitates traductioni, quo singulis vasculorum chyliferorum sistatur orificiis, inservit; ideo tamen etiam requiritur, quoniam secernendus hoc modo succus nondum tantam adeptus est tenuitatem, ut libere à retro admisso absque hujusmodi machinatione, protrudi sese patiatur. Sed hæc res adeo manifesta est, ut ulteriori explicatione non indigeat.

De *succi nervosi* separatione res paulo intricatior videtur, licet non minus hanc, quam illam, mera percolatione absolvi conjicio. Et in hoc quidem cum chylosa convenit quod singulis cerebralibus glandulis adstent vasa, quę secedentem ex sanguine admittant succum: porro & motu progressivo allabens urgetur sanguis, adque istorum vasorum oscula deducitur. Interea tamen hoc discriminis intercedit, quod chylosa massa & satis crassa est, & perquam lento serpit motu, quo fit ut leniter sese stringentibus intestinis, non usq; adeo sit disposita ad eorum compressionem eludendam, sed tenujores sui partes in hiantes glandulosæ tunicæ tubulos hanc ob causam facile dimittit; sanguis autem ad cerebrum appellens, &

multo mobilioribus constat partibus, & citatiori motu fertur, qui & cordis impulsu usque perennatur; quo fit, ut cum arteriæ venas patentioribus, quam quæ nervulis adsunt, cavitatibus donatas, sibi respondentes habeant, magis promptus sanguini in has trames sterni videtur quam ut quicquam ex ejus penu in nervos deponi possit. Ut ergo qua arte nodus hic solvatur excogitemus, videtur mihi totum negotium facile expediri posse, si hæc duo suppouamus;

1 Scil. Arterias, ad glandulas cerebrales sanguinem afferentes, auctam, præ ipsarum trunco, ramisque inde prognatis, proportionem obtinere.

2. Venas capillares, arteriis absitas, sanguinique revehendo dicatas his paulo angustiores formari, nec proinde tam libere versus cor allatum per arterias sanguinem, quam istæ suggerunt, transmittere posse. Quibus concessis, percolatio isthic ad hunc modum fieri concipiatur. Dum scil. sanguis, cordis impellentis vi, in has arterias deducitur, præ aucta earum capacitate minus celeriter quam prope cor, fertur; unde subtiliores & spirituosæ particulæ, confundente agitatione minùs sollicitate, ad nixus expansivos, ipsis genuinos, sponte se dedunt. Cùm vero, præter hanc motus retardationem, ulterior, propter venarum in ipsa parte secretoria constrictionem, obex ei ponitur, ut longiorem moram illic trahere cogatur, pronum est conjicere particulas subtiliores, tum propria tendentia (utpote quarum magna pars in ipso eruptionis articulo constitutæ sunt) tum parietum arteriæ, sanguine plusculum distentæ, pressura nullo negotio in adstantes nervulorum ductus iter capessuras. Interea tamen nulla hic stagnatio timenda est, quoniam, licet venas hoc in loco arteriis contractiores supponimus, non tamen usque adeo angustatas volumus, ut non vel crassissimarum appellentis sanguinis partium (quanquam non tanto singulis vicibus numero, quanto alibi ubi patentiores sunt) transmittendarum capaces sint: unde nil, quod plus incommodi secum afferat, sequi potest, quam (quandoquidem perenni cursu à corde propellitur) quod tanto celerius per angustata hæc vasa transfretatur sanguis, quanto minor quam arteriis, diameter iis adest; adeoque & pari mensura, qua hunc recipit, exonerat se pars, & non minùs pleno torrente eundem ad cor venæ reddunt (excepto quod pars ejus à vasis secretoriis delibatur) quam arteriæ ab hoc accipiunt.

Suppositionem hanc de improportionata vasorum invicem magnitudine nimis arbitrariam fortasse aliquis causabitur, eo quod nulla ad eam firmandam testimonia ab ἀνατομίκ, propter inconspicuam vasorum, ubi in ultima dirimuntur capillaria, exilitatem, speranda sunt. Verum enim verò vix concipi posse mihi videtur ullam habendam fore percolationem, si tam rapido, tamq; libero, atq; ex corde fertur, motu per cerebrum labatur sanguis, nec illi mora hic nectatur; nisi supponere quis voluerit fermentum hic latere, quod determinationem subingressuris sanguinis particulis det: At cui tale aliquid comminisci animo fuerit sat difficile, ni fallo, pensum incumbet monstrare unde suam trahat originem, qua (mechanica) arte in præterlabentem gurgitem agat, ut præcipitationem hanc efficiat. Si enim per vasa aliqua propria affundi concipiatur, aggeri poterit, nulla hic reperiri [quantum saltem hactenus liquet] quæ fermentum tale apportant, & si darentur, quæstio recurreret, & unde iis suppeteret & qua arte conficeretur: si verò ipsius cerebri adstantibus cellulis stabulari supponantur indeque continenter evomi, quid hinc sanguis, hoc imbutus reportare potest, nisi ut copiosius ebulliens, neglectis deviis & angustis nervulorum tractibus per propria, satis patentia & recta, vasa [modo solitam ad invicem proportionem gerant) vegetius discurrant; Verum facillime, & mechanico prorsus ritu, totam ex allata supi positione compleri posse negotium mihi videtur. Quinimo Cl. *Steno* ut salivalis secretionis modum explicaret, talem venarum coarctationem comminiscitur, glanduliſque, ad hanc provinciam destinatis, nervos ideo potissimum da-

datos ſupponit, ut venas arctiores reddant, ſicque alluentem ſanguinem aliquandiu in glandulis iſtis, quodam modo ſiſtant, ut in ſalivales ductus hac mora ſeroſior tranſcoletur pars: Quod ſi vero hujuſmodi Secretiones, ut perficiantur, tali venarum concitatione (ut ſumme probabile videtur) indigeant, & quoniam *interpolatæ* ſunt, *mentiſque imperio ſubiectæ*, nervorum (quemadmodum Clariſſ. vir ingenioſiſſime commentus eſt) miniſterium exigere videntur; quidni, ubi conſtatem, nulliſque non momentis neceſſariam, & quæ à mentis nutu nequaquam pendet ſecretionem comperimus, conſtantem quoque cauſæ præſentiam, ſupponere licet? quæ ſanè non alibi, quam in ipſa partium huic famulantium quærenda eſt fabrica. Verum non parum fulcimenti huic ſententiæ accedit à celebri illo doctiſſ. *Lovveri* experimento, in quo, ligata majori aliqua vena, ne ſanguis ad cor redeat, maximas ultra ligaturam, in partibus ad quas talis attinet vena, ſeroſi humoris profuſiones obſervavit ſolertiſſimus vir; quod plane, quantum ad ſecretiones moliendas venarum coarctatio faciat, ſatis evincit.

Quoniam vero ampliatas reſpectu trunci arterias modo ſupponimus; ne gratis hoc dictum ſit, liceat pauliſper digredi, atque paucula afferre, quæ ſuadere mihi videntur; non tantum hic loci, ſed & ubivis fere in toto corpore, taliter fabricatas eſſe.

Digreſſio de Vaſorum ſanguiferorum proportione.

VUlgata ſententia eam vaſis ſanguiferis defert proportionem, ut ramuli eorundem omnes, in partium habitu deſinentes, tantundem ſanguinis, nec amplius quicquam continere valeant, quantum rami majores juxta cor. Mihi verò [ſalvo huic adſtipulantium honore] aliud videtur; nempe vaſorum iſtorum ſingulas diſtributiones trunci, à quo proveniunt, proportionem excedere, quantoque longius à corde excurrunt, tanto magis, in proportione dicta, eorum amplitudinem augeri; adeo ut extrema capillaria, collective ſumta, effatu dignam ſanguinis quantitatem, præ majoribus ramis ſub eadem longitudine continendi capaces ſint.

Quod mihi opinionis hujus anſam primum præbuit, hoc fuit; nempe quod difficile mihi videbatur, qua nutritionis, qua ſecretionis, obeundarum rationem, ſatis ad mechanices leges quadrantem, ex priori ſuppoſito comminiſci. Neminem enim latet [cui ſaltem *Lovverianæ* innotuerunt obſervationes] quanta celeritate ſanguis ex cordis ſinubus erumpit: Si vero pari paſſu per tenellum corporis habitum proruere, vix concipi poteſt quin peſſum eant omnia, atque nutritionis vice partium abſumptio & deprædatio, prius extitiſſe ſupponerentur, invehatur. Cùm enim nutritio nil aliud ſit niſi congruæ cujuſdam ſubſtantiæ partibus in deperditæ locum appoſitio; utque aliquid apponatur, neceſſe ſit, ut tali motu ſanguis (ex cujus penu nutricatum ſuum immediate, maximam ſaltem partem, delibant partes ſolidæ) feratur, quo ipſius particulæ, & ſatis facilè ſedere poſſint, & ex iis in exhauſtarum partium, pro earum indigentia, cavernulas congruè demandari videtur, quod ſi tam rapido curſu, quam ex corde prorumpit, in has deferretur [quo neceſſe foret, ſi in vaſis æquali per totos ſuos tractus proportione gaudentibus agatur] & ipſius particulæ nimium confunderentur, & violenta arietatione, quæ partes ipſæ conſtituunt, abriperentur tantum abeſt ut in futurum augmentum ullæ ex ejus ſinu deponi poſſint. Et revera ſi quis attendat quantum virium vel leniſſimi liquoris motus rapidior ad ſolidiora corpora conterenda habeat (cujus rei exempla in fluminum decurſu, nec non ſtillantis aquæ in ſaxoſa loca defluvio cuivis occurrunt) haud difficulter ſibi perſuaderi forſan patietur, ſanguinem [in cujus inſuper ſinu non paucæ prædatoriæ & valde activæ delitescunt particulæ] ſi tam præcipiti torrente per tenellarum partium anguſtias rueret, eas ſecum abrepturum. Pari ratione nullam [nedum in cerebro, ſed

nec in ceteris partibus) peragi posse videtur secretionem, quandoquidem in tanta agitatione, nec sese à mutuis amplexibus varias, ex quibus conflatur, particulas liberare, nec proinde earum ullas vasorum secretoriorum ora subire posse verisimile est. Isthæc verò vitari possunt incommoda, supposito quod vasorum istorum capillaria proportione ad truncum aucta fabricavit natura; satis enim placide sic movebitur sanguis, ut & debita singulis partibus esca suppeditetur, & particulæ degentes, aut alias ad secretionem destinatæ, vel exprimantur, vel alia aliqua arte ex massæ gremio præcipitentur.

Nec dubitari posse reor æqualem vasorum proportionem æqualem in decurrente liquore, ubique in toto ejus tractu, celeritatem efficere debere, ut nec inæqualem, quam vasis sanguiferis assignamus, sedatiorem in ampliata parte motum efficere. In fluviorum enim decursu cuivis observare pronum est, quod si æqualem ubique distantiam servent ripæ (pari insuper servata profunditate) eodem ubique tenore delabatur unda, sin alicubi longius recedant, pacatius illic serpat, nec has in tantum atterat. At hoc in machinis hydraulicis evidentius conspici potest, si enim æquali ubique diametro formentur tubuli, pari, qua impellitur, extruditur aqua vi: sin patentior fuerit emittens extremitas admittente, tanto remissior egredientis, quam immissæ, deprehendetur impetus, quanto cavitatis proportio major fuerit.

At objiciat forte aliquis instantias datas (posteriorem præsertim) omnimodam alvei transmittentis plenitudinem supponere, quæ in vasis sanguiferis minimè admitti debet; extensilis enim sunt texturæ, cujus causa motus sanguini in iis contento à corde impressi vis remitti credatur, antequam ad extrema capillaria pertingat, nec usque adeo plena unquam conspiciuntur, quin pluris capacia sint. Cui repono, quod præterquam quod cor singulis pulsibus permagnam sanguinis quantitatem (quantam scil. universa ventriculorum diductorum continere potest cavitas, qui prout Cl. & exercitatissim. *Lowerl* observatione constat, tam arcte in systole contrahuntur, ut totum, quem in diastole admiserunt, in hac expellant in arterias prius immissio adhuc refertas magno impetu expellit) qui eas forsam in tantum implere supponatur, quantum ipsarum tunicæ, magis quam venarum rigidæ, ferre possunt, prout ex duritie & renixu, quem in earum diastole percipimus, suspicari licet) hoc insuper accedit, quod plerisque in locis à musculosis carnibus, aliisve partibus, maximè quanto magis ad terminatione appropinquant, circumsepiuntur, quarum *systaltico* hoc motu & ægrius se irruenti laxant sanguini, & per impulsus intervalla eundem majori vi prorsum urgent; adde quod nec ipsæ arteriæ, densis & fibrosis (quas contractiles esse nemo ignorat) tunicis conflatæ, motu restitutivo destituuntur, unde cùm impressa à corde sanguini vis [qua ultra naturalem statum distendunrur] cessaverit, introrsum confestim propria fibrarum contractione se proripiunt, atque hoc ipso alias subterlabenti addunt sanguini. Unde constare videtur, nisi arteriarum aucta, quam diximus, proportio suppetias tulerit, parum opis ab earum quali, quali laxitate, ad sanguinis motum circa extremitates minuendum, sperandum esse; imo potius præ nixu tum suo, tum partium circumpositarum, compressivo majorem sanguinis accelerationem invectum iri.

Verum insuper ambigi poterit, an non arteriarum in capillares ramulos diremtio proruentis sanguinis impetum imminuat, cùm exile fluentulum non usque adeo objecta corpora atterere posse notum sit, atq; plenior torrens. Verum enim vero, sit, concedatur motum sanguinis in hisce arteriolis æquè celerem esse, atque in majoribus ramis, res ad idem recidit. Cùm enim sanguinei hi rivuli non agant nisi in perexiguas partium, in quas impingunt, particulas, quæ quamvis collectim sumtæ satis solidas constituunt substantias, singulæ tamen seorsim spectatæ suopte admodum genio teneræ sunt, facileque divulsionem patiuntur, perinde videtur ut tum pleno torrente decurrant an in tenuissima fluenta dispes-

can-

cantur, modo pari celeritate fluant.

Si verò dubitetur, quomodo tam citato gurgite sanguis ad cor redeat, cùm tam lento gressu per partium habitum serpet, respondemus sententiam nostram eandem in venis, quam in arteriis, proportionem supponere (ut scil. quanto propius ad cor accedunt, tanto magis in dicta proportione angustetur) atque notum est non magnum discrimen, quoad cavitatem, inter aortam & cavam intercedere, ubi cordi inseruntur; quin & hanc isto loco musculosam esse, ut adventantem fortius in cor urgeat sanguinem; idcirco dum indesinenter ex arteriis in venus cordis vi propellitur, atque partium, quas pertranfit compressivo, nixu, prout modo diximus, urgetur, utcunq; lentius, ubi amplum magis spatium offendit; moveatur; postquam tamen in arctius hoc prorsus fuerit, necesse habet loci angustias motus acceleratione pensare. Atque hinc fit, quod Portæ truncus arteriarum in morem pulsare deprehenditur, quod tamen in ejusdem radicibus per mesenterium sparsis non contingit; quia nimirum arteriis cæliacę & mesentericę cavitatis amplitudine respondet, ideoque eadem illi sanguinis quantitas, quæ his implendis debetur, unde & motus pulsatilis sanguini has subeunti à corde impressus isti pariter restituitur; quidni enim hic, tametsi in sanguinis per ampliatos mesaraicarum ramos itinere dispergatur, in istis angustiis recolligi possit, adeoque interpolatum illum cordis referre; Idcirco quod venæ nunquam pulsent [Porta enim intra hepar, non earum, sed arteriarum censui adnumeranda est] nil aliud in causa est, præter earum amplitudinem: cunctis enim in propatulo est eas multo arteriis ampliori civitate donati (nisi ubi eandem arctari aliquatenus debere innuimus) quod ideo solum fieri videtur, ut pecatiori flumine sanguis in cor, lente sinus laxans, irrepat, ne si impetuosius influeret, nimis divenderet.

Sed ne solis conjecturis hac in re nitamur, adnotari meretur, quod Cl. *Needhammius* observavit; *arterias* nimirum *uterinas* tempore gestationis multum *grandescere*, *ut tandem* in ejus progressu *fere decuplo majores appareant*, *quam ante gestationem fuerant*. Cujus rei causa mihi videtur, non solum ut satis magna alimenti copia fœtui suggeratur (quam solam affert Celeb. vir) sed & ut sanguinis motus retardetur, ut sic & magnis idoneę alimentares partes ex sinu suo exturbari patiatur, & præcaveatur, ne nimio impetu tenellum pessundet fœtum.

Sicut vero hanc in arteriis omnibus conformationem locum habere arbitror, sic in cerebro potissimum requiri; quod cum animæ delubrum sit, cunctarumque actionum animalium fons & scaturigo, cùmque tenera adeo & laxa compage constret, ut injuriis, plus alia quacunque parte, obnoxium sit [unde robustissima galea munitum voluit sapientissimus conditor] cùm porro succi nervosi [ni mavis, spiritum animalium] è sanguine secernendi tanti interfit, ut hujus motus lenis placidusque sit; oportere proinde videtur, ut satis ampliatos obtineat arteriarum canales, sanguinei impetus moderandi causa; quæ nisi adsit conditio, vix concipi potest satis hisce muniis prospectum iri. Sed de hac re satis [superque fortasse] dictum.

CAP. VIII.

Secretionum mixturam ratio generalis.

SEcretionum Simplicium methodo sic tradita, quam in mera percolatione consistere arbitramur, proximum est ut ad *Mixtas* pergamus.

Idcirco videtur has omnes, tam Excretivas, quam Reductivas, *Fermento*, ut peragantur indigere, cujus ope talis determminatio certis quibusdam sanguinis particulis imprimatur, ut relictis cæteris (forsan mobilioribus, adque secessionem suopte genio magis pronis) in secretoria vasa promte facessant.

Alias præterquam subtilissimæ sanguinis secretiones dari, nemo negaverit, qui quantum discriminis inter singularum, fermè, interfit materiam, perpenderit;

nec dubium esse potest, quin subtilior, omni quæ foras excernitur, intus [saltem majori copia] restitet materia, cujus ministerio vitæ, & sensus, munia obeunda sunt. At vero si sola *percolatione* res omnis transigeretur, nil impedire posse videtur, quo minus sola subtilior exeat crassiori interim intus detenta. Cùm enim ad mensuram porulorum vasorum transmittentium in percolatione omnis se accomodet materia, ne illa, quę mole minima, & agillina est, promptissime se insinuabit, utpote quę & promtius se è crassiorum amplexibus extricare valet, & minus impedimenti inter ingrediendum offendit. Porrò cùm plurimum expansivæ sint tales particulæ, atque spontaneo nixu secessionem affectent, vix concipi potest quin, dum sic avolare nituntur, in adstantia secretoria vasa satis facile viam capessant; eoque magis si, quemadmodum supposuimus, & moram aliquam massa in parte secretoria trahat, & partium circumpositarum pressura urgeatur.

Ne quis vero suscipientium porulorum figuram hinc causetur, quasi neutiquam subintrare possit appellens materia, nisi pari cum tubulorum aperturis figura polleat; sciendum est, rem ita quidem se habere, ubi ingressurarum particularum moles non ita multum distat à pori magnitudine; ubi vero multo minutiores sunt, ut nullus inter illas & vasorum latera contactus detur, nulla omnino habenda figuræ ratio, quoniam quocunque modo figuratæ sint tales particulæ, si ad oppositas vasculorum qualitercunque figuratorum latera extremis suis non pertingant, nequaquam ab iisdem arctari poterunt, sed perinde iis erit, atque si in utrumque libero spatio moveantur. Et talis quidem indolis sanguinis spiritus esse, conjicere licet ex longa & accurata elaboratione, unde plurimum comminui necesse habent qua sicut molem cæteris eius partibus multo minutiorem obtinent, sic porro infra vasorum plurimorum secretoriorum diametrum [quacunque tandem ea dimensione spectaveris] consistere verisimile est, quæ si ex crassioribus tales admittere possint, quę satis grandi mole constant, multo potius earum vice subtilissimas recipient, nisi aliis artibus harum retentioni, illarum verum exterminationi, cautum foret.

Ad hanc rem porro advertere possumus, quod ubi tam crassiorum, quam tenuiorum, in unam massam confluentium corporum congeriem in motum suscitari contigit, illa utpote æquali cæteris motus gradu agitata, majorem inde nanciscuntur vim ad motus suos secundum lineas rectas retinendos, quo fit ut tenuiora (non minori motus gradu agitata) minus illorum motibus præ improportionata mole resistentia, haud difficili negotio locum cedere faciant, quantumque loci, in quo motus hujusmodi instituuntur, ratio paritur, ex sui contubernio exterminare gestiunt; id quod ex motus legibus ab *Immortali Cartesio* recensitis constat. Hinc patet sanguinis particulas crassiores, æquali cum subtilioribus vi à corde pulsas, necessario has quantum vasorum angustiæ permittunt, è sui exturbare gremio conari: & quamvis hoc ubivis loci obtinere non possunt, eo quod vasa præ sua soliditate eas ab avolatione cohibeant, ubi tamen transitus patet (qualem secretoria vasa præbent) credibile videtur, tenuiores has foras propulsum iri, nisi vel introrsum retorquerentur, vel alia aliqua accederet causa, à qua intus detineri supponantur. Utcunque sit videtur has potius quam illas foras elapsuras, nisi ab affusa agili aliqua materia crassiores vi exturbatæ fuerint. Quod vero objici poterit vina, aliosque liquores, in doliis fermentescentia crassiores undequaque rejicere particulis, subtilioribus & spirituosis intus stabulantibus; in promtu est referre, quod nullus hic lationis motus adest, sed præcipuam quam habent istiusmodi liquores agitationem spirituosis particulis debent, quarum idcirco fortior motus eandem vim ad crassiores exturbandas habet, quam crassioribus in sanguine ad has eliminandas adscripsimus: adde quod majores in proposita instantia vires acquirunt spiritus, quod in occluso vase separatio hæc instituitur, cùm satis notum sit, quod, si spiraculum detur, avolare soleant, totaque liquoris

massa

massa eorum defectu brevi vapida evadat.

Non equidem diffiteor; in quibusvis secretionibus non contemnendam particularum spirituosarum quantitatem una cum crassioribus prodire: nec enim fieri potest, quin simul in vasa secretoria se insinuent, tum præ molis exiguitate, tum etiam quia non tantam in massa sanguinea laxitatem supponere debemus, ut disjunctæ prorsus ab omni cum crassioribus cohæsione in illa libere fluitent, tum insuper ob aliam rationem inferius tradendam. Interea tamen, sicut non ex naturæ designatione excernuntur (nisi forte ut subtilitate sua liberiorem crassioribus commeatum præbeant) sic exiguam ad restantes proportionem gerunt. Si enim vel cum urina ipsa prorumpentes pari numero cum reliquis, quæ cum sanguine renes alluente atque hunc suppeditante, redeunt, excretæ forent, quandoquidem hæc magna copia quotidie excernitur vix concipi potest, quin; emolumenti vice, satis notabilis sequeretur virium jactura: At si porrò, quantus aliarum præterea secretionum numerus sit, contemplemur (quibus tamen omnibus sensibilis simul unitis perspiratio insensibilis sola, si *Sanctorio* credendum, longe plenior esse solet) sique harum singulæ proportionalem spirituum quantitatem ad reliquas sanguinis appellentis partes profunderent, haud omnino fieri possit, ut qualem cernimus animalis persisteret œconomia.

Quandoquidem igitur tam inepta videtur *mera percolatio* ad crassiorum particularum secessionem mollendam quam alia ratione id præstandum, nisi *Fermento* in scenam vocato, quod has in vasa secretoria præcipitet?

Haud sane novum nec inauditum est apud percelebres authores *Fermenta* in corpore nostro dari. Ex quo credi desiit Chylosos munus solo calore fieri, fermentum (undecunque tandem devenerit) in subsidium vocatum fuit. Pariter de Fermento Cordis quam speciosa à non paucis summæ eruditionis & notæ viris allata fuere? nec defuere, qui & aliis partibus adscripserunt. Qui tamen iis patrocinati sunt, partibus succorum coctioni & elaborationi inservientibus præcipue dicarunt; de Fermentis verò ad Secretionem (tali præsertim quod ad ipsum hujus actum requiratur) rara mentio. Celeb. tamen *Needhamius* in hanc sententiam propendere videtur, quoniam tamen nec qualia sint, nec qua arte vires suas exerant exponit doctiss. vir, utpote à cujus instituto remotior fuisset hujusmodi disquisitio, liceat mihi de his, pro modulo meo, explicatius aliquanto agere, sensaque mea in re dubia proponere aliorum exquisitioribus judiciis trutinanda.

CAPUT IX.

De Fermentis.

IN hac autem disquisitione quædam in genere de Fermentorum natura & proprietatibus adnotanda sunt, quo facilius ad scaturiginem in corpore investigandam deducamur, & eorum actio, quatenus in secretionis exercetur negotio, intelligatur.

Pro *Fermentis* vulgo habentur talia corpora, quæ aliis, exigua respectu massæ cui admiscentur quantitate, addita, vel particulas eorum multum exaltant, vel alias in iis mutationes impendio magnas producunt. Nec acceptio hæc a vocabuli proprietate multum abludit, quoniam quas ab his oriri cernimus, vix produci possunt alterationes sine aliquali effervescentia (quæ in particularum mutuo motu & in se invicem actione consistit) quam fermenti particulæ in massam, cui admiscentur, invehunt. Unde quamvis eorum actiones aliter atque aliter determinentur; ut alia ebullitionem, & intumescentiam efficiant, alia præcipitationem, & particularum quarundam exterminationem, alia forsan diversum ab his operandi modum prodant, omnia tamen communi sub hac appellatione merito comprehensa videntur, quia particularum agitatione, in quamcunque tandem partem determinata, totum completur negotium.

Ut verò, eorum natura & indoles [quatenus saltem ad rem præsentem facit istud examẽ] aliquando penitius intelliga-

ligatur, oportet ut ad eorum phænomena attendamus, è quorum numero hæc inter alia, si non præcipua sint, notatu saltem digna occurruut. Observari etenim potest.

Primò, Cujuscunq; generis corpora, humida præsertim, particulis activis referta, in fermentorum prosapiam facessere posse. Huic rei Cel. *VVillisius* suffragatur, sic enim ille, *Humor quispiam in quo salis, sulphuris & spiritus particulæ plurimum exaltatæ contiuentur, fermenti naturam induit*: additis insuper instantiis nonnullis, quæ huic rei fidem faciant. Nec (in ulteriorem hujusce effati confirmationem, quamvis forsan hac non indigeat) ipsa hæc separata (quæ vocant Chymici) *Principia* ista vi destituuntur, quamvis, quoniam simpliciora sunt corpora, magis limitatam obtinent. Sic spiritus vini (decantatæ spirituosi principii instantiæ) efficacia, qua in exaltandis variorum concretorum viribus, quà horum partibus segregandis, nemini, in artis Chymicę operibus vel tantillum versato, non est nota. Sic salia [quemcunque eorum statum contemplatus fuerit] nunc pro latentibus quorundam corporum facultatibus extricandis utiliter adhiberi, nunc præcipitatoriam vim [quod & fermentorum munus est] exercere pariter compertum est. Nec Sulphureæ substantiæ (quæ sub oleorum specie præcipue veniunt) hac energia carent; id quod ex eorum aptitudine ad balsama ex variis concretis, puta Sulphure, Antimonio, &c. paranda constat, in quibus corporum istorum vires reserari & exaltari nemo opinor, negaverit. Et quamvis dubitari potest (quemadmodum plurimis, tum experimentorum, tum rationum momentis evicit Nobiliss. D. *Boylius*] utrum in omnibus corporibus sub hac forma eliciuntur, talia actu semper existant principia, an ignis actione larvas hasce induant; quoniam tamen cunctis hisce concretis [saltem quæ fermenta audire merentur] tum ex Chymica analysi, tum ex effectibus tales adesse particulas, quæ in motum facile concitari aptæ sunt, constat, res ad idem recidit. nec enim ipsæ hæ [quocunque nomine appellaveris] substantiæ ulla alia ratione fermentorum titulum sibi vindicare possunt, nisi quatenus ex particulis valde activis conflantur.

Secundò, nulla fermenta in omnigena subjecta indiscriminatim agere, verùm aliqua in hæc, alia in illa, prout dispositam, cui adhibentur, invenerint materiam, idque diverso plerumque modo. Sic [ut vulgarem instantiam demus] coagulum vitulinum, quo ad caseum conficiendum rusticæ utuntur, lacti additum caseosas partes, intactis fere butyrosis, saltem minori numero deturbatis, præcipitat [quæ enim ex his una secedunt, id eo tantum nomine facere videntur, quod ab illarum amplexibus sese promte extricare nequeunt:) id quod exinde patet, quoniam si, illis exturbatis, iterum (quemadmodum istæ fœmine testantur) aliquandiu quieverit, cremor in summo emerget, qui solito more conquassatus satis largam butyri proportionem præbebit. Porrò cerevisiæ flos zytho novello additus, vel cum farinæ massa ad panum conficiendum, ut mos est, subactus [servatis circumstantiis debitis) in illo magnam effervescentiam, & particularum separationem, efficit, in hac eximiam intumescentiam concitat, idem tamen lacti inditus nullam, vel saltem quæ alicujus momenti sit, alterationem inducit.

Tertiò, ea Fermenta universalibus, & magis conspicuè, vim suam exerere, quæ magis composita sunt, hoc est, quæ ex pluribus diversæ indolis particulis, in unam massam confluentibus, & simul exaltatis emergunt, quam quæ vel talibus quæ uniusgeneris sunt, vel saltem minus inter se difformibus constant. Prout in fermento quod ex farinę massa subacta & asservata conflatur, flore cerevisiæ, ovis, aliisq; hujus generis cernere est; quæ in plura corporum genera agendi vim habere notum est, quam quæ (utcunque particulis actis constantia) destillatione parantur & pro corporum, ex quibus procliciuntur, principiis veniunt, aliave cujuscunque generis, quæ simplicioris sunt fabricæ.

Quarto, compositiora ista digestioni debere, quod ad fermentativam indolem

assur-

assurgant; imò ex iis quædam [si non maximam partem] ab hac non vires solum, sed & existentiam mutuari; sic, ova, florem cerevisiæ, aliaque hujusmodi, digestioni & ortum & incrementa accepta referre notum est.

Quintò, omnia fermenta in exigua ad corpora, quibus eorum impendenda est vis, proportione agere. Sic omnibus perspectum est, quantula florum cerevisiæ vel fermenti farinacei (ut allatis instantias retineamus] proportio ad farinæ satis largam massam fermentandam sufficit, ut in panem faceſſat; quam exigua quantitate coagulum lacti affundi solet ad caseosas partes præcipitandas. Si porro pertenuis illius substantiæ, mucorem liquoribus in dolia hæc infecta repositis imprimentis, inconspicuam molem perpendamus, si miasmata pestifera, nullis plerumq; ante sensibus percepta, quam universos succos ferali labe inquinarunt; si miraculosam vim fermentativam, quam lapidi suo [nec enim fidem sancte affirmantibus temere cohibendam quis duxerit, qui serio sibi aliquid compertum asserenti adhiberi sperat) adscribunt Alchymistæ, merito tantos stupeamus effectus.

Sextò, Fermenta tanto vegetius agere, quanto majorem corpora, quibus impenduntur, particularum suarum, sive laxitatem sive agitationem, nacta sunt. Hinc solemus corpora, quibus admiscentur, calori plerumque exponere, ut hoc fotu promtius sese fermentorum explicent particulæ. Unde & minor eorum sufficit quantitas, ubi corporibus talem dispositionem nactis admovenda sunt.

Ab istorum phænomenus consideratione aliquatenus ad fermentorum naturam intelligendam promovere forsan licebit, si præsertim sequentia perpendamus.

1. Primò, enim constat, corpora quo minutiora, tanto ut in motum concitentur, cæteris paribus, aptiora esse; utpote quæ hoc nomine impellenti cuicunque vi minus, quam grandiora, resistere valent.

2. Deinde, quamvis & figuræ, ut hanc ad motum aptitudinem nanciscantur, ratio habenda sit; atque notum sit ea, quibus figura adest orbicularis, absolute considerata aliis, ejusdem molis, sed diversæ [cujuscunque tandem] ab hac figuræ, ad eum aptiora esse; ad effectum tamen in aliis corporibus, in quæ moventur, producendum ea, quæ angulis prædita sunt, majori vi pollent, eo quod istorum beneficio magis aptantur ad illa, in que impingunt, prehendenda; unde si agitationis, qua feruntur, tanta sit, ut illorum resistentiam superet, vis, in consimilem suo motum nullo negotio vindicant: cùm è contra quæ glabra sunt, nullisque angulis prædita, facile à corporibus, in quæ feruntur, distorquentur, unde fit, ut nullum iis motum imprimere possint. Adde quod corpora angulis dotata [acutioribus maximè] magis apta nata sunt ad ea divellenda; quæ strictius cohærent; quoniam admisso (quod neutiquam vitari potest, si ulla omnino interjaceant spatiola] acutiori angulo densior reliqua pars cunei ad modum [si qualem diximus motus gradum ista corpora habeant) necessario, dum sibi ingressum parat, majorem hiatum aperire debet, adeoque prius arcte cohærenti & dislociat, & in motum insuper concitat. Interea tamen.

3. Corpora quamcunque suopte genio ad agendum aptitudinem, qua molis, qua figuræ ratione, adepta fuerint, nisi tamen proportionem ad ea quibus admoventur obtineant, nullum in ea effectum producere possunt. Si enim vel in corpora poris laxioribus scatentia, quę proinde nimis liberum iis transitum præbent, vel in talia quæ nimis facile è locis pelli nata sunt, vel etiam in compactiora, & quorum cohæsio illorum ad impellendum vim superat, inciderint (quoniam hinc nimis magnam, illinc nullam, offendunt resistentiam) irrito successu admisceri contingit.

4. Hinc porrò deduci potest, quod quanto major particularum inter se difformitas adest, tanto vegetius conceptus procedit motus. Cum enim omnis actio, quæ alterationem inducit, requirit, ut partium movendi corporis ad moventium impulsum resistentia sit, sequitur quod ubi major harum adest varietas, sicut ma-

jor

jor hic resistentia est, sic, modo satis spatii istis concedatur, major proportionaliter actio, magisque varia, emergere debet, eo quod & dispositionem hinc obtinent particulæ istæ ut in plura corporum genera agant, quam si simpliciores forent, & præ difformitate, ubi in motum concitæ fuerint, non partes solum corporis cui adhibentur commovent, sed & se mutuo pellunt, adeoque majorem agendi vim nanciscuntur.

His positis, verisimile videtur *Fermenta* esse corpora, quorum particulæ & valde exiles sunt, & figuris insuper plurimum angulosis, plerumque & inter se multum difformibus, dotatæ [licet interea alia unius, alia alterius generis figuris, non minus quam diversa invicem mole, constat) quo fit, ut cum corporibus, apte actionem suam suscipiendam dispositis, adhibita fuerint, promte se quaquaversum diffundant, energiamque suam in resistentem massam agitationis, qua pollent, & quam inde aucta obtinent, vi exerant, eoque magis quo inter se magis difformibus constant particulis.

Quod Fermenta minute adeo, perque particularum, ex quibus constant, figuras & molem exponam, veniam facilè dabunt (quidquid aliis visum fuerit) qui perpendunt cunctas actionum, quæ à quibusvis profluunt corporibus, sive ut ex peripateticis elementis, sive Chymicis principiis conflata spectentur, explicationes huc ultimo reducibiles esse, quandoquidem quacunque appellatione talia fruantur, cùm tamen corporea iis competit natura, & actui dividi debent, & determinatam aliquam figuram pariter sortiri necesse habent divisæ sic particulæ, quo in alia corpora agendi aptitudinem nanciscantur. Sicut enim omnibus essentiale est corporibus, ut dimensiones & partes habeant, sic pariter figuram aliquam istæ partes ut sortiantur nemo infitias iverit, quæ sicut eas nunquam, nisi ipsa cum essentia, deserit, sic ad cunctas earum actiones (relativas saltem) immediate concurrit. Et sane si ad corpora sensui nostro obvia attendamus (quę cum minutioribus analogiam habere quilibet, opinor, concedet (cuivis in propatulo est figuram dispositionem ad varias in corpora, quibus occurrunt, actiones exerendas largiri, proque hujus diversitate diverso pariter modo ista affici; Sic globus, ex ferro, v. g. vel alia materia fabricatus, aliter, & ad motum ineundum, & ad actionem in dispositio corpore producendam, se habet, quam si vel cubi, vel pyramidis, vel quamcunque aliam figuram obtineret. Quæ quidem actiones cùm à dictis modificationibus magis ad captum intellectus utpote mechanice, explicabiles sint, quam aliis mediis, rationi consonum videtur & magis genuinam, & veritati magis congruam esse hujusmodi explicationem.

Quod vero hujus, quem descripsimus, genii sint Fermenta, ex allatis phænomenis forsan deduci potest.

1. Enim quandoquidem corporum activitas ab eorum exiguitate, figuræque aptitudine, ut in hęc vel illa corpora agant, proficiscitur; cumque cuncta, activis particulis referta, corpora in fermentorum censum cedere comperimus, concludi debet hæc & perquam minuta esse, & talibus, quas diximus, figuris donata.

2. Quoniam non indiscriminatim, sed elective (ut ita dicam) agere Fermenta notum est, quid aliud causa esse potest, quam quod particularum ex quibus constant moles, & figuræ, proportionem ad hæc magis quam illa gerant, adeoque alia in motum concitandi vim possideant, aliis intactis?

3. Ex hoc alia aliis Fermenta vegetius & universalius agere deprehenduntur quid aliud comminisci possumus, præter molis & figuræ constituentium particularum difformitatem, quandoq; hæc, ubi motus accesserit, abundè sufficit ad taliter dispositis corporibus vim agendi largiendam, ultra quam subire possunt minus dissimilaria? Ista verò particularum difformitas vix sine angulositate concipi potest.

4. Cùm verò hujusmodi fermenta digestioni, ut plurimum, energiam suam debere comperimus, eximiam huic difformitati junctam particularum exiguitatem necesse est supponere: nil enim nisi comminutionem talia hinc reportant corpora,

pora, à qua maxima ad motum propensio emergit.

5. Nec mirum proinde tantas, quantas cernimus, in perpusilla quantitate vires exercere, cum tantopere præ iis quibus admiscetur ad actionem concinnata sint, nec in eorum interstitiis præ exilitate arctari possint, nt à motu prohibeantur.

6. At vero satis obvium est, necessario intensam fore istam activitatem ubi, præter intestinam, forinsecus in super accesserit agitatio, quæ hoc nomine fermenti particulis, suo sane Marte ad agendum accinctis, alias ministrat.

Magnus sane *Cartesius* (prout à Cel. *VVillisio*, de Anim. Brut. C. 1. citatur) Brutalem Animam ex *rotundis* & summe nobilibus particulis conflari supponit; quod (cum anima hæc corpori fermentum sit, imo tale cui vix aliud in rerum natura efficacia per quisquam facile excogitaverit, utpote quę tam concinnam, ac cernimus, materię, ex qua conficiendum est corpus, fabricam inducere, variasque præterea fermentativas in corpore actiones exercere nata est) merito, si talis? illi competat indoles & textura, allatam fermentorum descriptionem in dubium vocare poterit. At quamvis mihi penè religio sit à præclari hujus viri effatis recedere, conceptu tamen difficile videtur, quomodo intra corpus detineri possit, si talibus constaret particulis. Quodnam enim gluten has summe mobiles, imo actu non leviter agitatas, & ab invicem disjunctas [nisi quod punctis solummodo, iisque identidem variantibus se mutuo contingere debent] intra corpus, tantopere iis ubivis pervium, detinere concipiatur quandoquidem & figuræ ratione ad avolandum maxime concinnatæ sunt, minusve proinde obstaculi offendunt, & præ exiguitate facile poros corporis prævadere possunt? imo quid vetat quo minus vel objectorũ forinsecus appellentium ictus, invigorationis vice, extra domicilii sui claustra, eam proturbent? Quinimo, si (quemadmodum Cel. *VVillisio* placuit [anima hęc solummodo *flamina* sit, ex sanguine, more culinaris, suscitata, necesse est ut ex pluribus, iisque varii generis & figuræ particulis confletur: cum enim hæc motu, eosque perrapido, excitetur [in quo pariter forma ejus, dum esse flamma perstat, consistit] haud concipi potest unius solummodo generis particulas ad eam exhibendam abreptum iri, reliquis intactis: quin, ex materiis accensu pronis non exiguum numerum sat difformi particularum apparatu constare palam est, quas tamen fere universas in flammam converti cernimus. Et quamvis motus hic angulos istarum particularum necessario, dum in alias aliæ impingunt, deterim, adque orbiculam figuram hoc nomine redducit, hinc tamen & iis majorem ad avolationem promptitudinem ministrat, citioremque proinde flammæ, ni novus aliunde pabuli suppetat proventus, extinctionem invehit.

Ex dictis colligere licet fermentorum actiones ad duplicem censum revocari posse. Videtur enim alia *expansivo nixu* vires suas exercere, alia *præcipitatoria* potissimum *vi* pollere. *Prioris generis* sunt, quę ex particulis inter se difformibus conflari diximus, cùm, prę tali discordantia, posiquam in motum vindicatæ fuerint, non tantum in massæ fermentandæ particulas agant, sed & in se invicem: etenim in tam difformi particularum activarum conventu, & alię alias recedere cogunt, ut sic singulæ satis nanciscantur ad libere movendum spatii, & nullæ non varias in massa offendere possunt, in quas agant, particulas; quo fit, ut continuus in massa usque perstet orgasmus, donec vel subactæ, vel extrusæ quæ his obsistunt, atque aliqualem uniformitatis gradum singulę tandem redactę fuerint. Quę *præcipitatoria* vi pollere diximus, particulis & inter se quodam modo homogeneis, & figuris simpliciori-bus, at interea angulis acutioribus, & magis pungitivis, conflari censeo. Hęc cum massę alicui admiscentur, quicquid in ea, quod motibus obstet, offendunt, statim, qua pollent activitate; aggrediuntur, atque, si laxius fluitet, facile exturbant, sin tenacius hæreat, majorem quidem prę resistentia orgasmum concitant, qui tamen extrusa isthac materia

bre-

brevi sedatur: etenim, quoniam congeneres inter se sunt fermenti particulæ nullam, vel exiguam, heterogenea illa, quæ eas in motum agebat, profligata materia, luctam subire aptæ sunt sed relicta occupantes spatia, placide in iis se componunt.

Ex istis priorum ad secretionem concitandam ministerio naturam uti, exinde arguere licet, quod vix ex tam difformi materia conflatis, quibus refercitur corpus, succis talia uspiam parari possunt fermenta, quæ tantam homogeneitatem sapiant, quanta ad vere præcipitatoria requiritur. Quamvis enim quæ in ipso secretionis actu adhiberi supponimus, succedentem materiam ex reliqua massa quodam modo præcipitare auguramur, istiusmodi tamen præcipitationem satis apte fermentis expansivis competere posse, ex hypothesi circa hanc rem inferius proferenda, arbitror, constabit. Sed jam tempus est ut quid ad secretionem conferant fermenta, & unde deriventur, expendamus.

CAPUT X.

Fermenta ad Secretionem præcedaneæ quæ.

AD Secretionem autem duo fermentorum genera requiri videntur, alia quæ ei *præcedanea* sunt, atq; massæ ex qua aliquid secernendum est, antequam ad secretoria organa pervenerit, affundenda; alia quæ *in ipso secretionis actu* suggeruntur.

Quæ prioris generis sunt, ex æquo simplicibus ac mixtis secretionis ex usu sunt, & eo fine addenda ut sufficientem massæ laxitatem inducant, quo in partes promtius secedat, atque alterius [ubi requiritur] actioni libentius obsecundet. Vix enim ad hanc rem nudam intestinam sufficere posse fermentationem supponere possumus, si perpendamus quam cita, quamque copiosa, tum recrementorum, tum utilium substantiarum ubivis fere in corpore, institi natura. Neminem latet, esculenta, quę quotidie ingerimus, paucarum horarum in ventriculo mora tantam acquirere laxiatem, ut de facili in peranguſta ductuum chyliferorum, in intestina confertim insertorum, orificia magnam sui partem lactea specie colari permittant. Huic liquori in sanguinem transfuso, non longo tempore aptitudo imprimitur ad multas sui partes per alia, eaque & angustiora, & variæ invicem figuræ, cribra dimittendas; unde alias in nervos transmitti, alias [& magno quidem numero] renum glandulas, alias maxillares, hepatis, pancreatis, &c. cis non multas horas, tranare compertum est; quod nuda digestione absq; fermentorum additamento tam brevi tempore obtineri posse vix est, opinor, qui asseruerit: secus enim cur non eædem substantiæ extra corpus, pari digestioni & caloris gradu adhibito, parem laxitatem (aliasque insuper, quibus hæ gaudent, qualitates) eodem temporis spatio acquirunt? Unde patet non exiguam fermentorum, ad laxitatem hanc inducendam, esse necessitatem.

Objici quidem hic forsan poterit (præsertim quod ad ea attinet; quæ sanguini immediate in hunc usum inservire censemus, eique nullis factis ambagibus remiscenda esse testatur partium vasorumque structura) quoniam ex ipso sanguine ortum suum trahunt, naturam operam ludere videri, dum eo fine substantias has secernit ut remisceantur; unde æque feliciter sola digestione laxitatem hanc sanguini induci posse, ac affuso, quod ex ipsius penu delibatur, fermento forsan concipiantur. Cui repono, secretas hasce substantias ipso secretionis actu altiorem, quam qua pollebant; dum in gremio massæ, ex qua emerserant, latebant, energiam induere: etenim præter comminutionem, quam vasorum angustias tranando subeunt, hoc insuper accedit, quod plures, in unam congeriem eximiæ subtilitatis coeuntes particulæ, majores necesse habent possidere vires, quam cùm singulæ, & ab invicem disterminatæ, & crassioribus obvolutę fuerant: porrò, & inquilinis portionis illius sanguinis, cui affunduntur, subtilium particularum copiis junctæ, hoc nomine maiorem in illo comminutionem & laxitatem efficiunt. Quin satis obvium est

sub-

ſubſtantias Chymica ἐγχειρήσεις productas & majores, & alias poſſidere facultates, quam ex quibus proliciuntur concreta; atq; notum eſt cohobiorum medio magis exaltari, ſaltem alias nanciſci dotes, quam ſi ſimplici digeſtione res tranſigeretur.

Hujuſmodi fermenta non pauca in corpore reperire eſt. Sic ſalivalis humor, & ſi quis alius per nondum detecta vaſa in ventriculum effundatur, aſſumtum cibum comminuit, adque ſecretionem inteſtinalem diſponit. Huic maſſæ in inteſtina dilapſæ, & in lacteas traducendæ, ſuggeritur aliud ex biliaribus pancreaticoque ductibus fermentum Chylo deinceps, in venas ex propriis vaſis elutriando, in itinere ſuo primum nervoſum liquorem in glandulis meſentericis affundi veriſimile eſt deinde in receptaculo lympha additur, ut ſic in ſanguinem promtius faceſſat, adque ſubſequentes ſecretiones aptior ſit. Sanguini hepar appulſuro ex liene ſuggeri videtur fermentum, ut ſic facilius deſtinatam ſarcinam in hepate deponat. Breviter, ſingularum reductivarum ſecretionum materiæ totidem fermenta mihi videntur, quibus comminuantur, atque ad altiorem laxitatis & ſubtilitatis gradum evehantur ſucci, hoc proventu aucti. Et ſane videtur mihi cuncta, ubicunque in corpore reperiuntur, fermenta *glandularum* eſſe productiones (excepta forſan chyli portiuncula ventriculi parietibus præ ſua viſcoſitate adhærente, inque fermentativam indolem mora hac exaltata] quarum cùm hoc munus ſit, ut peculiaris ſanguinis particulas eaſque reliqua alluentis ſanguinis maſſa magis ſuo genere activas, ſegregent, quid vetat quo minus iſtæ ſubſtantiæ hoc munere fungantur, & quidem ſolæ, quandoquidem nuſquam alibi in corpore aliæ tantæ activitatis præparantur.

Verum præter indigena hæc Fermenta, adventitia alia non raro forinſecus ſuppeditantur, quorum in cenſu numeranda ſunt, ſive medicamenta cathartica diuretica, diaphoretica, &c. ſive aliæ cujuſcunque denominationis ſubſtantiæ, quæ cùm in corpus admiſſa à ſuccis quibus admiſcentur ſubigi & domari nequeunt, ut ſic in æquabilem cum iis maſſam coeant, orgaſmum inter eos aliqualem concitant, & præ difformitate, quam ad has vel illas eorum particula habent occurſibus à cæteris ſociis ſuis laxant, adque receſſionem diſponunt.

CAP. XI.

Fermentum Secretiones Mixtas immediatè concitans quodnam ſit.

FErmentum autem quod ad ipſum Secretionis actum immediate requiri ſuppoſuimus, miſſis ambagibus *Succum* ipſum *Nervoſum* eſſe cenſeo, ſine cujus directione vix, ac ne vix quidem, latis pro Naturæ indigentia atque intentione tam diverſæ, quam cernimus, indolis ſubſtantiarum, conſtanti adeo tenore hic illic prorumpentium, ſeclusionem obtineri poſſe arbitramur.

Paradoxam, nullus dubito, plurimi hanc criminabuntur ſententiam, utpote à nemine, quod ſciam, hactenus traditam: Quamvis enim Cel. *VVilliſius* ſuccum hunc in Fermentorum numerum jamdudum retulit, atque in *nutritionis* opere, ſicut præcipuum uſum, ſic fermentativam vim illi aſſignavit, nil tamen in *ſecretione* peragenda muneris, quantum mihi contigit obſervaſſe, ei detulit. Conjiciens doctiſs. hic vir ſanguinem, utcunque nutritionis materiam ſuppeditantem, craſſiorem tamen & hebetiorem eſſe, utpote ſpiritu animali deſtitutum, quam ut idoneas, quà augendis, quà abſumptis partibus reparandis, particulas ſufficiat, perquam ingenioſe, *ſuccum nervoſum, maſculini ſeminis inſtar, nutritio humori copioſe ab arteriis ſuggeſto in ſingulis affundi* ſupponit; *quo velut fermento imbutus iſte, atque mutua ſubitione diſſolutus, dum in partes recedit, idoneum quibus appellit partibus pabulum ſuppeditet.*

Qui quidem effectus (ſi nutritio, uti perquam probabile videtur, ſaltem quoad longe maximum partium nutriendarum numerum, ad modum à Cl. viro aſſignatum, peragatur) licèt non obſcurum teſtimonium perhibeat fermenti naturam

huic

huic assignandam esse, ut tamen facilior ad hypothesin nostram, de modo, quo succum hunc in opere secretorio agere supponimus, sternatur via, liceat paululum ulterius, an illi hujusmodi competat indoles, expendere.

Et quidem tum ex [illegible] *& elaborationis ratione, tum ab effectibus, satis clara desumi possunt indicia, quæ eum non modo in fermentorum, sed & maximè expansivorum censu locandum esse suadeant. Quoad prius, neminem latet ex sanguine, liquore admodum elaborato, parari; cujus subtilissimæ particulæ, dum per angustas glandularum cerebralium meatus colantur, crassiorum, quibus irretitæ prius hæserunt, contubernio hac arte liberantur, dumque insuper sui juris sic factæ intra nervorum tubulos commorantur, ab iisque coercentur & ab evolatione detinentur, nequeunt non intestina agitatione sese invicem ulterius comminuere, adeoque majorem ad motum propensionem adipisci; quam agitationem porrò promovet & continuata usque recentium à tergo admissio, & caloris, quo singulæ partes corporis gaudent, fotus. Præterea cùm sanguis, prout supra notavimus, valde hererogeneis particulis refertus sit, cùmque vix ulla tam exquisita in corpore supponi potest colatura, ut puræ homogeneæ & subtilissimæ ex liquore tantopere elaborato & subacto, omni crassiorum consortio liberæ, in ulla vasa recondantur; colligere licet succum nervosum, non modo subtilitatis, sed & particularum difformitatis, ratione, in fermentorum familiam cooptari debere.*

At ex effectis insuper, quos in musculorum motibus concitandis profert, satis hoc evinci potest, sive eundem in statu sano, sive morboso, constitutum contemplemur. Si enim quantam vim brachium ex non multis, nec conspicua mole, musculis conflatum, quà percutiendo, quà elevandis impellendisve magni ponderis molisque corporibus, exerit, perpendamus; si celerrimas, ac ordinatas, atque dictatis animæ ad amussim obsequentes, quas in periti Citharistæ digitis observare est, reciprocationes; si porrò stupendas contractiones, motuumque inordinatorum licèt, nunc in hac, nunc illa parte, quos in convulsis & epilepticis, vitiato succo nervoso, cernere est, vigorem pensitaverimus; non nisi summe agilem, & proinde fermentativum, hunc esse succum concludere possumus. Quamvis enim musculis mechanica necessario adesse debet ad motum eorum exhibendum structura, atque sanguinem calculum quoque suum addere concedendum sit, præcipuam tamen energiam à nervis influere nemo, opinor negaverit, fibris scilicet ab horum actuatis succo: atque notum est quod si nervi vel obturentur, vel præcidantur, statim concidit omnis in partibus illorum commercio fraudatis motus.

Si verò, ad hæc, istorum effectuum magnitudiaem cum perexigua, qua suppeditatur, succi istius quantitate conferamus, res extra omnem controversiæ aleam protinus consistet. Notum enim est, & in perexilibus vasis deportari, & lentissimo per eorum canales motus serpere. Etenim in præfecto aliquo nervo, quamvis porulis donari certum est, nulla tamen, quemadmodum in vasis sanguiferis conspicua sese oculis sistit cavitas; unde à multis retro seculis (imo etiamnum apud multos eadem obtinet sententia) imaginariis, nescio quibus, spiritibus deportandis solummodo inservire creditum fuit. Porrò nec adhibita ligatura hinc vel inde tumere deprehenduntur, nec vel compressi, nisi parum admodum liquoris effundunt. Motum verò, quo prorsum succus iste pellitur, quod attinet, certum est nullam in propinquo partem esse, quæ motum illi, nisi perquam lenem, imprimat: cerebrum enim & prætenerrima compage, & fabricæ, à musculari multum distantis, ratione ineptum prorsus est, ad effatu dignam succi sui quantitatem propellendam; sed totum hoc munus sanguini tralicienti deberi videtur, qui cùm continuo quasdam ex gurgite suo in cerebralium glandularum porulos, parce licet, dimittit particulas, harum ministerio prius depositas solummodo protrudit: cùmque hic motus admodum lentus sit, constat perexiguam istius succi proportionem in tam angustæ cavitate edonatis vasculis deferri posse,

qui

qui proinde maximam energiam possidere debet.

Sicut verò fermentativa huic succo competit indoles, sic, quandoquidem natales suos sanguini debet, pronum est concipere aptitudinem retinere ut in eundem agat; eoque potius; quoniam, præ maxima sanguinis heterogeneitate, nequit non inter discordes illius particulas plurimum resistentiæ offendere, adeoque in motum facilius concitari.

Succo hoc in fermentorum numerum sic celato, oportet ut, quandoquidem secrecretiones, quas memoravimus, fermentorum adminiculo peragi supponimus, ostendamus ipsum hunc fermenti munere fungi posse.

1. *Arg.* Idcircò primò, quandoquidem natura singulas partes justo ad designata munia dimenso fabricat, nec quæ ejusdem generis sunt, imperitorum artificum more, hic ampliores, illic contractiores, eadem utrobique usus necessitate urgente construit, utque in necessariis nunquam deficit, sic nec luxuriare solet; concludere licet, ubi vasa occurrunt quæ majorem ad partes, in quas inseruntur, proportionem gerunt, quam ejusdem generis alia in aliis partibus obtinent, istorum usus vel plures, vel magis conspicuos, hic reputandos esse, partesque in quas inseruntur majori, quem deportant, liquoris copia indigere, quam aliis, minora inserta habent, ex usu est. Hinc quoniam obvium est, quasdam partes majoribus nervis, quam qui aliis inseruntur, donari; sequitur liquorem quem deferunt, utpote majori copia distributum, vel in plures usus, vel magis notabiles, quam ubi minori provenit, inservire.

Usus quidem binos *nervoso contento* adscripserunt veteres, nempe ut tum *motui* tum *sensationi* ancilletur; quibus tertium Celeber quidam ex recentioribus assignarunt, ut scil. *nutritioni* (postquam in *liquorum* familiam cooptatum) insuper inserviat; licet alii aliter hanc rem explicent: adeo ut suppositio, nullo alios usus succo nervoso competere, ubicunque largiori dimenso suppeditari comperimus, talem esse partis indolem necesse sit, ut vel ad motum magis aptetur, vel exquisitioni sensu donetur, vel saltem majori hujus quantitate ad nutritionem indigeat quam ubi parciori manu dispensatur. Jam verò glandulæ in quibus tum excretivæ, tum reductivæ secretiones (saltem in quibus major secernitur humoris copia) peraguntur, largoribus, computo ad ipsarum molem facto, nervis donantur) id quod ex Cl. *VVhartono* satis obvium est colligere) quam qui aliis ferme ullis partibus competunt: imò constat in quibusdam nervorum numerum illum vasorum sanguiferorum superare. At cui, quæso, ex memoratis usibus tantum succi, quem istis partibus inserti nervi deferunt, quantitatem datam supponere possumus?

1. Enim si ad *motum* dari supposuerimus, videntur ad hunc structuræ ratione prorsus ineptæ huiusmodi partes quandoquidem in confesso est, peculiarum fabricam, qualis est musculorum, ad hoc munus requiri; & nemo non, opinor, concedet, nullam in corpore partem, quæ vel non est musculus, vel saltem fibris musculorum ritu dispositis quodam modo non fabricatur, ad motum qui alicuius momenti sit, præstandum natum esse. Haud sane inficias ivero aliquo glandulas motu gaudere; quo nempe sese quodam modo constringendo sanguinis forsan tranantis velocitatem accelerent: sed ad hunc tam lenem (quem & potissimum vestienti membranæ debere videntur) excitandum tantos nervos dari nemo facile crediderit; præsertim si attenderit, ipsis musculis, motus organis adæquatis, minores in proportione nervos adesse, quam qui glandulis conceduntur, licèt interea præ diuturna & violenta, qua non raro concitantur actione satis largas succi huius exspensas subire necesse habeant, Et quamvis obiiciat forte aliquis, fibras, ex quibus conflatur musculus, totidem esse vasa succum huic suggerentiæ, quæ idcirco glandularum nervos multum superare videntur; huic tamen reponere licet, quod quoniam singulæ fibræ ab inserto solummodo nervo liquorem sum accipiunt (nec enim mihi constat quommodo iis aliunde suppeditetur) iste autē, cùm intra nervos ipsos lente admodum commoveri solet, lentius tamen

men ſerpere neceſſe habeat, ubi numeroſos hoſce & capaciores ingreſſus fuerit canales; ſequitur quòd, ſi tantilli nervi ad motum in muſculo tot fibris ſtipato concitandum ſatis ſint, vix probabile videtur majores ad hoc munus requiri, ubi nulla, ſtricturæ ratione, ad hanc rem aptitudo reperitur.

2. Quod ad *ſenſum* attinet (tactus volo; lubens enim conceſſero reliquorum ſenſuum organa ſatis amplis ad id muneris gaudere nervis, licet ex iis quædam forſan minoribus quam qui aliquibus glandulis conceduntur) tametſi haud negandum ſit glandulas hoc pollere, quoniam tamen naturæ ſolenne eſt partes ad deſtinatos uſus commenſuratas facere, vix quiſquam, qui cum ratione philoſophari volet, ſibi perſuadere patietur, tantos nervos tantilli partilius, quales pleræque ſunt glandulæ, ad hunc uſum dari, cum aliis, exquiſitiori ſenſu donatis, multo minores ſufficiunt. Membranæ [quas adæquata eſſe ſenſationis organa plerique conſentiunt. Medici, nec quicquam aliud ſunt, niſi nervorum expanſiones, ſaltem ab his ſenſum ſuum mutuantur] quamvis late in alias partes protenſæ, imò unice ferme aliquas conſtituant, haud tamen originem ſuam à nervis uſque adeo amplis, atque in plurimas inſerantur glandulas, deducunt? at contra glandulæ, quantumvis grandi nervorum ſatellitio ſtipatæ, ſatis obtuſo ſenſu donantur, prout in earum inflammationibus cernere eſt, quæ raro tantam inferunt moleſtiam, quanta in aliis pleriſq; partibus, pari modo affectis obvenit; nec ſtruma, ſcrophulæve, vernacula iis mala impendio magnum dolorem creant. Et ſane minores omnino ad ſenſationem, quam ad motum, ſufficiunt nervi, quoniam major ad hunc quam ad illam requiritur actio, atque copioſior ſucci nervoſi profuſio & impenſa ad grandiores illas muſculorum machinas actuandas neceſſaria eſt.

At verò tertiò, de *nutritione* res paulo magis intricata videtur: Si enim ad mentem Celeber. *Gliſſonii*, *Vvartoni*, aliorumque partes, quas ſpermaticas appellant, (quales ſunt *Gliſſonio* fibroſæ, membranoſæ & nervoſæ, cerebrum, medulla ſpinalis, humores oculorum, oſſa, dentes, *cunctæque glandulæ*) non ſanguine ſed humore nervoſo nutriantur, congruum eſt ãplioribus illas nervis donatum iri. Verum (tantorum virorum præfata venia) quemcunque tandem uſum ſuccus hic nutritionis operi (in partibus ſaltem ab ejus fonte remotioribus) præbeat, videtur mihi nullis hoc ei munus unice deferendum, ſed ex ſanguine [maximam ſaltem partem] delibari poſſe, quod in quarumcumque ex iis, ut ut inter ſe diſcrepantium, alimoniam cedat: præterquam enim quod ſanguis in ſuo penu plurimas diverſi generis particulas contineat, atque inter illas non paucas [prout Cl. *Vvilliſius* ſatis evicit) aptas natas quæ partibus in alibilem ſuccum faceſſant, vero conſentaneum inſuper videtur ex eodem purpuraſcēte liquore candicantes ſatis facili negotio elaborari poſſe. Cui enim omnis βρωματοποιὸς à certa particularum corporis figuratione vel poſitione pendeat, unde radii lucis determinato modo reflexi, prout ſenſorium hoc vel illo modo afficiunt varias colorum ὄψεις producunt; quid vetat quo minus ſanguineæ particulæ, ſi figurarum, adque invicem reſpectus, à quibus rubedo pendebat mutationem patiantur [quod comminutione, quam ſanguis tum inter circulandum, tum inteſtina fermentatione ſubit, haud difficulter obtineri poteſt) colorem ſimul mutent, adque albidiores qua conſtituendas, qua nutriendas, faceſſant? At verò hoc palmarium videtur ad evincendum, nutrimentum, etiam ſpermaticarum partium, ex ſanguinea maſſa immediate ſuggeri, quòd cerebrum, utcunque inter has numeratum, & quod minus quam pleraque ex iis, ex colore aliiſve, quibus partes ſpermaticæ à ſanguineis diſcriminari ſolent, indiciis, ſanguini originem referre videtur, unicum tamen inde nutricatum deſumit, non ſecus ac eidem natales debet: quomodo enim à nervoſo ſucco nutriri poteſt quòd prius exiſtere, omnique ſua ſuppellectile inſtrui debet, quam iſte parari queat, & cujus id munus eſt, ut ſuccum hunc in reliquarum partium uſum ſeu elaboret ſeu

ſepa-

ſeparet, & diſpenſet, totum autem quod admittit, è ſanguinis lacuna accipiat? [Niſi comminiſci quis voluerit, quòd ſicut coronariæ arteriæ caloris & vitalitatis fomitem, ex proprio penu depromtum, tanquam ex poſtliminio, cordi reddunt, ut hinc reliquo corpori proſpiciat, ſic conſimilis, reducum aliquorum nervulorum ope, ad ſingulas cerebri glandulas ſucci hujus proventus, lepido commento, reducatur.] Si vero cerebrum, tantæ nobilitatis, tamque exquiſitæ ſtructuræ, pars, utpote in qua regia animæ ſtat ſedes, puriſſimuſque in toto corpore præparatur humor, ex ſolo ſanguine dirigentis & ſubigentis fermenti miniſterio & compignari & reſarciri queat, cur aliis inferioris ordinis partibus tam elaboratum paululum tantopere neceſſarium concipiendum eſt, nec ſufficere poteſt, ut ex ſanguinea maſſa [materia ſaltem ejus] immediate ſuppeditetur; Nec enim nervoſi ſucci uſum improrſus denegamus, quemadmodum inferius dicemus: ſed quoniam hunc fermenti tantum vices [ex mente Cl. *Vvilliſij*] peragere conjicimus, nulla mihi videtur ſubeſſe ratio, cur apportantes nervi tantum in variis partibus (glandulis ſcil. prę reliquis) diſcrimen quoad molem ſortiantur, ſi nutritionis peragendæ gratia ſolum advehant. Et ſane quantumvis detur, ſuccum nervoſum copioſius ad ſpermaticas partes, nutritionis ergo [ex citatorum Cl. virorum ſententia) ſuggeri debere; cur tamen glandulis, quam cæteris hujus proſapiæ partibus majores donantur nervi, cùm omnes pariter nutritione indigeant, eandemque augmenti proportionem obſervent? Porro cum iſtæ partes texturæ ratione non multum difflabiles ſint, & proinde minorem pabuli proventum expoſcant, quorſum tantæ molis iis inſeruntur nervi, cum minores multo in hunc uſum ſufficere poſſint?

Celeb. *Steno* alium nervis in glandulas ſtomachicas infertis uſum aſſignat [qui ſi hic concedatur, in aliis pari munere fungentibus locum habere debet) nempe *ut venas conſtringant, quo ſanguis aliquatenus in motu ſuo rapidiori impeditus, vaſorum ſecretoriorum orificis ſiſtatur, ut hac mora ſalivaris materia promptius in ea coletur*: (Qualem & nervis, per pulmones decurrentibus, aliaſque in partes inſertis, uſum, pro ſanguine iuxta pathematum impetus moderando, aſſignat Cl. *Vvil. liſius*.] Agnoſco ſane ingenioſiſſimum inventum, & uſum hunc iis ex parte competere omnino concedo: At, pace doctiſſ. viri, cenſuerim multo exiliores nervos huic, non minus quam motui, ſenſationi, & nutritioni ſatisfacere poſſe; eoq; magis, quoniam vaſorum ſanguiferorum ad pleraſq; glandulas attinentium tanta eſt exilitas, ut nervorum proportionem haud æquare videantur. Et quidem obſervari poterit partes, in quibus periſtaltica contractio admodum conſpicua eſt, non impendio magnos prę aliis ſortiri nervos, verùm propriarum fibrarum, quas per exiles nervos deportatas actuare poteſt ſuccus, miniſterio opus hoc abſolvere; id quod in inteſtinis patet, quibus ſicut multo fortior eſt quam venis ullis conſtrictio, ſic nullus Anatomicus propalavit, grandiores iis adeſſe nervos, quam qui in glandulas mixtis ſecretionibus dicatas inſeruntur. Porro nervi ipſa glandularum penetralia ſubire videntur; cum potius ad hoc muniis earum exteriora perreptare deberent, ut ſic venas in egreſſu circumambientes conſtringerent. At inſuper quandoquidē doct. vir hunc iis uſum hic loci ideo potiſſimū aſſignat, ut *pro animæ imperio* vel *motu* majori copia ſubinde profundatur ſaliva quorſum partes in proportione his nervi in alias glandulas inſeruntur [nec enim obſervatum eſt exiliores eſſe, qui in cęteris, pleriſque ſaltem, terminantur) quę conſtanter ſuccum ſuum; & æquali circiter, cęteris paribus, menſura ſeparant, nec ab animæ nutu, quantum liquet ſecretorii ſui muneris variationum patiuntur.

Hiſce uſibus ad totum, quem tam ampli ad glandulas apportant nervi, ſuccum exhauriendum haud adęquatis, qui alius reſtat, niſi ut qui ſupereſt, ad *ſecretionis* opus impendatur? Ad quam porro ſententiam amplius ſtabiliendam, attendi poterit.

2. *Argum.* Vix aliunde (ſuppoſito quod fermentum ad ſecretiones, quas diximus, neceſſarium ſit) deduci poſſe fermentum huiuſmodi, quam ab hoc ſucco:

Ad hanc rem, duplex sollummodo excogitari potest ratio, quomodo glandulis suppetat fermentum. Vel enim ipsa glandulę substantia propria digestione generari debet, vel aliunde per vasa aliqua ei inserta constanter suppeditari. Quoad primũ non prorsus improbabile, videtur ipsum partis alicujus succum, modo moram aliquam illic trahat, in fermenti genium exaltatum iri; reseratis scil. hac intercapedine magis activis, ex quibus constat, particulis, inque alias de novo appellentes agendi vim hinc nactis, non secus ac subactæ farinę massam aliquandiu servatam in fermentum redigi, vulgari experimento cernimus: atq; hoc pacto Chyli, in ventriculi fundo & plicis detenti portionem in fermentum facessere, adque ciborum postmodum ingerendorum coctionem operam conferre, qui hinc deducunt fermenti stomachalis rationem, supponunt. Verum enim vero tale aliquid in glandulis locum habere posse haud facile constat: non enim liquet ullas iis, nisi ipsorum vasorum, præsto esse cavitates, in quas talis aliquis, sanguini trajicienti pro re nata suggerendus, recondi possit succus; atque probabile est ex vasis variè complicatis unice conflari istas partes imo videtur, quod citatior, tam hic loci quam alibi sit sanguinis motus, quam ut adeo longam succo cuivis appellenti moram permittat ut hanc exaltationem subeat, quin facillime, succum in venas statim devolvendum, non potest non absorbere: cùm interea, in proposita de ventriculi fermẽto instãtia haud possibile videtur, ut totus una vice excludatur chylus, quoniam & laxior illi tonus est, quam ut omnimodam contractionem subire possit, & tam profunde in sinistro hypochondrio propendet ipsius succus, ut difficillime ad pylorum ascendere queat ponderosior chyli pars in illo latens, idcirco satis longam illic ad exaltationem moram facile trahere potest. Quinimo secretionis methodus (mox trahenda) non indigenum, sed quod forinsecus cũ impetu injiciatur, requirere videtur fermentum.

Quoad alterum, Vasa, quæ in glandulas fermentum istud deducere possunt, vel arterię sunt, vel nervi: certum enim est & venas; & lymphatica, ab iis, quod ab istis affertur revehere, per arterias quod adducitur nil aliud esse, quam ipsum sanguinẽ (quo nomine tatam massam utcunq; chylo & lympha scatentem intelligo) cuivis in propatulo est; atque ipsi sanguini, qua tali, fermenti quod volumus titulum non competere nemo non concedat, cùm secretionum materiam suppeditet: nos vero supponimus fermentum, ad hoc opus, aliud requiri à massa ex cujus gremio aliquid immediate separandum est, quanquam negandum non sic ex eadem elaboratum antea fuisse; quam tamen elaborationem ejus, & separationem, ut fermentum evadat, ante peragendam esse, quam partem in qua fermentativum hoc minus exequi debet, ex dictis, opinor, constiterit. Restant ergo quod, quoniam multum aliud supereſt vas quod ad glandulas quicquam, quod fermenti vices præstet, afferat, nervi hoc suggerant.

3. *Argum.* Porrò tertiò hoc isti succo in Secretione munus deberi, inde forsan arguere licet, quod ex hujus dyscrasia quavis, vel deficientia, pervertitur secretionis opus: adeo ut si quoad crasin debilitetur, aut nervi obturentur, secretiones vel omnino deficiunt in partibus quo tales pertingunt nervi, vel saltem parcius solito procedunt; si vero acrior evadat, atque hoc nomine magis fermentativus, immoderatius concitantur.

Prioris exemplum in paralysi cernere licet, quo in affectu plures ex solitis secretionibus minutius succedere solent; speciatim alvina rarius solito procedit excretio; quod non tã intestinis, prę spirituum defectu, contractionis munere orbatis tribuendum duco quã succorũ ex hepate & pancreate excernendorum, unde stimulatione debita carent, defectui, quandoquidem in taliter affectis non supra modũ distentum abdomen, saltẽ in principio morbi comparire solemus, ut exinde conjiciamus intestina excrementis oppleri. Quinimo satis infrequens est diaphoresis, quã etiam difficillime exhibitis licet diaphoreticis, cõcitare datur; quem affectum à novorum ad glanduloſam cutim tendentium obdurations pendere, non admodum durum est agnitu. Agnosco sane hujusmodi ęgrotantibus liberatiorem in quibusdam partibus

ali-

aliquando procedere secretionem [quemadmodum quandoque observari tales magnam salivæ copiam profundere) cujus tamen rei hanc forsan reddere licebit rationem, quod nempe in his non admodum debilitetur succi nervosi crasis, sed potiùs extranea, ex sanguine illi demandata, nervorumque tubulis improportionata sufferciatur materia; quo fieri potest ut, quibusdam ex iis obturatis, alii; quibus patula magis cavitas obtigit (nec enim eadem diametro omnes forsan constant) vel quibus obstruens crassamentum nondum appuliſſe contigit quandoquidem hinc ab obstructione immunes perstant, copiosius succum suum in partes, quibus inseruntur, deponant; unde si partes istæ secretorio muneri destinentur, majori quam alias solent, copia è perluente sanguine hujus appulsu deturbantur serosiores, vel aliæ quæ coli poris proportionem gerunt particulæ, eoque magis, quoniam secretionibus alibi deficientibus sanguinea massa nimia secernendæ alias materiæ copia luxuriat.

Secretionis vero supra modum naturę statutum auctæ instantiam habemus in Scorbuto, quem non in solo sanguine, sed & succo nervoso, acri nimis reddito, at in hoc *secundario* tantum, radices agere Cl. *Willisius* (qui perquam accurate morbi hujus genium investigavit) censet. In quo affectu inter alia, quæ huic rei testimonium perhibent, symptomata [qualia sunt fluor alvi vomitio,&c.]Doctissimus vir hoc pro solenni ingravescentis morbi signo adducit, quod *copiosæ & corrodentes sputationes* eveniant; quæ cùm non nisi succo nervoso tandem affecto, se prodant (vix enim ingravescere potest hic morbus quin succus iste, è sanguine ortus, & vectigalia inde perpetim delibans, una afficiatur] indicio mihi sunt ab eo depravato provenire, quamvis doctiss. viro consentio, materiam ex sanguine provenire: & quoniam [quod supra ostendere conati sumus] nequit ex suo penu tantam, quanta erumpit, humoris copiam suppeditare, sequitur vires suas in sanguinem exerere, ad materiam hanc ex ejus sinu deturbandam; ad quod præstandum non parvam energiam ab acrimonia sortitur. Tono partium secretoriam fateor aliquid in hoc negotio dandum, quo laxato copiosior liquoris ex ampliatis meatibus profusio sequi potest; ut nisi aliquid insuper accesserit: quòd huic determinationem ad istos subeundos imprimat, vix, ut mihi videtur, concipi potest, quin in patentiores venarum canales longe maxima ejus, quod secerni comperimus, pars iter teneat: hoc autem à succo nervoso petendum reor.

Verum reclamantes audio hoc esse ὑποθέσει nimirum δυλευειν, minusque philosophice factum, succum hunc tot muniis onerare, tamque diversis addicere; saltem indignum liquore usque adeo elaborato videri ad tam abjectos usus detrudi, primariumque animę in excelsioribus suis Operationibus exequendis ministrum, latrinæ pariter quasi exhauriendæ ablegari.

Quibus repono, primò quòd quandoquidem nulla corpora seorsim quoad agendi vim, consideranda sunt, sed prout à plurimis aliis, iisque varii generis, circumsepta; à quorum discrepantia, dum in ea impingunt, multifariam eorum actionem determinati, affectusque propterea variari, necessum sit (quemadmodum pulchre monet φιλοσοφότατος D. *Boylius*) nequaquam rationi absonum videtur tot, imò plures quam nos ei adscribimus, ab hoc succo productum iri effectus; cùm pro corporis organizatione (satis ut elegantis, sic diversis in partibus multum variata) nequit non diversimode determinari ejus actio, nec proinde fieri potest, quin tam ad sanguinem ubi in hunc agere destinatur, quam ad partes solidas, pro varia eorum habitudine, vario modo se habeat. Nec magis sane hoc mirum videri debet, quam quod [quamquam nativũ ei munus solummodo videatur radios de se spargere, istorum tamen famulatu] hic plantas germinare, illic tubera succrescere facit, alicubi bitumen è torræ viscеribus cogit, alibi vapores attollit, aeremque nubibus infercit, ceram liquefacit, lutum in saxeam duritiem excoquit, nunc concreta ei debito modo exposita blãdo calore fovet, nunc eadem, vitri (imo glaciei) in idoneam formam redacti ope, in fumum & flammam convertit. Quæ

omnia cùm à nulla facultatum ipſi Soli inſitarum diverſitate, ſed à ſola radiorum prout in varie diſpoſita corpora impingunt, diffuſione prodeant; quidni pariter ſuccus nervoſus, dum in partes varie contextas depluit, quarum ad ſenſationem, aliæ ad tranſmittendos liquores, &c. fabricatæ ſunt, varios in ſingulis effectus producat?

Quòd verò ſecundò de officii vilitate objicitur, nulla difficulate laborat, ſi perpendamus naturam non eoſdem in partibus conſtruendis, earumve uſibus aſſignandis, honoris ſervare modos, quos inanis gloriolæ umbras conſectantes ſibi proponunt homines, verum, pro ſingularum ad hæc vel illa munia obeunda aptitudine, illi penſa ſua aſſignare, maximoque in omnibus compendio ſtudere, pluribus, iiſque multum diſtantibus, uſibus, qua partibus ſolidis, qua liquoribus, demandatis Sic quamvis pulmones ad motum ſanguinis tuendum potiſſimum fabricari veriſimile ſit, quid tamen vetat, quo minus ejuſdem gravativis non paucis recrementis eliminandis, æſtibuſq; [aere ſive amiſſo, ſive ſolo contractu vaſa, &, his mediantibus, ſanguinem, afficiente) temperandis ancilletur? Sic inteſtina chyloſæ maſſæ convehendæ, atq; purioribus ejus partibus in vaſcula adſita ſegregandis inſerviunt; interea tamen & tranſmittendo noxio cuicunque, ex ductibus hepatico pancreaticove extruſo, humori ſi quando hoc accidat, ut per ſedem amandetur, ex uſu ſunt pariter & ſuccorum plurimi [ſi non omnes] ſicut variis impenduntur negotiis, ſic non raro ſatis ſordidis. Hepaticum liquorem maſſam chyloſam ad hæmatoſin, & conſequenter ut ipſum nervoſum faceſſat ſuccum, parare vix quiſquam negaverit; at inſuper ad inteſtina, quo hanc propellant, irritanda conducere conceditur. Saliva ad os & linguam, pro motu ſuo facilitando, humectanda inſervit; nihilominus tamen nobile illud cibis in ventriculo conficiendis fermentum (ex parte ſaltem) ſubminiſtrat. Sanguis ipſe tam calore ſuo refocillandis, quam nutriendis cunctis qua nobilioris proſapiæ qua magis abjectis partibus (ſi modo talis admittenda ſit diſtinctio, inter eas ſaltem quæ ad vitam abſolute neceſſariæ ſunt] natus eſt; dum tamen hoc præſtat, in gremio ſuo excrementitias illas, quas, poſt quam excretæ fuerint, tantopere averſamur, & ſuſpenſo naſo contuemur, ſubſtantias geſtat. Quidni igitur nervoſus ſecretionis muneri viceſſuas præſtet ſuccus, quandoquidem dum hoc peragit, ſanguinem aptiorem ſolummodo ad actiones illi ab anima demandatas, reddit, cui & non minus quam cæteri, ſeu liquores ſeu partes famulatur, & ſine quo vix perfici poſſe ſecretionis opus mihi videtur? Et ſane ſi ipſius animæ munus ſit, a magno Conditore aſſignatum, cunctis, vel infimæ notæ operationibus præſidere, eaſque moderari, non video cur tam elatos ipſius miniſtros [cunctos tum liquores, tum partes ſolidas] ſuſpicemur, ut, quod ipſa non dedignatur domina, hi reſpuant.

CAPUT XII.

Hypotheſis pro ſecretionum mixtarum ratione reddenda proponitur.

QUoniam verò non ſatis videtur, ſucci hujus miniſterio ſecretiones peragi nude ſupponere, niſi qua arte & methodo hoc fiat monſtremus proximum eſt, ut *Hypotheſin* noſtram hac de re proponamus unde & major dictis probabilitas (nec enim aliud præ ſe fert hoc, quicquid eſt, cœpti) forſan conciliabitur.

Priuſquam verò hoc aggredimur, aſſumere liceat, primò, quod ſicut promtus ſanguini ex arteriis in venas tranſitus, poſitionis ratione, datur, ſic ex nervorum glandulis inſertorum aperturis, in eas vaſorum ſecretoriorum, pariter, facilis & directus pateat trames: ſecundò quod vaſorum iſtorum poſitio ea ſit, ut ad ſanguifera tranſverſim ſe habeat, ita ut lineat ab uno horum ad alterum ducta, decuſſatim (licèt forſan non ubique ad angulos rectos) interſecet locum, quo arteriarum capillaria in venarum ſe exonerant.

Nulla his firmandis, lubens agnoſco, a ſenſuum teſtimonio ſperanda ſuffragia; quoniam, tam hic quam alibi, minutula adeo, ubi in extrema dirimuntur capillaria, ſunt vaſa; omnia, ut vel peſpicaciſ-

ciſſimorum oculorum aciem effugiant. At verò quandoquidem ſuppoſitio hæc nullo modo in naturæ leges injuria videtur, ſed talis vaſorum poſitio particularum ſeceſſurarum, tam è ſanguine, immiſſi ſucci nervoſi miniſterio, præcipitationi, quam in vaſa ſecretoria derivationi, non parum ex mechanices legibus favere videtur, veniam illi facilè datum iri confido.

His ergo ſuppoſitis, conjicio, quod dum ſanguis glandulas, ubi hujuſmodi ſecretio peragenda eſt, tranat, perpetim (ſed majori ſolito copia & impetu, ſi irritatio quævis acceſſerit) ex adſtantibus nervis in illius fluentum effunditur ſuccus, qui abſque mora fatis magno impetu objectum rivulum trajicere geſtit, tum quod ſuopte genio ſumme agilis exiſtat, tum quod inſuper à ſanguinis calore, & quam impulſui debet, agitatione vegetiorem concipit motum. Dumque hoc facit, particulæ ejus nequeunt non in grandiores, ex quibus ſanguis maximam partem conſtat, & quæ majoris ſuperficiei ſunt, in itinere ſuo impingere; quas, cùm recto earum motui obſiſtunt, præ agilitate & motus pernicitate, ad vaſis in quo ferun tur oppoſitum latus recta, quantum poſſunt, linea propellunt, quandoquidem iſtæ, in motu jamjam poſitæ, determinationem ab aliis fortius motis, & in eas à latere impingentibus, facile patiuntur. Hæ autem ſic protruſæ ſanguinis particulæ, cùm aperturam, quam dixi, in ſecretoria vaſa ducentem offendunt, in eam ſi mole & figura eidem proportionatis donentur, nullo negotio divertunt, ſin majuſculæ ſint, vel talis figuræ, quæ figuræ oſculorum iſtorum non reſpondet, unde ab his admitti nequeant, hoc ſolum inde reportant, quod in torrentem ſuum parietis objectu retorquentur, & una cum eodem prorſum rapiuntur. Cùm vero ſucci iſtius continua fit; a ſanguine novum indeſinenter cerebro penum ſuppeditante, protruſio, maxime vero dum evigilamus quoniam tunc temporis major nervis accedit tenſio, præſertim vero poſt plenariam chyli diſtributionem) hinc novus, iſq; ſatis copioſus, ex ſanguine glandulis, in quas nervi iſti inſeruntur, appellente affatim detruditur, iſtiuſmodi particularum proventus, inque vaſa ſecretoria corrivatur, quæ tandem impendio auctæ ſatis plenum ſic fluentum conſtituunt.

Hypotheſeos hujus veriſimilitudo inde colligi forſan poteſt, tum quod cunctis in confeſſo eſt, omne corpus in motu poſitum ab alio impingente, quod majorem motus vel gradum, vel vim poſſidet, ubi cætera conſentiunt, determinationem acquirere; tum quod omnis motus in linea, quantum licet, recta peragatur. Unde ex modo allato ſuppoſito, quod vaſa ſecretoria nervulorum oſculis poſitione reſpondeant, & locum ubi ſanguifera concurrunt interſecent, quid incongrui ab hoc quem nervoſo ſucco adſcripſimus, uſu requiritur? Etenim cum tam liquor hic, quã ſanguis, in vaſis ſuis continuo prorſum ferantur, neceſſario, ubi ad occurſationis articulum pervenerint, in ſe invicem impingere debent; dumque ſibi mutuo in motibus ſuis rectis hic moram faciunt, neceſſe eſt ut particulæ unius alteras loco pellant, qua in lucta fortioribus victoria deferetur. Cùm vero ſucci nervoſi particulæ, præ ſumma tenuitate, adque motum aptitudine, ſanguineas agilitatem ſuperent, majores proinde vires obtinent ad id, quod in ſanguinea maſſa motui ſuo reſiſtit, deturbandum, quam ſanguis ad has ſecum rapiendas, quod propterea, ſi vaſorum ſecretoriorum ora ſatis patentia ſint, in ea propellunt. Interea tamen haud fieri poteſt, quin ex ſpirituoſis his plures ſe una in vaſa ſecretoria inſinuent dum earum, quas è ſanguine extruſerunt calci inſiſtunt: atq; hinc fit, quod nullæ ſecretiones (ne excrementitiæ quidem) dantur, quarum materia ſpirituoſis hiſce particulis non ſit referta [id quod ex earum debita analyſi ſatis liquet, cujus medio non exiguus harum numerus ſeparari ſolet;] quæ tamen non unice ab hoc fonte prodire videntur; cùm copioſiores ſint, quam ut hinc ſuppeditari poſſint, ſed è ſanguine ipſo magna ex parte ſuggeri; dum enim craſſiores, fermenti nervoſi affuſi vi, verſus ſecretoriorum ora propelluntur, atque hoc nomine majorem agitationis gradum nanciſcuntur, ex minutioribus

quæ eas undique circumfluunt) quibus in tramite ſuo occurrunt, aliquas nequeunt non ſecum rapere; utpote quæ præ molis minutie, vim habent ad iſtarum, celerius motarum, impulſui reſiſtendum, quam hæ ad impellendum; unde à recto, quo prius ferebantur, motu deflectere cogunrur, inque vaſa ſecretoria viam capeſſendi determinationem acquirere; quoniam vero horum porulis minutiores ſunt, nullam vel ſibi, vel craſſioribus ingreſſuris, moram nectunt, ſed placide ſubintrantes unum cum iſtis flumen exhibent. Interea tamen craſſiuſculas majori numero depelli contingit, eo quod hæ, maiorem habentes ſuperficiem affuſi fermenti actionem magis recipiunt, atque hinc determinationem promtius acquirunt, tenuiores vero & ſubtiliores (niſi quas in tranſitu ſuo ad ſecretiorum ora à craſſioribus intercipi diximus) cùm & præ æquali ferme cùm fermenti particulis exiguitate unde ab iis prehendi nequeunt, donetur, & recto, præ eo qui in vaſa ſecretoria ducit, canali potiantur, & forti, à cordis impulſu, agitatione polleant; ſatis libere ea præterlabantur.

Verùm in hypotheſin hanc noſtram objici forſan poterit, ſucci huius impulſu qualem ſanguis à corde ſortitur diſtitui, motum in nervis lentum adeo eſſe (circa extremitates maxime, utpote quibus aucta in decurſu amplitudo celeritatem trajicientis liquoris neceſſario minuit) ut vix ſupponere liceat, tam fortiter in ſanguinem agere poſſe, ut inde quicquam, quo diximus modo, præcipitare valeat, quandoquidem ſatis magna vi opus videtur ad particularum ſanguinearum agitationem eouſque ſuperandam, quo locum ullæ ex iis cedant.

Cui referimus, quod quamvis omnino concedimus, motum hunc ſatis lenem eſſe intra nervorum tractus, hoc tamen non impedire videtur, quo minus, ubi emiſſus fuerit, ſatis magnam agitationem ſubeat. Dum enim intra nervos ſtabulatur, uſque adeo coarctantur ejus particulæ, ut ſeſe explicare nequeant, nec tantum calorem poſſident, qui eas multum exagitet: porro nec à ſubſtantia quavis heterogenea, ab ipſis conſtitutivis ſui particulis diverſa, ſolicitantur. Poſtquam vero e ſuis conceptaculis extruſus, inque ſanguineum torrentem traductus fuerit, quandoquidem hinc tum majus offendunt, in quo ſe explicent, ſpatium activæ, adque nixus expanſivos maximopere proclives, ex quibus conflatur, particulæ; tum ſanguinis calore (quo pollet, quam ſuccus hic, intenſiori) & promiſcua agitatione concitantur, ſatis pronum eſt concipere non exiguam motus acceleration em, in ipſo etiam effuſionis articulo, indepturas: At inſuper (quod maximam forte huic negotio operam conferat) ab occurſatione ad particulis ſanguinis heterogeneas, orgaſmo hinc concitato, haud improbabile videtur, quod eam facile concipiant vim, ut has non condemnenda impete inſiliant, reſiſtentiamque vincendo cedere cogant. Obvio enim ſatis experimento cernimus, varias ſubſtantias, quæ ſeorſim nulla agitationis (momentoſæ ſaltem) indicia produnt, ſat magnam commiſtas præbere: ſic verbi gratia, liquores accidi, ſalibus, vel volatilibus, vel fixis, vel oleis ſulphureis affuſi, non parvam ebullitionem, imo calorem (agitationis inter particulas plurimum auctæ indubitatum argumentum) concitant. Quanquam vero major ſolito in utrumque liquorem invicem commiſtos particularum agitatio, hoc pacto neceſſario invehetur, ille tamen cuius particulæ ſubtiliores ſunt, adque motum magis diſpoſitæ, eam potius experietur, eoque efficacius, ſi calor auctus acceſſerit, quo facile fieri poſſe videtur ut quam ſupponimus, præcipitatio efficiatur. Quæ ſana & eo facilius promoveri poteſt, quoniam tam breve inter nervorum & vaſorum ſecretoriorum interjacet ſpatium, ut non prorſus abſurdum videatur vel minorem, quam ſuccus iſte ab hac miſcella obtinet, vim ſufficere poſſe ad effectum hunc producendum (quemadmodum ex pulveris pyrii, variorumque liquorum Chymicorum invicem commixtorum effectibus mixturæ huic quodam modo analogis, colligere datur) niſi natura,

quæ

quæ cunctas juſto dimenſo partes conſtruit, nervos (quamvis majoribus partes huic operi deſtinatas, quam quos aliis largita eſt, donavit) ſatis exites, ſi inconſpicuam eorum cavitatem contemplemur, fabricaſſet, atq; ſic caviſſet ne, nimiam activi hujus ſucci quantitatem ſuggerendo, tantam effulus agitationem, dum ſanguini commiſcetur, ſubiret, quæ deſtinato effectui regulariter proferendo improportionata eſſet.

Verum hic porrò objicitur, ſucci hujus effuſi motu non mere trajectorium eſſe, ut in recta totus linea à nervi, à quo effunditur, extremitate ad ſecretoria vaſis oppoſitum oſculum tendat, verum undiquaque ſe diffundere. Cui reſpondeo, nil hoc obſtare quo minus aliqua ejus pars recta prorſum feratur, quæ forſan ſufficere poterit ad determinationem, quam volumus, ſanguines particulis imprimendam: interea tamen reliquæ, quæ ſeſe ſic diffundere ſupponuntur, non poſſunt non objectas ſanguinis particulas à ſe propelle. adque adverſum latus determinare, ſecus enim nullum ſe explicandi locum haberent: quo dato, nil aliud noſtra poſtulat hypotheſis.

CAP. XIII.

Phænomenon quorundam & dubiorum ſolutiones exaltata hypotheſi.

PArticulares ſecretiones ſingulatim, & minutius, proſequi noſtri non eſt inſtituti, qui generalem ſolummodo earum rationem reddere ſatagimus: quo tamen hypotheſis allata ulterius ſtatuminetur, *Phænomenon* pauculorum, quæ vel notatu magis digna occurrunt, vel aſſenſum illi cohibere videantur, ſolutiones addictorum normam breviter attexere forſan non abs re erit.

Et primo, conſtare videtur, cur ex ſecretoriis partibus quædam *amplioribus*, quam qui aliis obtigerunt, *nervis* donantur. Etenim ubi œconomiæ animalis ratio poſtulat, ut major exturbetur ex ſanguine humoris quantitas, merito *fermentum*, quod hoc efficiat, majori copia ſupplendum, & proinde vaſa hoc adducentia ampliora ſint oportet. Hoc in mammis luculento ſatis, ut mihi videtur, indicio obſervare licet, in quibus cum tanta copia lac proveniat, non mirum tam confertam nervorum ſobolem iis contigiſſe.

Teſtibus exiguos ſolummodo *nervos* adeſſe Cl. *VVilliſius*, contra priorum Anatomicorum effata, ex propria obſervatione pronunciat; & proinde univerſam ſpermatis materiam ex ſanguine immediate derivari vult. Et ſanè inde magnam (imo maximam) illius partem delibari rationi conſonum videtur. Interea tamen (præfata doctiſſimi viri venia) iſta nervorum exilitas non obſtare videtur, quo minus, quem deferunt, ſuccus ſuas in extricanda hac ex ſanguine materia vices præſtet. Probabile enim eſt, ſperma hoc exigua ſolum quantitate generari, quandoquidem & exigua mole, & non niſi per ſatis longa intervalla excerni ſolet, propterea exiles ſufficere poſſe nervos videtur, utpote ad ſecretoriorum vaſorum proportionem, & ſecernendæ materiæ quantitatem, commenſuratos. Cùm enim materia admittenda valde ſubtilis eſt, oportet ut ſuſcepturi poruli perquam anguſti ſint, ne ſimul craſſior ſe inſinuet; & proinde minori appellentis fermenti quantitate, quam ubi copioſior deſignatur ſecretio, opus eſt; eoque minori, quoniam ſecernenda materia ſua natura valde agilis eſt, minimoque impulſui facile cedens. Non equidem negavero, præter ſpermatis expenſas in coitu fieri ſolitas, alias dari: nempe ex eo aliquid ſanguini jugiter reaffundi hoc nota virilitatis indicia, vox gravis, barbæ eruptio, robur corporis præ eo, quo gaudere ſolet muliebris ſexus, &c. teſtatum faciunt; atque cernimus inſuper eunuchos ejus defectu in fœmineam mollitiem degenerare; porrò ab hujus privatione, dum extrorſum erogatur, potiſſimum fieri arbitror, quod poſt coitum tanta virium proſtratio, & corporis enervatio eveniat; corpore hinc debitis vectigalibus ſumme activis, ab his partibus perſolvi ſolitis, fraudato [licet, ut hoc obiter adno-

tem,

tem, magna cunctorum ferme in corpore nervorum in actu aphrodisio evenientens tensio, unde nequit non copiosa succi quo scatent haberi profusio, atq; insuper animi, re peracta, relaxatio, qui prius cunctas partes invigoraverat, ad hunc effectum concurrant) unde forsan deducere quis voluerit, satis largam, & cui ex nostra hypothesi parando impar sit nervosus, per tam tenues canales allatus succus, ejus quantitatem indesinenter generari. Verùm isti effectus à subtilibus tantum quibusdam aporrhæis procedere videntur, quæ præ summa activitate, quæ forsan reliquis in toto corpore elaboratis substantiis majori pollent, non opus habent magna copia transmitti; cùm notum sit, materiam summe exaltatam permagnas vires exigua mole exerere posse; necdum detecta sunt vasa quæ crassiorem substantiam introrsum devehant. Si verò objiciatur meram, qualem in cerebrali, pro nervoso succo parando, secretione supposuimus, percolationem hic etiam sufficere posse, adeoque naturam faciliori, quam comminiscimur nos, methodo rem absolvere; repono, quod quandoquidem tantos, tamq; eximios; hujus substantiæ effectus, & qui altiorem redolent genium, quam qui nudo succo nervoso competere videtur, tam in corpore, quam postquam emissa fuerit, experimur; probabile videtur elaborationis esse isto succo indolis, crasinque requirere ab omni ea diversam, quam à particulis quibusvis ex sanguine immediate delibatis, utpote nondum ad summam subtilitatem redactis, habere potest; cui proinde comparandæ fermenti admixtione opus habeat. Hoc autem unde quam à succo nervoso suppleri potest, qui mora transitu per nervorum canales, ulteriorem comminutionem, altioremque indolem; quam inter se edendum in cerebro obtinere potuit, adipiscitur, uti supra fusius disseruimus.

Dubitari forsan potest, an secretiones ab exhibito *cathartico*, *aliisve medicamentis*, concitatæ, quic quam nervoso succo debeant; quando quidem & succus iste justo dimenso ad secretiones ex naturæ lege concitandas, si omnino ex usu sit, ex ejusdem designatione suggeri supponatur, unde tam copiosis, quam exhibitis hisce medicamentis proveniunt, ciendis impar videatur, & concreta ista fermentorum vices hoc in negotio gerere forsan concipiantur. Cui difficultati referre liceat, quod quoniam fermentative istæ substantiæ magnam quibusdam præcæteris sanguinis particulis laxitatem inducunt, nexusq; quibus reliquis antesociabantur, & unde à divortiis arcebantur, solvunt, exigua fermenti nervosi, summe activi, quantitas sufficere concipiatur ad determinationem iis, dum partes secretorias tranant, in commensuratos vasorum, quos offendunt, porulos divertendi imprimendam. Verùm qualemcunque tandem laxitatem nactæ fuerint istæ sanguinis particulæ, difficile tamen conceptu videtur, quod supra monstravimus, quomodo suopte genio absque dirigente fermento subintrent, quandoquidem majori constant mole, quam partes sanguinis spirituosæ, quæ proinde aditus prius occupando istas ab ingressu arceant, ipsumque sanguinem, depurationis vice, depauperent? Porrò vix concipi potest quin absque tali, forinsecus inducta, impressione (quam à medicamento sperari nequeunt) patentiores, & magis rectos, sanguiferorum vasorum tramites potius capessere debeant, quam devios, & angustiores secretoriorum. Adde, quod probabile videtur, pungitivas medicamenti particulas, dum sanguini immistæ cerebrum inter circulandum tranant, ipsum vellicare, quo fiat, ut in nervos copiosius succum propellat: Quinimo concipere fas sit, harum subtiliores etiam in nervos se cum eorum liquore insinuare, adeoque acriorem reddendo, majorem ei ad exturbandas, quibuscunque obviam fit, particulas vigorem addere; & quamvis universalis sit istius succi excretio, in illis tamen solummodo partibus concitari potest, quam diximus, secretio, ubi vasa adstant laxatarum sanguinis particularum figuræ & diametri ratione susceptiva.

Obiter hic, quid de famigerativa illa, *An medicamenta purgent electivè*, con-

controversia tenendum existimamus, paucis attingere liceat. Ne enim veterum de humoribus doctrinam, ad quam sensa sua super hac re accommodarunt, disceptationesque utrum ἕλξει, an ὤσει, res transigatnr, aliasq; huiusmodi exagitemus; rationi omnino consentaneum videtur, quod cum sanguis ex variæ & determinatæ magnitudinis particulis conflatnr, unius generis medicamenta (quorum invicem diversitas in hoc solummodo consistit, quod diversæ inter se sint, quoad particulas constituentes, magnitudinis & figuræ, variæq; texturæ) has alia illas laxent, adque secedendum disponant. Cum enim nulla corpora indiscriminatim in cętera omnia agant, sed quædam in hæc, alia in illa, pro particularum alterius quoad dictas affectiones proportione, quid aliud concipere possumus quam quod, ubi corpora, ex certæ cujusdam figurę & magnitudinis particulis conflata in sanguineam admissa fuerint massam, in tales solummodo ejus particulas vim suam exerere valeant, quæ eam his nactæ sunt proportionem, ut ab iis in motum reduci habiles sint cæteris quibus diversa est indoles intactis? istis verò sic agitatis, atq; à reliquarum amplexibus liberatis, majorem, quam sociis suis minus laxatis, ad secedendum, ubi vis propellens accesserit; promptitudinem adesse nemo negaverit: Unde non mirum quædam exhibita bilem (magis proprie sic dictam) alia serum, alia crassiores, aliusve generis substantias evacuare, prout nempe ad has vel alias sanguinis partes laxandas & exterminandas varie disponuntur; nec injuria cholagogon, phlegmagogon, apellationes (modo satis sano sensu sumantur) talibus medicamentis à veteribus (mihi summe venerandis) inditas fuisse videtur.

Hinc etiam *copiosæ* & subitæ, *à largo potu mictionis* reddi potest ratio. Etenim sanguinem potus ingestus onere suo gravans, nec in ejusdem genium præ copia converti habilis (quod requirit, ut & sat longo tẽpore cum eo circuletur, & justo dimenso suppeditetur, cum nimia quantitas sanguinis crasin labefactando assimilationem prohibeat) laxus in ejusdem gurgite fluitat; quo fit, ut dum ad glandulosa renum corporat (quo præ declivi situ facilius tendit sanguis, minus elaborato hoc liquore refertus) appellit, ab exigua fermenti nervosi quantitate nullo negotio expelli posse vero consentaneum videtur. Porrò eo copiosius ista secedere concipiatur materia, quoniam, renibus diluto hoc sanguine distentis, nervorum etiam ora necesse habent dilatari, adeoque succum suum in sanguineum rivum præterlabentem profundere, unde majori copia aquosa hæc materia exturbetur. Nec sane opus videtur alias, quam notas chyli & sanguinis vias pro phænomeno hoc solvendo (nisi tales revera adesse monstraret autopsiu) comminisc. Haud enim conceptu adeo durum videtur, atq; nonnulli sibi fingũt, quomodo fluida adeo substantia, qualis est potulenta materia, comprimentibus imi ventris musculis & visceribus, nec non & diaphragmate inter respirandum, promte è ventriculo (maximè si nimia illic copia congeratur) extrudi possit, dein ex intestinorum sese stringentium, utpote seu quantitate seu acrimonia lacessitorum, cavo in lacteas nulla mora coletur, perq; eas & receptaculum, cito pede labatur, inque sanguinem convehatur, cum præter partium circumpositarum pressuram, motu peristaltico hæc etiam vasa gaudeant; id quod ex hoc liquet, quod si in viva sectione chylus, etiam ex crassioribus cibis confectus, aliquantisper in lacteis, donec nempe sufficienter impletæ fuerint, detineatur, dein vero [intercepto interim cum intestinis commercio] libere fluere permittatur, dicto citius in receptaculum serpit, disparentibus lacteis; quanto celerius hoc fieri debet ubi serosus solus liquor eos tranaverit: Postquam verò à sanguine absorptus fuerit, neminem latet quanta pernicitate fluit; nec dubitari posse reor; quia in descendentem aortæ truncum majore sui parte delapsurus sit, cum præ πνευματοσεω defectu, & miscellæ cum sanguine exactioris carentia, pronior ad descensum sit, atque sic renibus se, à sanguine, cui modò immistus erat, separandum, sistat.

Verum ab instituto nostro non multum fortasse alienum erit breviter expendere, unde fiat, quod *suppressa una evacuatione*, ma-

materia, illac exterminari solita, *per alia, & diversi generis materiæ advehendæ* dicatas, feratur *vias*, quod incongruum videtur, supposito, quod secernendæ particulæ vasorum porulis commensuratæ esse debent. Sic e. g. observari potest, obturatis (à quacunque demum causa perinde est) ductibus urinariis, materiam, illac absportari solitam, per poros cutis, vel sedem, amandari solenne esse; poris occlusis, majorem urinæ copiam prorumpere, &c. quodque notatu dignum, natura crisin in febribus molente, ex certa aliqua, nunc illa parte totum (ferme) quod negotium illi facit, expelli cernimus licet ex diversimodis cõfletur secedens massa particulis, quarum plurimas & crassiores, & figuris, ab iis vasorum secretoriorum, debite constitutorum, per quorum ora prodeunt, multum discrepantibus, præditas esse nemo, opinor, negaverit.

Cui dubio reponimus, quod sicut concedendum est secernendæ materiæ particulas mole sua secretoriorum vasorum diametrum non debere excedere, sic pariter, ex maturæ designatione, certam massæ, ex qua secernendæ sunt, adesse debere proportionem; quæ si nimia adsit copia, ut vasa continentia ultra modum distendat, haud concipi potest, quin sic ubi emissaria à latere isti vasa habeant, hæc insuper ultra pristinam & naturalem dimensionem amplientur, adeoq; aliis, quam quibus ante commensurata erant, transmittendis paria evadant. Adeo ut, si vel secernendæ materiæ suppressio, vel contentæ massæ turgescentia invecta fuerit: fieri non possit, quin ubi aperturæ aliquæ ex continentibus vasis in procinctu fuerint (quales secretoria præbent vasa) necessario hę amplius dilatetur, eoque potius si, vel præ debilitate aliqua, vel naturali habitudine, laxiores esse contigerit. Idcirco nil mirum effectum hunc in propositis instantiis produci, cum præ nimia retenti humoris copia nequeunt non ultra statutum solitum distendi vasa. Quin observare licet; & solitas evacuationes (maximam saltem earum partem) aliquo ante crisin spatio non procedere (quod massæ sanguineæ confusioni, qua sic invicem singulæ, ut sese à mutuis amplexibus extricare nequeant, nque vasa proinde impelli, tribuendum duco) & turgescentiam sanguini, quod symptomata præcedentia testantur, adesse: quæ ambæ ubi concurrent causæ, quomodo fieri potest quin, particulis noxiis & ablegandis, præ spirituum summa tandem potitorum actione, dispositionem jam ad secedendum nactis, debiliora, & magis dilatata vasa [ipsa forsan massæ constitutione ad quædam præ cæteris laxandâ conferente] transitum egressuris concedere incipiant; cum verò jam patere incipi janua, atque primæ aciei portis assidenti gressus sic datur, reliquæ carceris suis pertæsæ, dum illarum vestigia premendo confertim erumpere satagunt, cuneorum violenter adactorum instar, majorem hiatum aperiunt, adeoque crassioribus etiam, quæ secus nullum hac exitum invenire possent, satis liberum commeatum prebent: hinc major sequitur ad hanc partem sanguinis affluxus, cum notum sit, maiori semper copia illuc propelli, ubi via extrorsum ducit, à qua, præ partis distentione & dilatantur, ut modo dixi, & irritantur inserti nervi, unde copiosius succum suum profundunt, qui hac opera crassiorum in sanguine particularum motum in vasa secretoria determinare concipiatur; adeoque magna spirituum sanguinis, qui secus erumperent, pars, intercepto sic à crassioribus itinere, intus retinentur; venarumque tramitem solito tenore repetere coguntur. Interea tamen non inficias ivero, magnam spirituum expensam fieri, nec enim aliter evenire potest in tanta vasorum dilatatione; verùm hac arte magnus eorum numerus ab exitu præverti videtur. Postquam vero hinc depleta fuerint vasa sanguifera, sponte connivent secretoriorum ôscula (adhærentibus insuper forsan viscidioribus quibusdam ex massa, lentius jam mota, particulis) atque una nervorum, unde pristinum repetente tramitem sanguine cessat hæc eruptio.

At ambigi potest utrum ad *hepaticam secretionem nervi* quicquam faciant, quandoquidem, licet grandiusculi hic inserantur, minores tamen, si partis eximiam ampli-

amplitudinem ſpectes, forſan ſunt (ſervata proportione) quam quibus aliæ plures ſecretoriæ partes gaudent; cùm tamen vaſa ſecretoria & ampla & numeroſa ſint: Proinde, cùm uniformiter agit natura, deducere quis forſan poterit, nec aliis hujus proſapiæ in partibus nervoſum huic muneri ſuccum inſervire.

Cui dubio ut occurramus, è re forſan erit attendere quod, quandoquidem lavitas in ſanguinem [prout ſuperius ſtatuimus] introduci debet, ut ſic particulæ ad ſeceſſum deſtinatæ promtius fermento nervoſo, in ipſa parte ſuggerendo, obſecundent, inque vaſa ſecretoria adſtantia propellantur; ubi hujus gradus major fuerit, minor ſufficere poteſt fermenti iſtius quantitas, unde concludere licebit, minores in partibus, ad quas ſic laxatus appellit ſanguis, adeſſe debere nervos hoc adducentes. Ad laxitatem hanc efficiendam, naturam, inteſtina ſolummodo fermentatione non contentam, fermentorum præcedaneorum variis in partibus affuſione proſpexiſſe notavimus, unde major hic, minor illic in allabente ſanguine pro fermentorum iſtorum activitate & copia, ſupponi debet introducta laxitas, adque particulas dimittendas aptitudo. Hanc in ſanguine hepar alluente majorem eſſe, quam in eo, qui cæteris pleriſque adducitur partibus, conjicimus, propterea minor fermenti nervoſi, immediate affundendi, hic ſufficere poteſt proportio. Si quæratur, unde tanta hæc iſti ſanguini laxitas accedit; reſpondeo, veriſimile videri à *lienari* fermento pendere: ſanguis enim lieni advectus; & nervoſi ſucci affuſione illic ſubtiliatus, & mora, quam in ejus cellulis (à Cl. *Malpighio* derectis) trahit, elaboratus, nequit non & ipſe multum laxari, fermentique genium hinc induere, & reliqui, à meſaraicis, cæteriſque venis, hepati allati (illo enim totum properare circuitus leges dubitare vetant) compagem non parum ſolvere, unde minori negotio in pori biliarii adſtantia ora ſeceſſuræ impelli valent particulæ. Uſus hic (de quo tantopere inter authores, diſſentientibus invicem calculis, diſceptatum fuit [lieni à *ſolertiſſimo* modo dicto viro (*de liene c. 6.*) aſſignatus maxima probabilitate niti mihi videtur. Cùm enim (ex ejus obſervatione, magis quam antehac factitatum erat, accurata) glanduloſis corporibus pars hæc ſcateat ſecretionem in his, ad morem alibi conſitarum ejuſdem generis partium, inſtitui veriſimile eſt; cùm verò cuncta glandularum producta introrſum devehenda altiorem quam ſanguis, ex quo proliciuntur, energiam ſapiant, atque huic remixta eidem fermentativa evadant; cùm porrò nulla adſita, per quæ ſecreta materia extrorſum deducatur, ſed ſanguine ad hepar properanti neceſſario remiſcenda ſit, cuinam alii, naturæ methodis magis congruo, dicari poteſt hæc pars uſui, quam ut ad ſecretionem in hepate ſanguinem diſponat? Una, ex qua me, ut libere fatear, ſatis expedire nequeo etiamnum hæret difficultas; quà nimirum arte *ſplene exſecto*, fiat, ut ſecretio hepatica ſatis libere, ad chyloſeos in inteſtinis munus complendum, recrementaque hac elutriari ſolita, pro naturæ exigentiis amolienda procedat, poſtquam ſic (juxta hypotheſeos noſtræ tenorem) ſanguis appellens fermento hinc propagando fraudatus fuerit. Niſi forſan conjecturam hic ferre liceat, Numinis miniſtram *Naturam* [cujus ſolertiam non minùs in defectibus reparandis, quam ſingularum partium ſtaminibus primitus jaciendis, & agnoſcere, & ſuſpicere tenemur] copioſiore nervoſi ſucci ad hepar per nervos huic inſertos, affuſione iſti defectui ſubvenire: Cui ſanè conjecturæ favere videtur, quod (juxta Cell. *Villiſium*) inter plexum hepaticum, & lienarem, per fibras utrinque interjectas, communicatio intercedat: & quoniam [ex annexo à Cl. viro ſchemate] conſtare videtur, commercium hoc intercedere antequam in ipſum lienem nervi inſeruntur, quidni conjiciamus naturam, quaſi prævidiſſet quo pergerent hominum auſa, conſulto propexiſſe, ut ſuccus in lienem erogari ſolitus hoc exſecto, ad hepar in dictum uſum deduceretur? Utcunque ſit ex *Malpighiano* experimento (*loco cit.*) inferre forſan licebit, ad ſecretionem [ubicunque tandem] promo-

ven-

vendam conferre lienem: canem enim, cui, vasa ad partem hanc attinentia stricte ligaverat, *plurimũ & frequentissime*, ultra quam solent hujusmodi animalia *mingere* observavit: Qui effectus ab hoc pendere, non prorsus fortassis absurde concipiatur, quod secretione, cui excitandæ alienare fermentum opem conferre suppositimus [quam nisi hepaticam nemo opinor, facile monstraverit] parcius, hujus defectu, procedente, materia eliminanda, solitum tramitem deserere coacta, cum reliquo sanguine introrsum devehi necesse habet, ubi mora sua vel taliter comminui forsan poterit, ut ad renum porulos aptitudinem nanciscatur, vel copia sanguinem gravando, & partes distendendo istos (atque una nervorum infertorum, unde major succi horum profusio habeatur) ampliores reddat adeoque hac via se expelli non invita patiatur.

CAPUT XIV.

De vasorum biliariorum officio.

QUanquam nostri non sit instituti, ut supra monuimus, singulas particulatim secretiones expendere; quoniam tamen circa humorum in intestina deponi solitorum vias dubia quædam occurrunt, atque de distinctis vasorum biliariorum muneribus, maximè vero de vesiculæ billariæ usu, non admodum explicite ab authoribus dictum est, liceat in ista paululum inquirere.

Et primo quandoquidem doctiss. *Graefius* (*de suc. pancr. nat. & usu thes.* 196.) *nil* copiosæ illius secretionis, quæ exhibito cathartico supervenit, *per arterias mesaraicas* [quod tamen communis fert sententia] *in intestina deponi* asserit, totum autem quod ex sanguine in hæc secernitur per ductus *pancreaticum & biliarium* prorumpere; cui tamen effato, experimento licet nixo, paucos solummodo assensum præbere comperio (quanquam hujusce rei penitior contemplatio ad phænomenon quorundam non temnendorum rationes reddendas medicinamque faciendam non exiguè momenti mihi videtur] paucula quæ pro eo insuper militent in medium adducemus.

Primo igitur nequaquam naturæ methodis consentaneum videtur easdem glandulas [quas esse partes secretorio operi destinatas supra conati sumus adstruere] vasis secretoriis ad contrarias metas tendentibus donari, nec pluribus diversi generis materiis secernendis dicari, nec sanè tale aliquid observationes Anatomicæ sedulo factæ, quantùm mihi liquet, testantur. Atqui cùm interiorem intestini chylum proximè amplectentem, tunicam glanduloſam esse observavimus, per quam decurrete vasa chylum introrsum versus sanguinem ducentia nemo, opinor, negaverit; haud tamen constet adhuc quacunque Anatomicorum (quorum tanta feraci hoc ingeniorum seculo pullulavit seges) indagine, per eam tendere vasa ulla quæ ex sanguine quicquam exportent, nec quidem duum generum hic reperiri glandulas; propterea precarium mihi videtur, cùm res aliter facilè explicari possit, duplex hoc iis & oppositum, chyli sc. versus sanguinem deferendi, & excrementi ex eodem educendi, pensum assignare.

At secundo magis incongrum foret per chylosas semitas expurgari. Ut enim fileam, quod vix satis certo indicio constare arbitror, ipsorum eorundem liquorum in iisdem vasis reciprocationes dari, haud omninò rationi consentaneum est liquorem, cui reliqui omnes, totaque adeo partium vel solidarum cohors natales debent, per eosdem canales intus deducendum fore per quos emerita depluunt sanguinis recrementa, quorum occursu si non repelli, saltem inquinari necesse haberet. Sed non libet tam absurdo commento immorari.

Tertio si vero oggeratur immediate ex arteriarum osculis in intestina transcolari recrementa hæc; repono, præterquam quod non constat numerosas adeo arterias, ut tantum humorum, quantus sæpenumero excerni solet, proventum apportent, huc propagari, sed quod maxima eorum pars in exteriori tunica desinere videtur, ut sic facilior sanguini ad

be-

hepar (mixturam ſecretionum maximum, ni fallor, quod corpus habet ſecretorium organum) properanti ſternatur ſemita: difficile inſuper explicatu videtur, quomodo ex iis coletur craſſa, quam excerni videmus, ſubſtantia, cum potius ſubtiliorem & ſpirituoſam ſanguinis partem elapſuram veriſimile, ſit ſi mera percolatio hinc locum habuerit. Nemo enim non cedet patentiores eſſe ex arteriis in venas hiatus, quam qui in inteſtina, pro transferendis hiſce recrementis concipi poſſunt, cùm tota ſua maſſa ſanguis illac feratur, unde fieri non poteſt quin, ſi omnino ullæ, ſubtiliores ſolummodo in inteſtina delapſuræ ſint particulę, craſſioribus in venas ſeſe recipientibus. At inſuper cum natura ſecretiones regulares & uſitatas non niſi in glandulis certo artificio extructis moliri obſervetur, vel tales hic adeſſe monſtrandum erit, vel ratio ſaltem aſſignari debet cur à ſolita oportandi norma deflectat.

Verum quarto, detur glandulas eductorias inter eas quæ chylum important diſperſas eſſe (nec enim poſt tot, veteribus ignotas, nuper detectas, partes peremtorie nego vero tales forſan haberi, cujus rei penitior notitia à cultro anatomico quærenda eſt) quandoquidem tamen admodum exiles ut ſint neceſſe eſt, cum hactenus, una cum vaſis ſuis, viſum effugerint; veriſimile eſt eas, ſi omnino adſint, potius fermento ad ulteriorem chyli elaborationem ex puriori ſanguinis ſubſtantia ſuppeditando (more earum quibus ventriculi tunica, cui hæc inteſtinorum continuatur, reſperſa eſt) quam emeritis ablegandis ejus partibus ſecernendis natas eſſe, cùm ſi poſteriùs hoc munus iis competat, ſatis conſpicui ab iis canales emergere deberi videntur, qui tam craſſo, qualis ſæpenumero excerni ſolet, humori eliminando pares ſint.

At quinto magnum ſecuturum videtur incommodum, ſi per inteſtinorum tractus ſepararentur recrementa hæc. Cùm enim ubivis juxta vaſorum, quæ iſtud ſubire penſum debent, emiſſaria porulí chylum introrſum vehentes adſtare agnoſcuntur, qua, quæſo, ratione prę-caveri poteſt, quo minus iſta recrementa chyli ductuum horum oſcula oblinant? unde ſi non in ea (vetante forſan figura & mole) admitti poſſint, ſaltem chyli particulas ab ingreſſu arceant, utpote aditum quibus ingredi debent oſtia prius occupantia ſi objiciatur certum eſſe recrementa à quibus tantopere timemus: inteſtina, undecunque tandem, deponi; nec tamen eam quam cauſamur, noxam, niſi raro, invehi: reſpondemus iſtas materias, ſi per inteſtinorum decurſum ſeparentur, quandoquidem ex perexilibus emiſſariis neceſſe habent prodire, continuo & ſenſim exſtillare unde nullo negotio ſuperductuum chyliferorum ora ſe diffundere valeret, cum ſi ex hepatico pancreaticoque ductibus provenirent confertim & interpolate, quando luxuriare contigerit, erumpant, unde inteſtina tam copioſa, quam moleſta qualitate irritando & ipſa excludantur, & ſecum una obſtruentes quaſcunque ſive chyli ſive alias reliquias deturbent.

Sextò quod vero agmen claudat non omnino neceſſarium videtur ad abſtruſas haſce vias confugere, ubi patuli adeo & obvii ſeſe exhibent ductus, ac ſunt hepaticus pancreaticuſque, quorum tanta eſt amplitudo, ut cuncta ſecretionum iſtarum momenta hinc pendere facile poſſe ſatis obvium ſit concipere. Quamvis enim ductuum horum alter bili ſoli, alter limpido, ſaliveque plurimum affini, liquori ex ſanguine ſecernendis ab authoribus dicentur, non video tamen cur non & ſuperfluis, cujuſcunque ferme generis, ſubſtantiis ex eo in inteſtina eliminandis pariter exuſui ſint. Et pancreaticum quidem ductum quod attinet, cur non hac varii excernantur humores, perinde ac per ſalivales, quos & in morboſa diatheſi & exhibitis ptyaliſmum concitantibus medicamentis variorum humorum ſaburram profundere notum eſt, ut alias ſecretorias partes taceam, quę non ſemper unum idemque humorum genus ſecernunt; At regiam ſanguineorum recrementorum, per ſedem deturbandorum, viam *hepaticum* cenſeo ductum. Si enim hepatis (molem quod hoc ſeculo hæmatoſeos muneri famulari deſiit) quantum

tum vix ulla alia in toto corpore secretoria pars habet, copiam sanguinis illo properantis, eiusdemque insuper à lienari fermento prædispositionem ad secedendum pensitaverimus, vix credibile videtur; tantum ad bilem solam secernendam quam [cæteris humoribus calidiorem & proinde magis mobilem, faciliusque secessuram, quibus humorum doctrina placet agnoscunt] apparatum requiri, interea ut aliæ ex inveteraſcente continuo sanguine biliosis crassiores & tenaciores particulæ affatim, & majori forsan copia pullulantes, quæ & amandari necesse habent, nullam tamen ad secedendum procatarxin sortiantur, & obscuras quibus abscedant querere cogantur.

Si quæratur ergo cur tam numerosæ, tamque amplæ ad intestina discurrunt arteriæ, nisi iis aliquid eliminandum suggerant; Respondeo hoc fieri tum ut major hisce partibus refocillandis sufficiatur calor, quæ cum membranosæ sint, hujus fotu plus indigent; tum ut hoc facto ambitu rapidior sanguinis ad hepar tendentis refringatur motus. Videtur enim [prout supra fusius diſſervimus] quod si tam rapido torrente hanc partem alluret, atque necesse haberet si immediate per arterias illo deportaretur, nulla secretio præ magna sanguinis confusione succederet; hac vero sanguinis retardatione fit, ut singulis particulis ab agitatione à corde impressa minus sollicitatis, quę ad secessum destinantur facilius, ab affuso nervoso in hepate fermento, in ductus hepatici ora deturbantur. Huic fevet quod venæ mesaraicæ in tantum ampliatę præ arteriis conspiciantur; hanc enim auctam istorum vasorum proportionem ad motum sanguini retardandum, quo pacatori flumine ad hepar feratur, plurimum contribuere notavimus.

Sed ne diutius *Graeffiano* huic placido immoremur (cui plenius vel statuminando vel reprobando accuratiores, fateor, observationis Anatomicæ in scenam vocandæ sunt) distinctum cystis biliariæ usum, de quo parcus inter authores sermo, explorandum descendamus.

Sylvianum quidem vel potius *Bachianum*, quod in limine sese offert, dogma, *Bilem ex sanguine, cysti felleæ per propriam arteriam allato, fabricatam*, ut volunt, *reliquo hepar trananti, ut ei fermenti loco inserviat affundi*, non opus erit hic exagitare, quandoquidem tum experimentis, tum rationibus, à Cl. *Needhamio* & *Malpighio* allatis, abunde satis evincitur, unicum cysticæ huic bili, in intestina scil. inter esse; nullatenus vero ex cysti delapsum in hepar sursum per porum biliarium serpere.

Quo sic habente, proxime inquirendum erit qua via vesiculæ quem continere solet, liquor suppeditetur.

Et partem sane ex *glandulis miliaribus*, quas per ejus tunicam dispergi observavit Cl. *Malpighius* (*De hep. cap.* 4 deliba. ri rationi consentaneum videtur, quo enim fine tales hic sitæ sunt glandulę nisi ut liquorem aliquem in vesiculæ cavitatem effundant, cum & eas omnes sacretorias esse partes constet (saltem admodum probabile sit) nec quisquam, puto, asseruerit inde quicquam in sanguinem devehendum exurgere? Verum longe maximam ejus partem ab hepate derivari extra dubium habetur, cum nulla alia in procinctu pars sit, quacum tantum habet commercii, ut inde eam suppeditet copiam quæ hic scaturit. Sed de via qua ex hepate deportantur, utrum scil. per proprias radices, an per meatum cysticum huc deferatur, difficultas (cujus enodationem ad præsentis quæstionis solutionem aliquantulum conferre posse censeo) etiamnum hæret.

Equidem priusquam innotuerat fibras [quarum unam majusculam juxta annulum fibrosum insertam vesiculæ *radicem* κατ' ἐξοχήν appellant Cel. Anatomici) à vesicula in hepar protensas esse, antiquitus jure creditum fuit istam partem liquorum omnem suum à porro biliario per meatum cysticum accipere, nec enim alium in promptu erat comminisci tramitem. Postquam vero accuratiori Anotomicorum [*Jasolini* imprimis, uti censet Cel. *Glissonius*] industria earum notitia invecta est, adeo perplacuit inventum hoc, ut longe potior Medicorum pars, relicta veterum sententia, per has tan-

tanquam radices impleri cystin [maxima saltem ex parte) opinati fuerint. Quam licet haud quaquam, antequam ex sedulo facta indagine Anatomica ulterius quid veri falsive subsit plene constiterit eversum ivero (nec enim eam prę me fero dissecandi peritiam ut hac in re pronunciare ausim:] præfata tamen Cel. *Glissonii*, aliorumque doctissimorum virorum eidem adstipulantium venia, dubium mihi [cui veterum, quousque nec experientia nec evidens ratio aperte refragantur, sacra authoritas) adhuc videtur, utrum plane constet omnino admittendam esse hanc per proprias radices implendi rationem, atque annon totum, quem ei hepar sufficit liquorem cystis eadem, quę veteribus placuit, modo memorata via accipiat.

Quæ mihi hanc dubitandi ansam suggerunt hæc sunt.

Primo, quod si per radices, uti adstruit Cel. *Glissonius*, nec omnino per meatum cysticum, nisi per accidens implenda sit vesicula, vascula tantilla huic muneri plurimum improportionata videntur. Mox enim monstrare conabimur partem hanc in dies, idque plerunque sæpius in die, suam sarcinam satis magna copia deponere, & novum proinde proventum identidem admittere, quod ut præstet satis largi hiatus vase donari debet, qui liquorem hunc ea, quæ fere inanitæ replendæ sufficiat, quantitate suppeditet; eoque magis quoniam bilis secretionem non perenniter, sed interpolate [saltem non æquali omnibus horis mensura] fieri censemus. At haud ipse oculatissimus vir, nec, puto, quisquam alius, disertis verbis sibi compertum asserit cavitatem in majori illa, quam vocant, radice (ut de cæteris taceam minoribus fibris) conspicuam haberi; quæ certe, sit tam eximii usus foret, & omnino adesset, sicut vix sagacissimi viri indaginem effugere potuisse credendum est, sic ab eo proculdubio prodita fuisset. Imo nec Cel. vir illius in hepar distributionem admodum explicite describit, verùm postquam edoluerat hujus vasis truncum ramusculos aliquot & vasa capillaria in hepatis cavum distribuere [*Anat. Hep. ap.* 13.] satis caute addit *videturque etiam ipsum ramulus quidam Portæ comitari*, tanquam innuisset, talem ejus commeatum ei omni ex parte non prorsus perspectum fuisse.

Secundo, Nil repugnat quin vesicula satis commode per meatum cysticum impleri possit; quod & ipse doctissimus vir haud obscure agnoscit. Siquidem & inficiatur ullam hic sitam esse *valvulam* quæ bilem ascensuram repellat, virum [*cap.* 14. 19.) *levi digitorum compressione hanc horsum & retrorsum per hoc vas adigi posse* asserit; atque insuper (cap. 17.) *fibrosum vesiculæ annulum, quam obliquam ductus communis in intestinum insertionem, ut plurimum infirmius obstari*. Quo sic habente, quandoquidem magna (quod omnes, opinor, agnoscunt) copia per biliarum porum suus ex hepate descendat humor, sitque major fibrosi annuli quam obliquæ insertionis laxitas, unde prius impleri, quantum circumpositarum partium finit pressura, necesse habeat vesicula quam liquor hic in intestinum erumpere possit; cum porro nullum vel perexiguum (ex mente sagacissimi viri) inter liquorem cysticum, & per porum ex hepate delatum intercedat discrimen, mihi haud opus videtur (nisi clare monstraret autopsia] alios comminisci, per quos impleri teneatur vesicula, canales, & quamvis urgeri possit multos in corpore dari secretos, omniumque vel solertissimam eludentes indaginem, meatus, ubi nihilominus certum est liquorum decursum esse, quemadmodum de nervis (missis aliis instantiis) affirmari potest; reponere licet, bilem in cysti contentam & satis crassum esse humorem, & frequenter (nec exigua, prout mihi videtur, quantitate] in intestina ex hoc conceptaculo evacuari, ut proinde necesse habeat satis patulum & obvium sortiri vas, per quod ex hepate in eam deducatur.

Tertio liquet porum biliarium easdem cum porta ramificationes obtinere, eo enim in loco Anatomicorum consensu, ubi ex collectis mesaraicis, splenicis, &c. venis in unum intra hepar coit

truncum Porta, porus biliarius ei ſociatur, atque æquo dimenſo (ſaltem nondum notata variatione ulla in amplitudinis proportione) ad omnes ejuſdem intra hepar diſtributiones illic pariter dirimitur, unde perfacile per totum hepar à Porta ſuffultus diſtribui poteſt, ut precarium videtur (quandoquidem ex autopſia hanc clare ſatis rem ita ſe habere deprehenditur) ſi non naturæ methodis diſſonum, ullos ejus ramos ante abrumpi vel deſinere, ut veſiculæ radicibus, idem onus ſuſcepturis, locum faciant, ad omnes hepatis, quod Porta tendit, partes ſe diſſeminent. Propterea, cum præ tali vaſorum diſtributione ſatis commode totum per porum biliarium exterminari poteſt, quod ſub bilis appellatione in hepate ſecerni tenetur, cumque prompte adeo ac diximus per mentem cyſticum ex poro impleri poteſt veſicula, cur gratis ſupponamus naturam, regularem ſuam & ſimplicem methodum deſerendo, pluribus condendis vaſis damnatum iri, ut itidem opus exequatur?

Quarto, atque majoris forſan momenti hoc in negotio ſit, obſervavit in quibuſdam animalibus Cl. *Malpighius* (de *liene cap.* 6. veſiculam ab hepate prorſus diſterminari. Nempe in *viperis* & *conſimilibus*, eo dicente, *oblongus à jecore producitur in inteſtina porus biliarius, cuius extremitati in inteſtinum hianti nectitur meatus cyſticus à propria veſicula emanans, quæ multo intervallo ad hepate diſſociata proximè inteſtino hæret*. Quæro hic, quandoquidem haud in promtu eſt alium veſiculæ in hiſce animalibus uſum & actionem comminiſci, quam quę aliis, in quibus hepati affigitur, competunt, quomodo, niſi per meatum cyſticum bilem ex hepate obtineat, cum nullum immediatum cum commercium habeat. Quod ſi ita ſit, deducere licebit bilis cyſticæ proventum, non neceſſario ab hepate per radices inde ad veſiculam propagatas petendum eſſe, quorſum aliter in iſtis animalibus hepati non affigitur; Proinde haud ſequitur quod in quibus hepati affigitur inde ſuum eo modo depromit liquorem: cùm enim in utroq; genere par uſus &, quoad cætera, fabrica ſit, quæ ratio dari poteſt, cur, in his magis, quam in illis, alius quam per meatum cyſticum ad veſiculam bili ex hepate trames eſſe debeat; ſitum verò ejus in his intra hepatis crepidinem, arctamque cum eo connexionem, non fruſtra à natura deſignari mox firmare conabimur.

Quamvis autem bilem haud immediate in inteſtina penetrare, ſed in cyſtin (ad eximium intra tradendum uſum) prius divertere debere cenſeam, ideò tamen etiam huc deflectere videtur, ut liquori ex glandulis *Malpighii* cyſticis modo memoratis exſtillato admiſceatur à cujus (utpote diverſi genii, ſi fas ſit ſuſpicari, humoris) miſcella alia, magiſque muniis ſubſquentibus accommodata dotes acquirere veriſimile videtur. Quod verò in cyſti non raro (ex *Gliſſonii* obſervatione) æque craſſa imo [ex *Malpighii*] quandoque craſſior quam in poro deprehendatur, cùm probabile ſit liquorem ex hiſce glandulis exſtillantem modum illius quis ea cæteris pleriſque excernitur limpidum & tenuem eſſe; id partim longiori quam hic trahit moræ unde in majorem craſſitiem excoqui neceſſe habeat, tribus poteſt; partim ſtagnationi aliquali dandum, qua fieri vix poteſt, quin & craſſiores ſubſidant particulæ; & tenuiores ſupernatantes, compreſſione facta promtius, illis rectis, exprimantur. Imo quamvis, uſque dum in motu fuerint, ratisfluidæ & tenues videantur, ubi tamen paululum quieverint, in mutuos ruunt amplexus atque hinc multo, quam ſecus evèniret, craſſiorem liquorem exhibere facilè poſſunt, diverſamque forte ab ea, qui in poro etiamnum ſcaturit, bilis ſpeciem ſimulare; nec ſane raro evenit, quod in calculoſam etiam ſubſtantiam concreſcunt; tantopere ad craſſeſcendum proclivis eſt hic liquor. Utcunque ſit, ſaltem acriorem ſuſpicor eſſe bilem, quæ ex hepate noviter emanavit, inque poro adhuc ſtabulatur, quam poſtquam in veſicam irrepſerit, atque illic aliquandiu morata fuerit, Ex vaſis enim exportantis amplitudine, prodeuntis liquoris (plurimum ab omni quin in cæteris quibuſcunque glandulis ſecernitur diverſo

colo-

colore, insigni amaritudine, aliisque notis, colligi potest ex crassioribus æque ac tenuioribus, & proinde inter se difformibus & irregularibus particulis conflari, quarum tamen acrimonia à lenioribus, quæ (si conjecturæ locus sit) ex cysticis glandulis erumpunt, deliniri aliquantum poterit, ut sic commodum magis fermentum descendenti chylo exsurgat.

Sed objiciat forte aliquis vesiculam, cui cervix à calculo obturata fuerat, aliquando bile superius plenam iter dissecandum deprehensam fuisse, ut idcirco alium, quam per meatum cysticum, ei aditum concedendum esse videatur cui referimus, hanc observationem nil nostram suppositionem infirmare: Calculus enim iste, in ejus cavitate genitus, quamvis elapsuro humori obsistat, utpote ad vesiculæ cervicem, qua propria tendentia, qua partim circumjacentium compressione & contenti liquoris impulsu, satis promte decidens, facile tamen præbere viam potest humori sursum se insinuanti, qui ex angustiori canali in amplius spatium repens, vel retrorsum objectum calculum levi negotio trudere poterit, vel aliquatenus distendo meatum cysticum, sibi viam inter vasis hujus (laxioris texturæ cum sit) latera, & calculum in vesiculæ cavitatem cito parare potest.

Ceterum sive per proprias radices, sive per meatum cysticum impleatur, hoc tamen pro rato habendum mihi videtur, naturam tam nobile conceptaculum nunquam formatum voluisse, nisi ut insignem aliquem usum præstaret; qui qualis sit propius jam inquirendum incumbit.

Hunc autem disquisitionem quo melius prosequamur, considerandum in primis est, observari, ni fallor, posse, Secretiones omnes (exceptis iis quæ vel in ipsa interiori ventriculi tunica pro fermento chylificatorio congestis illic cibis suggerendo, habentur, vel quarum materia insuper ad ventriculum in eum finem tendere debet) post assumtos cibos quanquam non in totum supprimi, saltem minutius (in iis animalibus, quæ non nisi per intervalla fat longa cibos assumunt) naturaliter procedere, usque dum in sanguineum rivum distributus fuerit chylus. Cujus rei causa forsan assignari potest, non solum quod minor secretionibus intus suppetit materia [cum raro cibos assumimus, nisi assumtis, vel alias erogatis, maxima ex parte, prioris escæ auctariis) sed & quia succo nervoso ad ventriculum glandulasque salivales, majori copia (præ nervorum, tum lacessitis inter masticandum glandulis istis, tum distento ventriculo, invigoratione, qua copiosius illic suum profundunt succum, atq; hinc secretionem ex præterfluente sanguine, modo superius allato, uberius concitent] suppeditato, aliæ partes illius influentia magna ex parte fraudari necesse habent: Natura, providi instar œconomi, hac arte prospiciente, ne massa, hæc, in futuram corporis alimoniam destinata, crudior in venas admittatur. Postquam vero sanguinea massa chylo referta fuerit, & uberior universis secretionibus materia suppetit, & secretio in ventriculum aliasq; memoratas, partes prius facta, postmodum maxima ex parte cessat, conniventibus scil. vasis distentione sua ad oppleto ventriculo, jam immunibus, nec amplius (vacuato nempe ventriculo) lacessitis nervis suis, unde copiosius in alias partes profluere potest succus nervosus; quo fit, ut natura à primis coctionis curis liberata, magis secundariis hisce muniis vacare possit.

Inter partes autem quibus hæc secretorii muneris interpolatio accidit, hepar, aliæque prope confitæ partes secretoriæ, numeranda videntur; quæ exigua solum quantitate laticem, cui secernendo destinantur, quo chylus ex ventriculo descendit tempore, deponere existimo; hoc verò (maximam saltem partem) distributo, secernendi munus repetere partes has, atque tum vesicæ biliariæ suum suppeditari liquorem, tum pori biliarii radicibus suum etiam suggeri.

Si quæras quomodo ex hoc supposito bilis (quemadmodum modo adstruxi) chylosæ massæ in intestinum delabenti in fermentum cedere possit, cùm nisi ei toto descensus tempore continuo admisceatur, haud æqualiter in eam agere po-

teſt; reſpondeo, ſatis obvio, ut mihi videtur & plane *mechanico* artificio hoc præſtari; prout facile patebit, ſi prius paucis circa veſiculam obſervandis attendamus.

Idcirco adnotandum veſiculam felleã in iis animalibus in quibus hepati annectitur, in concava ejus parte locari, quam ex adverſa parte premunt tum ventriculus, tum inteſtinorum aliqua; in iis vero, quibus ad hepate diſteminatur, *inteſtino proximo* [dicente *Malpighio*] *hærere*, ubi & non poteſt non ad adjacentibus aliis partibus undiquaq; ſtipari. Obſervare inſuper eſt, quod quamvis raro in totum plena deprehenditur; liquoris tamen penſi aliquem perpetuo aſſervat: porro quod à compreſſione aliquanto fortiori non admodum invita ſuum effundit liquorem, quem tamen, præ fibroſo & contractili annulo, quem in collo habet nunquam, niſi ultra modum diſtenta, ſponte dimittit.

Quibus ita ſe habentibus, facile concipere poſſumus, quod dum, ventriculo, ut diximus, feriante, bilis (in hepate ſecreta, & ab obliqua inſertione fortius quam fibroſus annulus renitente repulſa] in veſiculam deponitur, ſatis magna ejus copia hic admitti poteſt, quandoquidem nullam à ventriculo (utpote vacuo) preſturam hæc pars ſentit; cumque per ſat longa intervalla à cibis abſtinere ſolemus, hinc ſatis temporis ei pro idonea liquoris ſui quantitate comparanda conceditur. Ubi vero, cibatus fuerit ventriculus, ſtatim hanc comprimit, adeoque pro compreſſionis gradu ſuccum ſuum in ductum communem, atque inde [ſuperata obliquæ inſertionis reſiſtentia] in duodenum, effundere cogit, ſemicocto chylo illuc properanti ſuggerendum. Utque magis magiſque, procedente coctione, intumeſcit in ventriculo maſſa, jamque ex pyloro erumpit, fortius uſque hinc comprimitur veſicula, unde jugis bilioſi laticis non poteſt non haberi profuſio. Nec quidem ceſſat hæc compreſſio, de nec maxima chyli pars à lacteis abſorpta fuerit: diſtincta enim inteſtina tum extruſæ è ventriculo maſſæ nova uſque copia, tum ejuſdem, dum ſenſim elaboratur, intumeſcentia, neceſſario, ut majus nanciſcantur ſpatium, ventriculum comprimunt, atque una veſiculam, adeo ut continuo deſcendenti chyloſæ maſſæ, in ſuo per duodenum tranſitu, iſta bilis ſuggeratur. Atque hinc radicum (ubi perhibentur) & fibrarum in hepar ſparſarum uſus [quem & Cl. *Gliſſonius* ex parte agnoſcit) ſatis commodus, & quo alium ut mihi videtur, non opus eſt excogitare, aſſignari poteſt: nempe ut totidem retinacula atque ligamenta ſint, quibus valentius hepati veſicula hæc alligetur, ne quando à loco ſuo divelli contingeret; quod certe cavere debuit natura, hoc eveniret, chylus liquoris, quem ſuppeditat, tributis fraudaretur, adeoq; in venas minus ſubactus & digeſtus ingereretur: etenim præ mole ejus, & abdominis in perfectioribus animalibus capacitate, metus eſſet ne hoc illuc volveretur, ni admodum firmam cum ſtabili aliqua parte connexionum obtineret, adeoque & bilis, compreſſo meatu cyſtico, ingreſſus, & ejuſdem, pro naturæ indigentiis & deſignatione, egreſſus præpeditetur.

Interea toto hoc tempore, ſi non nihil, parum ſaltem, noviter ſecretæ in hepate materiæ ex ipſo poro bilario huic maſſæ affundi arbitramur; cum & ſecretiones (prout modo monuimus) parcius hoc tempore procedant, & quod in porum ex hepate ſecernitur, cum hanc ob cauſam in parva ſolum quantitate ſit, facile intra amplam illius cavitatem ſe componere poſſe videtur; quod autem ex veſica erumpit, non iſto tempore *ſecernitur*, ſed tantummodo *excernitur*, utpote quod in hunc uſum hic prius reconditum fuerat. Vix autem aliquid ex poro bilario nuperrime admiſſi liquoris ſui [qui forſan & bili ex veſicula affluenti, & cyſtico humore proprio contemperatæ, in deſcenſu affunderetur nimis acrem redderet.) exprimi poteſt, cum quoad ſitum non eo, quo veſica, modo diſpoſitus ſit, ut preſſionem facile ſentiat, quodque in eo coacervatur, in ramis hepatis confiniis nondum egreſſus (utpote quorum cavitates in proportione ad extantem truncum major

vide-

videtur) residere probabile est. Et sane etiamsi concederetur succum hunc immediate per porum excretum ad chylosin perficiendam idoneum (absque ulla lenioris liquoris mixturata) fore menstruum, si tamen jugiter eadem quàm intermisso chylificatorio opere totaque sua mole, præterlabenti chylo affunderetur [vasis enim amplitudo magnam illius quantitatem hic secerni solere demonstrat] coctionem forsan nimia copia pervateret & pessundaret. Si ergo quæratur cui insuper usui inserviat? dico, quod fieri nequit, quin à chylosæ massę crassioribus & viscosis, absorpta à lacteis puriori parte, reliquis plurimum oblinantur earum in intestina hiantium ora, quæ nisi abstergantur, haud concipi potest transitum chylo postmodum admittendo dandum iri. Huic proinde noxæ averruncandæ consulto prospexisse naturam istius liquoris, post absolutam purioris chyli in lacteas traductionem, affusione censemus, cujus acrimonia facili negotio effici potest ut abstergatur muscosus ille lentor, forsan & præfermentativa, qua liquor iste, quousque naturales conditiones retinuerit, pollet inde, in alibilem succum convertatur, atque à lacteis absorbeatur, quandoquidem activa sua parte prius orbatus fortiori, & magis acri, fermento indigere videtur, quam quod integræ massæ proportionetur.

Si dubitetur quomodo bilioſus liquor in intestinum, nullo facto prius in vesiculam diverticulo, penetrare posset, quandoquidem (prout ex Cel. *Glissonio* notavimus] fibrosus vesiculæ annullus quam obliqua ductus communi in duodenum insertio infirmius obluctantur, respondeo quod præ diutiori liquoris ex vesicula in intestina, à dicta compressione, effluxu fieri potest, ut obliqua insertio aliquanto patens, vel saltem magis cedens, per aliquod temporis spatium permaneat, ut facilius bili (secretione hepatica jam, nova suppeditata materia, vices suas repente] ex poro recta descendenti transitum det, quam contra obluctetur ut in vesiculam ascendat; donec tandem nativam contractionem sensim recuperans, in eam ad memoratos denuo urgeat: Imo postquam impleta fuerit vesicula, quod supereſt descendentis bilis, cystico liquore haud imbutum, viam sibi recta in intestinorum nequit non facere, ut hinc opus hoc absterſionis, priori erumptione tantum inchoatum, iterato aggrediens plene, ante novum admissum chylum, absolvat. Ab hujus liquoris suppressione vel parciori effusione chylosarum excretionum causa frequenter petenda est nisi enim ab adhærente mucositate liberatur glanduloſa intestini tunica, necesse est ut præter labatur chylus, adeoq; destinato nutricatu fraudato corpore tabes tandem insequatur: hoc vero absque debito istius liquoris supplemento haud præcaveri posse videtur.

Quod in hunc quem assignavimus vesiculæ usum objiciatur, fere semper ab authoribus [moderate saltem] plenam reperiri, quod secus eventurum quandoque concipiatur, si tam constanti tenore suas quotidie contentum liquorem deplendi & novum accipiendi vices subiret, solutionem hinc forsan admittat, quod vel animalia, ex quorum inspectione hæc eruitur observatio, violenta morte perimuntur, vel rarissime saltem occurrunt, quibus adeo resolvitur partium (inter alias) secretoriarum tonus fit ut absque omni luctu emoriantur; unde fit ut dum cerebrum, & reliquæ quibus vel nervi vel fibræ adsint, se in mortis articulo ad motus contractivos componunt, secretoriæ pariter in contractione aguntur, quo molimine multo copiosior habetur secretio. Hinc hepar majorum humoris ibidem secernendi quantitatum profundit, qui in porum bilarium depositus, atque partem insequentis protrusione, partim hujusce vasis, arctius hoc tempore sese stringentis, compressione in ductum communem adactus, sursum in vesiculam urgetur) quæ sane nullatenus ad arctam constrictionem, ut ingressurum non admittat, nata videtur) in quam facilior ei trames sternitur, quam in intestinum. Porro inter extremos moribundi animalis conatus, una cum reliquis partibus, constringuntur intestina, unde magis occludi necesse habet ductus communis

inducendum insertis, ut potè satis longæ intervallo ibi ejus functas (arcte hoc tempore contractas) de cæteris. Quod verò in aliquibus, licet raris, vesiculam cum deprehenditur, imputari potest vel violentæ vesiculæ compressioni (quam & causam Cl. Glissonius assignat) vel fatali observationis non tam fibrosam nubilicem & tunicæ pariter resolvi credendum est (quam partium in hepate secretionis efficacium, quæ nil in porum, vesiculæ post modum tradendum deponi potest; ut proinde ea tenacitate debilitata (maximè si ad universam usque) quod in talibus casu forsan evenit, œconomiam animalem, vel maximam saltem ejus partem pertinget) non nisi animato, in quo illa hoc observatur, repentino fato succumbere.

Verum gravis hic urget difficultas de iis animalibus quibus deest vesica biliaria; quemadmodum in *Equo* aliisque non paucis observari posse Celeb. *Glissonius* & *Wrabbius* testantur. Cum enim & hæc fermento chylificatorio in intestinis suggerendo, perinde ac alia quibus subest vesicula, indigeat, quænam tempore variatæ in his organizationis ratio haberi potest?

Cui dubio quamvis non parum difficili mihi videtur satisfacere, & copiosius eundo collatæ circa variorum animalium fabricam peculiares quædam observationes [quæ tamen mihi nondum constant] requiri videntur, ne tamen prorsus intactum præteream, conjecturas meas circa hanc rem altiorum censuræ subjiciam; quas & (quamquam non facies, saltem) confutatas forsan tolerasse poterunt ad ulteriorem ejus elucidationem inquisitionis protrusione partam.

In primis autem hic observari poterit primo plurimas animalium species vesicula hac præditas esse, inter quæ, ea (quantum mihi observasse contigit) quæ per satis longa intervalla à cibis abstinere solent, numeranda veniunt; item *Carnivora* domestica saltem, quorum nempe pabulum paucioris magis activi constat; quin imo *Ruminantia*, ea saltem quæ frequentiori observationi occurrunt, ut boves, oves, &c. *Equos* quidem

eadem destituunt, & copiosum fere ubi hoc iis præmittur saltem pabulum indigerunt; nec prius devorato eo dant inducias, ut tanto concoquatur & expellatur, quam novum suscipiatur, cumque proinde pars insit dissidenter, ipso quo hoc sub tempore pariter in intestina expelli cæpit habet, quod & in minus perfecta præclusionis hujus ductus in ventriculo celebrari videtur; hinc continuo affundi debet in intestinis fermentum, quod æquali tempore se admisceat, & hoc chylificationis munus tam constans subsidium exposcens compleat. Hoc autem à cystis separari vix potest. Cum enim, si eo quo diximus modo impleatur, per satis longum tempus occludenda est, hoc præstetur ductus communis in intestinum apertura quo intervallo nil bilios saltem chylo affundi potest; si altera illa methodo, per radices, scil. ejus inducatur, li-

quor

quatenus illi gradus propter vasorum exilitatem implere possit, nec proludo parcere possit, quin eam humor descendens chylosa massa eum porro præsertim quem obtinere necesse haberet haud daretur locus, propter continuum fere ventriculi distentionem profficienti bilis copia colligenda; propterea non inconsulto fecisse naturam augurari licet, hanc partem istis animalibus deneganda, quorum & usibus improportionatus videtur liquor quem defert, & quæ ejus præsentia absque incommodo vacare possunt.

Si objiciatur boves, oves, &c. quamvis eodem, quo equi, pabulo vescuntur, cysti tamen donari: reponimus istorum cibos non immediate à primo, in quem à fore delabuntur, ventriculo in intestina pelli, sed in os resumi, ut ruminationem subeat, quo fit ut & repetita hac commistione, & salivæ interrumpendum miscella, eam obtineant particularum suarum exaltationem, ut secundarii hujus fermenti gradus mitioris sufficiat. Adde quod præ mora quam trahunt cibi, cysti inducia tat longæ proliquoris quantitate idonea comparanda, his intestina crumpentibus suffundenda, dantur.

Quandoquidem vero supposuimus hepaticam secretionem potissimum à distributo chylo peragi, nec satis idonee procedere posse natura stomachicæ coctionis fatagente: conjicimus (ut objectioni hinc forsan oriturę obviam eamus) & chylum in hisce animalibus jugi tenore distributum satis facile secretionibus materiam præbere posse; & ventriculum distentioni ab istorum animalium continua, uti notavimus, ingluvie assuefactum, haud facile irritationem quam diximus, ab ingestis (minus tum proprio genio tum exactioris in ventriculo elaborationis, carentia, ad turgescentiam promis) sentire, ut nervi inserti copiosius, quam alibi, succum sum illic profundant.

Quod *succum pancreaticum* postquam toties de fermento chylificatorio mentionem fieri, silean, non id eo consilio facio, quasi crederem ad hoc construendum nil conferre: Atquoniam haud integram de isto tractationem meditor, sed solum modo bilariæ vesiculæ usum inquirendum proposui, ea scitum attuli, quæ ad hanc indaginem immediate facere credidi; cumque organicum, quem assignavi, vesiculæ usum, haudquaquam à pancreate pendere censeam, ejus cum succi sui consideratione præterea missa tantum, non peglexi.

CAP. XV.

Secretionem privatarum natio

SEcretionum *Publicarum* sic pro modulo nostro, reddita ratione, sequitur ut *Privatarum* etiam methodum aliquatenus tradamus, quam tamen paucis perstringere sufficiet, quandoquidem fundamenta, quibus explicatio hæc innititur superius exposuimus.

Videtur igitur, has perinde ac publicas, ad duas pariter species revocari posse, ut nempe sint vel mere colatoriæ vel præcipitatoriæ.

Quod ad priorem attinet, nil vetare videtur, quo minus ubi pars nutrienda ex subtilioribus, quæ saltem ad cohærendum habiles sunt (sanguinis particulis conflari debet, mera percolatio ad idoneas ex aluentis sinu suppeditandas sufficiat; quandoquidem istæ, quemadmodum superius adstruximus, & ad secedendum (qua propria indole, qua crassiorum protrusione) magis prodelives sunt, & ad commensuratas partis, cui nutriendæ destinantur, cavernulas subeundas haud difficili negotio se accommodant: ubi si strictiores, in opposito ad eum quo ingrediuntur hiatu, meatus inveniunt [quod facile, opinor, admittetur] satis promte apponuntur, inque eandem substantiam concrescunt. Atque hæc methodus locum habet, sive exhaustæ partis redintegrationem, novas in deperditarum locum particulas substituendo sive ejusdem augmentationem natura designet. Ad hunc modum celebrum & nutriri & augeri censeo; imo fortasse *unius* est, quandoquidem substantiæ ejus modus à reliquarum om-

nium partium multum differt, nec subesse ratio mihi videtur, cur non, si aliæ ex ejusdem naturæ particulis subtilioribus nempe conflarentur, & mera earum percolatione emergerent, eadem quoque textura constarent. Et sane ex purioribus & subtilioribus (ceteris partibus) sanguinis particulis conflari cerebrum, argumento est, quod purissimo, & subtilissimo, quem corpus habet, liquori separando præstituitur; quomodo enim concipi potest colum adeo exquisitum, meatibusque tam exilibus præditum, ut ad hunc usum inservire debeat, compaginari posse, nisi componens materia ex talibus constaret particulis, quæ, ubi coierint, tam exiles (at confertos) meatus linquerent, ut huic soli transmittendo liquori apti sint; has autem suo genere & subtilissimas esse exinde constat, quoniam si & crassiores, & minus regulares sint, necesse est ut intercepti patentiores, & diversæ invicem sint pori, qui proinde crassioribus, minusque inter se conformibus, materiis transmittendis (quales à succi nervosi genio multum abludunt) dispositi necessario evadunt. Huc porro facit, tum quod teneræ adeo ac cernimus texturæ sit, tum quod natura tantopere illius tutelæ cavit, qua duplici membrana cingendo, qua fortissimo cranio circumvallando, ut ab injuriis forinsecus illatis tutior foret. Cum ergo hæc ei textura adest quid impedit, quo minus mera hanc ei donec fabricam, percolatio eoque magis, quoniam hæc naturæ simplicitati (toties antea decantatæ) magis convenit; Adde quod nulla hic terminantur vasa quæ fermentum advehant, nec, si presto essent, facile monstrari posset unde, & qua arte id compararent.

Alteram quod attinet secretionum privatarum speciem, eam nimirum quæ circa eas impenditur partes quæ non ex subtilioribus modo dictis, sed mixtis construuntur; videtur hic, non minus quam in publicis, quibus analogiam istę habent fermentum requiri, quod particulas assimillandas pro partis nutriendæ dispositione, & comminuat & dirigat inque destinata conceptacula depellat; secus enim vix eventurum videtur, ut apte ad hoc concinnatæ, præ confusa, qua in sanguine urgentur, agitatione commensurata spatiola, earum commeatu indigentia, offendant. Istud succo nervoso minus perquam ingeniose Cel. *Willisium* detulisse supra notavimus. Cujus quidem suppositionis probalitatem, non solum ad hanc, sed & ad publicas secretiones, quoniam supra ostendere conati sumus, super est ut de modo, quo res ista [forsan] peragatur, paucula adjungamus. Ut ergo appositio in partis, vel nutriendæ vel augendæ substantiam habeatur, concipiendum est; cavernaculas adesse (utrum à particularum quæ eas prius explerunt, seu avolatione, seu in sanguineæ massæ gremium resumptione proveniant, an propria sanguinis, ad quam in junioribus animalibus pronior est, expansione aperiantur) in quas, sicut necesse est ut idoneæ & commensuratæ deponantur, sic vix verisimile mihi videtur tales eas ingressuras, nisi vis quædam directrix accedat, quæ eas in has cavernaculas disponat. Eæ enim ex sanguinis particuli, quæ subtiliores & magis spirituosæ sunt quanquam hoc nomine ad secedendum magis proclives sunt, minutiores tamen videntur, quam ut istis adæquatæ sint cavernulis, ut pote quæ ab iis haud arctari, nec proinde apponi possunt: crassiores autem, quæ ad hoc opus requiruntur, & suopte genio magis patulum (qualem venæ præbent) tramitem affectant, & præ majori agitationis vi quam quæ mole minoribus competit, nec propria indole deflectunt, nec ab istis distorqueri aptæ sunt, unde in venas (favente harum ad arterias positione) sponte decurrunt. Ut ergo arum secessio habeatur, fibræ, à nervis ortæ, ubique in partium habitu disponuntur, quarum succi, à nervis ad eas deportati, & constanter effusi, ope fieri non potest, quin ea crassioribus istis sanguinis particulis comminutio inducatur, & determinatio (modo supersius allato) imprimatur, ut pristinam linquentes semitam, cavernulas dictas, tales quæ iis com-

men-

mensuratæ sunt secedant, reliquis præterlabentibus. Cumque non facilis sit egressus tum præ ambientium partium oppositione tum quod extra sanguifera vasa protrusas non adeo cordis urgere potest impulsus, hinc necesse habent moram inibi facere, atque apponi partemque, pro naturæ intentione, vel resarcire, vel augere.

Suggeri hic forsan poterit, non meram hic ex hypothesi *VVillisiana* (superius laudata) præcipitationem fieri, sed dissolutionem & alterationem induci. Agnoscimus, interea tamen nil hinc reportare datur, nisi ut talis particulis apponendis moles, & figura, adque partes resarciendas hinc aptitudo emergant ut, accedente, quam memoravimus, determinatione, in dictas cavernulas, istæ secedant particulæ? quibus nactis non potest non haberi appositio, partisque proinde nutritio.

CAP. XVI.

Secretionum præter naturæ institutum evenientium ratio.

UT tandem Secretionum *præter naturæ institutum*, ab illata forinsecus partibus, ad hoc munus minime natis, injuria evenientium rationem aliquam reddamus, quales in fonticulis ulceribusque aliis, hydropicis item affectibus, obtingere supra notavimus; videtur has à nuda plerumque [non tamen prorsus ad regularem naturæ normam suscitata] pendere, atque erumpentem materiam, vel per arteriam venarumque tunicas, vel exillarum extremitatibus, ferri. Corrosis enim, vel usque adeo læsis tunicis, unde pori earum vel ultra naturalem statum amplentur, vel novi cudantur, haud fieri potest, quin præ sanguinis protrusione talis materiæ, quæ iis commensurata est, colatura fiat, quæ & majori vel minori copia, varia item specie, pro istorum amplitudine & numero, prodire necesse habet. At insuper ex arteriolarum finibus, quandoquidem harum cum venulis commercium, si profundius saltem fuerit ulcus, non potest non intercipi, colatura haberi potest. Si quæras, quâ arte hoc succedere possit, cum sanguis à corde impulsus tota suam massa per has decurrat, adeoque hæmorrhagiam potius, quam colaturam sic invectam fore concipiatur, quandoquidem nullam in parte exulcerata structuræ rationem comminisci in promtu sit, quæ hanc efficiat; respondeo, si eandem retinerent arteriolarum harum fines diametum, qua in statu sano fruunt, sic eventurum: verum notum est cuncta in corpore vasa, & præcidi contigerit, & sese versus integram partem contrahere, & corrugationes pati, utpote retinaculis quæ ea in debita tensione detinebant orbata, quin & effusi sanguinis grumuli, circa patentia concrescentes ora, nec non & ipsius serosæ partis lentor (quem & mora, & partis calore contrahit) in tantum hæc obturare concipiantur, ut tenuiores solum partes, integræ massæ respectu, erumpere possint. Nec conceptu arduum est, quo tramite crassior pars in venas reducatur: cum enim constat [quod sagacissimorum nostri seculi Anatomicorum industriæ debemus] inter arteriarum ramos ubivis, fere anastomoses dari, quicquid usitatos & ructos tranare prohibetur tractus, per anatomoses has in alios ramos facile transfretatur, atque inde in adsitas venas solito more deportatur; tenuior autem & serosior pars cum satis facilem & arteriarum extremitatibus (nec enim in totum occludi possunt) viam offendit, è crassioris gremio minimo negotio præ peristaltica arteriarum contractione exprimitur, perque angustiores hosce, at moli suæ non improportionatos, ductus facessit. Non sane negandum est, ipsum crassamentum rubrum in purulentam, ab ulceribus evomi quandoque solitam, materiam digeri & posse & solere; quandoquidem texturæ mutatio, quam mora sua sanguis extravasatus acquirere potest, & calorem & consistentiam mutare valet: at vero hoc sanatis fere pristinos jam calles repetente sanguine tantummodo evenire solet, reliquis autem temporibus tenuior, & indigestus, appa-

apparet erumpens humor, quem proinde transcolatione, quam diximus potius suppeditari conjicio.

Quamvis autem nulla non in parte istiusmodi transcolationem fieri posse autumo, non raro tamen observare licet, glandulosam in ulcetibus succrescere solere substantiam, per cujus poros istam accuratiori methodo secretionem velle celebrare naturam fas sit suspicari; tantopere uniformitati in cunctis suis operibus studet.

Hydropicorum in abdomen depositum humorum nuda colatura, ex sanguine viscerum, aliarumque in abdomine contentarum partium membranas laxatas trajiciente, per ampliatos eorum poros, separari fas sit concipere. Sanguine enim vel sero supra modum referto, prout immodicis, potatoribus usu venit; vel pneumatosi alia quacunque de causa indigente, atque lentius, præ vasorum per totum mesenterium intestina, visceraque in abdomine concluſa amplitudine, supra notata, moto, quid mirum tunicas ultra modum distentas iri, adeoque facilem satis per ampliatos hinc poros suos serofiori, atque una spirituosioris sanguinis parti transitum concessuras? Etenim magna spirituosioris sanguinis partis copia hunc abundare liquorem satis testantur virium, in taliter affectis constans debilitas, tum subita earum prostratio, si adhibita paracentesi copia largiori extrahatur hæc colluvies. Non eo inficias per collationem evenire posse, quantumvis sanguis satis ab hac colluvie serosa immunis persiterit; notum enim est hunc affectum hominibus plurimam abstemiis quandoque evenire: in hoc autem casu, vero non dissentaneum videtur membranas nimia crassiori & pigrioris sanguinis quantitate distendi, qui vellicato aquoso destitutus facile, ubi minus a corde solicitatur (id quod in ampliatis hic vasis nullo negotio eventurum concipiatur) ad stagnationem propendet, adeoque partes, quas appellit, distendere necesse habet, unde facili negotio tenuior ejus exudat pars. Adeoque in utroq; casu percolatio utramque paginam complere possit, ut non opus videatur (nisi perraro) ad lymphaticorum supplementum pro hujus affectus phænomenis dilucidis recurrere.

Quod ad secretionem vesicatoriorum ope excitatam attinet, quamvis forsan ex jam dictis solvi possit, supponendo capillares in cute terminatas ab acribus ex jam dictis solvi possit, supponendo capillares in cute terminatas ab acribus medicamenti particulis corrodi, adeoque exudationem modo allato conari posse; censuerim tamen invigorando potius nervos agere, qui dum horum acrimonia vellicantur, majori copia suum profundunt liquorem: cumque eorum, ex hypothesi nostra, hic luci munus sit secretionem quæ per poros cutis fit excitare, probabile videtur, quod, ubi plus solito solicitati fuerint, majori copia serosa ex sanguine, per arterias hic terminatas allato, particulas propellendo, insensibilis transpirationis vice visibilem hanc & copiosam evacuationem concient. Eundem effectum admota quavis ignita cuti substantia experimur, cui quandoquidem, non secus ac ab admotis vesicatoriis, magnus succedit dolor, a *Nervorum* invigoratione istud phænomenon emergere augurari liceat; adeoque horum usum non solum ultra angustos, quibus veteres terminarunt, limites, sed vel ampliora, quibus recentiores donarunt, pomœria extendi debere.

FINIS.

MAR-

MARTINI

LISTER

TRACTATUS

De Quibuſdam

MORBIS CHRONICIS,

Quorum

I. eſt, de HYDROPE,
II. de DIABETE,
III. de HYDROPHOBIA,
IV. de LUE VENEREA,
V. de SCORBUTO,
VI. de ARTHRITIDE,

In Quibus ſingulis

Non ſolùm MORBI RATIO ex Nuperis ferè Anatomicis Notitiis exhibetur, CUM AMPLA ÆGROTORUM VARIETATE; ſed etiam REMEDIORUM, maximè APPROPRIATORUM, NATURA & USUS, ex veterum Medicorum fide ac authoritate, breviter explicantur.

MARTINI

LISTER

TRACTATUS

De Quibusdam

MORBIS CHRONICIS,

Quorum

AD LECTOREM.

DUO sunt, Lector, de quibus te paucis monere volo. Unum, si quæras, quorsum ipse hosce Tractatus scripserim, hujus rei rationem; ut opinor, satis bonam in ipsa præfatione illorum primi exhibui; nempe exercitii causa, & quod fere emeritus sim. Alterum, cur illos, me vivo, prodire in lucem sinere velim: hujus sane rei aliqua excusatio texenda esse videtur, ne vel vanus esse, applausumque captare, vel ægrotorum copiam sollicitare, credar. At neutrum horum est; nam diu me tedet pigetque optimæ artis præ infirma valetudine. Quid ergo est, si neque questus causa, nec spe gloriæ hæc scripserim; solo veritatis amore ductus, si responderem, an non hoc sufficeret, ut vel illo nomine scriptionis veniam merear; At præsentis editionis alia, ingenue fateor, ratio est; nam, cùm ex multis annis nihil equidem edere, præter Historiam naturalem meditatus fuerim; id ab aliquibus severioribus, etiam nostræ facultatis hominibus mihi vitio versum fuisse tandem intellexi. At sciant velim, me ab illorum invidia minime moveri. Sit hæc vanitas nostra, (cum doctissimo Peiero loqui lubet) qui ex rerum natura ipsum naturæ ordinem intueri ac asserere studemus. Scrutentur demum alii quicquid velint, studium tamen istud, etiamsi tanquam vanum inique traducatur, mihi semper potius erit, quam *nugax futilisque* multorum *loquacitas*. Verum cùm innuere volunt, me Medicinam perfunctorie tantum facere, nec artem præcipuam coluisse; ex his paucis Tractatibus discant, me Medicam artem ex ipsis fontibus curasse, illamq; totam ex *Adversariis* propriis eadem ratione, qua hic fecerim, si opus esset, adornare potuisse.

Hinc insuper satis, ut opinor, liquet, me, etiamsi improbo labore *novas* semper res in Historia naturali molitus sim, *veterem* tamen medicinam præcipue instituisse. Ut autem ita fecerem, hæ præcipue causæ me moverunt.

Imprimis, quod animadverti ipsos morbos non multum mutatos fuisse ab antiquis seculis ad hunc usque diem, si victus & cœli ratio habeatur. Imo hactenus nullum novum morbum (de Acutis loquor) qui non facillime ad Antiquorum classes referri eorumque descriptionibus concludi potuerit, didici, aut observavi: quæ tamen quorundam nostrorum hominum frivola jactantia ac vana credulitas est!

Ad medicamenta verò quod attinet, quatenus illa veteres exhibuerunt, ex propria praxi & usu confirmare diligenter studui. In hoc itaque Specimine non alienum à rebus medicis fore credidi, si illorum virtutes *privatim* ab ipsis fontibus deducerem; nempe à notissimis ac indubitatis illorum effectibus Chirurgicis; ut sciant nostri homines quantum debemus antiquæ Chirurgiæ præ nova Chymia, aut ulla hypothetica doctrina, in medicamentorum facultatibus cognoscendis.

Quod autem ad *novos* morbos *Chronicos*, qui tamen pauci sunt, pertinet; remedia quoque sua similiter explicui.

Usus vetusto genere sed rebus novis.

Unum illud adam, Medimamentum me sine invidia primum, quantum scio, hic edidisse ad *comprimendam Gonorrhœam*; ne aliquis agyrta audax simili secreto amplius æstimetur, &c.

Verbosis adquirat sibi famam strophis.

Illo certe à multis annis cum successu usus sum; at methodus, [idque seduso moneo] temeraria est, nisi infinita cura & appropriatis catharticis, aliisq; antidotis illam persequamus, ut venen. in vasis excretoriis restitans, alio revulsum, diligeter expellatur.

Hos Itaque paucos *repræsentatos* Tractatus Medicinales, utpote imperfectiores,

& ra-

& raptim scriptos, pene invitus edidi, ut severitatem frontis aliquorum nostrorum hominum aliquantulum placarem, cùm quæ de rerum natura scripserim, nasute distrinxerit. At hæc quoque nimis insulsa esse, forte iidem dicent, quod *novos* homines nostros veteribus postposuerim.

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato.
Si nec Fabellæ te iuvent, nec Fabulæ,

Redde itaque mihi vices reprehendi, o antiquarum rerum fastidiose!

Imprimis illud tibi notari volo, in *Morbis Acutis*, ubi auxilia non multa, eaque caute admodum adhibenda sunt, citra modum finemque præscribere solemus, omnemque adeo crisin subinde turbamus; unde Prognostica (in quibus tamen summus honor & securitas Medici est) è re medica exulent, necesse est. Contra verò in morbis *Chronicis*, ubi id licitum est, & valentissima medicamenta dare oportuit, ibi nihil agendo, aut inutilibus, nescio quibus, remediis, Hypothesi alicui hodiernæ *insitivis* (nam quo speciosior alicujus Hypothesis, eo formularum, ut video, remediorumq; feracior esse solet) tempus trahendo, in perniciem tandem ægrotos præcipitamus.

Quod autem ad remedia nostrorum hominum attinet & quæ *nunquam*; & quæ *intempestive* in lucem veniunt, ex æquo respuo. Etenim, ut *arcana* Adeptorum nigro prorsus puerperio nascuntur, lucemque abhorrent; ita hypotheticorum hominum *abortiva* remedia fere tanquam inutilia cassaque, si non utique noxia, habenda sunt. Utrique sane homines monstra quædam, scilicet in authorum suorum duntaxat cerebro nata, pro remediis nobis passim venditare solent.

A *priori* quidem & morbos, eorumque curationes expediri posse, votum est; *at donec* illud fiat, liceat mihi ex *posteriori*, nempe ex chirurgicis medicamentorum notitiis, cum veteribus, *tuto medicinam facere*.

At non is sum, qui veterum adeo de re medica doctrinam pertinaciter amplectar, ac si nulla ei accessio nova fieri potuerit, aut qui *speculationum commenta*, sive ea antiqua, sive hodierna fuerint, tanquam vana reiiciam. Etenim in utriusque insignem utilitatem esse libenter agnosco: in *illis*, certe ut medicamenta ab iis inventa, suis morbis recte adhibeantur; in *his* verò, ut cum morborum, tum remediorum rationes ex novis inventis anatomicis, chymicisve, pro summa fœlicitate atq; indefessa hujus seculi industria, profectuq; in rebus naturalibus indagandis expediantur.

Cum verò ex novis nostris Medicinæ Scriptoribus alii sint, qui dum Philosophiam magni faciunt, rerum interim naturalium *diligenti* scrutinium, ac si supervacua disciplina esset, despiciunt; hos vel eo nomine pessime de Medicina meruisse affirmo, quod cum eorum *ieiuna* Philosophia sit, nihilque fere in rerum natura præter *metasfictiones* aut (quod ad idem redit) *chymica*, nescio quæ, *commenta* jactitent; tam paucis tamen macrisque rerum naturæ imagunculis instructi, contra veterum dogmata, multiplici experientia ac certitudine stabilita, de novo *rem medicam interpretari* atque *exhibere* ausi sunt.

Alii autem ex his quoque vituperandi sunt, qui veteribus modernisque prorsus inconsultis, spretisque, suam in morbis expiscandis facultatem, sua remedia, suam Philosophiam; quæ tamen, ut illi volunt, minime pro dignitate acquiri potest, at

Qui facere quæ non possunt, verbis elevant,

Suam insuper in Medicina facienda prudentiam, methodumque, suam denique experientiam, *trito*, si diis placet, & *naturali cogitandi modo* [ipsissima eorum verba pono] innixam, vehementer extollunt, omnemque præterea scientiam medicam, artem studiumque dialectices susque deque habent. Atque hæc hactenus, ipsas Exercitationes aggrediar.

ELEN-

ELENCHUS RERUM MAXIME MEMORABILIUM

In unaquaque Exercitatione.

DE HYDROPE.

Præfatio *de Hydrope*. Pag. 817. &c.
De Potionibus, *& earum varii generibus*, 818
Huius Morbi descriptio *brevis*, 820
Casus *nonnulli varii cum remediis*, 821
Causa *sive* origo *huius Mali*, 829
Methodus Medendi, ibid.
De Elaterio, *& eius virtutibus in hoc morbo*, 830
Succi radicis Ebuli *descriptio & virtus*, 833
Subtercus & Ascites *quomodo differunt*, ib.
Croci metallorum *quales effectus*, 834
Iridis Succi *usus & effectus*, 835
Euphorbii *natura & Dosis*, ib.
Bryoniæ albæ *ad hoc malum virtus*, ib.
Gambogium *qui confert ad huius morbi curationem*, ib.
De Hydragogis metallicis, & *imprimis de* squamæ æris *virtutibus & variis dosibus*, ib.
De Flore æris, ib.
De Ærugine æris, ib.
De Atramenti sutorii virtute, ib.
De Chalciti & Mysy Sory, ib.
Magisterium Veneris *unde confici potest*, ib.
De Lapide Cœruleo & Armenio, 836
De Lapide Lazuli, ib.
Artificium Authoris in conficiendo Ens Veneris, *sive* Flores Salis Armeniaci *elegantes cæruleos*. ib.
Animadversiones *quædam non inutiles*, a pag. ib. *ad fin. Tract.*

DE DIABETE.

Differentia inter Hydropem & Diabeten, 839
Diabetes descriptio, ib.
Casus varii hujus Mali, & eorum Curatio, 840
De hujus morbi Causis, 842
Variæ præscriptiones ad hoc Malum, ib.
Digressio de Fontibus Medicatis. 843
Fontis Novi Hoxdonensis aquæ Judicium, ib.
Fontis Streethamensis aqua describitur. ib.
Rationes præcipuorum in Diabete Symptomatum exponuntur. 846
De huius morbi Remedio, ib.
Lac, Fructus omnigeni, & vinum meracius ad hunc morbum debellandum valent. ib.
Hieræ descriptio, & ejus efficacia contra hoc malum. ib.

DE

DE HYDROPHOBIA.

HYdrophobia *quare sic dicta*, 848
Unde hic morbus ortum habet, & modus infligendi. ib.
Casus *nonnulli vere mirifici*. 850
Hujus mali ratio, 854
Remedia in hunc morbum varia sunt, 856
Mantissa de Corticis Peruviani *exhibendi Tempore*, 860
Animadversiones in Salium, 861

DE LUE VENEREA.

LUis succincta at non inelegans descriptio, 863
Conjectura probabilis de hujus morbi Origine. ib.
Hujus Mali causa Efficiens, 864
Casus nonnulli, cum eorum remediis & præscriptionibus, ib.
Methodus medendi. 869. *ad fin. Tract.*

DE SCORBUTO.

SCorbuti Descriptio, 873
Quibus differt à Lue, ib.
Ejus Causa efficiens, ib.
Historiolæ quædam cum præscriptionibus, 876
Hujus Morbi Remedia, 878

DE ARTRITIDE.

UT distat Rheumatismus ab Arthritide, 880
Arthritidis Descriptio, ib.
Hujus Doloris Causa conjuncta & antecedens, 882
Quæstiones quædam de Podagricis respondentur, 883
Historiolæ quædam cum præscriptionibus propriis, 884
Prognostici illius, de hujus morbi insanabilitate, discussio, 889
Varia remedia contra hoc malum exhibita, 890
Iuxta finem uniuscujusque Exercitationis dissertatur de Remediis ad Morbum propriis, & eorum Natura & Usu.

MARTINI LISTER M. D. TRACTATUS DE MORBIS CHRONICIS.

DE HYDROPE.

PRÆFATIO.

CUM propter adversam Valetudinem, qua, ingravescentibus annis, magis magisque affligor, vitam mihi minùs laboriosam & Domi, quantum ferant negotia, sedentariam, viribus restituendis, libens amplector, quæ 26. annis & amplius quibus Medicinam feci, occurrerunt memoria digna, ea jam in lucem edere mihi haud injucundum est.

Veterum autem Doctrinam libenter sequor, quorum labores non negligendi sunt, ut moris est, nuperis quibusdam scriptoribus nostris. Addant, per me licet, emendent, illustrent, suisque quæq; hypothesibus novis *facta* interpretentur: at vanum est, & levis & mali instituti ingenii indicium, *Authores multis sæculis approbatos*, vel alto silentio tacere, vel vel perfunctorié memorare. Imò verò, si eorum definitionibus, & morborum descriptionibus non adhærebimus, *inutilis* erit omnis *Institutio*. Hinc in quotidianis consiliis nostris tanta discordia est, quasi Doctrina omnis Medica de lana caprina, ut de lacte gallinaceo, esset; scilicet de rebus nusquam existentibus. Adeo, singuli videmur *autodidacti*, & minimè in in Doctr. aliquam *commune* consentimus.

At *nova* (inquies) morborum genera, & Epidemica *quotannis* oriuntur: Illa autem annua proles, ut opinor, cerebri vacui immaginatio & mera figmenta sunt, Veteribus attendant velim, ubi ea mala multò accuratius depicta & in species digesta habebunt; ut eorum vana & supervacua diligentia sit. Atque hæc satis dicta sint de vaga, & instabili quorundam Medicinæ Theoria.

Alii autem sunt, qui *Medicamentorum* etiam *Paucitatem* jactitant; & de Ruina Scientiarum sese magni faciunt. At non credendum est his hominibus; meram ignorantiam, aut, ut mitius dicam, studiorum ignaviam, sive desuetudinem, & oblivionem prodentibus. Sed de his plus satis: ad ipsos morbos accedo.

Cùm *Hydrope* autem incipiam: Ex tribus verò Hydropicorum generibus, *Ascitem* maxime intelligo. Nam cæteri rationes sunt; omnium autem rariſſima Leucophlegmatie, ſi forte in *Anglia* contingat, ſcilicet ex veterum deſcriptione & notitia. Is autem morbus è Popularibus hujus magnæ urbis quæ cæteris impreſentiarum graſſari videtur. Quod autem res ita ſit, appello *Rationes Publicas mortuorum, hebdomatim editas*. Cùm vero is morbus longus ſit, ejus increſcendi rationes à victu mutato quærendæ ſunt: Nam Morbi Chronici fere à nobiſmet ipſis, aut certe à cauſis quibuſdam evidentibus, oriuntur. At inquies, Hydropos Aſcites, ut per ſe incipit, ita ſæpè alteri vetuſto morbo, maximèque Quartanæ, ſupervenit; imò *omnium* morborum *vitium* veteribus dictum eſt. Reſpondeo, Morbus jam paucos eſſe, qui Chronici & Populares ſunt, præter Luem Veneream, & Phthiſin, de quibus infra plura dicere meditor. Febres vero Intermittentes minus ex decennio graſſatæ ſunt: & ubi iis jam Homines afficiuntur, cito & tutò jam curari ſolent notiſſimo remedio ex Cortice Peruviano, ſine metu alicujus Hydropis ſupervenientis; aliæ itaque cauſæ quàm quæ olim aſſignari conſueverunt, inveſtigandæ ſunt. At in multis victus hodiernus hujus urbis ſalubrior eſt, quam olim fuit: jam enim olerum plurimorum generum largior proventus; jam fructuum optimorum copia incredibilis eſt, quæ quidem olim huic urbi multùm defuerunt, &, ad maximam vicinarum gentium admirationem, tota fere *carnivora* fuit. Atque hæc dicta ſint de cibo.

De *Potionibus* autem alia res eſt: ſiquidem multo deteriores ſunt. Enim potiones *Cerevisiæ* dictæ ſumma diligentia & arte olim confectæ ſunt, & ſine fraude ad maturitatem quandam coctæ, ſive eæ meræ hordeaceæ, ſive cum lupulo conſervatæ; jam vero falſi ſumus, cerevisiæque omnigenæ *fucatæ*, & minus quam pars eſt, coctę ſunt. Fucum autem in coquendis cereviſiis faciunt plurimis modis, vel ipſius ſalis culinarii, quę una ex Hydropis cauſis [huic fidem facit autoritas Cæl. Aureliani ex coacervata bibentium tranſvoratione, & magis ſi *ſalſa* fuerit aqua) vel calcis vitæ, vel ſacthari fœcum (in quibus omnibus mira eſt vis cauſtica) admixtione. Non opus eſt plura memorare. Aliam tamen *novam* cauſam intactam non relinquam ſuperiori, nempe cereviſiarum ſale confectarum valde affinem; ſcilicet illa annua, & ſolennis Aquarum Mineralium, *ſale calcario* ex abundanti ſaturatarum; ingurgitatio. Etenim hæ jure merito & ſupra modum falſis aquis, iiſdemque inſuper purgantibus, annumerandæ ſunt; adeoque duplici nomine illarum helluones male mulctari poſſint. Profecto apud eundem antiquum authorem & frequentata medicaminum potio, ac falſi alicujus liquoris potus, æquè pernicioſi habentur.

Ad hæc, *Pomatia* & *Vina* quomodo adulterentur extant *Tractatus*, ab ipſis rerum maleficarum authoribus publicati. At hæ potiones uſitatæ, & ſemper Angliæ notæ fuerunt; in his adeo vitium, ſi quod ſit, bibendi exceſſus eſt; una quidem è cauſis Hydropicorum notiſſima, & tamen pauci apud nos Hydropici, niſi his nuperis annis.

Amplius itaq; de Potionum generibus quæ nobis reſtant, inquirendum eſt. En autem *nova* earum *progenies à Vino*, & cereviſiis uſtis, ſive igne toſtis, *Spiritus vini dicti!* Hęc fundi noſtri calamitas eſt; hinc illæ lachrymæ! Etenim hi Spiritus, ſive meri, ſive multo lenocinio medicati, ſi aſſiduè & multum bibantur, plurimos in Hydropem præcipitant. Atque utriuſque; ferè ſexus deliciæ ſunt; & privatim apud mulieres varia arte certatim confici ſolent: imò verò nos ipſi Medici culpandi ſumus, adeo omnia alexipharmaca apud nos vileſcunt præ iſtiuſmodi ſpiritibus medicatis: illorum tamen uſum laudo; & abuſum tantum & exceſſum jam vehementer reprehendo.

Ut autem rem plane conficiamus, ſcire oportet Spirituum vini dictum eſſe ex *Sarcoticus*, quę ſcil. carnem exedunt: idq; certo conſtat ex latione vulnerum gingivarum, & ubi faciei, fuci loco, adhibetur: nimirum vehementer abſtergit, non ſine levi aliqua uſtione; iſque ſi aſſi-

dae utatur, excedit, inflammat. Atque idem est is Spiritus vini in Stomacho, qui fuit extra illum, nempe ad alias exteriores corporis partes admotus: imò inassuetis non aliter gulam afficit, quàm si quis vivum carbonem devorasset.

Qui autem hujus potione se ingurgitent, & Hidropici futuri sunt, primum stomacho laborant, dolent præcordia, ad frigidas & leviores potiones fere nauseant, & non merentem stomachum accusant; quasi is naturaliter infirmus esset; cum revera nihil aliud est, quam ut ipsi suis deliciis lenocinentur. Nam ita quidem est, spiritu vini dicto nihil *plenius* est; adeo ut his hominibus, vel ipsum venenum ad vitam eorum conservandam necessarium esse videtur. Tandem ipse Stomachus corrumpitur, à cujus vitio digestio ciborum integra non fit, adeoque noxius humor in perniciem corporis paratur, tumoremque inferre consuevit; unde paulatim aqua in Uterum contrahitur.

1 Cujus rei rationes ita deducam: in primis illud e cadaverum Hydropicorum dissectionibus abunde constat, stomachum eorum admodum extenuari, & rubore suffundi nimirum eius internas fibras sive villos à Spiritu vini exedi, ipsumque viscus inflammari, unde chylus crudus & lentus conficitur: à chylo autem lento fere pedum tumor, à quibus paulatim in ventrem ascendit aqua.

Ut autem clarius intelligatur, quomodo à stomacho corrupto chylus viscidus fiat, si calculum ponamus: nempe, concoctionem fieri ab humore aliquo *intus* perspirato, qui subitam putredinem in stomacho & intestinis conciliet. Istiusmodi autem putredinis concoctricis unica ratio est, ut dissolvatur & diffluat cibus: unde ciborum putrescentium summa teneritudo est; imo vero vel ipsius Ichyocollę, quæ lentissima res est, dissolutio & aquatio est: illud autem superiore aliqua exercitatione satis, ut opinor, probavimus. Contra vero, ubi stomachus tenuis & inflammatus est, cibum potionemque protinus vel vomuit, vel deorsum in intestina festinanter illum detrudit, certe crudum minusque coctum, *i. e.* lentum viscidumque Nam ut chyli *aquatio* digestionis ratio est; ita ejus *lentor* cruditatis sola notitia est.

Chylus autem crudus sive lentus sanguini non ita facile permiscetur: hinc fere intestinorum lævitas; & cum intra venas semel receptus est, admodum difficile per communes cloacas rursus eiicitur; sanguinisq; adeo circuitum per venas capillares tardat, impeditq; Atq; hinc omnium malorum in Hydrope facilis intelligentia est. Nempe, stomachum diximus, ut viscus primarium officio suo potissimùm labefactari, totumque hominem in malum habitum converti à chylo crudo, lento & crasso. Princeps itaque causa huius mali stomachus vitiatus est; unde inter præcipuas Hydropis notas à *cibo alienatio* stomachi est; item difficilis *spiritus*, Scilicet à pigritia sanguinis motus; item propter eandem sanguinis ad movendum ineptitudinem; facies, *brachia* & reliqua corporis *superiora* admodum *gracilia* fiunt: ad hæc quoque ipse corporis *situs* Plurimum facit, ut humores crassi & frigidi in locum *declivem* deorsum maxime defluant; *Pedum tumor* œdematosus, interdiu magnus, noctu minor; nempè, in arteriis & venis quodammodo stagnat lentus sanguis, & propter situum eorum pendulum interdiu ægrè sursum promovetur; atque ob eandem rationem situs in decubitu contrarius aliquantulum sursum sanguinem propellit: à digito impacto *in cruribus* locus *cavus* & diu perseverans antequam restituatur: nimirùm; ipsa vasa sanguinea assiduè præter modum distenta, tandem emolliuntur; resolvunturq; unde partium vigor & restitutio ex toto periit: stagnationem vero temporis processu ipsa *extravasatio* excipit, & vel per se vel levi de causa crurum exulceratio, & aquę spontanea eruptio fit, ad hæc, tumor & sonitus liquoris *fluctuantis* in utero; ubi scilicet extra venas aqua libere inter Peritonæum & intestina infusa est. *Ingens sitis & linguæ ariditas* scilicet, cum pituita oris & faucium ex propria sua natura lenta sit à viscida & crassa lympha minime suppleri potest. *Urinæ paucæ, crassæ & rubræ*. Sudor nullus; nec enim in ipsis balneis sudari apti sunt,

ſcilicet propter defectum ſtimuli, id eſt, ſalis Urinoſi: nam in chylo crudo & lento ſal urinoſus non extricatus; reneſque adeo, cæterique cutanei ductus, nec urinam, nec ſudorem conficiunt, quod ſal deficit, qui excoquatur, *Tuſſis ſicca*, nempe in arido pulmone pituita ex toto deficit.

At non ignoro præter cruditatem, alias Hydropis cauſas, etiam cum per ſe incipit, à veteribus expoſitas eſſe; ut copioſus frigidæ potus cibus flatulentus, & Bupreſtes: id autem animalculum facit ſtomachi infinitum dolorem, totumque corpus in ſpeciem Hydropici inflat. At cùm hæc inter raro contingentia, maximè noſtra Inſula frigidiore, numerari debent, eas nominaſſe ſatis eſſe videtur.

Ultimo vero loco ad Hydropicus *Curandi rationem* & remedia ventum eſt. Una autem & præcipua medendi intentio eſt, nimirum, ſtomacho priſtinum ſuum vigorem reſtituendi, ęque corpore illum amovendi: primum lenioribus, mox ſi vehementius malum eſt, valentiſſimis medicamentis, cujuſcunque demum generis ea ſint.

Cùm autem *Remedia*, quæ nos experti ſumus, ſparſim in *Adverſariis* noſtris literis mandavimus, ut eorum ſupervacaneam repetitionem vitem, ipſos Ægrotos cum remediis, prout raptim à me, ſed *fideliſſima* narratione olim exarata ſunt, tranſcribere bono publico non gravabor.

Illud autem te movere volui, me nihil præterquam meras Hiſtoriolas dare ſtatuiſſe; ſed cum aliquot conjecturæ noſtræ, & annotatiunculæ paſſim, ut video in his ſchedis, occurrant, eumque eas olim exercitii cauſa, commentatus ſum, eas jam cum remediis communicare cogito, quod opinioni noſtræ ſuffragia ſatis bene commodabunt.

Item illud alterum Lectorem ſcire volo, me in aliquibus Ægrotis remedia omiſiſſe, in aliis vero pleriſque adjeciſſe; vel quod fruſtra fuere, vel quod a me omnino nulla adhibita ſunt. Ubi autem profuere, ea omnino fideliter narravi.

ÆGROTUS I.

Ex Ebrietate.

§. QUidam (*Brovvning*) mediæ ætatis vir, ſtrenuus, aſſiduus, infinitus Potator, omnium Potionum & hominum homo, at tenuis; puſillus, facie ſubflammea, ex catharro tunc temporis epidemico, aqua inter cutem vehementer affectus eſt; ei pedes & femora & imus venter nimirum in modum inmeſcere, Urinæ Rubræ & craſſæ vix uncias aliquot 24. horarum ſpatio reddit, quamvis præ ingenti ſiti aliquot congia quotidie ſiccavit.

Hunc autem ſic ad priſtinam ſanitatem reſtituti intra 14. dies. Femur utrumq; ex interna parte incidere juſſi longa & profundiore plaga, cui injectum eſt lineamentum tortile, penicilli ad inſtar, unguento Apoſtolorum dicto illitum.

Potionis tantum liberam, pro ſua optione ex quo genere illam habere voluit, diei noctiſque unius ſpatio, permiſi; idque religioſe obſervavit, non ſine maximo tormento & inquietudine. Singulis autem quibuſque tertiis diebus hominem ſic purgavi: [*℞. Succi Ireos ℥iiii. Mecoacan. gr. x. Julap. ℥i. m. f. Potio*] quo vehementer alvus mota eſt. Etiamſi vero [*N. B.*] vigeſies minimum dejecit, tamen Potionis modum quotidianum ne hilum quidem auxi.

Poſt decem autem dies Tumor ex bona parte deſiit; & jam ſitis fit tolerabilis.

Poſtremo Hydrope ſiccata, aqua abſinthii ſtillatitia uſus eſt, in qua rhabarbarum maceratum eſt: idque ad confirmanda viſcera. Convaluit, at Fonticulos in utroque femore caute nutrivit, & à potione abſtinentiam ad plures menſes obſervavit.

ÆGROTUS II.

Ex Sanguinis ſputo.

§. DOmina *VVoodburne* de *SKipvvith*, minimum quinquagenaria, incaute vero, ex gravi tuſſi Sãguinẽ Spumo-

lum

sum copiosè excreavit; ad Sanguinem autem comprimendum, is quinquies è brachio missus est hebdomadæ spatio, nam toties malum recruduit.

Ipse autem sanguinem, e brachio eductum, maxime refrigeratum, quotidie diligenter inspexi, cumque magisque ex parte rubra, concreta, diminui notavi; adeo ut ultima phlebotomia in 10. circiter Sanguinis unciis, concretum rubrum in medio Sero innatans vix latitudinem sesquiuncialem & crassitudinem octavę partis digitis æquabat, ut qui Sanguis jam videbatur, mox totum fere Serum fiebat. Post aliquot autem hebdomadas eadem mulier Ascite vehementer affecta est, ventre admodum ex aquæ abundantia intumescente, plurima verò frustra data sunt; tandem in hoc medicamento convenimur ego & alii duo mecum Medici seniores Eboracenses, *VVittie* & *Tailour*, quos honoris & meritorum causa posteris commendo, (℞. *Succi Ireos* unc. i. *Elaterii g. iiii. Julapii*, *Mecoacanan. gr.* xv. *m. f. Potio*:) eo autem vehementer purgata est: atque aquæ magna copia ex abdomine educta est: & quę antea fere semper ob ventris pondus in lecto decubuit, domo exiit, & per viciniam ambulavit: ob sævitiam tamen medicamenti Medicos omnes dimisit. At post 6. menses eo ipso morbo ruri mortua est.

Annotat.) Hęc autem faciunt ad intelligentiam morbi; Venis aliquibus majoribus intra abdomen ligatis in vivo aliquo animali ex sero alvus brevi repletur ut Anatomici perhibent. Item si venæ Renales ligentur, & aliquis liquor Syphone arteriam injiciantur; exiit ureteres, ut Bartholinus filius author est: Item ipsam vesicam felleam Phthisicis interdum refertam fuisse sero plane insipido, albo, pellucido, & igne in mucaginem albicantem coagulato, uti perhibet *Benedictus noster. Theatro Tabidor.*

Venæ igitur pulmonis utriusque generis primum infarctæ sunt lento sero: à quo impedimento sanguinis serum ab arteriolis Asperæ Arteriæ effunditur in vasa glandularum excretoria; imo hoc non raro accidit etiam arteriis & venis integris non erosis, sed perse apertis; & in hoc casu multo serosior factus est sanguis ab ipsis remediis.

Etenim derur sanguinem ipsum sanguificare, sequetur, quo pauperior & debilioris, eo difficilius chylum in sanguinem converti; at is sanguis debilis est, qui crassamento sanguineo (qui in nobis vere sanguis & solus putandus est,) ex magna parte exhaustus est, novus quidem chylus in venas indies recipitur, & sanguini commiscetur; sed fere crudus is permanet, adeoque serum quidem, non autem sanguinem proprie sic dictum, is auget: illud autem serum crudum, ubi ad plenitudinem assurgit, sanguinem aggravat, ejusq; motum impedit, & quia per excretionum officinas, pulmones puta, renes, cutisq; poros satis copiosè amandari nequit, ipsis extremis tibiarũ venulis hęret; ipsum abdomen tandem transfunditur mediantibus arteriolis, excretoriis glandularum vasis per anastomoses commissis.

Jure autem hic quęritur, mulieri hæmoptoicæ cur Ascites superveniat; cum alias gravidę mulieres, etiam non rarò vetulæ, sterilesque ingentem sanguinis vim ex utero profundunt, at raro aut nunquam idcirco Hydropicæ fiunt? Respondeo, mulierem uterum posse ex toto tolli, sine corporis damno, quasi extra corpus positus esset, item illius partis venas admodũ increscere solere adeoq; sanguinem in se multum continere posse: ex quibus colligo multum sanguinis ex utero posse profundi de suo penu, reliquo corpore fere integro aut certe parum pro ratione sanguinis exausto, Atque idem cogitare debemus de differentia inter narium assiduam hæmorrhagiam, à qua non raro Hydrops, in viris, & eorundem hæmorrhoidalium venarum vastam profusionem; nam hæ quoq; venæ tam in viris quam in fœminis ob magnum sui incrementum & tumorem, Sanguinis copiam præter fidem in se continere solent, quasi extra corporis œconomiam deponeretur. His adde, *Simplicem* sanguinis, quamvis maximam, profusionem, sive à vulnere, sive alias in corpore *sano*, Hydrops raro excipit.

ÆGROTUS III.

DOminus *G. BlacKet*, miles, sexagenarius minimum, diu valetudinarius, ex vehementi equitatione, & quod jecur glande plumbea è sclopeto minore transfixum aliquando habuit; item quòd, nescio qua febre intermittente, ut videbatur, diu languit: huic autem sanandæ fontes medicatos atramentosos sive ferrugineos agri Eboracensis diu & multùm hausit. Exeunte autem æstate, Febris Cortice Peruviano ex toto depulsa est, hinc narium hæmorrhagia fere quotidiana; eo autem tempore huic corpus plenius, alvusque ex multis annis liquida, scilicet ter quaterve quotidie, respondet.

Ineunte verò mense *Octobri*, venter paulatim intumuit, sudoresque nocturni ex Febre orti, jam ex toto desierunt, & sub hoc tempus planè Asciticus fit cum tussi gravi & vomendi cupiditate.

Meæ autem Curæ jam primum se se commisit; quod vero eo tempore forte D. *L. Rigley* senex Medicus *Londinensis*, Eboraco commorabatur, mihi socius datus est, is autem chymiæ valde addictus est, & in ea arte admodum peritus, per timores autem menses ipse adhibuit remedia sua, me quidem consentiente, & eorum affectus, cum necessariis ægri, expectante; sed frustra data sunt.

Inter Diuretica illa sumpsit, viz.

Liquamen Lumbricorum terrestrium cum sale Absinthii ex Vino Albo, aut Rhenano.

Item, Balsamum Judaicum verum circiter ℥i. quotidie ad ʒiii.

Item, Semen Genistæ contritum ad ℥i. ex Vino albo.

Item, Allii Jusculum supra fidem sapidum & valens.

Item, Cataplasmata ventri admota sunt ex ruta, cochleis contusis, sulphure, radice Brioniæ, &c.

Item, Empl. Sycyonium.

Inter Chymica verò hæc data sunt, viz.

Bezoar Joviale ad *gr.* vii. bis quotidie. N. B. Ab hoc medicamento alvus vehementer conturbata est cum importuna dejiciendi cupiditate.

Item, Flores Antimonii, fixi dicti, ad *gr.* x. cum Diagridio: hæc autem medicamenta ultimò memorata ipse D. *L. R.* confecit. N. B. Ab hoc medicamento vomuit & dejecit non sine infinitis torminibus.

Item, Postridiè viridem bilem vomuit, & inhorruit, quam ardor vehemens excepit, & madore quodam subobscuro desiit: & ex hoc medicamento diarrhœa molesta affectus est.

Ipse jam ex febre putrida decubui, & ferre per integrum mensem foras non exii: ipse autem recuperatus hęc porrò præscripta inveni à *D. L. R.*

Rhabarbari cum Absinthio ex aqua frigida ter quotidie ad Diarrhœam comprimendam: Item *Terræ*, *Japponicæ* dict. ex aq. Cerasorum ad viscera firmanda.

Deinde ad 14. dies hoc Diuretico usus est, (℞. *Vini Rhenani* ℔iiii. *Ciner. Rad. Bryoniæ absinth. Juniper. Persicariæ an.* ℥i.) Hujus Lixivii ad ʒiiii. aliquoties in die sumpsit, interdum Seminibus Genistæ, & Urticæ Romanæ additis.

At hæc omnia frustra fuere: nam aqua magis magisque abundavit, sitis intolerabilis, nec ulla Urinæ quantitas supra consuetam mensuram.

Jam in lectum amplius decumbere non potest, sed in sella pensili apertis, fœminarum more vestimentis indutus residere solet: item tussis multo molestior ob pituitæ vitreæ lentorem, his adde, dorsum etiam ad spinam digito prementi cedens, virescque admodum labefactatæ.

His visis, humanissimè rogavi ut vices mihi quoque daret præscribendi, neq; id tamen obtinere potui sine multo jurgio: ad hydragoga tandem venimus.

Medio itaque Januario sic præscriptum est, (℞. *Succi Hepatices* ℥i. ß. *Succi Rad. Ebuli* unc. *j. gr. ii. Vitelli Ovi*

n. 1.

℞. 1. *Saccbar. Cand.* ℥i. *m. f. Potio*) N. B. Ex hac Potione ſumpta xvi. minimum liberas aquæ citrinæ dejecit. Quamvis primis horis frigide ſudavit, & pulſus exilis fuit, tamen reſtitutus eſt, & placidè ea nocte decubuit, ac in lecto dormivit: item toto poſtridie aquas dejecit magnis, at raris ſedibus.

Poſt Triduum vero vires ſupra ſpem redire, quamvis interim parùm aut nihil nutrimentum ſumpſerat, ſc. à ſolis aquis ejectis levatus eſt: venter autem lino menſes ad tres digitos detumuit & crura pro ratione. Stomachum vero adeò non læſit id medicamentum ut jam cibum guſtare potuit, quod antea ex multis ſeptimanis non fecerat.

Intermiſſis autem aliquod diebus Elaterii gradum dimidium tantum, ex ſucco Ebuli ℥vi. ſumpſit, cum Euphoris. Atque iterum Jalapii gr. xv. ex ſucco rad. Ebuli unc. i. Jam magna ſpes convaleſcentiæ affulſit, ac cibi appetentia admodum rediit: & vehementi prurtitu affectus eſt, quod non inter mala ſigna numerari ſolet. Denique Cortic. Peruv. unc. i. in pilulis præſcripſimus, quod ante faciendum erat: ac nec de eo remedio, nec de Elaterio convenire potuimus: adeòque nobis valedixit æger, & iter plurimum dierum in vehiculo ingreſſus eſt, quod ſtrenue & fœliciter confecit, ipſo tamen eodem morbo, æſtate exeunte, mortuus eſt.

Aqua venis concepta facile effundi poteſt, atque natat peritonæum & inteſtina ſolo *Elaterio* aut *Euphorbio* educitur, *J. Heurnius ad Aphoriſm.* Quod Ptormica faciunt in naribus, idem hæc medicamenta in inteſtinis efficere videntur; *i. e.* pituitam vehementer movent, ſcilicet è glandularum ductibus excretoriis, quibus infinitis inteſtina ſcatent, aquam valide exprimunt.

ÆGROTUS IV.

§. D. R. B. Miles, de M----quadragenarius; ex gravi & diuturno Ictero ſanguinem copiosè ſemel atque iterum vomuit, item frequenti ſanguinis è naribus hæmorrhagia affectus eſt: tandem gravi Aſcite correptus eſt, hujus venter adeo diſtendebatur, ut ſedere vix potuit propter tumorem rigidum; tantum ſupra dorſum decumbere potuit recta protenſis pedibus: è rure in oppidum R... tranferri ſe juſſit, ut *paracenthesi* aqua educeretur; nam reliqua remedia vana credita ſunt. Me vocavit: ſic morbo ſupra modum vehementi occurrendum cenſui, (*R. Decocti Epithymi* ℥iv. *Syrup. è Spina Cervin.* ℥iij. *Elaterij* gr. v. *m. f. Potio.*) Eodem die ad tria minimum congia aqua purgata eſt: idem autem medicamentum ad intervalla aliquot dierum bis amplius ſumpſit & convaluit, & jam poſt 12. annos ſuperſtes & ſanus eſt.

ÆGROTUS V.

§. D. *Place* de *Dinſdale*, ſexagenarius & tres annos amplius, ineunte Junio Aſcite vehementer affectus eſt: huic autem malo initium dederunt vigiliæ hybernæ ſpontaneæ ad multam noctem, item victus & potio liberalis, ſine ullo exercitio. Hæc primum crudites movebant facilius in ſene. Ejus autem morbi ad meum adventum hæc erat conditio; Modica ſitis, at ciborum faſtidium, anhelus, & ad omnem corporis motum, propter ſpiritus anguſtiam, piger; in lecto decumbere vix amplius potuit, propter neſcio quem ſtomachi motum, ut aiebat, convulſium, tantum non exanimantem, vomitumque & tuſſim graviter excitantem, omnium maximè affligens ſymptoma pulſus debilis & admodum citatus, urina pauca & bilioſa, pars ventris inferior rigida & ad umbilicum uſq; diſtenta, digito tamen prementi cavitatem cedens & diu retinens; item tibiæ ſimiliter & femora valde tumefactæ: in his verò à veſiculis quibuſdam per ſe ortis & diſruptis tenuis humor aſſiduè ferebatur, item in tibiis ingens inflammatio indies aucta; in decubitu & aliàs, murmur & fluctuatio aquæ in ventre clarè audiebatur, alvus liquida bis terve quotidie per ſe reſpondens.

Huic protinus huiusmodi Hydragogon propinavi, ℞. *Elapetii* gr. iii. *Jalapii* gr. XX. *Syrup. Violar.* ℥i. *Aq. Mirab.* ℥ß. *m. f. Potio* 18. libras aquæ eo die sine magno languore, nisi in prioribus sedibus, dejecit.

N. B. Eo die Spiritus multò facilior redditus est, placideque in lecto quievit quod ante ex multis septimanis facere non potuit; tussis & vomendi desiderium ex toto desierunt, ex parte quoque venter & tibiæ detumuerunt.

Tertio vero die ab eo medicamento sumpto alvus non amplius per se respondit; atque adeo idem medicamentum iterum datum est, a quo cum minore languore aqua copiosissime dejecta est: iam abdomen fere & tibiæ aqua ex toto exhaustæ sunt.

N. B. Quamvis secunda hac purgatione aquæ adeo copiosæ motæ sunt, tamen tibiarum detumescentia non ante nocturnum decubitum apparuit; unde liquet venas sive aquæductus intestinis propriores primum exhauriri vi medicamenti; quibus exinanitis, prono corporis positu, illi tibiarum alteri humorem suum refundunt.

Post Triduum vero, aere admodum æstuante, tertiùm item medicamentum purgans sumpsit cum optimo, ut ante, effectu: nam, non solum aqua iam ex omni parte exhausta est, sed & tibiarum inflammatio atque ulcera ex toto sanata sunt, viro generoso & optime merito valedixi. Quantum, medicamentum sumpsit, & nescio quo pulvere diuretico ab Agyrta quodam post meum discessum usus est. Ineunte autumno Hydropicus mortuus est.

(Illud notandum est, Elaterium, quæ istius medicamenti summa commendatio est, dejectiones movere, authore Dioscoride, citra stomachi iniuriam.

Illud insuper quæro, cum in Hydrope tussis vehemens moveri solet, & Elaterio sedari, an non eadem in Phthisis Tabidisque etiam Elaterio parce dato tollatur?

ÆGROTUS VI.

§. SExagenarius quidam Pauper diu miseram vitam Hydropicus traxit, huic vehemens sitis, tibiæ, abdomen, scrotum, & ipse penis admodum, vesicæ, instar, tumefactus, urina rufa & & pauca, é tibiis altera per se ulcerata, valdè suspiriosus cum assidua Tussi; ciborum nulla appetentia.

Mense autem Decembri in intenso Gelu sic hominem purgavi, (*terij* gr. iiij. *Jalapii* ℈i. *m. f. pulvis, e cochleari lacti cocti dand.*) Eo modicè alvus mota est: post biduum verò idem medicamentum sumpsit; jam vehementer dejecit; detumuit abdomen, scrotumque. Ad idem intervallum tertio datum est; modice, ut primo, dejecit. Ad idem intervallum sic amplius præscripsi, (*R. Elaterii* gr. x. *Salis Gemmei* scrup. j. *Mivæ Cydoniorum* q. s. *f. Bolus*] Benefecit; semel in principio vomuit, decies dejecit; jam non amplius cibum fastidivit, atque Ulcus in Tibia per se sanatum est. Ad idem intervallum si quarto præscripsi, (*R, Cortic. pervv. ℈i. m, Elaterii* gr. v. *Salis Absinthii* ℈. *m. Syrup. Cydon.* q. s. *f. Bolus.*] Summo mane datum est, hominem autem non ante horam tertiam movere cepit; eo autem modicè dejecit: idem postea medicamentum singulis septimanis cum Euphoria cepit. Item medicamentum, jam aqua sublata ex bona parte, etiam ex Vino emetico dedi, at semel tantum post tres horas vomuit, & modice dejecit.

Cum autem hic vir subito recidivam pati consuevit, ei Elaterii gr. x. cum Sale Gemmeo singulis septimanis ad tres menses dedi, quod toties facilè tulit.

N. B. Deinceps ad viscera confirmanda Agarici ℥j. ex sero lactis, ad plures dies sumpsit; neque ad eo alvus mota est: id verò medicamentum, ut superiorum remediorum antidotus est, ita & ipsius morbi.

Cum sit virosissimum medicamentum Agaricus, tamen supra omnium opinionem est, quod ad stomachicos

exi-

evidenter convenit, ex vererum fide & noſtra experientia.

Item, *Lapidis Armeni* ℥i. proceſſu temporis ſumpſit, è quo admodum levatus eſt.

Item Magiſterii Veneris, modo exſquama æris, modo ex Vitriolo Romano confecti ℥j. data eſt, ab eo autem vomuit & vehementer deiecit.

Is autem ſenex medicamentorum ope (nam Elaterium ad gr. x. vigeſies minimam ſumpſit, & magiſterium æris ſive vitrioli ſæpius ad ℥i. peterlia, multa hydragoga, ex mea largitione dono data) vitam ad 16. menſes ab incepta noſtra curatione protraxit, tandem ex toto corpore ſubito abdeo intumuit cum vehementi ſpiritus anguſtia, ut fere à vicinis tanquam mortuus exiſtimatus eſt. Cui tunc temporis ſic præſcripſi, (℞. *Succi Ebuli* ℥i. *Iridies* ℥ß. *Elaterii* gr. x. *m. f. potes*.] Ab hoc medicamento vix credibile eſt quantum humoris aquei & peſſime fœtentis & vomitu & ſeceſſu excrevit. Deinceps per aliquot ſeptimanas Magiſterii Veneris ad ℈ii. aliquoties cepit magno commodo, & ad octo amplius menſes ſatis bene ſe habuit. At tandem media bruma mortuus Hydropicus eſt.

Ita deſperatus Hydropicus Senex ad biennium vi medicamentorum valentiſſimorum in vivis conſervatus eſt.

ÆGROTUS VII.

§. COlonus *D. Harriſon*, incipiente autumno, febre intermittente, Tertiana puta, affectus eſt, is diu ea ad brumam uſque laboravit, tandem Cortice Peruviano parce dato ob hominis paupertatem (quod eo quidem tempore Cort. Peruv. libram 12. aureis nummis noſtris, *Guineas* dictis, redemimus) ex febre convaluit, at ſubito Aſcite correptus eſt cum vehementi ſiti; inter alias corpori, partes Scrotum & ipſæ ſcapulæ immadæ quantum tumuerunt!

Sic vero hominem recuperavi,] ℞. *Cortic. Peruv.* ℈ß. *Salis Gemmei* ℈ß. *Elaterii* gr. ii. ß.) Vomuit aliquoties, & ſemel tantum deiecit. Poſtridie idem medicamentum datum eſt, ſed aucto Elaterio ad gr. x. & ſale ad duplum Elaterii, attamen intra dimidium horæ vomuit, & ter tantum deiecit, tamen multùm levatus eſt. Poſt biduum autem ſic præſcripſi, [℞. *Cortic. Peruv.* ſcrup. *i. Sal. Abſinth.* ℈i. *Elaterii* gr. x. *m. f. Bolus*.] Quod medicamentum ex maxima parte retinuit, terque tantum deiecit, ſupra finem reſtitutus eſt. Porro ſingulis ſeptimanis ad ℈ß. Elaterii ſimiliter compoſiti, dedimus, fere aliquoties vomuit, & poſt aliquot horas ter aquam copioſe deiecit, & iam febris intermittentis leves aliquot acceſſiones redierunt. Convaluit.

N. B. Illud præcipue notandum, Elaterium magni æſtimatum eſſe apud Antiquiſſimos Medicos, ut hæc vox quandoq; omne purgans denotet, ut Commentatores Medici recte obſervarunt ad Theophraſt. Hiſtor. 6. Illud vero ad *magnos mortalium uſus* confectum eſſe Plinius affirmat. Sed ab iis ſimplex & per ſe exhibitum eſt, nec equidem laudo coniuncta cathartico aut correctiva dicta præter unum Salem Gemmeum, ob nimiam ſtomachi nauſeam, ne citius vomatur, quàm vim ſuam exerat. Atq; hoc, niſi aliud ſuadeat morbus aliquis, cui Hydrops ſupervenerit.

ÆGROTUS VIII.

§. PUero cuidam (*Bathe de Holden*) quatuor annos nato, ex multis menſibus abdomen valde diſtendebatur at ex ſiniſtro latere multo magis, item toties noctibus vahementer ſudavit; faciei inſignis pallor, item narium hæmorrhagia pene quotidiana.

Huic autem malo ſic occurrendum putavi, viz. (℞. *Elaterii* gr. i. *Sacchar. Cand.* ℈i. *miſce, detur e cochleari cereviſiæ*.) Septies vomuit, terque deiecit: non ſudavit, nec ea, nec altera ab ea, nocte; non amplius ſanguis e naribus deſtillavit. Poſtridie ſic præſcripſi, (℞. *Syrup. de Epithymo comp.* ℥iß. *detur ex cereviſia*.] Ter alvus mota eſt; etiamſi ſudores redierunt, tamen convaluit.

ÆGRO-

ÆGROTUS IX.

§. PUer quidam (*Arnold*) undecim annos agens, ex longa Quartana admodum distento ventre & stomacho, laborabat; sic autem præscripsi; (℞. *Lapidis Lazuli* ℈iiij. *Semin. Hyperici* ℈j. *syrup. è Cortic. Citri* q. s. *f. Bolus pridie ante paroxysmum sumend.*] Id verò medicamentum nihil puerum movebat, nimirum ab eo vomuit, nec dejecit; at multo alacrior se habuit: accessit die suo febris: die verò proximæ futuræ accessionis, quæ vesperi accedere consuevit, summo mane illud sumpsit, viz. (℞. *Sem. Hyperici* ℥j. *Magisterij Aerubinis Rasæ* ℈ii. *Conserv Flor. Boraginis, Syrup. è Cortic. Citri* q. s. *f. Bolus in Obelii Devorand.*) Ab eo autem ter dejecit, & vigesies minimùm vomuit, febris autem non amplius accessit: venter detumuit mirum in modum. Convaluit.

ÆGROTUS X.

§. VIR quidam mediætatis Hydropicus ex diuturna Quartana; is autem ex toto corpore, etiam ipso capite, mirum in modum intumuit cum vehementi siti. Huic, die altero integritatis, Magisterij Veneris *ex* ℥i. Syrup. violarum propinavi, ferè nihil dejecit, quòd protinùs vomitu rejectum est: postridie verò idem sumpsit, & ab eo primo die ter vomitu & per biduum vehementer dejecit; quarto verò die vix in ulla parte corporis præter naturam intumuit, nec febris amplius accessit, nisi admodum leviter circiter 15. diem.

ÆGROTUS XI.

§. MUlieri cuidam gravidæ, 46. annos natæ, ad ultimos gestationis menses intumuerunt supra modum tibiæ & abdomen; ipse venter impactis digitis cavus cedebat & diu permanebat cavitas: item huic difficilis spiritus, urina pauca, crassa & rubra; alvus fluebat; in superioribus summa macies: ad statum tempus vivum infantem peperit, ipsa autem puerperio mortua est.

Biduo ante puerperium vocatus, excepta Lapid. Lozuli ℥j. à quo quater dejecit cum euphoria.

ÆGROTUS XII.

§. MEdiæ ætatis viro, olim Lue Venerea male vir multatus, exeunte autumno febre correptus est cum gravi cordis palpitatione, & vehementi spiritus angustia, & siti, item tussi purulenta & sanguineis fibris interspersa pure; adeo à necessariis imbecillus visus est, ut nec sanguinis missionem, nec cathartica adhiberi voluerunt, tantum Diuretica nescio quæ propinarunt cum res post mensem ad Hydropem Ascitem plane spectaret ex tibiis vehementer inflatis & ventre distento, me vocarunt: jam amplius in lecto decumbere non potuit: hujusmodi medicamentum propinavimus, [℞. *Succi Ireos vulgaris* ℥ß. *Succi Radicis Ebuli* ℥i. *E. laterii* gr. vj. *m. f. Potio.*] A quo duodecies dejecit, ea nocte optimè in lecto quievit, & placidè dormivit. Empl. Epispastic. tibiis admovere jusseram quod omnino necessarij fieri prohibuerunt: adeoque postridie Agyrtæ cuidam traditus est, & brevi post Hydropicus mortuus est.

ÆGROTUS XIII.

§. FAber quidem Ferrarius quinquagenarius, ex frigore gravi tussi affectus est: media autem bruma cibo rum appetentia desiit, mox intumuere tibiæ, item ipse venter valde inflatus est. Huic sic præscripsi, (℞. *Lap. Lazuli* ℈i. ß. *Elaterii* gr. j. *Confect. Hieræ Diacolocynth.* ℥i. *m f. Bolus.*) Aliquoties vomuit, at alvus vigesies minimùm mota est, non sine gravi lucta, quamvis vir fortis fuit; sed postridie vomitum & deiectiones compressi exhibito Mithridato ex aq. Menthæ: die autem tertio vehementer lætatus est, quòd

quòd aquam sibi ex omni parte corporis exhaustam vidit. Convaluit.

ÆGROTUS XIV.

§. MUlier quædam 35. annos nata, primò in manibus, mox in ventre, & tum demùm in universo corpore, intumuit; ei ingens sitis, & aphtha in ore, assiduus singultus, spiritus admodum difficilis & anhelans: in hoc moribundo statu fœminam primùm vidi, at morbo ex 7 minimùm mensibus laboraverat, multa remedia, & ad urinam, & ad alvum movendam frustra data sunt; ab aliquot mensibus in lecto amplius decumbere non potuit: illico autem ei Elaterij gr. v. ex Vini Hispanici haustus Propinavi; multùm & vomuit, & dejecit & facilè tulit remedium; eaque ipsa nocte in lecto placide decubuit: die autem tertio Elaterij gr. vj. cœrulei nativi optimi ℈j. ß. similiter sumpsit: & protinus, compressis naribus, non vomuit, sed plurimum alvus mota est: levari visa est. Cum autem ex aphthis valdè ulceratis cum assidua Salivatione, forte ex Mercurio dulci ante dato, aut multo lixivio factis, ab aliis medicamentis dandis abstinere coactus sum.

Bis tamen postea medicamentum supra dictum datum est, cum Euphoria, detumuit venter, cæteraeq; partes corporis pro ratione, ad 15 diem à meo adventu cum summo pedum frigore, inhorruit, & febris paroxysmo correpta est. Se olim ea affectam esse iam primùm nimis tardè dici, sanguinis gravis Hæmorrhagia media accessione orta est, quam difficilimè comprimere licuit. Cort. autem Peruv. ℥i. proximis 12. horis devoravit, at frustra; nam postridie, altero paroxysmo orto, mortua est.

ÆGROTUS VI.

§. QUinquagenarius quidam dives *Sandyman de Mil-bank* Calcarius, tenuis & modicæ staturæ vir, ex Urinæ stillicidio gravi dysuria subitò correptus est: hic autem vir sua sponte aquas medicatas, ut memini *Strethamenses* jamiam potaverat, ex quibus certe illius mali occasio orta est; Venter admodum distendebatur, ex dysuria vehemens dolor & vomitus. Alij duo mecum Medici consulti sunt: hinc verò sanguis his missus est, item Enemata ex vehementioribus medicamentis confecta; item cathartica magna efficaciæ, Mercurius dulcis; &c. sed nihil effectum est; minus à cataplasmatis, inunctionibusq; spinæ admotis. Tandem Urina cathetere moliebatur, at sine successu; nam vesica urina omnino vacua, à duobus peritis Chirurgis reperta est: jam aphtha in ore & putrida ulcera orta sunt & molestissimus singultus. Quid fit? in ancipiti casu, & moribundo ex dysuria plurimum dierum. Aliis Medicis dimissis, sic hominem restitui, ℞. *Succi Limonum recenter expressi* ℥vj. *Succi Cochleariæ Hortensis* ℥iiij. *succi Hepaticæ Plantag. an.* ℥ij. *Syrup. Violar.* ℥ii. *m.*] Hujus unc. *iiii.* tertiis quibusq; horis siccavit: postridiè vero Urinam copiosè reddidit; à ventre tamen præter modum rigido & tumido ad mensem & amplius solo dorso decubuit, quod nec sedere, nec recta stare in pedibus potuit, reliquum vero morbi deinceps modicis hydragogis discussimus: & jam post septennium athleticè se habet.

ÆGROTUS XVI.

§. D. *J. H.* de *S.* Miles, Juvenis robustus, ex nimia potatione Spiritus Vini & præcipuè Aquæ Mirabilis, quam dies noctesq; siccavit; tanta est fascinatio ex assiduo etiam rerum perniciosissimarum usu: huic vero cibi fastidium, vigilia, Urina rubra, crassa & pauca; tibiæ & manus tumore maximè inflatæ, venter plurimùm distentus: ejus autem viri prima curatio Spiritus Vini prohibitio esse debuit; at eum secretò pitissando bibere consuevit, neque res nisi paucis domesticis ejus nota: serió tamen sese mihi obligavit non amplius istiusmodi potiones gustare velle. Hinc autem malo hæc remedia adhuibui, [*R. Decoct. Senæ Gereon.* ℥iij. *Syrup. è Spina Cervinæ* ℥i. *m. Succi Limon.* ℥. *m. Elaterii* gr. ℥iiij.

m.

m. f. Potio.) Benefecit, magna aquæ quantitate evacuata: ad aliquot autem dierum intervallum iterum atque iterum idem medicamentum sumpsit, donec ad optimam valetudinem restitutus est.

Domum rediit *Londinii*: post annum verò ad me rediit anhelans, & ex toto corpore, vel ipsa facie, monstri cuiusdam instar, admodum distentus; & nisi ejus color qui satis bonus fuit, malum Leucophlegmatiam, aut Anasarcum esse diceremus: ex tanto autem itinere valdè imbecillus & languidus fuit; virum tamen iuvenem iisdem medicamentis, quæ supra comprehensa sunt, sinu mora purgavi, ipso eodemq; successu; imo multo celeriori nam intra septimanam bis purgavit, & postridie ab ultimo remedio, ita aqua ex toto liberatus est, ut mihi nolenti (nam ut viscera confirmarem remedia cogitabam) valedixit, & in *Hollandiam* peregrinatus est, ubi post aliquot menses tertio recidivam passus est ex eadem causa supra memorata nullus debito, & Hydropicus mortuus est.

ÆGROTUS XVII.

§. QUædam mulier mediæ ætatis ex puerperio in Hydropem gravissimum incidit: hujus tibiæ ad ingentem magnitudinem tumefactæ sunt cum insigni livore, item venter similiter, atque hæc omnia diu sic se habuerunt ab omni vero potione ex toto abstinuit per integrum mensem; ad sitim autem sic fecit, tenuem & parvam particulam panis bene tosti & Spiritu Vini intincti, semel aut amplius in die super linguam detinuit ad salivam potenter movendam: nec res fœminam fefellit. Ventre autem & tibiis per se exulceratis & humorem noxium, continuo effundentibus, cum superiore remedio pene convaluit. Equidem fœminam forte vidi, & gravissimo morbo decumbentem, atque iterum tantùm non recuperatam; quamvis remedii ad sitim fallendam ipse author non fui.

ÆGROTUS XVIII.

§. HDe *K. VV. F* quinquagenarius, strenuus & assiduus potator, semel à gravissimo Ascite convaluit, remediis supra commemoratis, post annum autem iterum aqua inter cutem laboravit; cum alibi opem iamdiu frustra quæreret, & inter alia medicamenta, ut fassus est, tinctura sacra *a* dicta [remedium ut fertur, nulli secundum] diu & multùm usus est, ipse hominem non amplius vidi, quam Paracenthesin *b* fieri iusserat, me quoque vocari voluit, ut operationi adessem.

Chirurgus vero aquæ subcitrinæ ad libras ix eduxit, postridie paulo minus tertio die mortuus est:

N. B. Huius aquæ aliquot Cyathos super ignem imposui, & post casum tertiæ partis, ut coniecturam feci, instar lymphæ calefactæ, concrevit.

(Omnes, fateor) & non pauci fuerunt quos novimus [quibus venter pertusus est, proxime ab ipsa operatione mortui sunt 1. Illud autem de Paracenthesi notari velim, eam tarde fieri solere, aliis pleriſque remediis antea adhibitis, viribusque admodum prostratis. Igitur suadeo, (at votum id est, non consilium, quia persuadere nemini licet) ut id fiat inter initia confirmati Hydropis, & protinùs ab ipsa operatione hydragoga, non mediæ virtutis, dentur; nam in superioribus casibus, ipsis tibiis exulceratis, & interdum Scarificatione profundiore facta, catharticorum tamen validissimorum usus etiam omne periculum prohibuit, & ul-

[a] *Hieram Picram valde commendat* [*quod aperit & corroborat simul*] *Trallianus in Leucophlegmatia*, lib. 9. (b) *Soli Ascitæ perpunctio convenit*. Ægineta 1. *Inter communia Hydropis signa vulnera difficilia, & quæ in cicatricem ægrè venire possint*. Cel. Aurelian. *Is tamen graviter increpat illos, qui negant ullos omnino sanatos fuisse à Paracenthesi*.

& ulcera per se sanata sunt ; ad eundem modum nullus dubito, quin ipsam Paracentheſin adiuvarent, tutioremque & prosperam illam operationem efficerent.

Hos ego aliquam multos ægrotos præ cæteris, qui mihi in adversariis restant, legendos dedi ; & propter causarum multiplicem veritatem cum Hydrops Ascites *primarius*, & per se incipiens, alius *secundarius* vis & efficacia ex his abunde innoteſceret.

Quod autem pauci pristinam valetudinem recuperarunt, scias velim (præter illud tritum & peculiare huic morbo prognosticon ; nempe sola fœlicitate curari Hydropicos) pleroſque neceſſariam medicamentorum vehementiam pati noluisse, alii, cum ex parte aquis se liberari senserunt, reliquam curam sibimet ipsis postularunt, omnes vero ex ipsa morbi natura (quod recte olim obſervavit vetustiſſimus Scriptor *Aretæus*) bene sperate adeoque morbum præter rationem tolerare, nec medicos igitur, nisi nimis tarde, accorsi voluisse.

A me sane absit vana illa quorundam Nuperorum iactantia, qui nihil exhibent, nisi quod bonum eventum habuit, errores & infortunia caute abſcondunt. Aliter autem nobis profuit magnus *Hippocrates*, apud quem fere non nisi casus funesti occurrunt, ac si iidem *potioris doctrinæ* essent. At hi novi homines contrarium faciunt, vel ut vanam & futilem eorum loquacitatem patrocinentur, vel ut tuantur famam maximamque ægrotorum copiam felicitent, cum tamen ex perpetuis succeſſibus eorum facta & notanda & minus credenda esse putamus.

Ad morbi rationem iam accedo, quam sic breviter intelligo, Chylus e cibo colliquato, a *Septica* ventriculi digeſtione, oritur, is vero a venis lacteis ad integritatem *reſtituitur*, intraque habitum iam corporis receptus, a perpetuo cordis motu, circumlatus, in statu liquido perfectus conſervatur, donec novo & supervacaneo vectigali propulsus, per vasa excretoria exulet, vel in varios partium usus ulterius extra habitum corporis denuo elaborandus, eadem partium *externarum Septica* qualitate, vel in auras, virtute aeris rarefacti, evaporandus, maxime si quod superfluum sit. Atque hæc fere sanitatis conditio est. Contra, chylus a vitiato ventriculo*, eiusque digeſtione cruda & imperfecta, *lenteſcit*, unde a venis lacteis parum aut nihil purgatur cordis sanguiniſque adeo motum impedit, inque venis primum lymphæ ductibus, ubi motus cruoris circumacti languere incipit, *segneſcit*, *accumulatur corrumpitur*. Atque hæc origo incrementum, & tandem Hydropis summa malitia est.

Harum autem rerum diductiones alio *Tractu de Humoribus*, quem propedien edegere cogito, fuse expoſui.

Interim *rationes curativas* ex ipsis medicamentorum appropriatorum virtutibus, discere libet, prout eas nobis exhibuerunt Antiquiſſimi Medici.

Cùm autem in Hydrope confirmato his & similibus malis simul occurendum sit, nempe, aquæ abundantiæ, eiuſdemque lentori & viscoſitati, corruptionique item ipsis viſceribus eorumque vasis, propter assiduam distinctionem & infarctum, maxime vasis sanguiferis & lymphæ ductibus supra modum laxatis, insuper, ipsis vasis excretoriis obſtructis, linguæq; adeo & gulæ, stomacho, ipsique inteſtinis, renibusque immodice siccis & *inflammatis*, item ulceribus fere in tibiis, & Peritonæo tantum non cancroſo, vigiliæ, &c.

Igitur in quovis bono & commodo, id est *ſpecifico*, medicamento in Hydropem hæ insint facultates, neceſſe est, ut largiter aquam moveat, vasa excretoria referando stimulo proprio & valentiſ-

* *Prima generandi Hydropis causa est, quæ ex sanguificationis defectu procedit. Simili modo atque ex ciborum concoctionis defectu Diarrhœa*, Galen. de Nat. Facult. lib. 2.

tissimo, ut ejusdem crassitiem potenter incidat digerat que; ut viscera, eorumque vasa, ab inflammatione tueatur; id est ut ea calefaciat citra inflammationem, adstringat, cor boret, & antiquum tonum restituat; ut ulcera sanet, &c.

His autem positis, jam ipsa *Hydragoga* præcipua, eorumque virtutes & effectus in corporibus humanis, ex veterum fide & authoritate, breviter examinemus.

Cum *Elaterio* autem incipiam: ejus verò dandi modus & mensura apud veteres sic se habet. Elaterij *integer modus*, inquit *Dioscorides*, *Obelus* est; minimus, *Semiobelus*: Pueri *calci* duo. Siquidem copiosiùs datum, periculum affert. At *Ætius*, aliquot sæculis *Dioscoride* inferior, & scriptis medicis longè omnium versatissimus, materiæque medicæ diligens, & intelligens, si quis aliud, & fidelissimus commentator, modum *triplo* augere non veretur; sine dubio ex usu medicorum seculi sui. Nam, Dato, inquit ille, obelos *tres* cum lactis recens mulcti hemina.

Elaterio autem vis calefaciens, digerens, exedens, iisdem antiquis medicis autoribus, at citra *inflammationem & sitim*: propterea quòd efficacissimè Anginę illinitur, id est, faucibus inflammatis, item Condylomatis ani: item ulcera vel sordidissima, & ipsum Cancrum purgat citò & sine ullo morsu, ex oleo rosaceo illitum. Atq; hæc omnia & *Scribonius Largus*, & ipso paulò antiquior, *Dioscorides* affirmant. Obscuritates & vitia oculorum sanat, genarumque ulcera. *Plin.* Itaque de Elaterij vi Emplastica, id est, digerenti & leniter exedenti circa inflammationem, jam satis constat. Porrò Elaterio vis incidendi & potenter humores crassos movendi est; utpote naribus inditum Icterum solvit; vulvæ ex pessо inditum partum educit & enecat. Item Anhælosis optima purgatio est, atq; adeo Hydropicis præcipuum remedium, Imò verò ab Elaterio alia signa commoda oriuntur, quippe quod, aqua inanita, viscera tabida denuo calefacit & instaurat. Unde præclarè & eleganter admodum *Plinius* (a) de Elaterio, illud nempe confici ad *magno mortalium usus*.

Igitur nequeo satis mirari nostrum *VVillis*; ubi in hunc sensum, quantum intelligo, peribet; *illos, qui Elaterio aliqua Pharmacia utantur, cane peius & angue vitandos esse*. At egregius Hypothesium artifex nimiùm in considerate hæc protulit, antiquis medicis, vel prorsus neglectis, aut certè in consultis; à quibus tamen amplissimus nobis de re medica thesaurus summa fide verborumque integritate traditus est: stet itaque honor suus Elaterio. Adeo nec ipsum sanguinem, nec partes organicas, ut voluit, corrumpit; sed potiùs, reficit, restaurat, corroborat.

At quomodo hæc tanta commoda, inquies, faciat?

Quod autem *Galenus* summe amarum (*Plinius* verius leniter amarum) prædicat acsi ejus operandi modum specificum inde diducere vellet, mihi quidem non placet, cùm nec Aloe, nec Colocynthide amarius est, & tamen hæc multo minoris efficaciæ sunt: imo absinthium & fel terræ dictum, &c. vehementer amara sunt quæ tamen omnino non purgant.

Quid itaq; est? non ulli profecto Hypothesi tantum foveo, ut meipsum de his rebus ulterius explicandis fatagam: utpote quæ è vafris plerunq; & precariis notitiis instituantur: imo otiosa fere compendia sunt ad ostentationem potius, quã: ad veritatem indagandam comparata; certe omni diligentiæ rebus naturæ accurate indagandis pestis & pernicies sunt. Proinde id solum negotij credidi mihi dari, nudas rerum virtutes illarumque expositiones è veteribus recensere. At nostri homines, ut video, alia condimenta antiquis rebus digerendis desiderant; utpote qui nasutiores sunt & delicatuli, nihilque sapiunt, nisi quæ *Chymeis* nescio quibus principiis excoquantur. At nobis non ita discertos esse licuit, qualitates, rerum earumque causas *apertas*, non occultas, quæro, aut curo, virtutisque non infimæ semper esse credidimus, *stultitiæ caruisse*.

In

(a) *N. H.* l. 10. c. 8.

In quo sane consistat vis purgans, maxime specifica, alicujus medicamenti, non valde torqueor; an cum *VVillisio*, salem medicamenti certis mordificationibus cum sulphure complicatum irritationis cathartice præcipua instrumenta reputem; an cum doctissimo *PecKlino* ex acrimoniæ aliquo gradu potius quàm specifica rei forma, oriatur.

Illud extra dubium est, Elaterium acre esse ac vehementer stimulans, quod, ut diximus *Errhinum* est, vel Naribus, vel Vulvæ inditum, aliisque sexcentis exemplis compertum est.

Item illud alterum ex veterum doctrina verissimum est, duos tantum præcipuos humores, nempe *pituitam* sive aquam & *bilem* posse moveri, evacuarique quippe quod in ductibus intestinalibus excretoriis non alij humores evacuandi exprimendique existunt.

Hujusmodi autem *Dejectionis rationem*, ut aliquatenus expediam pro meo modulo, hæc mecum perpendas velim.

Magnæ sanguinis circulationi alios minores circuitus auxilio esse; ne cor nimio oneri succumbat.

Sanguinis massam in duos primarios humores naturaliter dividi, serum & sanguinis crassamentum.

Hæc duo humorum genera, una commista, à corde per arterias in omnes corporis partes propelluntur, at inæquali (dupla puta) proportione, nempe, ut crassamentum in arteriis multum dilutum minore cordis labore circumferatur.

Atcum iidem humores in arteriis commisti, in venas transire debent, duo vasorum genera sunt, cordi insuper snblevando accomodata, nempe, venæ saguiferæ & lymphæ ductus.

Lymphæ ductus vero soli sero superabundanti referendo ad cisternam cordis nati sunt: ut itaque duo minores circuitus magnæ circulationi sublevandæ constituti sunt, ita lymphæ ductus universis circuitibus tàm illi magno, quàm alteris parvis adjumento sunt, ne sanguinis crassamento unquam cor obruatur.

Difficilius vero propellitur sanguis in venis, quàm in arteriis, propter pulsus languescentis defectum, & leviorem venarum constrictionem, ideoque multis geniculis *tabulatis* sive *valvulis* in his opus est ad regressum eius moliandum, At difficillimè movetur *solitarium* serum propter easdem rationes, & quod multo angustiora vasa sunt, item ob valvulas in his infinite multiplicatas: quæ summi moliminis documento clarent.

Præcipua autem hujus divortii ratio esse videtur, non aliqua naturalis [ut quidam volunt] difficultas in admodum veloci transitu per angustissima vasa, quo sanguis ab arteriis in venas effunditur, sed ne serum semper crassamini commistum, tandem *lentescat*, eique *tenaciter adhæreat*, unde, mille modis œconomia animalis vitiari solet.

Atque hæc hactenus de circuitu integræ sanguinis massæ *expediendo* diximus: aliud insuper restat, de illa massa supervacanea repurganda, quæ æque necessaria est, ac eius perpetua redintegratio. Atque id fit per sola vasa excretoria, quæ infinita sunt, tam extra quam citra habitum corporis per omnia viscera spisse dissemina-ta.

Horum itaque omnium vasorum cum arteriis commissionem per anastomoses esse credibile est: ut itaque valde celeriter movetur integra sanguinis massa, per arterias solas translata, ita cum triplici ductuum genere simul excipiatur (quorum duo sanguinem refluum vehunt, tertium vero illum partim rarefactum eveporat in auras, partim in alios humores, animalis œconomiæ proficuos, conficit) si forte aliqua de causa lentescat, primum venarum utrunque genus obstruatur, necesse est, mox vero si excretoria quoque vasa perfunctorie tantum officia sua agant, infiniti oriuntur morbi, inter quos Hydrops Ascites frequentissimus est.

Quæ itaque medicamenta vehementer stimulant istiusmodi vasa excretoria, suamque vim irritativam à stoma-

cho

cho concoquente diutiùs conſervent, *a* maximam pituitæ copiam effundere ſolent:

Atque hic ſtimulus duplici nomine vim ſuam exerere exiſtimandus eſt; verbi gratia, in inteſtinis dum ibi reſtet, & morulas quaſdam tantiſper trahat; & poſtea longè potentiùs, ubi indomitum medicamentum à ſtomacho & lacteis labefactatis per habitum corporis circumvehitur, ſanguinis maſſæ commiſcetur adeoq; *univerſorum vaſorum contextum* (qui *unicus* eſt per mutuas, ut diximus, cum arteriis anaſtoſes) irritat, maximeque arterias, quòd ad ſpiſſiorem conſtrictionem magis aptæ ſunt. Cumque iiſdem arteriis ineſt maximus ſupervacanei ſeri cumulus, venarumque utrumque genus velut obſtructum ſit à lento & cumulato ſero, minuſque adeo ſtimulo obedienti; quod tonus earum ob nimiam diſtinctionem admodum laxetur & infirmetur, ideo, qua data porta, ruit citata pitua, nempe per vaſa excretoria, quod jam vacua & reſerata fuerint à primis intra inteſtina ſtimuli cathartici inſultibus.

Stimulum autem & ſummam Elaterij acredinem ſatis oſtendunt ventris tormina; item quod in extremis digitis pulſus impetum inuſitatum ſentire ſolent.

Huc faciunt vim elaſticam & conſtrictivum, non cordi tantum & arteriis propriam & ſolam ineſſe, ſed etiam ipſis venis utriuſq; generis etiamſi multo mitiori gradu, & ipſis vaſis excretoriis peculiari ratione donari: quod ab accuratiſſimo diſſectore *b Stenone* obſervatum, & infinitis exemplis, ſumma fide exhibitis, confirmatum eſt.

Adde ductus excretorio inteſtinales, quo magis horrendo ſtimulo medicamenti *crudi* adficiuntur, eo magis aperiri emulgiq; credibile eſt. Nam quod ſe valde contrahit, etiam reciproco motu, niſi rigat, ex eadem proportione reſtitui & dilatari ſolet: quæ attractionis animalis unica ratio eſt: adeoque illi ductus excretorij dilatati arteriarum citato propulſui opportuniores ſunt: unde multo copioſius per eas, quod facilius ruat exeatque extra habitum corporis, in inteſtina effunditur.

[*c*] Non ignoro doctiſſimum *Schelhamerum* aliter ſentire de lympha, quæ prodire ſolet vel ex ligata vena, vel à circulatione vel leviter per eas præpedita; item quæ ex veſicatorio, fecrove candente, aut aqua fervida excludi ſolet: nempe hæc omnia oriri, quod vaſa lymphatica in ipſa carnium interſtitia, perinde ut venæ in ipſas fibras carneas deſinere, credidit.

At hæc omnia mera commenta ſunt nam conceſſis anaſtomoſibus (quas negare contra fide ſenſus, microſcopio adjuti, pertinacis eſt) illa nullius momenti ſunt.

Quod autem ad *nutritionem* attinet; perpetua arteriarum plenitudo rem tam facile expedit; maxime ſi intra excretorios ductus humores ſuperfluos poſſe aliquando concoqui & in pinguedinem, & in immenſum accumulari, credatur, quod tamen abunde conſtat ex glandularum ubique corporis diſſeminatarum tàm naturali, quam præternaturali augmento; earundemq; interdum caſu & diminutione emaciatis corporibus.

Quę autem *VVillis noſter* de *effervescentia* neſcio qua *expurgativa* exhibet, gratis dicta ſunt, cum omnino nulla humorum præcipitatio fuſiove ſit ſed quæ per ſe naturaliter foras exire ſolent per vaſa excretoria, nimirum pituita bilis per inteſtina, eadem jam per medicamenta irritantia ſine diſcrimine ejiciantur.

Primo vero quæ ductibus excretoriis accumulantur, mox proxime ab arteriis, ab utroque venarum genere quod refluum ſit, expellitur: idque ſine ulla fermentâ-

(a) *Medicamentorum vires non retundi, ſed etiam vincere omnes coctiones viſcerum.* PecKl. de Burg. *Cathartici energiam longe extra primas vias, vis in maſſam ſanguineam, extendi advertimus, quòd Hydropicorum aquæ per ſedem evacuantur, &c. extraque dubium ponatur medicamenti purgantis quædam particulæ in ſanguinem admitti,* VVillis. [b] *Bibl. Anatom.* [c] *Bibl. Anatom.*

tatione; mera & sola cordis & arteriarum continua & violenta constrictione secundùm circulationis leges, & ex naturali necessitate virium impellentium, ductuumque excretoriorum semper patentium.

Imò illud alterum minus verum est ab eodem scriptore exhibitum; nempè Arteriarum intestinalium oscula à Pharmaco velli & reserari; neque enim aliquid in illa deponunt, nisi mediantibus ductibus excretoriis, quibuscum arteriolæ committuntur.

Pergo in censu Hydragorum: Alterum autem remedium ad Ascitem, *radicis Ebuli succus* est. At is proximè superiore remedio multo mitiùs, aquam educit; sed non sine aliqua stomachi offensione, ut notat *Dioscorides*; an fortè ob siccandi facultatem *Ætio* proditam, stomacho inutilior sit, eùmque idcircò incendat? Equidem succum per se nunquam propinavi, aliis Hydragogis utiliùs admisceri putavi. Sed ad ambustа egregiè facit ex oleo, & ad inflammationes mitigandas remedium nulli secundum est: huic itaque præcipuæ virtutes sunt quæ, ad Hydropicorum curam benè faciant; nimirùm aquas satcopiosè ducendi, & Inflammationes prohibendi mitigandique.

Eadem autem, inquit *Dioscorides*, utriusq; vis est, & Ebuli & Sambuci: idem *Trallianus* affirmat, *lib.* 9. his verbis, *Pulchrè purgat Sambuci succus*. Unde miror quendam è nuperis scriptoribus nostris specificam virtutem ad Hydropen Sambuco denegasse contra omnium seculorum fidem & experientiam:

Quod autem ad nobilissimum ejusdem viri inventum attinet de Croco metallorum in Ascite dando, vereor ne multum allucinetur: à vomitorio sanè ex Stibio in Ascite dando omnino dissuadet nostri sæculi facilè princeps, & maximus medicamentorum Artifex & inventor, * *Mayernus*; utpote qui in omni materia medica versatissimus & sagacissimus indagator fuit.

Non autem ignoro apud Antiquos, olim vomitus ex *radicibus*, ex *squilla*, imò ex ipso *veretro albo*, certè ex ejus decocto, molitos fuisse; at hæc omnia, ineunte Hydrope, aut certè in Leucoplegmatia, tantùm data sunt. Nam ubi aqua abundare cœpit, ad valentissima Hydragoga fugere consueverunt. At § *Tralianus* contra, omnino vomitum prohibet: omnium generum Hydropis curatio inquit ille à vacuatione incipienda est; sed Ascitæ & Tympanitæ à *sola* purgatione.

In Leucoplegmatia, inquit *Galenus*, primo per inferiorem ventrem, deinde per vomitum, medicamento, quod pituitam educat, egemus. At in Ascite Cathartici Hydragogi tantum mentionem facit.

Idem sentit *Ætius*: Maximum, inquit ille, Hydropicis *sub cutem* auxilium vomitus præstant. At plurimum distent *Subtercus* & Ascites; nam in illo multo minus periculi est, & facillimè Leucophlegmatici omnium Hydropicorum liberantur: adeoque remediis emeticis scopus largior & tutior est: expedit tamen, ut dictum est, ut venter priùs paulum certe exinaniretur.

Deinde detur [quod tamen non admodum probo] differentia, ex sententia *Tralliani*, inter aquam Asciticorum, & pituitam Leucophlegmaticorum. Hinc sequetur, cum pituita quidam faucium & pulmonis proprius humor sit, & *per se* sursum expurgari soleat, Emeticum aliquod remedium valdè idoneum esse; maxime cum per ventrem, prius exinanitum commodè id facere licet.

In confirmato autem Ascite, de quo loquitur § ... si crocus metallorum, *i.e.* vini Emetici ad ʒj. ß. exhibeatur, ejus remedii hi, ut opinor, erunt effectus: nimirum sitis immanè quantum augebitur ex istiusmodi Emetici vehementer siccantis natura? Deinde triplo plus minimum Potionis ad languores & tormina ventriculi mitiganda, operationis tempore èx more bibatur, necesse est, quàm aqua è stomacho evacuabitur. Rursus, etiamsi ad finem operationis hujus Emetici pro more

* *De Hydr. cap.* 10. § *Lib.* 9.

re alvus semel atq; iterum moveatur; at id plus quidem si erratione infinitæ potionis necessario datæ, quàm in illius medicamenti ulla vi purgativa. Postremo vehementer anhelosis, quales Ascitici sint, (non propter pulmonis saburram, & infarctum, sed propter pectoris angustiam à Septo Transvero sursum impacto: adeoque Asciti confirmati non amplius decumbere possunt) Emetica data, quæ ad *duas horas* assidue & *necessario* vim suam exerant, illos posse pati sine animi deliquio fatali, vix credibile est. At hęc fortasse vota tantum sunt alicujus inexpertis: neque à se aliove quovis unquam, ut opinor, temere usurpata fuerunt.

At esto! concedatur hujusmodi medicamentum posse exhiberi sine gravi aliquo periculo, quid inde, quæso, magni commodi expectabimus? Nam cum aqua ex habitu corporis expurganda est, id commodius posse fieri viis naturaliter amplissimis patentissimisque verisimilimum est.

At hæ viæ, à stomacho sursum ad fauces, ubi vis iritativa medicamenti Emetici maxima est, exiguæ admodum sunt; etiamsi pulmonum quoque expiratio adjiciatur. Contrà vasa intestinorum excretoria, à pyloro deorsum, & innumera, & facile omnium ampliſſima sunt; inter quæ ductus *VVirsungeamus* à Pancreate, & Bilaris ab Hepate, principem locum vendicant; quibus insuper renes addendi sunt, ut pote qui à *dejectoriis* medicamentis privatim affici solent, & quod ex infimis quoque excretoriis ductibus merito censentur. Denique aqua Asciticorum ob lentorem, venarumque inferiorum intolerabile pondus, à stomacho ad anum deorsum naturaliter dejicitur; ut in venis infimis pedum primum stagnare solet, ita educitur medio itinere facilius per intestina, quam si per ventriculum altius ascendendo effluat. Postremo, si consideretur dejectionem infinitis remediis facile promoveri posse, hydragoga remedia ante omnia cujuscunque naturæ, sive Emetica, sive sudorifera sint, ut pote multo maiores spei, longe præferenda esse existimamus: maxime si in memoriam revocare velimus, quod ante dictum est; nempe. Aquas ab Hydragogis à pulsu citato intra habitum corporis, & ab assidua irritatione citra illum & intestinis duplici nomine & continuè illici, effundique.

Pergo autem, ejusdemq; cum superioribus nota est *Iridis succus*: scilicet aquas validissimè movet; imo sanguinem, inquit *Ruffus*, si præter modum dederis, trahit: quod tamen nondum expertus sum; etiamsi sæpius in hoc malo, æquè ac in aliis, quibus benè facit, ad tres quatuorve uncias dederim: an forte quod iridis succus, apud nos nutritæ, mitior sit: illud certem verissimum est, huic vim esse *calefactoriam*, humores crassos digerentem; item *somnum* conciliandi, & *torminibus* medendi; item ad *strumas* fæminarumque locos *amolliendos* & ad *fistulas* utili est. Atque hæ facultates insigne purgatoriæ adjunctæ, imprimis faciunt, ad Ascitem, ut ex superioribus patet.

In eadem vero classe hydragogorum *Euphorbium* est: cujus siliquæ quinque ad Hydropen dantur, ut *Ægineta* testatur. Item eiusdem admiranda catapotia ex Euphorbio non obliviscenda sunt: imò si consulendi sunt Antiqui medici *Africani*; unde illud medicamentum & tunc, & ab omni tempore ad nos transferebatur; ad Euphorbium confugiunt, eique principem locum dant inter omnia hydragoga, rebus sc. Hydropicorũ vehementer urgentibus, *i. e.* (ut verbis *Cæl. Aureliani* utar, qui & conterraneus & trascriptor *Sorani fuit*) ubi plurimo humore laborant corpora, & ubi convenit curam habere, ne rursus corpora impleantur. At modus eius exhibitis admirandus est, eodem authore, nempe *duorum vel trium Cochlearium* quantitate, mulso commistum, in potu datum, vel ovis forbilibus aspersum. Profecto id medicamentum *homini Africano* præcipuè cognitum fuisse oportuit. A me vero vel hoc, vel alio morbo nunquam expertum est. At non ignoro ejus vim Emplasticam; quippe quod eximiam virtutem exerere solet in ossibus aut carne corruptis mundandis, integræque sanitati restituendis, ex veterum & nostrorum quoque hominum fide, de qua re consulas velim *F. Hildanum*.

At

At potius in *Hypoſarca* id dandum eſt; ut innuere videtur *Scribonius Largus*: ubi omnia viſcera frigidiora eſſe videntur ut autem ea fuit antiquorum ſententia hę auctoritates ſatis teſtantur; nempe, in Leucophlegmatia ſalſamenta edat; & ſinapi, & allium, & vino utatur, & mari mixto; & aqua in totum prohibeatur: ſic *Ægineta*. Item *Galenus*; ſalſæ aquæ, nitroſæ, ſulphureæ, &c. Leucophlegmaticis utiles ſunt, at non dulces: at quis, quæſo, apud nos in aliquo Hydropico ſalſamentorum utilitates expertus eſt?

Ad *Bryoniam albam* quarto loco accedimus. Quamvis ad Hydropas ſanandos eximias virtutes, ſi veteribus aliqua fides danda ſit, habeat; nihil tamen affirmo propria experientia. Sic *Diaſcorides*: Succus è radice vere exprimur, quin pituitam trahit cum aqua mulſa potus: cit urinam; acrem vim ſortitur; at ejus virtutes aliæ eximiæ ſunt: inter quas, quæ maximæ faciunt ad Hydropica ſymptomata lavanda, hæ ab eodem *Dioſcoridæ* numerantur: *inflammationes* diſcuit, illita ex vino. Eclegma ex ea fit cum melle *difficile ſpirantibus*, ſtrangulatu oppreſſis, tuſſientibus, vulſis, *ruptis*, & laterum doloribus; Ulcerum phagedænis *gangrænis*, chironiis, *putrentium tibiarum* tædio efficaciter illinitur ex ſale, item inter Antidotos poſita eſt, &c. Ad novas vero res propero.

Quod autem ad *Ganbogium*, *novam* Reſinam, attinet; illud quidem medicamentum eſſe valde utile fateor, eoque aliquoties uſus ſum: neque me unquam illius remedii dandi adhuc pœnituit: imo hydropicam quandam vetulam *tibiis valde exulceratis*, me eo olim ſanaſſe memini: ejus autem operandi incertitudo, quo humores trahat, ne dicam de torminibus ab eo excitatis, me ab eo ampliùs utendo deterruit.

Duos tamen illud præparandi modos excogitavi, quibus minori cum moleſtia vim ſuum exerat. Quorum unus eſt, ut bene uſtuletur; deinde ex ſacchari ſextupla parte, f. a. *drachmales* paſtilli conficiantur. Alter, ut idem linteo incluſus, ex ſucco limonum coquatur: deinde is ſuccus citrinus ſimiliter in paſtillos ex ſaccharo amplius cocto redigitur, ut artis eſt. Hi autem paſtilli egregiè purgant, & medicamento, per ſe haud miti, jucunde lenocinantur.

Cætera autem pleraque Hydragoga ex herbarum genere mitiora ſunt, & minorum multo virium, quàm par eſt morbo tam atroci domando. Hujus itaque inferioris ordinis medicamenta nominare ſufficiat, nempe Julapium, ſyrupum è ſpina cervina, &c. quod *novæ* res medicæ ſint; adeoque earum facultates adhuc nobis non ſatis conſtare, ut de iis judicium aliquot certum fere poſſimus.

Ad metallica tandem Antiquorum Hydragoga procedo: in quibus ſanè omnes characteres ad Hydropem curandum requiſiti plane inſunt.

Igitur imprimis *ſquamam æris* perpendamus: huius autem facultates cum ſuperioribus herbaceis hydragogis ad hydropen expertis conſentire ex veterum quoque authoritate videbimus.

Squama æris, inquit *Scribonius Largus* pondo victiorati dato, cum apii ſeminis pari pondere, ex aquæ mulſæ cyathis quatuor, Hydropicis *plurimum aquæ* dejicit.

Imò ſquama æris inter præcipua & quotidiani fere uſus dejectoria ab antiquis numerata eſt, teſte *C. Celſo*, (*l. 1. c. 12.*) dejectionem Antiqui variis medicamentis, in omnibus fere morbis moliebantur: dabantque aut ſquamam æris, λεπίδα χαλκᾶ Græci vocant, aut, &c.

Squama æris, inquit. *Dioſcorides*, ex aqua mulſa pota, aquam trahit: aliqui farina ſubactam dant in catapotio: item extenuat, erodit, adſtringit, ulcera ad cicatricem perducit; addita ad oculorum medicamenta, fluxiones exiccat.

Squama æris excreſcentes Ulcerum carnes adſtringit; aſſumpta vero per os univerſum corpus expurgat. *Galeno* de Theriaca authore.

Squamam æris ad ℥i. dat. *Oribaſius*.

Squama æris ad ß. j. ℥. ex aqua mulſa aquam & pituitam ſubducit, item valde incidit, teſte *Ætio*.

Pulchre purgat ſquama æris *Trallianus*.

At *Æginetæ* aliter viſum eſt, & mo-

dum non sufficere: apud quam squamæ æris ʒii. vel ʒiii. in catapotia micis panis efformantur.

Æris autem *Flos* [ut cætera medicamenta cuprea breviter percurram] quaternum obolorum pondere datus, *crassum* humorem extrahit, ut *Dioscorides* perhibet; astringit, & excrescentia coercet: offusam oculis caligenem emendat; sed magnopere mordet carnosa narium, & sedis vitia absumit; Uvam, tonsillasque repremit farina ejus cum melle admota.

Porrò *Ærugo* rasilis adstringit, extenuat, calefacit, *vulnera ab inflammatione* rursus. Ulcera ex oleo ceraq; ad cicatricem perducit, callos & sordida ulcera purgat, oculorum in cicatrices emendat, magnopere extenuat genarum crassitiem cum melle illitiæ; ex resina cum ære & nitro lepres abigit: authore *Dioscoride*. Mel Ægyptiacum ex ærugine rasili in aceto & melle coctum fit.

Ad eadem insuper *Atramentum sutorium*, quod nostris hominibus *Vitriolum cæruleum* audit: nam nondum mihi constat veteres uspiam vitrioli ferrei *viridisque* mentionem fecisse, iisque adeo cognitum fuisse.

Ejusdem vero virtutis & originis sunt *Chalcitis*, & *Misy*, *Sori*: quorum vires eximias vide apud Antiquos rerum medicarum scriptores.

Atque ex his posterioribus medicamentis *magisterium quoddam veneris* conficere soleo, quod aquas Hydropicorum vehementer educit, somnum conciliat, & præter fidem anodynum est: de qua facultate in cupro vide plura apud Helmontium.

Ultimo autem loco de Lapide Cæruleo & armenio dicam: Armenis verò etiam Anglicanus æquè benè dici potest, cùm apud nos infinita copia effoditur; nempè prope *Gordale* in *Craven*, Provincia Eboracensi, & alibi: huius autem ʒiiii. dantur: purgat quicquid crassi & viscosi humoris sanguini admixtum est; authore *Ætio*.

Idem de Lapide Cæruleo sive Lazuli dictum puta ad ʒi. vel ʒiv. exibitum: pulchrè purgat; at hoc intelligendum est de eo lapide purgatissimo, qui *Ultramarine* pictoribus nostris audit: imo quo colora intensior (unde *inebriatus* à *Dioscoride* appellatur) eò vehementius aquas movet.

Iidem autem lapides nihil aliud sunt, quam purum putum æris metallum.

Ex illis quidem Ens Veneris sive flores salis Armeniaci eleganter cæruleos, volatiles conficere solebam, hoc artificio; nempe, Cape lapides armenii aut cujuslibet boni metalli cuprei, & Antimonii crudi, ana quantumvis: funde sale nitro, ut moris est fit Regulus Antimonii Venereus: is jam in pollinem redigatur, salis armeniaci duplicem modum adjiciendo: deinde ad mensem plus minus in humido loco servetur. Postremo ignis tortura avocentur flores, qui pulchrè cærulei collo retortæ coalescunt.

Iidem flores similiter cærulei habentur ex butyro Antimonii eadem Enchiresi, si cum regulo Antimoniali Venereo conficiatur.

Horum autem florum, etiamsi medicamenti *Helmontiani* speciem quandam præ ferunt, usum non admodum probo ut nec illorum, qui sub nomine *Ens Veneris* in officinis veniunt. Atque hæc obiter tantum dicere volui.

Lubet hic quoque *animadversiones* quasdam attexere. Lapis, inquit *Willis* (*Pharmacop. rational. c. de Purgant.*) Lazulus & Armenius improprie Catharticis accensetur, quod operationis minus fidæ & certæ sunt: proinde minus per se in istum finem usurpantur. At non audiendus est contra veterum fidem & recentiorum experientiam. Misera sanè doctrina, cujus solius gratia, tot & tanta medicamenta hydragoga eximia è re medica exulent, quod minimè in ejus hypothesi comprehendi potuerunt; cum sal hic & sulphur, præcipua irritationis purgativæ instrumenta, secundum *Willis*, locum non habent.

Quod autem idem vir jungit Mercurium dulcem [ut id hic obiter notem] cùm lapide Lazulo & Armenio, non ferendum est; eademque ei incertudinis & *maleficæ* cum cæteris *purgationis* notam adfigit: Cùm res aliter notissima est etiam

Lippiæ

Lippis & Tonsoribus. Etenim exhibeatur Mercurius dulcis ad ℈i. vel vel ℈i. ß. quem, quæso, alvo tuto & certissimè movenda unquam decepit: à me certe sexcenties datum, semper alvum commodè purgavit divinum istud remedium.

Deinde, etiamsi in lapide Lazulo & Armenio, utpotè nativis & crudi metallis cupreis, ægre, ut dictum est, sales & sulphura, solùm vi stomachi concoquentis eliquata, exeri posse; at in Mercurio dulci abundant, certe sales *adjectivi*.

Quid ergo est? quid meruit pupertinus Mercurius dulcis, ut è classe purgantium expelli oportuit? Dicam; sales ejus *absorpti* sunt ab Hydrargyro metallo; perinde ut acidum quid ab Alcalii, neutrumque adeo nescio quid inde oriri existimandum est.

At noli timere, egregie vir; restituam tibi tuos sales & tuum sulphureum metallum: non prorsus periere quidem: imò nec aliquid ignavum aut hybrida quoddam inersque medicamentum ex coitione, ut ut strictissima, genitum est. Etenim in ventriculo receptum, plenam libertatem sensim adepti sales denuo dissolvuntur, divortiumq; cũ Mercurio faciunt, & pro sua natura vires exerunt. Ita acetum quod oculis cancrorum adjectis insipidum fit dulceve, si mavis, redditum est, ventriculi beneficio statim in acetum reviviscit: si quidem infinita corpuscula salina aculeata, quæ integro aceto insunt, pulveribus testaceis minimè absorbentur miscenturve, ut falsò hactenùs creditum est, sed seorsim & inter se crystallos masjusculas & paucas fingunt, ut quę primùm infinitis stimulis linguam palatumque feriebant, jam ob eorum crassitiem pauci. tatemq; vix gustum leviter afficiunt. Veruntamen iidem sales crassiusculi in stomacho concoquente nullo ferè negotio eliquantur, nempe in infinita sua corpuscula primitiva & constituentia dissiliunt. Teste oculatissimo & fide dignissimo *Levvenhoekio*. Sed de his rebus opportunior dicendi locus erit, cùm de concoctione & humoribus agam.

Illud insuper silentio non prætereundum est: Nempe audacia *Zuelferi*, qui *Mysy*, *Sory* & *Cholcitin*, e cuprea familia antidota egregia, contra fidem & authoritatem Antiquorum, e Mithridatio expellere voluit. Eandem quoque, ut id hæc obiter notem, infamiam inferre conatus est Agarico, præstantissimo medicamento & eadem antidoto quoque Mithridatica. At hi insultus sunt ignari rei medicę.

Multum profecto doleo compositionem Arabum eximiam, *Alkermes* dictam, a nostris hominibus publice mutilatam, tantumq; medicamentum Cardiacum, qualis est Lapis Lazulus, ejectum fuisse. Sericum verò ejusdem compositionis e vermiculo crudum (quicquid contra alii innuere videntur) eximium spiritum (ut id hic obiter notem) sive oleum volatile urinosum dat, sp. C. C. æmulum, & multo minus in gratum illud empyreuma olens. At hæc ad concoctionem proprie pertinent, nec hujus loci sunt.

At quorsum, inquies, hæc tua diligentia in enumerandis iis medicamentorum facultatibus, quæ vulneribus aptæ sunt; cum de eorum virtutibus internis tantum soliciti sumus. Respondeo: Vulnerum auxilia & chirurgiam antiquissimam medicinæ partem & primo excultam fuisse authore *C. Celso*. Cùm autem multo post, ut idem perhibet, morborum curatio & rerum naturæ contemplatio sub iisdem authoribus nata sit, scilicet his hanc maximè requirentibus ob infirmam valetudinem studiis labefactatam, Philosophos medicamentorum internas facultates ab eorum *usibus externis* jam satis cognitis, didicisse credibile est: siquidem sensus & experientia in chirurga facienda multò facilius utriusque in simplicium medicamentorum viribus cognoscendis instruuntur.

Atque hæc sanę vera *medicamentorum* apud Antiquos *Analysis* fuisse videtur, hæc eorum Chymia, quam admiramur, quamvis, ut video, ejus origo à paucis animadversa est: nimirum experimentorum fides à vulneribus excepta est: idē innuere videtur *Galenus* (*de simpl. medic. facultat. lib. 4. cap. 17.*) *Quod in vulneribus, inquit ille, nota sunt præstare medicamenta, id ipsum eadem assumpta intra*

Corpus efficiunt: quæ abstergunt, verbi causa, & expurgant in vulneribus, eadem in venis recepta, crassitiem, si quæ sit, incidunt.

Neque adeo mirum nobis videbitur, si admittatur corporis habitum illum tantum esse, ubi integer sanguinis motus circumagitur; extraque eum esse & ventriculum, & intestina, totaque vasa excretoria. Igitur eadem fere medicamentorum exhibitio utrobique est, sive ea diglutiantur, sive artubus certè vulneratis aut ulceratis admoveantur; resque ita infinitis exemplis confirmari potuit, si quis hæreat: verbi causa, Aloes & Colocynthis umbilico adhibita alvum similiter movet ac si intra stomachum assumpta: idem de Anodynis, idem de Hydrargyro in saliva movenda, sive unctione, sive catapotiis usurpetur.

At hæc viam sibi faciunt vulnuscula quædam excitando, atque inflammationes. Ipsa autem cute vulnerata aut ulcerata, medicamenta facultates suas facilè exerere posse intelligimus; quod venis sic apertis iter iis intra promovendis patet, non secùs quam si à vis chyliferis admissa fuerint.

Vasa autem excretoria utrobique similiter afficiunt, & si quæ differentia sit, ea tota in magnitudine illorum consistit, ut supra expositum est.

De hac autem re impræsentiarum satis, cùm infrà plura dicendi frequens occasio dabitur.

Iterum fortasse objicies, ex his medicamentis hydragogis pleraque deleteria & mali motis esse; adeoque minus tuta; imò istiusmodi pharmacorum symptomata ferè lethalia esse. Respondeo: In gravissimo morbo, & casu desperato vehemens auxilium experiri melius, quàm nullum. *Deinde*, si quæ sint, rarò per se, sed antidoti commista, exhiberi solent; perinde ut in Alexipharmacis compositionibus fieri solenne est. Postremo, quæ propriè & peculiariter gravi alicui morbo accommodata sunt, facilè tolerantur, etiamsi eadem in integro corpore, sine summo vitæ periculo, dari non potuerunt: ita in Ascite ob aquæ abundantiam sævitia medicamenti ferociſſimi parum sentitur.

DE DIABETE,

Altera Exercitatio Medicinalis.

PRoximum autem & vicinum malum *Diabetes* est. Etenim in Hydrope & Diabete superabundans aqua peccat, at in illo propter lentorem ægre movetur: in hoc verò ob tenuitatem mira copia effundi solet. Antiquis etiam hominibus adeo rarus, & inusitatus, ut miraculum quoddam esse videbatur, perinde ac nobis. Sed tamen in hac Urbe, pro suo modulo jam cum Hydrope, cujus quædam species est, pari passu grassatur. Etiamsi autem *Galenus* ejus varia nomina nobis tradidit, scilicet illum Matellæ Hydropen, Urinæ profluvium, Diabetem, Dipsacon appellando, eum tamen quàm rariſſimè accidere affirmat: imò morbum nec *Galeno*, nec *Tralliano*, nec *Aetio*, aliisve plerisque è veteribus medicinæ principibus viris, sæpius visum fuisse, credibile est; cum plerique omnes in illa nota consentiunt, *ab Aretæo non memorata*, cujus tamen enarratio & omnium prima & acutissima est; nimirum reddunt Diabete affecti totum id quod biberunt, minimè à sua qualitate mutatum; quod falsum est; cùm eorum urina semper aquea & subpallida est; nec omnino coloratior, quamvis vinum rubrum potarunt.

Itaque unius *Aretæi descriptionem* attendere operæ pretium est, ut morbi natura nobis eluceſcat. Peritonæum, inquit ille, Ascitis conceptaculum est, nec defluvium habet, sed illic permanens exundat; in Diabete verò idem est humoris lapsus è venis, eademque *colliquatio*, at per Renes & Vesicam indesinenter effunditur. Diuturna est hujus morbi creatio, & longo tempore parturitur. In morbo autem *futuro*, os humore privatur, saliva albida est, & spumans, deinde atque in siti, nondum sitiunt, prout adventantis morbi processus est. Quinetiam paulo plus lotii, quam moris erat, effunditur. Sitis adest; sed nondum vehemens. Quumque amplius incrementum accipit, *cale-*

facto

factio parva quidem, sed *mordax* visceribus inhærens exoritur. Abdomen habent rugosum, venas *extantes*, totùmque habitum corporis gracilem: ipsi anxii, & animo dubij; atque hæc quidem quando, & urinæ profluvium, & sitis jam aucta insigniter sunt. Quumque ad extremum *colem virij consensus* pervenerit, protinus urinam reddunt.

Ubi Affectus *perfectus* est, velox est *carnium* & membrorum in Urinam *colliquatio*, & festina mors advenit. Neque enim cum intermissione lotium reddunt, sed perinde atque canales laxati sunt, *indesinens* est *profusio*. Sitis intoleranda est, potus copiosus, multitudini tamen lotij non respondens; copiosiùs enim lotium redditur, neque eos quisquam nec à mictu nec à potu inhibere potest. Quod si vel pisctum temporis inhibeatur, siquidem a potu os siccatur, corpus arescit, viscera ipsi sua conflagrare opinantur, omnia fastidiunt: ardentissima sitis adest; sin autem vel parum temporis a meiendo abstinuerint, intumescunt lumbi, testes & illa: cùmque remiserint, lotium quidem calefactione profundunt, tumidæ verò partes detumescunt; in vesicam enim confluit exundatio. Durant sanè aliquod tempus, licèt non admodum diu; nam cum dolore mejunt, atque atrox fit liquatio: neque enim ex potu aliqua insignis portio in corpus absumitur, & carnium magna copia in Urinam eliquatur. Atque hæc hactenus de ipsis morbi accidentibus ejus autem rationem reddere deinceps paucis aggrediar.

Multum quidem interest an Renes, ut Veteres crediderunt, an stomachus & intestina, maxime tenuia, primò afficiantur; frigida ejus causa sit, an calida; nam parti maximè laboranti succurrendum est idque remediis causæ accomodatis, si quidem curationis rationem cum prospero eventu instituere velimus. Renes quidem & Vesica & ipse Coles afficiuntur, idque non sine aliquo doloris sensu. At morbi tamen primaria sedes stomachus est & intestina tenuia: hujus autem rei indicia sunt; quod hic primum ægrotant; quod iis pertinax & inextinguibilis sitis est, cujus fons stomachus est: quod viscera ipsis uti videntur, ignèque amplius se ardere putant; item quod facilis & *festinas ingressus* Potionis cuiuslibet est in corporis habitum; etenim humoris exitus non ita subitaneus & perpetuus esset, nisi ejus ingressus par fuisset. Igitur veteres male Renes accusasse existimo, ac si eorum proprius affectus esset, imo interdum hujus morbi affectis Renes potioni exitum omnino non dant, cæteris interim symptomatis sævientibus, authore *Aretæo*, adeo festina mictio huius morbi signum pathognomonicum, scilicet proprium & perpetuum non est. Ab intestinis autem calefactis & inflammatis subito Potionem rapi & absorberi solere probandum restat, nimirum quod in integro corpore & bene pasto venas lacteas potionem, certè coloratam, non admodum admittere, cum alias jejuno, bidui aut tridui puta, quicquid assumitur, si crassius & crudum sit, multo magis tinctum, vel patulis oris hiare & festinanter ad se trahere, & ad ipsa vasa sanguinea ulterius propelli; a longo vero ieiunio stomachi & intestinorum siccitatem, calorem & febriculan oriri, neminem latet. Rursus diuretica, etiam mediæ virtutis, fere calefaciunt; at valida pleraque aut multum rubificant, aut vere epispastica sunt, ut allium, Sinapi, Cantharides & id genus plurimæ Infestæ Bestiolæ, ut formicæ, apes, multipedæ; item Scinci, &c.

Deinde visceribus semel inflammatis vitium per habitum corporis ad ipsos Renes, Vesicam, & Penem transfertur: imo meram aquam, & quæ inter diuretica ex sua natura mitissima sunt, ardorem intestinorum amplius incendere, propter caracterem ab intestinis vitiatis subito iis impressum, credibile est.

His ita positis, nimirum Potionem omnem utut crudam & per se mitem subito vehementer diureticam & acrem fieri, scilicet a summo stomachi & intestinorum ardore, Potionis autem cuiusvis cruditas in eo consistit, quod eius natura ex magna parte immutata sit, siquidem vinum non accescit, nec alii liquores potati multum a suis facultatibus

alienantur propter festinum, puta, ingressum in corporis habitum: ab hac tamen sola Potionis contaminatione cruditati superinducta non sequetur, ut cum ea intra habitum corporis recepta sit, ipsam lympham fundat, secumq; exitum admodum festinanter capessere cogat; scilicet ab arteriarum vehementi insultu. Aliud itaque requiri necesse est; id quod etiam ægroti anxietas, & ipsæ venæ plurimum intumescentes satis indicant; nimirum facultas aliqua deleteria sive venenata, omni Potioni, præter naturam suam, impressa. Atque huic rei abundè quidem satisfacietur, cum morbi causæ procatarcticæ, & efficientes infra enarrabuntur.

Paucæ autem Historiolæ à me expectandæ sunt, eædemq; ferè mancæ propter hominum infortunium, qui de hac re nova & improvisa dubii & incerti, nisi nimis tardè auxilium quærere non solent, imo *Vvillis* noster, hujus generis morbi exemplis, non abundat, cum unicam tantùm Historiolam, eamq; valde imperfectam, ilique reliquisq; medicis simul consultis, communem exhibet. Utinam tantò viro placuisset aliquot è crebris instantiis tam ignoti & rari morbi, quæ ei occurrere solebant, literis commisisse.

ÆGROTUS I.

Vide Casum 16. supra positum in Hydrope, huic morbo valde affinem utpote ex eadem causa procedentem.

ÆGROTUS II.

Puella quædam sexdecim annos nata, alvo admodum adstricta, aliàs firma valetudine gaudens, animi causa, ad decem dies multum aquæ sulphurulentæ dictæ in vicinia *Knaresborough*, hausit. Quid fit, plurimum urinæ aqueæ & frequentissimæ minxit; item huic circa stomachum ingens ardor, sitis intolerabilis; nulli potioni cedens, at hæc omnia citra linguæ ariditatem; Raucedo; vigilia perpetua: in Urbem verò *Eboracum* tandem rediit, & mictionem mox diarrhæa excepit, cæteris adhuc symptomatis eam gravissimè affligentibus: & ut mictio Vesicam, ita dejectiones ipsum anum dolore quodam ardente jam afficiunt. Amygdalatis potionibus & lacticiniis vix fœminam post aliquot menses à siti & diarrhœa ex integro recuperare potui.

ÆGROTUS III.

D. *Sampson*, mediæ ætatis vir, Pharmacopola *Londinensis*, gravi Diabete correptus est, habitus corporis hebetioris, & obesi, & ut istiusmodi hominibus in hac urbe fieri solet, per hyemem plurimùm anhelosus, catarrho insuper affectus: ex nescio verò cujus persuasione libenter opiata nocte sumpsit, idque frequenter & multum, quod mihi ingenuè affirmavit; ad sitim autem & linguæ ariditatem, opii genuinos effectus mitigandos, iidem illi aquas *Epsomenses*, si benè memini, de die propinavit: ex horum autem usu gravis Diabetes ortus est: evasit tamen sola remediorum tam pernicioforum abstinentia. Anno verò proximè sequenti iisdem malis sed vehementius affectus, & jam Diabetes superioris anni oblitus, iisdem etiam usus est remediis. Quid fit? Diabetes iterum hominem gravissimè adortus est: ferè die nocteque nulla mora minxit, idque non ad modum stillicidii, sed ad aliquot uncias una vice: ut viginti aliquando vitrea pocula hujus Urinæ pallidæ & subturbidæ plena ex ordine propè lectum suum numeravi, velut ostentationis causa: nam remedia nulla à me aliove quovis medico, quod scio, petebat, præter unum opium varia arte & lenocinio paratum: post mensem autem tanto malo succubuit vir optimus, & meliori fato dignus.

ÆGROTUS IV.

Illustrissimus Comes --- juvenis, obesus, ex potione matutina mellis *crudi* ex vino Canarino (ut mihi scriptum est à medico ejus sanè doctissimo viro D. *Musgrave*, cum consilium meum literis postularet) gravissimo Diabete affectus est: omnia autem remedia frustra adhibi-

hibita sunt. Antequam vero meis usus est, *Londinum* venit, & soli curæ *R.* se commisit; is autem, ut ex necessariis ejus didici, aquas medicatas *Epsomenses* ad x. libras quotidie illi propinavit, & opium nocte larga dosi; funesto sanè eventu; nam intra octiduum mortuus est.

ÆGROTUS V.

Adoptivus ex F. Hildano, l. 5. c. 53.

PUer quidam 7. annorum usu acidularum *Greisbacensium*, in tantum Urinæ profluvium incidit, ut nunquam similes visum sit, valdè dubitem. Hinc sitis talis supervenit, singulis noctibus plusquam libras x. aquæ (quantitatem vini, quod admiscebatur, non observarunt adstantes) ebiberet, & eodem modo protinus, nihil alteratam, iterum emingeret.

Quibus medicamentis, scilicet lacte amygdalato, pullorum jusculis, &c. ad plenissimam sanitatem restitutum puerum fuisse; vide apud ipsum *Hildanum*. Tamen denuò in eundem morbum graviter incidit, quod vinum aqua dilutum, à medicis denegatum, iterùm sumpserat, & mortuus.

ÆGROTUS VI.

HOrtulanus quidam in Suburbiis *Vvestmonasterienstibus* habitantis, mediæ ætatis vir, olim multùm Lue Venereas afflictus, ab agyrta quodam Antimonium, nescio quod diaphoreticum, ad herpetem fœdum & valdè molestum tolendum, sanguinique purificando datum, ad plures dies sumpsit; at id semper citra sudorem contigit. Quid fit? gravi Diabete correptus est: huic urina infinita, at aliquando, ut memini, coloratior; sitis implacabilis, anxietas & jactitatio perpetua: me tandem accersivit; at nimis tardè, nam hominem morientem inveni.

ÆGROTUS VII.

DVVilson ex Cohorte prætoria Miles strenuus, mediæ ætatis vir, catarrho vehementi affectus est, cui malo medendo sic medicus quidam magni nominis præscripsit: nimirùm Syrupum quendam è decocto Balsami *Capevi* dict. ex aqua & saccharo confectum, liberaliter potandum jussit; item tàm manè quam vesperi ad duo grana Opii, in pilulis de styrace dictis, devorandas dedit: his autem remediis catarrhus quidem suppressus est: at matellæ Hydrops ortus & ad minimum bina congia Urinæ limpidæ minxit spatio 24. horarum: post decem dies aut circiter, vix eloqui potuit, ut à circumstantibus audiretur; sudore frigido ex toto muduit, manus lividæ, & jam jam moribundus à necessariis non sine ratione existimatus est. Me vocarunt: ipse verò tam ad præscripta quam ad morbum bene attendi; nulloq; negotio hominem ex Orci faucibus eripui: vinum cum gingibere coctum illico siccandum volui, & quantum & quoties pro viribus id facere potuit: cætera autem medicamenta omnia supra comprehensa sequestravi: interim tenuem aliquem hastum ex aq. lact. pro more, ad sitem leniter temperandam, propinavi; ea autem nocte & crastino die multo minus minxit; item incaluit, sudore siccato; altero die è pullo cocto comedit: post triduum amplius, præter omnem opinionem, convaluit & foras ambulavit, & jam à multis annis sanus in hac urbe vivit.

ÆGROTUS VIII.

Hic autem Casus, etiam si proprie ad Diabetem non spectat; quia tamen remediorum supra multum memoratorum naturam ulteriùs indicat & confirmat, ad hujus quoque morbi intelligentiam aliquo modo faciet. D. *Ch.* Quadragenarius, egregius vir & summus Mercator *Londinensis*, catarrhi fortuiti impatiens, aliàs robustus, & boni & plenioris corporis habitus, pilulas *Mathæi* dictas, aut alias opio magis refertas, à quodam Chirurgo sumpsit, item aquas *Epsomenses* de die siccavit. Quid fit? tanto sudore affectus est, ut induvia ter quaterve in dies, & sæpiùs nocte

mutare coactus est: forte ejus filiolas, quas meæ curæ commisit, pro officio & ex more visitandas veni; & earum patrem, hominem satis carnosum, & florenti ætate & valetudine conspicuum, inveni pallidum, languidum, emaciatum, & per ipsas vestes sudore vehementer madentem: hæc autem omnia ingenti admiratione spectabam attonitus. Spiritum Vini tincturæ cerasorum nigrorum confectum, quod domi præsto erat, ad aliquot uncias statim illi propinandum dedi; item vinum optimum rubrum merum ad duas minimum libras prandio siccaret, & sic quotidie vel majori modo bibendum curavi: hinc sudor & languor disparuerunt: cito & optimè convaluit.

Historiolis autem hujus morbi sic breviter enarratis, proximum est, ut ejus causas efficientes, & procatarcticas, & evidentes, quotquot hactenus extant, enumeremus. *Aretæus* verò *primò* morbum aliquem acutum hujus languoris causam esse posse existimat, qui in renes impetum fecerit, & in crisi aliquod malignum virus latenter reliquerit. *Deinde* haud incredibile est, etiam aliquod pernicioſum venenum ex iis, quæ vesicam & renes infestant, huic effectui causam præbuisse. *Tertiò*. Quin etiam si quis à Dipsave morsus sit, talis effectus illum morsum sequitur: vulnus sitim non ferendam accendit, isque copiosè bibit, neque siti medetur, sed ventrem obruit humore; adeo inexplebilis est bibendi cupiditas.

Causæ itaque hujus mali *veteribus* sola venena sunt, aut à morbo ex crisi, aut à malo medicamento, aut à quodam animali venenato. Atque ex hac nota sunt pleræque causæ nostris ægrotis supra comprehensis, assignatæ; nimirum mala aliqua medicamenta, primo stomachum & intestina, mox renes & vesicam maximè infestantia, ut Antimonium diaphoreticum, mel crudum & venenosum, Balsamum *Capivi* dictum, Opium.

His adjicere licet *vina* vel arsenico vel sulphuris fumo nimium *medicata*, *Thee*, Terebinthinata medicamenta, Spiritus vini *medicati*, & id genus plurima alia præter modum assumpta. Aquæ denique muriaticæ sive sulphurulentæ, aut aliàs ex salibus & metallis terrenis medicatæ.

Cùm autem colliquatio sanguinis ex *Aretæo* hujus morbi præcipua causa, & formalis ratio sit, sanguinisque serum prout renibus appellatur copiosè effundi. Causæ vero evidentes sint supra enarratæ; quæ chylum primo, mox ipsum serum nimiùm colliquare aptæ natæ sunt ob vim quandam scepticam sive deleteriam: ideo, quo jure, quave injuria illa vulgaria & trita medicamenta accusari possint, ut breviter ostendamus, operæ pretium esse putavi.

Imprimis, Itaque rem cum Antimonio diaphoretico dicto privatim habemus. At *Tulpius* aliiq; jamdudum vires ejus maleficas notarunt.

De venenoso melle satis constat ex Historia naturali.

De Balsamo Capivi, aliisq; Terebinthinatis cum excessu assumptis, nemini dubitare licet, cùm vera *sarcotica* sint. Idem de opio perhibetur, nempè vesiculas excitare solere, cuti admotum.

Vina quidem per se ad quodvis venenum alexipharmaca sunt, nec ideo culpanda. Itaque non libenter assentior *Willis*, dicenti, " In nostro seculo compotationibus, & imprimis vini meracioris ingurgitationibus dedito; ideo affectus hujus exempla & instantias satis crebras, tantùm non quotidianas, occurrere. " Quòd tamen ex veterum historia, certè Græcorum, abundè constat, illos longè superasse nostros homines vini meraci potu & enormi ebrietate: Veruntamen ipsis ferè incognitus morbus Diabetes fuit. Illa itaque, quæ à nostris veneficis œnopolis vino adjici solent, sola condemnanda sunt, ut Arsenicum & Sulphur accensum, & infinita alia lenocinia damnosa; unde vina ob illorum medicationem summè nocua esse posse facile credimus.

Ultimo loco *aquas medicatas* suspicari fas est: Quòd autem vehementer diureticæ sunt, & ratio, & experientia, quæ in istiusmodi rebus ratione potentior est, nos abundè docet ex quotidiano infinitorum hominum usu. Quod autem per se deleteriæ sunt, nondum ita perspicuum

est.

est. Aquæ quidem *Gersbecenses* transmarinæ Diabetes in puero solæ accusantur à F. *Hildano*; at cujus classis illæ sint; nescio; illud quidem bene scio, aquas Gallicas omnes medicatas à D. *de Clos* coram Collegio Naturalistarum *parisiensium* examinatas cum nostris *Anglicanis* ad amussim convenire: nec aliud quid in se continere, quam quod à me in nostris multa sedulitate inventum est: ideoq; si ad res, quæ à siccatis aquis in fundo ampullę manent, paulo studiosius attendere velimus, lapidem Calcarium & Ocram à qua ferratæ denominantur, non ullius mali, certè per se accusare licet: salia itaque perpendenda sunt; atque ea ferè sunt, vel sal fossilis, vel sal calcarius, nam quæ de nitro aëreo, alumine, vitriolo, certè maturo & perfecto, somniant aliqui, imò totus ferè bibentium grex, mera figmenta sunt. Igitur quod muria sulphurulenta, nimirùm liquamē salis fossilis, Pyritæ dissoluto adjunctum, deleterium esse possit aliquibus nullus dubito, quod hujus modi aquæ sæpenumerò stomachum vehementer nauseant cum gravissimo vomitu; item plerisq; sitim haud mediocrem excitant & non raro diarrhœam plurium mensium: his adde, fœdam scabiem cuti suffundere sæpè solent: quæ ita esse, multis experimentis plurium annorum, cùm in vicinia *Knaresborough* medicinam facerem, credo, testorque. Jam verò illo posito, quod nec vomitu nec diarrhœa, quibus viis facilius ejici possint, venenum in renes & vesicam deponant, quod in cute solebant, credibile est; in corpore certe prius haud boni habitus.

Illud autem notandum est veteres, à quibus medicamentorum facultates & usus nobis traditus est salem & fossilem & vulgarem (*a*) exurere solebant, non aliter (*b*) Sandaracham: unde colligere nobis licet, eos sali crudo subesse nescio quid mali medicamenti suspicatos esse; Sandaracham quidem crudam merum venenum esse prodidere; at ustam, etiam Phthisicis aliisque imbecillis liberaliter dabant. Rursùs inter salis fontium *muriaticorum* liquamen & saltem aqua dulci dissolutum plurimum interest. Etenim in Fontium muria naturali, aut in ipsa aqua marina (ut cuilibet conspicillorum ope examinanti liquidò patebit) particulæ salinæ supra fidem minutissimæ sunt, cum in muria factitia salis particulæ paucæ & crassæ sunt: ex quibus illud facilè discimus, nimirùm salis acumina infinita ab ejus liquamine naturali multo ferociùs in stomachum & intestina, renesque adeo & vesicam, exeri posse, quàm cum vel ustum aut crudum coactum sit, & denuo dissolutum, vel siccum sumptum.

Pyritæ autem *ferrei*, quocum in istis aquis muriaticis associari solet, vim causticam discimus ex usu, ubi Emplastris vehementer adurentibus ad strumas inest *C. Celso* authore; at fontium muriaticorum, sale Pyritarum, vim multum acui credibile est; siquidem in hujusmodi fontibus gravis sulphuris etiam odor sentitur; adeòque multo aliter in ocram hisce fontibus dissolvuntur Pyritæ, quam ubi cum sale calcario alicujus alterius fontis misceantur: imò non ratò incalescit fons ab hac mistura, ut (*c*) alibi probavimus.

Digressio *de Fontibus Medicatis populo* Londinensi *maxime usitatis*.

Cùm autem omnes aquæ muriaticæ, sive eæ calidæ, sive frigidę sunt, ultra centesimum lapidem ab hac urbe distant, de iis impręsentiarum minus solliciti sumus; de frigidis verò *ferratis*, & *calcariis*; sive eę ex utraque mixtæ, sive puræ calcarię, item de illa *anomala* ferrata, Naphtha quadam plurimum imbuta, nuperrimæ quidem inventionis, amplius differere nobis operæ pretium erit, quòd non solum huic morbo, sed aliis quàmplurimis infrà tractandi adhiberi solent: imò tanquam arcanum quoddam & consummatum aliquod remedium, & Medici propinare, & ægrotos sese capessere libenter consueverunt, casibus maximè deploratis. His adde non sanitatem tantùm ab earum usu assiduo promitti; sed & homines tantum non præ ætate decrepitos juvenescere posse persuadent. Igitur è re no-

(a) *Dioscor. l. 5. c. 75.* (b) *Ib. c. 71.* (c) *De Fontibus Medic. Angliæ.*

noſtra non ita multum erit, ſi ad Fontes medicatos in vicina hujus Urbis, aut certè quæ non niſi unius diei itinere ad ea diſtant, digrediamur: hi autem his nominibus & in Urbe paſſim veniunt & à ſuis locis appellantur; nimirùm *Hoxden*, *Streetham*, *Dullidge*, *Barnet*, *Epſom*, *Sunniug-hill*, *North-hall*, *Tumbridge*.

(a) In vico itaque *Hoxden*, ad regiones *Londini* Suburbicarias ſpectante, aut certè uno vix lapide ad ea diſtante, his nuperis annis puteus effoſſus eſt aquarum medicatarum ſanè anomalarum; nam etiamſi ferratæ ſunt, & ſubpurpureæ cum galla fiunt, ſcilicet à pyrite ex tota ſubſtantia in ocram diſſoluto; item ſalis calcarii modicum habent, præterea tamen Naphtha aliqua ſubfulva, & ſpecie quidem à quovis bitumine, quod ſcio, diſtincta, ſat copiosè ineſt: hujus autem Naphthæ aliquot uncias, quæ matutinis, cùm puteus aqua plenus eſt, ſupranatare ſolet, & à Puteario diligenter collectas, redemi. Vana eſt & temeraria quidem quorundam hominum aſſertio, hunc puteum contaminari neſcio quo ſpiritu Terebinthinę dicto, aliqua negligentia Artificis olim perditæ & in terram effuſæ, ubi jam Puteus effoditur: detur, quod ibidem ita contigit, ſpiritus tamen Terebinthinæ idem nunc erit, atque olim fuit; ſcilicet præter ſuum peculiarem odorem ingratum, & guſtu ardentem, erit facilè inflammabilis & aquæ haud facilè miſcibilis, minimeque per ſe concreſcens. At hæc Naphtha gratiſſimi quidem odoris eſt, fęniculum aut aniſum quodam modo ſpirans; item aquæ per minima miſcetur, ut ab ea paululum ſubturbida eſſe videatur; item cum per ſe aliquo tempore ſeparetur, linguam minimè ferit, ſed guſtui admodum mitis & grata eſt, &, quòd rem extra dubium ponit; in ſe facilè concreſcit: eſt autem novi generis bitumen aut Naphtha quædam, ductilis ſive lenta, mollis, ſubfulva.

(b) Secundo loco Fontis *Streethamenſis* aquæ hæc continent, atque ſic ſe habent. Pagus, ubi fons eſt, altero aut tertio lapide *Londino* diſtat, ultra fluvium *Tameſis* in agro *Surrenſi*:

Non niſi poſt longam macerationem cum galla ex viridi obfuſcantur; adeo leviter tantum ferratæ ſunt.

Ex hujus autem fontis aquæ duodecim libris, ineunte Junio coctis, ſalis calcarii drachmas duas & decem grana, lapidis vero calcarii quinque drachmas & grana viginti quatuor, habui.

Validiſſimè purgant, ſi quæ aliæ, & multis ſæpè vomitum excitant.

Sed mihi tantiſper reliquas aquas *Londinenſes comperendinare* liceat.

Cl. autem *Boilæus* noſter, de his, *Londinenſibus privatim* ſcripſiſſe videtur; nempe Tractatu, biennio poſt meum Libellum *De fontibus medicatis Angliæ*, edito; is vero ex aquis medicatis Anglicanis nullam inveniri, quæ vitriolum det, audacter affirmat. Utinam ei placuiſſet nobis aquas nominaſſe, quas hujus aſſertionis cauſa examinaverat.

Illius vero egregii viri *modi* experimenta faciendi de aquis mineralibus, fere iidem eſſe videntur, ac qui à Philoſophis *Pariſienſibus*, ex quadam aquę paucitatis neceſſitate præſcripti ſunt.

At in hujus viri ſcriptis editis deſunt, quod doleo, & aquæ eorum examina; quæ tamen omnia à *Pariſienſibus* ſumma fide & acccuratione exhibita ſunt: fortaſſe in *Schedis ſuis poſthumis* inveniantur.

Ego autem aquarum noſtrarum medicatarum contenta *aliis* experimentis *luculentis* probavi; nec minore fide ac certitudine. At hæc noſtræ probandi genera, tædii, fateor, plena ſunt, aquarum copiam requirunt: adeoq; *promptis* aliquibus ingeniis, & Hiſtoriæ Naturalis *ignaris*, placuit mihi, ſumma cura & induſtria, veritati litanti, rursus aquam *turbulentam* feciſſe. At nugare nimiùm non licet. Et ſi noſtra non dignentur experiri *meo modo*, ſuas conjecturas, per me licet, gaudeant: profectò in re aquatica, ut video,

Qua-

(a) *Aqua Hoxdonenſes Ferrate, & Naphtha quadam imbutæ; ſive Bituminoſæ.*

[b] *aqua Streethamenſes calcariæ.*

Quale caput eſt, talis præſtatur ſapor.

Iſtiuſmodi homines diſcant velim ex noſtra methodo & artificio, clare admodum expoſito, noſtrarum rerum fidem certiſſimam: id quod iis & laudi & abundanti ſatisfactioni toti republicæ literariæ erit.

Sed quæ ad rem noſtram præcipue faciant, ea paucis hic repetere lubet.

In *Cuniculis* quidem arte factis ad carbonum fodinas ſiccandas, inveniendaſve Vitriolum perfectum paſſim obſervare licet. At hi fontes per accidens ſunt, & *ſentinæ ſivæ cloacæ* potius quàm fontes medicati appellandi ſunt. Imo cum Pyritum tanta copia ſit ubiq; in *Anglia*, e quibus *ſolis* vitriolum oriatur, ſæpe miratus ſum vitriolum integrum & maturum in fontibus naturalibus nuſpiam inveniri.

Vehementer tamen affirmo, jam ut olim, omnes aquas atramentoſas ex ſolo Pyrite, quatenus tales, oriri, quod in nullo alio lapide vitriolum apud nos temere reperiatur. Rurſus, omnis Pyrites vegetando naturaliter reſolvitur in ſocram & vitriolum: halitumq; edit in iſtiuſmodi germinatione Sulphureum. Si itaque Pyrites reſolvatur ipſo naſcente vitriolo, & contingat (ut in pleriſq; fontibus atramentoſis fieri ſolet) perpetim macerari, decurſu aquæ præterfluentis, tum iſtiuſmodi aquę tantum atramentoſæ fiunt ocramq; dant, ſed minime vitriolum perfectum. Sin autem Pyritem humido loco germinare contingat, ejuſq; germinatio non impediatur continua aquarum prętterfluentium ablutione, iſtæ aquæ vere vitriolicæ fiunt: ut in Cuniculis fodinarum ubiq; fere contingere ſolet.

Porro eadem certitudine affirmo *nitrum calcarium* à me *primum figuratum* deſcriptumque, eſſe ſaltem ſui generis, & ferè omnibus fontibus noſtris ineſſe, in aliis plùs, in aliis minùs; ut nec *Salem Petræ* eſſe, nec *Nitrum Antiquorum* audacter affirmo. Attende deſcriptiones & confer ſales.

Prętterea celeberrimas aquas Nitri *Ægyptiacas* ſalem tantum *urinoſum* præbere ut olim actis Philoſophicis *Londinenſibus* expoſui. At is ſal, minimè ſal calcarius eſt: ipſum autem veterum nitrum, ut ex *Dioſcoride* abundè conſtat; ſal Armeniacus eſt.

Urinoſæ quidem aquæ in *Anglia* dantur, authore D. *Plot.* imò totæ rupes ſunt agro *Eboracenſi*, quæ urinam vehementer redolent: neque mirum cum Belemnites, infiniti alii lapides perpetua figura donati, vel leviter fricati, odorem urinoſum valde ſpirant: nareſq; feriunt perinde ut Spir. *C. C.* dict.

Denique, & ex ipſo fonte lapideſcente juxta oppidum *Knaresbourgh*, & à rupe cadente, eandem ipſiſſimam aquam eſſe, nec contentis ullatenus differre; quod repetitis experimentis de induſtria factis, credo: fabulæ itaque ſunt & ſine fundamento quas aliqui cum *Helmontio* exhibent de Fontium ſpiritu neſcio quo eſurino, acido & corroſivo.

Hæc autem obiter poſui, ne ſilentio aſſertiones antiquas noſtras multa induſtria & non contendis experimentis, confectas prodere viderer. Si quis tamen expectet, ut aliorum miſeras ineptias contra arguere, ſciat velim,

Multo majoris alapas apud me venire.

Sed è diverticulo in viam: Symptomatum verò præcipuorum in Diabete rationes exponere reſtat.

Primum, cur urina adeo dulceſcit, ut ſacchari vel melleum ſaporem plane referat? At illud quidem de dulcedine Urinę mihi valde ſuſpectum eſt; quod apud veteres quantum ſcio, cum reliqua omnes circumſtantias mira diligentia nobis tradiderunt, ejus tamen rei altum ſilentium eſt.

At eſt! cum tamen diverſæ res huic malo originem dare ſolent, ſic urina poſſit eſſe diverſæ naturæ & conſiſtentiæ. Alia ita ſi quando ab ipſo melle, vinove venenato, *Teeve* naſcatur; nempe, inſtar ſacchari poſſit dulceſcere urina: at a baliis cauſis ortum, ut ſunt opium, aquæ medicatæ, Terebinthinata medicamenta, Antimonium, &c. Urinæ quidem guſtus lenis, at minime, quantum memini, dulcis: dulceſcit autem urina, inquit *Vvillis*,

quòd

quod in ea combinantur ſales diverſæ naturæ, dulceſcit vero ut mel, quod ſalibus combinatis adjiciuntur quædam particulæ ſulphureæ ex partium ſolidarum abſumptione. At hæ rationes nullius momenti ſunt, quod iſtiuſmodi ſalium combinationes meræ fabulæ ſunt ut ſuprà oſtenſum eſt; quippe acetum, non dulceſcit ob aliquam ſalium diverſorum coitionem, perinde ut plurimi ſomniarunt, ſed ob ſolas cryſtallos e ſale acido formatas. Deinde quemadmodum nutritio in perpetua arteriarum plenitudine, ita & ſolidarum partium conſumptio & macies extrema in iiſdem arteriis inanitis conſiſtit, ut eadem plane ſit ratio ſolidarum partium ſanguiniſvè maſſæ quoad ſuccum aliquem nutritium.

Aliter itaque rem exponere lubet, nimirum paulatim dulceſcere urinam, quod primum aquoſior ſeri pars effunditur mox colliquatione procedente, ipſa quoque ſeri pars chyloſior, huic autem rei illud fidem facit; nempe Phthiſicorum plurimorum ultimis menſibus inſignis ſputi dulcedo, ad nauſeam uſque moleſta.

Alterum Symptoma eſt Urinæ tanta effuſio: quorſum id? ſit, ut opicor, animium colliquato & attenuato chylo; a quo mox ipſum quoque ſerum ſive chylus veteranus intra habitum corporis in quendam ichorem quaſi corrumpitur: hanc autem opinionem firmant vehemens ardor & anxietas circa præcordia, item ſubitaneus potionis cujuslibet intra habitum corporis raptus, & tranſmiſſio, deinde, eorundem concoctio potulentorum præter fidem celerrima, ut vinum aciduſum rubellum, verbi cauſa, contra quàm vulgo creditum eſt, omnem naturam ſuam, ipſo per ſtomachum tranſitu, perque venas lacteas exuat, perque renes tandem inſipida, ſubdulcis, colorique expers Urina, momento temporis effunditur. Atque hic concoctionis *Septicæ* ſupra modum exertæ, a medicamentis deleteriis, admirandus effectus eſt.

Tertium Symptoma, omnium longe miſerrimum, inſatiabilis ſitis eſt. At hoc ita intelligemus, ſi inflammatis viſceribus adjecta ſit urinæ infinita effuſio: nam etiam tenuis ichor ubique facillime poſſit erumpere, qua vaſa excretoria ſunt cum tamen faucium, *inteſtinaliſque corporis habitus pars exterior* ſumme inflammata, adeoque excretioribus inepta fit, ob tenſionem iſtiuſmodi ductuum, duritiemque, cumque renibus naturaliter patentibus, multum aquati ſeri exire ſolet tantaque per eos jam a reliquis corporis partibus derivatio ſit, non amplius mirum videtur, ſi ſalivæ ductus ſiccentur ad hominis infinitam miſeriam. Quale autem vitium ſit in renibus non bene video nam *viſcerum fermenta* res vana & futilis eſt, illud veroclarum eſt, eos multo & continuo effluvio poſſe labefactari, reſolvi, ampliuſq; patere: item ob eandem rationem, inſignem eorum fracedinem, quæ in nulla parte maior eſt, quam in renibus, poſſe ex toto ablui, ut ſerum aquarum vehementer & aſſidue erumpens in Urinam minime excoquatur.

Cauſis autem Diabetis ſic poſitis, ad remedia iam tandem venimus: eadem vero ſunt quæ ad Hydropa bene faciunt, *Aretæo* authore; ut univerſa quoque victus vitæque ratio eadem eſſe debeat. At duæ præcipue Curationis intentiones ſunt: videlicet, ut ſtomacho imprimis, ſitis fonti, quæ omnium malorum etiam maxima eſt, opem feramus; & quod meiendi provocatio ſubinde ab ea excitetur, & quod effluens ſecum abducit ea quæ de corpore colliquat, & quod fruſtra bibitur, cum nullus potus, quantus quantus is fuerit, ſiti medebitur. Altera intentio eſt ad ſedandam colliquationem a veneno ortam.

Huic autem poſteriori intentioni optime faciunt, ut ad alia venena, *Lac*; item *Poma*, (id eſt, fructus quilibet, ut poma granata, limones, fragæ, ceraſa, &c.) aquæ, quæ potui dabitur, incoquantur; item *Vinum meracius* adſtringens, ad ſtomachum roborandum, idem quoque præſtat ad evaporandos, & alio deiiciendos humores, ultimo Antidotus *Hiera*, quæ utrique intentioni curativæ abunde ſatisfacit.

Pri-

(a) *Vinum omnibus venis contrarium eſt*, C. Celſo *authore*.

Primæ autem Intentioni, inquit *Aretæus*, Hiera medetur; at quæ illa Hiera est? nam innumeræ ferè Hieræ tempore *Galeni* fuerunt, ut ex N. *Myrepso* discimus verum enim verò *Aræteo* una tantùm Hiera cognita est; scilicet, quæ nullo alio nomine adjuncto tunc temporis distincta fuerat: sanè inter alia multa hoc egregium argumentum est de summa antiquitate *Aretæi*. At neque Hiera *picra* esse potuit, cum à *Galeno* sic primùm appellata est; ipsum verò medicamentum sine nomine composuit *Musa Antonius*, Augusti Medicus, ut disertè testatur *Scribonius Largus*, *Claudi Cæsaris* Medicus aliquot seculis ante *Galenum*. Profectò operæ pretium esset omni diligentia tantum medicamentum investigare, scilicet quod sitim Diabete affectis, tremendum sanè symptoma, efficaciter tollat; nulli certè remedio, quod scio, cedens post hujus seculi, multorum aliàs bonorum feracis, infinitam industriam. Hujus autem remedii notitiam eidem *Scribonio Largo* debemus; idque non perfunctoriè tradidit Etenim non tantùm ipsum remedium, sed ejus Historiam etiam, sine qua adhuc de tantæ rei veritate dubii essemus, curiosè quidem literis mandavit. Hæc, inquit ille, Antidotus Hiera dicta (quibusdam *Picra*, aliis *Diacolocynthidos*) ab antiquioribus Medicis [quo in numero *Aretæus* fuit] propter effectus ignorata non fuit: sed *Pacchius Antiochiæ* illam usu *illustravit*, & post mortem ejus, *Tiberio Cæsari* per libellum scriptum ad eum, Bibliothecis publicis posita, in manus nostras venit, quam antea nullo modo extrahere potuimus, quamvis omnia fecerimus, ut sciremus, quæ esset. Hanc postea nos scivimus, quæ, ut sanè, & libello ipse fatetur, non à se inventa, sed usu exactiore comprobata, ad quæ vitia, & cum quibus, & quem ad modum data proficeret: antiquas ejus compositiones emendavit *Pacchius*; adeoque hæc mirificos effectus habet mirifica temperatura composita; hinc Hiera Pachii nostris hominibus inter alia nomina merito appellatur. Habes itaque remedium à magno Medico & bene instructo, *Cæsare* quidem dignum, eique per testamentum legatum usu & approbatione *Scribonii Largi* ampliùs nobilitatum, &, quod anxiè quæsivimus, ad sitim tollendam commendatum, idque non simplicibus verbis & perfunctoriè pro summa aliàs hominis modestia, sed ejus facultatem privatim ad hoc malum vehementer exagerat.

Est stomachi vitium, inquit ille, quod cum siccitate & ardore ejus, & irrequiebili, ut ita dicam, & inextinguibili siti consistit; ἄτοπον Græci vocant; *Marcellus* Eccausin meliùs, sive ardorem, ut recte observavit *Rhodius*, ab eo quod exsiccat omnem stomachi humorem. Scimus quosdam *urnas aquæ* bibisse, neque ideo sitim aliqua ex parte in præsentia compescuisse: ad hoc Antidoti Hieræ drachma vel ejus dimidium datum ex aquæ frigidæ cyathis duobus, ita prodest, ut facile abstinere ab aqua proximis diebus possunt: nec minus Hydropicis prodest, quibus eadem ratione datur.

Illud vero, ut idem author perhibet, supra omnium opinionem est, quod ad stomachos evidenter convenit, quum sit virosissimum medicamentum adversus *stomachum*, ne ad levia quidem, & simplicia medicamenta apte *dispositum*, sed videlicet in ejusmodi rebus potentior usus ratione est: expertus enim unusquisque intelligit stomacho quoque hoc medicamentum eximie prodesse.

Remediat enim eos quibus frequenter inacescit cibus, & eos qui assidue inflationibus urgentur, &c. Vide apud Authorem. At hæc omnia quod magnam partem ex antidotis constat.

En præclarum summæ Antiquitatis monumentum, ad multos magnosque hominum usus, & privatim ad Diabetem & Hydropa inventum!

Hujus autem Antidoti succedaneam male quidem, mea sententia, supposuerunt inferioris seculi Medici, *Archigenes* & *Aetius*], Theriacam *Andromachi*. Mithridatioquidem *Andromachus*, *Neronis* Medicus Squillarum & Opium (quod obiter pono) infinita quantitate adjecit, qua in compositione ante omnino defuerunt, ut plane constat apud eundem Scribonium Largum ex Antidoto, τελεία sive perfecta dicta *Marciani* Medici, &

quæ

quæ *Augusto Cæsari* componi solebat.

At hæc *Andromaci* adjectiva medicamenta, utpote siccantia & vehementer diuretica Diabetæ minus idonea esse videntur. Videant tamen nostri homines, quibus huic morbo medendo opportunum fuerit, si Diacodii paululum, ob mitem & temperatum effectum, aliquo modo cum utilitate exhiberi non posset.

DE HIDROPHOBIA.

Tertia *Exercitatio Medicinalis*.

A Binextinguibili autem siti, & bibendi assidua cupiditate, ad ipsius etiam aquæ, omnisque adeo potionis timorem transire lubet: miserrimum genus morbi, inquit *C. Celsus*, in quo simul æger & siti & aquæ metu cruciatur. Græcis Hydrophobia audit; Latine, aquæ pavor.

Quemadmodum autem proxime superior morbus Diabetes, à morsu bestiolæ cujusdam venenatæ, ex serpentium genere, interdum nasci solet; ita hic, de quo tertio loco tractaturi sumus, Canis rabiosi venenato morsui primariò originem suam debet. Atque similiter quoque hic, atque ille, Dei Providentia, mortalibus rarò accidit. Quod tamen vehementer miror, cum nulla domus sine cane sit, ejusque totiusque familiæ non sine ratione præsidium vocetur; imò cum omnium gregum, bestiarumque ruralium assiduus & fidelis custos sit. His adde, Canes venatitii capitularium generum apud nos infiniti sunt, & primarii viri eorum etiam greges nutriunt; imo mulieres, cujusque fere sortis, solius voluptatis & animi causa, eos in sinubus suis gestare amant, & intra ipsos lectos admittere; adeo non satis est, eos esse domestica Animalia, nisi mensa & toro quoque accipiantur: item horum plurimos rabie perire, scilicet morbo Canibus, & id genus animalibus solis peculiari, teste *Galeno* Idcirco Providentiam divinam magnopere laudo, & à morbo omnium longe sævissimo, humanum genus etiam invitum, tueri velle.

Non autem ignoro Hydrophobiam aliter, atque aliter in morborum classibus disponi. At tota illa contentio, an celeribus tardisve passionibus annumeretur, pauci momenti est. Etenim cum raro ante trigesimum quintum diem aquæ pavor à quo prima morbi cognitio est, incipiat; & quod celerrime deinceps hominem interficiat, acutus morbus dici potest. Veruntamen, quia post plurimum tempus morsu inflicti ægri morte afficiuntur, & quod ab ipso fere morsu diversimode sese male habeant, etiamsi morbi genus nondum percipitur, aut ne dum ille animadvertitur, ideo cum aliis antiquorum sectis (quales fuerunt Asclepiadis sectatores, authore *Aureliano*) hanc *tardam* passionem esse putare licet.

Ut autem hujus morbi descriptio perfectior sit, tam ipsius canis rabiosi, quàm hominis à morso rabiosi conditiones exponendæ sunt.

Canis vero *insania* proprie *rabies* dicitur: huic tum fere cauda demissa, oculi inflammati, lingua exerta, citra rationem currere, deinde rursus subito consistere. Siticulosi quidem sunt, non tamen bibunt, & plerunq; anhelant. Muti sunt & adeo deliri, ut ne familiarissimos cognoscunt, sed hos primum attingunt. Segnius fere incedunt, & velut somnolentiores existunt; si vero etiam cucurrerint velocius subito currunt, at intempestivus & inordinate. *Rufo & Posidentio* authoribus antiquis apud *Ætium*: non solum maximo æstu, sed etiam per maxima frigora canes in rabiem agi solent. Item potum & escam aversantur: largam spumantemque pituitam naribus & ore projiciunt: torve & solito tristius intuentur: in omnes passim sine latratu irruunt, æque feras hominesque: tam familiares, quàm ignotos mordent, nec protinus infestum quidquam infligunt, nisi vulnus, doloremque; exinde morbus ille contrahitur, qui *aquæ metus* denominatur. Illudque nosse convenit, pavorem aquæ non stato definitoq; tempore exoriri. Quidam post morsum celerius in passionem veniunt, quidam tardius: ideo etiam post annum, aut eo amplius afficiuntur: sed magis plures post

qua-

quadraginta dies. *Cæl. Aurelian.* Plurimum tamen ad quadrageſimum uſque diem neglectis differri conſuevit. Poſt ſemeſtre etiam nonnullos invadit. Quendam poſt *annum* aquam horruiſſe conſtat, quæ nobis viſa comperta fuere: narrant & poſt *ſeptennium* aquæ metu fuiſſe tentatos.

Jumentorum Hydrophobia correptorum hæc fere eſt cõditio, *Vegetio* authore.

Aliquando iumenti aquas timentis ſigna hæc ſunt, venas omnes habebit extenſas, ſudavit, ſuffuſis oculis tremoremque frendoremque patietur, illidet ſe parietibus, ex qua paſſione converti conſuevit in rabiem.

Homini autem evenit id malum cum diſtentione nervorum; totiuſque corporis rubore, præſertim faciei, cum ſudore & languore quodam. Aliqui auræ ſplendorem fugiunt, alii ſine ulla doloris intercapedine vexantur, ſunt etiam qui canum more *latratus* edunt, & obviam factos morſu adoriuntur, ac mordendo ſimili vitio labefactant.

Cæl. autem *Aurelianus* omnium Antiquorum diligentiſſimus fuit in colligendis nominibus & ſignis huius morbi. Hydrophobiam, inquit ille, alii Phobodypſon appellant, quod cum timore ſitiat aliquis, aliis *aquæ fuga* audit: aliis *cynolyſſon*, veluti ex rabie canina morbum conceptum.

Antecedens certe cauſa paſſionis eſt canis rabidi morſus: at quidam in hanc paſſionem devenerunt ſolius aſpirationis odore ex rabido cane abducto: alii rabidi canis unguibus læſi: alii à catulo parvulo læſi Hydrophobici memorantur.

Sartrix quædam ex chlamyde ſciſſa rabidis morſibus farcienda, ſuturis & filo linguam pro more ſæpius admovendo.

Alia quoque animalia apud eundem *Cæl. Aurel.* numerantur ſimili rabie noxia, ut Lupi, Urſi, Leopardi, Equi, Aſini, etiam Gallus Gallinaceus.

Imo apud illum poſſibile eſt ſine manifeſta cauſa hanc paſſionem corporibus innaſci.

Hydrophobiam autem, ſecundum eundem *Cæl. Aurelianus*, hæc fere indicia circumſcribunt: nempe *pronis* in illum, cum iam prætangi cœperit. *Anxietas* quædam ſine ulla ratione: Atq; *tracundia*, & corporis difficultas: inſolitus motus: *Somnus* etiam ſuſpenſus atq; turbatus, vel vigilia: & ſimul cibi corruptio: ſtomachi gravedo: crurum atq; brachiorum extenſio, oſcitatio iugis, & impigra levandi [an ad ambulandum] voluntas: inſueta etiam querela aeris, tanquam auſtrini, quamvis ſerena fuerit quies: item difficilis toleratio, atq; tædium, & recuſatio imbrium, *parva bibendi voluntas contra conſuetudinem*.

Obtinente vero paſſione appetentia bibendi atq; timor primum ad ipſius aquæ viſum, ſecundo etiamſi eius audierint ſonitum vel nomen; dehinc timor fomentationis olei. Pulſus denſus, parvus, inordinatus: quibuſdam ſaltus ſtomachi, torpor atque ſtupor articulorum; ſubreptio atque extenſio præcordiorum ad ſuperiores partes, & officii ventris abſentia. *Urinæ reddendæ paulatim frequentatio*, tremor atque conductio nervorum. Vox obtuſa & velut latrabilis: corporis canina involutio, [ſive decubitus caninus] ſpiratio difficilis: iactatio corporis omnis ad ingreſſum hominum; tanquam ſecum aquam afferentium: rubor vulnus atque oculorum, & corporis tenuitas, adteſtante pallore cum ſudore partium ſuperiorum. *Ventris frequens tonſio cum ſeminis involuntario iactu*: lingua prominens.

In *ultimo* etiam *ſingultus*, & vomitus fellis, ac frequentius nigri, quibuſdam etiam timor, manus oculis tenus admotæ vel circum tractæ.

Quidam ſe agnoſcere fatentur eſſe naturalem, vel conſuetum aquæ liquorem, cum ſibi monſtratur; ſed commoveri cum viderint.

Soranus ipſe teſtatur ſe vidiſſe Hydrophobum ſeſe hortantem, ut liquorem ſumeret, nec tamen potuiſſe. Aiunt & militem quendam Hydrophobum, ut *Artorius* memorat, ſibi indignatum quod in bello nulla timuerit vice, ſed nunc, aquam cum vidiſſet, eſſe conſuetudinis iucundæ ſolet, metu innenarabili terreretur.

Eudemus, *Themiſonis* ſectator, memorat fuiſſe Hydrophobum Medicum, qui cum prænoſceret periculum, ſuppli-

citer ingredientes exoraret, & cum lacrymarum fluore gutturis destillantibus tangeretur, exiliens vestem conciderit.

Soranus memorat se infantem Hydrophobum vidisse, Ubera matris expavescentem.

Atque hæc ex *Cælio Aureliano*, veterum Medicorum nulli secundo, exscripta habui.

Unum autem morbi sævissimi prognosticon restat; nempè ex iis qui hoc vitium senserint, *neminem* servatum esse: nisi forsitan ex Historia unum aut alterum evasisse audimus, teste *Dioscoride*; & idem alibi; Hoc vitio tentatus nemo servari potest. Huic etiam prognostico consentiunt fere omnes Antiqui Scriptores. Aquæ metu oppressis in angusto spes est: sic C. *Celsus*. Quum liquorem timent, & latratus edunt, spasmoq; vexantur, horum nemo ita correptus, quantum ego scio, inquit *Scribonius Largus*, expeditus est: ad idem redit sententia *Galeni*: hoc autem morbo omnium pessimo correpti aquam timent; ac propter multam ariditatem humidi desiderio tenentur, cæterùm à potu abstinent, *quia mente alienati*, id quod auxiliari potest, non considerant. Proinde fit, ut aquam fugientes inarescunt, & convelluntur ob febrem, qua intùs uruntur, miserrimoq; tandem mortis genere intereunt. Aquæ, id est, cujuslibet liquoris timor, ubi accedit, summo cruciatu ad mortem eos compellit: hæc etiam *Scribonius Largus*.

Ipso autem morbo hactenus descripto, proximum est, ut aliquot Ægrotos, pro more nostro, exhibeamus; nempe ad majorem morbi elucidationem. At rarissimi hi sunt: imò in tota Historia medica, quantùm legi, tam antiqua quam moderna, vix unum aut alterum ægrum *ex integro narratum* invenire licet; quod fonte ab istiusmodi ægrotis etiam Medici abhorrere consueverunt; cum saliva non ipsius canis tantùm, sed & hominis rabiosi inficere potis est: neq; enim infectionem aliquibus assidentibus, maxime si vitiosi corporis habitus sint, mediante spiritu communi, communicari posse, non multum dubitare videtur *Dioscorides*.

ÆGROTUS I.

Jacobus Corton, juvenis procerus, atque admodum robustus: à Cane quodam rabioso dextra manu leviter morsus est; vulnusculum per se senatum est; imò res ipsa & sibi & uxori omninò oblita est; mihi tamen respondit (cum Hydrophobia correptus est, & ea a me causa assignata est, cur aquam jam bibere non potuit) se uxori dixisse, illud sibi valdè mirum visum fuit, quòd canis, antea sibi tam familiaris, ipsum tunc morderet: at è memoria id totum sibi excidit. Post quadraginta verò plus minus dies de dolore quodam totum quidem corpus, maximeq; dorsum & tota circumcirca præcordia, vehementer afficiente queritur; pallescit, huic cavio culi, &c. Die autem tertio à primo insultu ad vesperum, circiter medium *Martium*, anno 1682. Spiritum Vini dictum meracum, & calefactum, petiit potavit, lecto decubuit, vomuit, noctem inquietam egit, & postridie manè valdè ægrotavit cum stomachi vehementi insultu; & quamvis *minime sitiebat*, tamen omnino bibere non potuit; imò jam propriam salivam ægrè quidem deglutiebat, quod ipsi, ut nobis serio multoties asseveravit, vel morte pejuserat: ejusdem autem die manè, & Diascordii tantillum, & aquam Theriacalem ei obtulit quidam Pharmacopola. Diascordium quidem sumpsit, at aquam gustare non potuit. Atque hæc manè: Prima autem ejusdem diei pomeridiana hominem primum vidi, lecto decumbentem; pulsum protinus exploravi admodum tardum, & interdum inæqualem; at neque id, nisi ab aliquo stomachi gravi insultu; habitus corporis frigidus, lingua non sicca, sed flexilis & humida, subalbida. Hominem surgere jussi, & ante claram lucem eum posui; & quod de nescio qua gravi ægritudine circa stomachum multum querebatur, aquam Theriacalem, quæ ad manus erat, propinavi: cum ori ejus poculum appropinquarem, inhorruit quidem tremuitque illud equidem infinita admiratione spectabam; adeoque vinum aquamve petii; & aquam mihi ejus necessarii attulerunt, quam

quam ei statim potandam dedi; sed vehementer ad eam resiliit, & ejus stomachus modo quodam insolito valdè intumuit, & tunc pulsus ei multum tremulus & commotus est: amplius autem cum bibendum provocavi; sed ut ad ejus os aquam propius moverem, magisque attonitus, caput retro avertebat, singultiens, & eam torvis oculis intuens, non sine dentium stridore tandem & vociferatione. Illud vehementer miratus sum, nec ejus symptomatis rationem ullo modo reddere potui, diu vero cogitabundus, feliciter mihi in mentem venit, hunc *Aquæ metum* esse, mihi tantum ad hoc tempus ex libris cognitum, nondum tamen visum. Quo adverso, iterum atque iterum hominem ad bibendum provocavi, & toties illum valde perturbatum expertus sum, maximè ad aquæ appulsum: Tandem uxoris matrem & ancillam adstantes interrogavi, qua corporis parte nuper vulneratus est, qua quidem quæstione confusæ, respondérunt, Quare id quærebam se velle scire: Illum a quodam cane morsum esse dixi. Id verum est, ipse ægrotus territus subito mihi respondit, a cane cujusdam *Sutton*, vicini mei, morsus sum, sed vulnus jamdiu sanatum est. Post hæc hominem rursus decumbere jussi, illumque reliqui. Uxorem autem & necessarios alibi domi conveni, & eius mortem, ut rem certissimam prædixi, siquidem tardius esset, quam opem aliquam ferre potuerim, item neminem præter custodes, strenuos aliquot viros, illi adesse permittere volui.

Venam autem in brachio demorsæ manus statim secandam curavi, vulus scarificatione profundiore aperui & vesicatoria superinieci, eadem regioni inter scapulari, tibiis & brachiis ex interna parte admovi, item Antidotos & famosas & usitatas, ut Theriacam *Andromachi*, cinerem Cancrorum fluviatilium, Rutam, Agaricum, &c. forma boli propinavi. Illud autem notandum est, *solida* quæque cochleari assumere potuit, (quod ut jam video *C. Celsum* non latuit) sed id non sine multo tremore & metu: obnixe supplicans, ut caute id fiat, neque aliquis ea subito & improviso afferret; & ut in eius manus leniter deponerentur, quibus acceptis, manum suam suspensam paulatim versus os dirigens, subito cochleare intra id, velut eiaculando, conjicere voluit, & dicto citius, velut *canis ad offam* quicquid in cochleare contentum est, degluti. re, idque multo expeditius, voraciusq; quam est hominum aut consuetudo aut natura. Ex variis Antidotis aliquid singulis horis ad multam noctem sumpsit, & semper ad modum jam descriptum: item Potionem plurium generum subinde obtulerunt die nocteque quam tamen nunquam sine horrore vidit, *gravi stomachi motu superveniente*. At Salivam diglutire ei horrendum fuit, perinde, ac si mortem ipso momento inferret. Nox illa ex toto insomnis fuit.

Postridie vero eius sanguinem, e venis missum, diligenter inspexi, optime quidem se habentem, & colore, & consistentia, & proportione utriusque partis seri ac crassamenti rubri, & sanorum sane quam simillimum.

Febricitavit iam primum, & pulsus iam celerrimus, fortasse magis a calidis Antidotis, multoties exhibitis, & vigilia perpetua & animi anxietate, quam a morbo. Aqua denuo oblata est, sed frustra; imo me magnopere rogavit, ut non amplius ei molestus esse velim, ut saltem quiete mori sinerem, adeo aqua ei terribilis, ut nihil supra, sed & omnia alia quæcunque illi iam terrorem incutere dixit, eius mortem iamiam instare sentit, quod animo, inquit, pene defecturus sum, & admodum quidem pallidus, & cavo & tenui vultu erat.

Multa autem difficultate hominem vestitum persuasi, ut se in faciem inclinaret, lectoq; incumbentem, sese super ventrem prosterneret: pectore tamen & vultu in terram ultra lectum libere deorsum prospiciente: nam mihi verisimile esse videbatur, ut hoc corporis positu [sc. *canino* aut quadrupedum more, quam erectiore, humanoq;] facilius biberet. Itaque cerevisiæ tenuioris Urnam capacem ipsius ori placide subiici curavi, quam, protinus ut aspiceret, infinito gaudio amplexus est, & eius odore se admodum refici dixit, potionemque iam cum insigni voluptate vi-

dit; seque minime dubitare, quin totam Urnam siccare posset affirmavit; & qui jam tantùm non moribundus videbatur, jocosè loquutus est, & cum uxore & necessariis ejus multa lepide & jucunde confabulatus est; inventionem meam mirifice laudat, mihiq; gratias quàm maximas ex animo dedit, &c. Caput autem versus cerevisiam maxima festinatione impetuq; movebat; sed frustrà, nam, quoties labia aperuit, stomachus vehementer offensus est; linguam jam exeruit, ac si lamberet; sed cùm vel summo ejus apice cerevisiam tangere contigit territus resiluit; bibendi tamen vana imagine usq; delectatus est; amphoramque e conspectu ejus subducere ancillam sinere noluit; & quoties eam parum & leniter subtrahere conata est, odorem sequutus est naribus, canum more follicans. Diu & multum sic frustrà fatigatus, se jam plurimum offendi dixit odore cerevisiæ tenuioris, scilicet nimium vapido & languido; idque sibi ne biberet impedimento esse; itaque *alam* (fortiorem cerevisiam nostratibus dictam) petiit. Atque illa ex voto dicto citius oblata est sed post infinitos conatus, & linguam milies, canino more, exertam, neque ex ea vel primis labiis gustare potuit. Atq; hac positione modo ventri incumbens, modò manibus & genubus innixus, integra minimum hora persistebat [*Tantalum* agens] at omnino citra potionem. Deinceps, tenuis fistulæ, e pennis coagmentatis confectæ, alterum caput ejus ori, atque alterum cerevisiæ immittimus; sed illo Syphone uti non potuit atque idem esse videbatur, ac si quis illum Canis ori intrusisset. Ita vexatus, me persuadente, tandem decubuit, & non multo post exitum meum nervorum contractione correptus est, ore spumavit, *latravit*, adstantes dentibus petiit.

Hoc autem paroxysmo finito *Elleborismum* in bolo propinavi, quod libenter avideque, perinde ut cætera, sumpsit, ab eo ter quaterve copiose vomuit, eoque se multum levari dixit: tamen subinde convellebatur, & in accessionibus semper desipiebat. Post quatuor autem horas hominem rursus visitavi, & iam Sacerdos etiam accersitus est, quocum multa loquutus est sobrie & pie, præcesq; publicas ab eo repetens, & sacramentum mensæ Dominicæ vehementer petiit; quod tamen propter morbum dare non licuit; Testamentum scribi jussit & rationum libros inspexit, Post hæc rursus hominem ad bibendum sollicitavi, & iam prompte seipsum in ventrem sua sponte vertebat, omnique artificio & ingenio usus est, ut de cerevisia capiti subiecta biberet; sed nunc ut olim frustra. Insuper poculum exiguum argenteum, Potionis plenum, in eius manum tradidi; quod, cum prope os leniter & suspensa admodum manu admovisset, subito intra proprias fauces illud eiaculare voluit, ut de bolis facere consuevit, sed dentibus allisum, in amphoram subiectam cecidit.

Illum autem, cum non meminissem, toto debitus tempore vel minxisse vel semel deiecisse; ideo enema dari curavi, quod protinus reiecit & convulsus occubuit. At eum non minxisse, & satyriasi molestissima correptum fuisse, (de qua plurimum quęstus est, maxime cum in genibus & manibus incumbebat lecto) à vesicatoriis potius, quam a morbo oriri, verisimilius mihi esse videbatur; at lecto postea *Cœlio Aureliano*, Antiquorum diligentissimo (si quis alius) scriptore, ipsius morbi unum *è propriis signis* esse cognovi.

Ne quid autem omitterem de iis, quæ aliquo modo ad morbi intelligentiam facere possit, insuper dicam, me quandam mulierem e propinquis eius forte convenisse, cuius filia, ut mihi retulit, valde anxia erat, ne illa quoq; periclitaretur, quod hic vir à sua domo redeuntem puellam nocte conducere ad ædes maternas voluit, seq; bene meminisse eius manum, qua illum tenebat, totumq; corpus tremuisse, frigido sudore maduisse, multumq: secum murmurasse, ut illum rogaret, quomodo se haberet, respondit, post operam quotidianam, [nam supellecticarius erat] ita se male habere nuper consuevit.

Neque illud silentio prætereundum est ipsum canem, à quo morsus est, hominem ea nocte sequutum esse: imo

ipse

ipse canis vivus & sanus esse videbatur, quo tempore homo mortuus est.

ÆGROTUS II.

Ad hæc: D. *VViddovv*, ipso authore, mihi hæc narravit; nempè ad illud tempus, quo *Corton* morsus est, ab eodem ipso cane nigro ejusdem *Sutton*, Catulus in ejus officina morsus est. Postridiè autem à morsu idem Catulus & Dominum & ancillam, illum in manu, hanc in tibia, & eo ipso die moriebatur. Post mensem verò malè se habuit, & cordis dolore vexatus est, non sine aliquo tremore & metu, per triduum vix dormivit, sanguinem mitti curavit & melius se habuit. Ancilla autem de nulla noxa adhuc querebatur.

ÆGROTUS III.

Puella quædam, duodecim annos nata, à cane rabioso morsa est ad Talum: cutis autem ejus non lacerata est aliquo vulnere; at penitùs impressi sunt canis dentes, eorumque vestigia ad aliquot dies manebant: huic autem in ea parte nescio quis *dolor Vrnes*, per intervalla accedens: à sexto verò, ut memini, die à morsu adeò intolerabilis fuit, ut præ dolore vehementer vociferavit, pungente, atque urente dolore, ac si carbone aliquo vivo afficeretur; is verò dolor usq; ad genu ascendebat; imo eo tempore planè aliena loquuta est.

ÆGROTUS IV.

Quædam mulier, 60 annos nata, ex summatre vehementer phrenetica; ab ipsis cunabilis [ut mihi à fide dignis relatum est] hujus mali materni quædam signa habuit: ex. gr. nunquam in vita nisi pitissando, & cum nescio qua difficultate bibere potuit; contrà, cibum & multum & avidè sumebat: aquam semper vehementer inhorruit, ut naviculæ in flumine se nunquam committere persuaderi potuit; imo iter factura vehiculo, aquę metu supra modum affecta est; item repentinos pavores sine causa vehementer passa est: subito & supra humanitatem præterq; omnem rationem [aliàs mitissima Fœmina] irasci solebat.

ÆGROTUS V.

Quidam quinquagenarius, Mercatoribus notissimus institor, habitans in *Pyealley*, ad vicum vulgo dictum *Fenchurch-street*: morbo quodam valdè inusitato ex 25. annis graviter affectus est: me vero per Pharmacopolam vicinum accersivit ejus uxor, ut de re, per neminem adhuc vel infinitis remediis levata, saltem judicium meum ferre velim: hominem vidi athleticum quidem & alias sanum, & dum ei adstabam, bis aut ter convulsus est ad hunc semper modum; nimirùm, caput ejus *de humero ad humerum* admodùm veloci vibratione concessum est, non sine dentium stridore; idq; si nocte in lecto contingat, quod tamen sępissimè fit, cum quodam horrendo murmure perpetrari solet, ut ejus uxor nobis author fuit: hæ autem *vibrationes* tanta pernicitate transactæ non diu durant, tamen cùm frequentes sunt, hominem supra fidem fatigant, ad plures vero menses in anno nihil istiusmodi mali patitur, sed integer est. Ego autem, cùm is *canimus contussus* planè mihi visus fuit, hominem protinus interrogavi quoties (Pharmacopola præsente) & quibus corporis membris Cane morsus est? At mihi non sine gravi iracundia respondit, bis: sed utrumque in tibia, & sibi vel puero vel adolescentulo contigisse. Cum hæc mea interrogatio hominem valdè morosum reddiderat, parum aut nihil amplius loquutus, ei valedixi.

Elapso autem anno, rursus, sua jam sponte, eodem pharmacopola nuncio, me rogavit ut ad se venirem, excusatione autem ab ipso præfata. Ejus malum a Canum morsibus, tibiæ olim inflictis, quorum cicatrices, nudata tibia, mihi libenter ostendit, posse oriri, verisimile est, maxime quod ejus Uxor sæpius observaverit istum stridorem, & dentium concussionem & murmur in nocturnis paroxysmis usitatum, canem quendam latrantem valde prope imitari, aliaque non di-

dicenda mihi narravit, quæ nobis fidem utiq; faciebant, me de morbi natura recte conjecturam feciſſe; opemque meam ſuppliciter rogarunt, quod quo vir ſeneſcat, eo etiam malum gravius inveteraſcere & multo pejus fieri, Pulverem autem *Antilyſſum* diu ſumendum præſcripſi, &, ut memini, aliquoties in menſe *Helleboriſmum*, de effectu autem medicamentorum, & an illa ſumpſerit, nunquam audivi, & iſtiuſmodi homines cito remediis ſatiati credibile eſt, & ſi boni alicujus eventus fuerint, ſane præter expectationem meam id eſſe, propter diuturnum vehementis morbi malum habitum. At Ægrotus jam vivit, & mihi nuperrime narravit ipſe Pharmacopola, *vicinus eius*.

Ægroti quidam (*manuſcripti* ex minio) ad marginem cujuſdam libri *San-Ardoin* de venenis, ad Medicum quendam eximium, *Herenchoct K*, olim pertinentis: hos autem mecum communicavit pro candore ſuo notiſſimo, Doctiſſimus vir D. D. *Franciſcus Bernard*, illoſque ſane publica luce dignos exiſtimavi.

VI.

Notanda Hiſtoria cujuſdam, qui tertio demum anno poſt morſum interiit: *Septimo* autem quoque die, eadem hora, qua demorſus fuerit, toto triennio in rabiem agebatur: an rabiei ſupervenit *Septimana* febris?

VII.

Vidi in ſene Septuagenario, qui poſt XL. dies Hydrophobia correptus, quinto ab ejus inſultu die, me mordere appetens, & ſalivam plurimam ex ore profundens, interiit: demorſus autem fuerat ad auris pinnam.

VIII.

Memento Inſtitoris *Pariſienſis*, quem vidi; is à cane *non rapido* demorſus circa malleolum, ſine vulnere, per ſeptem annos integros, me ſpectatore, & ſi adhuc vivit, per decem, quotidie millies in quacunque corporis parte, ſæviſſimos percipiebat cruciatus, præſertim in *Pene*, quaſi ab adactis vitri fragmentis: carnoſus aliàs & boni habitus: nullum ipſi levamen niſi in *vino* generoſo, & laudano, quo per plures menſes ſæpiùs in die uſus eſt.

Atque hæc hactenus de Ægrotis: deinceps verò huius mali rationem explicare aggrediar.

At breviter videamus, quæ Antiquorum de hac re notitia fuit.

Igitur alii, referente *Cæl. Aurelian.* Hydrophobicam paſſionum melancholiam eſſe voluerunt.

Ab *Hypocrate* vero βεβυπὶτκκ, *i. e.* parvi *bibuli*; appellantur Hydrophobi quos brachypotos vocant, hoc eſt, quod modicum biberent, ob timorem liquoris.

Corporis paſſionem eſſe, *i. e.* omne corpus pari: plus tamen ſtomachus patitur, atque venter, ſiquidem in ipſis ſigna plura & manifeſtiora; ut *ſingultus*: egerendorum retentio.

At ex noſtra obſervatione *ipſam Salivam præcipuè vitiari*; atq; in ea unicum eſſe virus, experimentis credo. Etenim hæc fere vulnera inficere ſolet, at ſine vulnere, etiam vel ab ipſis labiis aut linguæ ope communicata idem aliquando malum attuliſſe, ut ex ſartrice *C. Aureliani* conſtat, idemque atteſtante hujus ſuculi fide digniſſimo *Fab. Hildano*.

Huic accedit illud, nempe aliorum morſuum venenatorum non aliam cauſam eſſe; Viperæ puta, aut Dipſadis, &c. ſiquidem ab his Animalibus una evidens ſaliva vulneri infunditur; quam ſalivam per ſe quoque venenatam eſſe extra dubium ponitur, infinitis experimentis à *F. Redi* excogitatis.

Porro, canem ore tenus plus imitantur hi ægroti, quàm ullis aliis corporis membris; ubi ſcilicet Salivæ propria excretoria vaſa ſunt.

Poſtremo *hominis* & aliorum omnium quadrupedum rabioſorum, videlicet ex canina rabie affectorum, *morſum* idem *viroſum* eſſe, aliàs innoxium; licet id ſæpiùs fiat ab ægrotis ex febribus putridis, aut aliàs vehementer inſanientibus notiſſimum eſt. Atque adeo ipſa eorum ſaliva, æque ac canum, contagioſa eſt.

Ad

Ad eius vero rei explicationem hæc imprimis faciunt: nimirum à morsu canis rabiosi novam naturam caninam aliquatenus homini superinduci. Id quod liquido constat, ex eius latratu vere canino; ex linguæ exertione, rapidoque deglutiendi modo: ex potionis horrore in erectiore hominis positione; contra procumbenti, quadrupedum more, eius delectabilis prospectus, spontanea & vehemens appetitio.

At bibere tamen non possunt, altero demum modo iis offeratur aqua: adeoq; aliquid intus impedimenti; verbi causa, vel faucium tumor, qualis in Angina, quod aliquid intus impedimenti; verbi causa, vel faucium tumor, qualis in Angina, quod aliquibus, ut video, modernis placuit; vel quod eædem contractæ & aridæ sint. At omnino nullum horum est: siquidem bolos dictos optime & facilime, imo avide, canum more, appetunt devorantq;, cum ne linguæ quidem apice potionem ullius generis tetigisse valeant. Quid ergo est? plane *ipsa saliva* in causa est: nam quoties illam deglutire contingit, ut ex nostro primo ægroto centies dictum audivi, stomachus tanquam contra rem maxime odiosam insurgere solet: nec aliud molestius, aut gravius symptomata, quam quod ex mota saliva oritur. Quæ itaque humida sunt, cum ex similitudine naturæ communis crassis & solidis cibis promptius salivam movere soleant, ideo multo magis abhorreri credibile est. Potionem itaque hi miseri per se non recusant, sed quod propriam salivam venenatam a potulentis vehementius motam, amplius deglutire in stomachum non sustineant. *Galenum* itaque multum errasse a vero constat, dicentem hoc morbo male affectos a potu abstinere, quia a mente alienati sunt: ut id, quoq; iis auxiliari potest, non considerent.

At noster Ægrotus, ut potionem primis paroxismi diebus non magnopere desiderabat; ita à calidis medicamentis cum sitis ei infinita excitata sit; tamen & potionum genera optime cognovit, earumque usum, & necessitatem; at citra potentiam bibendi.

Alia autem dubia restant satisfacienda. *Primùm*, cur sola saliva inficiatur & non alii humores & ipse sanguis? Respondeo, ita quidem aliquatenus esse; quod liquet ex ægrotorum habitu, & conditione corporis ante paroxysmi adventum; siquidem tremunt frigentque; at ipse impetus morbosus in salivam maxime erumpit, ut pote *congenerem* humorem. Sanguis autem massam esse duos distinctos humores alibi ostendi; aliumq; adeo posse infici, alio integro, credibile est. Cumque e sero saliva proxime conficiatur, qui in sanguine caninæ salivæ magis affinis est, ex communi natura potius affici, verisimile est.

Altera quæstio est, Cur canini generis saliva sola rabie afficiat, & non aliorum quorumvis quadrupedum insanientium? *Galeno* authore, (de locis affectis, *lib.* 11. *cap.* 5. item 6. de interioribus, *cap.* 4.) reliquorum animalium *nullum* rabie arripitur; solus canis eo affectu corripitur, tantaque sit in ipso humoris corruptio, ut vel solum ejus sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem excitare sit potens, proculdubio hoc exhibuit *Galenus* ex veterum naturalistarum fide & authoritate.

Non autem ignoro alios ex antiquis aliter sensisse: nam *C. Aurelianus* inter caninum genus, ut Vulpem, Lupumque, etiam Ursum, Leopardum, Equum, Asinum, imo ipsum Gallum Gallinaceum, numerat.

Hæc omnia & alia plurima animalium genera ex febribus, & ob alias causas, insanire non dubitandum: imo & *rabie* interdum affici, aliaque quæ momorderint, in tabiem similiter adigere solere. At ex rabie canina hæc effecta esse, non ex seipsis illæsis, credibile est.

Morsus humanus, (etiam phrenitici aut aliter insanientis) nisi ex aliquo canino prævio infectus, nocivus non est. Si quidem nusquam, quod scio, proditum est maniacum, mania aliquem ex vulnere aut morsu affeciisse. Ita de aliorum animalium *furore naturali* cogitandum est.

Soli itaque canes *rabie infectiora* noxii sunt, & qui ab iis rabiosis morsi insaniunt quæ *Galeni* sententia fuit.

Et si contingat, inquit S. *Ardoynus*, aliquod aliud animal rabiosum effici, illud accidit, quia a rabido cane, aut *à morso* ab ipso, *morsum fuerit*: & si absque hoc aliquod aliud animal videatur rabidum effici, erit *rabidum non vera rabie*, juxta *Galeni* mentem sed dispositione quadam simili rabiei caninæ, vera itaque & propria rabies aliis animalibus non accidit, *cani* soli & id genus animalibus proprietas est, quatenus ita mirabilia & sæva symptomata communicari possunt.

Apud veteres tamen quosdam alia invaluit opinio, nempe esse possibile sine manifesta causa hanc passionem corporibus aliquando innasci. At hæc mera eorum conjectura est, & ob ignorantiam facti prodita.

Quid autem sit peculiare in genere canino, quod hanc infectoriam rabiem efficiat, difficile est dicere.

Illud interim notare lubet, Canes ferè omnium quadrupedum minime sudare, etiam æstuantes & ex vehementi & diuturno cursu fatigatos, sed linguis valde exertis, salivam magno & continuo anhelitu effundunt, quam ob rem eorum salivam magis salsam acremque esse verisimile est, maximeque si quando, more aliorum animalium, ægrotantes insaniant Imo propter eamdem fortasse rationem omnium *Serpentium*, id est, frigidorum, & non sudantium animalium, etiam omni tempore & sanitate integra, *saliva* virosa est, & in plerisque supra fidem *septica* quod nempe nullibi corporis nisi in ore ventiletur, & ab acredine sua purgetur. De salive autem natura salsa & exedente alibi multa a me dicta sunt, scilicet in Tratatu *de Humoribus*, ubi de Concoctione agimus.

Amplius quæri potest, cur aliqui ex morsu canis rabiosi non Hydrophobici fiunt? atque adeo de vita non multùm periclitantur, sed mitioribus quibusdam symptomatibus & citra quæ pavorem certis anni temporibus, & certis hominum ætatibus ægrotant.

De haud autem quæstione veterum nonnulli cum nostris observationibus non conveniunt. Democrito (Hippocrati *coætaneo, & naturæ rerum omnium longe sagacissimo*) *non danda fide est, inquit* Cæl. Aurelianus, *dicenti, Hydrophobas quosdam* levi (*aquæ*) *timore affectos*, biennium *transegisse. At ipse* Hippocrates *idem cum* Democrito *videtur exhibuisse, cum* parvibibulos *Hydrophobos appellet, & brachypotas, ut supra dictum est.*

At ex nostris ægrotis, id esse verum abunde constat.

Quæstioni itaq; bene fundatæ respondeo: Canis alicujus saliva possit interdum graviter esse virosa, & Hydrophobiam inducere interdum ex alio aliquo morbo, quo canis laborare possit, multo mitius inficere. Rursus, *incipiente, aut declinante canis alicuius rabie, quos tunc is mordere contingerit, eos lenius infici, quàm alios in vigore accessionis morsos, verisimile est.* Deinde, *quòd aliquod extremum membrum, pes puta, morsum sit, cùm labium aut manus istiusmodi infectioni opportunior esse videtur.* His adde, *remedia etiam prophylactica, vel minore modo, quam par erat, aut gravissimum malum futuram exigebat, data fuisse, adeoque hominibus morsis tantùm ex morbi maligna certe parte, & non ex toto occursum est.* Postremo, *cum canibus hæc lues propria & peculiaris sit, iis tamen omnibus & singulis non tam funesta est, sed sæpe per se sanantur, ut qui venaticos canes nutriunt, bene norunt: imò & homines similiter, etiamsi à cane rabioso morsi sint, non semper tamen Hydrophobici moriuntur, sed à morbo tuti esse videntur, cum tamen vel iidem ipsi, vel eorum nati* insania peculiari & infectoria *vitientur in plures usque generationes.*

Ex hac itaque & superiore Quæstione triste corrollarium *deducere licet, nimirum hinc familiarum insignem calamitatem oriri posse verisimillimum est. Etenim si sola canina rabies ex omnibus animalibus communicari potest, scilicet de cane in hominem transferri, deq; homine similiter in hominem, & sic in infinitum, idque à solo contactu salivæ absque vulnere; quidni per semen ge-*

ni-

nitale? Et si illa lues ad Hydrophobiam non semper attingat; sed salva hominum vita, non dicendis symptomatibus quod adhuc plerisque nostris hominibus non animadversa fuerint, propagari possit; tot & tantarum maximè illustrium familiarum (qubius canes præ pauperibus in deliciis sunt) ubique terrarum melancholiam nescio quam & insaniam hæreditariam ex his fere causis nasci non sine ratione vehementer suspicari, fas est.

Hæc autem non protuli insolentiæ aut animi causa; sed veras causas tanti mali indagando, quo nostri homines melius & majori cum effectu curas intendant: cum alia profecto sit vulgaris phrenitis maniave, atque alia rabies, & ab ea orta melancholia hæreditaria mille larvis simulata.

Reliquum est, ut rationes curativas & remedia huic morbo præcipuè accommodata expediam. Hæc autem ad duas præcipuè intentiones dirigi solent; nempe vel non permittunt homines morsos in aquæ timorem incidere; vel Hydrophobicos, quos ipse morbus aquæ timore occupavit, curant; at utriusque intentionis pleraque remedia communia sunt.

At cum saliva venenata præcipuè noxia sit, illa imprimis evacuanda, temperandaque, ne stomachum amplius offendat.

In primo autem censu sunt chirurgica; ut cucurbitula, ignis, medicamenta exedentia vulneri admota, balneum, & vehementes sudationes, fricationes ex oleo, multum & meracum vinum, lac, pinguia jusculà, &c. At hæc omnibus venenis communia remedia sunt.

Item, Antidota: quorum præcipua Thetiaca Mithridatica secundùm *Andromachum* aut ipsum *Mithridatium*: hæc autem ideo benè faciunt quod ex aromatibus conficiantur, quæ medicamenta viribus & substantiis ægrè permutantur à stomacho visceribusve: cum itaque intra corporis habitum parum mutata & tantum non integra admissa fuerint, qualitates alienas, si quæ occurrant, & naturæ inimicas, facilè vincunt. Etenim quæ difficulter concoquantur, vix alibi corporis aboleri possint; itaque venenis rectè obiiciunt ad ejus acrimoniam obtundendam, *Dioscoride* aliisque veteribus authoribus: imo propter hanc rationem intinctibus & condimentis miscentur aromata, ut acida & salsa temperentur; sic vinum, ex. gr. ingratum, acidumque, absinthii tantillo fit jucundum & potabile: adeoque ad virosam Salivam corrigendam, ne stomachum nimium lædat, benè facere existimanda sunt. Atque hæc Antidotorum communis ratio est; ut quæ illis facultates naturæ, id est, communibus sensibus amicæ & gratissimæ insint, illas & ipso stomacho corporisq; habitu, ad ipsa usque excretoria vasa sartas tectas conservent.

In eodem censu Antidotorum à veteribus numerantur etiam simplicia quęq; medicamenta; imò & interdum medicamenta *proprie & per se purgantia*, si *minori modo* dentur, quam ut alvum movere possint; ut Hiera in hoc morbo quotidie exhibita citra purgationem: & tunc *auxiliari* medicamentum, id est, Antidotum apud eosdem audit.

Pergo ad alia Antidota: illud autem è *nucibus iuglandibus* per se quoque alvum, at leniter, movet; sed ad venena mirificè apud antiquos commendatur; siquidem in his nucibus insunt qualitates maximè desideratę: earum oleum vere anodynum est, & privatim adhiberi solet ad inflammationes: idem de istiusmodi nucibos testatur *Ætius* supra hoc, quod affectioni rabiosę resistit; Somnum, inquit, conciliat, & febricitantibus convenit. At alia peculiaris qualitas his nucibus donatur, [quę ei cum oleo ex semine lini & papaveris communis est] nimirum per se siccari, pictoribus hodiernis notissima. Atque adeo hę nuces propter hanc præcipuè rationem aptę natæ sunt salivam acrem & venenosam obtundere. Etenim cum corporis humani omnia salia fere urinosa sint, id est glabra & pinguia, quod digitorum atritione plane, constat, hu-

jus-

jusmodi olea ex similitudine & natura quadam communi propius associari, & cum levi corporis calore quæ earum proprietas est; strictius uniri posse credibile est. Quemadmodum in saponis confectione, calcis vim *septicam* & salis lixivii pinguem acrimoniam, ob facilem coalitionem cum oleo olivarum pisciúmve [etiamsi illa præ nostris oleis jam dictis minimè apta sint per se siccari, qui adstrictionem inter se unionem aliquis tamen defectus est] admodum retundi, & mitissimum medicamentum reddi videmus.

Procedo ad alia Antidota prophylactica, inter quæ numerantur *Cinis cancrorum fluviatilium*: *Hippocampus marinus*: item *Silvestris rosæ Tuberculum* ex *Plinio*, Hæc autem omnia quandam inter se affinitatem habent: nam & cancri, & animalcula rosæ silvestris exanguia sunt; *Hippocampus* verò marinus, etiamsi è piscium pinnatorum genere sit, cum valde osseus est, ideoque & propter parvitatem suam veteribus exanguis quoque visus est: imo vero piscium ossa, crustæ testæq; exanguium eandem ferè naturam qualitesque analogas habent.

At cineres cancri usti in præcipuis medicaminibus sunt: ad magnum modum (ad ℥i. minimùm, aut ℥ii. si tarde dentur à morsu) & per se à veteribus multa fidua [a] ad hoc malum præcavendum iidem dabantur: de pulverum vero testaceorum facultatibus, tam crudorum, quam ustorum, in Tractatu *de Humoribus* fusiùs egimus. Interim illud scire licet, illos esse è mitissimis colliquantibus medicamentis, adeòque apprime utiles ad imbecillum stomachum saliva venenosa offensum, ejusque acrimoniam optimè iis temperari posse verisimile est; multoq; magis, quod is pulvis è cancris fluviatilibus confici debet; utpote marinis, quibus salsedo major lenioribus; item ob similem rationem ad serpentum morsus & ad tabem bene faciunt, authore *Dioscoride*.

Porrò *Helleborus albus* apud antiquos laudatur, & sternutamentis, & clysteribus aut balanis podici supponendis inditus. De infinita autem efficacia huius medicamenti ad insaniam curandam alibi erit disputandi locus, sed an ad Hydrophobiam privatim benè faciat, hæreo. Illud quidam verum est, hoc medicamentum pituitam vehementer movere, evacuaréque; quæ cùm salivæ venenatæ proxima materia sit, sic forte adjuvare possit. At metuo ne nervorum contractiones acceleret. Idem de Diagridio & Elaterio dando sentit *C. Aurelianus*; nempe incongrue agitant atque gravant ægros, & non eo tempore, quo permitti potui usus supra dictorum, præcautionis causa ac effugiendæ passionis. Hæc itaque & similia ante accessionem Hydrophobiæ, & proxime à morsu, si quid commodi inde expectare licet, exhibenda sunt. Siquidem incepto semel aquæ pavore nunquam puram & sinceram dimissionem habeat Hydrophobia, in qua sola dandum est Helleborum.

Proximo loco Antidoti *Apulei Celsi* exhibendi modum paucis perpendamus: illo vero in ipsa correptione uti oportet; ad ℥i. dato cum *rosæ* cyathis tribus & exigua aqua; Hoc proficit ut aquam postea sine timore sumant, & minus quidem liberati hac difficultate cruciantur. De Antidotis autem supra satis diximus.

De *oleo* verò *rosato* mihi amplius differere lubet. Non ita dissimile remedium & optimæ, ut mihi sane videtur, spei. Cùm *Aceto* jumentis Hydrophobicis adhibet *Vegetius*; at illo tantum eorum nares & caput diligentissime perungit, & sanitatem promittit. At summa difficultas est in exibitione alicuius humoris quod *Scribonio* tamen *Largo* satis bene provisum est; remedium ejus ipsa correptione *ineunte*, exhiberi debet: concedatur itaque id fieri posse; olei tamen rosati quantitas præscripta admiranda est, scilicet ad quinq; fere uncias: at tamen sallvæ venenatæ ore faucibus, stomachoq; commistum, ejus virus habitare potest; maxime quod oleum ipsarum rosarum, rerum insigniter lenientium, ad satietatem usq; particeps est;

[a] *Cineris ustis nemo usus est, mortuus est.* Galen.

est; ita ut postea sine metu bibant haud incredibile est. Ulteriùs videant, quibus opportunitas est id genus medicamenta experiundi.

Ultimo loco. Aquæ exhibitionem violentam consideremus. Nam sunt apud veteres qui nihil aliud, quam potum dare quoquomodo nituntur.

Nunc gelu, vel nivem offerentes ægrotis, tunc viridem ficum, vel purum, aut cucumerem, & his similia, referente *C. Aureliano*.

Antiqui *autem Medici* alios atque alios modos bibendi invenerunt.

Alij calami perforati initium ori ægrotantis immittunt; de hinc ex alia parte per aliam cavernam aquam infundunt.

Alij poculo, lineo panno subter impositio, vel bellulæ pelle (hyemæ puta) potandum putant: scilicet superstitione traducti, quod naturalis authoritas belluarum, quæ canibus est contraria, timorem ægrotantium solvat.

Democritus autem ex antiquissimis medicis, & qui *Hippocrati* convixit; jubet origani decoctionem dari atque ipsum *poculum*, quo bibant, in sphæræ *rotunditatem* formari.

Si commoti aut irrati fuerint audito potu, erit differenda oblatio: dandus interea potus in *Fictili vasculo subtili caverna perforato*, tanquam sunt pupillæ Uberum, & dandus, projecto oculis obstaculo, vel temporaliter clausis fenestris.

At de his ex nostra observatione supra comprehensa dicere licet cum *C. Aureliano*, nempe hæc quæ vulgus per experientia probata putat, longè aliena ab arte monstrantur & frustra omnia excogitata fuisse.

Porrò, *parum* olei sive calidæ, ut poterit contineri per podicem, clystere injiciatur: Atque id ad minuendam sitim; nam non solum dysentericis injectum medicamen superiora invadens, sæpè stomachum atque caput vexare accepimus, siquidem eò necessario pervenit, sed etiam calidam & oleum pervenire posse concepimus, quo partibus iisdem irrigationis præbeat laxamentum.

Restat autem dimersio involuntaria in frigidam, quod & nostris hominibus, ut video, placuit: de hoc verò remedio *C. Aurelianus* audiendus est. Quidam medici, inquit ille, ut *Arterius* memorat, alios in vasculum plenum frigida miserunt, alios in puteum posuerunt, saccis immissos, vel inclusos, ut necessitate bibere cogerentur. Alij in aquam calidam.

Quos optime reprehendit idem antiquissimus scriptor, dicens illos nescios esse, quod passionis curationem illam esse, non ut *bibant ægrotantes*, sed ut *bibere velint*; quod fit cum passio fuerit adjutoriis destructa.

Multi denique etiam bibentes *raptu* affecti sunt graviore, & convulsi ex frigida interficiuntur.

Strangulatio quoque ac mors quandoque ex sorbitione aquæ accidere solet, teste *Ardoyno*.

Haud ita dissimile experimentum à docto quodam medico *Nottinghamiensi Thurougton*, mihi olim narratum est. Is Hydrophobici cujusdam oculis mappam crassam superinjecit, manibusque ligatis, potionem bibere invitum aliquoties cogebat; at prorsus siniſtro eventu, nam statim vehementer convulsus obiit.

Nec opinantem in *Piscinam* projjcere, non antea ei provisam, inquit *C. Celsus* ut invitus aqua satietur, sic enim & sitis & aquæ metus tollitur.

At hæc vana sunt, & sine fundamento: illud sane ex nostris ægris satis jam evidens est, sitim non esse Hydrophobiæ perpetuum symptoma; adeoque non de morbi natura ægros sitire; si tamen aliquando per accidens id fiat; scilicet, in alias vitioso corporis habitu, aut æstivo tempore maxime calida aliqua & æstuosa regione, à vigiliis & antidotis calidioribus nempe medicamentis multum exhibitis, si quid boni expectare liceat à tali demersione, id à vomitu plurimæ aquæ deglutitiæ oriri debet; ita fauces & stomachus à saliva venenata abstergi possint: at quomodo causam tam altè radicatam tollat levis vomitus, non video: adeoque inter remedia contingentia, &

nom

non *privata* & specifica ponenda sunt.

Nostri autem Homines, certe maritimi in altum mare ægrum demergunt; At aqua, inquies, marina sitim accendere quàm tollere aptior est, propter vehementem & peculiarem salsedinem ei naturaliter insitam. Aliter tamen de qua salsa marinaque cogitandum est, si quidem adversus omnigeneum ferarum morsus sal privatim utilis est. Teste *Dioscoride*.

Inter prophylactica privata oblitus sū memorare *ipsius rabiosi canis Hepar coctum*. (a) *Catuli lactantis coagulum*. Hęc autem nomino, quia remedia sunt de antiquitate ad nos transmissa; & quod non raro à nostris quoque hominibus adhibeantur; quantum intelligo, frustra. Mihi videtur antiquitatis religiosa quædam deliramenta: alia certè antidota supra comprehensa non negligant, suadeo.

Antequam vero hanc dissertationem dimittam; quæri potest, cur Hydrophobia morbus insanibilis sit? Respondeo primo, ob causam fortasse adhuc ignoratam; adeoque remedia recte adhiberi non potuerunt, Rursus, cùm duo præcipue tempora medicamenta dandi in hoc morbo sint; unum ab ipso morsu ad præservationem ab Hydrophobia; alterum, ad ipsam Hydrophobiam initam curandam. Cumque plurimos à rabioso cane morsus ab antidotis appropriatis sanos evasisse; imò *Galenus*, aliique affirmant, neminem, cui cinis cancrorum fluviatilium, ex. gr. ad ℥ii. ex vino puto quotidie exhibitus est ad 40. dies, mortuum esse: contra, Hydrophobicum aliquem rarissimè, si unquam, curatum fuisse. Hujus itaque in successu medicamentorum differentiæ ratio esse videtur, quod in ipso statu & paroxysmo plerique morbi medicinam ægre admittunt; ad eadem medicamenta ante paroxysmum exhibita bene faciunt. Imo morborum initia maxime accommodata sunt medicinæ faciendæ, quod noxios humores reprimunt, foràsque eliminant, antequam habitus corporis vitietur: à morsu itaque ipsoque morbi initio medicamentum est, si quid feliciter moliri velimus.

Mantissa ad dicta, de Corticis Peruviani exhibendi tempore.

Quod non alio quidem exemplo (ut id hic obiter notem) melius elucidatur quam è varia *exhibitione Corticis Peruviani* in Febrib. intermittentibus, aut in ipsis putridis febribus, ubi tantum remissiones eędemque statæ sunt. Nam si febris paroxysmo declinante is propinetur, & intermissione tota, remissionisve intercapedine aliquoties iteretur, ut *Sydenham*, ejusq; sectatores faciunt, magnis & multis modis ejus pulveris purgandum est, & frustaneo sæpius eventu; certe ad infinitam nauseam & crapulam stomachi a morbo labefactati: contra, si è vino puro, per diem unum maceratus, propinetur, vel aliquot tantum paucis horis una vel altera puta] adventum paroxysmi, quando scilicet maxima, corporis integritas est, *maximeque si id fiat ipso invente morbo*, debellat plus *una* ejus *dosis*, quam *decem* alias exhibitæ: loquor autem de morbis longis, quales intermittentes sunt; id quod *centies* felici eventus expertus sum.

Unde satis constat falsum esse, quod aliqui vehementer volunt; nempe *Antidotum* illud *mirabile* [ipse autem inter primos, quantum scio, illud medicamentum olim in antidotis posui (b) multò minoris efficaciæ esse nunc, quam aliquot viginti retro annis, mercatoresque, ac Pharmacopolas nostros (ut quidam volunt) injuriæ fraudisque insimulando; cum tamen non medicamenti bonitate, sed in exhibitionis tempore & modo discrimen sit.

De hac autem re provoco ad *Badum*, qui elegantissimum ac doctissimum Tractatum ante triginta annos de *Cortice Peruviano* edidit, unde, S--- aliique nuperi scriptores nostri, omnia sua habuerunt, præter unum illud, de corticis exhibendi modo inepto, ne pejus dicam, & intempestivo, authore suo, misero illo agyr-

(a) *Gal. l. 11. de simpl. mec. c. de Hepat. 5. li. Passio nari.*
(b) *Aquis medicat. Angl.*

agyrta *Talbor* dignum *inventum*.

Porrò si sit potior aliquis *dilectus in Cortice*, ipsi nos medici videmur culpandi qui pessimum volumus ex inadvertentia. Nam iis cortex, me judice, optimus est, qui è trunco arboris, mox qui è ramis majoribus; deinde qui è ramusculis habetur: at ex ipsis summis & tenuioribus surculis non nisi crudus & acerbus cortex detrahitur. Atque hoc satis constat ex analogia corticis *nostrarum* arborum, (quercus puta) qui maturior; magis concoctus, majorumque longè virium, quo crassior, vetustiorque, vel ipsi coriariis notissima res. Illud fortè nostri hominibus imposuit, cinnamomi ratio prætiumque, nempè in corticis illius quadam tenuitate parvitatèque: at in illo medicamines quò acrior vehementiorque gustus, eò gratius acceptiùsque aroma: cùm tamen ex cortice majori camphir copiosius oleumque elici solent, clara maturitatis indicia.

Illud equidem propria experientia testor, me ante viginti annos cortice Trunci sæpè usum esse, ad crassitiem & latitudinem volæ manus, magnis & profundis sulcis & fissuris conspicuo, velut in vetusto arbore. Imo eundem aliquando valde carioſum putridumque ex necessitate, quod melior nullo prætio tunc temporis haberi potuit, & olim & nunc me vix unquam frustravit eventu optimo & desiderato; maxime si ejus *modus & tempus* exhibitionis ritè observentur. Sed tanti medicamenti rationes cæteras alibi, cum de morbis acutis agam, oportunior dicendi locus erit. Atque hæc hactenus de Hydrophobia, ad alios morbos longos procedo.

Animadversiones in Salium.

Superiores autem Schedæ de Hydrophobia tantùm non impressæ fuerunt, cùm librum *Petri Sali Diversi*, proximè superioris seculi doctissimi medici, primum diderim. At multa sane fide digna, atque aliter quam ab ullis aliis scriptoribus, apud eum dicta inveni.

Itaque & quæ *nova* ad hunc morbum pertinent, excerpere; & quatenus nos eo in aliquibus dissentimus, pauca hic reponere lubet.

Imprimis, apud illum non video ullam bonam rationem, qua convelatur sententia *Galeni*; nempe, *solum canem* ex *omnibus animalibus rabie corripi*. Admittam licèt, à Lupo sæviora & magis horrenda symptomata posse consequi: at Lupus à cane non nisi specie differt. Cætera autem animalia, quæ ab *Aristotele*, aliisque, rabie tentari dicuntur, à canino morsu prius infici possunt. Esto! & Asinus & Leo rabie inficere primario possunt; cur homines sic tentati non irrugiant, rudantve; sed semper ut canes latrent, vel ut Lubi ululent? Hoc itaque rem planè conficere mihi videtur; morbi nempè malitiam ex integro à canino genere oriri, non homini tantùm, sed & aliis quibuslibet animalibus.

Nec multum commoveor ab instantia mulieris Hydrophobicæ ex febre recens sanatæ; nam potuit, ut supra diximus, ea ex traduce transmitti à parentibus, ut alii morbi hæreditarii. Et in his propagatis mitiora ferè symptomata esse solent.

Inter symptomata verò titubat, dicens, dum rabiant homines, *sitiunt admodum* At *sitis* non minus, quam *Febris*, (quam ipse excludit) ex morbi natura est.

Ut verò Febrem rectè explodit, ita *delirium* quoque nolit hujus morbi *signum Pathognomonicum* constituere, nec necessario rabiem consequi; quæ ex nostris quoque observationibus fidem habent.

Rationem verò *Salii* libente admitto, cur oblatio, visus, solaque imaginatio aquæ Hydrophobicos lædat, nempè ex consensu ventriculi cum rebus vel visis vel imaginatis: quæ infinitis exemplis expediri potest.

Causa Timoris aquæ, quæ ab aliis afferuntur, doctè refutavit: at *eius* non libenter admitto.

Etenim illa *Antipathia*, quam cum virosa saliva liquida alia habeant, res vana & futilis est. Atq; hæc aversio ex accidenti tantum est: nam pejorante malo ubi valde cupiunt bibere, si virus salivæ abominandum non impediret, promptè biberent.

Item illa altera ejus causa falsa est;

est; nempè esse materiam ullam, quę obstruat fauces; vimque deglutiendi in rabidis hominibus ullo modo ex pituita *cruda viscida*, & *virulenta* esse præpeditam: sed stomachum potiùs à tanto veneno vehementer offendi; nè itaque lædatur, ad aquam insurgere.

Quod autem *solida* avidè deglutiant, cum *liquida* aversentur; ratio est, in absorbendis liquidis *arctius* astringi gulam, quam in assumendis solidis cibis, ideo iis magis offenduntur, quod è ductibus excretoriis saliva copiosius à liquidis elicitus.

Si quis verò quærat, cur liquida (ut in nostro *Ægro* I. supra ostensum est) non aversantur in positu canino & pronis capitibus, erecti verò illa maximè adhorreant? Respondeo, Quia saliva virosa, in illo positu effusa, ad labia decurrit, in hoc ad fauces relabitur, eàsque ad illam deglutiendam magis provocat.

Etiamsi verò Timoris aquę causas non benè, ut opinor, expedivit, cum illo tamen asserere necesse est, *verum characterem* hujus mali esse *cruciatum internum*, ab aqua vel assumpta vel oblata inductum & non *vanum* aliquem timorem aquæ liquidorumque, aut aliquam falsam de iis imaginationem, sed quia *vere* & *sensibiliter* ab iis *interius* admodùm & in stomacho læduntur.

Hæc autem quę sequuntur ferè singularia sunt, atque ad intelligentiam morbi maximè faciunt; eaque ideo in nostras chartas transferre non gravabor; & præcipuè quod cum nostris observationibus, supra comprehensis, ex magna parte benè concordant.

1. Sensui quidem nullus rabientium à proprio habitu, & temperamento, ex aspectu immutatus apparet, cum nec in colore, nec in mole coporis, nec in facultatibus, nec in affectionibus, nec in in ullis accidentibus sensibilibus, antequam rabiem incurrant, ullam mutationem subeunt.

2. Rabientes ratione *proprii virus* non febricitare: si autem aliquando febricitant, hoc ex coporis *prævia altera indispositione* fieri.

3. Præter signa ab aliis commemorata, unum se [quod *præcipuum* & *infallibile* futuræ rabiei appellat] animadvertisse ait, omnibus ignotum; atque hoc signum est, dolor *quidam* in loco jam commorso, licèt ulcus antea per dies & menses integrè fuerit sanatum, accedens, qui intensus esse non consuevit, nisi morsus partem nervosam petierit. Hic dolor à loco jam commorso incipiens, leviterq; patientem affligens, per partem, post partem, spatio trium aut quatuor dierum, aliquando paulò plus, aliquando paulò minùs, ascendit ad cerebrum: cui cum communicatus fuerint, in eo quasi *vertiginem* causat, simùlq; *confusionem* quandam, quorum merito, modò ad hanc partem, modo ad illam declinantes rectà progredi nequeunt; indèque statim homo in rabiem deducitur.

4. Etiamsi rabie correptis omnia excrementorum genera, ut plurimum retineantur: 1. In uno tamen vidi maximam & ingentem Urinæ copiam excretam, sine ullo ægrotantis sensu.

5. Vidi aliquos simul carnes & ossa apprehendere & conterere, & ita facilè esitare, ut profectò non adeò facilè *Canes* ipsi ossa edant.

6. Narrat, qua fide nescio, Lupum à venatoribus captum, in diversaque opsoniorum genera apparatum & coctum, fuisse in causa, ut qui cum gustarint, esitarintque, rabie non multò post correpti fuerint: si verum est, remedium sanè illud ex Hepate denteve Canino suspectum imo abominandum reddit.

7. Ubi Hydrophobiæ indicia accesserint, si quid in tali casu prodesse poterit, hoc unum erit *Helleborus albus*, ab antiquis valde celebratus, qui admirandus est inhisce affectionibus. At ubi rabies facta est, morbùsque gravissimus evasit, adeo *lethalis* est ut, *auxilia humana*, nisi tantùm ad *remittenda symptomata*, quæ in *verenda* & horrenda sunt, in cassùm censeam.

ED

(a) *En præcarum* Diabete, *exemplum* ex venenato morsu!

DE LUE VENEREA,

Quarta *Exercitatio Medicinalis*.

QUarto autem loco de plus quam ferina *Lue*, ſcilicet de *Venerea*, dicturi ſumus. Hic novus quidem morbus eſt, ejùſque adeo deſcriptio è modernis petenda eſt. Morbi autem tam vulgaris deſcriptio ſupervacua eſſe definitio, & ſymptomatum præcipuorum enumeratio ſufficiat. Morbus autem contagioſus à humore aliquo venenato terè in Coitu contractus, ulceribus, doloribuſque ſe manifeſtans, definiri ſolet. At hæc fere mala morbum in omni ejus ſtatu circumſcribunt; nimirum Gonorrhæa virulenta, interdum ſine ulla alia exteriore Luis nota; inflammati Teſtes; Bubones; veſiculæ cancroſæ in pene & alibi corporis; in tota cute puſtulæ; Capitis dolor; Verrucæ ad radices linguæ; ficus & condylomata in anno; ſcabies, ſerpigines; in volis & plantis pedum fiſſuræ, tumores duri, nodi, dolores acerbiſſimi; qui noctu fere ingraveſcunt; Oſſium caries, in primis in cranio, & naſo, & palato; exoſtoſes à carnibus carcinomatoſis intra ipſum os genitis, dolorificæ; Pilorum defluvium.

Una tamen Lues, varijs diſtincta ordinibus eſt; imo etiamſi multis modis & accidentibus oriatur: maxime tamen ex venereo fit concubitu, à quo fere propagari ſolet Lues Venerea in hominum genus. Itaq; qui venereo complexu jungitur cum inquinata, à pudendis Lue inficitur: nutrix, à qua infans pollutus lac fugit, à mammis: obſtetrix, quæ infectæ parienti opem tulerit, à manu: infans a vitiata nutrice altus, nunc ab ore, nunc ab interioribus; condormiens inquinato ſudore diſluent, a cute, & à ſummis partibus, qui effuſiore oſculo ſalivam exceperit, ab ore,

(a) Ab Inſulis autem *Americanis* in quibus, ante *Hiſpanorum* adventum, hic affectus populariter graſſatus eſt, illum per *Hiſpanos* in *Europam* allatum eſſe, nullus jam dubitat.

Unde autem primum inter *Americanos* Lues illa orta ſit, quæritur? Reſpondeo, Vel à morſu alicuius animalis venenati, vel à victu certe aliquo venenato, credibile eſt. *Americanos* autem *Serpentes* quoſlibet (quorum innumeræ novæ ſpecies nobis incognitæ apud *Indos* ſunt) libenter *comediſſe*, notiſſimum eſt; adeoque vel à victu eorum impuro, (maxime ſi qui ſerpentes darentur, ex eſu hanc labem infligere proprii) vel per ſe, vel certe ex ſua natura viroſa, ab *interna* cauſa primum malum oriri dicendum eſt: aut ſi qui ſerpentes ex *morſu* (ut Hydrophobiam canis rabidus infligere ſolet) iſtiuſmodi Lue aliquem contaminare apti nati ſunt, tunc ab *extra* quidem cauſa primum originem habebit Lues; quæ ſemel genita, non niſi contagione poſtea afficere ſolet. Imo non multum refert, quæ primùm via, à ſerpentino genere certæ vel morſu, vel cibo aſſumpto oriri, veriſimile eſt.

Huic autem rei hæc fidem faciunt; nimirum *Oviedi* obſervatio; is autem vir omnium *Hiſpanorum* primis rerum Naturæ apud *Indos* inventarum fide digniſſimus Hiſtoriographus, idem & plurimis annis Inſularum unus è primis Gubernatoribus fuit: hujus vero aliquot libri extant, quamvis multi, ab eo ſcripti, periere, vir, Cardano judice, antiquis ſcriptoribus comparandus. Inter alia animalia *Indiæ* occidentalis *Inguanas* exactè deſcribit, ſcilicet ex ſerpentum Quadrupedum genere beſtiolam haud mediocrem eo *Indi* avidè veſcebantur, & in deliciis habuerunt; homines vero *Hiſpani* ad eorum exemplum illum in cibis ſuis quoque poſuerunt: neque enim eius guſtus diſplicuit, etiam cuniculorum carne multo Sapidior: imo neminem, inquit ille, eorum eſus lædit, niſi quem Lues Venerea affecerit; de quo quidem morbo, *etiamſi diu ſanati ſint*, tamen iis noxam *protinus* infert, & morbum, ex aliquot annis *ſopitum*, *denuo excitat*, *renovatque*; id quod noſtri homines *infinitis*

[a] *Fern. l. cap.* 4.

nitis exemplis experti ſunt: Hæc *ille*. Adeoque haud ita abſurdum eſt credere Luem hanc originem ſuam ex ſimili, ſi non ipſa illa, cauſa habuiſſe; cum ex eorum quidem eſu protinus renaſcatur malum, diu ante quaſi extinctum.

Ad hæc à me facit illud, nimirum in pudendis utriuſq; ſexus hoc malo affectorum, etiam cum alia ſymptomata diu deſierunt, tamen ibi naſci ſolere *Criſtas* quaſdam ſpiſſe *dentas* non aliter, quam in ſerpente *Inguanas*; cujus corpus iſtiuſmodi criſtis ex toto fere circumſcribitur: propria ſane *repræſentatio*, à quo animali ortum ſuum deduxiſſet malum: hæc autem mala criſtata, inter condilomata & mariſcas ab aliis fortaſſe numerata ſunt; etiamſi ea ferè ſine *ullo dolore & tenuitate* membranacea conſpicua ſint.

Animalia autem venenata contagii ſui *charateres proprios & peculiares* imprimere haudi rarum eſt ex. gr. In Hydrophobia à canis rabioſi morſu, & antiquis & modernis authoribus confeſſus *Latratus*; item deglutiendi *canina voracitas*; item *Lambendi* potius, quam bibendi, aſſidua linguæ exertione, *aptitudo*. Ab aranei *Pulicis* morſu, *Tarantula* dicti, aſſidua ſaltandi cupiditas; neque iſtiuſmodi araneorum greſſus alius eſt, quam, more pulicum, de loco in locum ſaltatio. Illud quidem non ignoro, à quibuſdam etiam doctis viris pro fabula haberi; at mihi certè non ita, cui araneorum mores cæteris paulo diligentius perſpecti ſunt: imo, id genus araneorum inſervidis, *Calabriæ* puta, regionibus dari poſſe, à quibus perniciosiſſimi morſus inferri poſſunt: Rerum quidem naturæ hiſtoria tantum incepta eſt, adeoque nihil miror illud & id genus infinita alia Phænomena nos latere, & non ſine injuria ſuſpecta eſſe.

Porro qui *leporem marinum* ſumpſerint (id eſt, limacis nudi marini aliquam ſpeciem, qui fere omnes, etiam in noſtro marini inventi, purpurei ſunt) urinam *purpurei coloris* reddunt: & in ſomnis *litoris pulſi flutus* ſubinde audire videntur: Corpus fit ijs lividum *Scribonio Largo*, & *Dioſcoride* authoribus.

A *Salamandra* (quod è ſerpentum quadrupedum genere eſt, greſſu in valido & pigerrimo, lingua longum exerta & *aſpera*, muſcas captans) lingua exaſperatur, corpus invalidum & exolutum fit; eodem authore: ſed de his plus ſatis.

Denique, nonnulla ſymptomata (ſupra comprehenſa) à morſu canis rabidi huc accedunt, & ad hanc noſtram conjecturam firmandam apprime faciunt; nempe *Satyriaſis*, & haud diſſimilis *Gonorrhæa*; ita infectio propagari poteſt de beſtiola in hominem & de homine in hominem ex ipſo jam infecti traduce.

Hujus autem Luis origine ſic poſita ad ejus cauſam efficientem procedam: quæ, ut mihi videtur, pernicioſa labes eſt ex ſui generis veneno, atractu multiplici, ſupra comprehenſo, & contagione, contracta. Hujus autem veneni vis & efficacia *hebetior* eſſe videtur, quod ſeminudas tantum partes & cutem minime integram contaminare potis eſt; item quod aliquando diutius in nobis deliteſcit, antequam manifeſtis ſignis ſeſe prodat. Item, ut venenum magis eluceſcat, cuicunque particulæ primùm inſederit, illic inhæreſcens puſtulam ferè excitare ſolet; ſi à pudendis ex. gr. initium habet, puſtulas in his primum, ulcuſcula evocat contumacia & mali moris: Igitur ſi hæc & ſimilia benè perpendamus, non ſimplicem humorum putredinem cauſam adequatam, ſed veneni alicujus peculiaris participem eſſe Luem hanc nobis affirmare neceſſe eſt. Etenim à nimia portione in totum corpus diſſeminata, non aliter ſerpit, quam quæ à canis rabioſi morſu infertur.

Contagionem autem Veneream, ubi ſcilicet integra cutis eſt, nec aliquo vulnere læditur, ut in canis ferè rabidi morſu, ſic breviter intelligo: Nimirum, humor aliquis venenoſus è muliere Lue affecta homini transfertur, adhæretq;: is verò humor, quòd tenuis & acris, ſeſe primùm inſinuat in oſcula vaſorum excretoriorum, quæ ferè ab œſtro Venere patent, perindè ut à frigore contrahi, ac in tubercula ſe erigere ſolent. At nec iſtiuſmodi veneni vis tanta eſt, quin integra

cutis

cutis satis bene ei resistere possit: ideoque in ore, circaque glandem penis nudatam, vulva, mammarum papillis, quod in his partibus oscula vasorum excretoriorum minus firmentur, id malitiam suam potentius exerere solet.

Cum autem *vasa excretoria* non *meri canales* sint, & perpetuo sine mora humorum transitui tantum destinata, sed etiam receptacula, quatenus humores excernendi diutius inibi restitent: id quod a *Glissonio* nostro de Poro bilario eiusque ramificationibus satis confirmatur, ex quo reliquorum ductuum excretoriorum analogia manifesta est. Item, cum humores excernendi ex aliqua certe sui parte possint *regurgitare in habitum* corporis: maxime si ab aliqua causa ductum excretoriorum oscula coarctentur: Cumque is *humor* in Lue venenosus summe *inflammatorius* sit, ut ex eius infectu aliquando prompto adurenteque vesiculas excitando in ipsa glande, aliisque infinitis exemplis, in progressu statuque morbi sese prodentibus, abunde constat: Phænomena in Lue vulgaria facile intelligantur. Hinc itaque Gonorrhææ virulentæ ratio, ex qua prima fere huius Tragædiæ notitia, nempe ubi parastatarum, glandularum & vesicularum seminalium ductus acredine venerea inflammantur, & regurgitat humor infectus: ita ipsi etiam ductus vellicantur ab humore acri, serumque adeo ab arteriis eo propulsum validius efluit ex habitu corporis, atque ex *fracedine* ductuum *venen fa* citius corrumpitur. Item Bubonum intumescentia hinc cluescit, nempe ubi stagnat istiusmodi humor Infectus. Item cur tantopere caput, eiusque ductus salivales in oculis, in ore, in faucibus, in palato, petat, ratio est, quod ex iis serum infectum [ex regurgitatione ductuum, circa penem pura] facilius erumpat, nimirum tali humori recipiendo, evacuandoque maxime totius corporis usitatis & *capacibus* vasis.

Cum autem huius morbi infinita exempla passim occurrant, ea, quæ, maxime nota, & suis symptomatibus facile discernenda sunt, fere omitto, alia vero magis *occulta*, *incognita*, & *suspectæ tantùm labis*, & fere ex adiuvantibus tantum a-

guoscenda, *exempla* in Lucem proferre operæ prætium esse existimo.

ÆGROTUS I.

Mulier quædam marito ex viginti annis Lue Venerea affecto, & iam diu sano, (certe ex propria opinione) nupta, ex secundo Puerperio, mense iam finito, tumorem contra uterum obliquum, non sine aliquo dolore, sensit: ab Utero vero toto puerperii tempore gravis odoris quædam sanies effusa est, tandem uterina purgatione ex consueto cessante, is tumor paulum auctus est; item sub eo tempore febricula accessit, quæ, certis quasi periodis quotidia exacerbata, ex intermittentium genere esse videbatur: fæminam lenioribus medicamenti purgavi at sine effectu, nam tumor & dolore & magnitudine indies multum increvit, adeoque curationis rationem protinùs mutavi, & cataplasmata ex emollientibus, maturantibus, & anodynis superinjeci, item simul ativenereum Apozema, cui *Cortex Peruvianus* ficusque larga manu iniectæ sunt, aliquoties in die propinavi: post 10. dies Chirurgus, caustico primum admoto, abscessum media plaga aperuit, quo vulnere magna puris copia effusa est ad 20. dies vulnus clauditur, interim apozema supra scriptum assidue, &, vulnere ad integritatem se contrahente, *Hiera antiquam* simplicem ter, quaterve sumpsit. Convaluit. Hoc mihi contigit ante aliquot annos.

ÆGROTUS II.

Mediæ ætatis mulier quædam a puerperio gravissimis doloribus ab utero affecta est, tandem ex altero latere, paulo infra umbilicum ad inguin, tumor ortus est, altero mense à tumore incepto accersitus, fæminam tabidam suprà fidem inveni, cubili defixam, die nocteque præ cruciatibus exclamantem, tumorem admodum durum, capitis infantis ad instar magnitudinis, vidi, tumor plerisque medicis cancer uterinus existimatus est, multa tam extra quam intra adhibita sunt, at sine ullo effectu. Huic protinus purgatoriam medicinã validam, ex *Hiera*

antiqua, secundùm *Scribonii Largi* mentem *duplicata*, propinavi; item alternis diebus Antivenerea, & alternis diebus invicem purgationes, repetere jussi. Quid fit? Octidui spatio tumor ex toto disparuit, lecto egressa est mulier. Convaluit præter omnium expectationem.

ÆGROTUS III.

Mulier 30. annos nata, in *Clare-Market* habitans, ex secundo puerperio, ad secundum mensem tumore duro è regione Uteri, ad alterum inguen paulùm inclinante, graviter affecta est, non sine febricula. Me vocavit: cùm pus ex tactu confectum esse videretur, anti-venereum Apozema ter quotidiè propinavi: biduo autem ab adventu meo Chirurgum incidere tumorem jussi à quo vulnere infinitum pus fœtidum effusum est. Paucis septimanis fœmina ad integritatem restituta est. Maritum clam, & in aure, monui de malo Uxori inflicto: neque se olim Lue Venerea affectum fuisse negavit, sed jam à multis annis, certè ex propria æstimatione, ab illo morbo convaluit.

ÆGROTUS IV.

Mulier quædam ex puerperio multo fluore, albo dicto, valdè afflicta erat: mox eo ex parte cessante in assiduam diarrhœam, at citra graviora tormina, incidit. Etenim huic à multis multa data sunt; at inutilia omnia. Aquæ chalybeatæ, falso sic dictæ, & ipse crocus, ferrumve vario lenocinio apparatum, infinitio astringentia simplicia, cumque rhabarbaro tosto admista, opiumq; diversimodè confectum, ne hilum profuere. Ad tertium annum malum assiduè protractum est; penè jam tabe consumpta est fœmina; ipse tandem accersitus maritum clam monui de uxoris malo, quod graviter tulit, tamen libenter confessus est, se prima juventute istiusmodi labem contraxisse; at præter aliquos, idque rarissimè, contingentes dolores vagos, se ne suspicionem quidem alicujus mali habere; imò nec ejus filiam, octo jam annos natam, alicujus vitii impressionem unquam indicasse, adeoque ejus uxorem minimè contaminati posse. Ampliùs contendere nolui: Respondi, tardiùs esse quàm ut propriis medicamentis opem ferre possem. Rus abiit mulier uno vel altero lapide ab urbe; eoque malo obiit.

ÆGROTUS V.

Mulieri cuidam primariæ, marito Lue Venerea affecto, &, ut fieri solet, *bene sanato* plures annos nuptæ, saliva tenuis vehementer moveri consuevit; at sine gravedine aliqua, tussi, aut destillatione certè molesta: tamen saliva ad libram unam vel alteram die nocteque effundi solebat, ut ipsa & ego etiam aliquoties ex linteis madidis conjecturam fecimus. Hæc autem obiter notavi: Cum marito, ex febre putrida laboranti, bis aut ter triennii spatio, medicinam fecissem, aliquoties è magnis periculis evasit vir tricomgiarius tandem obiit; altero post eius obitum anno optima fœmina, ea salivatione spontanea jam in assiduam tussim conversa, graviter afflicta est: in manibus præcipuorum huius Urbis medicorum diutius fuit; ab omnibus malum pro simplici Phthisi habitum est; biennium & amplius medicè vixit, tandem fato succubuit.

ÆGROTUS VI.

Quidam quinquagenarius, ante 14. annos Gonorrhœa leniter virulenta, si id fieri potest, affectus est remediisque vulgaribus, ex eius relatione, subito convaluit, nec amplius recidivam passus est aut ullum grave symptoma. Vino & potationibus assiduè deditus est, ex improviso tandem ambabus manibus & altero pede resolutus est, non sine oris tortura: hanc paralysim subitam levis salivatio excepit indies increscens; sesquiannum rurales Medici hominem frustrà tractarunt, & *aquas calidas* ad dies plures bis ingressus est: at nihil profuerunt. *Londinum* venit, & se meæ curæ commisit:

Al-

terum pedem trahebat, manusque ita contractæ fuere & rigidæ, ut nec digitis aliquid comprimere, nec intra eos aliquod depositum eiicere potuit, pleraque verba vix articulatim pronunciavit; at omnium iam longè gravissimum symptoma salivatio spontanea fuit, quæ hominem die nocteque vehementer molestavit, imbecilem reddidit, & omnibus remediis obstitit. Huius autem salivæ lentorem & fœtorem ingratum curiosiùs observavi, qualis esse solet ab Hydrargyri inunctione. Huic autem malo sic protinus occurrendum putavi. Apozema ex Guaiaco, &c. confectum citrà sudorem propinavi. Vinum & carnem homini marescenti, & quia eo in bona valetudine admodum usus est, indulsi; quarto quoque die Hiera Diacolocynthidis simplici ex decocto Epithymi, alvum movi: at Salivatio non ante tertium mensem ex toto desiit: tandem cardiacis & calidis aromatis eius viscera confirmata sunt; intra sex menses manum ita firmam habuit, ut iam scribere posset, imo aliquot miliaria ambulare, & domum tantùm non integer rediit.

ÆGROTUS VII.

Quidam iuvenis, admodum robustus vino & scortis deditus, Rheumatismo gravissimè correptus est, maximè nocte præ cruciatibus infinitis, in capite, mediisque tibiis, regione interscapulari, & alibi corporis, citra ullum tumorem, afflictus, ut nec cubili se continere, nedùm dormire, posset, item his malis febris insuper aliqua intermittens annexa est, horrore, incendio, sudore certis horis quotidiè circumscripta; quod ex pulsu celeri, urina valde biliosa, & tempore accessionis, mihi liquido constitit. Venam in brachio protinus incidere iussi, è quo sanguis admodum lentus & crudus ad libram missus est; deinde Apozema ad Luem simul & Febrifugum validum ter quotidiè propinavi. Sudorem Sp. C. C. ad ℈ ß. ex aq. lact. alexiterii dict. excitavi. Alternis diebus per tres vices sanguinem mittendum curavit; quotidie enematis fortioribus alvu sollicitavi, nocte somnium opio conciliavi. Octiduo elapso, cum Urina primum paulo pallidior visa est, *Cort. Peruvianum* ad ʒii. ex vino, bis quotidie summendum proposui. Decimoquinto die exiit foras integer; at multo diutius Apozemate suprà posito usus est. Convaluit.

ÆGROTUS VIII.

Mulier, viginti quinque annos nata, ex septennio nupta, obesa, ad tres minimum menses doloribus quibusdam punctoriis in cruribus, maximeque pedibus, eorumq, vehementi ardore graviter cruciata est. Item huic assiduus capitis dolor, huic præterea tussis die nocteque vexatissima, ut insomnis planè fuerit ad aliquot menses. Accersitus, fœminam in veni febricula lecto detentam, Urinam admodum rufam, qualis Ictericorum esse solet. Clam maritum de Uxoris malo monui, haud inficias ibat, mutuisque assentire videbatur. Huic protinus sanguinem ad libram misi. Postridie calamelanos ℈i. ex Electuarii lenitivi ʒi. dedi. Potionemque hora una elapsa, Decocti amari cum Senna ad ℥iiii. propinavi. Et vomitu & deiectione bene fecit, ea nocte opio somnum conciliavi. Tertio, huiusmodi pulverem præscripsi, *Cochleatil. ʒi. Ossis sepiæ optimè lævigati* ʒß. *m. f. Pulvis*.) Huius ʒii. sexta quoque hora sumpsit. Item Decoctum validum Guaiaci, &c. ex more nostro, omnis potionis loco, vino albo omnigeno non excluso. Bolum & Haustum purgatorium tribus amplius vicibus sumpsit, at ex calamelanos ad x. tantum grana. Octidui spatio urina primum fit optimi coloris & consistentiæ qualis sanorum: ad decimum quintum diem & dolor & omnino tussis desiit. Convaluit.

ÆGROTUS IX.

Infans quædam ex nutrice inquinata annum tertium agens, hæmorrhagia, capitis dolore præcedente, usque ad de-

liquium, affecta est; ad unum verò ætatis suæ decimum quartum, Vesiculæ sivę pustulæ quædam, modo in fronte, at sæpius ad imum nasum, oriri consueverunt hæ vesiculæ mali moris fuerunt, & aliquot vestigia sive cicatrices sui reliquerunt ad instar variolarum: ubi jam menstrua apparere ceperunt tussi gravissima & febricula affecta est; & simplex Phthisis judicata est: Fonticulo in brachio, & diæta ex Guaiaco, cui *Cortex Peruvianus* adjectus est, & medicamentis purgatoriis tandem convaluit; imo ejus extrema macies in habitum pleniorem pinguemq; mutata est. At deinceps valetudinariam vitam egit; modo capitis dolore, modo raris aliquot pustulis circa faciem orientibus, at sæpius tussi & spirandi difficultate oppressa est.

ÆGROTUS X.

Lichenes Venereæ admodum vulgares sunt, & passim occurrunt; non tantum in iis hominibus, qui Lue affecti & pro sanatis habentur, sed in aliis etiam non suspectis. Ejus autem mali hæc ferè conditio est: In cute alba, vel pectus totum vel præcordia, vel collum, aut fœmina & inguina late occupat quædam flavedo, minutissimis puncturis rufis exasperata, istiusmodi vero maculata cutis, fere tempore æstivo molestissimo pruritu ægrum torquet, præcipue noctu quas ideo insomnes peragunt.

Item in hac Urbe valde frequens est Herpes, dicam an Scabies quædam sicca Venerea, admodum contagiosa, vexatissimum malumque, ut nihil suprà. Huius autem notæ sunt, pustulæ quædam exiguæ, modo tantum corpus infestantes modo brachia aut crura tantum, fere sine pure, imo etiamsi unguibus incidantur, tamen siccæ esse non desinunt interdum in cute permanent, sæpius vero latent & ægre sentiri possint, nisi ab infesto & assiduo, maxime nocturno pruritu.

His vero remediis uti soleo, præter decoctum Guaiaci, &c. & purgationes proprias, nimirum, priorem labem succo limonis ex sero lactis fovere soleo: item illæ, si admodum pertinaces sunt, & posterior, etiam labes, maxime Unguento *Catapsoras*, vel per se, vel alio diluto, cum bono eventu & tuto illini possint; ut sæpius expertus sum: Imo tu velim scias hæc mala nullis remediis nisi ex Hydrargyro confectis extirpari posse.

ÆGROTUS XI.

Quinquagenarius quidam ex aliquot annis *Iscuria* graviter affectus est; à tertio ejus coniugio id illi accidit; eius fœmina valetudinaria, & quantum ex voce impedita, ob aliquem, putà in palato defectum, & vultu, coniicere mihi licuit, ex Lue inquinata: certe is vir mucum quendam fœtidum & sanguineis fibris interspersum copiose cum utina excernere solet, non sine infinito cruciatu in pene. Huic autem sic putavi succurrendum esse: nimirum, *℞ Spiritus Vini rectificatissimi* ℥ß. *Gummi Guaiaci* ʒß. *Cantharidum* ʒi. *Cochineil.* ʒii. *Succi Hypocistidis* ʒii. *Spir. Sulph.* ℈i. *digerantur cinere calido ad 12. horas: filtrentur per chartam bibulam.* Huius medicinæ guttas XL. ex cerevisia tepida mane & tantundem vesperi quotidie propinavi, quo sane remedio, bono effectu, ad tres menses usus est, idemque à me infinitis gratiis propter insigne beneficium redditis, etiam rogavit. Etenim malum diuturnum iam potuisse tolerari, haud nihil est.

ÆGROTUS XII.

Vidua quædam iuvenis, gravissimo Urinæ ardore & punctionibus ibidem, item Condylomatis cancrosis in pudendi labiis, non sine vehementi capitis dolore, afflicta est, maritus eius ex anno ruri Lue mortuus est, ipsa *Londinum* venit, & me coram obstetrice de morbo consuluit, Hanc autem sic curare cogitavi; nimirùm illam purgavi quarto

quo-

quoque die pilulis de duobus, quibus æqua pars Mercurij dulcis adjecta est. Item Apozemate ex Guajaco, &c. pro potu quotidiano, citra sudorem. Item, [*℞. Cochleineil ʒiii. Cantharid. ʒi. Vini Rhenani ℔i. misce, digeratur per diem B. M.*) hujus cochleare è decocto Guajaci ʒiiii. bis quotidie sumpsit; quorum usu Gonorrhæa admodùm virulenta, fœtidum & sanguineo viridem purem effundens, integre sublata est; & duobus plus minus mensibus sine ulla ope Chirurgica, etiam ulcera siccata sunt, dolorque capitis ex toto desiit.

ÆGROTUS XIII.

Quidam juvenis ter Gonorrhæa affectus est, non sine aliis gravibus Luis symptomatibus. Tertia vice ad me venit, Urinæ ardore punctorio, item destillatione puris subviridis. Hominem statim *calomelano* purgavi pilulis fortioribus additis; intra triduum pus attenuantur, & pellucidum fit, quo tempore collyrium injeci hujusmodi, (*℞. Aquæ Plantan. Papaveris Rhœados, an. ʒiii Opii bene ustulati ʒi. Mellis Rosati ʒi. Trochiscorum ex Minio puro metallico ʒii m.*) intra septiduum & Urinæ punctiones & Gonorrhæa ex toto desierunt. Decocto autem Guajaci diu usus est citra sudorem, quo integre convaluit.

ÆGROTUS XIV.

Quidam juvenis jam primum Lue inquinatur; illi in Glande vesicula cancrosa orta est, at sint Gonorrhæa aut ullis punctionibus inter medendum; sub eodem tempore in utroque inguine insuper bubo sentitur; & jam inhorruit & febricula incensa est; propterea ingens capitis dolor, & in cruribus puncturæ intolerabiles. Hominem sic protinus restitui: Alternis diebus calamelanos ℈j. ex Electuario lenitivo dedi; sanguinem e brachio ad libram misi; decoctum valentissimum Guajaci, cui Cocheineil ad ʒiij. adjectum est, propinavi. Chirurgus vesiculam cito curavit præcipitato rubro ex aliquo digestivo; bubones à tertia medicina purgatoria disparuerunt; ad tres septimanas convaluit; diu tamen Apozemate suprà scripto usus est citra sudorem, & vino albo carneque minime abstinuit.

ÆGROTUS XV.

Juvenis quidam, triginta annos natus, bis Lue infectus est, & toties salivationem cum Hydrargyro passus est at non sine recidiva; etenim huic lingua & fauces & ipse penis Ulceribus cancrosis misere affectæ sunt; etiamsi optimorum chirurgorum ope, methodo vexatissima diu à salivatione ultima usus fuit. Hunc fit restitui. Propter summam stomachi imbecillitatem, vinum ei album Gallicum libenter indulsi; item, propterea quod Hydrargyri copiam supra fidem sumpsisset, (nam ultima salivatio per calamelanos admodum difficulter mota est) succo limonum in omni intinctu usus est. Hiera antiqua duplicata eum admodum frequenter purgavi; interdum aliquot grana, idque raro & parce, Mercurij dulcis ex bolo Mithridatij dedi; pridie nocte ante medicamentum purgatorium designatum, Decoctum Guajaci, &c. assidue citra sudorem propinavi. Chirurgus *Mullins*, egregius artifex, quem accersivi, & oris & penis Ulcera diligenter curavit: intra sex menses integram sanitatem recuperavit, nihil mali relicto, præter lichenes quosdam; at citra cruciatum aut contagium, quod scio, Uxori datum, & optima valetudine fruitur jam ex septennio.

Hactenus de Lue Venerea aliquot pauca at diversa pro instituto nostro Exempla breviter expositimus; mox de Curationis scopo dicemus, qui in purgatione, medicamentis ex Hydrargyro confectis, præcipueque nunquam satis laudando illo Mercurio dulci dicto, & Guajaci decocto constiti; imo his fere duo-

duobus medicamentis tota curationis methodus hodiè includitur. Horum itaque medicamentorum virtutes paucis pro more noſtro examinare volumus.

Hydrargyrus autem primum inventus, & huic malo cum aliquo ſucceſſu adhibitus eſt, at extrà tantum & in unguentis. Hoc *debemus Arabum Scholæ* authore *Fernelio*. Illud quidem non ignoro, *Arabes* literarum ſtudium coluiſſe poſt *Græces*: *Arabes*, inquam, ad *Octavo Seculo* omnium ſcientiarum artiumq; utilium & præcipuè medicinæ munumenta è Græca in linguam ſuam traduxiſſe. At pace tanti viri, facile ſui ſeculi doctiſſimi Medici, Hydrargyri multiplex uſus, etiam ad Scabiem ab antiquiſſimis Medicis Græcis diducendus eſt. Etenim *Dioſcorides* expreſſis verbis ita perhibet, *cinnabaris*, cerato excepta, papularum eruptionibus, ambuſtis igni medetur; *cinnabaris autem & optimum & ipſiſſimum Hydrargyri metallum* eſt. Item idem medicamentum alio nomine apud antiquos *minium* appellatur, & ſinopicum præ cæteris valdè commendatus: Hydrargyrus fit ex Minio, quod abuſivè cinnabaris dicitur; *lib. 5. cap. 6.* Unde conſtat cinnabarim & minium, certe antiquis pleriſque, ſynonyma fuiſſe: imò cinnabari optimi coloris minium quoddam *Africanum* fuit, quo nomine inſtitores ejus temporis omnigenum minium appellaſſe veriſimile eſt.

Atq; ex hoc fit Emplaſtrum rubrum adverſus morſus ferarum apud *C. Celſum*, quod ſane pro nobis maxime facit; ſi quidem Hydrargyrum ex reſina Terebinthinæ ad contagioſa vulnera aptum eſſe confirmatur. Rurſus, apud *Ægineta* exſtat Emplaſtrum ex Cinnabari ad Tophos & alios omnis generis induratos tumores, Porrò, adeo mite remedium apud antiquos creditum eſt, ut ad oculorum inflammationes efficaciter cohibendas commendarunt, *Dioſcoride* authore: atque hæc ſatis ſunt de externo ejus uſu apud antiquos Græcos. De interno autem *Myrepſius* audiendus eſt, (*cap. 62. de Antidotis*) is inter Antidotos omninò neceſſarias ad difficultatem Urinæ & ſtillicidium & calculoſos unam à *Galeno* tranſcripſit, in qua cinnabaris drachmæ ſex inſunt. *Ætius* quidem eandem Antidotum. *Philagrio* inſcribit, cui forte cinnabaris ex aliqua temeraria, non minus quam timida ſuſpicione minus arriſerit; ſed animadvertendum eſt in hac Antidoto ineſſe quoque Lapidis *Siriaci* (fortè *Judaici*) drachmas 35. adeòque vim ejus potiorem metallis deberi, veriſimile eſt: & perperam cinnabarim ideo ad *Philagrio* excludi: qua tamen omiſſa Antidotum à *Philagrio* denominare voluit *Ætius*, quam à *Galeno*, cujus compoſitio cinnabarim incluſam habuit.

Hinc adeò evidenter diſcimus (quod demonſtrandum propoſuimus) apud antiquos Cinnabarim, id eſt Hydrargyri purum putum metallum, medicamentum natum & non ullo lenocinio vitiatum, ad omnes uſus in Lue Venera maximè requiſitos tam intra, quam extra, adhibitum fuiſſe; nimirùm *ad Urinæ difficultatem*, quod genus remedii Gonorrhæa virulenta maximè deſiderat; *ad ignis ambuſta & inflammationes*; ambuſtis autem veſiculæ propriè oriuntur Lue: ad *tumores omnigenos induratos*, ex quo mali genera Bubones Venerei ſunt: ad *papulas erumpentes*; & quæ, quæſo, fœdiores papulæ: quàm quæ ex tur; eadem mala in pene frequentiſſima ex lue oriri ſolent; Poſtremò, ad *ferarum morſus* ex reſina Terebinthina; atque ita prodeſt ad Luis efficientem & primariam cauſa. Quorſum itaque *Arabibus* damus, quod *Antiquis Græcis* jure meritò debetur?

Illud quidem fateor, aliam rem eſſe Hydrargyrum, atque aliam Cinnabarim: at in Cinnabari Hydrargyri vis nativa lenis, & benigna eſt: cum ide mi ex lapide coctus, & ignem expertus tantum non venenum eſt, & inteſtina exedii; imo ex Terebinthina aut adipe articulis inunctus, linguam, fauces, totumque caput intumeſcere facit, ſalivamque vehementer movet, haud aliter quam ex intenſo aliquo frigore, cui corpus exponitur, gravedines deſtilationeſque pituitæ protinus oriuntur; ad eundem modum venas

quas-

quaslibet, præcipuè lymphæ ferendæ dicatas, torpore quodam infestat: rigorem autem torporemque genuinum esse Hydrargyri effectum cuilibet experiri licet. Etenim tu velim demittas digitum in Hydrargirum, paucis momentis illum pallidum, mortui instar membri, extrahes: imò vi quadam narcotica tremores nervorumque resolutiones ex ejus assiduo usu oriri neminem operariorum latet: ad hæc, quòd Hydrargyro inunctis ægrè adeò medicamentis purgantibus alvum moveri, ut ea duplo validiora, quàm ante facilè perferunt; scilicet, à stupore viscеribus inducto.

At qui fit, inquies, salivam, non ipsum sanguinem moveri? Ita quidem haud rarò evenit; ab intenso gelu multi hæmorrhagiis corripi solent; ad eundem modum in Ptyalismo ex Hydrargyro interdum diſenterias, & sanguinis è gingivis profluvium contingere solere abundè testatur Historia medicinalis: Saliva tamen sola diu & vehementer movetur. Ea autem res paulò altiùs deducenda est. Cum lymphæ & assidua separatio & in sanguinem reditus necessarius est, propter rationes alibi exponendas, ubi de natura sanguinis privatim agemus; cumque propter summam Lymphæ ductuum teneritudinem qua stupore facilè afficiantur ab Hydrargyri inunctione, illa debita lymphæ separatio redituſque in venas sanguineas multùm impediatur, necesse est; vasaque adeo sanguinea supra modum impleri suo alienoque humore, tantâmque lymphæ copiam solis arteriis venisque contineri non posse. Igitur assidua vi & pulſu arteriarum, lympha per propria vasa ægrè jam reflua, (quæ ex intenso Hydrargyri frigore tonum jam suum & vigorem amisisse diximus,) ad *Salivæ maiores ductus excretorios*, (scilicet qua patentior porta detur) qui fere in ore sunt, propellitur effunditurque. Etenim nisi lympha, propter dictam causam, jam supervacanea assiduè evacuaretur, ne cor suffocatione perpetua deficeret, suòque gravi oneri succumberet, metuendum est: hinc adeo frequens & familiare est delinquum in primo Salivationis impetu; item Glandularum capitisq; infinita intumeſcentia. Ad hæc, si ob aliquam causam salivæ exitus in ore impediretur, ea protinùs totis intestinis excerneretur, & Diarrhæa [salutifera tamen] vehementer infestaret; siquidem ibidem quoque innumeræ glandulæ *Salivæ excretoriæ* sunt, non aliter quàm in ore; etiamsi præter unum *pancreaticum ductum* alii minutissimi sunt, tamen multitudine infinita eorum parvitas compensatur. Adeoq; in hoc tota *Salivationis ratio* versatur, nimirùm intra sanguinea vasa lympham cohibendo, quæ jugi circuitu assiduè & necessariò separari & denuò inferri debet; ab artuum verò inunctione, propter vasorum Lymphaticorum torpidorum tenuissimæ texturæ depravationem & ineptitudinem, ejus reditus eo præpeditur veniſque adeò sanguineis usque circuire cogitur ad gravem cordis arteriarumque inundationem, per *emissaria* Salivæ ductuum tantùm deplendam; neque enim arteriis se exonerandi alia ratio nisi ductibus excretoriis relinquitur. Quemadmodum si fortè à frigore, mutilatione alicujus membri, vel à ligatura, mensura & modus Venarum diminuatur, pulmo à catarrhis infestari, vel hæmorrhagia, hydropsve oriri solet.

At nostri homines magna industria Hydrargyrum *operi interno* tuto adhibuerunt, ejusmodi itaque remedii jam securi esse possumus; quod ejus ferocia domatur, & salibus multipliciter adjunctis, compedes ei injiciuntur, quorum ligatura strictiore fit lene remedium. Hoc equidem sentio, nostros homines aliquid ampliùs quàm *actum* egerunt, & eorum *artificium prætio longè materiam excedere*.

Atque ea hujus sæculi felicitas est: adeòque amplius quæritur, cur ab Hydragyro in Mercurium dulcem confecto eadem tamen salivatio oriatur; maximè si adjectum sit aliquod medicamentum astringens, ut in corpore, etiam invitis salibus ei connexis, tantisper moretur, idemque spissius detur. Atque illa sanè differentia est inter medicamentum natum; atq; idem artificio-

ſum nimirum ſales *adjectivos* pro ſua natura à madore caloreque ventriculi, & inteſtinorum diſſolvi, & à ſale urinoſo, è concoctione Stomachi *Septica* orto, vinculis & connexu cum Hidrargiro liberari: huncque adeo ſibi jam reſtitutum relictumque, vim ſuam indolemque denuo exerere poſſe; ſcilicet torporem Limphæ ductibus conciliando; quod illic tanto facilius efficere potis eſt, quanto corporis interior pars cute externa, digitorum puta, tenujor eſt.

Ex hoc autem Lymphæ mirifico profluvio (quæ prorsùs *nova purgationis forma eſt*, veteribus incognita) multa commoda nobis accedunt; nimirum puſtularum ardorem extinguit, exſiccatque Ulcera? non externa tantum, ſed & interna; quæ ipſa quoque veſiculis, puſtulis, ulceribuſque fœdantur cætera omitto; illud quidem veriſſimum eſt, ſolo *Ptyaliſmo* morbi radicem non evelli; imò ſuperiore ſeculo infinitis experimentis conſtabat, multos decies, & amplius curationem ex perunctione fruſtrà expertos fuiſſe: Atque idem teſtantur noſtri homines, inter alios *Vviſemannus*, *Obſ.* 53. optimus ſanè chirurgus idemque fide digniſſimus, nuperus *Anglicanus* Scriptor: vitium quidem lenit, differtque, at perniciem non aufert, neque ulla cura ſine *Guaiaco* efficax; ut nec à Guajaco ſolo aliquid expectandum eſt citra periculum recidivæ.

Igitur ut rem conficiamus *Guaiaci* etiam facultates nobis breviter expediendæ ſunt. Hic verò aliquis obiiciet, Ægrotum 16. noſtrum ſupra comprehenſum, uſu Guajaci, Hydrargiro modicè dato tantum ad grana aliquot, curatum fuiſſe; item in illa præclara *Fernelii* cura, cujuſdam quinquies fruſtra inuncti, ſolo Guajaci cremore tandem reſtituti? Reſpondeo, *Hiſtoriæ Fernelianæ* facilè fidem do; at nec ſuus æger, nec meus, nec alius quilibet ſine uſu Hidrargiri unquam integer erit; mihi autem perinde eſt, ſi unquam datus eſt, Hydrargirus: quamdiu ſanè ab ejus exhibitione ſit, non magnoper equæro; nam corpus afficit, etiam poſt triginta, & amplius annos, ut ex Trepano, & Salivatione aliquoties per ſe redintegrata nobis certò conſtat: imò nulla concoctione domari poteſt, & in glandularum *Mæandris* aliiſve corporis receſſibus latere ſolet; aliqua tandem occaſione loco moveri, & genium ſuum denuò exerere ſolere; adeoque ſi quis Hydrargirus vel intus ſumptus, vel extra corpori adhibitus unquam fuit, ex uſu Guajaci è latebris excitari, & cum antiqua ejus impreſſione, hominis ævo non delenda, tùm nova operatione partibus adhuc vitiatis curam facilitari, perficique.

Guaiacum ſanè eſt medicamentum admodum tenujum partium, & piperati guſtus, ſudoreſque adeo movere aptum. Hæ verò *piperatæ Reſinæ*, ab *India Occidentali*, *Nova* medicamenta ſunt: hujus notæ ſunt Balſamum *Peruviani* & Gummi falsò, dum Reſina Guajaci dicenda eſt, Paraliticos, ſtupidos, & quovis modo reſolutos, curat. Ejuſque adeò præcipua facultas eſt ſtupori ab Hydrargiro inducto mederi, ipſumque Hydrargirum ponderoſum, & hebes medicamentum dirigere, & in omnes corporis partes diſſipare, tandemque expellere, ſcilicet viſcera eorumque vaſa calefaciendo, penetrando, corroborando. Igitur *Guaiacum Hydrargyri*, ut *Hydrargyrus Veneni*, *in Lue Antidotum* eſt: Hydrargirus puſtularum ardores extinguendo, atque ulcera ſiccando, aliquot teneriores corporis partes ſtupore reſolvit labefactatque; contra Guajacum eaſdem partes labefactatas ſuo calore piperato fovet, expeditque, & quatenus valde reſinoſum, vi ſua emplaſtica, ex integro ſanat: viſceribus autem jam denuò invigoratis, ipſum tandem Hydrargirum, Hoſpitem torpidum & alienum, ne intra nos æternum pernoctet, circuire cogunt, ſudoreque præcipue rare factum aut Urina, aut Vapore inſenſibili expellunt.

Atque hæc via quidem brevior, & expeditior eſt; tamen citra ſudorem idem ab eodem fit, certe medicinis purgatoriis adjuto; maximè ſi cætera boni regiminis

præ-

præcepta ſerventur, at cura diutius procraſtinetur, certiſſimi tandem effectus: imo vinum, quod ſæpius expertos ſum, ſucceſſum non impedit; potius auxilio eſt.

DE SCORBUTO

Quinta *Exercitatio Medicinalis*.

PRoximo autem Lui Venereæ loco *Scorbutum* poſui, & propter morbi *novitatem*, & quod illi tot tantiſque *ſignis communibus*, valdè affinis ſit; imo ab altero dignoſcere, niſi admodum exercitato medico, haud ita facile eſt. Etenim Scorbuto ſui quoque dolores ſub noctem graviùs infeſtantes, item ſui tumores duri; ſuaque Ulcera exedentia, puſtulęque & maculæ, ſuæq; pedum punctiones, & crurum lancinationes ſunt, Veruntamen Scorbuto etiam *peculiaria ſymptomata* ſunt, in Lue Venerea minimè notanda; nimirum Gingivarum tumor, mollities & fœtor; in toto ore, cruribus, aliiſq; corporis partibus purpureę maculę *vere violaceæ*; ventris tormina; præcordiorum gravitas moleſtiſſimùſque anhelitus, ſępius ad deliquium; crurum debilitas & mira laſſitudo. Dyſenteriam, Febres erraticas, intermittentes cujuſcunque Typi, peſtilentiales, Pleuritin, Dolorem Iſchiadicum, Arthritidem, Paralyſin, Hidropem, Atrophiam Scorbuticam, aliaque infinita ſimptomata taceo, quę prima facie alios, atque alios morbos mentiuntur; ſumma tamen induſtria & admirabili ſagacitate ad *Eugaleno* primum, ſuperioris ſeculi medico docto, hæc morborum ſimulachra à ſuis archetipis penitus diſcernere & diſtinguere docemur. Illud quidem non ignoro, apud *Plinium ſtomacbaces*, & *ſcelatirbes* cujuſdam mentionem fieri, quo Milites *Romani* olim in *Belgiæ maritimis* ſubito correpti ſunt; unum eundemque morbum cum Scorbuto hodierno fuiſſe, vero non admodum diſſimile eſt: tamen à veteribus medicis prorsus neglectus eſt, neque apud eos ullibi, certè de induſtria ſcriptus, ut tantus morbus meruit, occurrit; quod loci alicujus remoti & tunc temporis parum noti, tantum indigena fuit. Superiore autem ſeculo exeunte, ut diximus, *Eugalenus* multum de Rep. literaria meruit, quod hunc primum morbum accuratè deſcripſerit. At hic Morbus jamdiu quaſi lateſcens inter haud ignobilem gentem *Flandria* Populum, ex aſſidua & aucta navigationes apud Indos novas vires acquiſivit, ut *maris ipſius* proprius & peculiaris pleriſque jam audiat, vere *morbus nauticus*, & omni populo longis itineribus naviganti; cujuslibet terræ *Europæ* ij fuerint, communis, ſive ea Navigaria calidis, frigidiſve regionibus fiat: modo nimius iis labor, & victus præter rationem ſalſus & crâſſus tantum præbeatur.

Hujus autem cauſa efficiens *victus ſalſus*, eſt, ex. gr. Salſamenta è marinis piſcibus vel muria conditis, vel ſeſiccatis, item caſeus (omnis in *Salem* caſeus ſeneſcit; id eſt, urinoſum ſepticumque, *Plin. lib.* 11. *cap.* 42.) vetus & ſalſus; atque id genus alia victus genera. Identidem potio quælibet ſalſa in hoc ſenſu eſt; ut cereviſiæ ex aqua ſubſalſa coctæ; vel quibus ſal aut calx viva adjecta eſt: quæ peſſimæ conſuetudines, in coquendis cereviſiis non lupulatis, fere per totam *Angliam* jam obtinuerunt; ſiquidem inde cereviſiarij multum lucrantur, quod ita *Potiones hordeaceæ* confectæ, & ſubito claræ fiunt, & ad acrimonia diu ſervantur. At ſantitati noſtræ interim infeſtiſſimę ſunt. His adde ipſum *marinum aerem vere ſalſum*; quod *ſalſæ pluviæ*, calidis maxime regionibus, ex fide navigantium teſtantur.]

At quomodo, inquies, id fieri poteſt; ut ex *ſale condimentorum antiquiſſimo*, & in auxilium ſtomachi concoquentis apto nato, peſſimum morbi genus oriatur; huc accedunt ſalis eximiæ virtutes; nimirùm à putredine vindicat, pruritus ſedat, Lichenas, Lepras, Pſoraſque medetur; contra omnigenum

fera-

ferarum morsus optimè facit; adversus Opium & Fungos præclarum antidotum; ad Hydropicorum tumores dissipandos: item abstergit, extenuat, &c. & infinita alia, autore *Dioscoride*. Hæc quidem contra nos maximè facere videntur, Respondeo; crudum salem his usibus veteres non adhibuisse, sed *ustum*, ex eodem *Dioscoride*, constat; scilicet ustum, semelque locum, atque siccatum. Quod nobis innuere videtur, aliquid mali ab ejus *cruditate* illos metuisse. Deinde, ex salis *modico usu quotidiano* hoc malum non nasci solere, orbis terrarum populi universi consuetudo magno argumento est. Itaque ab ejus *excessu* tanta vitia gigni, credibile est: eamque rem sic paucis expediam.

A nimio sale stomachus, & intestina primùm vitiantur, ejus filamenta exedi, totumque ventriculum tenuiorem reddi, inflammarique quemadmodum ab aliquo alio medicamento *septico* copiosè & assiduè in victum quotidianum dato, tandem evenire, necesse est. Huic autem rei fidem faciunt *inanis* vomendi cupiditas, præcordiorum, etiam jejuno, mira gravitas & distensionis sensus, cum molestissimo anhelitu, non sine animi defectione & subita interdum morte; imò hic & alibi cardialgia *subito deliquio* examinare solet. Inflammatione autem semel vitiato stomacho chylus crudus confici solet; quod is ne cibi quidem pondus diu pati potest; maximè cùm ab eodem cibo salso potioneve continuò irritetur. Itaque crudus chylus festinanter in intestina deducitur, lacteisque receptus, vi cordis arteriarumque elastica, habitum corporis permeat; at cum crudus, & *supra modum salsus* chylus in *Limphæ ductus* separatur, eos maximè vellicat, inflammat, corrodit; unde vasorum tenerrimorum, & angustiorum adstrictio minifica, & ad circuitum lymphæ ineptitudo. His itaque labefactatis, salsus, & lentus, & crassus chilus in venis sanguiferis deinceps, ex magna parte, circulatur; arteriasque adeo ob nimiam lymphæ multum diffendi earumque pulsum impediri, necesse est: Pulsum autem laborare constat, cùm illo morbo *pulsus celer, parvus, inæqualis* inter præcipua indicia *pathognomonica* numeretur. Ab ejusmodi autem pulsu sanguinem *crudum*, *lentum*, *crassum*, *salsumque* tarde, ægrè in orbem moveri, necesse est; a motu verò sanguinis lento & inæquali, eum, maximè vasis *capillaribus*, ipsisque excretoriis ductibus ob pulsus impotentiam ac languorem, coalescere & stagnare aptum esse. Hinc Symptomatum facilis explicatio: nimirum *maculæ purpureæ*, ut in suggillationibus, & in omni vulnere contuso latè circumcirca fieri à sanguine coagulato novimus; item hinc proveniunt Tumores, & Hydropis Scorbutici ratio manifesta est; scilicet à chylo salso & crudo minimè circuire apto; & in hujusmodi Hydrope tumor *durior & magis renitens* esse solet, utpote à majore vasorum inflammatione Item Arthritidis vagæ ratio apparet à salsedine sanguinis ægrè moti, & hic & illic membraneis ductibus restibilis ac corrumpentis. Item lassitudinum causa intelligitur membrorumque distentio ab arteriarum nimia plenitudine. Item torpedinis, nervorum resolutionis & contractionis; nimirum a lympha salsa nervis impacta & adplicita, & a nutritionis paucitate & defectu nutritionis sane ratio, etiamsi consistere videatur in perpetua arteriarum plenitudine; nisi tamen sanguis debite per corporis habitum, neutro venarum genere obstructo, circumferatur, ductibusque excretoriis perpetim ventiletur accretio corporis infida erit & simulata; vitium quæ, non vigor (qui nutritionis tamen præcipuus effectus & summa utilitas) à corrumpentibus humoribus expectandus est. Item dolores acuti sub noctem maximè infestantes, ut in lectone horæ quadrantem manere possint, quod à lecti calore salsus & concrescens sanguis paulatim fusus liquatusque celerius per lymphæ ductus torpentes moveri solet: quemadmodum in digitis nive frigefactis; quo incalescunt, eò acerbissimo dolore punctorio afficiuntur. Ultimò *Atrophia* explicatur cùm Lympha à nimia salsedine vitiatur, & qui mitissimus humor esse debet, fit

supra

ſuprà modum ſalſus, craſſus, crudus, lentus, nutritionique adeò minime aptus; id eſt, qui commode & æquabili quodam tenore per omnes venas circumferri, perque vaſa excretoria à ſuperfluitatibus continue expurgari non poſſit. Huius autem rei illuſtre exemplum infantibus lacteſcentibus videmus; ubi lac a Nutricis conceptione fit ſalſum & Urinam ſalſam plene redolet ſapitque; quo lacte paucis ſeptimanis nutriti infantes, toto corporis habitu ſic vitiantur, ut tabes illa vix tota vita delenda ſit; imo infiniti atrophia pereunt, aut ſcrophulis aliiſve malis inde ortis conficiuntur. Huic autem infortunio [ut id hic obiter notem] non aliud remedium æque bonum unquam expertus ſum, ac lac novum ex alia nutrice ſana.

Quod autem *Gingivæ* intumeſcere, & cruentari; vel levi de cauſa, & putreſcere ſolent, (id quod *nautis*, præcipue in longa & moleſta navigatione, indicium eſt futuri Scorbuti) ratio eſt, lympham *ſalſam & lentam* à ſanguinis craſſamento ægre ſeparari poſſe & propter vitiatos lymphæ ductus, ad ductus, ſalivales excretorios propellitur ab arteriis; ubi in ſalivam lentam, ſalſamque conficitur, non admodum adeò effundi aptam: Gingiviſque itaque empacta, vaſi excretoriis ſubſiſtit, ampliuſque ibidem corrupta, eas tumefacit: imò *hæmorrhagiis funeſtis* ſubitò Scorbuticos corripi, propter vehementem hujus ſalſi humoris ſanguinem colliquatum ex putredine appulſum ad caput in exemplis noſtris infrà videbitur: cujus quidem ſymptomatis in hoc morbo ipſe *primus*, quod ſcio, authorſum.

Hinc liquet inſuper, cur *Hidrargirus* in hoc morbo curando [*Hartmanni* monitu, aliàs plurimum addicti chymicis remediis) nihil prodeſt: cùm & lymphæ ductus amplius infirmet, & à ſalſa ſupra modum lympha ipſe tandem vitietur; cùm ſal urinoſus vim & efficaciam ſalium acidorum deſtruat; & quod hic lympha craſſior & lentior eſt, quam quæ ſalivæ ductibus effundi poſſet.

At de ſalſedine ſanguinis aliqui meritò dubitant, cum cibum ſalſum comedentium ſanguis minime *muriaticus* eſt nec ex analyſi ſpagirica ſal marinus in, eo ad pauca grana inveniri poteſt. Reſpondeo; ſani quidem, & ſalſamenta multum comedentes, herbis tamen fructibuſque ſimul victitare ſolent, qui ſalis naturam alterent, diluantque. Deinde, ſalem culinarium concoctione quidem domari, & mitem reddi poſſe; in alium ſalem, urinoſum puta, certe à ſanis, manifeſtum eſt; quod nullum alium ſalem toto uſpiam corpore reperire licet. Rurſus; de *nautarum* ſanguine omnium graviſſime Scorbuto affectorum, nemo, quod ſcio, *quatenus iſte muriaticus* ſit, adhuc experimentum fecerit. At nobis abunde ſufficit, ſi hujuſmodi ſalis copia in habitu corporis reſtiterit; cum ſal urinoſus, crudus & imperfecte coctus eoſdem effectus, e putredine ortos, perpetrare potis eſt.

Exemplum unum vel alterum ponam quibus ſales integros poſſe per habitum corporis transferri, ibidemque morulas facere clare evincitur.

Cuidam Gonorrhæa graviter affecto, ad ʒi. ſalis prunellæ ex Terebinth. in bolo exhibui; poſt aliquot horas alvus ei mota eſt, & ſub noctem, forte cum hominem viſitavi, intolerabili dolore meiendo cruciatus, matulam mihi monſtravit, qua nuper minxit: ubi ſale micante ſaturatam urinam vidi; imò aliquot guttas urinæ albicantis, in marmora ante focum poſita, ſtillavit; quæ, ut curioſe eas examinaverim, meræ ſalinæ, & ib criſtallos aculeatas ſuo more concretæ fuerunt. Idem tamen phænomenon ab eodem medicamento aliquoties exhibito, prout ſanitatem recuperavit, ex toto deſiit.

His adde; in iis, qui ſe aquis medicatis noſtris, maxime ſalſis, *Epſomenſibus* puta, aliiſve ejuſdem farinæ, ingurgitant, eorum urina ſalis calcarii particulis tam repletur, ut, ſi vitrum, ea urina plenum, inter oculum tuum & ſolem teneas, illarum infinitam micationem admiraberis. Imò ſi multum & diutius bibant, ad aliquot menſes illis ſalinis

par-

particulis,)ut ex urina diligenter inspecta liquido tibi constabit(non ex toto corpus vacabit,

Hactenus de Scorbuti causa, ejusque accidentibus, diximus; hujus autem morbi aliquot è multis exempla, pro more nostro, ex adversariis transcribam, ut medicamentorum specificorum rationem exponam.

ÆGROTUS I.

Juvenis quidam robustus, miles, è castri transmarinis rediens, dolore per omnia membra vehementer affectus est; item ferè assiduo vomitu & diarrhæa; huic etiam maculæ quædam rubentes per totum corpus eruperunt. Sanguinem è brachio mitti jussi: is autem refrigeratus cute crassa ex fusco flavescente obductus est: urinæ paucæ, crassæ & rubræ. Hunc sic curavi, [*℞. Vini albi Gallici* ℔ *ß. m. Sem. Anethi* ʒ*i. fœniculi dulcis* ʒ*ii. Gingiberis rasi* ʒ *ß. ad duodecim horas vase diligenter clauso leniter coquatur* .] Hujus medicamenti ʒ*ii.* ter minimùm quotidiè quantum calide id ferre potuit, propinavimus. Convaluit,

ÆGROTUS II.

Vir quidam, obesus, ab aliquot mensibus, nescio quo languore & horrore, quotidiè recurrente, affectus est; item huic gravis in lumbis capiteque dolor; matutini sudores valde frigidi; Tussis; spiritus difficultas; nulla ciborum appetentia; lingua non arida, tamen siticulosus; decumbendi in lecto assidua cupiditas; pulsus parvus & debilis urina admodum biliosa: huic succos *Nastrutii* & *Cochleariæ* ex vino rubro propinavi: & quamvis aliquoties inhorruit, tamen & urina pallida & sudores paulo tepidiores; item spiritus multo facilior Balsamum Martis ad grana x. ad tussim & spiritum difficilem nocte dormituro dedi, cujus usu, etiam ipso sudoris tempore, melius dormivit; quod aliàs ante, ob pectoris nescio quam angustiam, nunquam facere potuit. In his remediis ad decem dies & amplius perseveravit: horrores sudoresque omnino desierunt mirifice convaluit præter necessariorum expectationem.

ÆGROTUS III.

Paralisis *ex Scorbuto*.

Quinquagenarius, obesus, (*Tithmarsh*) media hieme primum fit anhelosus, deque nescio qua ægritudine circa stomachum valde questus est; mox brachiorum & crurum quasi paralisis & languor ægrum corripuit; hæc autem mala excepit gravis & assiduus crurum dolor, dies noctesque hominem crucians, somnumque ei prorsus adimens. Post quatuordecim vero dies in utroque crure *maculæ* infinitæ *purpureæ* apparuerunt. Penè invitus curatus fuit remediis Antiscorbuticis vulgò cognitis; adeò vino *Hispanico*, & sæpe Spiritui Vini dicto, indulgere voluit. Non ante æstatem tamen manuum pedumque vigorem recuperavit, quo tempore hominem *aquis muriaticis* [in vicinia *Knaresborough* agri *Eboracensis*] coctis & calidis, quantum sustinere potuit, balneare volui: ex integro convaluit. At Hyeme proxime sequente similiter affectus est; & mortuus est.

ÆGROTUS IV.

Atrophia *ex Scorbuto*.

Tailour de Marston, quinquagenarius spirandi difficultate diu affectus est; tandem admodum emaciatus est; cætera sanus ut sibi videbatur; propter pituitam verò viscidam in lecto dormire vix potuit; pulsus celer & debilis, modica sitis; urina rufa; è medio pectore maculæ subpurpureæ efflorescebant; atque hæ tandem latè setaceum pectus occupabant; à prima autem earum eruptione iis color subpurpureus, qui indies degenerare in subluteum solebat, id quod curiosius observabam. Tabidus mortuus est.

ÆGRO-

ÆGROTUS V.

Dominus *Coobe*, è Prebendariis Eccleſiæ *Eboracenſis*, minimum quinquagenarius, macer, literis valdè deditus, *Decembri* exeunte ex frigore primum tuſſi affectus eſt; huic nulla ferè ciborum appetentia; tuſſi ſupervenit ſpirandi difficultas, & neſcio quis levis dolor, & in tibia dextra imbecillitas; mox ibidem *pruritus* ortus eſt, & maculæ *purpureæ*. Ipſe autem vocatus, femur & crus tumida & intense purpureo colore occupata vidi; huic Urina varia, nunc ruſa & valde turbida, nunc clara & qualis ſanorum. Imo malum quodammodo Tertianam Febrem mentiebatur, nam alternis diebus pejus ſe habuit; malum in femore & tibia cum dolore, duritie & rigiditate indies ſerpebat. Quo malum auctum eſt, eo Urinæ certiores, & rufiores, & fæcibus magis id ſaturatæ. Ad decimum verò diem paulatim ſerpendo totum femur & tibiam & jam ipſum pedem tumore inſigni occupavit, & livor jam ad *nigredinem violaceam* valde accedebat; foveæ in pede facile fiebant; at tumores cruris & femoris multo duriores fuerunt. Jam verò languores primùm æger ſenſit, & aſſidue in lecto deinceps decubuit.

Ex Anti-ſcorbuticis medicamentis Apozema præſcripſi, item Cataplaſmate ex ſolis emollientibus cum herba Cochlearia & Unguento è mucilaginibus toti cruri femorique late admovi; quibus admodum levati ſunt, & dolor, & tumor; Atque à pertinaci iſtiuſmodi remediorum uſu tandem convaluit. Illud inſuper notavi nigredinis extremas partes ſubluteo colore circumſcriptas fuiſſe, perinde ut fit in ſuggillatis.

ÆGROTUS VI.

Quidam Batavus, valde obeſus, languoribus diu affectus eſt; tandem lecto defixus; huic labia, genæ, & ipſa lingua liveſcebant; pulſu parvo, debili, & urina qualis ſanorum fuit; Spiritus Vini multùm & aſſidue potare conſuevit; huic autem à magni nominis medicis & ſanguinis miſſio aliquoties repetita, & purgatoriæ medicinæ, & chalybs diu exhibitus eſt; at non ullo modo ei profuerunt. Ipſe vocatus mala in infinitum aucta obſervavi, & jam manus cruraque liveſcebant, & ſpirandi difficultas tanta fuit, ut niſi erectus in ſella ſedere non potuit; adeo lingua balbutiebat, ut hominem gallice loquentem, vix intelligere potui. Omnia à me ſumere recuſavit præter cardiaca medicamenta vinoſa; quorum ſane in noſtris officinis copia eſt: poſt aliquot verò menſes à primo inſultu hæmorrhagia ſub noctem adeo violenta correptus eſt, ut aliquam multas libras ſanguinis e naribus effuderit, antequam moriebatur.

ÆGROTUS VII.

Iuvenis quidam, exeunte *Decembri*, ſubito & ſine aliqua cauſa manifeſta narium hæmorrhagia correptus eſt: id malum aliquot dies per intervalla duravit; mox totum corpus maculis fere *ex nigra-purpureis* eleganter depictum eſt; etiam earum aliquot ex interna labiorum parte obſervavi: *huic tamen nec febricula nec pulſus ſuſto debilior*; Urina qualis ſanorum; nec ullum grave alias ſymptoma. At funeſta illa pictura fuit.

ÆGROTUS VIII.

Puer quidam, quinque annos natus, ſubito, ineunte vere, maculis quibuſdam *ex viola-purpureis* in cute albiſſima per totum corpus depingitur; ejus inquam, uſque forte inſpexi, eoſdemque maculas, & in ore, & in labiis ulceratas obſervavi; ejus cura ad me non pertinebat. Nam puerum mihi attulit vicinus quidam meus tantum, animi cauſa. Et neſcio an aliquod medicamentum ab ullo datum fuit. At eadem nocte, Hæmorrhagia graviter affectus, & illico mortuus eſt.

N. B. In proximo ſuperiori caſu maculæ eruperunt à ſanguinis profluvio;

in

in hoc autem post maculas Hæmorrhagia lethalis sequuta est.

ÆGROTUS IX.

PUer quidem (*VValler*) summè agilis, decem circiter annos natus, casei mercatoris filius, subitò *maculis pupureis* per universum corpus depictus est; ex his parvæ & aliæ majusculæ fuerunt, ipsum *violæ martiæ florem* eleganter representantes: mox vehemens Hæmorrhagia sequuta est; gingivæ, fauces, ipsaque lingua summa putredine virulenta exulcerantur; ut nec cibum, nec medicamenta amplius sumere potuerit. Intra septiduum mortuus est.

ÆGROTUS X.

QUidam puer (*Hevvet*) sex annos natus, subitò *nigro purpureis* maculis per universum corpus affectus est, puer autem de capitis dolore leviter tantum questus est, & toto eo die ludebat; naribus tamen paululum sanguine stillantibus; omninò non febricitabat, & cibum pro more avide appetebat: ejus parentes insolitas maculas mirabantur; media nocte sanguis è naribus copiosè profluebat, eundemque adeò grumosum è ventriculo vomebat: ad decimam diei horam vocatus, sanguis admodùm difficilè comprimi potuit: maculas autem in labijs & lingua video; item per ejus femora maculæ aliquot longæ & latæ, velut ex verberibus vibices; huic corporis habitus frigidus, pulsus rarus & debilis, urina succinea & qualis sanorum; nulla sitis: ad illum comprimendum infinita frustra adhibita sunt: vena autem brachii à me inciso, is protinus in deliquium, vix sesqui uncia sanguinis effusa, lapsus, & sanguis è naribus per se protinus compressus est. Sudore frigido madebat usque ad mediam noctem, deliravit; forte ex diacodio dato in aqua plantaginis: postridie verò mane idem ei sanguinis profluvium contigit per aliquot horas tandem balsamo veneris nares implevi, & sanguis stillare desiit, Deinceps diacodium modice datum est. Et *succi limonum*, *succi cochleariæ* ad cyathos aliquot quotidie illi propinavi. Vibices primum, mox maculæ in labijs, reliquoque corpore, sensim dispa-ruerunt. Convaluit.

ÆGROTUS XI.

Sub idem tempus puellam vidi octo annos natam, cui infinitæ maculæ *purpura-violaceæ* in *nivea* cute efflorescebant, sane spectaculum haud ingratum, nisi quod affectus morbosus fuerit; inter has vero maculas quasdam ad amussim *triquetras*, alias *quadratas*, pleraque *rotundas* & *inordinatas*, non sine ingenti admiratione curiosius contemplabar. Huic autem me præscripsisse memini spiritum C. C. ad aliquot guttas ex cerevisia tenui quotidie bibendas. Convaluit.

ÆGROTUS XII.

Item alia puella eodem anno 1682. mihi ostensa est ijsdem maculis per totum corpus depicta: diu in cute eæ maculæ apparuerunt; tandem nescio quibus remedijs convaluit. N. B. in his duobus ultimis casibus de ulla hæmorrhagia superveniente non memini.

At *remedia* jam tandem venio; nam in recitandis exemplis, quæ infinita sunt, prolixior esse nolo. Præcipua autem hujus morbi medicamenta sunt, *Cochleariæ*, *Limonumque*, *Aurantiorumve succi*: & ex hac nota sunt omnigeni fructus & olera: at quò magis acidi eo meliores sunt: hinc Acetum quoque & Spiritus Vitrioli valde prosunt.

Horum itaque omnium facultates, & quæ commoda ab istiusmodi acidis remedijs expectanda sunt, ab uno Aceto discemus. De Aceto autem inter alia multa ita *Dioscorides* perhibet. Acetum refrigerat, & astringit. Stomacho utile, appetentiam excitat, Erumpentem undique sanguinem sistit, potu insessuve. Prodest alvi fluctionibus cum

cibis

cibis coctum. In Orthopnæa calidum commodè sorbetur. Tussim veterem mitigat. Inflammationes arcet. Reprimit abscedentes Gingivas, & sanguine manantes. Sugillationes rapit, & ad conglobatum sanguinem prodest. Ad capitis dolores confert. Ad aquam intercutem ferventis vapor proficit, panos coercet tepidi fotus, pruritus permulcet; ad nomas & sacrum ignem, & ulcera quæ serpunt, ad lepras, impetigineſque efficax est. Phagedænas ulcerum nomasque fotu continuo cohibet Calidum potum adversùs omnia venena efficax est, præsertim contra Meconium, Fungos & haustam cicutam. Contra venenatorum serpentium ictus, & eos, qui urens virus ejaculantur.

An verò aliquid in *aceto* deficiat, ad morbum nostrum curandum, aut amplius desideretur, remedio cum morbi symptomatibus diligenter collato, plane nescio; certè tu velim pensites, o bone lector.

Quamvis succi ex usu quotidiano in hoc morbo supra memorati & præ cæteris commendati, veteribus parum aut nihil noti fuerunt: eorum tamen opinionem de fructibus acidis in malo punico videre licet; nimirum boni esse succi, & stomacho utilis, &c. reliqua vide apud *Dioscoridem*.

Quomodo autem hi effectus ex usu acidorum oriantur explicandum restat. Atque hujus rei in his paucis consistit. Acidum imprimis infirmum, & æstuantem stomachum refrigerat & adstringit; adeòque concoctioni eum aptum reddit; similiter cogitandum est de intestinis visceribus, eorumque vasis, una eademq; ratione, salium exedentium copia laborantibus; hujus autem in stomacho & visceribus refrigerii ratio est, quod acida salibus urinosis adjecta eorum vim protinus frangunt, & cum attenuando chylum limphamve insuper urinam moveant, sales exedentes mitigatos jam maxime eo diducunt foras: à chilo autem novo, tenui & dulci sanguinis circuitus rursus expeditur, limphæque adeo motus placidè perficitur, quo arteriarum labor multum diminuitur, levaturque; adeoque hæmorrhagia & maculæ, & dolores, & lassitudines, nervorumq; resolutiones cantractioneſque paucis diebus ex toto cessant, & homo moribundus ex integro restituitur. Cujus subitæ curationis exempla infinita in nautis, terræ semel expositis à longis navigationibus, occurrunt.

At remediorum magnæ differentiæ sunt: Respondeo, verissimum quidem esse, multis oleribus, inter quæ Nasturtium & Cochleariam pono, ad Scorbutum utilibus, præter succum acidum inesse etiam quandam piperatam acerbitatem; qua tamen de causa crassos corporis humores magis attenuant, & in omnes ejus meatus sibi viam faciunt; adeoq; salem crudum Urinosum ubique locorum promptius subigere & expellere potes sunt.

Salis autem culinarii *crudi*, sive in Urinosum mediocriter tantum cocti, notio haud ita aliena est. Nam etiam in bene coquentibus Urina suum salem urinosum non facilè, & à prima statim mictione analisi chimica præbet; imò ut ulterius putrescat, necesse est. Item ex sanguine humano eodem artificio destillato, paucæ tantum drachmæ salis culinarii, ex multis libris sanguinis haberi possunt; Ac idem etiam ambiguæ naturæ est, nec in omnibus vere marino respondet, ut perhibet *Boileus* noster.

Rursus; Acetum a fructus alicujus immaturi succo viribus dilat, in eo, quod Acetum acrimoniam quandam ex putredinosa caliditate, scilicet ex bina fermentatione confectum, adeptum est. Fructus autem acidus immaturus ea acquisita acredine caret, & acerbitatem habet. Unde magis etiam tenuium partium est Acetum, quàm alicujus herbæ aut fructus immaturi succus, velut sensus quoque testatur, *quo autem acrior succus, eo promptius penetrat*, ut rectè de victu attenuante *Galenus*.

Ampliùs; Limonum, Aurantiorum, Malorumque Punicorum, scilicet perfectè maturorum, succi acidi sunt: nec fructus alicujus immaturi acerbitatem ingratam, nec aceti acrimoniam calidam, *ex duplici fermento confecti*, habent;

bent, adeoque præ cæteris valdè excellunt, & privatim ad hunc morbum omnium remediorum longè præstantissima medicamenta sunt; etiam miseris nautis in auxilium suum infinitis exemplis experta. Limonum autem commendationem hic inserere suave est, Authore *Pisone* Batavo, medico diligentissimo, & in rebus Naturæ exoticis, si quis alius, versatissimo. *Peritissimi*, inquit ille, *nonnulli Indiæ*, ubi diu vixit, *medicastri plus præsidii in limonibus ponunt, quam in lapide Bezoartico aut Theriaca, contra malignos morbos, & pestilentes febres, atque ipsa Venena. Ego autem, sine iactantia affirmo, me ex nullo, alio aliquo remedio simplici tot felices effectus in tota praxi mea observasse, quam ex limonibus.*

Atque hæc satis dicta sunt de id genus remediorum natura.

Quæstio autem haud importuna superest, cui respondere, antequam hanc exercitationem finiam, mihi bonum videtur: nimirum cur hoc morbo correpti, sanguinem miti, & purgari plerumque malè ferunt? Respondeo; Qui diu ciborum appetentia caruerunt, etiam succo nutritio, qualiscunque is sit, vix abundare, credibile est: huic rei fidem facit, inanis vomendi conatur sine ulla notabili excretione; item quod Lymphæ ductus feriant; quod testatur & nervorum resolutio & corporis nimia lassitudo, è maxime communibus hujus morbi indiciis, & interdum ossium crepitus.

Deinde diutius ab hoc morbo affecti, etiam *vitiatis* humoribus effusis supra modum languent, quod arteriæ rigidæ, & diu distentæ ex chylo crudo, salsoque, eo dempto, plane stupent, nec facile ac prompte ad officium debitum redire possunt, sed pene ab opere deficiunt; illud confirmat pulsus debilis, parvus, inæqualis; item quod ab omni mutatione positus corporis deliquium pati istius; modi ægri valde proni sunt, nimirum cordis & arteriorum Systole fatiscente id refluo sanguine inæqualiter moto, tantum non opprimitur.

DE ARTHRITIDE.

Sexta *Exercitatio Medicinalis*.

ARticulorum Dolor sive pedum, sive manuum, sive coxendicum, idem morbus in diversis corporis partibus merito audit; etiamsi aliis atque aliis nominibus, ut podagra, Cheiragra, Ischiasve appelletur.

Rheumatismus vero, quamvis is morbus, dolorem quod attinet, affinis sit; in hos tamen non articuli tantum, sed media quoque inter articulos spatia gravissimis interdum doloribus affici solent.

In descriptione autem hujus morbi, sicut in reliquis omnibus, veteres imprimis audiendi sunt: profecto singulorum accidentium, quibus hic morbus concludi possit, enumeratio apud illos mirabili quadam industria exhibetur, ut nihil hodiernæ diligentiæ relinqui videatur. De his vero consulas suadeo *Aretæum* aut *C. Aurelianum*. Equidem ea, brevitatis causa, quam in his Tractatibus unice institui, certe in tam vulgari morbo libenter omitterem. Quoniam tamen Aureliani liber, propter editionum paucitatem, (imo non nisi ejus unica; quod scio, integra est) in paucorum manibus est, & quod hoc sit Veterum *summæ accurationis* in morbis describendis *exemplum*, illud transcribere in nostras chartas non gravabor. Sequitur, inquit ille, passione articulari tentatos, *torpor* atque *formicatio* eorum articulorum qui tanguntur, & difficilis *flexio*, atq; rursum *extensio*: item *gravedo* & *vacandi dulcedo*; & ad parvum motum vehemens dolor; atque dormientibus sensus quidam *resonantium* articulorum, & cum de somno surrexerint, veluti *saltu* earundem partium afficiuntur; tum *horror* vel *rigor*, vel *tremor*, sine ulla manifesta ratione, partium sequuntur: deinc cum passio se extollere cœperit, in Podagricis *dolor* alterius pedis, aut utriusq; cum *punctionibus* nascitur, incipiens à vestigio, aut plantæ cavitate, vel sæpius à majore digito, attestante torpore & gravedine, & difficili motu cum horrore, rigido, atque inæquali per membra, & aliquan-

aliquando plurimo *fervore*, aliquando *frigore*, ut alii refrigerantia, alii calida desiderent ægrotantes & propterea quidam alteram calidam, alteram frigidam podagram putaverunt nuncupandam: item initio, ut sæpè contigit, similis color patentium, atque sanatum videtur partium atteſtante æqualitate, nullo emergente tumore. Dehinc *inflatio partium* fit cum *rubore*: quapropter *relevationum* sæpè sequitur. (Hoc est, partes circa ipsa ossa minus dolent] Tum pejorante passione, *Arthritica* sufficitur passio, cùm in unum, omnium articulorum consensus, & facile ex articulo in articulum venit dolor, nec desinens priusquam cunctos invaserit nodos: sæpè denique, prioris articuli, dolore declinante, *secundus* invaditur, atque eodem similiter miscente, *tertius* sumit exordium, consentiente etiam vesica, atque spine majoribus nervis, quos *Tenonias* vocant. Et in *Stomacho* etiam *nausea* vel vomitu jactantur ægrotantes. Tunc articuli tumentes inflantur, ac deinde *durescunt*, & soliditati *saxeam* faciunt qualitatem: tum etiam *nigriores* efficiuntur, atque *contorti*, ut in *obliquas* partes *digiti vertantur*, aut *reflexi supinentur*, aut vicinis adfixi incumbant. Et aliquando *humore purrulento*, vel *mucilento collecto*, aut viscoso, generent *Porus*, quos nos *Tophos* dicere poterimus. Denique lapides sufficiuntur, qui quidem *articulos solvant*, & *cutem distendunt*, atque erumpentes promineant, & chirurgia detrahantur, aut exilientes cyathis cum fibramento tollantur, quod nos scalpreolum discere poterimus, & *rursum revasoantur*. Tum membra dolentium partium, cessante nutrimento, *tenuata languescunt*, & *arida* efficiuntur. Erunt præterea ægrotantes parvis ex causis *mobiles* atque *iracundi*, siquidem motum vel actum non sine querela accipiunt.

Principaliter autem hæc passio, inquit idem *C. Aurelianus*, constituitur in Nervis vel eorum colligationibus, tum cætera morbo consentiunt, atque contiguos, vel superpositos lacertos, & majores nervos pati demonstrant: ineunt morbo, *Nervi*, id est [ex interpretatione ipsius Aretæi] articulorum vincula, & quæcunque ex ossibus exorta sunt, & in ipsa ossa inseruntur, dolore incipiunt. At ipsa ossa non dolent, vel minimum. At si aliquis ab ipsis doleat, non serramenta adstringentia, non vincula, non vulnerans gladius, non exurens ignis (nam hæc interdum ex remediis in hoc morbo sunt) tantum dolorem excitare possunt, quantum quæ ex ipsis ossibus nascuntur.

Patitur autem principaliter membrana quæ ossa circumtegit: item musculorum capita vel summitates.

Denique augmento passionis inter *creatus* humor, ex frequenti dolore corruptus, in saniem transiens, partes aliquas [imo ipsa tandem ossa] collectionibus, id est, abscessu afficit,

Hujus autem tanti doloris causam sic breviter intelligo. In articulis itaque & coxis, ubi primus morbi insultus est, *ductus excretorii* cartilaginosa ossium capita, tendines musculorum duriusculos minusque flexiles, membranasque iis circumpositas penetrant, pertanseuntque; perinde ut iisdem ductibus in cute intestinisque fieri solet; nempè ut perpetim effundatur in cavitates aut interstitia articulorum humor ille pituitosus, illorum madefactioni inunctionique valdè necessarius, ne in motibus suis exerendis articuli mutua attritione offendantur.

Hi autem ductus *labefacti*, id est, vel laxati ab improbo aliquo exercitio, maximè à cibo; ex nimia Venere, à qua tot motus articulorum convulsivi; ex frequenti usu vini vel aromatum, quibus iidem ductus vehementer resolvuntur; vel ex naturali quadam ductuum imbecillitate, qua contractioni impares sunt, vel *obstructi* ex aliqua longa hæmorrhagia; ex crapula & otio, humor ille ex crudo jam & lento sero confectus, in ductibus articulorum excretoriis moram trahendo, facile putredinem & acrimoniam concipit, & ichorosus tandem fit; ipsa denique ossa rodendo, illa in Tophos dissolvere potis est. Quod satis constat ossibus carioſis vermiculato quodam opere profundè insculptis. Undè primum *atrox dolor*, *nempe a continua distentione* & *dilatatione* ductuum *excretorum* à corrumpente humore, cui tamen dissectioni partium cartilaginosarum *duritiei*

plurimùm reſiſtit: ideòque in iis dolor vehementior excitatur, quàm in molliori-bus corporis partibus fieri ſolet, ubi tanta reſiſtentia non eſt humori abſcedenti. *Hippocratem* audi; Humor corruptus, inquit ille, (*lib. de Affectibus*) quo magis tenues venulas, corporique movendo magis neceſſarias, nervoſque & oſſa multa & crebra ſubierit, eò ſanè tum ſtabilior morbus eſt, tum ægerrimè profligatur.

Atque hinc illi ſenſus ſtricturæ infinitę compreſſionis, ponderis, caloris urentis lancinationis, punctionum, roſionum, ut humor putreſcens in auguſtis & vix dilatabilibus ductibus impactus, viam ſibi faciat.

Huic autem explicationi hæc fidem faciunt, quod ad ipſas cavitates & interſtitia articulorum, ut ſuprà comprehenſum eſt, *profunde incipit dolor*; ſurſùmque fertur in muſculos circumeam bientes, ferè inflammatione in iiſdē excitata nempe ex *regurgitatione* humoris jam putreſcentis in arteriolas cutaneas ac muſculares: ubi autem ex articulis ſurſum inflammatio tollitur, dolor ad oſſa multo remiſſior eſſe ſolet; quod ſcilicet ductus excretorii cartilaginoſi & ſemioſſei humore corrumpente paulatim deplentur.

Deinde, à *Tophis*, ipſis articulis innatis, ſatis confirmatur; quod ii ex materia *oſſea* ſunt. Ab initio quidem, Authore Aretæo, veluti abſceſſus articulos occupant; poſtquàm verò magis ſpiſſantur, etiam concreto humore difficiles fiunt inflexiones: demum Tophi ſolidi, albi conſiſtunt. Imo univerſam oſſium compagem morbus populatur, haud ſecus atque pedis aut manus articulum. Etenim in toto membro Tubercula exigua & maiora exurgunt. Illorum verum humiditas craſſa, albicans, & grandinoſa eſt. At illa rara fiunt, niſi ubi longa morbi conſuetudo facta eſt.

Atque hæc hactenus de cauſa doloris *coniuncta*, nempe de diſtentione præternaturali ab infarctu ductuum excretoriorum in tendinibus cartilaginoſis membraniſque ab oſſa pertinentibus.

Cauſa verò *antecedens* eſt ſtomachus labefactatus, unde chilus crudus & lentus.

Inter Antiquos verò, Hyppocrates, hanc cauſam voluit eſſe ſanguinem bile & pituita corruptum, inque articulos effuſum. At cùm bilis & pituita extra habitum corporis in inteſtina ferè effundi ſolent, nec aliqua ſecretione, ſed ex ipſo ſanguine (ſi bonus, bono: ſi malus, malo) foras in ductus excretorios ubique propulſo, & ſola ductuum *fracedine nativa* excoctæ fiant, (de quo fuſius in Tractatu de Humoribus egimus) ideo iſtam opinionem non libenter admitto. Inficias tamen non ibo, poſſe aliquando ſanguinem à bile & pituita *refluis* per vaſa chylifera vitiari.

Alij autem hodierni Medici ſalem neſcio quem, Tartarumque accuſant. At hæc vana ſunt, & ſine fundamento. Cum ipſe Sal Tartareus, ex quo Tophos oriri volunt, nuſpiam in corpore reperitur; cùm nec ipſi Thophi, nec oſſa, nec aliquid carnis, humorumve alium ſalem edant ad torturam ignis, aut alio artificio, quod ſcio, chimico, præter unum eundemque planè urinoſum.

At ipſum Sal Tartareum, (quòd à Paracelſo conceptum, Mayerno, ejuſque ſectatoribus tam gratum eſt) alius planè generis ſalis; ut ex ejus figura, cùm in chryſtallos coiverit, ſatis conſtat.

Denique ſal urinoſum *putredinis concoquentis* & coagulationis tam *citra*, id eſt in Renibus & reliquis ductibus excretoriis cutaneis, quàm *ultra* habitum corporis & inteſtinis, *effectus*, *non cauſa* eſt.

Reſtat itaque ſolus chylus ſive *ſerum crudum* & viſcoſum, in ductibus excretoriis articulorum, ægrè dilatationi cedentibus, *accumulatum*, cauſa materialis hujus morbi.

Antequam verò morbi accidentia dimittam, unum à moderno quodam Scriptore novum inventum, ut credi voluit, notabo; nempe totam illam narrationem plurimorum exiguorum paroxyſmorum quotidianorum ad podagram conſtituendam, bellam atque lepidam Fictionem eſſe. Quod autem dolor nocte recrudeſcat, manè vero remittatur: id ſitus corporis facere poteſt, quo ſanguinis motus vel promovetur, retardaturve in hanc vel illam corporis partem: quid enim pedem in ſcabellum interdiu altiùs geſtet podagricus, ſi non ad dolorem à poſitione ſedandum. Deinde victus ratio, quæ ferè

diur-

diurna est, unde nocturna aliqua exacerbatio oriri potest. Ipsa vero Febricula si quæ ineunte morbo, fit, per accidens est, & è dolore orta & symptomatica, & quæ levi de causa à *medicamentis* aut *victu* intempestivè datis recrudescere potest. Rectè itaque Aretæus, in Arthritide atroces sanè dolores sunt, sed dolorem comitantia atrociora: defectus animæ, ciborum aversatio, sitis, vigilia, inter quæ febricula. Imo eadem incertitudo & varietas exacerbationum in Ischiadicis olim animadversa est a Cæl. Aureliano. Dolor, inquit ille, efficitur nunc jugis, nunc deficiens, ordinatus, aut inordinatus, ac longis vel parvis intervallis recurrens, ac paucis ac limpidis lenimentorum spatiis, aut mediocres reliquias servans.

Aliquot autem Quæstionibus de Podagricis hic respondere lubet: quarum prima est cur mulier Podagra non laborat, nisi menstrua defuerint? Illud verum fuisse Hippocratis ævo & in græcia facile credo. Quod mulieres græcæ summæ castitatis & temperantiæ exempla fuerunt. At apud nos is Aphorismus minus verus est; cum infinitæ instantiæ occurrunt. Podagricarum mulierum etiam quibus menstrua bene respondent. Illud tamen concedendum est, illas multo rarius affici hoc morbo, quam viri, ob menstruorum excretionem a quibus inaniuntur levanturque illi alteri ductus Articulorum excretorij; claro documento, ut id hic obiter notem, magni emolumenti appropriatorum catharticorum ad morbum hunc præcavendum. Deinde, etiam ex consuetudine vitæque ratione, causis hujus morbi procatarticis parum noxiæ, adeoque minus illo vitio opportunæ sunt.

Eadem vero ratio, est de Pueris, quibus plerique ductus excretorii & molliores multo, quam in ætate provectioribus & indies pro corporis incremento ampliantur.

At quærent porro, Cur Eunuchi Podagra non laborant? Respondeo, Admodum pauci in omni ævo fuerint. Deinde iis ipsa muliebris cura & consuetudo imperata est. Imo mollitie & teneritudine carnis non mulieres tantum, sed & pueros superant; ut de omnibus cujuscunque generis castratis animalibus satis constat; adeoq; iis ductus articulorũ excretorii facilè dilatabiles, & humores *liquidiores* sunt.

Cum autem intentiones curativæ præcipuè duæ sunt; *una* ad præcautionem ne redeat morbus, aut tardius mitiusve. *Altera* ad dolem cito sedandum, dissipandum, resolvendum: ideo ad Ægrotorum exempla pro more nostro jam procedo; in tam vulgari autem & quotidiano morbo paucis tantum opus est; nempè ut naturam & usum aliquot remediorum specificorum ostendam.

ÆGROTUS I.

Domina *Ashton de VVhallie*, primaria fœmina; sexagenaria, ex multis annis graviter Arthritide in omnibus artubus afflicta est. Tophi ingentes ubique articulorum, etiam in mediis membris Tubercula tophacea; alia ad ovi gallinacei, alia ad nucis avellanæ magnitudinem, alia minora infinita grandinis instar.

Huic Urina semper pallida, etiam ipsis accessionibus, ut ipsa ejusque necessarii mihi retulerunt.

Ex Lancastria ad Eboracum venit, meum auxilium implorans, quod, multo maximam anni partem, arthriticis doloribus vehementes vexata, decumbere consuevit.

Hæc erat obesula, certe non macilenta fœmina. Huic vero sic præscripsi. (℞. *Vini Emetici* ℥ß. *decocti Sennæ Gereonis* ℥iß. *Syrup. Violar.* ℥ß. m. f. Potio Emetica.) Abeo vero medicamento aliquoties vomuit; alvusque mota est cum euphoria. Idemque adeo medicamentum singulis septimanis exhibui ad mensem. Domum autem reversa, singulis mensibus idem emeticum semel repetiit ex præcepto meo, valetudinemque ei annuam & duos menses bonam præstabat.

Ex hoc vero successu lætata Londinum abiit, ubi inter alia, ad Tophos dissolvendos, (nam id fieri potuisse vehementer credidit (Antimonij Diaphoretici a L. R. diu sumpsit. Atque alia infinita: tandem a N. *pulverem Hues* dict. i. e. præcipitatum rubrum per se, magno pretio

tio redemit; item Arcanum ejusdem N. etiam ad integrum annum sumpsit, item chalybeata ex plurimorum Medicorum præscriptis. At hæc omnia vana, imò noxia, & tandem pernicioſa fuere. Nam ipse post septennium forte Londinum adiens, morienti fœminæ accersitus hæc didici ab illa. Huic autem supra fidem *pruritus* continuus ab istis remediis non in universa tantum cute, sed & in ipsis faucibus, stomachoque; quod seriò centies mihi affirmavit, (nam in hac misera conditione ad decem minimum menses vixit) excitatus est, & tandem convulsa mortua est.

ÆGROTUS II.

D. *Buchenham* sexagenarius, vir admodum obesus, diu podagricus ad totalem ambulandi impotentiam; tandem manibus captus est: mox in omnem corporis ambitum vagatus est morbus; sævissimisque doloribus etiam in colli vertebris, & omoplatis cruciatus est; post sexaginta vero dies singuli paroxysmi, quibus ferè annuatim corripi solebat, vix finiti sunt. Atque hæc illius podagrici conditio erat, cum primum hominem viderem. Ad septennium meæ curæ se commisit. Hæc autem expertus sum in 12. minimum paroxysmis: nempe, ineunte morbo, sanguinem ei semel atq; iterum prima *diatrito* mittendum curavi, cujus semper crassamento frigido cutis densa atque albida adhæsit verè coriacea: item sub eodem tempore ventrem subduxi lenioribus injectionibus. Febricula autem paulatim finita, aliaque cum viderem victæ cruditati, indicia ex Vrina hypostasi levi, & albicante, hominemque jam in declinatione morbi constitutum, hujusmodi potionibus dejectionem alvi aliquoties mollitus sum. ℞. *Decoct. Sennæ Gereon.* ℥iv. *Syrup. e Rosis purg. cum Agarico, Syrup. Violar Aq. Mirab. succi limon. an.* ℥ß. *manna* ℥i. misce, f. Potio] Hoc autem medicamentum adeo profuit, ut intra tres plurimum septimanas ad integram sanitatem sæpius restitutus est: nec memini illum ullo paroxysmo semel excessisse mensem toto illo septennio, quin ad integritatem corpus rediret; cum tamen antea ad duos treſve mēses decumbere consueverat. Quis verò exitus fuit hujus viri, si quæras, dicam. Dum forte laudaret effectum medicamentorum purgantium in Podagra curanda, aliquis ex officio ei pilulas nescio quas Scoticas vehementer commendabat. Quid fit? Vltimo paroxysmo quo vivere desiit, & sanguinis detractionem, & omnem methodum meam omnino noluit; sed clam a primo insultus die ad decimum è pilulis Scoticis duas treſve devoravit, quibus alvus quotidie aliquoties mota est. Jam lepide mecum confabulatus est, an crederem illum tot annis valetudinarium vixisse, nec, sibi certe, Medicum esse posse? Illa vero nocte urina citra ullum dolorem compressa est. Imò mingendi cupiditas ex toto desiit. Ad decimum vero quintum diem vixit, nec unquam vesica respondit neque enim guttula urinæ in ea inventa est; cathetere sæpius immisso à perito chirurgo.

ÆGROTUS III.

Domina *Ch.* optima fœmina, mediæ ætatis, obesula, aliquot liberorum mater. Huic menstrua semper bene responderunt; attamen ex Arthritide jam diu miserè afflicta est. Huic bimestres Paroxysmi & interdum longiores, idque aliquoties in singulis annis: dolores in paroxysmis continui & vehementes præter fidem: perpetui ejulatus, nisi ex opio quotidiano epoto. Item totis pedibus, talo & manuum carpis cubitoque inflammatis & mire tumefactis. Adhibitum est remedium Anodynum nullo secundum ex præscripto S. nempe ex opio crudo Spir. Vini dissolut. De Sanguinis vero missione, aut dejectionibus ventris nihil audivi. In hac itaque conditione erat mulier, cùm primum accersitus sum. Sanguinem vero, etiamsi nimis tarde, è brachio mitti jussi; enematis eodem die ventrem subduxi: postridie sic dejectionem mollitus sum. (℞. *Extract. rudii* ℥. *m. de duobus gr. iv. Balsam. Peruv. gutt. ii. m. f. Pilul. n. ii.* inaurentur.) His vero alternis diebus exhibitis, & dolores, & inflammatio intra septimanam desierunt; mire & præter consuetudinem convaluit. Hæc hyeme acciderunt. Vere autem ineunte,

in-

iterum ex podagra decubuit, solitis symptomatis ex toto corpore, nempe primum in pedum digitis & talo, postridiè in carpo & cubito grassatus est morbus, dolor in articulis intensissimus: Urinæ paucæ & rubræ; sitis; vigilia; febricula Huic jam sub ipso primo insultus, die sanguinem è brachio mittendum curavi. Sanguinis vero frigidi crassamento rubro *Coriaceum* tegumentum crassum adhæsit; eruditatis certissimum indicium. Dolori autem mitigando hujusmodi cataplasma & Talo & Cubito admovendum præscripsi (*Micæ panis siliginei ex Lacte cocti* ℔i. *Croci* ʒß. *Aloes Succotrin. ad pulverem siccum & friabilem ustulati*, ʒili. *Olei Liliorum alb. q. s. f. Cataplas. ex arte*.

Alio verò Paroxysmo atroci Empl. viride Glyconis apud Scribonium Largum descriptum adhibui non minori cum successu ex molli aluta illitum. Ubi autem concoctionis signa sese ex urina manifestarunt, & morbus in declinatione positus fuit, sic mulierem purgavi. [℞. *Decoct. Senn. Gereon.* ʒiiij. *Syr. Violar.* ʒi. *Syrup. e Spin. Cervin. Aquæ Mirab. succi Limon.* an. ʒi. *Confectio hieræ Diacolocynth.* ʒß. *misce, f. Potio*.

N. B. In biennij spatio & ad aliquot menses amplius a meo adventu, podagra quinquies correpta est. Intra biennium verò a tempestiva sanguinis missione, & levi cathartico appropriato, statim exhibito, ante septimum diem morbus ter ex integro profligatus est. Bis verè sævissimis paroxysmis Decumbens, intra 14. dies morbus ex toto judicatus est.

Jam verò & ambulare & manibus sese exercere commodè potuit. Item gravida fit, uterumque ex 23. septimanis gestabat, cum forte ruri ad *Epsam* degens propter aeris æstivi salubritatem, villarumque infinitam commoditatem, pede altero subito capta est; alicujus temerarij suasu *aqua nescio qua chymica*, mirificæ, si diis placet; virtutis, ineunte paroxysmo pedem inflammatum fovebat. Quid fit? Ingenti ventriculi & præcordiorum dolore angustiaque statim affecta est. Postridie Londinum rediit, a quo malo valentioribus Antidotis Stomachicis fœminam liberavi. At Epsam denuo adiens post duos menses iterum ex articulis pes doluit, eademque aqua chimica illum irrigavit, atque iidem dolores in stomacho cum motibus convulsivis illico redierunt. Londinum vero protinus advecta, obstetricem Medicum vocavit Doctissimumque virum D. *Carolum Scarborough*, militem & Medicum egregium quem summi cultus & honoris causa æternum memorabo: his mecum conjunctis omnis lapis motus est ut ei aliquas suppetias ferre possemus: at frustra omnia; interque diros cruciatus plurium dierum & vehementer convulsa, ipso abortionis momento, expiravit.

ÆGROTUS IV.

Penruddock quidam aulæ regiæ famulus pede pro more captus, ex necessitate alicujus negotij expediendi, agyrtæ suasu, biduo ab accessione Emplastrum nescio quod pedi dolenti admovit, ad diem tertio dolore quasi solutus foras ambulavit, nec ante vesperam domum rediit; manè lætus surrexit, vestituque subito concidit, animaque defecit. Ipse vocatus, quod in vicinia mea habitavit urbe V Vestmonasterienſi, hominem mortuum inveni; atq; hæc a filia ejus, aliisque necessariis, mihi de Emplastro narrata sunt.

ÆGROTUS V.

Illustrissimus Comes de *C.* mediæ ætatis vir, aliquoties Arthritide affectus est ac diutius in morbo hæsit, nec citra longam membrorum imbecillitatem solvi consuevit. Bis tandem ei podagra laboranti medicinam feci. Huic autem in singulis paroxysmis urina Biliosa: dolor in articulis cum inflammatione; febricula a primis diebus. Sanguine sub initio misso; peptica nonnulla mitiora propinavi, item vinum Canariense ex sero lactis vel se quotidie, indulsi, victumque præterea tenuem maximè secundæ diatrito, ubi autem declinatio morbi instabat, quæ ferè sit tertia diatrito, cathartica hujusmodi sumpsit (℞. *decoct. Sennæ Gereon.* ʒiii. *Syrup. e Spin. Cervin. Aq. Mirab. Succi Limon. an.* ʒii. *Con-*

fect. Hier. Diacolocynth. ℈. m. m. f. Potio. (Ante 14. diem ex toto convaluit, parum aut nihil debilitatis membris.

Ad præcautionem vero hujusmodi pilulas devoravit. [*R. Antidoti Marciam. ʒ. m. aut eius loco Spec. Aromatic. Rosac. ʒii. Cortic. Peruv. ʒß. Sal. Mart. agarice an. ℈i. Succi Hypocistid. Aq. Ros. dissolut. ʒi. f. Pilul. exiguæ, inaurentur.*] Ex his unam vel duas, quotidiè, vel alternis noctibus tantum ad mensem sumere consuevit. Huic methodo assuetus à multis annis jam sibi medicus est: nec mirum quod omnigena eruditione excellit, non sui ordinis viros, sed etiam instructissimos Philosophos.

ÆGROTUS VI.

Domina C. Quinquagenaria, primaria fœmina diu Arthritide vehementer affici consuevit. In aliquo paroxysmo accersitus, hæc ejus morbi conditio. Manus pedesque simul inflammati, ut nec interdiu noctève quiescere præ summo dolore posset. Item in ventriculo nescio quis dolor & Ciborum fastidium. Huic, quod tardè veni, fæminamque ab omni evacuatione aversam habui, sic præscripsi. (*℞ Balsi. Leuoatelli ʒii. Salis Martis ʒi. diligenter optimemque terantur super marmor in singularem lævitatem unitatemque*) Ejus *gr. x.* dormituræ: quotidie exhibui: ab ipsa prima nocte melius se habuit, & deinceps convaluit.

N.B. De Vitriolo Martis illud scire licet ex Galeno* ferri squamas inter siccantia medicamenta citra rosionem numeratas fuisse, easdemque abstergere, purgareque. At omne ferrum Vitrioli particeps est.

Item Bitumen Judaicum ex aq. mulsa optimè facit ad Arthritic. authore Ætio.

ÆGROTUS VII.

Dominus *T* mediæ ætatis vir robustus, ex frigore, Arthritide & artuum doloribus vagis vehemente affectus est: huic Febricula, stomachus æstuans, vigilia, urina admodum biliosa.

Ante meum adventum hominem vehementer purgavit, sudoremque nocte movebat quidam ... omnia tamen symptomata pejora; die 7. decubitus accersitus, sanguinem è brachio mitti jussi: Ei verò refrigerato crassamento crassa & albida cutis adhæsit.

Postridie febricula paululùm remittere visa est. Ad 12. verò diem symptomata æque gravia, ac antè. Rursus sanguinem mittere curavi; qui refrigeratus idem visus est ac prior. Tunc primum è Pilulis Agatico-martialibus alibi descriptis unam dormituro dedi. Atque illa nocte optime quievit, cras urina minus biliosa; ex bona parte desit febricula.

Ad 16. diem integrè convaluit.

Quoniam autem hic & illic, nempe ad Talum aut ad carpum dolor interdum leviter exacerbatus est: Hujus modi Emplastrum ex Scrib. Largo supra injeci: à quo mirifice adjutus est.

(*R. Æris usti, æruginis rasæ an. ʒvi, Salis Gemmei, guttæ Ammoniaci, Thuris masculi an. ʒß. Aristolochiæ rotund. ʒi. Aluminis ʒß. Myrrhæ, Galbani. Aloes an. ʒi Ceræ ʒii. Terebit. Chiæ ʒiß. Olei ℔i. Oleo, Galbano, Cera Terebinthina super ignem liquefactis cætera ex aceto, ex arte misce. f. Emplastrum viride.*)

N.B Intra noctem illa pars pedis, quæ & dolore & infirmitate vexabatur, cæteris jam prævalebat.

ÆGROTUS VIII.

Illustrissimus Comes de P. Quadragenarius, obesus, ex aliquot annis Arthritide vaga miserè affectus est. Ante vero biennium Parisius hoc malo decubuit, & post quartum mensem vix ad sanitatem restitutus est.

Hoc autem paroxysmo, quo ipso accersitus sum, cubiti dolore vexari cepit, non sine febricula, & urina crassa & biliosa.

Ex meo consilio, sit, abstinentia & quiete contra primos morbi insultus pugnavit; nam ipsius rebus domesticis mu-

* *De comp. Medicam. secund. prima lib. 3.*

maxime tum temporis interesse dicebat, ut protinus convalesceret.

Ideoque ut nobili viro quantum in me esset satis facem, etiamsi aliquo modo temeraria esset methodus, nec sanguinem misi, nec Alvus ullo modo duxi aut movi, nec sudorem provocavi. Alvus tamen per se quotidie respondebat. Parti verò affectæ Empl. Paracelsi linteo molli illitum illico superinjeci. Quotidie autem alterum è manibus pedibusve denuo cum magna inflammatione malum adortum est. At protinus Emplastrum adhibuimus, & cum vehementius doluit, etiam ipso Emplastro cataplasma ex mica panis Aloe & Croco, &c. latè superposuimus. Ita ad quintam diem se habuit.

Sexta autem die concoctionis signa de urina observavi, ac istud medicamentum propinavi: [*R. Hier. Diacolocynth. ℈i. Sacch. Cand. alb. ℈ß. m. f.* Bolus: *superbibit. Aq. Epsam Succi Lim. ʒi. Syrup. Violat* ʒß *m.*]

Septimò omnino desiit febricula, atque urina citrina qualis sanorum reddita est.

Novo exiit foras negotij expediendis. Decursu autem morbi ad sitim leniendam aquam hujusmodi limac. ʒvj ter quotidie indulsi, (*R. Cochlearum Hortensium* ℔*vj. Nucis Moschatæ contusæ ʒi. Lactis* ℔*xii. caute distillentur evitando Empyurema ad medias; singulis libris aq. distillatæ adde Sacchari Cand. ʒii. Succi Limonum maturorum & de Malaga* ʒß.]

ÆGROTUS IX.

Illustris Comes *H. Bronchard* Sexagenarius exeunte Septembri Podagra vehementer correptus est; utroque pede inflammato, item dolore Ischiadico. Huic prætera assidua Tussis, difficilis admodum anhelitus, ut non decumbere quidem in lecto posset, sed sella pensili dies noctesque residere coactus est. Huic pulsus celer, formicans, & ad tres minimum pulsus intermittens.

Sic autem hominem ex bona parte intra hebdomadam restitui.

In primis sanguinem mittendum jussi, hujus crassamenti refrigerati pellis crassa & albida adhæsit.

Deinde à prima nocte *Balsamum Agarico martiale* ad ℈ß exhibui. Idque singulis noctibus sumpsit. Desiit autem ex toto dolor & inflammatio pedum post dies quinque. Item tussis, & facilis ei Spiritus redditus est, pedum autem & tibiarum tumor à perpetua sessione remansit; nec catharticum, quo id incommodum optime tolli posset, sumere voluit.

ÆGROTUS X.

Quidam pauper Sexagenarius Ischiadico dolore correptus: malum ad Ischiam dextram non tantum sæviit, sed Tibiam etiam occupavit. Huic *Hier. Diacoloc.* ad ʒii. exhibui: à quo sexies purgatus est. Intra biduum ex toto dolor desiit, & misso baculo, quod ad se sustentandum gestabat, intra hebdomadam ad consuetum bajulatoris munus rediit. Post alteram verò septimanam ex eodem medicamento se purgavit, & jam firma valetudine fruitur.

ÆGROTUS XI.

Dominus *J. L.* miles *Baronetus*, Sexagenarius, macer: ex multis annis (minimum viginti) Arthritide vexatus: item cui jam in plerisque articulis Nodi Tophacei: huic olim aliquoties paroxysmi trimestres, & bimestres sæpius contigerunt. Ex biennio & amplius se se meæ curæ commisit; illum autem quinquies illo tempore malum invasit: in carpis digitisque & pedum manùmque ingens inflammatio. Item non rarò ipsis colli vertebris humerisque capi solet; febricula ab ipso impetu, vigilia, infinitus articulorum dolor, urina pallida, tenuis. Huic autem fere sic sæpius medicinam feci. In primis sanguinē detrahi jubeo; leniori injectione si præcordia inflata sint, ventrem duco. Inediam impero *prima diatrito*. Mox si dolor vehementior & omnem tolerantiam excedant haustulum è Diacodio permitto, aut etiam Laudani liquidi guttulis aliquot adjectis. Item aliquē pulverem vel è Bezoar, vel è Chel. compos. aut è lapid. Goæ, dict. aliquot sex grana bis quotidie propino ex Aq. Alexiteriis Haustulo: at hæc citra sudorem. Item *altera* diatrio & Avenacea,

aut jusculà è pullo Gallinaceo; item Vinum Canariense, vel per se, vel ex lactis sero incoctum, cui succi Limon. cum tantillo sachari adjecta sunt, libere indulgeo.

In malo autem declinante, cum scilicet Urina tenuis paulo coloratior fuerit; ac febricula, doloresque remiserint, sic præscripsi. [*R. Tinctur. Sacræ ex Vin. Canariensi confect. ℔i. Cochineil. pulverisat. nodulo incluſ. ʒiß. Spiritus Vitrioli ℥i. misce.*) Hujus Cochleare unum nocte dormiturus capit; idque triduo, vel quatriduo pro ratione alvus motę & dejectionum tolerantiæ. Ita omni paroxysmo fere intra 10. aut 14. dies integre convaluit.

ÆGROTUS XII.

Dreynolds, mediæ ætatis vir, aliquoties per tres quatuorve annos *Rheumatismo* misere afflictus est Ei vero sanguis primis illis morbi insultibus pro more nostrorum hominum, ad aliquam multas libras missus est: nec tamen desiit bimestri spatio malum & interdum diutius hominem tenere consuevit: viresque ei tandem ægre restitutæ sunt.

Exeunte autem bruma, gravissimo illius mali paroxysmo correptus est. Mevocavit. Ejus vero morbi hæc erat conditio: nempe, febris intensa sitis, perpetuæ vigiliæ; dolores vagi, ut plurimum tamen in scapulis, humerisque, tibiis carpisque, non sine inflammatione, partiumq; affectarum tumore, Urina pauca valde biliosa.

Hunc autem curationis methodum instituì. Imprimis sanguinem ad ʒxii. mitti jubeo. Item ut alvus enemate leniori, cui Vini Emetici ʒvi. adjectæ sunt, curavi. Hæc autem circiter diem quintum decubitus facta sunt. Sexto autem & septimo hordeatis tantum & vino oligophoro vel ex fero lactis, vel ex aqua nutritus est. Item Julapia refrigerantia & modicè diuretica propinavi. Octavo vero inclinata febre, hujusmodi medicamentum cathartícum & anodynum exhibui. (*℞. Spec. Hieræ Picræ ʒß. Cochi. vel pulveris. ʒii. Vini Hispanici ℔i. misce. Stent in frigido. Huius Cochleare unum nocte, & tantundem mane per triduum aut diutius quotidie bibat*) Paucis autem diebus à sumpto illo cathartico omnino convaluit.

At cum nec amplius purgari voluit, & quod foras ad negotia curanda ei exire necesse esset ex frigore recidavit. In hoc autem relapsu malum admodum vehementibus symptomatis antedictis recruduit. Iisdemque ego vestigiis insistere volui, nempe semel sanguinem in principio mittendo, &c. Priori tantum methodo adjeci propter sævitia dolorum & vigilias, Diacodii ʒi. nocte bibendam. Quinto autem recidivæ die, quod jam paululum remittere mihi symptomata videbantur, sic hominem purgavi. [*℞. Decoct. Sennæ Gereon. ʒv. Syrup. e Succo Limon. Aq. Mirab. an. ʒß. Syrup. e Spina Cetrina ʒii. Confect. Hier. Diacolocynth. misce f. Potio.*) Alternis vero diebus pro tribus vicibus hanc sumpsit potionem, & convaluit, postque alteram septimanam strenuè se habuit. Hactenus Ægrotorum aliquot paucas Historiolas ex Adversariis nostris transcripsimus. Antequam vero medicamentorum rationes ac usus diducam, Prognosticon illud de *insanabilitate* hujus morbi discutere paucis lubet.

Hæc autem ad quæstionem rite intelligendam faciunt.

Nemo sensatus à Medico expectabit ut à Podagra semel liberatus, deinceps in perpetuum sanus evadat. Quippe quod si discrimen evaserint, ex natura morbi, inquit *Aretæus*, laxiorum vitam degunt, tanquam *ab inferis elapsi* hilares, incontinentes, in victu molles & delicatuli. Idcircò tanquam mortem rursus subituri, *licentiose* præsenti vita fruuntur. His adde, Plerosq; Ægrotos non morbi causam legitimam afferre solere, novæ crepidæ attritum puta, alius longam ambulationem: alius plagam, aut calcationem; at nullus *Intestinam domesticamque causam* Medico explicabit. At nec ab aliis morbis etiamsi medicis præceptis obedientis fuerint ægroti, in totum præcavendis, tanta cautela à nobis requiri solet. Nonne itaque satis est hominem Podagricum sanitati semel restituisse?

Rus-

Rursus, Tophos ulla arte posse dissolvi vehementer nego: nec Paracelsi eiusque sectatorum jactantia multum moveor. Vel si forte ex toto chirurgia tollantur non multum profecerunt. Nam ossium carioforum, è quibus eliquantur, nulla restitutio est; siquidem quod semel periit ex organica partium constitutione, natura non reficere solet. Hæc itaque extra quæstionem sunt. Imo vero si quę apud veteres Medicos de Arthritide tanquam morbo insanabili uspiam dicta sunt; ea omnia in hoc vel illo sensu intelligenda sunt. Verbi causa. Hæc apud *Hippocratem* legi possunt. „ Qui in senectute Tophos, aut Gallos in articulis induratos habent, ii omnes, ut sentio, *humana arte servari nequeunt*. Item *Insanabilis affectus* audit, inquit *Aretæus*, quoniam principiis, cùm debilissimus morbus est, Medicus non resistit, qui ut temporis progressu vires acquisiverit, *nihil* Medici diligentia *proficitur*.

Est Passio, inquit *C. Aurelianus*, non facilis curatione, & aliquando *magnitudine* insanabilis, *non*, ut plerique putant, *natura*. Causæ autem difficilimæ curationis, vel ut sæpe contigit, impossibilis, manifestæ ac plurimæ reperiuntur. Est enim passio in nervis constituta, qui sunt natura *densissimi* & inter articulorum nodos constituti, quorum angustia comprimuntur, & ad omnem motum asperantur, magis in pedibus: hi enim plurimas conligationes nodorum naturaliter habent, & totum corpus sustinendo laborant. Præterea hæc passio initio, parvitatis causa, negligitur, & contempta convalescit: quippe cum à multis minimè credatur emergere. Alii denique digito laxati, aliqui pedis versionem, aliqui cuiusdam rei calcatæ, vel offensæ duritiem, aut fervorem queruntur: tum necessitate coacti augmenti temporibus in confessionem veniunt ægrotantes. Ob hoc igitur Passio perseverare, atque corpora possidere meditatur. Non autem minus etiam longorum lenimentorum causa, quibus recessisse putatur, cum sanos ægrotantes fingendo promittit, *adiuvante etiam intemperantia, qua cum sæpe concipi passio perspicitur, manere posse non dubitatur*.

Quæritur itaque, si quis novissime podagra affectus est, vel ex inveterato morbo aliquis membris ex toto captus, & cui etiam articuli diu etiam ex Tophis obcalluerunt, ac paroxysmo vehementi corripiatur, an melius sit curam omnem naturæ committere, vel à Medico auxilium petere.

Etiamsi autem aliqui moderni, tetrici ingenii viri, & quibus infœlix medicina fuit, aliud suadere videntur; non tamen dubitabo ex antiquorum virorum authoritate ac propria & multiplici plurimorum annorum experientia asserere, Arthritidem posse sanari non ineunte tantum morbo sed etiam veterascente: imò non ulla parte medicinæ faciendæ *utiliores* Medicos fore, quam ni Arthritide sananda, quocunque morbi tempore & ratione id demum occurrat.

Hoc itaque prognosticon, tanquam insanabile malum in Medicis nostris, merito culpat eximius *Mayernius*, ejusque rei rationem optimam reddit. Medicorum quippe plerique *famæ consequendæ* potiores partes habent quam ægrotorum sibi commissorum salutis: atque compescendis *eiulatibus* intentos, de valetudine integra restituenda ne cogitatio quidem subit.

De morbo verò *recenti* consentiunt Antiqui. „ Juvenis vero, inquit *Aretæus* cui nondum circa articulos calli induruerunt, cuique victus ratio curæ est, ad laborem est impiger, alvùmque habet vitæ institutæ probe cedentem, is sane prudentem nactus Medicum evadet.

Idem sentit *C. Celsus*. " Ubi sentire cœperunt articulorum vitia, sanguis mittendus est. Id enim inter initia statim factum, sæpe annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem bonam præstat. Quidam etiam, cum *Asinino* lacte poto, ex toto se *eluissent* (nota vim purgantem lactis *Asinini*) in perpetuum hoc malum evaserunt. Quidam cum toto anno à vino, mulso, venere sibi temperassent, securitatem totius vitæ consecuti sunt. Idq; utiq; post primum dolorem servandum est, etiamsi quieverit.

Imo verò veteres aliis etiã medicamentis

tis infinitis contra *inveteratum* morbum non infeliciter pugnarunt, ipso *Hippocrate* attestante "Hi, quibus Tophi in articuli, succedentes *intestinorum difficultate*, optimè medentur, quin & quæcunque aliæ colliquationes inferiores eos valdè juvant.

Item; cùm dolor adfuerit, *Medicamentum deorsum purgans* propinato (non expectatu scilicet morbi remissione) & post hæc, *serum coctum & lac Asininum* potui exhibeto. (Nam hæc duo posteriora fere inter purgantia medicamenta numerarunt Antiqui; nostrique homines eundem effectum ex *Lacte Asinino* ad infinitum damnum Phthisicorum; & plurimis morbis convalescentium etiam inviti quotidie in hac Urbe experiuntur) id est, post potentius medicamentum purgantia leniora da; ut rectè observavit *Fernelius* in hunc locum.

Inclinato Morbi impetu tentanda, inquit C. Aurelianus, & procuranda ventris facilitas, sed fugienda quæcunque *vehementiora, quantum quidem res admittat*.

Verùm enim vero hi novi homines, etiamsi omnino nihil in Podagra moveri volunt *totus* tamen *homo* è lecto in cutriculum omnibus modis & machinamentis quotidie moliendus est, ut una aut altera hora extra urbem quotidie rusticaretur *Etiamsi dolor & ad motum inhabilitas contra indicare videantur, hic tamen labor omnino exantlandus* est. Profectò hæc doctrina, præ omni medicina, in Arthritide tanti est; benè actum esse nostris podagricis si ipsi Plaustris, *Scytarum* more, innascerentur; ut iisdem aliquando commodè ægrotarent: deinde, alia insignis utilitas *Plaustrogenitis* nostris accederet; quod cum omnia medicamenta præter unum *lac asininum* exulare oportuit, ipsa etiam jumenta quibus trahitur plaustrum, *officinam* quandam *ambulatoriam* de se præstarent.

Non autem ignoro gestationem inter remedia antiquissima ad demendam materiam positam fuisse, at in Podagra illam adhibere, novum est. At hoc exercitij genus Stomacho emendando, Calculo præcavendo, Somno conciliando utile est. Eugè, optimè. At dolor primùm leniendus est, quam aut iis cum appetitu, aut somnos erit.

Qui vero negant medicinam ullam posse opem fere Arthriticis, bis illos orationibus moveri, verisimile est.

Quod à medicamentis quibuscunque evacuantibus (sive ea *emetica* sive *cathartica*, aut quocunque modo inanitionis humorum moliantur] ferè periclitantur: cùm tamen Arthritis, etiamsi longus & gravis morbus sit, minimè Lethalis est.

Deinde, quicunque Podagrici fiant, hi sedata intra 40. [tringinta Celsus] dies inflammatione, finiunt, authore Hippocrate. At nostri homines podagram frequenter trimestrem, & ferè annuam exhibent: quod ideo præter naturam Morbi accidere videtur, à remediis aliquando perperam & temerarie sumptis.

Quid autem faciant illa argumenta contra nos appello Ægrotorum Historiolas fidelissima narratione & sine fraude supra expositas.

Sed lubet privatim persequi vestigia hodierni cujusdam Medici de Podagræ curatione.

Phlebotomiam autem adhiberi nolit in ætate provectioribus, quod sanguinis detractio spiritus animales, concoctionis instrumenta minuit, opprimitque. Spiritus autem animales quod attinet, ii ad *aniles fabulas* proxime accedunt, & ignorantiæ asylo sunt: sanguinis verò detractio modica, & tempestiva, cordis onus sublevat, vitiosi chyli plenitudinem diminuendo, hinc articulorum inflammationi summoq; eorum dolori, & febriculæ succurritur, adeoq; si id fiat sub initio Morbi, citiùs multo morbus solvitur. Deinde etiam ætate provectiores plerique podagrici æquè intemperanter, ex Morbi natura, in victus ratione, ac juvenes peccant: cui rei, si impotentia quoq; eorum ad omne exercitium adjiciatur, etiam sanguinis missionem magis requirunt.

Emetica porro damnantur; quod ex articulis materiam peccantem revellant intra habitum corporis: hoc autem gratis dictum est. Emetica ad præcavendum, morbum in plerisque podagricis fere benè fa-

faciunt, ubi scilicet vitiatur stomachus & primæ viæ saburra pituitæ indomabilis premuntur: Deinde istiusmodi remedium materiam vitiosam è ductibus excretoriis intestinorum evellit, evocat, exprimit: unde in aliis, articulorum puta corporis ductibus minorem quantitatem accumulari verisimile est. Idem dictum puta de Catharticis, ad præcautionem exhibitis imo in *Tardante* passione, *radicum* vomitus & Hellebori approbatur, authore Aureliano.

At podagra id habet peculiare, ut non tantùm non juvetur, sed etiam lædatur à Catharticis Respondeo, Si quæ medicamenta purgantia sinistrum aliquando eventum habuerunt, vel transferendo morbum in aliqua viscera ab articulis, vel febriculam augendo, vel novas accessiones, veteribus penè sopitis, excitando illa omnia evenire verisimile est vel ægroti culpa, vel à minùs appropriatis medicamentis perperam ac intempestive exhibitis. In qua occasione captanda medici prudentis *Ars ex toto* constat.

Quod autem vehementer urget ex morbi natura articulos necessario affici, materiamq; morbificam non securè posse alio ablegari; id ex parte concedo; at sine sequela est, nec contra cathartica facit: nam omni morbi tempore, articulis valdè aggravatis, & sanguis mitti tuto, & venter subduci injectionibus; item tenui victu aut inedia pugnari potest, ad demendam materiam morbificam: ubi autem symptomatum remissionis ac concoctionis materiæ morbificæ signa apparent, infinito Podagricorum beneficio cathartica damos; Idque ex ipsius naturæ indicio; nempe quod jam viscosi ate chyli ex corruptione attenuata, reliquæ sanguinis massæ denuo commiscери circumferrique incipit, expulsionem adeo multis de causis requirit; ne articuli ex diutina tensione lædantur; aut ipsa demum ossa in tophaceam materiam corrumpantur. Nam hoc certo certius evenit, ubi nullis auxiliis ad jutus languet ægrotus, & usque putrescit materia morbifica in articulis ipsisque ossibus impacta.

De Diaphoreticis verò alia res est. Nam viscosi humores parùm evaporant, ac istiusmodi materiam vitiosam in articulos vehementius adigere solent. At quatenus istiusmodi Medicamenta fere Antidota sunt, ad Ventriculum confirmandum plurimum faciunt, si parca dosi, & citra sudorem, exhibeantur.

Quod autem innuit, Antidota & Cathartica non posse simul exhiberi, falsum est. Cum multa egregia antidota, imo ipse Cortex Peruvianus, non raro alvum vehementer movent; maximè si modo pleniore propinentur.

Quod autem remedia *externa* ad Podag. benefacientia omnino ignorat, item, nulla dari specifica affirmat. Proximum est, ut de eis dicam, rationesque remediorum ad Podagram appropriatorum, breviter, pro more nostro, explicem.

Vanum autem, & nimis præter institutum nostrum prolixum esset, omnia medicamenta ad podagram adhibita recensere: imo multa, animi causa, in hoc morbo probaverunt veteres, authore Aureliano.

Utilia itaque ac maximè appropriata aliquot tantum medicamenta, exempli causa, commemorabimus; sive illa in ipso morbo, sive ad præcautionem & in paroxysmorum intervallis exhibita sunt.

Imprimis vero *exteriora remedia* videbimus, inter quæ laudantur Unguenta & acopa ex squilla confecta, & hæc ubi ex admodum tenaci humore malum solvi tardavit, nec sine ratione cum squilla & cucumer, sylvestris (ex quo Elaterium, conficitur) potenter attenuando, viscosos humores discutiunt, i. e. ductibus excretoriis movent, cum humores liquidiores efficiant, imo eadem ratione ex articulis affectis, si quis humor ex fluditate regurgitaverit, evocant nempe per ductus excretorios cutaneos.

Reliqua acopa minus laudo, etiamsi interdum valde efficacia experta sunt, ut sinapismus & reliqua rubificantia, propter doloris sensum, quem delicatulis inferre possint. Illorum aut ratio eadem est.

His accedit *marinæ aquæ ferventis & aquarum naturalium calidarum* fomentatio, ubi illa commoditas erit.

Illud ſcire licet, ſalis particulas aqua marina & naturalibus aquis calidis [nam omnes calidæ quas adhuc novi, ex bona parte muriaticæ, id eſt ſalis marini ſive gemmei participes ſunt] comprehenſas ſupra fidem minutiſſimas eſſe, nec à coagulato ſale iterum in tantas minutias diſſolvi ſolere aut poſſe credo: appello Microſcopium, hoc aut poſito facile, certe ferventes, id eſt, plurimum agitatæ ad ipſos articulos penetrant, viſcoſoſque humores vehementer incidunt, attenuant abſtergunt.

Atque hæc omnia adhibita ſunt in Tardante paſſione.

Ad articulorum verò dolores *lenien-dos*, vel ineunte paroxyſmo, vel in ſtatu ejus inter alia multa, hæc Emplaſtra nobis commendarunt veteres, nempe *Empl. viride Gliconis*. (Audiendus *Scribonius Largus*] Ad Podagram præter quodvis aliud medicamentum, ſatis convenit, & huic *mirifice* prodeſt.

De reſinis vero, & ariſtolochiis in hoc Emplaſtro nihil attinet dicere, quòd pleriſque aliis, maximè illi Paracelſi, communes ſunt; illa tantum medicamenta obſervare lubet, quæ verè anodyna privatim huic inſunt: nimirum *æris* triplex genus, Myrrha atq; Aloes. De *Æris* verò virtute eximia anodyna ſuprà in diſſertatione de Hydrope ſatis diximus. Myrrha ſoporem gignit: Dioſcor. Qualis autem Aloe ſit hic breviter exponere lubet.

Hæc autem de Aloe conſtat, illam alvum movere, ſomnumque alicere; atque hæc efficit tàm extrà, quam intus adhibita, nimirum temporibus admota ſomnum inducit, æque benè ac deglutita ad eundem modum. Umbilico, illita, maximè tenellis puerulis, alvum dejicit. In articulorum itaq; doloribus adjecta dolorem ſopit, humoreſq; ſimul movet, attenuat, evocat nam illa ſola Purgationis ratio eſt. His adjice, eximiam ejus virtutem Emplaſticam, nempè ad inflammationes tollendas; unde oculis ſuffuſis egregium medicamentum, ſi torreatur.

Proximum eſt ut *interna remedia* eorumque ratione expediamus, horum præcipua ſunt Hiera antiquiſſima *Diacolocynthidis*; atque illa altera *Piera* Galeni. Hæc autem duo cathartica ſunt.

De Aloe vero ſatis, ut opinor, ſuprà dictum eſt: ejus vero medicamenti proprietates ad hunc morbum ſanandum requiſitas ſi penſitare velimus, Dioſcorides conſulendus eſt; apud quem inſigne ſtomachicum Audit; item vulneraria virtute præcipua donatur: etiam ipſis oculis torrefacta, hoc eſt, tenerrimis corporis partibus adhiberi tuto poteſt. Hoc inſuper pono, hujus compoſitionem debere *Antonio Muſæ*, ut ex *Scribonio Largo* diſcimus: àt nomen Hieræ ei forte, ad imitationem antiquiſſimæ Hieræ, quod ejus præſtantiam in plurimis malis expertus eſt, à Galeno inditum eſt.

De *Colocynthide* autem è valentiſſimis Medicamentis purgantibus huic malo optime facere è veteribus diſcimus: *clyſteribus* indita privatim coxendicum doloribus prodeſt: imò vero virentis Succo, inquit Dioſcorides, Iſchiadici *utiliſſimè* perfricantur; claro documento, veteres, uſum unius & ejuſdem medicamenti tam ultra corporis habitum & inteſtinis, quàm citra & in cute externa, æquè & ob eaſdem rationes utrobiq; proficuum eſſe, exiſtimaſſe. At cum Colocynthis ſtomachum labefactatum, iiſdem authoribus maximè oſtendet, ideo nunquam ſatis miranda eſt doctrina & prudentia medicorum antiquiſſimorum, qui cùm tot tantaque alia antidota, & privatim ejuſdem omnia efficaciæ ad idem malum adjeciſſent, illam tamen ferè exigua menſura dederunt; nempè ut integra compoſitionis drachma non ſit plus uno vel altero grano Colocynthidis; qui tamen, etiam robuſtis, iſtius medicamenti iuſtus modus eſt.

Agaricus itaq;, alter è catharticis ejuſdem compoſitionis, Colocynthidi & præſidio & auxilio eſt; quod mirifica venenorum antidotus eſt; item quòd ad diſſolutum & acidum ructantem, cibique non tenacem Stomachum efficax eſt;

quod

quod insuper leniter purgat, privatimq; facit ad coxendicum ac articulosam dolores, In summa; hoc est illud verum antiquorum medicamentum domesticum, quod, teste Dioscoride, *omnibus internis vitiis convenit*, Addo equidem, illum tantas virtutes ex bona parte habere, quod è Larice arbore Terebinthin fera nascatur, ejusque virtutis æmulsionibus Fungus sit.

Sagapeni vero atq; *Opoponacus* Medius modus adjectus est: hæ autem resinæ inter antidota quoq; sunt: utrisq; sane similes facultates sunt; privatim vero Ischiadicis & Podagricis illinuntur, laterum dentiumq; dolores tollunt. At utraque vasa excretoria præcipuè aperiunt, quod menses pellunt & Tusses vetustas expediunt. Illorum autem alterum ideo æstimandum est, quòd *Silphium* Antiquorum, teste Dioscoride, proxime referat.

Nimius essem, præter modulum institutionis nostræ, si reliqua medicamenta in hac utilissima compositione percurrerem, cum alibi forte de iis commodior dicendi locus dabitur. Croci itaque, myrrhæ, atque aristolochiæ virtutes anodynas, & disentientes impræsentiarum silebo.

Ad *præcautionem* vero rationes restant remediorum expediendæ.

Inter *annalia* verò medicamenta præcipuum locum habet abstinentia à vino, mulso, venere, toto anno. At cur mulsum hic refert Celsus? nempè ut sciamus omnem Liquorem inebriantem prohiberi: nam veteribus pauci noti sunt præter vinum, & qui melle conficerentur.

Inter præcipuas verò causa *procatarcticas* hujus mali apud veteres vinum & venus perhibentur: quòd, ut opinor, nervi tendinesq; ab iis maximè labefactatur; cum venus, vinumq; perpertuam distensione iis partibus inferant; unde tandē ex nimio usu laxatur, ac resolvuntur articuli, artusq; vacillant; & si quando Morbi articularis ex chylo crudo & lento, accessio fiat, vigore necessario ad sanguinem crassiusculum circumpellendum deficiant. Huic rei fidem facit; quod sæpe expertum est; nempè podagricum aliquem in inclinato & tradente passione ex immodico usu vini subito sese in pedes conjicere potuisse & ambulare, imò saltasse.

At hęc methodus iis tantum convenit, qui non plurimo tempore fuerint passione vitiati, id est, ut Aurelianus exponit, intra quinquennij tempus constituti, id est, antequam obcalluerunt articuli, & longa morbi consuetudo fuerit.

Aliud remedium *longi usus* est (ut à C. Celso discimus) nempe lactis Asinini potus: podagricos novitios *illo se eluere* vult: quod ejus vim plane purgatoriam indicat: Forte si diu ex victu diarrhęa fiat, articuli à saburra liberati ad pristinum vigorem restituantur. Huic conjecturæ favet illud Hippocraticum suprà comprehensum, His, quibus Tophi in Articulis, succedenters intestinorum difficultates, optime medentur, quin & quæcunque aliæ *colliquationes* inferiores eos valde juvant.

Porro C. aurelianus alia medicamenta *annalia* memorat, ut *diacentaureon*, *diascordion*, potanda anno nempe continuo: hæc veteres probarunt, inquit ille; secundum nos autem (juxta Sorani judicium est) metuenda diuturna medicaminis sumptio; cum neque soliti cibi juges, atque ijdem utiles, recte probentur. Sic denique legimus quosdam veteres memorasse ex jugi medicamine poto in celeres vel acutas venisse passiones, & alios apoplecticos, alios pleuriticos, alios peripneumonicos interijsse; item quosdam continua difficultate Spirationes affectos.

Alii vero qui se isto medicamine profeciisse testantur, non advertunt, servatæ digestionis causa, id fuisse permissum; quippe cum cæterarum rerum excessus declinando quidam servaverint sanitatem, cum interrumpere metuerint sumptionem medicaminis sui: & propterea his intentionibus, occupati, alias sibi nesciverint profuisse rationes.

At nostri homines sua egregia quoque *Annalia* medicamenta jactitant:

verbi causa, chalybeata medicamenta infinito lenocinio confecta; item *aquas minerales*, quas chalybeatas, etiam nimius abusivè appellare amant. Ex his autem non solum ex omni tardante passione convalescentiam integramque sanitatem, sed & ad omnium malorum præcautionem certam, (modò ad annum annosve in eorum usu diligenter persistant] audacter promittunt.

Sed & tanti medicamenti, & spatii illud dandi rationes reddat, cui id curæ est, velim. Nam quæ Aurelianus jam de suis, vereor, ne potiore jure de nostris dicatur, nempè, si non alios morbos & infirmitates ex longo istiusmodi medicamentorum usu corpori adsciscant, quæ tot apoplecticorum nuperorum una ratio esse potest; ex dicta ratione & abstinentiæ regula plus proficere videntur, quam ex talibus remediis.

Unum illud illorum consolatione certissimum addam. Si quid emolumenti nobis detraxerit Cortex Peruvianus, abundè restituit ejus *intempestiva ac infinitè repetita exhibitio*.

De Emeticorum verò usu ad præcautionem audiendus *Aurelianus*. Plurimi vomitum post cibum laudaverunt, vel tertio per menses singulos adhibendum: siquidem & *materiam avertit ab articulis, & indigestos esse non sinit*. Sed magis vexabilis est ipso morbo. At rationes ejus, quæ optimæ sunt, laudo. Cùm verò elleborismi fortè servitatem vituperat, illa ejus seculi infœlicitas fuit, quippe veteribus emetica mitiora adhuc incognita fuerunt. At nobis ex vino emetico insigne remedium ad omnes ferè nervorum affectus inventum est, utpote tutissimum, & quod, certè extra paroxysmum podagricum, omnibus ætatibus ac viribus accomodari potest: quod de Ellebori radicibus, aliisque herbaceis emeticis vix dici posse vereor.

Porrò ad præcautionem ulterius processerunt veteres Medici, authore Aureliano; Multi Medicinæ Scriptores, *purgativis* & acrioribus uti solent *Clysteribus*, & *Urinalibus*. Sed oportet *cavere* Stomachi vexationem, item vesicam provocare. Tradit enim necessario universo corpori vexationem per sibi cognatam nervorum qualitatem. Quid autem fieri potest hujusmodi medicamentis, me latet; illud tantum mihi semper in votis fuit ut paroxysmus commodè & tempestivè tollatur: id quod fieri posse sine ulla nervorum vexatione centies expertus sum.

Interim, unica illa aurea regula de abstinentia mihi certè, nescio an Podagricis arridet; nempè ut iis, quibus aut integra sanitas, aut longiora valetudinis bonæ intervalla cordi sunt, *parva cibatio* summæ curæ sit. Atque hoc omnibus, hominibus quocunque statu & conditione sint, cùm ipsius quoque exercitii loco esse potest, etiam pedibus ex toto capitis.

Qui tamen plenius vescantur, illos cathartica appropriata, aut emetica [qualia supra comprehensa sunt] interdum sumere, necesse est.

FINIS.

MART.

MARTINI

LISTER

MEDICINÆ DOCTORIS

LONDIN. CELEBERR.

TRACTATUS

DE

VARIOLIS

VARIIS HISTORIIS ILLUSTRATUS:

M A R T I N I

L I S T E R

M E D I C I N Æ D O C T O R I S

LONDIN. CELEBER.

T R A C T A T U S

D E

V A R I O L I S

VARIS HISTORIS ILLUSTRATUS.

MARTINI LISTER M. D. TRACTATUS DE VARIOLIS.

DIsquisitionem hanc de *variolis* libenter aggredior, quòd morbus jam popularis est; & si non ita esset, in hac tamen longè maxima totius Europæ urbe semper (ut ex mortuorum rationibus publicis, hebdomadatim editis) grassatur; quamvis nunc temporis multo infestior sit, quàm à decem retro annis. Deinde, quòd præclarum exemplum sit usus & naturæ ductuum glandularum excretoriorum de quibus in superiore exercitatione anatomica atque alibi clim tam multa diximus.

Novum autem *morbi genus* est, & licet antiqui aliquam de his pustulis mentionem fecerint, prout nonnullis scriptoribus visum est; ea certè admodum exigua est, & dubia, ut certum sit vix illis temporibus fuisse talem morbum: negligentissimi sanè habendi essent, si tam ingens, commune, frequens malum ita ex toto silentio involvissent. Illud verò satis demonstrat hunc morbum novum esse, quod in multis mundi partibus nusquam visus fuit, ut apud Indos Occidentales, ubi nunquam apparuit, nisi postquam Hispani eò pervenere; siquidem per contagionem Æthiopis cujusdam illuc delati, magnam Indorum partem sustulit. Atque hoc attestatur idoneus autor, nempe ille Olysipponensis *R. à Fonseca*.

Illud autem extra controversiam est, hunc morbum ab Arabibus seculo ferè duodecimo primum descriptum esse; à quibus ejus notitiam ac curam habuimus, mirabile sanè quanta accuratione illum nobis tradiderunt.

Causa autem hujus mali sic exponitur apud *Avicennam*; nempe quandoque in sanguine accidere *Ebullitionem* putredinosam quandam, *de genere Ebullitionum quæ accidunt succis uvæ* puta. Atq; in hac sanguinis ebullitione talia accidentia fiunt, qualia in *Musto*, ita ut partes eorum ab invicem discernantur, ab hac verò ebullitione expellitur ab eo illud quod admiscetur ei de reliquis menstruorum, aut quod ex cibis fæculentis & malis generatum sit. Et variolæ sunt quasi modus quidam crisis, ita *Rases* quoque,

at paulo expreſſius loquitur : *de depuratione* ſanguinis ab hac ebullitione, per quam partes *heterogeneæ ab homogeneis* ſeparatur, ac ſejunguntur, vultuque puerorum & infantium maxime ſanguinem præ adultis & ſenibus muſto correſpondere, item ad eundem modum *Meſues* rem exponit; craſſum ſanguinis à puro ejus ſequeſtrari, vi ebullitionis, criticeque expelli de venis, & effundi per univerſa corporis membra occulta & manifeſta : ſanguine remanente dupurato.

Atque hæc eſt ipſiſſima doctrina fermentationis, ut volunt, *novitia*, apud noſtro homines toties decantata, concordant itaque mirum in modum inter ſe Avicenna, reliqui Arabas, noſtriq; homines; nempe hanc ebullitionem eſſe *putredinoſam* ſive corruptivam, * craſſumque ſanguinis vi ejus extrudi, ſive id ſit connatum venenum, ſive aliunde ex vitioſis alimentis generatum.

At *VVillis* inſuper & privatim de ſuo penu addidit, innata variolarum ſemina [quæ, ut dictum eſt, ex menſtruis muliebribus orta eſſe credidit] in cerebro & ſpinali medulla potiſſimum recondi ; adeoque *ſpiritus animales* miaſmate primùm corripi, & venenum exinde in ſanguinem transferri.

Hujus autem rei hanc rationem exhibet laudatus vir; nempe cùm iſtiuſmodi venena in partibus ſpermaticis primùm concepta ſint, veriſimile eſt, illa uſq; latere in iiſdem, at hæc ratio exigui momenti eſt, nam illa partium diviſio in ſpermaticas & ſanguineas, prout ſupra expoſitum eſt, non admittenda eſt Deinde quare non toto ſpinalis medulla doleat, ſed lumbi tantum imi; an ibi ſe desconnati veni? at cur non totum cerebrum; ſed potius frons tantum & tempora dolorem hunc pulſatorum ſentiant.

Quod ad menſtrua ſeminia venenata (quæ plerique omnes Medici ut originalem cauſam poſuerunt) atque ab iiſdem prædiſpoſitionem perpetuam in humano genere ad variolas, attinet; dico, omnino nullum in illis naturaliter inquinamentum eſſe; ſed æquè innocua eſſe, ac hominum ſalivam, aut reliquam ſanguinis maſſam, unde orta ſunt: ſalva religione hæc profero; cum plerique Judæorum ritus [ut doctiſſimus *Spencer* nobiſcum exhibuit) pueriles & populariter inſtituti fuerint; nempe ex præjudiciis vicinarum nationum, atq; ita à Deo permiſſa eſt illa opinio de contaminatione à mulieribus menſtruatis, munditiei ac caſtitatis cauſa, ne fœminas nimium deperirent. Arabes autem in hac opinione Judæos ſequuti ſunt, ſed hæc mittamus.

Deinde, ſi illud verum eſſet, fœminæ adultæ vehementius afficerentur, quam mares; maximè ſi menſtruis inſtantibus ſcil. ubi illa turgent, & in utero accumulantur, variolis corriperentur, venenum itaq; uterinum fictitium eſt, & vili ſuperſtitione deductum. Quod ad ſpiritus verò animales attinet, quos idem vehementer affici in hoc malo vult; hæc illa altera noviſſima Hypotheſis eſt, *à rerum* (ſc. *natura petita, & rationi* mirifice congruens At *VVilis* primum illam excogitavit; aliique nuperi ſcriptores eam ſibi falſo arrogarunt, tanquam ſuum eximium & nobiliſſimum inventum, nempe quemadmodum calor innatus in uvæ ſucco illas turbas excitat, donec is ab iſtis fæculentiis liber ſit; ita ille ſpiritus animalis dominator, infectu quodam venenoſo implicitus, vi & armis ſeſe extricare conatur: variolæ verò victoriæ partæ ſpolia opima ſunt. At hæc ludicra & nugatoria commenta ſunt; hujuſq; fabulæ tædet, ubi ſpiritus animalis ſolus Hiſtrionem agit. Seriò agamus, à Procatarctica itaq; interna ad cauſam *primam* & principalem & ipſam huius morbi *originem* procedamus antequam eius explicationem & fiendi modum ex cauſa proxima & conjuncta aggrediamur; ſi ea forte inquirendo in tantis tenebris inveniatur.

Illud quidem veriſſimum eſt [à primis hujus morbi authoribus traditum, quod ipſi etiam quotidie animadvertimus) variolis

* *Quando accidit in ſanguine ebullitio, ſecundum ſemitam putredinis cuiuſdam i. e. ad modum alicuius rei putreſcentis. Avicen. Generantur e ſanguinis putredine eiuſque ebullitionis. Alzaharav.*

riolas esse de sumine contagiosis ægritudinibus. Quænam verò fuit prima & peculiaris illa materia contagiosa sive venenum, quod primum hominem infecit, atque humana corpora post tot secula eadem labe corrupit, ita facile est dicere; certè Prometheo non adfui, cùm Pandoræ pyxidem aperiret; ut quæ mala inde egressa fuerint, certo cognoscerem, causa quidem primaria hujus mali ac evidens, fateor, valde in obscuro est, si tamen conjecturæ nostræ, certè plausibili, venia detur quid impræsentiarum mihi in mentem venerit, dicam; nimirum illam infectionem à bestiola aliqua vel esa, vel ab ejus morsu plurimùm genitam fuisse, deinde in omnes homines, partim tanquam hæreditarium malum propagari.

De *contagio* verò *primario* jam dicam; hæreditariam autem labem à primo infectu proli communicari posse, postea paucis probatum ibo.

Igitur, 1. Nulla causa assignari potest hujus mali generata ex parte hominis; non ex menstruis, quod jam ut precarium & superstitiosum rejecimus. Non ex crapula aut alimento vitioso ac inusitato, præterquam quæ ex ipsa fortè bestiola, hanc peculiarem labem inferente, fuerit; non ex exercitio vehementi, reliquisve vitiis & erroribus, in rebus nõ naturalibus; quòd integræ nationes apud Indos Occidentales à nostris *Anglis* (in Marilandia, hoc seculo ineunte, id accidit) primùm illuc advenientibus ferè ad internecionem infectæ sunt. Claro documento, variolas non privatim à causa aliqua interna, aut à natura hominis per se vitiata, sed contagione extrinsecus illata communicari. Cùm itaq; causas omnes internas, procatarcticas refutavimus, cùmq; externas etiam ab aere, nisi quatenus à corpore, ut ita loquar, variolato præcesserit, non admittimus ob ipsas easdem rationes. At halitus expiratos (loquor ex ore nuperi scriptoris) ex subterranea minera nunc hoc, nunc illud animalium genus contaminare. At quænam sunt illa, quæso, metalla in nostra *terra Londinensi*, aut alibi *Angliæ*, effossa quæ hæc efficiant. Dic, lodes, si potes. Mera itaq; hæc tua insomnia sunt; prout pleræq; id genus explicationes, quæ ex ignoratione Historiæ Naturalis venditantur. Item ejusdem comatis illud est; nempe certas habere periodos pro occultis illis, atq; adhuc incompertis alterationibus quæ ipsius Terræ accidunt visceribus, pro varia sc. ejusdem ætate, ac duratione. Nam putas alia metalla in Terræ visceribus latere, ab iis in superficie ejus comprehensa, nobisq; cognita sunt, diversa? aut hæc ipsa metalla, ex quibus constituitur terra, ab aere remotissima & in visceribus latentia, pro varia ejus ætate & duratione putrescere? sanè, non video, quo fundamento hæ suspiciones nitantur. An non hoc ignotum interpretari per ignotius est? heu quantum sapimus, verba dando! Igitur restat, infectionem primum ortam esse ex aliqua bestiola venenata.

2. Symptomata morbi hæc confirmare videntur. Nempè *dolor in Capite & Lumbis*; quod signum peculiare & velut pathognomonicum est ante variolarum eruptionem. Ab his autem doloribus non rarò infantibus deliria, somnolentia gravis, & convulsiones; in adultis immanis vomitus, interdum Syncope cum magna anxietate, & inquietudine; in gravidis abortio. Causam si desideras, respondeo dorsi dolorem *Nephritici* adeò æmulam esse, ut multis exitio fuerit Medicorum, pro more, festinantium ac incogitantium, error. Itaq; verisimile est, materiam contagiosam impetuosius agitari, & ad renes propelli per arterias emulgentes, membranasq; ac nervos circumjacentes dolore vasorum extensivo affici. Ad eundem modùm & arteriæ ex influxu vehementi oppilatione seri, ex veneno crassescentis.

At, inquies, cur privatim tantum in hæc loca feratur, atq; impetum faciat? dico primò, *loca quædam diversa venenis esse peculiaria, maximè a bestiolarum morsu esuve illatis*. Ita *Hydrophobia* fauces privatim petat: *Urticæ marinæ* Pulmones. Secundò, At multo maxima id genus venenorum pars & caput, faucesve, renes & vesicam & genitalia afficere consueverunt: ex. gr. ipsa *rabies canina* fauces & Genitalia simul petit; nempè satyria-

fin & gonorrhœam excitat. Ita *Lues venerea* præcipuè fauces & nares ipsumque caput; at sæpius, ubi malitia minor est, penem & genitalia. Item *Cantharides* veficam magnopere afficiunt. Item morsus *viperæ*, ubi corporis fieri contigerit, *semper* tamen solvitur *scroti tumore, & Urinæ ardentis copia. Et in aliis multis similiter usu venit. Non quidem, quod venena sua sponte, relicto sanguine peculiaria loca adeunt; sed quia alibi maleficium suum commodè expedire nequeunt. Licet enim (ut verba *Ent* hæc faciam meâ) materia contagiosa per majora vasa circumducatur, corque ipsum permeet, eademque tamen haud magnopere lædit; donec tandem (circuitus enim non est uniusmodi) in arctiora & idonea loca, id est, in majores & maximos & usitatiores ductus excretorios (salivæ putà & urinæ) impacta, virus celatum exerat. Vera itaque, ut arbitror, jus doloris causa est, cùm serum sanguinis à veneno paulatim lentescat, quo majores ductus excretorii renum, puta, & faucium inflammentur (quæ peculiaris id genus veneni vis est) atque adeo oppessulentur, nec commode inde, quo naturaliter tendit, expelli queat; ex mora itaque, quam trahit in arteriolis ad renes & circa caput, magis magisque crassescit sanguinis serum, veneno implicitum, donec tandem iteratis circumlationibus circumpulsum cutaneos ductus; nempe universalia emunctoria, aliaque quæcunque pro ratione & quantitate veneni viscerum vasa excretoria subeat, & in Apostematum parvulorum, modo infra exponendo, materiam faceſſat.

Audi *C. Celsum*; „ necessarium est adversus venena exsorbere potionem meri cum pipere, vel quidlibet aliud, quo calor movendus est, nè *humor intus coire* patiatur. Nam maxima pars venenorum frigore interimit. „ Omnia Urinam moventia, quia materiam *extenuant*, utilia sunt.

Idem alibi „ quæ ἐξανθήματα Græci vocant, sive *postulas* Latini, & rubent, & ex sudore (i. e. ex veneno sudore per ductus Glandularum excretorios expulso) nascuntur.

Ejusdem mentis est V Vharton noster (*c.* 27.) „ ubi materia affluens ad glandulas venenosa, aut contagiosa fuerit, oritur Tumor, veneno *peculiari* respondens.

Visne exemplum huius infectionis: à bestiola venenata. *Cantharides* cuti adhibe; ingentem seri venenati vim evocant: locus autem inflammatus ac exulceratus pridie ichore liquidiusculo scatebat, jam crassiusculum pus est; & sæpius sequitur Urinæ ardor, satyriasis, & non raro mictio sanguinea, & non semel serum in magnos grumos per urinam effusum vidimus ad eundem modum in variolis, serum à veneno infectum, quod intra habitum corporis est eruptionem per renes & capitis ductus excretorios primo tentat; at cum primis insultibus magis vigeat & minus sero implicatur, hæc itinera inflammat, deobstruitque; unde beneficio circuitus iterati in alios ductus cutaneos sub ichoris liquidi & vaporosi specie propellitur, at hic quoque ei exitus denegatur. Nam ipsa ductuum oscilla identidem inflammat, veficulasque tollit. Atque hæ veficulæ ichore venenato & crassescente paulatim replentur; mox ex calore perpetim appulso ex habitu corporis, quasi maturantur. Et plene in crustas siccatæ, tandem sponte decidunt.

Ubi autem semel intra ductus excretorios transfretetur materia contagiosa, febris desinit: circuitu sanguinis jam expedito; atque ad integritatem restituto. Venæ itaque jam quietiores sunt, & tardius moventur se materiam contagiosa una cum sero superfluo extra habitum corporis expulso: neque enim illi iam amplius cum sanguine rei est, qui aliam scenam agit.

Veficulæ autem cutaneæ materia contagiosa inflammatæ, iam, more cantharidum, serum in se superfluum & vaporosum in dies trahunt, concoquuntque.

3. Aliud symptoma tussis, defluxio, & salivatio ab antiquis memorata; atque

* *Act. Philos. Lond. N.* 221.

ctionis primariæ. Etenim in Lue Venerea] cujus originem suo Tractatu a bestiola venenata similiter deduxi] idem symptoma *sponte* ortum aliquoties observavi; idq; ex intermissione plurium mensium, iterum atq; iterum rediisse: donec in Phthisin funestam hominem præcipitaret.

At, inquies, hæc non contingit nisi in confluentibus variolis & adultis; respondeo, id falsum esse, sæpius animadvertimus. Etenim in infantibus septem annorum, & in adultorum distinctis variolis salivam vehementer motam fuisse, sæpius vidi. Causam autem hujus symptomatis in variolis sic intelligo; nempe ubi ostiola cutis oppessulata sint, vapor insensibilis ac superfluus per ductus oris majores erumpere, necesse habet. Ita in *infantulis*, quibus *exscreatio* adhuc *ignota* est. Etiamsi iis, perinde atque adultis, in os profluat, tamen illam deglutiunt; quæ si copiosior sit; quam quæ digeri possit, citam iis alvum interdum efficit; itaque & salivatio istiusmodi & diarrhœa salutares esse solent, quod non *noxio*, sed supervacaneo tantùm humori eliminando [quod in statu sano fieri oportuit] inserviant.

4. Ictus venenati indicium est incerta & vaga quædam febris; etenim modo incalescunt icti, modo frigent, ac horrent. ita ut usu venit & variolatis.

5. Quod id genus morbus ferè oriri solet in corpore maximè integro & sano; sine ulla prævia vel corporis vel animi passione aut dolore: pariter ac si quis sanus a bestiola venenata ictus fuerit.

6. Quod in hoc morbo semper fiunt crises per abscessus & nunquam per evacuationem; scilicet more morsus venenati.

7. A primis autoribus, ut ab *alfaharavio* inter morbos cutaneos numeratur, scil. scabiem & lepram. Id est, morbos ab infectione natos, ab aliis vero Arabibus in pestilentialibus propter malitiam, ponitur.

8. Quod apud veteres *similibus pustulis* synonymum fuit, quoddam serpentis genus, teste Plinio, * *Boæ* serpentis inquit ille, genus quoddam est; eadem quoq; appellatio § *morbum* quendam apud eundem denotat, id est, *rubentes* quasdam *pustulas*. Nam, Ebuli folia, inquit idem, contrita, & è veteri vino imposita, etiam "Boam sanant, id est, *rubentes pustulas*. Etiamsi verò ex hoc loco nihil certi colligi potest de variolis; tamen verisimillimum est, morbum illum sibi cognomen à bois serpentibus sumpsisse, tanquam à causa sua originali: ita ut varioiæ quoq; à sua simili causa oriantur credibile est. Huic conjecture favet *Alfaharavius*. "Tumescit locus morsus a vipera, & super eum fiunt *ampullæ*, *i. e.* vesiculæ "inflatæ, ita ut redditur ad modum *ignis ustionis*. Ebuli autem folia ad omnem ustionem apud veteres remedium nulli secundum est. Igitur & nomina & remedia morbis à communibus causis oriundis, adhibuisse veteres credibile est.

9. Quòd pleraque signa variolatorum, cum ictis à venenatis bestiolis communia sunt. De quibus vide apud Scribonium Largum, Dioscoridem, alioſque veteres. Attende, & confer cum signis variolarum infrà recitandis.

A Pastinacca marina *pars affecta livet, ac nigrescit per ambitum, illam si quis defricuerint, atra, crassa, ac graveolens sanies exprimitur*. D.

A mure araneo *nigra pustula diluta* (ὑδατώδη;) *aquosa sanie exsurgi: proximæ verò partes omnes livent. Rupta pustula depascens succedit ulcus. His accedunt urinæ difficultas*. D.

A vipera *pustulæ quales in ambustis erumpunt. Sanies e vulnere promanat; primum subpinguis, mox cruenta; urinæ difficultas*. D.

A Drylna *morsis pars ipsa affecta in* pustulas *attollitur: e quibus sanies aquosa profunditur*.

Ab Hæmorrhoo *demorsis ex plaga copiosus cruor effluit, & in quacunque alia corporis parte cicatrix ulla fuerit, ex ea quoque sanguis emanat. Quin & excrementa cruenta rejiciuntur*.

A Natrice *sanies ex vulnere copiosa atra ac putida*. D.

* *H. N. l. 8. c. 14.* § *Idem l. 26. c. 11.*

A Cenchro *putidem ulcus : alius sopor : & in carnibus circumcirca velut aqua inter cutem.* D.

A Ceraste *demorsi pars in tumor attollitur cum duritia, & pustularum eruptione : profluit e plaga sanies, modo atra modo quadantenus pallida. Ipsum quoque genitale erigitur.*

A Bupestri *totius corporis extima facies circumtensa, urinæ suppressio.* D. *inflat totum corpus in speciem Hydropis.* S. L.

A Cancaridibus. *Sanguis cum urina at cum dolore affusus.* D.

A Salamendra *maculæ liveſcentes, & si diutius immoret venenum, putrescentes sanie manant.* D. *Livoribus quasi maculis variatur.* S. L.

A Phalangiis *morsi pars affecta rubet, & velut aculeis compuncta conspicitur. Consequuntur* Lumborum dolor *& perpetua ad reddendam urinam stimulatio, & ejusdem excernendæ difficultas.*

A Scolopendra *pruritus toto corpore persentiscitur, pars incisa livet, & à morsu ipso exulcerari incipit.* D.

A Scorpione *pars ista indurescit livet, & cum dolore circumquaque distenditur : dolorque velut à pungente acu per universam cutem sentitur.* D.

A Leopore marino *sumpto oculi* exulcerantur, genæ inflantur. *Urinam difficulter reddunt, & cum dolore,* S. L.

10. Quod medicamenta ad ictus venenatos ferè eadem sunt apud veteres exhibita, quæ ad variolas ab Arabibus instituta sunt, vide eosdem authores : lego, confer.

Sudoris excitatio, copiosa urinæ excretio, purgatio per alvum. Fæniculi succus absorptus. Marinæ testudinis testes. Opium ex vino ; hæc communia inter propria vero & peculiaria auxilia numerantur lac ficulneum tinerem ex aceto subactum. Potiones ex cicere. Cancer fluviatilis cum apii semine. Potiones efficacissimæ ad ictum scorpionis, lac ficulneum cum vino, multa sudatio. Ad draconis marini idem. Sulphur ex aceto triti potio. Ad viperæ morsum ipsa vini frequens potio juvat. Hæmorrhoi crematum caput potui datum cum vino : esitantur & uvæ passæ. Ad morsum basilisci papaveris succus in vino. Ad Bupresten ficus vel aridæ, vel earum decoctum ex vino : item aqua ficus aridæ ad salamandram. Jus ranarum & ova testudinis quomodocunque cocta conchylia ; locustæ marinæ aslaci meripotio. Atramentum sutorium aceto dilutum.

At, inquies, serpentes aut alia animalia venenata talibus morbis non afficiuntur. Qui sint eorum peculiares morbi, planè nescio. Neq; id cuiquam scientia naturalis, vix incœpta, dicere patitur. Etiamsi verò hi vel illi serpentes putà strictè loquendo à morsu aut alias, contagiosi non sint ; cùm tamen liquido constet, quorundam venenatorum & vehementer inficientium morborum interdum illi causæ primariæ sint ; quid ni credamus, aliis morbis quoq; (inter quos variolæ merito numerantur) aliæ atq; aliæ bestiolæ, à nobis incognitæ, ortum dederint, ac posse sic contagio in humanum deinceps propagari.

Si amplius quærat aliquis, cur hodie id malum ex morsu venenatorum animalium non, ut olim, oriatur ? Id fortasse nunc quoque accidat suis locis in India putà, aut alibi terrarum. Sed ob ignorantiam Historiæ Naturalis & populi indocti & superstitiosi non animadvertitur. At in Europa minor ejus metus est. Etenim ut C. Celsus rectè innuit, Peregrina serpentium genera, aliquanto magis pestifera sunt, maximè æstuosis locis gignuntur. Italia, frigidioresque Regiones hac quoque parte salubritatem habent, quod minus terribiles angues edant. Verùm, ubi ubi inveniantur, istiusmodi bestiolæ noxiæ, ex proprietate naturæ, malum de quo loquimur, inferunt, neque aliquid de hac re nobis certo constat, nisi ex conjectura probabili, suprà comprehensa. Atque hæc ex Historiæ Naturalis defectu.

Igitur jam dictum est de *prima* hujus mali *causa*, quam libenter deducerem ab aliqua noxia & venenata bestiola, ad naturam plerarumq; infectionum, hominibus primitùs communicatarum.

Proximo loco rationis reddam, cur hæc labes *hæreditaria* quoque existimari possit. Quod in aliquibus Familiis variolæ ferè exitiales sunt. Quod fratres & consanguinei faciliùs inficiantur, quàm qui

inter

inter se cognati non sunt. Quod interdum *Sporales* sunt, & sine ullo variolati hominis infectu per se exsuscitari videntur; seminia itaque propagari posse in prolem perinde ut Lue venerea notum: ac de Hydrophobia magna suspicio est.

"Novi quosdam, inquit VVillis, à crapula & exercitio immodico in hunc morbum incidisse, cùm præterea nemo circumcirca in tota regione ægrotavit" nempe latentia semina per se commoventur, & inquinant sanguinis massam. Si hoc intelligatur de iis, qui a parentibus infectis sive variolatis geniti fuerint (& jam ferè totus mundus sub eo nomine cadit) libenter accedo. Sed cùm satis constet populum Indiæ Occidentalis ante adventum Europæorum ab omni ævo immunem fuisse ab ea labe, & ad extremam perniciem & ferè dopopulationem tum primo decubuisse. Haud facilè adducor ut credam, ulla materna labe menstruata, seminiisve naturalibus, ut ut vehementer moris, uspiam hunc morbum per se subortum fuisse.

Hæc autem inter rarissimè contingentia agnosco. Nam modus infectionis communior est per effluvia in aere effusa ab homine variolato. Si quis itaque has pustulas in cute jam privatim efflorescere vult, non ambientis, aliquo contactu, sed ex inspiratu; aeremque contaminari peculiari quadam malignitatis specie, & è sublimi causam habere, ei libenter accedo, modo aerem intelligat infici ab homine variolato & non ex aliqua corruptione aeri insita, ita aer insensili perspiratione alicujus variolis infecti inquinatus, ac ab alio inspiratus, salivam ejus contaminet, necesse est; qua deglutita, ut nobis omni momento fieri solet, intra habitum corporis per itinera lactearum rapitur: quo ut sanguis afflatus, delibutusque fuerit, ipso statim initio caput & lumbi dolent, febris accenditur: malo autem ingravescente, venenum cum sero superfluo, die tertio, aut quarto, foras expellitur, eque ductibus excretoriis prosilit, & in cute efflorescens, mali speciem detegit, tosoque demum corpore extuberant vesiculæ sui generis.

Atque hæc hactenus de infectionis modo, quo de homine in hominem transfertur, nempe per solum contagium & effluvia ab homine variolato perspirata. Atque hæc unica jam *evidens* causa est variolarum.

Variolæ itaq; sunt *Pustulæ Venenatæ*, primitus a bestiolæ ictu (puta) humano generi illatæ, nunc vero per se, rarissimè tamen, tanquam ex infectis parentibus hæreditario quodam infortunio genitæ, sæpissimè vero ab homine variolato in hominem translatæ, ab effluviis ejus in aerem emissis, extra habitum corporis, & è ductibus excretoriis nusquam non cum febre continua protrusæ.

Morbum autem jam definitum dedimus; ejusque mox *symptomata* singula, atq; *prognostica* paucis expedire lubet.

Effluvia itaque venenosa, chylo commista habitum corporis subeunt: in ruptione autem vesicularum chylum constituentium (an ea saliva sit, quæ in jejuno lacteas ingreditur, aut aliquis humor refluus, aut nudus aer aquatus, parum interest) aer venenosus expressus & liber vasa sanguifera in cerebro & ad renes maximè angustiora vellicat atque inflammat: unde pulsus concitatior; majorque adeo calor, se ab igneis particulis sæpiùs & vehementer compressis, at non hic finis mali. Etenim venenatus vapor sanguinis serum lentescere facit, more venenorum ictu illatorum; unde vitiatur ejus motus nempe a lentore subitam sanguinis per venas sanguiferas trajectione prohibente. Quo autem vehementior sanguinis impetus est, si is subito, ut par est, ex arteriis in venas transadigi nō potuerit, eo maximè in ductus excretorios, ad communem anastomosin, quam habeant cum arteriis, divertatur, necesse est. At in ductus glandularum cutaneos jam expulsus vapor superfluus & venenatus illarum extrema oscilla similiter atq; capillares venulas vellicat, ac inflammat, inque vesiculas elevat; non aliter, quam si a vesicatoriis, extrinsecus adhibitis vitiarentur. Cur autem hæc occultorum foramulorum *oscula* magis, quam ipsi eorum interiores ductus corrumpuntur, ratio est, quod sua natura *tuberosa* sive *capitata* sunt

maximè si ab aliquo stimulo vellicentur; quod constat ex mira asperitate cutis, si quando frigori urenti subitò exposita fuerit; imò totidem *Sphincteres* sunt, vel levi offensa sese naturaliter contrahentes, itemq; vestigia variolarum *rotunda* satis arguit hæc ex osculis *i. e.* certis & determinatis locis, quasi cohibita fieri. *Deinde*, variolis deciduis, & sanatis earum ulcusculis, adhuc tamen restant vestigia horum oscillorum, mirè distenta ac *nodosa*; nec nisi *longo tempore subsidunt*, & intra modum naturalem contrahuntur. Postremo à venenato vapore erumpente afflata, & jam in vesiculas ab ea distenta, ob moram & torpidum motum humoris, per ductus transeuntis, perpetimque appusi, & tantùm non oppessulati (nam extra sanguinis flumen sunt) quod plus acrimoniæ acquirit, priusquàm ad ea attrigerit, acriusque jam factum & jam crassiusculum & sensim concoctum.

Itaque principium tumoris variolarum intra ductuum orificia est; at continua extrusione novæ adpellentis materiæ sensim augentur, & extrinsecus protruduntur, donec ad justam magnitudinem, & crassitiem debitam pervenerint.

Atque hæc ratio est, cur in hoc morbo semper fiant crises per abscessus; nimirum ductuum excretoriorum orificia in vesiculas à veneno adpellente excitata, unde insensilem evaporationem comprimunt. Cumque regressus crassescentium humorum in venas per eosdem ductus fieri nequeant; ut per abscessus tandem digeratur, necesse est.

Symptomata autem, quæ in hoc morbo animadversa sunt, enarrare jubet; eorumque causas breviter explicare, quo natura ejus manifestior fiat.

Signa verò, quæ morbum *instantem* indicare solent, hæc ferè sunt.

Imprimis, Dolor *Pulsatorius* in capite, & Lumbis, de quibus ante dictum est: nempè à vehementi ægrè ob lentorem transfretati sanguinis ejusque acrimonia, veneno mistmate infecti, & ad renes in cerebro restitantis, & inflammationem quandam membranis excitantis.

Vomitus immunis a veneno deglutito stomachum & intestina vellicante, si tamen vultis illud interdum effundi è sanguine ab habitu corporis; ut in sporade & singulari affectu, ex causa hæreditaria & seminibus connatis, aut epidemico vehementiori; id fieri non potest ab arteriolis in ventriculi tunicas dehiscentibus prout *VVillis* rem exhibuit, sed è ductibus excretoriis, quibuscum arteriæ immediatè committantur, in horum itaque ostiolis irritatio ac punctiones, a venenata materia illuc propulsa, istjusmodi vomitus causa est; perinde ut *pruritus* in cute; & *lachrymæ* involuntariæ ab oculis effusæ; item *sternutatio*.

Pandiculatio frequens ad infarctum liberandum molesti humoris eadem de causa *Tremores* in somnio & *deliria* incidere possunt, perinde ut in crapula.

Item *somnolentia* gravis ab obstructis vasis cerebrum comprimentibus.

Tremores autem & *convulsiones* a vehementiori ac acriori perspiratione vaporis venenati ab ipso sanguine expulsi. *Raucedo* ex aspritudine pustularum jamjam erumpentium, & ex inflammatione fauciam.

Tussis, *defluxio*, & vehementius *salivæ mota*; a perspiratione citatiori, ob cutaneam alteram (ut dictum est) valdè obstructam in illis patentioribus ductibus salivæ: nempè faucium & pulmonum.

Spirandi difficultas ab infarcto & inflammato pulmone, unde minus explicari possit & frequentius moveri, quæ difficilis respirationis quædam species est.

Febris intensa, *rubor* faciei, & *intumescentia*, a nimio sanguinis fervore, quo arteriarum pulsus tum maximè extenditur ad ipsas venarum capillares, uti clarè cognoscitur, quòd pulsus sentitur etiam in extremis digitis, ita rubor identidem producitur, a pulsus extensione, ejusque insolita micatione.

Ubi autem venenum, horum malorum irritamentum, foras certe in ductus excretorios cutis expellitur ex magna parte [quod triduo aut quatriduo fieri solet,] compressio, cordis & arteriarum vehemens & extensiva, quæ caloris causa est, remittit; cessatque febris.

In

In altera autem periodo ſeptem fere dierum, quæ accidant, morbi ſtatum & eventum indicant: atque ea huiuſmodi ſunt.

Puſtularum egreſſus, qui ſupra expoſitus eſt; nempe materia erumpens, pro ſua natura venenoſa, veſiculas excitat, quæ cum rubore ac inflãmatione *maturantur*.

Siccantur autem, quod nihil amplius humoris ad illam partem pervenire poteſt; ſcilicet veſicula undiq; clauſa ac indurata: vix tamen fieri poteſt, quin aliquot, inter tot innumera orificia ductuum, libera, & aperta ſint; utpote ab infectione integra & illæſa.

Veſiculæ initio *rubræ*, ab inflammatione; deinceps *cryſtallinæ*, a vapore aucto viſcidoque: mox *opacæ* & *albidæ* ab eodem incraſſato ſicceſcenteque.

Si *molles*, minorem inflammationem indicat.

Si *paucæ*, veneni quantitas, & qualitas exigua.

Si *diſtinctæ*, paucitatem materiæ infectæ arguit. Nam *accumulatæ*, diffuſe & confluenter ex copia eiuſdem fiunt.

Si *rotundæ* & *faſtigiatæ* ſalutares; quod magis extra habitum corporis materia Variolarum protruditur; minoriq; adeo moleſtia maturantur; utpote longius a circulatione ſanguinis.

Si eædem per *ſolum* cutim eruperint, neq; viſcera nobiliora intra affeiantur perſpiratio liberior; quod alicubi ex bona parte aperta ſit; unde ſalutis maior ſpes eſt.

Si intra *fauces* quoq; & *gulam* & *ventriculum*, & inteſtina egreſſæ fuerit, nempe ultra habitum corporis, & in primis viis, venenum & chylo & ſanguini denuo permiſceri, & febres ſuboriri poterunt ſi, ve alia *viſcera extrinſecus* ut pulmones, hepar, cerebrum, &c. variolis ſcateant non minus periculi impendet a febre redintegrata, & denuo ſuccenſa ex *tarda* & *incerta ſuppuratione* aut maioribus *Vlceribus* innaſcendis, ſc. in *partibus mollibus* & tenerrimis.

Si eruptioni antecedat *levis febris*, & ab eruptione *ceſſet*, vel plurimum minuatur, vel in tuto eſt, quod materia contagioſa, per puſtulas eliminanda, & pauca & mitior eſt, maxime ſi cætera conueurrant, nempe, vox libera & reſpiratio facilis, documento, nec pulmones, nec fauces internis variolis aut parce admodum affici.

Variolæ tarde erumpentes. Id eſt, venenum intra ſanguinem diutius immorans, arterias oppeſſulat, ſanguinemq; ipſum corrumpit, illum in pus quoddam incraſſando, non aliter, quam in oſculis ductuum excretoriorum uſu venit.

Multæ, copiæ argumentum venenatæ materiæ, adeoque ægre ad cutem expreſſæ.

Magnæ, aliud copiæ argumentum.

Duplices & *continuæ*, idem ipſum.

Depreſſæ ob nimium lentorem & tarditatem in egreſſu: ergo mediis ductibus corrumpi videtur vapor contagioſus, & retrogredi in ſanguinem metus eſt, a quo magna diſcrimina impendent.

Duræ, ob majorem inflammationem.

Firides, *lividæ*, *nigræ*, corrumpitur ipſa veſicula & caro circumcirca a materiæ venenatæ ſumma acrimonia.

Membrana autem continens ſive comprehendens puſtulam, veſiculæ more, circumcirca tenditur ac inflammatur. At in vertice ſummo tenuior eſt, & minus evaporationi reſiſtit, maximè ſi illa contractum & conſtrictum ſit ductus alicujus oſculum: ad reliquum vero ejus ambitum craſſior eſt ac compactior, certe propter ipſius ductus parietes craſſiuſculos; adeoque minus ad latera perſpirabilis, magiſque adeo extrorſum premitur humor, veſicula contentus. Cum itaq; ad puſtulæ verticem perſpiret, in quem univerſa bulla nititur, ſi appareat ibidem *macula nigra*, etiamſi totum reliquum puſtulæ melioris ſit coloris, dubia ſalus eſt, & ſc. ob contenti humoris ſummam putredinem incipientem; quæ vicinos parietes ſubito inficere poſſit.

Variolis admixtæ *purpureæ*, ſive *veſiculæ*, ſi *lividæ* & *nigræ* deterrimi ominis ſunt, ſi ſtatim ab eruptione evaneſcant, mors in propinquo judicanda eſt, quod nihil in hoc morboſemel coagulatum evaporare ſolet, aut expurgari ſine ſuppuratione: ergo reaſſumitur in ſanguini: atque ita ſanguini permixtum venenum, illum craſſeſcit, & tandem in putrilaginem cor-

rum-

rumpit. Atq; harum affectionum erunt necessarius effectus *urina nigra*, ac *sanguinea*; fæces alvinę nigræ & sanguineæ; vel ex pravo sanguine, ab summa acrimonia, obstructione primaria arteriolarum, unde per ductus excretorios renum, putà, & intestinorum, erumpit.

Ita *Hæmorrhagia* quælibet, à suppressi; pustulis, periculosa est.

Febris *magna*; copiam ingentem materiæ venenatæ, per pustulas expurgandam arguit; adeoq; periculosa. Si post eruptionem vero non minuatur; igitur ubi intra sanguinem superfit plurimum ejusdem materiæ, quæ nondum erupit, res fere ad mortem tendit. Reliqua per se ipsa patent.

Jam dictum est de *morbi ratione*, ejusq; *symptomatis* quibuscunque.

De hujus vero morbi contagio privatim quæritur causa, cur *infantibus* & pueris magis *familiare* sit; firmior vero ætas & *adultior* minus lacesseretur? *itemque* cur unusquisque his, *aliquando* in vita, necessario conflictari debeat; ut neminem posse *secundo*, aut *tertio* prehendi; *denique*, cur complures annos sileant & *certis annorum intervallis sævia*, *nt* in plebem? Respondeo. Infantes non magis huic malo opportuni esse videntur, quam aliis quibuslibet morbis contagiosis; nempe ob summam naturæ teneritudinem ac quandam ejus perfectionem. Sed in eo fallacia est, quod, cùm tota vita homines infici soleant, vix unus è mille pubescentiam *integer* attingit? *Deinde*, annorum intervallum [quantum animadverti] quibus grassatur iste morbus, lustrum aut sesquilustrum raro excedunt, quo fit, infantes posse bis aut amplius infici, antequam adoleverint. *Denique* integræ nationes, ut dictum est, apud Indos à nostris hominibus variolatis simul infectæ sunt, & periere ferè ad internecionem, propter ignorantiam curationis; quod à fide dignis testibus, *Marilandiæ* incolis, habui: argumentum, morbo illo & puerum & adultum æq; subjectos esse. Neque enim ullus tutus est, nisi qui prius morbum perpessus fuerit: siquidem rarissimè, certe ego neminem *bis* infectum memini, præter unam fœminam, quæ in hac urbe, me teste, intra annum variolis bis decubuit, & convaluit.

Magna vero ex parte hic morbus, etiamsi contagiosus, *salutaris* est; quod ferè subito venenum foras & extra habitum corporis protruditur; cujus quidem egressui tenera ætas à ductibus suis excretoriis, dilationi valdè aptis, opportunior est; humoresque ab eis excreti, naturaliter fluidiores sunt ita, quod semel tantum hoc malum hominem aggrediatur, ejus lenitati ex parte, puerili ætati, in qua ut plurimum ægrotet, attribuendum est.

Intervallorum autem ratio est, cum omnes pueri alicujus domus puta, aut oppidi aut urbi [unis Londiniis exceptis, propter ejus enormem magnitudinem, & perpetim advenientium multitudinem] fere intra aliquot menses annum ve decubuerint; nec alii ibidem inficiendi restent. Igitur extinguitur, pro illo tempore, malum; donec nova sobole subcrescat variolanda. At fatendum est, aliquos illa felicitate natos esse, ut integri & valdè senes moriantur.

Ad *Therapeiam* propero; sed antequam ad curationes rationes procedamus, illud ante omnia meminisse oporteat, *hunc morbum* (ut dictum est) *fere esse salutarem*; in variolis natura omnia perfectissimè facit, inquit *R. à Fonseca*, natura sibi permissa negotium suum suo tempore exequitur, ut nostra ope non indigeat, suis viribus optimè instructa, *Sydenh.*; at salutares non illo nomine illas appello, ac si ex aliqua naturæ necessitate ita nati essemus, ut morbo, à morbosa aliqua crisi ad *perfectionem* sanguinis humani opus esset: etenim, quid nostri & brutorum sanguinis interest, ut illa istiusmodi sanguinis despumatione non indigeant? quid nobis ex omnibus animalibus ad sanitatem integram conficiendam lustrationes morbosæ usui sint? cur prioribus mundi seculis hæc κάθαρματα defuerunt; genteſque Americanæ à prima mundi origine ad superius seculum, tanti morbi beneficio caruerunt; Quicquid itaque *vani* Homines de eorum methodo, in hoc morbo curando, nuper jactitarunt, non sine ingenti cautela

tela & ſuſpicione admittendum eſt. Etenim cum res naturaliter ad ſanitatem tendat, quid tua auxilia magnopere laudas? annon ſupervacanea aut noxia potius cenſenda ſunt? his certe remediis populus non utitur, & tamen vix unus è quadrageſimo ægroto apud plebem moritur. Inſtitue computum tuum; de tuis [ſcio multo plures occidunt. Deinde hanc rem [nempè, invitis Medicis, morbum de ſua natura plerunque ſalutarem eſſe] abundè confirmant vel contradictoriæ rationes medendi adhibitæ, tamen ſub utraque methodo ſani evaſerunt ægri. Etenim alii calore & ſudore haud modico eos perpetim nutriunt foventque: alii contra frigore poros conſtipant, crudumque aerem magnopere laudant; omnem ſudorem diligenter cohibent, & vel apertis potius feneſtris decumbere, operimenta lecti tollunt, omnemque perſpirationem vehementer comprimunt, etiam pedibus in frigida demiſſis, quod ipſe vel impunè factum à quadam muliercula in cura filii ſui adulti me aliquando vidiſſe memini, ipſis variolis tunc temporis egreſſis: alii alexipharmaca ſedulò exhibent, & in iis omnem ſpem ponunt; alii contra in refrigerantibus; nempe leni cereviſia, larga manu propinata, lacte & coctis pomis victitare; vinum verò & juſcula nutrientia omnino vitanda eſſe diligenter clamitant. alii, quos novi, variolis egredientibus alvum ducunt, imò purgationem haud minorativam moliuntur: alii contra omnino alvum moveri vetant: alii hypnotica continuè exhibent; alii iſtiuſmodi aliquid dare metuunt. Profectò nullus finis eſſet huic incepto Tractatulo ſi ſingula remedia & medendi vias, animi cauſa inſtitutas, recenſerem: ab iis tamen omnibus Natura ferè impune ſeſe ſubtrahit, victorq; evadit. Annon itaq; ſupra modum arrogans es, tu qui tua præ omni methodo effers, & aliena deſpicis? profecto an turpis lucri, aut meræ & inanis gloriolæ mancipium ſis, lector æquus judicet.

Sed ad rem. *Intentiones curativæ* ea cautione inſtituendæ ſunt, ne quid detrimenti naturæ, ejus vires minuendo, contingat: ſed ejus motus criticus omnimodo adjuvandus eſt: interim alexipharmacis contra malignitatem* pugnandum eſt; & ſymptomatis, ſi gravia ſint, occurrendum eſt.

Hujus autem morbi *tria* tempora, ab ipſo *Avicenna* numerantur: nempe *primum*, quamdiu ebulliat ſanguis, quod fere inter quatuor dies finitur: *alterum*, ab egreſſu & apparitione variolarum, ſcil. à quarto ad ſeptimum: *Tertium*, à ſtatu, qui undecimo à decubitu viget, quando nimirum declinare incipit morbus & puſtulæ exſiccantur, deciduntq; Atq; hoc tempus ad quartum decimum diem, & interdum ad vigeſimum extenditur.

In primis autem Febris diebus Sanguis omnino mitti debet, eodem Avicenna autore, ſi neceſſarium ſit: imò etiam egreſſis variolis, ſi vehemens repletio & materiæ dominium id requirat: & ſi primum non completè, iterum fiat, aliter timenda eſt extrema ſanguinis corruptio. De Emeticis vero, Purgantibus, aut Enematis prorſus ſilent *Arabes*. In hoc utiq; conſentiunt moderni; nempè plenitudinem ſanguinis etiam in hoc morbo evacuationem indicare: itemq; crapula vehemens, exercitium, ex frigore tuſſis, & ſimilia.

At plurimi in hac Febre non convenire aiunt, Purgationem ullo pacto; ne levi fluxus malignus concitetur; ne natura impediatur ſuo motu, qui eſt ad tutim per abſceſſum. At nullus quidem dubito quin ob prædictas in ſanguinis miſſione, cauſas illam & enemata & emetica commodè interdum exhiberi poſſe:

Porro in hoc tempore, eodem autore, *Cibatio* fiat ex lenificantibus cum vel repercuſſione, ex jujubis puta dactylis, lentibus, cucurbita, cum Tamarindis. & ſi non obedit iis Febris adjice *ſuper eos cibos* (nota hanc Perſarum cibationem vulgarem fuiſſe, non medicamenta) & in ipſo principio apparitionum, robribes, puta, cum Throchiſcis *Camphoratis*;

* *Malignitas etiam in* levioribus variolis *medenti oculis continuo debet obſervari*. Mayern.

ratis; scilicet medicamenta ad febrem leniter extinguendam accommodata. His vero nostris homines, ex consuetudine quoque victus quotidiani, & inter nos usitati, ex cerevisia tenui lactis serum coctum, vel hordeata, & avenacea jusculà exhibent.

At frigida ac acida quævis nocent, inquit *VVillis*. Fatendum est, & Tamarindos & succum prunorum ita se habere (quos tamen *Avicenna* in hoc tempore inter mitiora lenificantia ponit. At tu velim cogites Persiæ aut Arabiæ regionem calidam & nostram septentrionalem multum differre. In illa quidem sanguinis missionem, & leniter refrigerantia magno & necessario usui fuisse, facile credo; apud nos vero propter consuetudinem victus, aerisque ad frigus fere semper tendentis, & modicè data alexipharmaca, & plenor cibatio, maximè usitata, minus nocent. Nec nisi vino debitis, & valde plethoricis juvenibus, & ex vehementi exercitio correptis, aut Urbanis, in crasso aere degentibus, quibus perspiratio minus libera & impedita est, sanguinis missio, aut alia evacuantia, aut refrigerantia adeò necessaria sunt.

Ita sanguis non propriè mittitur in variolis, sed ex accidenti tantum, ut symptomati alicui succurratur; nimirum si quis variolis corripi contingat ex vehementi exercitio, aut crapula, ut ex frigore, huic quidem rectè sanguis diminuitur ad febrilem ardorem aliquatenus reprimendum, sed non ut variolæ minùs malignè, aut pauciores numero fiant, aut commodius expellantur; etenim una sanguinis integritas & plenitudo & melius earum malignitati auxiliatur, & insensilem perspirationem, in qua valetudinis unica spes est, promovet. Ita fere in Hydrope omnis perspiratio & sudor cessat, quod sanguis integer non est, sed sero superfluo supra modum abundat.

2. Apparentibus vero variolis, quod *secunda tempus*, ex mente *Avicennæ*, erit infrigidatio causa magni erroris; quod retinet *superfluitatem interius*, unde ad viscera principalia defertur. Deinde, variolis exire & apparere haud possibile ex pororum constrictione; unde accedit inquietudo, angustia & interdum Syncope.

In hujus autem dispositione, oportet ut juventur superfluitates cum iis, quæ faciunt ebullire, & aperiunt oppilationes, sicut *fœniculum*, *apium*, *ficus*, quæ vehementis sunt expulsionis ad exteriora: *lentes*, *lacca*, *traganthi*, quibus *Crocum* addit *Rhasis*. Nam illa expulsio est una de causis evasionis à nocumento earum.

Porro oportet & cooperiatur; & elongetur ab aere frigido, & propriè in hyeme, secundum custodiam sudationis. Frigus enim oppilat poros & redire facit variolas retro. Item multitudo aquæ frigidæ cum nive; & introitur in domo venti, mala valdè sunt. Et fortasse sanguinis missio in hoc tempore est mala, quod repellit, & convertit quod egreditur; quare omnino caveatur post duos vel tres die ab egressu.

Et quando accedit ex coopertura pannorum & calefactio quasi Syncope, tunc infrigidatio fiat, vel odoribus excamphoratis: sed si *detegendum* quoque corpus est & domui venti & aer frigidus intromittendus, paulatim id fiat. Et similiter de Adjutorio cum calefactione *i.e.* de medicamentis calefacientibus, qui eà quoque paulatim dimittantur.

Et cum incipiunt exire, & non invenitur cum exitu earum alleviatio imo invenitur caliditas inflammata, & lingua ad nigredinem declivis; tunc cave, ne calefacias.

Toto hoc tempore, inquit *VVillis* una & continua crisis est; quare nihil temere movendum est: lenis & blanda diaphoresis continuanda, cardiacis moderatis aliquoties in die exhibitis.

In fine autem ejus temporis, ex eodem Avicenna, oportet ut conservetur natura, *i. e.* vires ægri; & cibetur *lentibus*, bis elixatis *i.e.* victu fortiori; & acetosis cum succo granatorum, Sumach, Agresta, aut similibus.

Item in hoc statu, hoc est, ad finem secundi temporis, quæ incrassant sanguinem, eumq; infrigidant, & ab ebullitione prohibenda sunt: inter quæ rob ribes, & agresta, & succi frigidorum fructuum, ut limonis, succi lactucæ *foliorum papaveris viridium*.

3. Ubi

3. Ubi vero dies ſeptimus pertranſit & apparet in variolis maturatio, ſiccantia adhibenda ſunt: ut ſalitio &c. in conſervatione pulmonum, puta, nulli ſecundum eſt lene illud Lohoc ex lentibus cum *ſemine papaveris*.

Hactenus de curatione ex primis autoribus, & præcipue ex avicenna; jam videamus quid de ea re occinant nuperi quidam ſcriptores & quid novi adjecerint, nam de hoc præcipue morbo triumphos celebrant bini, at iidem directè adverſarii, véteribus quibuſcunq; aliiſq; ſcriptoribus, ad noſtros uſq; annos prorſus inconſultis, neglectiſq; ac ſi ante eos nunquam in homines fuiſſet ulla alia literatura, quam ſua nempe ob novas morbi cauſas detectas, ob novam morbi hiſtoriam, ob nova deniq; remedia, certè nova methodo exhibita. Illa itaq; tot tantaq; paucis pro inſtituto noſtro percurere non pigebit. At inquies, quid nos redarguere velis, cum ipſa arabum methodus, quod ab Hippocrate & Galeno non inſtituta ſit, æquo jure vel negligendus vel amplectendus eſt aut alia quævis nova libere adaptari poteſt, rectè. At arabum methodus tua eſt, & non nova, imo ipſa remedia antiquorum ſunt, etiamſi morbus novus ſit.

Inprimis ex his viris alii ſunt, qui venenum, aut aliquam in hoc morbo malignitatem omnino rejiciunt; ſed ſi aliqua graviſſima & peſtifera ſigna accidant, ea omnia malo regimini vel nimis calido vel nimis frigido omnino adſcribunt; imo & ipſam puſtularum copiam confluentiam, & purpuras, & mictum ſanguineum atq; id genus alia, ſi quæ ſimilia & mali moris fuerint. Etenim hi variolis litant tamquam malo cuidam neceſſario (ut ſupra dictum eſt) ac utili, ad complimentum ſanguinis inſtituto. Quippe ſanguinem, aiunt, ſemel in vita novam formam induere aptum eſſe, ob ſuccorum, illum conſtituentium, opulentiam. Hi *muſteum* arabum *fermentum* valde depereunt. Etenim illam deſpumationem ſanguinis, ſemel in vita omnibus hominibus exequendam eſſe, cum *Rbaſi* exiſtimant; neq; enim iſte variolarum morbus iis aliud eſſe videtur, quam neceſſaria quædam ac naturalis *Renovatio* ſanguinis. Infectio autem quæ in variol,s animadvertitur, ceu quædam captificatio eſt, tanquam ex vicinia ſimilium fructuum. Mirabilia ſane atq; ingenioſa explicatio ita hic verè morbus non eſt, ſed quoddam humanæ naturæ perfectivum opus, ſive complimentum, ac tanquam ultima manus, quo muſtum puerorum in vinum adoleſcentium conficiendum eſt, quod tandem in ſenibus, inquit *rbaſis*, aceſcit. Ita & *alſaphara vius* ex ſanguine adoleſcentiæ ad iuventutem variolati, ut ita loquamur, tranſmutantur. O beata hæc ultima mundi ſecula ſi quis iam ſenex (nam ſunt valde decrepiti qui hoc morbo afficiuntur variolatus ſit, renovatur eius ſanguis, ac ſtatum adoleſcentiæ revertitur. Imò ex hac doctrina optima ratio eluceſcit, cur antiqui medici variolarum nullam mentionem fecerint, quòd inter morbos tantum beneficium reponere indignarentur. Sed vereor, ne hæc à Mahometanis illis Arabinus ironicè dicta ſint; noſtroſque homines, non advertentes illos vini oſores fuiſſe, adeoque omnia mala de illo dixiſſe, ſeductos in vini, facillimè ita variolarum bonam opinionem fuiſſe. Ad eundem modum Romani *Illerum morbum regium* appellarunt, non propter aliquam excellentiam in illo morbo, ſed quod reges populo Romano maximè inviſi fuerint: ita odioſum nomen morbo fædo impoſuerunt.

Etiamſi verò exigui momenti ſint, quæ pro innocentia variolarum attulerunt; iis tamen, ne cauſa prorſus indicta, breviter reſpondere lubet.

1. Quod non momento fieri poteſt tanti puris apparatus ab aliquo contagio, quantus in hoc morbo ſecernitur. At vis exigui veneni immenſa eſt, *e. g.* aliquot guttulæ in morſu venenato, alicujus ſerpentis, puta, effuſæ, totum corpus in putrilaginem ſubito convertere potis ſunt. Audi ſis Dioſc. quantulum eſt quod à Phalangij morſu ingeritur, & univerſum corpus excruciat? quanta enim cenſebitur, ſi vulnus ſpectes ſcorpionis, & aliorum ejuſmodi corporibus noſtris perniciem afferentium magnitudo? & horum tamen *aliqua* vehementer cruciatus excitant, *alia putrefaciant*: *alia* denique: quam primum

peri-

perimunt. Venenum verò variolarum ejus naturæ est, ut sanguinem ad triduum aut quatriduum exagitare soleat; antequam pustulæ apparent, easque sensim nutriri ad aliud integrum septiduum, priusquam ad summum incrementum, & statum pervenerint; spatium certè satis longum ad totam sanguinis massam corrumpendam; ut contrarium difficilis multò intellectu sit, cur à tanto veneno non semper corruptio.

2. Quod rarissimè aliquis bis inficitur variolis at in Lue Venerea, aliisque morbis contagiosis sæpius. Sat est malitiæ semel infici, & sævire in populum. *Deinde*, malum hæreditarium esse, (ut suprà comprehensum) magna suspicio est. *Denique*; Hist. Naturalis adhuc tantum in incunabulis est; unde hujusce Quæstionis de proprietatibus venenorum responsio idonea privatim peti oportuit.

3. Particulæ variolarum in massa sanguinea divisæ satis *puræ* sunt: concretæ verò & expulsæ in abscessibus demum corruptelæ cujusdam speciem induunt. Hæc autem à te gratis dictæ sunt. Pustulæ tibi videntur quasi malignæ, at materia, ex qua pustulæ fiunt innocua. Verum & effervescentia, ejusque symptomata in ipso morbi initio non raro gravissima & lethifera æque indicant venenum in sanguine flumine contineri, quàm ipsæ pustulæ in cute effusæ.

4. Vestigia, ais, profunda in omni ulcere fiunt. At in variolis non raro contingunt alia certissima veneni signa; nempè in plebe infima, & ubi nihil à quoquam exhibitum est; nempe bubones, petechiæ, variolæ virides, lividæ, nigræ: mictio sanguinea dysenteria, & id genus plurima alia: nisi aut oculi perditio ab ulceribus mali moris, item internum totius alicujus artus, sideratio, &c.

5. Denique, ais, vultus quorundam à variolis non deformari, sed tanquam à naturæ designatione, ad meliorem pulchritudinem figurari. Ita milites cicatricibus, maximè ex iis, quæ in facie acceperint, vulneribus confectis gloriantur. Pulchra fœmina, pulchrior variolata. Optima sane mulieribus consolatio, quibus forma tantæ est. At speculis, crede mihi, nimium fidem habent, malintque suam natinam, ut ut deformes fuerint custodire, quam novæ obtinendæ se infidis variolis credere. Profecto evaserint licet, amabilis tamen ille nitor, & genarum elegantia, quæ in cutis tantùm integritate & tenuitate constat, funditus perit.

Illud interim tu notes velim, etiamsi variolæ in primis ejus viri scriptis ei parum aut nullam putredinem indicaverint; idem tamen inspectione diligentiore [ut credi amat] plurium insequentium annorum adhibita, *anomalas* nescio quas variolas observavit, id est, extra normam & doctrinam à se primo propositam. Ac tandem in ejusdem posterioribus curis intensiorem putrefactionem subdoluit; quod generabantur ex crassiore, & fœculentiore materia, maligniore dicere noluit. Maluit enim variolas non esse sibi similes, quam Hypothesin, semel evulgatum, renunciare. Imo, ipso authore, confluentes variolas, aliquibus annis ipsam Pestem pernicie interdum æquare. An in peste nullam malignitatem inesse credis? imo idem vir miratus est, alias variolas *eiusdem fere species* alias & plane contrarias indicationes, quàm olim sibi proposuisset, & usui esset, subinnuisse. At nullus dubito, quin in hac tanta urbe quotannis; eadem symptomata, pro numero ægrotorum, & singula, quæ forte unquam in hoc morbo à quopiam animadversa fuere, in aliis atque aliis ægris exhiberi: etiamsi per accidens huic vel illi medico sui plerique ægri possint sic vel aliter affici. Unde concludo, variolas (ut ut per se & ex eventu fere salutares sint, tamen quod ex venenata causa primulum genitæ sint) semper malignitatem præ se ferre.

Hæc autem ultima non adjeceram, nisi quod, mihi, ejus scripta omnia perlegenti, illum prioris doctrinæ tantum non pœnituisse visum fuerit: donec tandem in eiusdem opere postumo legerim, symptomata anomala; i. e. omnia

in-

in variolis, ipso interorete, pernicioſa à malo regimine ſupervenire eaſque naturaliter & ſe boni moris eſſe. Ita de Lue Venerea concipe, de Hydrophobia, ullove alio morbo maligno & venenato. Nam omnium paratio eſt. Quaſi dicas illam primam in Gonorrhæa fere, & urinę ardore, veſiculiſve aliquibus in pene cancroſis comprehendi; ſed ſi quando vehementiora & minus uſitata, & malefica ſymptomata contigerint, ut bubones, nares fauceſve cancroſæ, puſtulę exedentes, intolerabilis dolor in capite, aut ſcapulis, nodi, exoſtoſes, hęc omnia anomala eſſe, & a malo regimine orta. Igitur, ut videtur, vel ejus veſtigiis tibi preſſius, o medice! in poſterum inſiſtendum eſt, vel omnis culpa, ſi quid funeſtum acciderit, in te reiiciendum eſt.

Illud vero non prætereundum eſt, quo ſe quoque contra venenum protegere videtur; critice, ajunt veteres, variolas, erumpere, curamque adeo peculiarem nullam poſtulare, hoc inter alios *Augenius* exhibet. Ita *noſter*; natura ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, ut noſtra ope (in junioribus) noſtris artificiis, atque auxiliis non indigeat. Concedo equidem cum *Avicenna* in variolis eſſe quendam modum, ſive peculiarem quandam criſin: at concoctionem materię alicujus morbificę, quæ criſeos maxima ratio eſt. Variolarum eruptioni præcedere, vehementer nego. Illud autem affirmo, ſi nullum eſſet in variolis venenum, inſenſibili perſpiratione, aut aliis medicamentis purgantibus domari, & evacuari, & non per puſtulas neceſſario ſolvi, poterant. Quod tamen nunquam accidit alicui, vel temerario Medicaſtro. *Alſaharavius* quidem omnes infrigidantes medicos noſtri ſeculi multis paraſangis anteivit, maxime in primo Variolarum tempore; nempe in ſanguinis miſſionem ad ſyncopen, & frigidæ, immenſa & confertim exhibita potione; eaque ſæpius repetita paucis horis. At, quantum video, ſine ſucceſſu. His tamen non obſtantibus venenum intra habitum corporis reſtitans [quod neque ex ingui, neque ulla evacuatione tolli potuit, adeo totum ſanguinem jam infecerit (ſanguine circumactum, ipſa ſua eruptione perpetim & neceſſario, ſub ſpecie vaporis ſupervacanei per oſcilla cutanea, ea tandem corrumpit, atque in veſiculas excitat, inflammatque in his vero ſuperfluus & venenatus, iam cohibitus, & à libero exitu præditus, poſtquam ad ſummam diſtentionem & magnitudinem veſicæ pervenerint, in pus, ex ſua natura (nempe quod ſerum extravaſatum ſit, ut pus ex vulnere, aut mucus putridus ex coryza) denſatur, ac maturatur.

Atque hactenus de Variolarum *malignitate* breviter dictum eſt. Proximo loco ad eorundem *novam* [ut credi amant] *Therapeiam*, & medicamenta ſive medendi methodum procedo.

In primis diebus, ais, ebullitio nec nimis evehi, nec nimis minui debet: idque ad raviſin uſque repetas. At die quis medicus; unquam aliud dixerit? nemo, quod ſcio, ab *Avicenna* ad ipſum te. An non idem ſedulo inculcat *Vvillis*; & ægregium, ubi opus fuerit, exemplum infrigidationis in juvene, calidis fere ad necem oppreſſo, exhibuit?

Porro ais, Variolas ante debitum tempus nullis remediis erumpere. Tua itaque inaudita ac mirabilis cautela de intempeſtiva eruptione vana eſt; ita nec prohibent alexipharmaca, ut affirmas, exhibita; nec tua refrigeratio promovet.

At rurſus, inquis, materia Variolarum in ſanguine primis diebus cruda eſt, & nimium diſperſa per ſanguinis maſſam, eiuſque particularum colle. ctioni & inter ſe coitioni tempus dandum eſt, antequam egrediatur. Hæc autem gratis dicta ſunt. Etenim venenum cruditatem neſcit; acrior quidem ob moram & ignitionem ſanguinis fieri poteſt, ſanguinemque adeo plurimum corrumpere.

Præterea, ais, quo diutius natura ſeparationem molitur, & perficit, eo certius & univerſalius eadem abſolvitur. Ita ex tarda ebullitione, variolæ di-

ſtr.

ſtinctæ; ex feſtinata verò ac vehementi, confluentes. De tempore autem eruptionis aliter ſenſerunt primi * authores, nempe ſi apparent in die tertia eſt materia *mediocris*, & ſi tardant uſque ad quartam diem eſt tardæ digeſtionis, *i. e.* difficilis: niſi allevietur æger, & è contra. In eo verò falleris; nempe dum ſeparationem neſcio quam deſpumationem, particularum morboſarum congregationem, earumque concoctionem, ſecretionemque (nam his aliiſque multis id genus vocabulis tuis lactamur) in ipſo ſanguine fieri vis; puſque eſſe genuinam Prolem hujuſce materiæ ſecretæ: puri itaque debent reſpondere particulæ à ſanguine ſecretæ. Sed & res & ratio falſa eſt. Quippe nihil à ſanguine ſecernitur, niſi ejus ſuperfluitates tanquam in ſanis. Hæc autem veneno infectæ, erumpenteſque atque in oſculis ductuum cutaneorum pauliſper detentæ, ob naturalem partium illarum conſtrictionem, configurationemque exiguas veſiculas excitant, eædemque in majores indies eminens, ex appulſu novi ſeri evaporandi. At iſte humor, qui primum partim tantum lentus fuit, excretoriis, maximè ex mora & calore partis jam venenatæ, in pus convertitur. Id quod abundè teſtatur, ad *flatum* uſque, *ruborem*, inflammationem ac tumorem (etiam quando ad perfectam maturationem variolæ attigerint) perſeverare, & *ſpectabilem* eſſe.

Cur autem fere ante quarti initium non appareant, ratio eſſe poteſt; quod ubi ſerum ex veneno paululum lenteſcat multo difficilius cutaneos, at cum liquidius fuit, trasferatur. Item cum variolarum apparitio ex oſculorum ductuum inflammatione & in veſiculas tumefactione conſiſtat, id non ſubito, & ex primo vaporis venenati exitu, ſed pro natura mitioris & minus acris veneni, plurimoque ſanguine ſano diluti, alterum & tertium diem requirere ad partem ſolidam & nodoſam [quales ſphincteres ſunt] elevandam in tumorem inflammatum.

Sed interturbo te, dic reliqua. Nemo, ais, perit ex Variolis, quod non eruperint; ſed multi, quod cum eruperint bona ſpe, præmature detumuere puſtulæ. Imo aliqui, (quod ipſe teſtor, ac alij mecum medici) periere ex ſyncope, & convulſi plurimi mortui ſunt in primo variolarum tempore, ante eruptionem, ut ubi leviſſima tantum earum apparitio fuit. Et quid in primis inſultibus, ubi omnium graviſſima ſimptomata eſſe conſueverunt?

At, inquis in deſpumatione prohibita & nimium imminuta ebullitione pabulum & materia deeſt Variolis conficiendis Ita ne credij multos ex materiæ morboſæ defectu enecari? nempè deſignavit natura tot puſtulis tantam materiam morboſam: igitur cave ſubtrahas tantę feturæ optimæ ſpei ſanguinis renovandi fæculentias; ſed tanquam bonus Oeconomus diſtribue annonam pro inſtituto tempore, nè ex inedia pereant, antequam adoleverint.

At Fabula nondum finitur. Si ſecreta materia ex quavis cauſa intro revocetur, *eandem* ægro certam necem inferre; illam vero corruptelam, ex ſecretione male peracta, ſibi acquiſivit, non ex aliqua malignitate. Periere quidem ſuperiores tuæ variolæ ex inopia materiæ ſecretæ; hæ vero ex reaſſumptione materiæ ſuppuratæ. At malè meminiſti te, velut fundamentum poſuiſſe ſuppurationem omnem in ſanguine factam fuiſſe; innocuum vero pus è ſanguine exiiſſe; quare itaque ſi idem denuo ſanguini commiſceri contigerit, mortem tam citam inferat hic ſiles: tantum innuis aliquid in ſecretione male peractum fuiſſe. Ego vero nihil omnino, cum nihil uſpiam e corpore in hoc morbo ſecerni audacter affirmaverim præter ſuperfluum vaporem veneno infectum, agnoſcis tu hominem occidi ob neſcio quam corruptelam quam tamen malignam eſſe noluiſti. At certiſſimos nos facit Hiſtoria media aliorum abſceſſuum pus, per ipſum cor poſſe traduci, & multo tempore cum ſanguine circulari impune

* *Alſaharavi.*

nè, & citra corporis noxam, nedum mortem. Claro documento, ineſſe puri variolarum retrogrado venenatam & exitialem.

Inſuper urges ex leni ebullitione & refrigerantibus egreſſionem puſtularum fieri & faciliorem, & promptiorem: quaſi dicas, à leni pulſu facilior ac promptior circulatio. Hæccine eſt tua œconomia?

Ad alexipharmaca quod attinet, inquis, iis non opus eſſe in confluentibus, quia major inflammatio eſt. Malè rem intelligis; ſiquidem illa dantur propriè & privatim adverſus venenum, non expulſionis ſolius cauſa, ubi autem major inflammatio, ibi majorem malignitatem ſubeſſe, credibile eſt.

Ejuſdem quoque commatis eſt, quod ſequitur: nempè in declinatione, ubi ſecunda febris, ſedulo refrigerandus eſt æger, ne ſudet.

——————— *nudus*
In Tyberi ſtabit, caſus medicuſve levarit
Ægrum ex præcipiti: ———

ubi ſcilicet, Cardiacis maxime opus fuerit; nimirum ab inanitione tot tantarumq. puſtularum & à tenui victu plurium dierum fere proſtratis? temeraria ſane cautio, cum ipſa ſecunda febricula, ſi quando acciderit, à nimia inanitione ori poſſit; ut in Hectica & Phthiſi.

In adultis *Ptyaliſmus* ſæpe ſupervenire ſolet; atq; hic Epilogus eſt. Morbus, inquit ille, ſe expurgat novo hoc per ſalivationem modo, ideo minus de puſtulis curandum eſt. Salivatio puſtularum loco eſt. Minime quidem; quippe nulla evacuatione Variolas formatas tolli, aut minui poſſe, ſed per ſolas puſtulas venenum ejiciendum eſt, id quod omnis omnium ſeculorum à Variolis ortis communis experientia teſtatur. Diende, in confluentibus ſecundum te id præcipuè accidit, ubi ſcilicet puſtularum maxima copia eſt. At puſtulæ, ais, in confluentibus depreſſæ ſunt, itaq; ſalivatio earum anguſtias penſat. Imò alia depreſſionis ratio eſt, nempè oſcilla ductuum excretoriorum, & ipſa ſpatia cutis intermedia, in unam veſiculam communem, more Cantharidum cutis admotarum inflammantur, ac exeſa ſunt. Erga late diffunditur materia contagioſa; non autem, ut in diſtinctis, certis limitibus comprehenſa, undiq; comprimitur, ac acuminatur. Salivatio itaq; non venenoſam materiam expellit, ſed, illa prius expulſa, certè ex maxima parte occluſis jam cutis foraminulis, ſuperflui vaporis à ſanguine perſpiratio, per fauces & pulmones fiat, neceſſe eſſe eſt. Imo eadem ſalivatio naſceretur, nullus dubito, ſi pori cutanei, vel artificiali ulla alia de cauſa occluderêtur; ut ex frigore, & Mercurij inunctione expetimur: nempè ab eo ſtatim catarrhus, defluxio ingens, & ſpumoſa ſaliva excreari ſolet, *Denique*, quod ſalivatio non ſit de morboſa materia, illud argumentum eſt, fauces ab ea, utut vehementi, minime exulcerari, prout in eruptione cutanea fit.

Salivatio addis promovetur multa & tenui potione: ita quidem, & interdum diarrhœa funeſta, & micturitio tua mortifera: hæc tibi in medicina facienda, ſcio ſæpius accidiſſe: at cauſam non vidiſti; tantus tuarum hypotheſium amor eſt.
Sic Tragica deſævit, & ampullatur in arte.
an non vere hoc eſt, laudem, an lucrum dicas, quæſitum ire in vita hominum?

Narcotica (pergis) in adultis movent ſalivam: ſic medicamenta vehementer adſtringentia citam alvum faciunt, & cathartica in diarrhœa fiunt, ex tua doctrina. Nam utriuſque par ratio eſt. Quod autem non multum & diu ſalivæ eruptionem impediant, facile credo; Quemadmodum vero in dyſenteria nec opium comprimit ventrem, quin paucis momentis denuo citetur, victa ejus virtute à morbi malitia. Sic ab opio exhibito in variolis, ob neceſſitatem perſpirationis, in aliqua ſaltem corporis parte, cito redit ſalivatio. At aliæ, eædemque longè potiores rationes ſunt, propter quas narcotica dare in hoc morbo conſueverunt medici; quod ab eruptione, exigua tantum febricula ſit, unde medicamentum æque tutum, ac vinum in ſanis; quod in adultis metum, & ni pueris clamores & quærimonia tollit; quod utroſque ab irrequieta jactitatione prohibet, unde ulcuſcula ſorta tecta conſervantur, ne in mortificationes laceſſantur; quod corpus in æquabili perſpi-

rationis ſtatu vindicat. Sed de his infra plura ubi medicamentorum rationes exhibemus.

Hactenus cum iis rem habuimus, qui variolarum quandam innocentiam ac neceſſitatem ad *perficiendam humanam naturam* vindicant. *Alii* vero ſunt, iiq; novi quoq; ſcriptores, qui nihil niſi venenum exclamant; alterumq; *primarium Athletam novum*, & veteribus plane incognitum, præter ſanguinem, humorumque maſſam; nempe *ſpiritum animalem* in medium proferunt. Hunc autem diro conflictu cum veneno certantem exhibent; ex hoc, prælio ſi que lethalia ſymptomata & ſtrages ſint, illa omnia oriantur, neceſſe eſt. Itaq; in variolis nihil niſi dimicationes & tragœdiæ in nervoſo genere audiuntur: horrenda Toxica, ipſa peſte interdum pejora; ubiq; militaris apparatus, innumera ſtadia & caſtrametationes, vehementiſſima alexiphatmaca utramque paginam implent. Atque hæc omnia nobis ex mero poſtulato pro ſumma ejus viri modeſtia credere fas eſt.

——— *vidi ipſe furentem.*]

Cædæ Neoptolemeum, geminoſque in limine Atridas.
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fædantem, quos ipſe ſacraverat *ignes*

Profectò in hanc arenam invitè deſcendo; tantus veneni timor eſt, ut quo me vertam, neſcio; & niſi *paupertimorum ſpirituum* miſericordia me moveret, hęc omnia ſilentio præterirem eodem jure, quo ipſe author omnes ante me de hoc morbo ſcriptores medico neglexit; præter unum merito ejus *aut agoniſtam*. Nam ille in hoc morbo nihil omnino moliri valuit, & infrigidationes ſupra omnia axilia (*a*) animosè & ex ſumma miſericordia in humanum genus extulit; & ſi quod morbo venenum ineſſet, in omne deberi malo regimini, & medicamentis perperam exhibitis, Contra hic omnia bona de calore, ut ita loquar, ſpiritigeno, valentiſſimis Antidotis prędicat; nempe tanto veneno domando & ſpiritibus ſuſtentandis apprimè neceſſariis.

Diſcernite, quæſo, ò boni judices, quis ſanior ſit ex iſto Gladiatorum pari, ſanè oppoſitiſſimo. Nam variolarum multum intereſt, ſcire, an hac vel illa parte ſteterit victoria.

——— *inter.*
Hectora Priamidem, animoſum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors
Non aliam ob cauſam, niſi quod virtus in utroque
Summa fuit.

Profecto ego nihil determinare auſus ſum. Tantum difficultates quaſdam paucis proponam: iſti autem, eorumve ſectatores expediant ex otio, & quando commodum videbitur. De priore vero jam ſatis dictum eſt; de hac poſteriore, opinione, quę ſentio, breviter exponam. Igitur ita ſe res habet, ſi rectè capio.

Venenum, unde unde ortum, ſpiritibus implicatur; prælium committitur; victo tandem veneno, à ſpiritibus fugatur hoſtis criticè, humores autem in conflictu à veneno inficiuntur, quæ neceſſario quædam eorum prædiſpoſitio eſt, ad expulſionem veneni expediendam. Nam venenum naturaliter maſſam ſanguinis humorumque colliquat, funditque; item Fermenta quælibet alterat, vita autem ægrotantis non tam à febre, quam à veneno ipſo ſpiritus delente, in diſcrimen ducitur, ita à vehementiore quovis ſymptomate in variolis, ſpiritus magis deleti, quam à primario veneno.

Atque hoc quidem omnibus, inquit ille, notum eſt. Cùm verò fermentum varioloſum præ omnibus fermentis ſpiritus irritet, *opio & alexipharmacis* frequentiſſime exhibitis compeſcendum, itaque *Ladani* uſus adeo neceſſarius eſt in variolis, ut ſine eo nihil ferè in curatione variolarum perfici poſſit: at ſalvo jure *ſp. vitrioli* aquæve, neſcio cujus,

Sti-

[a] *Haud parvò nihil labore, cura, & induſtria per multos annos continuos ea ſtetiſſe neque jam à me fuiſſe evulganda niſi viciſſet charitas in proximum, & ſtudium aliis benefaciendi &c.*

Stipticæ Regiæ. Atq; hæc ſumma eſt hujus noviſſimæ doctrinæ de variolis: ſi quid omiſerim, libenter aliquis, data occaſione, mihi indicaret velim; nam reliqua omnia, quantum video, apud veteres uberius legere eſt: de quibus ſupra ſententiam meam ſatis expoſui.

Quid autem ego de ſpiritibus ſentiam, non opus eſt, arbitror, ut hic repetam, at poſitis, non datis ſpiritibus tui cauſa, quomodo conſtat, venenum illos, primùm adortum eſſe; ſpiritibus dicuntur ex ſanguine putiſſimo fieri, & in cerebro nervoſoque genere hoſpitari; cur itaque per ejus flumen venenum tranſiens, non ipſum ſanguinem maſſamque humorum primo inficiat, aut eo certe diluatur, & de ferocia ſua aliquantulùm remittat, ante quam in caput aſcendat, & per cerebrum nervoſumque genus ſimul cum ſpiritibus in omnes corporis partes transfretetur *VVillis*, qui primus, quantum ſcio, eandem opinionem protulit, non ſine aliqua veriſimilitudine, venenum *menſtruum* fermentum facit, & homini connatum fuiſſe arguit; & eum cerebrum, ſpinaliſque medulla, præcipuæ ex ſpermaticis partes ſint, ibi naturaliter, quod commodiùs, ab ipſo fœtu formato dilituiſſe. At vana eſt hæc opinio, vide quæ ſupra expoſita ſunt.

Porrò, ais, humores in conflictu inſici, pugna autem in dominio ſpirituum privatim celebratur, victoque veneno & ex gremio & amplexibus ſpirituum excuſſo, in ſanguinem migrat; adhùc tamen omnis ejus malitia deleri non videtur; ſed exit venenum ex nervoſo genere novaſque turbas & febrem accendit in ſanguine, ita facile per te ipſum redis ad Arabum doctrinam; nempe ad fermentum quoddam varioloſum, ſanguinem vehementer exagitans: Atque hæc eſt illa neceſſaria humorum prædiſpoſitio, quam illi ebullitionem vocarunt, à veneno autem poſt conflictum cum ſpititibus recedente, ſanguini inducta.

Rurſus, ais, ſpiritibus à veneno implicari irretiri, comprimi, ſopiri, penitus extingui, ut non amplius ſe, pro ſua natura elaſtica, expandi poſſint, venenum autem procax, & acerrimum toxici genus eſt, præ omnibus fermentis exagitans atque irritans, cutem inflammat humorùmque maſſam fundit, itane? hæccine adeo incompatibilia ſint, ut implicentur? an ab igne igni adjecto aliquis extinctionis mecus eſt? ita eſt, fraturm concordia *rara eſt*.

Ita profectò ſentis, nam ais vitam ægrotantis non tam à febre, quam à veneno ipſo; cum ſpiritibus præliante extra flumen ſanguinis. Hinc uſus Laudani tam neceſſarius eſt maximè ſit alexipharmaca mitridaticum, theriaca, diaſcordium adjecta ſint; nempe *duplici* doſi, una pro ſpiritibus, altera pro veneno, ſcilicet ex hac mixtura optima ſpes eſt criſeos perfectiſſimæ. Si autem ſanguinis erumpat alicubi corpori cum veneno, actum eſt, niſi *ſpiritus vitrioli*, aut aliqua Regia exhibita ſint, ſic duplici invento, uno tui antagoniſtæ, altero tui ipſius beamur, euge! optime novitium inventum! nam veteres ſcilicet.

Hęc facetia eſt, anare inter ſe rivales duos;
Uno cantharo acidulo potare-

ſtupidi illi homunciones, ne ſomniarunt quidem de acidis in hoc morbo dandis.

Taceo uſum Corticis Peruviani; à quo propinato, ais, diſtinctas ſemper variolas ſequutas fuiſſe. Perinde ut ab ſyrupo *Alyandaci* Alſaharavij, qui exhibitus ante eruptionem variolarum, ſi exierunt novem variolæ, non tamen pervenient ad decem. Ita interdum forte fortuna & antiqua & nova inter ſe mirifice concordant, in maximum mortalium bonum. Sed proh dolor! corticem habemus; ſyrupus vero iſte mirabilis, quantum ſcio, cum authore periit. Sed tantorum inanium rixarum tædet; *ubi parum* aut nihil, præter abſurda quædam figmenta, occurrit.

Ad propriam praxin tandem pervenio. Nolo autem, ô bone lector, te exanimare multitudine ægrotorum: paucas tantum & ſelectiores quaſdam Hiſtoriolas, *remediorumque gratia* potiſſimum recitatas, exhibere in animo eſt ut ut ſcias, quid ipſe in hoc morbo curando facere conſueverim; & ut medicamentorum maxime appropriatorum uſus

ac rationes paucis expediam. Profecto malum in hac urbe adeo quotidianum eſt; ut nemo noſtrum eſt, quin ei à mediocri praxi facile foret vel ſuos centenos ægrotos exponere. Noli tamen timere: *adverſaria* non exhauriam.

1. Miles quidam Gregarius forte *Eboracum*, exeunte Januario ante annos viginti adveniens, ubi nemo, quod ſcio, à pluribus annis variolis decubuerat, ex eo morbo mortuus eſt, primum vicinia ægrotavit ex infectione; tandem in totam urbem ſeviit.

D. Harriſon formoſa puella, octoginta annos data in proximis ædibus militi mortuo habitans, ex rumore vehementer territa eſt; mox ſe male habere cœpit; & capitis lumborumque dolore multum queſta eſt: dein vomuit, & febricitavit.

Ei tum urina fœculenta, ex fæcibus albidis & furfuraceis.

Ipſe vocatus leviter purgantem potionem dedi: à qua per biduum ſeſe multo melius habuit, eadem vero mala denuo reverſa ſunt: atque iterum purgata eſt paulo validiore medicamento, à quo pejus ſe habuit & pulſus vehementer concitatus eſt, inde ad ſeptimum diem prima ægritudine medicamenta alexipharmaca (ex bezoar Oriental. pulv. è del croci, cochenel. &c.) data ſunt; at citra puſtularum eruptionem, quam fruſtra per integrum quatriduum (aliis infantibus iam tum in eadem domo cum variolis decumbentibus) expectavimus. Octavo ſanguis è brachio miſſus eſt, ob difficilem ſpirituum, tuſſim ſiccam, & levem veluti raucedinem; is refrigeratus, albida pellicula variegata contectus eſt. Ea vero nocte bene dormivit; & poſtridiè per paucas & exiguas puſtulas in facie videre licuit: nunc autem, omnibus malis tantum non finitis bene ſe habuit, ipſa facies paululum intumuit, variolæ diſcretæ & acuminatæ fuerunt.

Triduo vero ad eruptione admodum frequentia ſternutamenta, & multa pituita & per os & per nares mota eſt.

Hodie quoque menſtrua ex ſtato & debito tempore ei reſponderunt.

Quarto ſimiliter manarunt menſtrua, & alvus iterum reſpondit, eadem de gutture querimonia & inſignis raucedo, & ſaliva copioſe mota, & ſternutamenta, ipſæ autem puſtulæ jam & numero & magnitudine multum auctæ; & earum pars media ſive eminens ichore quodam limpido plena. Manus & brachia & facies iis replentur, at in reliquo corpore ratiores.

5. 6 Omnia fauſta: lachrimæ involuntariæ & apertis adhuc oculis, puſtulæ jam albidæ, atque admodum intumeſcentes.

7 Facies valde tumefacta: puſtulæ pregrandes; iis color ex albido flaveſcens, cum pellucidæ ante fuerant; ſicut etiamnum ſunt in brachiis. Oculi fere occluſi; & qui humor pridie in iis liquidus, jam craſſus & veluti purulentus, eſt eadem turbulenta urina.

8. Puſtulæ jam cruſtis areſcere cœperunt. 9. Eadem ſubaridæ, & biduo poſt dedicere cæperunt; & ſui veſtigia vel leviſſime impreſſa reliquerunt, an quod corpus bene purgatum, quod ſanguis miſſus ſit; quod menſtrua ſuo tempore reſponderint?

2. D. *Norton* puella 18. annos nata, exeunte Auguſto variolis affecta eſt. Primo autem ægritudinis die menſtrua leviter reſponderunt: vehementer febriit; deque capitis & lumborum dolore immani querebatur, ea nocte deliravit. 2. Vehementi febre arſit, & non ad intelligentiam rediit, 3. Similiter ſe habuit: at jam exiguæ puſtulæ rubræ in facie brachiiſq; apparuerunt: ad mentem rediit. Illa autem nocte ſumpſerat hujuſmodi medicamentum (℞. Trochiſc. Viperini ʒi. bezoar. oriental. ℈ß. aq. Theriacal. ʒi.) 4. Puſtulæ jam eminentiores, at diſtinctæ & velut veſiculæ aqua plenæ, ad earum vero radices cutis rubicunda, hac nocte ſatis commode dormivit, febris ex magna parte deſiit. 5. Ipſa facies paululum tumidior, & anguſtiores puſtulæ adhuc tamen aqueæ, veſperi alvus primo reſpondit. 6. 7. Ex albido flaveſcebant puſtulæ: oculi clauſi, & lachrymis involuntarie ſtillantes. 8. 9. *Summæ* puſtulæ ſicceſcere incipiunt, ipſaque facies paululum detumuit. 10. 11. Oculi aperti: puſtulæ in cruſtas indurantur.

N. B. Ipſis cruſtis deciduis, tamen maculæ quaſi *nodi* quidam in cute, diu tumidæ permanſerunt.

3. Filius natu major 11. annos natus, D. G: *Franklaud* de *Thurtleby* Militis, ex variolis diſtinctis decubuit: cibum autem etiamſi è media materia, tamen bis quotidie minimum, quod minimè ægrotavit, ſumpſit; medicamenta taceo, quod nulla memini illi data fuiſſe, ad 16. diem è lecto ſurrexit; ſubitoque ejus artus omnes conciderunt, velut in apoplexia, & alto ſopore correptus eſt; neminem cognovit, aut clamanti ad aures reſpondit.

Ipſe nunc primum vocatus, puerum nè ſemel quidem in toto morbo dejeciſſe intelligo.

Fruſtra enemata acerrima etiam ſcybalis aliquod duriſſimi digito prius extractis ex ano, injecta ſunt, eaque ſæpè repetita, ſemper tamen irrita fuere.

Ita ſe habuit, ad viginti quatuor horas, adeo ut, quod ejus ori inditum eſt, niſi etiam gutturi penitus intruderetur, non deglutivit. Poſtridie autem manè *Extract. Rudii* ℈ſ. in 4. pilulis gulæ interiori intruſimus, earumque operationem totas octo horas expectavimus. Mirum! quantum excrementorum, magnam partem liquidi uſculorum, una vice involuntarie dejecit. Dictum factum! ad intelligentiam rediit, at ex altero femore reſolutus eſt, & ad annum claudicabat.

In hoc caſu noto vim liquefactam pharmacorum purgantium, etiam duriſſimorum ſcybalorum, nempè ex mota pituita è ductibus excretoriis.

3. Cauſam ſi quæras, cur alvus in variolis fere ad multos dies ſupprimatur? Reſpondeo, veriſſimile eſt, etiam ipſa inteſtina variolis affici; itaque eadem rigida fieri ob frequentes puſtulas inflammatas; eorumque adeo motum compreſſivum, pro eo certe tempore, neceſſario, ſuſpendis, facultatemque excretricem feriati.

4. D. *Harriſon* mulier 20. annos nata, variolis confluentibus *Eboraci* decubuit; ægrè convaluit: longum eſſet omnia ex adverſariis meis de illa ſcripta recitare; illud notabo, nempe ejus oculi diu à convaleſcentia ſanis madebant, & inflammati ſunt, huic & ſanguis miſſus eſt; & medicamenta purgantia ſæpius exhibita; atque alia multa *Tropicæ* admota: nihilominus oculi peſſimè ſe habuerunt, tandem ſic admirando effectu præſcripſi [R. Ung. Tutiæ ℥ij. aloes roſacei torrefacti ℥j. bene lævigentur m. f. Lenimentum] altera quaque hora illiti ſunt eo medicamento oculi: paucis horis dolor levatus eſt, & ſanies brevi ex toto ſublata eſt, & inflammatio deſiit & oculi ſiccabantur: ut luce libere & cum voluptate frueretur.

5. D. *Barkham* valde obeſa mulier, plurium infantum mater 1683. variolis exeunte Januario decubuit, huic in prima correptione ingens capitis & dorſi dolor, vertigo, nauſeabunda, Febris. 2. Omnia pejora. 3. Omnia vehementiora, & variolæ hic & illic planè apparuerunt, menſtrua ante tempus jam profluebant. 4. Plures variolæ: at præter expectationem & pro vehementia ſymptomatum admodum paucæ & diſtinctæ. Febricitate deſiit, ingens eo die ptyaliſmus ortus eſt. 4. Omnia bene ſe habuerunt, reliquam diariam non tranſcribam. 7. Jam (quod præcipuum & mihi tum valde novum videbatur) in univerſa cute innumeras exiguas maculas *rubras*, velut acu pictas; ac ſi nova Variolarum fetura inſtaret, Sic præſcripſi (R. balſ. Leucatelli ℥ij. Salis Martis ℈ſ. optime lævigentur ſuper marmor, hujus balſami Martis ℈ſ. ter quotidie dedi. Maculæ ad 9. prorſus evanuerunt. 13. Surrexit, è lecto, & tum primum ſine ullo incommodo dejecit. Convaluit.

9. Juvenis quidam ex frigore vehementer coryza laboravit; ſub eodem tempore variolis confluentibus graviter correptus eſt, toto decubitus tempore valde excreavit cum tuſſi 5. & vix deglutire potuit, ipſe ad 10. diem vocatus Balſ. Martis ℈i. do: idque quotidie repeto, die 14. multo melius ſe habuit, & bene & facile degutire potuit; huic tantum avenacea juſcula permiſi. 15. primum dejecit; & variolæ incruſtari videbantur; caput detumuit, at adhuc multum exe-

cravit. Convaluit. Quater ex balsamo Martis tantum sumpsit, at optimè tulit medicamentum & ei, ut opinor, magno antidoto fuit.

7. Famula D. *Chesney* 30. annos nata, variolis *confluentibus* decubuit, præter decoctum *Avicennæ* ex ficubus, Tragacanth. sem. fœniculi lacea, nihil præscripsi, item mucilag. sem. Cydonior. item admodum tenui victu nutrita est.

Variolæ depressæ & exiguæ fuerunt: huic sputum exiguum. Menstrua fere assiduè profluebant à primo correptionis die, item ex gutture ipso initio morbi valdè questa est, tanquam ex frigore aliquid mali accesserat.

12. Admodum ex gutture ægrotavit, ut penè anhelans suffocari videbatur; nec aliquid deglutire potuit. Jussi os elui melle violaceo, cui paululum omphacii ex pomis acerbis adjectum sit. Dein balsamum Martis ℈ß. dedi, quod tamen admodum difficulter devoravit. Item singulis binis horis ejus balsami Martis ℈ß. ex syrup. jujubin, dari jussi, ea nocte optimè domivit. 13. 14. B. M scrup. ß singulis noctibus sumpsit, gutture, ut antea Collyrio tepide injecto bis aut amplius in die diligenter curato, jam primum media nocte alvus mota est. 15. omnino detumuit facies, pustulæ ficcescebant; gargarisato ore hujusmodi medicamentum sumpsit. (℔ mellis cocti unc. ij. syrup. violar. ℥ß. mucilag. sem. cidonior. ℥jß. cochleatim detur) 16. 17. bals. martis ad ℈ß. nocte sumpsit. Convaluit.

8. D. *VValker* ex frigore & itineris plurium dierum fatigatione febricitavit cum gravi tussi, item à symptomatis variolas prædixi, à principio decubitus vomuit, & aliquoties dejecit; huic ex Mithridat. scrup. ß. cum agaric. & sal. Marris gr. 1. bolum dedi: item diacodij unc. ß. ex aq. hordei.

Huic tantum variolæ distinctæ, at propter tussim & sanguis missus est & diacodium in modica dosi singulis noctibus exhibitum est. 15. nihil id genus medicamenti datum est; ea vero nocte & pejus se habuit, tussi assidue vexata est; & semel liquida dejecit: inde 16. mane idem diacodium datum est; nimirum propter tussim conjunctã cum variolis. Convaluit.

N. B. Febris non ante 12. diem, id est, maturationis ultimum tempus, remisit.

9. D. *Tomlinson* juvenis robustus, ineunte Aprili variolis *confluentibus* affectus est. Ipsis pustulis erumpentibus sanguis è brachio ad unc. x. missus est, avenaceis tantum & sero lactis cibatus est. confect. alkermes & confect. de hyacintho primis diebus modicè sumpsit.

Decoct. pector. cum ciceribus & lacca assiduè potavit ad ipsum morbi statum, optimè se habuit; nec ei alvus mota est ante 13. diem, quo, die ab aliquo nescio quo caseo recenti clam comesto, inhorruit, & difficilimè respiravit & tantum non animo defecit. Diacodij unc. ß (nam ante ejus nihil sumpserat) & haustulo vini canarini ex sero lactis: hominem restitui. Convaluit.

10. Filius D. *Pricket* Quæstoris publici Eboracensis, 8. annos natus, variolis decubuit: distinctæ fuerunt, at insolitæ magnitudinis: nam inter eas fuerunt magnæ, instar vesicularum piscium totæ aqueæ at nigricantes: ad vigesimum diem aqueæ vesiculæ in pus non conversæ sunt, sed ex bis à me pertusis aqua nigricans, instar succi mororum, effusa est, ad 27. diem vixit nullo digestionis signo in maximis variolis; & minoris haud tum siccarentur.

11. Filia D. *Tolhurst* in vico D. Martini habitantis, circiter 7 annos agens variolis distinctis, iisdemque paucis & plenis decubuit. Ei exhibita sunt vulgaria bezoardica è pul. chel. comp. in principio. Parum ægrotavit nili primis diebus, nihil fere cibavit præter avenacea aut serum lactis ex cerevisia tenui aut tantillo vini Hispanici decoctum: 4. ab eruptione ad scapulas ingens *Bubo* tubito ortus est, cum vehementi inflammatione circumcirca, etiam dorsum & collum latè occupante. 6. bubonem aperiri jussi; è quo pus ad aliquot uncias effusum est: pustulæ tamen varioloſæ consueto tempore maturuerunt, vulnus diligentia & cura chirurgi *Jones* sanatum est. Convaluit.

12. Filius D. *Verney* Militis, juvenis ex immodico exercitio in sphæristerio variolis Londini decubuit: ei sanguis

ali-

aliquoties missus est. Aliis plurimis medicis adscitus purpureas maculas variolis interspersas vidi, & latas nonnullas plagas, veluti vibices in brachiis & collo purpureas; hæmorrhagia narium & mictu sanguineo à primis diebus affectus est, non bene memini quid ei ex communi consilio præscriptum fuit, illud tantùm curiosiùs animadverti, *sanguinem* refrigeratum *tenerrimum* fuisse, ut ejus crassamentum rubrum vel molliori pennæ pluma percussum facile dividi potuerit. Ad septimum obiit.

In aliis autem multis, quibus urina cruenta mota est, sanguinem è brachio missum adeo *æquatum putridumque* esse vidi, ut fluctuaret crassamentum in vase, non aliter quam ipsum serum.

Neque ullam servatum memini in tanta pestilentia, nisi alia micturitionis cruentatæ fuerit causa; nempe vel epispastica adhibita, vel menstrua, aut puerperii lochia, &c. quæ admodum cautè distinguenda sunt.

12. Filia cujusdam *VVood* variolis distinctis at multis decubuit: huic multæ purpureæ maculæ per totum corpus dispersæ, quarto ab eruptione vocatus, febricitantem & delirantem inveni. Decoctum pectorale, cum ciceribus ordinavi: item [℞. spiritus vitrioli ʒi. olei vitrioli ℈i diacodij unc. iij. misce] hujus cochleare tertiis quibusque horis exhibe, biduo maculæ purpureæ paulatim rubicundæ fiebant deinde sensim disparuerunt. Convaluit.

14. Quidam *Dale* juvenis robustus ac carnosus, 23. annos natus, ex hæreditaria & materna labe ante biennium mente captus est; quo spatio plurima ruri exhibita sunt ab aliis atque aliis medicis: tandem ineunte æstate Londinum venit, atque illum ad sex septimanas minimum tractavi ad hunc modum: nempe semel in qualibet septimana sanguinem ad libram è brachio misi: itemque alternis diebus helleborismum ad 40 aut 50. grana veretri albi propinavi; vel aliquid è cupreis cathartici vehementioribus & justa dosi præscripsi. His autem vehementer & supra & infra humores moti sunt, hac autem methodo perstitit ad sesquimensem quo tempore variolis correptus est.

N. B. Quamvis modice cibavit, & sanguis ad plures libras missus fuit, atq; insuper valentissimis medicamentis exomni; crederes, saburra & fæculentiis vitiosi sanguinis humorumve hominem assiduè & diu purgatum fuisse; tamen post tot & tantas evacuationes confluentibus variolis exitialiter decubuit, ad eum vero accersitus est collega meus dignissimus D. *Dames*, qui illum mecum sedulò curavit. Nihil autem peculiare in toto morbi decursu animadverti, nisi quod ad intelligentiam non rediit, quamvis minus ferox & paulo pacatior fuit, ad 13. diem ex sævitia morbi mortuus est.

15. D. L. puella ex tertiana duplici, cortice Peruviano jam recens profligata in variolas mediocris numeri incidit, morbi autem decursus sine ullo gravi symptomate præteriit, ad 17. vero diem à decubitu rediit febris: sanguis ei missus est, & cortex denuo pro more exhibitus, convaluit.

16. D. *Clayton* juvenis, optimi corporis habitus, ex sævissimo capitis & lumborum dolore variolis haud mediocribus correptus est, statim & in primis diebus Emeticum datum est; itemque eruptionem sanguis ad ℥viii. missus est. 4. Vero mane clara variolarum indicia visa sunt, quo tempore hæc medicamenta præscripsi ℞. croci ℈j. cochineil. ℈iij. sacch. candi albi ʒj. m. in X. doses dividatur sexta quaque hora dand. ex hausto infrascripto; nempe R. aq. fœniculi ℥vj. lactis alexiterij unc. vj. misce in 4. haustus, adde unicuique diacodij unc. ß,]

Item R. ficuum n. *vi.* cicer. rubror. contusor. unc. *i.* Glycyrrh. rasæ unc. ß. sem. fœnic. dulcis ʒii. G. Tragacanth. unc. *i.* aq. fontan. ℔. *iii.* coque ad ℔. i. f. Apozema colaturæ ℥ iiß. tepefactas ter quotidie capiat.

Ad diem verò sextam ad expulsionem; quod aiunt, fortius promovendam sic præscripsi.

R. bezoar. Oriental. croci an. ℈i. cochineil ℈i ß. sacch. cand. ʒi. m. f. pulvis in *iiii.* doses dividend. harum unam ad octavam nocturnam capiat, superbibendo haustum sequentem; aq. lact. alexiterii unc. *iiii.* aq. fœnicul. diacodij in unc. *i.* m. f. haustus.

Item alia fortiora alexipharmaca, siquidem opus fuerit, ad languores: nempe hujusmodi ℔. aq. lactis A. unc. iii. aq. mirab. unc. ii. aq. fœnicul. unc. ii. sacch. perlat. unc. i. m. coch. detur.

Ad octavum vero, quod jam ex sputatione irrequietior fuit, haustui hypnotico adjeci ladiliq. cydon. gutt. vi. item Apozemati addidi triplicem quantitatem cicerum rubror. eoque etiam usus est pro Gargarismate.

Ad decimum, diem ad maturationem, adjeci croci hypnotico ultimo præscripto.

Deinceps verò pulveres omisimus, tantum haustus hypnot. indulsimus, convaluit.

Sexto autem à casu Variolarum hoc medicamento dejecit. ℔. decoct. sennæ Gereon. ℥. iiiß. syrup. violar. ℥ß. syrup. e succo citri aq. mirab. an. ℥vi. syrup. e spin. cervin. ℈iß m. f. potio cum custodia sumend. ea alvus satis mota est, eandemq; identidem potionem ter amplius debitis intervallis cum euphoria cepit.

Quod ad victum vero attinet, hordeacea & e pane confecta jusculà & similia præscripsi; quibus tamen vinum semper adjectum est, itemq; vinum Canarinum merum, certe semel idque fere quotidie mane indulsi, item idem vinum ex lactis sero, pro more Anglorum coctum, quantum & quoties voluit.

N. B. Quamvis à sanguine misso fere riguit sudore frigido; tamen à Cardiacis exhibitis non amplius ægrotavit ut admodum febricitavit, certe non ultimis morbi diebus, cum altera febris accendi solet, prout fert quorumdam vana opinio.

17 Filia D. *Hamden*, 17. annos nata, non ita valida, sed macilentior, febre arsit, cum vomitu, & ingenti capitis dolore triduo toto a decubitu ad omnia, quæcunque oblata fuerint; vomuit, & victum & remedia: tandem cum frustra omnia tentassent; suasi, ut *vinum Hispanicum* minime assuetæ daretur: dictum factum, hujus unc. vi. protinus siccavit, nec amplius vomuit, postridie vero mane variolæ eruperunt cum bonis avibus. Pulverem deinceps *è chelis comp.* cum granis aliquot *bezoar. Orient.* bis quotidie sumpsit, item *diacodij* unc. ß. ex aquæ lactis alexiterii haustulo, bis similiter propinavit, mane, & vesperi. At *N. B.* vini præterea Hispanici ad lib. 1. spatio 24. horarum quotidie ebibit: idque merum, convaluit stato tempore sine ulla amplius ægritudine. Huic autem variolæ *confluentes* fuere, facie potissimùm atque artubus & veluti Pisculorum vesiculę inflatę sunt lateque cutim occuparunt, pulchra ante, nec multo minus pulchra a convalescentia; nempe variolarum vestigiis modice exsculptis.

18. D. *StricKland*, primaria fœmina triginta annos nata, sæpiùs fœliciter peperit; & aliquoties deinceps abortiri consuevit, ipsa autem abortione instante febre vehementi arsit cum profluvio menstruorum non modico, ipse vocatus Variolas prædixi: postridie autem eruperunt *confluentes*, toto vero morbi decursu sic ei medicatus sum (℔. cochineil. ℥i. croci scrup. ß. sacchar. candi albi ℥j. m. f. pulvis in vi. doses divend.) harum unam e cochleari aqua Theriacal. sexta quaque hora: post triduum vero semel tantum in 12. horis & sic ad finem morbi, item vinum. Hispanicum pro libitu potavit, item *Apozema pectorale* cum *ciceribus* rubris aliquoties in die, item diacodium mediocri quantitate mane & vesperi.

Sputum suo tempore valde motum est; oculi ad plures dies clausi, convaluit consueto tempore.

Menstrua per se compressa sunt: at medio morbi iterum leniter mota sunt; identidem ad initium tertiæ Hebdomadæ illa tamen omnia sine ullo gravi malo.

Huic autem sub altera aure parva *Parotis*, morbo declinato, exorta est, at non periculosa, sorte ex *cretata* facie, mulierculæ nescio cuius suasu.

19. D. *Ellis*, Equitis filia, carnosa, & sanguinei (ut propulariter loquar) temperamenti, 16. annos nata, capitis & dorsi dolore vehementer affecta est cum intensa febre synocha, triduo a decubitu vocatus, in puellæ facie & hic & illic minutas quasdam pustulas curiosius animadverti: adeoque sanguinem non misi.

Huic

Huic *cochineil.* ℥ii. *croci* ℈ß. *bezoar. orient.* ℈i. in vj. doles dividend. præ scripsi, superbibendo *decoct. Pectoral.* (cum *ciceribus* ℥iii. ad libram) ℥j. vel alteram, tepefactam sexta quaque hora, item vesperi & mane lene hypnoticum ex diacodij ℥ß. *&c.*

4. Eruperunt innumeræ pustulæ & in manibus, & ubique corporis, & symptomata plurimum remissa sunt; nempe dolores utrique & faucium angustia; & sitis & febris diminuta est.

5. Multo plures pustulæ visibiles fiunt; & vesperi menstrua profluebant, biduo ante statum tempus: ea nocte alvus per se mota est, *crocus* è pulveribus jam *dempta* est; cætera ut ante exhibita.

6. Omnia fausta; pustulæ elevatę sunt & auctæ, & jam quasi crassiusculo pure repletæ albescunt, menstrua adhuc mediocè fluebant.

7. Se habuit ut pridie.

8. Menstruis nondum siccatis, & spiritus angustia levi horrore subitò correpta est, *crocum* pulveribus rursus adjeci, etiam duplicata ejus quantitate, mirabile quidem quam citò ex eo medicamento cum levi diaphoresi refecta est.

Deinceps verò optimè se habuit sine ulla amplius ægritudine, tempore convaluit.

19. D. *Colthorpe* mediæ ætatis mulier, ante annum diu & vehementer vexata est menstruis & uterinis profluviis albidioribus ad summam imbecillitatem: à quibus à me ad integram sanitatem restituta est. Autumno insequente Tertiana duplici laboravit; ex hac verò valde debilitata est Iter tamen in Hiberniam meditata est: at subitò ineunte Novembri arsit; ipsa recidivam febris intermittentis esse credidit, die vero à decubitu quarto vocatus, Variolas tantùm non erumpentes animadverti, ipse protinùs vinũ Hispanicũ cũ pane amygdalato propinavi, idque semel atq; iterum quotidie sumpsit: item jusculà è pullo gallinaceo & avenacea, & cerevisiam ex usu bibendũ indulsi.

Hęc autem medicamenta pręscripsi. ℞. Decoct. Pectoral. ℔ii *cicerum* rubr. cont. ℥iii. coq; leni igne ad medias cola f. *Apozemhujus* ℥iii. tepefactas ter quotidie sumat.

Item, ℞. croci ℈j. cochineil. ℥ß. sacch. Tantillum, misce f. pulvis in viii. partes dividend. harum unam quarta quaque hora è Cochleari aquæ Theriacalis da.

Item ℞. aq. lactis alexiterii, ℥iiß. diacodii ℥i. misce f. Haustus, nocte ad horam octavam dand. idẽ iteretur quotidie manè.

Per triduum vero ab egressis variolis hac methodo usa est, mox per duos alios dies eundem pulverem non nisi sexta quaque hora propinandum iussi, post tres vero reliquos dies eundem pulverem tantum mane & vesperi sumpsit.

At ad triduum amplius eundem hypnoticum haustulum, cui Laud. liquidi guttas viii. adieceram, ebibit, convaluit.

Hæ autem variolæ ex *confluentium genere* fuere, totumque corpus occuparunt; ne semel tamen aut doluit capite, aut ulla parte corporis, aut deliquit spiritus liber fauces admodum apertæ, & tanquam in optima valetudine & panem tostum cum butyro interdũ comedit sine ulla querela.

Omnino *nullus Ptyalismus* ortus est: saliva, nec defecit, nec abundavit, quantum ego & necessarii ejus, aut ipsa sæpius à me interrogata de ea re, advertere potuerimus: ad plures tamen dies oculos clausos habuit, præ mali vehementia.

Porro alvus ne semel quidem in spatio 16 dierum mota est: quamvis post 12: diem comedit pruna & poma cocta dejectionis causa.

Illud denique notandum est, illam intra se simul habuisse duas tresve uncias *Cochineil*: neque tamen etiam ipso pustularum maturationis tempore, nisi admodum leniter, certe citra febriculam incaluit.

21. Filia D. *Chetwind*, admodum valetudinaria, pallida, anhelans, macilenta, variolis correpta est. Triduo autem ab eruptione me vocavit: omnia pessima inveni; nempe pustulas exiguas confluentes, compressas, febrem acrem, vigilias, nauseam, spirandi difficultatem, &c.

Tenui victu ex avenaceis, item cerevisia tenui, si quam postulet, utatur. At vinum Hispanicum aliquoties in die pro medicamento dari iussi.

Hæc remedia præscripsi, videlicet, ℞ croci ℈i. ß. cochineil. ℥ß. Sacchar.

Can-

Candi ℥j. m. f. Pulvis in vi. partes dividend. quarum unam tertia quaque hora capiat ex aquæ Theriacal. cochleari. item Apozema pectorale cum *ciceribus rubris* pro potu quotidiano, liberaliter exhibendum, item nocte & mane lene & mediocre hypnoticum ex diacodii ℥ß.

Mirabile; intra biduum pustulæ ingenti intumescentia per totum corpus elevatæ sunt, item totum caput intumuit: oculi ex toto clauduntur, stato tamen tempore optimè convaluit.

N. B. Pustulæ, maximè in manibus & carpis, velut totidem piscículorum vesiculæ paulo diutius permanserunt tumefactæ, quam alibi corporis.

22. D. *Eliz. Finch*, illustrissimi Comitis de *VVinchelsey* filia, 17. annos nata, ex vehementi dorsi dolore & febre decubuit, ad multam noctem vocatus variolas prædixi, sanguis ad ℥viii. missus est, item Apozematis pectoral. cum ciceribus haustulum sumpsit, vinum Hispanicum & unam vel alteram dosim *Cocheneil* cum croco ea nocte, postridie vero mane variolæ egredi incœperunt, quibus visis, necessariis alterum Medicum magni nominis accersi placuit, nostra vero methodus ei minimè arrisit: atque adeo, humanitatis causa, illi præscribendi vices cedere volui, igitur ex hodierno more & virium & calefacientia omnia, vel a culina vel ab officina omnino prohibita sunt. At lac, aut avenacea, aut poma cocta, aut cerevisiam tenuem ei assumere pro arbitrio indultum est: per triduum, vero ab eruptione hæc medicamenta præscripta sunt [℞. aq. lact. alexiteri ℥iii. sp. vitrioli gut. vi. diacodii ℥i. m. f haustus. ter quaterve quotidie iterandus, item *decoctum album* dictum, & aq. lactis alexiterii cum saccharo perlato. & præterea nihil eventum scire desideras: omnino nulla pustularum confluentium intumescentia secuta est: pustulæ sublividæ & sine pure. Quarto ab egressu, cum omnino conclamata Medico socio visa fuerint, methodum mutare mihi copiam fecit, & valedixit. Quinto mortua est, universis pustulis nigricantibus.

N. B. Non audiendi sunt, qui ut symptomati alicui, ut ut vehementi & maligno, occurrant, morbum ipsum ex toto negligunt, cujus summa accuratio est, pustularum intumescentia, at certè *acida* & frigefacientia omnino illas impediant, quo minus intumescant. Proximo autem atque ultimo *medicamentorum*, a me certe exhibitorum *rationes ac usus* paucis expediam.

Quod vero ad venæ-sectionem, [a] vomitum, purgationem, enemata vesicatoria, frigidæ potionem & similia evacuantia atque infrigidantia in variolis attinet, nihil amplius habeo, quod dicam quam quod supra comprehensum est nempe illa omnia fieri solere ad caloris febris excessum temperandum; at citra spem diminutionis materiæ venenatæ aut morbi solutionem, cum is omnino consistat in expulsione papularum a venenato superfluo excitatarum; earumque debita maturatione, quæ suis temporibus privatim fieri consueverunt: quæ tamen tempora ullis remediis, aut aliquo artificio adhuc cognito, quicquid vani homines atq; audaces contra contendam, vel unum diem, non horusam forte, accelerari non posse etiam mulierculis notissimum est. Igitur infrigident, calefaciantve, quantum volunt, nihil tamen promovent; at immensum & funestum damnū inferre possunt.

Verum ipsa jam medicamenta interna privatim pensitemus; scilicet quæ peculiariter ad hunc morbum adhibita sint. Atq; hęc in duas pręcipue classes distribui commodè possunt: nimirum vel in ea quę influnt, & superfluitas expellunt, pustulasq; excitatas maturant: vel in ea, quę propriè veneno adversantur: etiamsi in his ultimi quoq; sint quæ & propellant & digerant.

Primi aut census, sunt ficus, crocus, sem. fœniculi, apii, cicera, lenticulæ, g. tragacanthi.

In altero vero censu sunt, lacca, cochineil, trochisci viperini, pulveres testacei.

[a] *Cognovi Medicos, qui ab Scorpione istis nihil aliud, quàm ex brachio sanguinem miserunt.* C. Cels. *idem alibi à rabiosi canis morsus sanguinem homini mitti non alienum est.*

cei. Acidi quilibet ſucci, agreſtæ, limonis, granati; vitriolum, vinum, opium, theriaca, de his autem ſingulis breviter dicturi ſumus.

1. *Ficus.*

Has verò ſupra omnia medicamenta ad variolas laudant Arabes: „ Ficus ſunt vehementi expulſionis ad exteriora, & illud eſt una de cauſis evaſionis à nocumento earum, at rurſus aqua ficuum eſt bona valde " hæc *Avicenna*, nec immeritò. Etenim, quamvis ad hunc morbum novum primò ab Arabibus adhibitæ ſint, tamen uſu à Græcis diu ante exploratæ, & à conſilio chirurgico, ſicut cætera ferè omnia medicamenta, inventæ ſint. „ Priſcis, inquit Plinius nihil intentatum; inexpertumque fuit; nihil occultatum ab illis, quodque non prodeſſe poſteris vellent; unde in admirationem curæ Priſcorum diligentiæq; animum egit.

Audiendus autem eſt Scribonius Largus, qui uſum & rationem utilium medicamentorum à chirurgia eſſe expreſſis verbis perhibet; „ implicitas medicinæ partes inter ſe, & ita connexas eſſe conſtat, ut nullo modo diduci ſine totius profeſſionis detrimento poſſint, ex eo intelligitur, quod neque chirurgia ſine diætetica, neque hæc ſine *chirurgia*, id eſt, ſine ea parte, quæ medicamentorum *utilium uſum habet*, perfici poſſunt. "

Idem ex communi uſu veterum Medicorum nos docet C. Celſus„ ſcorpio ſibi ipſe pulcherrimum medicamentum eſt, quidam contritum cum vino bibunt, quidam eodem modo contritum ſuper vulnus imponunt, ac ſi idem utrobique eſſet effectus, nec multum intereſſet, ita, eodem authore, certæ quædam herbæ bene faciunt & cum vino potui datæ, & ſuper vulnus impoſitæ. "

Igitur Dioſcoridem adeamus. Ficus deploratis & cacoethicis ulceribus medentur: duritias, parotidas & furunculos emolliunt, panos ad maturationem perducunt, evocant puſtulas, ſudoreſq; movent ſici ſuccus lacteus inſtillatus plagæ, percuſſis à ſcorpione, venenatorum ictibus, & rabioſi canis morſibus auxiliatur, hæc autem faciunt in chirurgico apparatu, intus verò ſumptæ eadem faciunt, & inſuper ſitim ſedant, calorem reſtringunt fervefactæ & pulmonibus, arteriæ & tonſillarum inflammationibus proſunt, ſi tot itaque & tanta de ficubus antiquis Medicis experta fuerint, at non medicamentum variolis maximè accommodatum optima cum ratione ab Arabibus creditum eſt? At, inquies, quomodo hæc tanta efficiant? idem author te docebit, nimirum ſerum concretum à veneno diſſolvendo, meatus glandularum aperiendo, atque partes inflammatas emolliendo, puſtulaſque ad maturitatem, perinde ut cæteros abſceſſulos, producendo.

At tu harum rerum cauſas in occulto poſitas & proprietates ſcire à *priore* deſideras, & ſcio quàm negotioſus es. Itaque & conſule operarios chymicos, qui ſalia plantarum extrahunt, olea exprimunt, & ſimilibus tortaris veritatem abditam exquirunt; tum rationem inſtitue de ſalis cujuslibet innati, oleique quantitate, natura, ſtatu, combinationibus, hic certè ſi recte computum facias, maximè ex aliqua neoterici hypotheſi, næ multo doctior eris, & intelligentior de herbarum virtutibus & uſu, profectò in his tantis minutiis non is ſum, qui plerimum ſatago.

2. *Crocus.*

Croci autem uſus & rationes, quatenus ad rem noſtram pertineant, ex Dioſcoride hæ ſunt. Crocus ex vino ad aliqua venena vergentes ad ignem ſacrum inflammationes mulcet, vim coquendi ac emolliendi habet urinam ciet, venerem ſtimulat, miſcetur utiliter potionibus, quæ ad internos parantur affectus, qui ex paſſo biberint, crapulam non ſentient, crocus optimus, qui ſubacris. Igitur neſcio an aliud medicamentum aptius, nam quod fortiter expellere & inflare potis ſit, conſtat, quatenùs urinam & ventrem moveat, & ſubacris guſtus ſit, itemq; quod inflammationes concoquit, emollit, mulcetque, potenter digerit, quod crapulam prohibet, & veneno privatim adverſatur. His addo, meatus ideo aperit, quod è ſubtiliſſimis herbis *infectoriis* eſt.

3. *Fe-*

3. *Fæniculum Aptum.*

Hæc peculiariter adversus venena *Serpentum* ex vino exhibita sunt, illud expellit, quod epotum mammas lacte replet: itemque quod urinam menseque movet, hoc easdem virtutes obtinet; atque tam hoc, quam illud æstuantem stomachum mulcent in febribus, ad inflammationes oculorum puta, privatim conferunt.

4. *Lentes, Cicera, G. Tragacanth.*

Lentes contra subversionem Stomachi, ad pustulas, herpetas, & erysipelata, inflammationibus medentur. Dioscor.

Cicera ad inflammationes; ad scabiem, ulcera capitis manantia, lichenas: ad cancrosa & maligna ulcera, authore Dioscoride, itemque Arabes ea exhibent inflantia ac *lenitiva*, conferunt *Apostematibus calidis*, & iis quæ sunt in *glandulis*, & privatim conferunt *dolori dorsi*, nutriunt ex his sorbitio pulmonem melius, quàm res aliqua, clarificant vocem, aperit oppilationes & *vehementer venerea* ex vino, i. e. quod *inflant*; unde magnopere distendunt ductus excretorios, expelluntque superfluum vaporem. Avicenna.

G. Tragacanthi. Quamvis peculiariter id medicamentum inflammationes sedet, authore Dioscoride; tamen quia ex papilionacea & siliquosa planta lachryma sit, ideo illud inter infantia, sive expellentia jure, ut arbitror, posui.

5. *Lacca, Kermes, Cochineil. Trochisci viperini, Pulver. Testacei.*

Hæc autem medicamenta, in aliam classem simul redegi; nempe propter affinitatem quandam, scilicet quod medicamenta sint ex insectis, aut animalibus sanguineis frigidis, de iis autem apud *Græcos* parum, quod scio, dictum est; nec multum apud *Arabes*, nisi sparsim, at quæ sint, & quas potissimum virtutes, variolis accommodatas habent, dicam; idque ex veterum placitis, quantum res ferat.

Igitur *Laccæ* mentio fit apud Galenum in Mithridatio, nequeo sanè *Fuchsio* assentire hanc *Cancanum* Dioscoridis fuisse: sed Arabum Laccam, esse ipsissimam hodiernam nostram constat, nam Lacca pura ab *Avicenna* in variolis; Lacca cùm fustibus à *Rhasi*, eadem Lacca à fustibus detrita ab *Alsabravio* præscribitur, hæc certe *coccos baphice* esse non potuit, quæ pura colligi solet, teste Dioscoride, ab Ilice pumila, ut hodie, apud Monspelienses.

Hæc autem Officinarum Lacca ab Indiis ad nos asportata, teste Amato Lusitano, omnibusq; seplasiariis, quorundam insectorum, Formicis alatis persimilium opificium est, ab iisque fustibus adglutinari: atque ita non rarò venit apud pharmacopolas.

Clarum est, inquit *Johannes Bauhinus veram esse laccam*, qua in officinis utimur, & adfertur ex *India Occidentali*, quæ fuerit forte nesciverunt *Arabes*, at ejus *usum in variolis nos primũ docuerunt*. Ejus verò notitiam *Garciæ* debemus; nempe esse ex Formicis alatis ortam & in extimis ferè ramis *Bir* arboris pruniferæ sive jujubini cujusdam generis generari.

Inter διαφορητικὰ i. e. quæ per insensiles meatus educunt, numeratur.

Kermes vero sive *coccos baphice* Dioscoridis ex arboribus glandes ferentibus *i. e.* ex pumila Ilice, colligitur, & granum quidem non est, sed alicujus *vespæ* sive *apiculæ* labor; in quarum numero etiam *formicæ* sunt *i. e.* nidus & babulum, more apum; vermiculo incluso a matre insecta provisum, de quo olim (*a*) uberius dixi.

Cochineil superioris seculi medicamentum: procul dubio ex analogia, quam habet cum reliquis Insecteriis Insectis primo à modernis exhibitum est.

Vermiculus bexapos est, i. e. è scarabæorum genere, & fere in medio *statu* exsiccatus; antequam adolescat in scarabæum.

Atq; hæc omnia ex communi quadam ratione ad venena conferunt.

Ita Cimices [ex scarabæorum quoque genere] demorsis ab Aspide prosunt. Locusta Africana assiccata ex vino hausta contra Scorpionis ictus magnopere confert, ita pulli Hirundinum i. e. Insectivorarum avium, exsiccati ʒi. ex aqua, anginæ succurrunt: ad uvæ & tonsillarum inflammationes conferunt. Dioscor.

Tro-

(a) *Act. Philos. Londin.*

Trochisci viperi, hoc autem medicamentum optimè exponitur à Dioscoride nempe ex viva, i. e. integra vipera cum sale & *Caricis* & melle tosta & in fictili clauso, & ad lævorem trita conficitur etenim ex iis ipsis etiamsi sal conficiatur, non est tamen perinde efficax ipso authore.

Proprietas autem hujus carnis est, inquit Avicenna, quod *facit penetrare superfluitates ad cutim*, rursus, ejus exuviæ expellunt superfluitates ad cutim & conferunt *lepræ magnificè* eodem authore.

Vis autem insectorum communis *septica* est; qua de causa, ait Dioscorides, medicamentis admiscentur quibus carcinomata, lepræ, & impetigines fere curantur.

Pulveres testacei medicamentum prophylaticum nulli secundum & in usu quotidiano, quamvis rationes vulgatas ejus rei non approbo, a veteribus adeo eas paucis deducere lubet.

1 Igitur ad Potionatos omnis generis conchylia cruda pariter ac tosta esse, salutare est, itemque locustæ marinæ, & astaci, ac potum eorundem jusculum: id est, tum Testacea, quàm Crustacea infecta: nempe è quibus nostræ adeo decantatæ compositiones è chelis fiunt.

Hi verò pulveres, autore Dioscoride, extrinsecus admoti ad psoras idonei, quatenus naturæ calci vivæ participes sint: intrinsecus verò propter eandem rationem alexipharmaca sunt; & privatim conferunt ad canis rabiosi morsus; contra serpentium & phalangiorum morsus & scorpionum ictus auxiliantur; & iis qui leporem marinum hauserunt.

Testudinis marinæ & terrestris ova quomodocunque cocta, & jus ranarum maximè faciunt ad *putrescentes purpuras* à salamandra hausta.

Cancri fluviatiles elixi ad haustum marinum leporē non mediocriter adjuvat.

Cochlea extinguit sanguinis fervorem, omnia cooperimenta ostraci abstergunt ulcera, & consolidant ea, & scabiei conferunt, stomachi dolorem sedant, ulceribus accidentibus in intestinis conferunt magnifice, autore Avicenna.

Illud certissimum est, ad animalium venena etiam privatim infecta, tanquam antidota à veteribus exhibita sunt, ita Scinci Mithridatio, admodum diuretici sunt, venerem accendunt: adeoque expellunt vehementer per ductus excretorios, quæ sola ratio & usus est id genus medicamentorum.

6. *Vinum*, *Opium Mithridatium*.

Vinum, maxime dulce; imo meri potio, idque interdum, certe ad aliquot venenatos ictus, largius potum egregie, inquit Dioscorides, auxiliatur, adeo copiosè, si quod aliud medicamentum Mithridat. admiscetur.

Itaque modum laudo usum nostratium, quo serum à lacte vel cerevisia, vel maxime vino albido divisum pro potu quotidiano in variolis exhibere solent; maxime si tantillum C. C. vel crudi vel usti & calendulæ flores, nempe croci æmuli & medicamenta euporista incoquantur. Etenim veteres vinum privatim dederunt ad *papulas* toto corpore erumpentes; ad omnes internas inflammationes & ad venena, ut ut dictum est, teste Dioscoride.

Opium autem inter prophylactica & expellentia medicamenta à veteribus numerari video: quod satis probat ejus effectus, si majore modo detur epoto, ait Dioscorides, papaveris succo tanta fæpenumero oritur prurigo, ut hominem à veterno excitet, me olim, fateor, multum abstinuisse ab ejus usu, dum Eboraci medicinam facerem, nec me unquam pœnituit; illud non dedisse; sed cum perlegissem consultationes, quæ de hujus usu in variolis D. *Th. Mayernus* manu scripserat: in quibus una est, qua privatim in confluentibus variolis Medicorum Londinensium sui temporis, regno Caroli primi, laudani exhibitionem vehementer laudat; minus ejus medicamenti, certe ubi opus fuerit, a rationibus suprà expositis, abstemius fui.

Syr. mirab. ad variolas Avicennæ ingreditur succus foliorum papaveris humidi, *i. e.* viridis & succus acetositatis citri.

Grossi, inquit Dioscorides, cum sylvestris papaveris foliis ossa extrahunt, & *furunculos* discutiunt.

At quid sibi velit illa incredibilis audacia quorundam nostrorum hominum, pla-

planè neſcio; nempe Theriacarum modum, eumque quotidianum in variolis ad ℈. iv. ex bolo extendere. Audi Zebizium, qui de variolis longe omnium doctiſſimè ac uberrime ſcripſit (*auct. ad diſ. 6.*) antidota ac alexipharmaca illa magna, ut Theriaca, Mithridatium, elect. de ovo, Dioſcordium Fracaſtorii, *&c.* etſi ſudores potenter moveant, variolis tamen minimè, ob caloris acrimoniam (certe doſi ſupra modum aucta, ut noſtris hominibus placuit) convenire videntur.

7. *Acidi* quilibet ſucci ſive fructuum, ſive Vitrioli. *Vitriol. Sulphur.*

H. autem ſucci, nempe acetoſitatis citri & granatorum & ſimilium præcipuam commendationem apud Arabes in Variolis habent, eorum autem ratio à Priſcis petenda eſt, malum *citrium*, inquit Dioſcorides, bibitum venenis reſiſtit, mala *punica* acida æſtuanti ſtomacho auxiliantur. Urinam cient, i. e. promovent excretionem, & fervorem temperant; certè in primis Variolarum temporibus.

Vitriol. Sulphur. utriuſque ſpir. acidus.

Ita autem de iis perhibent veteres. Atramentum ſutorium (χαλκανθος) ex aceto ad venenum. Omphacium; ſive ſuccus uvæ acerbæ & viridis ex æneo vaſe ad mellaginem ad ſolem inſpiſſatus, quo *admodum diluto*, inquit Dioſcorides, & pauco utendum, contra Tonſillas, uvam, oris ulcera. In hoc verò numero ſunt *Calcitis Myſtoy*; nempe ſingula ejuſdem familiæ medicamenta, *privatim ad venena*; ad *Herpetas* & *Eryſipelata*, ad ſanguinis *eruptiones*, Alexipharmaca & Mithridatica.

Sulphur vivum ineſt Mithridatio Galeni; id verò ex Dioſcoride patet, fuiſſe quoddam Vitrioli Martis genus ſcilicet ſplendido colore, & translucens; & revera quod ex India Orientali habemus, ex *flavo ſubviridi* eſt, & pellucet inſtar Vitrioli. Verum ſuſpicor equidem ipſum Martis Vitriolum ex quo noſter ſpiritus acidus confici ſolet, antiquis minimè, niſi in hujuſmodi ſulphure, cognitum fuiſſe. Sulphur autem eundem ſpiritum acidum æquè dat, ac ipſum Vitriolum. Verùm iſtiuſmodi ſpiritus virtutes ex Priſcis, non à Chymicis petendæ ſunt, quatenus ſolus Pyrites ferreus ſive metallum ferri Sulphur & Vitriolum edat.

Sulphur itaque, quatenus ad Variolas efficax eſt, à Dioſcoride dicitur *celeriter maturare*. Itemque ad lepras & lichenas confert Scorpionum privatim ictibus medetur pruritum totius corporis ſedat.

Igitur acidum è ſulphure & vitriolo duplici nomine ad Variolas accommodatur quatenus privatim venenatorum morſibus auxilietur, & opio exhibito antidotum ſit.

Hæc autem medicamenta, non hujus diei ſunt, ut nos perſuaderent vani homines, ſed temporius in hoc certe ſeculo ineunte variolis adhibita ſunt; nempe ex analogia acidorum ſuccorum liberalius præſcriptorum ab Arabibus, ut palam eſt ex Mayerni praxi, *i. e.* [conſultationibus ad injuriam famæ tanti viri decurtatis] in Variolis evulgata.

FINIS.

D. THOMÆ

D. THOMÆ

SYDENHAM

M. D. AC PRACTICI QUONDAM

Londinensis Celeberrimi.

PROCESSUS INTEGRI

IN

MORBIS FERE OMNIBUS CURANDIS.

Quibus accessit

GRAPHICA SYMPTOMATUM DELINEATIO

Unà cum quàmplurimis Observatu dignis;

EDITIO NOVISSIMA PLURIB. ARTICULIS AUCTA

NEC NON

DE PHTHISI

Tractatulo nunquam ante hac Edito;

D. THOMÆ

SYDENHAM

M. D. AC PRACTICI QUONDAM

Londinensis Celeberrimi.

PROCESSUS INTEGRI

IN

MORBIS FERE OMNIBUS

CURANDIS.

Quinus necesse

GRAPHICA SYMPTOMATUM DELINEATIO

Una cum quamplurimis Observatu dignis.

EDITIO NOVISSIMA PLURIB. ARTICULIS AUCTA

NEC NON

DE PHTHISI

Tractatulo nunquam ante hac Edito.

AMICE LECTOR,

SPecimen habes praxeos eximiæ, in dilectissimi filii M. D. usum, cautè & diligenter excogitatum, sua ipsius manu conscriptum, mihi autem pro familiaritate ista, qua omnes excepit, concessum à Cl. *Sydenham.* Viro sanè cui vix ætas superior parem dederat, vel postera datura est, non modo in arte sua mira sagacitate, & ingenii acumine singulari, conspicuo: sed & probis moribus, & in humanum genus, studio & amore insignibus adeo, ut apud omnes summum sui reliquerit desiderium: Cujus præcepta licet animo meo & imo pectore infixa sint, ne tamen fortè fortuna in mei ipsius & ægrorum detrimentum excidant memoria parum fida, typis haud ita pridem mandabam, exemplaribus circiter viginti impressis, ut amicis quoque inservirem. Nescio autem quo pacto in lucem irrepsit publicam inter Miscellanea curiosa superioris anni Norimbergæ editum; sed inepta mole inutile. Prodiit tandem eo modo vestitum ut tibi sit in quovis loco paratum; figmentis cerebri vanis & futilibus sciolorum dogmatis nequaquam refertum, nec hypothesi placida solidis ut videtur rationum momentis undequaque constipata superbiens; humile autem & modestum accuratè morbos depingit, & accuratius adhuc medetur; in id solum sollicitum innotescat quod natura faciat aut ferat. Et si verum loqui liceat, modo partium situs noveris, pateant tibi per Symptomata ægritudines, (quod assidua edisseas observationes) scias deinde veram & genuinam medendi methodum per diætam & Pharmaciam adhibere, felicissimus eris practicus, & tibi & infirmis optimè consules. Parum interim tua refert utrum Alcali peccet an Acidum, num in Spiritibus Animalibus, an in ipso sanguine, aut in recondito aliquo Viscere delitescat morbi minera; unde de Periodico Intermittentium reditu doctè satis & prolixè possis disserere; dum interea ipsa Febris sine ullis ambagibus, inquietudine, siti, calore, pulsu celeri, nausea, cæterisque Symptomatis, etiam adstantibus palam est, & apertè dignoscitur: Hinc sæpius mirari subit, quamobrem anxiè ita, & scrupulosè immediatas & proximas morborum causas, dum Medicinam pertractandam suscipiunt, indagare satagunt, & è tenebris istis, quibus natura obduxit, irrito licet conatu, eruere, gravi & subacto judicio viri, & in praxi versatissimi; satis interim gnari se latere vel quævis obvia; unde enim dimanat graminis viridis, aut albus nivis color? Quid est quod humana anima ratiocinari nequeat dum adhuc Infantes aut Pueri sumus? Unde forma tua Specifica? Satius esse Medicum quam Philosophum agere (quis enim unquam Cartesium sibi Medicum voluerit) minutissima Phænomena planè & ritè enumerare, & remedia quibus unusquisque morbus facilius cedat, candido & sincero animo proponere; ita tandem limites suos prætergressa, quibus angustis nimis jam includitur nobilissima, omnibus, quaqua versum patet orbis, feliciter satis & prospere salutem, filiis autem suis honores summos conciliabit.

Meditabatur paulo ante obitum tractatum de Phthisi peritissimus Medicus in perquirendo, naturæ methodum, qua morbos amoliri studet ut adjutrices porrigeret manus, & miseriis hominum subveniret, diu noctuq; pensitabundo, & anxio animo, exercitatissimus; hinc fidissimarum observationum serie & irrefragabili edoctus experientia, Medicinæ praxin ornavit, & ad saniores re-

duxit regulas; sed væ tabidis, dum hujusmodi nunquam intermissis studiis detenti & defatigati spiritus, solitis non vacabant excubiis, truculentissimus hostis, *Podagra*, quæ per multos annos obsederat, & debilitaverat artus, impetu facto in interiora viscera irruit, per vomitum & secessum enormiores intentans mortem, unico autem morbo nescit cedere Medicorum Princeps, sed cum malorum cumulo accessit & *Renum calculus*, qui corrasis vasorum osculis, sanguinem liberalius, quam senectus tulit, urinæ permixtum effudit, se jam non amplius opponens, nec vitæ, nec mortis cupidus, placidam, & pacatam, expiravit animam. Ne tamen auxilio prorsus destituantur tabidi fragmenta quædam quæ autorem ubivis sapiunt in primo saltem morbi stadio plerunque proficua, (neque enim fas est, quod ægrotanti proximo opituletur, celare,) in publicum prodeunt, ut exindè pateat quam accurata, & omnibus numeris absoluta, si modo Deus Opt. Maximus concessisset vitam, expectari potuisset Phthisiologia.

Quid in Febribus, Variolis, Morbillis, acutis cæteris, ut & Chronicis sanandis, valuit optimè meritus Autor noster, sequentes indicat pagina: Regimen & Diæta instituuntur aptissima; præscribuntur remedia pauca, sed necessaria; nec in Pharmacopolarum lucrum excogitata, nec inani ostentationi composita: sitibundis ægris (eodem modo quo & ipse sitim suam restinguere solitus erat) cerevisiam tenuem affatim & pro libitu hauriendam, unde mirè resiciuntur & refrigerantur, concedit; nec immanitate plus quàm barbara precibus eorum surdus, Apozemata & Julapia præ ingrato sapore fastidita substituit; maximam adhibet cautelam ne exæstuans nimis, vel igne luculentiori, vel stragulorum onere, plus adhuc incalesceret, vel à propinatis forsan remediis eum in finem ut per poros eliminetur materia morbifica cruda adhuc & inconcocta, quæ tamen hac data ansa concitato motu cerebrum petit, unde Phrenesis aut Coma, aut extravasato sanguine deturpant cutim maculæ purpureæ, aut eruptiones, quas vocant milliares, collum & pectus ubivis obsident. Numquid ad amussim magis depingi poterat quam Variolarum historia: eruptionis diem in utravis specie designat, pustularum ingenium ad unguem describit, quo tempore incipiat, & quamdiu continuetur Salivatio, quo iterum faciei manuumque tumor se prodat, quid tandem quolibet die expectandum disertè explicat. Paregoricorum usum, quo emolumento judicent Practici, primus persuasit, malum ingerendi Cardiaca ante eruptionem, morem, unde sæpe accersitum fuerit confluentium genus, merito primus improbavit. Meliùs autem hæc ex ipso fonte. Valeas itaque, amice Lector, & sicubi scateant Mendæ ignoscas.

Ami-

Amico suo Integerrimo M. D. Expertissimo
Domino *S. M.*

Solum sequaces prætulimus diu
Colum Medentes; Compar habebitur
Qui clariorem te, minori
Reddidit hoc, Medicina! Libro.

Non hic tumenti Mole superbiens
Blattis futurus Præda opulentior:
Sensu sed arcta Ditiori
Conciliant sibi Verba Pondus.

Frustra molesto vasta Volumine
Lustres Galeni scripta; Minutulæ
Acumen huic majus Tabellæ:
Se stupet hic Medicina totam.

Hic non remoto sordidus Angulo
Sensim fatiscet, Sedula strenuè
Manus quotannis, Spe perenni
Deteret, auctior ut resurgat.

Applaude Votis Turba Medentium:
Non Febris illum, Morbus atrocior
Haud afflet ullus: Commodis qui
Immoritur satagendo Vestis.

Sic Vovet,

Cristophorus Crelle, M. D.

INDEX

A

DE Abortu præcavendo. Pag. 954
Ambustis. 961
Angina 943
Apoplexia 948
Asthmate 962

C

CAnis rabidi morsu, 961
Chlorosi 960
Cholera Morbo 951
Chorea sancti viti, 947
Colica biliosa 951
Colica Hysterica, 953
Colica Pictonum, 952
Contusionibus 961

D

DIabete 958
Diarrhœa 953
Dysenteria ib.

E

EPilepsia Puerorum, 958

F

FEbre Stationaria, 930. 941
Febre Constitutionum variarum. 938
Febribus à dentitione ortis. 958
Febre depuratoria, 937
Febre Erysipelatosa, 942
Febre Hectica Infantum 960
Febre Intermitt. 928
Febre Pestilentiali, ib.
Febre Scarlatina. 941
Fluore albo. 957
Furfure sive Porrigine capitis 962

G

GOnorrhœa virulenta. 956

H

HÆmoptoe 961
Hæmorrhagia narium 960
Hæmorrhoidum dolore 938
Hæmorrhoidum fluxu immodico. ib.
Hydrope 955
Hypochondriaca affectione 938
Hysterica Passione, ib.

I

ICtero 954
Iliaca Passione 952

L

LOchiorum fluxu immodico 954
Lochiorum suppressione. 955
Lue Venerea 956

M

MAnia communi, 961
Mensium fluxu immodico 952
Mensium suppressione 960
Mictu Sanguineo à Renum calcul. 950
Morbillis 943

N

NEphritico Paroxysmo 950

O

OPhthalmia 949

P

PAralysi 962
Peripneumonia notha, 942
Phthisi 963
Pleuritide 941
Pruritu ferino 961
Punctura tendinis ib.
Podagra 966

R

RAchitide 959
Rheumatismo 942
Remediorum formulæ

S

SCorbuto 964

T

TUssi 963
Tenesmo 950
Tussi Puerorum convulsiva 944
Tabis descriptio & Iura 964

V

VAriolis 944
Ulcere Vesicæ 962
Vomitu sanguinis, 961
Uteri procidentia, 950

MEDICAMENTORUM

Quædam formulæ in praxi magis familiares.

Potio Communis Purgativa.

℞ *Tamarind.* ℥ß. *fol. ſennæ* ℥ii. *Rhei.* ℈ß. *coq. ſ. q. aq. ad* ℥iii. *in Colaturæ, diſſolve Mannæ & ſyrup. Roſar. ſolut. an.* ℥i. *m. f. potio,*

Emeticum Commune.

℞. *Aq. Cardui Benedict.* ℥ii. *Infuſ. Croc. Metal.* ℥i. *ſyr. caryophyll.* ℥ß. *m. f. vomitorium.* Sumat hora 4. pomeridiana, ſuperbibendo poſt ſingulas vomitiones hauſtum largum liquoris poſſetici.

Julapium Perlatum.

℞. *Aq. Ceraſor. nigr. lact. Alexiter. an.* ℥iii. *aq. Cinnamon.* ℥i. *Margarit. præparat.* ℈ß. *ſacchar. Cryſtall. q. ſ. adde aq. Roſar. Damaſcen.* ℥ß. *f. Julap.* de quo cap. cochlear. *iv.* vel *v.* in Languoribus.

Julapium Cardiacum.

℞. *Aq. Lact. Alexiter. Ceraſor. nigr. an.* ℥iii. *aq. Epidem. ſyr. Caryophyll. & de ſucco Citri, an.* ℥ß. *m. f. Julap. de quo capiat ſæpius.*

Decoctum Dieticum.

℞. *Rad. Sarſæparill.* ℥vi. *lign. ſaſſafr. & Chinæ ana* ℥ii. *Glycyrrhiz.* ℥i. *coq. in aq. font. Congis ii. per horæ dimidium; deinde ſient clauſe ſuper cineres calidos per horas xii. poſtea ebulliant ad tertiæ partis conſumptionem; Cum primum ab igne amoveatur, infunde ſem. aniſi* ℥ß. *poſt duas horas coletur, & poſtea depuretur per reſidentiam, & liquor reponatur lagenis vitreis probe clauſis ad uſum.* Sit pro potu ordinato per *xxx.* dies.

Apozema Aperiens & Antiſcorbuticum.

℞. *Rad. gramin. Cichor. Fœnicul. & aſparag. ana* ℥i. *uvarum Corinthiac. & paſſul. enucleat. an.* ℥ii. *fol. hepat. ling. cerv. & cap. Ven. an. Mi. fol. Beccabung. ſub finem addit. M. ii. coq. ſ. q. aq. fontan. ad* ℔ii. *ſub finem adde vini Rhenani* ℔ß. *Colatura adhuc calente, infunde ad duas horas, vaſe clauſo, Cochl. hortenſ. M. i. colatur. adde ſyr. e quinque radic. & e ſucco aurant. ana* ℥ii. *aq. Cinnamom. bordeat,* ℥i. *M. f. Apozema.* Sumat ℔ß. manè & ſ. pomeridiana per *xiv.* dies.

Eclegma Incraſſans in Tuſſi.

℞. *Ol. amygd. dulc.* ℥i. *ſyrup. papav. Rhœad. portular. Juiub. & Lohoc. ſani, ana* ℥ß. *ſacchar. cryſtall. q. ſ. M. in mortario marmoreo ad integræ horæ ſpatium, & f. Linctus perfectè miſtus; recondatur in olla figulina, ad uſum.* Cap. ſæpius lambend. è baculo Liquiritiæ.

Eclegma fortiùs incraſſans.

℞. *Conſerv. Roſ. rub. ſyr. violar. & de Mecon. an.* ℥i. *ſem. papav. alb.* ℥iii. *contundantur ſimul & per ſetaceum traiiciantur, deinde adde ol. nuc. moſchat. expreſſ. gr. vi. f. Eclegma.*

In Defluxione tenui.

℞. *Conſerv. roſ. rub.* ℥ii. *ſyr. de Mecon. & Iuiub. an* ℥i. *Oliban. Maſtich. & ſuccin. an.* ℥i. *ol. unc. Moſchat. per expreſſionem gr. vi. m. f. Lohoch.* de quo lambat ſæpe; bis in die cap. eclegm. deſcript. cochl. j. inſtilland. Balſam. Sulphur. Aniſat. à gutt. *viii.* ad gut. *xii.*

Cereviſia Purgativa.

℞. *polypod. Querc.* ℔i. *Rad. Rhabarb. monach. fol. ſennæ & paſſul. enucleat. ana* ℔ß. *Rhabarb. inciſ. & rad. Raphan. Ruſtican. an.* ℥ii. *fol. Cochl. hortenſ. ſalv. an. m. iv. aurantior. inciſ. N. iv. infunde in Congiis v. vel vi. cereviſiæ non lupulatæ, fermentationis tempore, & quando ad maturitatem pervenerit,* ſit pro potu ordinario per dies *xiv.* vel *xxi.* præcipue verò ſumat hauſtum ſingulis Auroris.

Emplaſtrum Hyſtericum.

℞. *Galbani in tinctura caſtor. ſolut. & colat.* ℥iii. *Tacamahac.* ℥ii. *f. Emplaſt. pro umbilico.*

Cathartícum pro Infantibus tenellis.

℞. *ſyrup. Cichor. cum Rhabarb. cochl. i. parvulum.*

Decoctum Amarum Purgativum.

℞. *Decoct. amar. duplicata ſena* ℥iv. *ſyrup. de ſpina cervina* ℥i. *Elect. de ſucc.* ℥ii. *m. f. potio.*

Laudanum Liquidum Antheris.

℞. *Vini Hiſpanici* ℔i *Opii unc. ii. croci unc. i. pulv. cinnamomi, & cariophyllorum, an.* ℥i. *infundantur ſimul in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam acquirat, colatura ſervetur pro uſu.*

PROCESSUS INTEGRI

IN

MORBIS FERE OMNIBUS CURANDIS.

De Affectione, in fœminis Hysterica, in maribus Hypochondriaca, dicta.

CUM à casu aliquo graviori molestum patiur humana anima, ataxiam concipiunt animales spiritus; urina subindè limpidissima copiosè excernitur; sanitatis recuperandæ spes omnis protinus abjicitur, & tristissima quævis sibi omninantur ægrotæ; quamcunque corporis partem morbus insederit (plurimas autem insidet) symptomata ei parti competentia confestim urgent; in capite apolexia, hemiplegia soluta; statim à partu adoritur; spasmi epilepsiæ persimiles (vulgo uteri strangulatus, in quo venter & præcordia guttur versus intumescunt) infestant; clavus hystericus, in quo dolor in capite atrocissimus, quem transverso pollice possis contegere, ægra interim materiam viridem bili porraceæ parem evomente, misere excruciat; cordis palpitationem, tussim, passiones iliacam, & colicam, nephritin, urinæ suppressionem æmulatur paroxysmus; vomitiones enormes, diarrhœam subinde excitat; externè in carne musculosa nunc dolorem nunc tumorem inducit in tibiis hydropis instar; nec (quod mireris) intacto dimitti dentes; dolor dorsi creberrime sævit; & sæpe sæpius adeò refrigerantur externæ partes ut cadaver planè referant; in risum & lachrymas effusissimas sine ulla αἰτία ridicule erumpunt; ptyalismus nonnunquam eo gradu laborantes afficit, ut Mercurio delibutas facilè crederes. Dolores hysterici, quamcunque partem obsident; ubi discesserint, teneritudinem, quæ tangi recusat, relinquunt, ac si verberatæ fuissent carnes.

Emplast. de Galbano umbilico admoveatur. Sequenti manè aggrediatur usum sequentium pilularum;

℞. *Pil. Cocb. maj.* ℥ii. *Castor. pulv* gr. *ii. Balsam. Peruv. gutt. iii. f. Pil. xii.* Cap. *iv.* singulis vel alternis matutinis, pro ratione virium, hora 4. vel 5. matutina, superdormiendo.

℞. *Aq. Rutæ* ℥iv. *Bryon, comp.* ℥ii. *Castor. nodulo ligat. & in vitro suspens.* ℥ß. *Saccbar. Crystal. q. s. f. iulap.* de quo capiat cochl. *iv.* vel *v.* in omni languore. Post has pilulas sumptas utatur sequentibus;

℞. Limatur. Chalyb. gr. viii. cum ſ. q. Extract. Abſinth. f. Pil. N. iii. Sumat ſummo mane, & repetantur hora 5. pomeridiana per xxx. dies, ſuperbibendo hauſtum Vini Abſinthitis.

Sin forma boli magis arrideat.

℞. Conſerv. Abſinth. Roman. & Conſerv. flaved. Aurant. an. unc. i. Angelic. condit. Nuc. Moſchat. condit. & Theriac. Andromach an. unc. ß. pulv. Ari comp. ℥iii. Zinzib. condit. ℥ii. cum ſ. q. Syrup. de ſucc. citr. vel, ejus defectu, Sy. Aurantior. f. Electuarium.

℞. Elect. præſcript. ℥ii. limatur. Chalyb. gr. viii. cum ſ. q. Sirup. Aurantior. f. Bolus ſumendus manè & ſero, ſuperbibendo hauſtum vini abſinthitis vel Cochl. vi. ſeq. Infuſionis.

℞. Rad. Angelic. Enul. campan. & Imperator. an. unc i. fol. Abſinth. vulg. Centaur. min. Marrub alb. & Chamædr. an. M. i Cort. Aurant. duor. inciſ. affunde vini Hiſpanic. q. ſ. ad ſupereminentiam duorum digitorum. Coletur tempore uſus. Vel

In Delicatulis *Chalibs* exhiberi poterit in forma pulv. ſequentis;

℞ Limatur. Chalib. probe trit. unc. i. pulv. Ari comp. ℥vi. ſem. Coriand. præparat. Aniſi, Fœnicul. dulc. an. unc. ß. Cinnamom. acutiſſ. Coral. rubr. præparat. an. ℥iii. Nuc. Moſchat. ℥ii. f. omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde ſacchar. albiſſ. ad pondus omnium, hujus cap. ℈ Cochleari ℥ß. bis in die per 4. dies, tum ℥j. bis in die per 40. dies ſuperbibend. Cochl. vi. ſeq. Julap. vel vini Abſinthitis.

℞. Aq. Lact. Alexiter. unc. xii. Gentian. comp. unc. iv. Abſinth. magis. comp. unc. ii. ſacchar. albiſſ. q. ſ. f. Julap. Vel;

℞. Vini Rhenan. Abſinth. ℔ß. aq. Gentian. comp. unc. ii. Sir. Cariophill. unc. i. f. Julap.

℞. Mirrh. elect. Galban. & Aſæ fœtidæ, an. ℥i. Caſtor. ℥ß. cum ſ. q. Balſam. Peruv. f. Pil. ℈ ſingulis drachmis xii. Sumat iii. ſingulis noctibus, ſuperbibend. aq. Bryon. compoſ. Cochl. iii. vel iv, per totum decurſum hujus proceſſus.

Si Pilulæ præſcriptæ ventrem moverint, utatur ſequentibus;

℞. Caſtor. ℥i. ſal. ſuccin. volatil ℥m. cum ſ. q extract. Rutæ, f. pilulæ N. xxiv. Cap. iii. ſingulis noctibus, ſuperbibendo Julapii hyſteric. Cochl. iii. vel iv.

Sp. C. C. ad gutt. xvi. vel xviii. in aqua appropriata ſæpius exhibitus valde confert.

Si vero his non cedat remediis, tum capiat ſequentes pilulas:

℞. Trochiſ. de Myrrh. pulv. ℈i. Balſam. ſulphur. Terebinth. gut. iv. cum. ſ. q. gumm. Ammoniac. ſolut. f. Pil. N. iv. Cap. mane & ſero ſuperbib. Julap. hyſteric. Cochl. iv. vel v. inſtillando Sp. C. C. gut. xii.

Electuarium Antiſcorbutic. cum aqua ibidem deſcripta prodeſt in his affectionibus ut & *Electuar corroborans cum additione Conſerv. Cochl. hortenſ. unc. i. pulv. Ari Compoſ. ℥vi.* ſuperbibendo præſcriptam aquam.

At ſi affectus his non cedat remediis; eundem eſt ad *aquas ferreas*; & ſi neque his, tum ad *ſulphureas*, quales ſunt *Bathonienſes*.

Inter bibendum aquas ferreas hæc obſervanda; ſi aliquod Symptoma gravias acciderit, quod potationi aquarum referri poteſt, tunc ab iis æger abſtineat, donec Symptoma iſtud penitus evanuerit. Æger earum uſu per ſex ſeptimanas ad minimum, vel potius ad duos menſes perſeveret. *Zinziber conditum*, vel *Semina Carvi Saccharata*, ad calefaciendum ventriculum ſubinde ſumat. *Pilulæ* etiam *hyſtericæ iii.* devorari poſſunt per primas x. noctes, ſuperbibendo *Julap. hyſteric.* cochl. iv. vel v.

Quoad uſum *aquarum Bathonienſium* duodus diebus bibat eas, ac tertio die per modum Balnei eas ingrediatur, atque ita alternatim per ſex ſeptimanas vel duos menſes.

Si *Chalibs* juſto plus corpus calefaciat, tum per ejus uſum, quarta quaque Aurora ſumat *aqua mineralium purgantium* ℔iv. Quæ tametſi alvum moveant, haud tamen tumultum cient, ut ſolent Cathartica ex officinis deprompta.

Si *Chalibs* magnas perturbationes inducat: Laudanum aq. aliqua hyſterica miſtum,

ſtum, ſingulis noctibus ad tempus aliquod propinandum.

Cùm à morbi diuturnitate fracte & attritæ fuerint vires, venæ ſectio; & cathartica non ſunt præmittenda, ſed à Chalybe ſtatim incipiendum.

Ubi Symptomata ſunt mitiora ſatis eſt ſanguinem mittere, & alvum ſolvere ad dies *iii.* vel *iv.* dein pilulas hyſtericas ad dies *x.* manè & ſero exhibere.

In dolore intolerabili, vomitione, & *Diarrhœa* enormioribus, exhibendum Laudanum, & poſtea corroborandi ſpiritus, at modò per vires liceat, ante uſum Laudani, educatur è venis ſanguis, & Catharticum propinetur: in viraginibus præſertim, & ſanguineo temperamento præditis, debilioribus autem, & haud ita pridem paroxyſmum paſſis ſufficit ventriculum Congio uno lactis cereviſiati hauſto, & mox per vomitum rejectn detergere, dein largam doſin *Theriac. androm.* vel *Elect. Orvietan.* imperare, & Cochl. aliquot, liquoris alicujus Spirituoſi, cum pauculis Laudani liquid. guttulis, ſuperbibenda, dare. Quod ſi ægra jampridem vomuerit, & ulterius emeticis ſollicitare periculo non vacabit, Laudanum ſine mora propinandum eſt, ea doſi, quæ Symptoma vincat, & poſt ſingulas vomitiones toties repetendum, in forma potiſſimum ſolida, vel in liquida, in parco vehiculo, viz. gutt. aliquot in cochl. aqua Cinnamom. fortior. ægra interim conquieſcente, & caput immotum tenente.

Perdomito Symptomate, manè & ſerò, ad dies pauculos continuetur uſus Laudani.

Hæc duo diligenter notanda, quod cum ſemel poſt evacuationes Laudano uti cœperimus, ea doſi, atq; illa toties repetita, ſumendum eſt, donec Symptoma omnino fuerit debellatum, interjecto tantum ſpatiolo inter ſingulas doſes, ut quid prior præſtiterit ante noſcamus quam alteram ingeramus, deinceps cum Laudano morbum aggredimur, nihil movendum eſt, nihil evacuandum vel per mitiſſimum enema.

Theriaca andromachi crebro, diuque uſurpata, magnum eſt in hoc, & aliis morbis quamplurimis à caloris, & concoctionis defectu ortis, remedium.

Vina *Hiſpanica*, gentiana, angelica, abſinth. centaurio, corticum aurantior flavedine, aliiſque corroborantibus infuſis medicata, ſi ad aliquot Cochlearia ter in die potentur admodum conferunt; modo ægra tenui non fuerit bilioſoque corporis habitu.

Cortex peruviano ad ℈j manè & ſerò, & per ſeptimanas aliquot deglutitus, præſertim in ſpaſmis hyſtericis miras habet vires.

In tenui bilioſoque corporis habitu poſſit uſurpari Diæta lactea, præcipue in Colica Hyſterica, ſi modo ea incommoda poſſint ſuperari, quæ primis ferè diebus apportat, quod nempè tum in ventriculo coaguletur, tum etiam viribus corporis, in ſtatu conſervandis ſuſtendadiſque minus ſufficiat.

Nihil tamen æque ſanguinem ſpirituſque fovet, & conformat, ac diu multumque; ſingulis ferè diebus equo vehi, nec itinera, in curru facta ſuo carent ſucceſſu.

De Febre Depuratoria annorum 1661. 62. 63. 64.

Si æger juvenis ſit extrahatur ſanguis è brachio, & eodem die poſt aliquot horas vel ſequenti die duabus horis poſt leve prandium, *Emeticum ex infuſ. Croc. Metall. paratis Zythogal.* ℔ *vi. vel viii.* ut quoties vomuerit, aut alvum exoneraverit, e veſtigio ſumatur hauſtus, exhibeatur; & poſt finitam operationem Emetici, hoc vel ſimile paregoricum.

℞ *Aq. Ceraſor. nigr.* ℥iß. *aq. Epidem. vnc.* ß. *Laudan. liquid. gutt. xvi. ſyr. caryophyll.* ℥ii. *M. F. Hauſtus.*

Vomitoria ex infuſ. *croc. Metal.* parata puerulis, ulliſve infra adoleſcentiam conſtitutis, vel minima quantitate, non eſt tutum exhibere.

Poſt hunc diem uſque ad undecimum vel duodecimum ſingulis Auroris injiciatur enema ſequens;

℞. *Decoct. commun. pro clyſtere* ℔i. [*vel lactis vaccini eandem quantitatem*] *Sacchar. culinar. & ſyrup. violac. an. unc. ii. f. Enema.*

Poſt

Post dictum alvus constipari permittatur, quo materia febrilis citius concoquatur, ad quem etiam finem Cardiaca moderata his ultimis diebus exhibita apprimè conducunt; ut.

℞ *Pulv. e Chel. Cancror. comp. gr. xiv. Elect de Ovo* ℈ß. *cum s. q. syrup. Caryophyll. f. Bolus* sumendus octava quaque hora, superbibendo sequentis Julapii Cochl. *v.* vel *vi.*

℞ *Aq. Lact. Alexiter. Ceraſor. nigr. an.* ℥ii. *Aq. Epidem. & syr. Caryophyll. an.* ℥i. *M. F. Julap.* vel alia his similia.

Hac methodo sollicitè observata, usitato circa *xv.* diem (tum ex laudabili in urina separatione, tum ex manifesta Symptomatum omnium remissione) tempestivum esse potionem Purgantem communem exhibere percipies:

Accidit interdum maxime in Senibus, curata Febre, & purgato corpore ægrum nihilominus valdè debilem esse & quandoque tussi, interdum etiam screatu, magnam glutinosi, viscosique phlegmatis copiam expectorare. Hoc in casu vinum Malaganum annosum, cum pane tosto ei immisso, bibat æger.

Si superveniat Iliaca passio: præscribatur Sal. Absinth. ℈j. ex Coch. j. Suc. Limonum, manè & serò, intermediis temporibus cap. Aq. menth. stillatit. sine Saccharo, Cochl. aliquot, bis quaque hora, dum hæc fiunt, catulus vivens nudo ventri indesinenter accumbat, postquam dolor cum vomitu, per biduum triduumve cessaverit, exhibeatur *Pill. Coch. mai.* ℥i. in *Aq. Menth.* soluta, nec removendus catulus ante pilularum usum.

Ad recidivam præcavendam, persistat in usu prædictæ aquæ per longum tempus, & duplicatis pannis laneis ventrem à frigore defendat.

De Febre Pestilentiali 1665. 66.

Post venæ-sectionem in lecto celebrandam, æger stragulis obruatur, & Lacinia Lanea sincipiti alligetur; tum si vomitus non adsit, hoc vel simile Hydroticum exhibe.

℞ *Theriac. Andromach.* ℥ß. *Elect. de ov.* ℈ß. *pulv. e chel. cancr. comp. gr. xii. Coccinel. gr. viii. Croc. gr. iv. cum s. q. succ. Kermes, f. Bolus*, quem sumat sexta quaque hora, superbibendo Cochl. *vi.* seq. Julapii.

℞ *Aq. Card. Benedict. & scord. compos. an.* ℥iv. *Aq. Theriacal. stillatit.* ℥ii. *syrup. caryophyl.* ℥i. *M. F. Julapium.*

Si adsit vomitio, hydropicum differatur, donec solo tegumentorum pondere sudor promanare incipiat, linteaminis parte vultui superinducta.

Incepta Diaphoresis haustulis Zythogalæ salvia alteratæ, vel Cerevisiæ cui macis aliquantulum incoxeris subinde repetitis ad naturalis diei spatium [i. e. horas 24.] est continuanda; in sudore licet jusculis confortativis, ægrum reficere.

Ubi tumor enatus fuerit, venam aperire non sustinui; per horas adhuc à finito sudore *xxiv.* ægro se in lecto continente frigus cautè devitetur. Indusium sponte sua in corpore arescere permittatur, potulenta omnia calidiusculè hauriantur, & Zythogalæ salvia alteratæ etiamnum continuetur, in seq. luce potio purgat., communis exhibeatur.

Anni 1667. 1668. Febrim Variolosam & variolas produxerunt.

Anni 1669. 70. 71. 72. Febrim Dysentericam.

Anni 1673. 74. 75. Febrim Comatosam.

Curationem febrium horum annorum non attingo; quoniam methodo in febre anni 1685. &c. descripta curari eas potuisse autumo.

De Febribus Intermittentibus.

Cum rigore & horrore adoritur paroxysmus, quibus mox succedit calor & huic tandem sudor, & subsequens ἀπυρεξία: licèt in primis morbi diebus. Autumno maximè, aliquoties remissio potius quam intermissio persentiscitur, in calore æque ac in rigore vomiturit ut plurimum, ac vehementer ægrotat miser cum siti & lingua arida. In tenera ætate abdominis inflatio, in adultis crurum tumor febr. solutionem; tonsillarum dolor, raucedo, oculi cavi, facies Hippocratica, mortem denunciant.

℞ *Cort. peruv. subtiliss. pulv.* ℥i. *cum s. q. syr. Cariophyl. vel de Rosis siccis, f. Electuarium dividendum in xii. doses, quarum*

tum unam capiat quarta quaque hora, superbibendo Vini cujuslibet haustum, incipiend. immediate post paroxysmum.

Si autem præscripti boli ventrem moverint, in haustu Vini dentur *gutt. x. Laudan. liquid.* singulis vel alternis vicibus post assumptionem boli, ut opus fuerit.

Ad recidivam præcavendam (præcipue in quartana) repetatur processus prædictus singulis septimanis per tres alias vices.

Sin forma Pilularum magis arrideat.

℞. *Cort. peruv. pulv. unc. i. cum q. s. syrup. caryophyll. f. pilulæ mediocris magnitudinis*, quarum capiat *vi.* quarta quaque hora.

℞. *Cort. peruv. pulv. unc. ii. Vin. Rhenan.* ℔*ii. fient simul in Infusione frigida, & coletur per manicam* Hippocratis. Usus tempore cap. *unc. iii.* tertia vel quarta quaque hora.

Sin ob vomituritionem, ferè continuam, Corticem deglutire nequeat æger, tum sexies, vel octeis, Spatio duarum horarum, *Succi Limonum* recens expressi Cochl. j. cum *Salis Absinth.* ℈*i.* assumat, dein *laud. liquid. gutt. xvi.* cum *Aq. cinnam.* fortior. Cochl. j. ac brevi post, cessante vomitu, Corticis usum aggrediatur.

In intermittentibus vernalinus, nonnunquam emeticum, tempestivè propinatum, ut nempe ante paroxysmum negotio suo defungi possit feliciſſimè succesſit. Nonnunquam Enema in diebus intermittentibus, per triduum, vel quatriduum injectum, Curationem absolvit. Quæ sequenti quoq; modo tentari potest.

℞. *Serpentar. Virgini subtiliſſ. pulver. ſſat. gr. xv. Vin. alb. unc. iii.* Sumat duabus horis ante Paroxysmum, & stragulis coopertus æger sudet per *iii.* vel *iv.* horas, idem faciendo per duas alias vices ante Paroxysmum.

Si ab ingeminatis paroxysmis summe debilis fuerit æger;

℞. *Conserv. Flor. Borag. Bugloſſ. an. unc. i. conserv. author, unc. ß. cort. citr. condit. Nuc. Moschat. condit. Theriac. andromach. an. ℥iii. confection. alchermes. ℥ii. M. F. Opiata* cap. ad quantitatem avellanæ, manè & vesperi, superbibendo Cochlearia paucula, alicujus *aq. Epidemicæ* simplicioris, *Saccharo* edulcoratæ; interdicto interim enematum usu.

Si sub morbi exitum occurrat hydrops, nondum tamen depulsa Febre curatio non est instituenda remediis purgantibus, sed infusionibus rad. *Raphan. Rustican. Sammitat. absinth. centaur. Min. Baccar. Juniper. cinerum geniſt.* &c. in vino factis, exulante autem Febre, Catharticis, & aperientibus.

Pro Infantibus Febre intermittente laborantibus.

℞. *aq. cer. nigr. & Vini Rhenan. an unc. ii. cort. peruv. subtiliſſ. pulv ℥iii. syrup. Caryophyll. unc. i. M. F. Julap.* Cap. Cochl. j. alterumve, pro ratione ætatis quarta quaq; hora donec Paroxysmi non amplius discrucient, instillando alternis vicibus, si Diarrhæa adfuerit, Laud. liquid. gutt. *i.* vel *ii.*

De Febre Stationaria, ab an. 1685. ad 90.

Calor & frigus se invicem excipiunt artus pariter & caput dolent, pulsus interim ferè sanus, nonnunquam tussis dolor circa collum & fauces, exacerbatio Febris prope noctem, inquietudo, sitis, lingua vel humida & ex omni parte pellicula alba & scabra vestita, vel Sicca; fusci coloris in medio quam partem undique cingit fimbria inalbescens. A jugi in lecto decubitu coma & phrenesis, à Calido regimine petechiæ, maculæ purpureæ, eruptiones [quas vocant] miliares morbillis magis rubentes pulsus inordinatus, tendinum subsultus, atque ita tandem mors. Sudors in initio symptomatici divexant, qui, si ab arte provocentur, viscosi à Capite erumpunt, & materiam morbificam in Caput aut in artus transferunt.

Mittat. Sanguis ad unc. x. e brachio. Reiteretur Venæ-sectio; si modo respirationis difficultas, dolor Capitis inter tussiendum lancinans, & alia signa peripneumoniæ nothæ adsint. In hoc casu tam venæ-sectio quàm Catharsis repetenda, donec æger convaluerit.

Vesperi applicerur Epispasticum & sequenti Aurora Potio Lenitiva præscribatur, quæ ad tertiam vicem alternis

die-

diebus repetatur, & hora somni post Catharsin haustus pacificus propinetur.

℞. *Aq. Paralys.* ℥iii. *syr. de Mecon.* ℥i. *succ. limon. recent. Extract. cochl. ii. M. F. Haustus.*

Aphthæ & singultus sponte sua post curationem febris superveniens sponte evanescunt: Si in longum tempus decurrant, facilè fugantur *cortic. peruv.* ℥i. *cum syr. papav. Rhœad, q. s. in formam Electuar. vel pilular.* redacta, superbibend. haustum lactis deflorati. Remedium hoc certissimè scopum attinget si non frustentur ejus vires ex jugi ægri in lecto decubitu.

Diebus à purgatione liberis sequentia præscribentur.

℞. *Conserv. Luiul & cinosbat. an. unc. i. conserv. Berber. unc. ß. crem. Tart.* ℥i. *cum s. q. syr. de Limonib. f. Electuarium*, de quo cap. ad magnitud. Nuc. Moschat. ter in die superbibendo sequent. Julap. Cochl. *vi.*

℞. *Aq. portulac. Lactuc. paralis. an. unc. iii. sirup. de Limonib. unc. iß sir. Violar. unc. i. M. f. Julapium.* Vel

℞. *Aq. fon.* ℔i. *aq. Rosar. succ. Limonum sacchar. albiss. an. unc. iv. coq. lento igne dum aespumaverint, cap. unc. iii. ad libitum*, Præscribatur quoque seq. gargarisma.

℞. *Succ. pomor. agrest.* ℔ß. *syr. de rubo Idæo unc. i. m. f. gargarisma.*

Si febris ita ventriculum infestet, ut æger potionum retinere nequeat, *pil. coch. mai. ad* ℈*ii.* exhibeantur, tum etiam hypnoticum est concedendum, v. gr. *Laudan. Londin. gr. iß. cum simili quantitate Mastich.* vel *Laudan. Liquid. gut. xviii. in aq. cinnamom. hordeat. unc. i.*

Decoctum album paratum, ex ℥i. C. C. *usti, in aqu. communis* ℔iii. *cocti & postea Sacchar albissimo edulcoratum*, sit pro potu, ut & Cerevisia tenuis pro libitu.

Post Catharsin bis celebratam, concedatur ægro, Pullorum carnibus vesci, & post ultimam Purgationem modo febris aliquantulum deflagraverit, vini Canarini cochl. *iii*, vel *iv.* mane & sero, ut & post Prandium, per dies aliquot propinentur.

In Phrenitide, ut & Comate, nihil perinde confert, atque ægri caput radi nullo admoto Emplastro, sed pileolo tantum.

Si (quod fœminis hystericis quandoque accidit) post venæ-sectionem, & purgationes, hujusmodi iteratas etianum duret, procurratque febris, modo signa peripneumoniæ, & inflammationis circa partes vitales absit, Singulis noctibus paregoricum, & medicamenta hysterica, bis vel ter in die, injungantur.

De Infantib. febre Stationaria laborantibus.

Hirudines duæ utrinque pone aures applicentur, dein *Empl. Epispasticum* cervici admoveatur.

Cerevisia, qua Rhabarbarum fuerit infusum, purgetur.

Si post Catharsin febris intermittere videatur, tum *Iulapium cum cortice peruviano* [in Capite de febre intermittenti pro infantibas descriptum] exhibeatur.

De Febre Scarlatina.

Æstate exeunte, infantes præcipue infestat. Rigent & horrent sub initium nec tamen admodum ægrotant; cutis universa maculis parvis rubris, crebrioribus, latioribus & magis rubentibus quam in morbillis interstinguitur, Ad duos tresve dies persistunt, quo quidem tempore evanescunt, & decedente subjecta cuticula squammulis furfuraceis, ad instar farinæ, cutis consperigtur.

℞. C. C. *usti & pulv. e chel. cancr. comp. an.* ℥ß *coccine gr. ii. sacchar. crystal.* ℥i. *M. f. pulvis subtiliss. in xii. chartulas dividend.* quarum unam Cap. 9. quaque hora, superbibendo cochl. *ii.* vel *iii.* sequentis Julapii.

℞. *Aq. cerasor. nigr. aq. Lactis Alexit. ter. ap* ℥iii. *sirup. è succ. citri* ℥i. *m. f. Iulap.*

Applicetur etiam Epispasticum cervici, & qualibet nocte *paregoricum ex sirup. de Mecon.* propinetur, & post quam symptomata cessaverint, purgetur æger.

De Pleuritide.

Inter Ver & Æstatem dominatur. A rigo-

frigore & humore orditur, quos statim comitantur calor, sitis, inquietudo & cætera febrium symptomata; elapsis pauculis horis, æger vehementi dolore punctorio in laterum alterutro circa costas corripitur, qui nunc versus omoplatas; nunc spinam, nunc anteriora pectoris sese propagat, tussi cerebra excruciatur, Materia sputo rejecta in initio morbi pauca est & tenuis, & sæpe sanguinis particulis intermista, progressu verò copiosior & magis concocta, sanguine etiam permixto. Febris paripassa incedit cum tussi, sputo sanguinis; dolore, & pro ratione liberioris expectorationis sensim imminuitur; nunc alvus est astricta, nunc soluta nimis. Eductus è vena sanguis sevi liquati speciem præ se fert ubi refrixerit.

Mittatur sanguis è brachio lateris affecti ad unc. *x.*

R. Aq. Papav. Rhœad. ℥iv. *Sal. Prunel.* drachm. *i. Syr. Violar.* ℥i. *M. f. Hauſtus*, sumendus statim à prima venæsectione.

℞. *Amygd. dulc. exorticat. N. v. sem. Melon. Peon. an.* ℥ ß. *sem. papav. alb.* ℥iii. *aq. hord.* ℔iß. *aq. Rosar.* ℥ii. *cum ſ. q. ſacchar. cand. f. ſ. a. Emulſio*, cap. ℥. *iv.* 4 quoque hora.

℞. *Decoct. Pectoral.* ℔ii. *Syr. Violar. Cap. Ven. an.* ℥iß. *M. f. Apozema. Cap.* ℔ß. *ter in die.*

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥ii. *Syr. Violar. & Cap. Ven. an.* ℥i. *Sacchar. Cand. q. ſ. M. f. Eclegma*, de quo sæpe lambat.

Oleum Amygd. dulc per ſe, vel *Oleum ſem. Lini recenter extract.* exhiberi potest.

℞. *Ol. Amygd. dulc. Lilior. & unguent. Dialthææ, an.* ℥i *M. f. Linimentum* quo inungatur latus affectum mane & sero superimponendo fol. Brassicæ,

Repetatur Venæsectio ad tres alias vices, ad eandem quantitatem, quatuor diebus continuis, ubi dolor & respirandi difficultas suadet.

De peripneumonia notha.

Ingruente hyeme & sæpe sub ejus exitum emergit, insultum primo nunc incalescit nunc friget æger, ex motu quolibet vertiginosus est, rubent & inflammantur genæ oculique; tussi, & intertussiendum dolor capitis lancinans permit, potulenta vomitu rejicit, urina turbida est & intensè rubet, sanguis pleuriticorum æmulus, anhelus crebro & celeriter spiritum ducit, dolente thorace. Ab asthmate ficco plane distinguitur, quod in isto nusquam comparent febris indicia, in hac manifesto se produnt, licet minora longe & magis obscura quàm in peripneumonia vera.

Mittatur sanguis è brachio dextro ad unc. *x.* Die sequenti æger hanc potionem sumat.

℞. *Cassiæ extract.* ℥i. *Glycyr.* ℥ii. *ſ. cus pingues N. iv. fol. ſenn.* ℥iß. *Agaric. trochiſcat.* drachm. *j. c. q. ſ. q. aquæ ad* ℥iv. *in Colatur. diſſolv. Mannæ* ℥i. *Syr. Roſar. ſolut.* ℥ß.

Si vero potionem assumere nequeat. Cap. *Pil. Cochl. maj.* ℈ii. hora quarta matutina.

Sequenti die celebretur iterum venæsectio, ad eandem quantitatem; ac postero die repetatur Catharsis, quæ porro repetenda est alternis diebus vel post majora intervalla, pro ratione virili; Atq; insuper si Symptomata non cessaverint, extrahatur iterum sanguis, semel adhuc, bis vel sæpius, diebus aliquot interjectis, prout res postulaverit; sed ut plurimum venæsectio bis celebrata sufficiet; Interim, dum hæc fiunt, præsertim in diebus à purgatione vacuis, utatur *decocto Pectorali, Eclegmate & oleo Amygd.* dulcium, in Pleuritide de scriptis.

De Rheumatiſmo.

Rigorem & horrorem & cætera febrium symptomata patiuntur, elapso die uno alterove [est & ubi citius] dolor adest atrox nunc in hoc, nunc illo artu, in carpis, & humeris & genubus præsertim; viciſſim hoc relinquens & illos occupans, rubore & tumore in parte, quam postremum affecit: adhuc refiduis. Febris sensim evanescit, manente dolore, quin & nonnumquam immanius seviente. In lumbagine rheumatica immanis dolor adest, circa lumborum regionem fixus, nephritin mentiens, nisi quod æger non vomituriat, qui procumbere nequit, sed vel è lecto exilit, vel super eodem erectus sedet,

corpo-

corpore perpetua agitatione nunc versus anteriora, nunc posteriora inclinato, Sanguis pleuriticorum similis.

Mittatur Sanguis è brachio lateris affecti, ad unc. x.

℞. *Aq. Nimph. Portulac. Lactuc an* unc. iv. *Sir. de Limonib. unc.* iß *Sir. Violac. unc.* j. M. f. *Julapium* de quo bibat ad libitum.

Præscribend. *Emulsio* 4. *Sem. frigid. m* ij. *Cataplasma è mica panis alb. & lacte Croco tincto* applicetur parti dolenti.

Die sequenti eadem sanguinis quantitas detrahatur; atque iterum, die uno vel altero interjecto, reiteretur, atque porro quater vel plures, si opus fuerit, hoc observando, ut post secundam Venæsectionem majora sint intervalla inter singulas sanguinis missiones.

Diebus à Phlebotomia vacuis, Enema è lacte sacharato subinde injiciatur, vel sequens.

℞. *Decoct. communi pro Clistere* lib. j. *Sir. Violar. & Saccbar. culinar. an* ℥ ii. M. f. *Enema*.

Si imbecillitas ægri repetitionem Phlebotomiæ non ferat, tum post secundam vel tertiam venæsectionem Curatos hac methodo tentanda.

Capiat alternis diebus *potionem purgativam communem*, donec convaluerit, & iisdem noctibus Paregoric. *ex Sir. de Mecon.*

Sin his remediis non cedat, & æger ob imbecillitatem evacuationes qualescunque fere nequeat, aggrediatur usum *Elect & aq. Antiscorbutic.* in scorbuto descript. quæ etiam remedia locum habent in Rheumatismo Scorbutico.

In Juvenibus, atque iis qui temperate vixerunt, vino non plus æquo dediti: Rheumatismus Diæta simplici admodum refrigerante, & mediocriter nutriente, æque fœliciter, ac repetitis Venæsectionibus [quas minus ferre queant] prodigari potest. Ex. grat.

Solo Lactis sero ad dies quatuor vascatur æger, postea præter serum pane similagineo semel in die loco prandii; donec penitus convalescat; nisi quod postremis diebus iterum panem in cœnam indulgere liceat, symptomatis, cessantibus, carnes pullorum elixorum, ceteraque eupepta concedantur, tertio autem quoque de solo lactisero victitet, donec tandem pancreatice valeat.

De febre erysipelatosa.

Nulla non corporis pars, præsertim facies, tumet, dolet & summe rubet, pustulæ densæ, parvæ, in vesiculas subinde faceffunt, qua per frontem caputque serpunt, oculi tumore obruti, rigor & horror atque reliqua febris indicia adsunt. In alia huius morbi specie, liquorum attenuantium potationi superveniente, febricula adest, pustulæ urticarum puncturas referentes, nonnunquam in vesiculas sublatæ, mox recedentes, tuberculorum more, sub cute se condentes, maxime pruriunt, & scalpendo rursum apparent. Est & alia eruptionis species, pectas ut plurimum obsidens macula nimirum lata, cuti vix supereminens, porriginosa, cum squammulis flavis, qua vigente, æger bene se habet eadem evanescente, leviter ægrotat, urina turbida & flava, iisdem remediis, quibus pruritus serinus, cedit, vino utatur æger & carnibus eupeptis.

Mittatur sanguinis è brachio ad ℥ix. vel x. Die sequenti sumat *potionem communem purgativam*.

℞. *Rad Altheæ & lilior. an.* ℥i *fol malv. Sambuc. Verbasc. flor. Chamæmel. Melilot, summit. Hiperic. & centaur. minor. an.* M. j. *sem. Lini, fænugrec. an* ℥ß *coq* ſ. q. *ad libr.* iii. *Coletur liquor, & tempore usus adde singulis libris decocti Sp. Vini* unc. ii. Stuphæ e panno laneo huic decocto immersæ, ac expressæ, calide admoveantur bis in die, & pars affecta post fotum sequenti mixtura illinatur.

℞. *Sp. Vini lib.* ß. *Theriac. Androm.* ℥ii. *pulv. piperis longi, & Caryophill. an.* drachm. ii. f. *mixtura*, qua Charta, Emporetica madefacta parti affectæ circumvolvatur.

Si primæ venæsectioni non cedat morbus, tum repetatur, & nondum cessante, ad duas alias vices celebretur, interposito semper die uno.

Diebus à venæsectione liberis *Enema è lacte cum Sir. Violarum. Emulsio Refrigerans.*

gerans & Julap. refrigerans, sunt præscribenda.

De pruritu ferino, & inveteratis cutis eruptionibus, quo Venæsectioni & Catharsi cedunt.

℞. *Theriac. Andromach.* ʒß. *Elect. de ovo* scrup. *i. rad. Serpentar. Virgin. subtiliss. pulver. gr. xv. Lapid. Bezoar. orientat. gr. v. cum f. q.* Syr. è *conditur. citri. f. Bolus*, hora somni sumendus per dies *xxi.* superbibendo cochl. *vi.* sequent. Julapii.

℞. *Aq. Card. Benedict.* unc. *vi. aq. Epidem. & Theriacal. Stillat. an.* unc. *ii. Syrup. Cariophil.* unc. *i. M. f. Julap.*

Singulis matutinis cap. liquoris possetici *libr.* ß. calide, & sudet horæ unius spatio.

His finitis, si pustulæ adhuc non evanuerint, sequenti Linimento partes affectæ inungantur.

℞. *Unguent. ex Oxilapatho* unc. *ii. Unguent. Pomati* unc. *i. flor. Sulphur.* ʒiii. *ol. Rhodii* scrup. ß. f. Linimentum.

Veruntamen Medicamenta præscripta haud usurpentur, nisi Venæsectione & Catharsi rite præmissis,

De Angina.

Angina inter Ver & Æstatem ut plurimum aggreditur. Sequuntur febris insultum dolor & faucium inflammatio, unde à tumore uvulæ, tonsillarum & laryngis, nec deglutire queat Æger, nec spiritum ducere.

Mittatur Sanguis è Brachio copiose. Tangantur partes inflammatæ *melle Rosaceo Sp. Vitrioli, vel Sp. Sulphuris ad summum acorem permixto, vel Sp. Vitrioli solo.* Mox Gargarisma sequens usurpetur, non vulgati modo; sed ita ut sine ulla agitatione in ore contineatur, donec incalescat; dein expuatur, & repetatur subinde.

℞. *Aq. Plantag. Ros. Rubr. & Sperm. Ranar. an.* unc. *iv. album. ovor. in aquam agitando redact. N iii. Sacchar. Crystal.* drachm. *iii. M. f. Gargarisma.*

Emulsio Refrigerans in Pleuritide descripta indies sumatur.

Sequenti mane, nisi febris & dolor inter degultiendum remiserint, Venæsectio repetatur, Catharsi in diem posterum rejecta alias Catharticum lenitivum exhibeatur.

Manente adhuc affectu (quod oppido rarum) repetatur adhuc Venæsectio, & Catharsis; Epispasticum amplum ac forte applicetur cervici post primam Venæsectionem. Omni mane, nisi diebus purgationi datis Enema refrigerans & Emolliens injiciatur; Diæta tenui utatur æger, & lecto per horas aliquot quotidie absistat.

In his omnibus Febribus, quas intercurrentes appello, ut etiam in illa, quę stationaria est; caute observandum, quod æger à lecto abstineat magnam diei partem, ut jusculis hordeaceis, avenaceis, ac id genus aliis victitet, & cereviſiam Lupulatam & hydrogalam pro potu ordinario bibat.

De Morbillis.

Infantes plerumque impetunt. Primo die rigent horrentque, calent & frigent alternatim. Secundo consumatam febrim accersunt, Ægritudo vehemens, sitis inappetentia, lingua alba [non verò ſicca] tussicula, capitis & oculorum, gravedo, & somnolentia perpetua, acriter premunt, humor è naribus & oculis jugiter stillat (quę lachrymę certissimum morbillorum signum.) Huc accedunt sternutatio, tumor palpebrarum paulo ante eruptionem, vomitus, diarrhœa, cum dejectionibus colore viridi in dentientibus præsertim. Symptomata ingraveſcunt ad quartum usque diem, quo quidem die (nonnunquam quinto) in fronte & facie maculæ parvæ, rubræ, pulicum morsibus persimiles prodeunt, quæ numero & magnitudine auctæ racematim coaleſcunt; & faciem maculis rubri majusculis interstinguunt: Hę maculæ è parvulis papulis, supra cutim paululum elevatis conflantur, quarum proruberantia digito levi, vix oculorum acie deprehendi possit.

A facie, quam primo solum occupant, ad pectus ventremque, crura deinde tibiasque propagantur maculæ; in his autem partibus latæ & rubræ, superficiem cutis non superantes conspiciuntur. Eruptione morbillorum non perinde deliniuntur Symptomata ac in

Var-

variolis. Vomitus post eruptionem nullus: sed tussicula & febris cum spirandi difficultate, intenduntur, in oculos defluxio, somnolentia & innappetentia perseverant. Die sexto aut circiter frons & facies aspereſcunt, emorientibus pustulis, ruptaque cuticula, in reliquo corpore maculæ latissimæ sunt, & maxime rubeſcunt, Octavo circiter die in facie evaneſcunt, & vix in reliquo corpore permanent. Nono nullæ prorsus sunt; per faciem vero & artus quandoque & totum corpus in farinam quandam & squammulas faceſſunt, & tunc temporis febris, spirandi difficultas & tussicula augentur. In adultis à calido regimine liveſcunt primo, mox nigreſcunt exanthemata.

℞. *Decoct. Pectoral.* lib. iß. *Sirup. Violac. & Cap. Ven. an.* unc. iß. M. f. *apozema*; *Cap.* unc. *iii.* vel *iv.* ter vel quater in die.

℞. *Oliamigd. dulc.* unc. *ii. Sir. & Cap. ven. an.* unc. *i. Saccharat. Cand. albiſſ. q. ſ. M. f. Eclegma*, de quo sæpius lambat, præcipuè quando tussis urget.

℞. *Aq. Ceraſor. nigr.* unc *iii. Sir. de Mecon.* unc. *ß.* M. f. *hauſtus* singulis noctibus sumendus, à primo morbi insultu, usque dum convaluerit æger, dosin augendo vel imminuendo pro ratione ætatis.

Æger se contineat in lecto per biduum post primam eruptionem.

Si post Morbillorum diſceſſum, Febris, respirandi difficultas, & alia Symptomata Peripneumoniam mentientia supervenerint, sanguis liberaliter extrahendus è brachio, semel, bis, vel ter, prout opus fuerit, convenienti spatio interpoſito inter singulas Venæ sectiones; Atque etiam continuentur *decoctum Pectorale supra deſcriptum*, ut & *Loborb*, vel *Ol. Amid. dulc. per ſe* Circa diem *xii.* ab invaſione Cathartico lenienti purgetur.

Diarrhœa, quæ morbillos excipit; Venæsectione sanatur.

De Variolis.

Distinctæ sunt vel confluentes, & in distinctis invadunt rigor & horror, calor intenſus, capitis & dorsi dolor vehemens, vomiturition, in adultis ingens in sudores propenſio (& hinc minime confluxuras esse licet conjicere) dolor sub scrobiculo cordis si manu prematur, stupor & somnolentia, non nunquam & insultus epileptici (in infantibus præsertim) quibus sit dentitione peracta corripiantur, in procinctu esse variolas possis prædicere; ita ut si forte insultum epilepticum sub vesperam patiantur, sequenti Aurora in conspectum se daturæ sunt variolæ, mites ut plurimum & rariſſime confluentes. Quarto inclusive ab invaſione die nonnunquam serius, raro tamen ante illum erumpunt, quo tempore vel minuuntur Symptomata vel prorsus evaneſcunt. In eruptione autem subrubræ primo pustulæ tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes, sparsim se produnt per faciem, collum, pectus, & corpus universum; tunc in faucibus dolor, qui cum pustulis turgentibus augetur. Circiter octavum à primo insultu diem intervalla pustularum prius alba rubere jam incipiunt; in tumorem attolli, & dolore tensivo affici; extenduntur palpebræ, & ut vesica inflata, oculos claudunt. Proximæ à facie intumeſcunt manus, digitique distenduntur; pustulæ faciei antea leves & rubræ, jam asperæ (primum maturationis indicium) & subalbidæ apparent; succum insuper luteum, colore à flavo non abludentem evomunt, faciei & manuum inflammatio jam summa in pustularum interstitiis colorem exhibet floridum, & rosarum Damaſcenarium æmulum, quem colorem, quo mitiores sunt variolæ, eo magis tum pustulæ tum cutis interjecta ad amuſſim exprimunt: Quæ faciem occupant pustulæ, asperiores quotidie ac magis flavæ pro maturationis ratione; quæ manus & reliquum corpus minus asperæ albæque magis conſpiciuntur in dies. Die undecimo faciei tumor & inflammatio recedunt, pustulæ maturæ & juſtam magnitudinem (viz. ipſi grandiuſculi) adeptæ exareſcunt deciduntque. Decimo quarto vel quinto pereunt funditur; manuum autem pustulæ pertinaciores, albæ adhuc & recen-

tes

recentes die uno aut altero moras trahunt & tandem dirumpuntur, cæteræ autem, faciei nimirum & corporis desquammatur, & in facie squammulis hisce furfuraceis succedunt foveæ. Per totum morbi decursum alvus vel prorsus constipatur vel rarissimè deficit. Maxima eorum pars, qui ex hoc morbo pereunt, octavo die in discretis, undecimo autem in confluentibus intereunt: Quippe cum in discreto hoc genere promoventur sudores tum cardiacis tum regimine calidiore, prædicto die facies, quæ turgida & per interstitia pustulis interjecta inflammari debuerat, e contra flaccida reperitur & albescens, pustulis nihilominus rubentibus & elevatis, etiam post ægri mortem; sudor, qui huc usque manaverat, derepentè evanescit, æger interim phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, ægritudine, vehementibus, urinam parcè reddit ac frequenter, & tandem paucissimarum horarum spatio ad plures migrat.

In Confluentibus eadem Symptomata (sed atrociora) febris scilicet, anxietas, ægritudo, vomituritio, &c. immanius sæviunt; licèt non ita, promptè, ac in discretis, in sudores dissolvitur æger. Diarrhæa nonnunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum aut alterum post illam protrahitur, quod in discretis vix contingit. Tertio in die aut citius, raro tardius, erumpunt; & quo citius, eo magis confluunt. Quandoque ad quartum vel quintum diem differtur eruptio ab atrox aliquod symptoma, verbi gratia acutissimum dolorem in lumbis, nephritici æmulum, in latere pleuritici, in artubus rheumatici, in ventriculo cum ingenti ægritudine & vomitu. Non perinde, ac in discretis, mox ab eruptione remittunt symptomata, sed & febris & alia ad multos etiam dies post eruptionem pustularum ægrum discruciant: Hunc erisipelatis ritu, nunc morbillorum erumpunt, eruptionis: licèt tempore planè distinguantur. Creſcente morbo, non in molem aliquam spectabilem attolluntur; sed in facie sibi invicem implicitæ, tanquam vesicula rubra vultum omnem coteguntquem maturius elevant quàm discretæ: postmodum ad instar pelliculæ albæ vultui agglutinatæ cutis superficiem non admodum superant. Præterlapso die octavo, pellicula alba quotidie paulatim magis exasperatur, colore fusco: Intensus magis est dolor cutis, donec tandem in truculentiori morbo non nisi post diem vicesimum latioribus laminis desquammatur. Hoc interim observatu dignum, quòd quanto pustulæ matureſcentes propriùs ad colorem subfuscum, vergunt, eò deteriores lentius abscedunt; quo magis autem flaveſcunt, eo minus confluxerint, & ocyus se propipiunt. Ubi primum deciderit pellicula, nulla scabritie vultus afficitur; at vero mox illam excipiunt squammulæ furfuraceæ, indolis perquam corrosivæ, quæ foveas relinquunt patentiores, & sæpe cicatrices. Quandoque humeri & dorsum cuticula denudantur. Morbi periculum à pustularum frequentia & numero in facie sola, æstimandum. Pustulæ manuum & pedum majores, & qua altius ab extremitate artuum ascenderis, eo sensim minores & contractiores textant. In adultis salivatio in infantibus diarrhœa [licet non ita certo] confluentium comes. Ptyalismus nunc cum eruptione se prodit, nunc biduo triduove præterito, materiam primo tenuem, die undecimo viscidiorem ægerrimè, excreat. Siticulosus est æger, voce rauca, somnolentia & stupore ingentibus corripitur, inter bibendum subinde tussit, & potus per nares revertitur. Tunc cessat ut plurimum salivatio, cui nisi faciei intumescentia (quæ licèt hoc ipso die pro morbi genio aliquantisper remitti debeat, non tamen nisi post diem unum alterumve omnino recedere) & manuum jam insigniter incipiens & diutius perdurans suppetias tulerint, ægro protinus moriendum est. Diarrhœa non ita maturè infantes occupat ac

ptyalismus adultos. In utraque variolarum specie febris ab insultu ad eruptionem dominatur, inde dat inducias ad pustularum maturationem, qua peracta, desinit. Superveniunt à malo regimine symptomata anomala; qualia sunt, pustularum flaeciditas & subsidentia, phrenitis, coma, maculæ purpureæ pustulis interspersæ, & in earum summitate maculæ nigræ exiguæ in medio subsidentes, sanguinis mictus & sputum sub initio morbi, urinæ suppressio.

Separationis tempus cum febrili ebullitione tribus vel quatuor primis diebus transigitur: Expulsio per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis abscessibus, in carne perficitur.

Dies in quo maximè periclitatur æger, in confluentibus in minimè crudo maximè vulgari genere, à primo morbi insultu, est undecimus, in crudiore adhuc decimus quartus, & in crudissimo decimus septimus; nonnunquam tamen sed rarius, non ante diem vicesimum moritur æger. Quinimo per spatium illud omne, quod inter dies undecimum, & decimum Septimum interjacet, appetente vespera, molestissimo inquietudinis paroxysmo, quotidie vexatur æger.

Mittatur sanguis quovis ex tribus primis diebus ab invasione ad unc. *ix* vel *x*. & postea *Vomitorium* exhibeatur *ad* ℥*i*. vel unc. *iß*. *Infusionis Croci metallorum*.

His primis diebus diluatur sanguis frequenti potatione Cerevisiæ tenuis Lupulatæ. Cui Vitrioli Spiritus immiscea-tur usque ad plenam pustularum eruptionem.

Cum variolæ omnes eruperint, (quod ut plurimum est sexto die post invasionem) vesperi propinetur *Syrup. de mecon.* unc. *i*. quæ repetatur dehinc singulis noctibus ad diem decimum post invasionem. Ea noctæ, si Variolæ è confluentium genere fuerint, augeatur dosis ad unc. *iß*. quæ dein repetatur ad unc. *i*. manè, & ad unc. *iß*. serò, singulis noctibus, donec æger convaluerit.

Si Syr. de Mecon. minus congruat, substitui possit *Laudan. liquid.* viz. *gutt. xvii. pro* unc. *Syrupi & gut. xxv. pro* unc. ß. Hoc interim observandum, quod si paregoricum bis in die exhibitum orgasmum compescere non valeat [quod in variolis insigniter confluentibus, sub finem earum sæpe accidit] tum 8. quaque hora exhibendum, vel sæpius, si opus fuerit.

At si variolæ Interstinctæ fuerint, satis erit, ut solummodo singulis noctibus post plenam eruptionem exhibeatur Paregoricum; atque etiam in minori dosi.

Qualiscunque autem generis variolæ fuerint, atque etiam qualicunq; morbi tempore, si Phrenitis acciderit, omnino oportet ut inordinato spirituum motui frænum injiciatur, ac proinde si prior Paregorici dosis metam non attingat, alia atq; alia assumatur, donec tumultus penitus compescatur, interposito inter singulas doses spatio aliquo; ut pernoscere valeamus, utrùm dosis ultima id, quod quærimus, præstiterit, antequam nova ingeratur.

Si omnimoda urinæ suppressio acciderit, ægre lecto eximatur, & aliquantulum obambulet.

Si saliva ob calorem sit adeò viscida, ut expectorari non possit, tum Gargarisma cum Syringa sæpe in fauces injiciatur. Componatur *e cerevisia tenui* vel *aq. hord. cum melle Rosarum*; vel sequens usurpari poterit.

R. Cort. Ulmi ℥*vi. rad. Glycyrrhiz.* unc. ß. *Passul. enucleat. N. xx. rad. rub. p. ii. coq. ad lib. iß. in. Colatur. dissolv. oximel. simp. & mell. Rosar. an.* unc. *ii. m. f. Gargarisma*.

Si epispastico opus fuerit, amplum satis & acre nuchæ applicetur nocte ista, quæ magnam morbi crisin præcedit, mox ab assumpto paregorico, plantis quoque pedum applicari potest allium, à die octavo, usque ad morbi finem, singulis diebus renovandum.

Si Infans de Symptomatis, dentitionem comitantibus, jam securus, derepente spasmo corripitur hic cogitandum est, convulsionem istam, fortassis à naturæ conatu, quæ variolas, scarlatinam Febrem, aut morbillos, in corporis habitum protrudere satagit, pendere;

ap-

applicetur itaque Emplaſt. Epiſpaſticum nuchæ, lecto quam primum committatur æger, exhibeatur inſuper cardiacum, cui paregorici pauxillum eſt admiſcendum, puero nempe trienni *Laud. Liquid gut. v. in aqua Epidemice cochl. i.*

Si die undecimo, vel alio quovis poſt eum, febris ſecundaria cum inquietudine, jactatione, & cæteris id genus ſymptomatis, uſque adeò efferatur, ut Paregoricis utcunque repetitis ſufflaminari nequeat, & mors quaſi immineat tum ſanguis ad fatis magnam quantitatem illicò detrahatur, nempe ad unc. *xii.* vel circiter, atque porrò repeti poſſit ſemel vel bis in ſequentibus diebus ſi ſymptomatum dictorum ratio idem poſtularit; at non alias. Catharſis etiam blanda die decimo tertio [non antea, vel quovis alio die eum inſequente (modo Vænefectio præceſſerit) inſtitui poſſit, nempe ex *Electuarii Lenitiv.* unc. *i. diſſolut. in aq. Cichor.* vel *lactis Alexiter.* unc. *iv.* Veruntamen nec Venæſectio nec catharſis impediunt quo minùs Paregorica in uſum veniant quæ, [haud obſtantibus iis) tam quoad largam doſin quàm repetitam exhiberi debent, ſi opus adhuc fuerit: nam ad hæc in hoc morbo ſemper confugiendum.

Quando puſtulæ perfectè exaruerint, inungatur facies Linimento ex æqualibus *ol. amigd dulc.* & *Pomat.* per biduum; at non ultra.

Die *xxi.* poſt invaſionem mittatur ſanguis è brachio; & ſequenti die Catharſis celebranda, quæ porro alternis diebus ad tres alias vices repetatur.

Quoad Regimen; è lecto abſtineat ad ſextum diem poſt invaſionem, in quo poſtea ſe contineat uſque ad *xvii.* non aliis ſtragulis tectus, quàm quibus ſanus uti ſolebat.

Juſculis Avenac. hordeac. pomis coct. & cereviſia tenui victitet, & poſt undecimum diem vini Hiſpanic. cochl. *iv.* vel *v.* bis in die exhibeantur, ſi æger voluerit.

Si crurum tumor non evacuationibus præſcript. cedat, tum fotu fol. Malv. ver. baſc. Sambuc. Lauri, cum floribus camæmel. & Melilot. in lacte coct. facilè fugatur.

Si primis morbi diebus æger Hæmoptoe laboret, vel urinam reddat ſanguineam, tum pulvis & tinctura, quę in capite de Hæmoptoe præſcribuntur, ſexta quaque hora (donec ſymptomata iſta prorſus ceſſaverint) diligenter exhibeantur. Quo etiam caſu paregorica liberali manu propinanda.

De chorea Sancti Viti.

Convulſionis ſpecies quædam eſt, pueros puellaſve à decimo ætatis anno ad pubertatem invadit, prodit ſe claudicatione, vel inſtabilitate alterutrius cruris quod æger poſt ſe trahit fatuorum more; manu ejuſdem lateris, vel pectori vel alij alicui parti applicitam, nequit continere in eodem ſitu horæ momento, ſed in alium ſitum & locum convulſione diſtorquebitur, quicquid æger contra nitatur. Antequam poculum ad os poſſit adducere, mille geſticulationes, circulatorum inſtar, exhibebit: Non enim recta linea ori admovet, ſed deducta à ſpaſmo manu, huc illuc aliquandiu verſat, donec tandem forte fortuna labris proprius apponens liquorem derepente in os injicit, & avidè haurit; dedita tanquam opera, ut ſpectantibus riſum moveret.

Sanguis ad unc. *viii* minus, pro ætate ex brachio educatur.

Die ſequenti, dimidia pars, vel quiddam amplius, pro ratione ætatis, potionis commun. hauriatur; & veſperi hauſtulus ſequens propinetur.

R. Aquæ Ceraſorum nigr. unc. *i. aquæ Epilept. langii* ℥iii. *Theriaca andromachi* ℈i. *laudan. liquid. gut. viii. fiat hauſtus.*

Potio Cathartic. ad tres vices, alternis diebus, repetatur; & *hauſtus paregoricus* iiſdem noctibus.

Poſtea Sanguis iterum extrahatur; ad catharſin, ut prius, æger revertatur; & ſic ſanguis mittatur, & alvus ſubducatur ad tertiam quartamve vicem; ſpatio tamen inter alternas evacuationes

observato, ut nihil periculi ægro immineat.

Diebus à purgatione vacuis sequentia præscribantur.

℞. *Conserv. Absinth. Roman. & flaved. Aurantior. an.* ℥i. *Conserv. Anthos* ℥ß. *Theriac Andromach. vet. & nuc. moschat. condit. an.* drachm. *iii. Zinzib. condit.* drachm. *i. Syr. è succ. citr. q. s. f. Electuar.* de quo capiat ad magnitud. nuc. moschat. manè & hora quinta pomeridiana, superbibend. vini sequentis Cochlear. v.

℞. *Rad. pæoniæ, Enul. Campan. Imperator. & angelic. an.* ℥i. *fol. Rut. Salv. Betonic. Chamædr. Marrub. alb. & summitat. Centaur. min. an. Mi. Baccar. Juniper* ℥vi. *Cortic. duor. aurancior. Incidantur & infundantur frigidè in vini Canarini lib. vi.* Coletur tantummodo usus tempore.

℞. *Aq. Rut.* ℥iv. *aq. Epilept. Lang. & Bryon. comp. an.* ℥i. *syr. pæon.* ℥vi. *M. f. Julap.* cap. Cochl. iv. singulis noctibus cubitum iturus, instillando *Sp. C. C. gut.* viij.

Applicetur plantis pedum Emplast. è Caranna.

Ob Recidivæ metum pertundatur ei vena, & ad dies aliquot purgetur, ea ipsa anni sequentis tempestate (vel paulo ante) qua morbus invasit.

Verisimile mihi videtur, quòd hæc methodus curationi Epilepsiæ Adultorum convenire possit, quod tamen non adhuc expertus sum. Cum verò chorea *Viti* ætates teneras adoriri soleat, in Epilepsia Adultorum tam sanguinis detrahendi quantitas, quàm cathartico-rum dosis adaugeantur.

De Apoplexia.

Somnus est profundissimus, & omnimoda sensus & motus privatio, excepta respiratione, quam ægri habent difficilem cum stertore.

Mittatur sanguis è brachio ad ℥xii. quamprimum, ac postea ex venis jugularibus ad ℥viii. deinde *Vomitorium ex* ℥iß. *vel* ℥ii. *Infus. Croc. Metal.* propinetur statim.

Emplastr. Epispastic. satis amplum ac forte cervici applicetur.

Dum hæc aguntur, erectus sedeat æger in lecto, nec straguli nimis obrutus.

Sp. sal. armoniac. optimè rectificatus admoveatur naribus.

Finita Vomitorij Operatione, subinde exhibeantur cochl. iii. vel vj. sequentis Julapij.

℞. *Aq. Rutæ* ℥iv. *aq. Bryon. compos. & antiepilept. Lang. an.* ℥i. *sp. C. C. gut. xx. sacchar. Crystal. q. s. f. Julap.*

Vel *Cochleare* j. *sp. lavendulæ compos.* se propinari possit bis vel ter, durante paroxysmo, hora dimidia vel integra interposita.

Cavendum est, ne cardiaca plus justo calida, ac nimis frequenter (uti mos est) exhibeantur; nam quacunq; demum specifica virtute pollere videantur plus damni quàm emolumenti ægro aportant, ut pote quæ humores fundere (ac proinde malum augere) apta nata fuerit: quod etiam incommodum non minus infertur ex nimia stragulorum congestione.

Paroxysmo jam finito, ad præcavendam recidivam sequentia exhibeantur.

℞. *Pil. Coch mai* ℈ii. cap. tertia quaque die per 6. vices hora 4. matutina superdormiendo.

℞. *Conserv. flor. salv. Rorismarin. an.* ℥i. *Conserv. flaved. aurant* drachm. *vi. nuc. moschat. condit. & Zinzib. condit. an.* ℥ß *Theriac. androm. vet.* drachm. *iii. pulv. elect. diamb. diamosch. dulc. anna* ℥i. *cum. s. q. syrup. conditur. citr. si opiata* capiat ad magnitudinem castaneæ manè & sero, superbibend. *aq. Epilept. lang. Coch. ii.*

℞. *ambr. grif.* ℥ß. *ol. destill. fenic. anisi, cinnamom nuc. moschat. an. gut. ii. ol. caryophil. gut. i. sacchar. in aq. flor. aurantior. solut.* ℥iv. *f. s. a. Tabellæ* 3, quarum capiat unam ad libitum.

Ab usu potus generosioris cujusvis sibi temperet, vescatus jusculis avenaceis hordeaceis, & ex pullis gallinaceis confectis, & quandoque etiam [præcipuè inter purgandum] carne pullorum agnorum ac id genus ciborum cupepton.

De

De Opthalmia.

Ex oculorum inflammatione patet.

Mittatur Sanguis è brachio ad unc. x. Sequenti die ſumat potionem purgativam communem, quæ repetenda eſt per duas alias vices, duobus diebus interpoſitis; iiſdem noctibus ſumat *hauſtum paregoricum ex Syr. de Mecon. unc. i.*

Diebus à purgatione vacuis ſumat ter aut quater in die *unc. iv. Emulſionis ex ſem. frigid. maj. & Papav. alb.*

℞. *Aqua plantag. Roſ rubr. & Sperm. Ranar. an. unc. i. pulv. Tutiæ præparat.* drachm. *j. f. Collirium*, cujus guttæ aliquot inſtillentur oculis bis in die; at non incipiendum, niſi poſt primam purgationem.

Si his remediis affectus haud cedat, repetatur Venæſectio ſemel vel bis (præcipuè ſi ſanguis Pleuriticus apparuerit) ut etiam Catharſis.

Abſtineat ab uſu vini & cuiuſvis liquoris generoſi, ab uſu etiam ciborum coctu difficilium, & ſale conditorum; & diebus inter purgationes bibat hydrogalam coctam.

Nota, quod ſæpè accidit, quod Venæſectioni & Catharſi utcunq; repetitis Ophthalmia non cedit; in caſu *Paregoric. ex Sir. de Mecon. unc. j.* ſingulis noctibus exhibitum, curationem ſine aliorum ſuppetiis abſolvit.

De Uteri Procidentia.

R. Cort. Querc. unc. ii. Coq. in Aq font. lib. *iv.* lib. *ii. ſub finem addendo Cortex. Granator. contuſ.* ℥ß. *roſ. rub. flor. Granator. an.* M. j. *dein. adde vini rubr.* ℔ß. Colatura ſit pro fotu. Qui cum pannis laneis parti affectæ admoveatur mane horis duabus, antequam è lecto aſſurgat, & nocte poſt decubitum, donec ſymptoma penitus evanuerit.

De Paroxyſmo Nephritico.

Adſunt dolor fixus in lumborum regione, urina cruenta, arenularum aut calculi excretio, ſtupor cruris è directo renis laborantis, teſtis retractio ejus lateris, in quo eſt dolor, nauſea & vomitus. Dolor colicus nephritico haud abſimilis; licet in quibuſdam ſymptomatis plane diſcrepet, quæ recenſita in *Capite de Cholica bilioſa* videas.

Si Æger temperamento ſanguineo fuerit, mittatur ſanguis è brachio affecto reni reſpondenti ad ℥x. dein *liquoris poſſetici cui rad. Althęæ unc. ii incocte fuerint Cong. i.* quam citiſſime deglutiatur; & Enema ſequens injiciatur.

R. Rad Althęę & lilior. an. unc. fol. malv. Parietar. Branc. Urſin. & flor. Chamæmel. an. M. j. ſem. Lini & fænugrec. an. ℥ß. *coq. ſ. q. aq. ad* lib. *iß. M. f. Enema* Rejectis Vomitorio & Enemate, *Laudan. liquid. ſatis magna doſis* propinetur viz. *ad gutt. xxv.* vel *Pil. Matth.* gr. *xv.* vel *xvi.* In ſenibus vero, & morbo diuturno fractis, ut & vetulis Vaporibus obnoxiis (præcipue ſi ſub initium Paroxyſmi urinam eæ reddant nigram & ſabuloſam) Venæſectio ommittatur; at quoad reliqua eadem quæ dicta eſt via omnino procedendum.

In mictu Sanguineo à calculo renibus impacto.

Capiat æger, ſtato quodam die, ſingulis hebdomadis, *Mannæ* unc. *iiß.* in ſeri lactis lib. *ii.* ſolut.

Conducit aliquando, hauſtus cereviſiæ tenuis liberalior.

In calculo renum grandiori, dolor hebes, & obtuſus, nullatenus auctus, ſed ſatis tolerabilis perſentitur, nec paroxyſmus nephriticus comitatur.

Aquis chalybeatis æger ſe non tuto committet, niſi prius certo ſciat, calculum majorem non eſſe, quam ut per ureteres viam poſſit invenire, quod hoc tantum modo certo poteſt dignoſci, ſi nempe, jam antea, paroxyſmum aliquem nephriticum fuerit perpeſſus, (cum dolore ſcilicet ſæviſſimo in renum alterutro, per ureterum ductus propagato, & vomitu enormi) pro comperto habeat, non tam grandiorem aliquem calculum pelvi concludi, quam lapillorum exiguorum con-

geriem, quorum unus subinde in ureterem illabatur atque ita paroxysmum invita, qui fere non desinit, nisi calculo in vesicam detruso, cum sic res habeat, nullum est magis efficax remedium, quam aquarum chalybeatarum potatio; quod si calculosus, nullo unquam paroxysmo nephritico, fuerit tentatus, cum jam major sit calculus, quam qui ex pelvi possit elabi, divitandæ sunt aquæ ferreæ.

De Dysenteria, Diarrhœa & Tenesmo.

Rigent horrentque, sequitur deinde totius corporis calor, quem brevi excipiunt ventris tormina, & hæc, dejectiones cerebræ, & mucosæ omnes (nisi quod stercorosæ nonnunquam interponantur) cum ingenti cruciatu & molestissimo viscerum omnium quasi descensu, quoties exoneratur alvus, sanguinis interim liniamentis intertextę, licet aliquando ne minimum sanguinis per totum morbi decursum admisceatur. Progressu morbi sanguinis sincerus quandoque excernitur, & gangræna insanabili afficiuntur intestina. Si æger ætate floreat, vel cardiacis incalescat. Febricitat admodum, lingua est subalbida, quadam mucilagine dense obsita, interdum nigra & sicca. Prosternuntur vires, dissipantur spiritus, aphthæ insuper oris interna faucesq; obsident, præsertim ubi materiæ peccantis evacuatio adstringentibus præposterè impeditur, non exacto per cathartica morbi fomite. Aliquando exulante febre, agmen ducunt tormina, & cætera morbi symptomata sequuntur.

In diarrhæa humores excrementitii sine sanguine aut intestinorum exulceratione excernuntur.

In tenesmo assidua est desidendi cupiditas, nihil tamen præter mucosum quoddam & subcruentum aut purulentum rejicitur.

Mittatur sanguis e brachio quamprimum, eademque nocte *Paregoricum* propinetur; & mane sequenti *Potio purgans communis*, repetenda alternis diebus ad duas alias vices; & *Paragorico*, post Purgationes, quamprimum suo defunctæ sunt munere; ac diebus à purgatione vacuis idem mane & sero est exhibendum.

Post Venæsectionem & Catharsin semel celebratam, per totum morbi decursum, sequens Cardiacum exhibeatur.

R. Aqu. Ceras. nigr. & fragor. an. ℥. iii, Aq, Epidem, Scord, comp. & Cinam, hordeat, an, un, i, Margarit, præparat, ʒiß, Sacchar, cristal, q, s, adde Aq, Rosar, Damascen, unc, ß, ad gratum saporem, m, f, Julap, de quo cap, cochl, *iv*, vel *v*, in languoribus, vel ad libitum.

Potus sic Lac coctum cum *Aq, Triplo*, vel *Decoct, Alb*, ut.

♃, C, C, C, & Mic, panis alb, an, ℥ii coq, in Aq. font, lib, iii, ad lib, ii, postea s, q, Sacchar; Albiss, edulcoretur. Vel si dejectio virium postulaverit, *Aq, font, ℔ii, cum Vin, Canarin, ℔i, simul coctæ*, pro potu frigide assumantur.

Cum per tres vices purgatus fuerit æger, tota curatio usui *Laudani* bis vel ter in die repetiti postea incumbit, nisi quod *Enema ex lact, vacin, ℔ß, & Theriac, Androm, ℥iß*, subinde injiciatur, quod in alvi ejectionibus mire confert.

Cum alvi fluxus in Diarrhœm tantum assurgat, Phlebotom. & Catharsin præscript. omissis, sequ. Bolus singulis matutinis exhibeatur.

♃ Rhabarb, pulv, drachm, *m, plus minus pro ratione virium cum s, q, Diascordii f, Bolus, addenda Ol, Chim, cinnam, gut, ii.*

Noctibus insequentibus *Paregoric, ex Aqu, cinnam, hordeat,* unc, *i, & Laudan, Liquid, gut, xiv, exhibeatur.*

Ubi tormina sicca sine dejectionibus excruciant, curantur diluendo sero lactis frigore propinato, & tepide iniecto; ut in Cholera morbo pullorum jusculo aut lacte cerevisiato.

Si hic morbus diutius excurrat, adeo ut omnis ejus vis in tectum intestinum decumbat, cum assidua desidendi cupiditate. Diæta Analeptica instituatur, & liquor aliquis Cardiacus pro libitu ingeratur, ut restaurati possint vires quibus redeuntibus Tenesmus sponte se proripit.

In

In dyſenteria male curata dolores aliquando ægrem ad annos aliquot diſcruciant; in hoc caſu Phlebotomia repetita priſtinam ſanitatem reſtituet.

Notandum eſt quod conſtitutionibus huic morbo minus faventibus omiſſis evacuationibus dyſenteria Laudano ſolo ſanatur, quod mane & ſero repetendum, donec ſymptomata penitus evanuerint, vel etiam ter Nycthemeri ſpatio, ſi opus fuerit.

De colica biliosa.

Inteſtinorum dolor atrociſſimus eſt, per horas aliquot affligit febris in hunc morbum deſinens, qui aut quaſi injecta faſcia conſtringit, aut in punctum contractus quaſi terebello perforat; ſubinde remittitur, mox recrudeſcit. Sub initio non ita certo ad unum aliquod punctum determinatur, neque tam cerebra vomimituritio, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obſtinatius in puncto figitur, vomituritio frequentior, & majori alvi adſtrictio, colica tandem in illiacam tranſeunte. A nephritide ſic diſtinguitur. 1. Dolor nephriticus fixus in rene eſt, & ab eo ad teſtem exporrigitur ſecundum longitudinem ureteris. Colicus vero vagus eſt, & cinguli inſtar medium ventrem affligit. 2. A paſtu colicus dolor augetur: Nephriticus potius imminuitur. 3 In colico dolore, ab excretione per alvum & per vomitum majus levamen emergit, quam in nephritico. 4. In dolore nephritico urina primum clara & tenuis, poſtea aliquid ſubſidet, & tandem arenulæ aut labili excernuntur: In colica urinæ ab initio craſſiores exiſtunt.

Sanguis è brachio paulo liberalius educatur, & poſt horas *iii.* vel *iv.* *Anodin.* exhibeatur, Poſtero die *Catharticum Lenitiv.* & interpoſito die uno, ad tertiam vicem propinetur.

At ſi malum hoc fructibus horariis, vel aliis cibis avide ingeſtis, originem debeat, tum ventriculus ante omnia lacte cereviſiato affatim hauſto eluendus eſt; quo exantlato Anodynum propinandum eſt; ſequenti autem die vena ſecanda eſt, & in ordine præſcripto procedendum.

Ubi hic morbus minus perite tractatus diutiſſimè fatigaverit, & ægrum pene confecerit, liberalior ſive aquæ Epidem. ſive Mirab. ſive alius cujuſcunque, qua ſanus maxime delectabatur, uſus ægrum hoc tempore ultra ſpem omnem juvit.

De cholera Morbo.

Intra Anguſti limites ſe continens, vix in priores Septembris hebdomadas evagatur & ingluvie excitatus ſimilis affectus, nullo temporis diſcrimine inſurgit, qui licet eodem curetur modo, alterius tamen eſt ſubſellii. Adſunt vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate & anguſtia per alvũ dejectio: ventris ac inteſtinorum odor vehemens, inflatio & diſtentio; cardialgia, ſitis, pulſus celer ac frequens parvus & inæqualis; æſtus & anxietas, nauſea moleſtiſſima, ludor; crurum & brachiorum contractura, animi deliquium partium extremarum frigiditas, & ſimilia, quæ ægrum in 24. horarum ſpatio interimunt.

Pullus tenerior in tribus circiter Aquę, font. Congiis elixetur, ut carnis ſaporem vix perceptibilem liquor referat; hujus decocti vel [defectu ejus] liquoris poſſetici capiores aliquot cyathos æger tepide exhauriat; & eodem tempore ex eodem liquore *Enema* ſucceſſive repetenda. Hauſtibus & Chiyſteribus *Sir. Lactuc. Violar. Portulac. Nimph. eorumve* alicuius unica ſubinde admiſceri poterit.

Exantlato hoc Eluvionis penſo [quod *iii.* vel *iv.* horas ſibi vendicat) *Paregoricum* curationi Coronidem imponit.

Si non acceſſerit medicus; niſi poſtquam æger vomitu & dejectionibus per multas horas continuatis fuerit exhauſtus, & jam frigeſcant membrorum extrema, tum ad *Laudanum Liquidum* confugiendum eſt in paulo majori doſi, [viz. *Laudan. liquid. gutt. xxv. in Aq. cinnam. ſort. ℥i.*] & cum ceſſaverit ſym-

ptomata, nihilominus manè & ferò quotidie eſt repetendum; at in minori doſi, donec priſtinas vires receperit.

Eſt ſpecies quædam choleræ morbi infantibus valè familiaris, ac ſæpenumerò funeſta, ex Dentitione vel Crapula originem ducens.

Horum ætas tenella minime fert, ut diluatur ventriculus larga liquorum potatione, multo minus ut Catharticis tumultus major in humoribus excitetur, ſed Curationem *Laudano* ſolo aggredi oportet; quamobrem *gutt. ii iii.* vel *iv*, vel *plures*, pro ratione ætatis, Cochlear. j. cereviſiæ tenuis vel Aquæ cujuſvis appropriatæ inſtillatæ exhibeatur, repetanturque, ut opus fuerit.

De Colica Pictonum.

Eſt ſpecies quædam Colicæ, quæ degenerare ſolet in Paralyſin, & motus omnimodam manuum ac pedum depravationem; quam hoc nomine *Riverius* in capite de Paralyſi indigitat, & apud inſulas Caribum notiſſima eſt; utpote, quæ magnam vim hominum infeſtat.

Hunc dolorem atrociſſimum ſanat *Balſam. Peruv.* frequenter ac in magna doſi exhibitum, nempe ſi *ejus gutt. xx, xxx,* vel *xl. Sacchar. Albiſſ. cochl. i. inſtillentur*, & bis vel ter in die dentur: at Paralyſis huic remedio haud cedit.

De iliaca Paſſione.

Periſtalticus inteſtinorum motus invertitur, propinata cathartica & injecta enemata in emetica ſtatim tranſeunt; alvi fæces per vomitum rejiciunt.

Mittatur ſanguis è brachio dextro ad unc. *ix.* vel *x.* poſt aliquot horas exhibeatur ſequens Pulvis.

℞. *Reſin. Scammon. vel (defectu ejus) Reſin. Jalap. gr. xii Calomelan. Torquet. ℈i. m. f. Pulvis*; cap è Cochl. *i.* lactis vaccini, ſuperbibendo ejuſdem lactis Cochl. j. vel ſi forma Pilularum magis arrideat:

℞. *Pil. ex duob. ℥ß. Calomel. Torquet. ℈i. cum ſ. q. Balſam Peruv. f. Pul iv.* ſumend. è Cochl. j. Syr. Violarum.

Sin autem æger hoc remedium per os rejecerit, *Laudan. Liquid. gutt. xxv. Aq. Cinnam. fort. ℥ß.* inſtillatæ ſtatim propinentur, cum vero horum uſu vomituritio, ac ventris dolores, remiſerint, catharticum dictum iterum exhibeatur, verum ſi anodynorum virtute ac vi jam penitus infractis vomituritio ac dolor iterum redierint, cathartico interim in corpore reſtitante, ad uſum paregorici ſupra deſcripti revertendum, idemque eo uſque repetendum quarta vel ſexta quaque hora donec inteſtinis quies omnino inducatur, quo quidem tempore cathartcum operationem ſuam per ſedes exeret.

Nec ſane abs re fuerit elapſa una, aut altera, poſt Venæſectionem, clyſterem aliquem, ex iis qui potentius operantur, injicere, fumum ſcilicet nicotianæ, ex tubulo inverſo, per veſicam majuſculam, in inteſtina validiſſiè inſuffilatum, quæ quidem operatio poſt aliquot horas reiterari debet, niſi citius meatus deorſum pateat.

Finita operatione Cathartici, ſumat ſequentem hauſtum.

℞. *Aq. Cinnam. fort. unc. i. Laudan. Liquid. gutt. xxv. m. f. Hauſtus*, qui porro repetendus eſt bis, ter, vel ſæpius in die donec vomituritio & dolor penitus ceſſaverint; atque etiam, iſtis ſymptomatis ceſſantibus, nihilominus ad curationem confirmandam per aliquot adhuc noctes capiat idem paregoricum in minori doſi cubitum iturus.

De Fluxu Menſium immodico.

Menſtruorum fluxus, naturaliter conſtitutus, capacitatem teſtæ ovi anſerini implet. Patet autem immodicus ex difficili tolerantia, virium lapſu, inappetentia, cachexia, colore cadaveroſo, & pedum intumeſcentia.

Mittatur ſanguis è brachio ad unc. *viii.* ſequenti mane ſumatur *potio purgativa communis*, repetaturque alternis diebus ad duas alias vices; & noctibus poſt purgationem *Paregoric. e Syr. de Meconio* exhibeatur.

Diebus à purgatione vacuis ſumat ſequentia.

℞. Cor-

℞. *Conserv. Rosar. sicc.* unc. *ii. Trochisc. de terra Lomnitz* ℥ß. *Cort. Granator. Corall. rubr. præparat. & boli Armen. an.* scrup *ii. lapid. hæmatit. Sanguin. Dracon. an.* ℈*i. cum* ſ. *q. Syr. Cydonior. f. Elect.* de quo ſumat ad magnitudinem nucis moſchat. maj. mane & hora quinta pomeridiana, ſuperbibendo ſequentis Julapij Cochl. *vi.*

℞. *Aq. Germin Querc. & Plantag. an.* unc *iii. Aq. Cinnammom. bordeat ; & Syr. de Roſis ſiccis an.* unc. *i. Sp. Vitriol. q.* ſ. ad gratam aciditatem.

℞. *Fol. Plantag. & Urtic. an. q.* ſ. *Contundantur ſimul , & ſuccus exprimatur , & poſtea clarificetur* , de quo cap. *iv.* vel *v.* ſæpiuſculè ad libitum.

Poſt primam purgationem applicetur emplaſt. ſeq. regioni Lumborum.

℞. *Emplaſt. de Minio & ad Herniam an. part* ſæq. *extendantur ſuper alutam , Emplaſtrum* regioni Lumborum admovendum.

De Colica hyſterica.

Eſt ſpecies quædam , ſeu potius inſigne ac valdè uſitatum affectionis hyſtericæ ſymptoma , cui comitem ſe adjungit dolor circa ſcrobiculum Cordis atrociſſimus uti etiam humorum viridi colore per vomitionem ejectio.

Primo, quo Saburra vitioſorum humorum in ventriculo contentorum minus impediat. Paregorici efficaciam, ſatis magna quantitas *liquoris peſſetici* affatim ingurgitetur, atque iterum per vomitionem rejiciatur, nempe *eiuſdem liquoris Cong. iſs.* quo peracto *Laudani Liquidi gutt. xxv. in Aq. cinam. fort. Aq. Epidem. vel alius vehiculi unc. i.* propinentur.

In uſu Paregoric. hoc notandum, quod eò uſque repetendum eſt , donec ſymptomata omnia penitus ceſſaverint , debitum interea tempus interiiciendo; ut dijudicare valeamus , quid prior doſis effecit , antequam novam ingeramus.

Si ſanguineo temperamento præditus ſit æger, vel ſi antea hoc ſymptomate haud multum infeſtatur fuerit ac viribus fractus, hoc in caſu ſanguis primum è brachio detrahendus antequam vomitorium præſcriptum propinetur.

Hac ipſa Methodo Clavus hyſtericus curatur. Sin vero Colica Hyſterica diuturnior fuerit per Paroxyſmos affligens: tum in eorum intervallis, ſive extra Paroxyſmum , ſeq uſurpentur.

℞. *Zedoar. ſubtiliſſ. pulv.* ℥*i. cum* ſ. *q. Syr. è conditur. citri , f. Bolus* , ſumendus mane & ſero per *xxx.* dies , ſuperbibendo ſequentem infuſionem.

℞. *Zedoar. inciſ. minutim unc.* ß. *vini Canar. unc. iv. infundantur frigide per xii. horas; deinde colentur pro uſu;* vel *Balſam. Peruv.* ut in Colica Pictonum , uſurpetur.

Qua de Colica Hyſterica hic dicuntur, de Colica etiam hypochondriaca dicta ſunt ; ut & hoc diligenter advertendum.

Utriuſque affectus natura ſibi vendicare videtur , ut alia atque alia, tententur, donec tandem ad illud remedium perventum fuerit , cui quaſi genuinè morbus cedit ; tametſi ut plurimum Chalybs imprimis confert.

Colica Hyſterica tam in hypochondriacis, quam hyſtericis ſæpiſſimè in icterum deſinit, qui ſenſim ſponte ſua faceſſit, ſin autem longas moras nectat, exhibeatur Apozema ſequens.

℞. *Rad. Rub. Tinctor. cucum. an. unc. i. chelidon. maj. cum toto & ſummitat , centaur. an. M. i. coq. in Æqualib. partibus Vini Rhenani & Aq. fontan. ad* ℔*ii. colatur. diſſolv. Syr. de 5. radicibus unc. ii. m. f. Apozema* , de quo capiat lib. ſs. calide mane & ſero, uſque dum convaluerit.

De Ictero, colica neutiquam prægreſſa.

Color flavus in toto corpore , præſertim in oculorum albis eſt conſpicuus, quo quidem colore objecta omnia apparent affectis tincta , corporis pruritus , ſegnities , laſſitudo , linguæ amaror , vomitus bilioſus , interdum , ſingultus, egeſtio alba , urina crocea & pannum immerſum eodem colore

lore, inficiens, morbum indigitant.

Exhibeatur *potio purgativa communis*, dein aggrediatur usum sequentium; & durante eorundem usu, Catharticum prescriptum quarto quoque die exhibeatur.

℞. *Conserv. Absinth. Rom. conserv. flaved. Aurant. an. unc. i. Angelic. condit. nuc. moschat. condit. pulv. Ari compos. & chalyb. cum aceto præparat. an. unc. ß. Extract. centaur. min. Extract. Gentian. & cremor. Tartar.* drachm. *ii. croc. Anglic. pulv.* drachm. ß. *cum s. q. Syr. de 5. radicibus fi. Electuarium*, de quo cap. ad magnitud. nuc. moschat. manè & hora quinta promeridiana [vel vice Electuarij sumat pilulas chalybeatas] superbibendo post matutinam dosin *aquarum mineralium purgantium* lib. *iv.* & post pomeridanam dosin *Apozemat. in colica hysterica descript. lib. ff.*

At si signa hydropis affuerint, tam manè quam sero apozema superbibat.

Si vel his diu continuatis morbus adhuc obstiterit, ad *aquas ferreas* eundum est, quæ ex ipso fonte sunt bibendæ.

Ad præcavendum abortum.

Eadem præscribenda, ac in Fluxu mensium immodico, omissis solummodo catharsi & succis.

De immodico lochiorum fluxu.

Fluxum lochiorum naturalem tria constituunt, sanguis scilicet purus, copiosus, per triduum primum fluens; dehinc sanguis aquosus, loturæ carnium crassiori similis per quatriduum præter propter durans; hinc postmodum materia viscosa & mucilaginosa, pauco aut nullo sanguine permista; per quinque aut septem dies prodiens, & sic porro ad mensis finem.

Fluxus autem eorum immodicus dijudicandus est ex virium dejectione, animi deliquio, sanguine grumoso effluente, cibi fastidio, dolore in hypochondriis, ventris tensione, pulsu debili & frequenti, visus obtenebratione, aurium tinnitu, & convulsionibus.

Victus incrassans instituatur, & potus sequens addatur.

℞. *Aq. Plantag. vin. rubr. an. lib. j. coq. simul ad tertias, & deinde edulcoretur s. q. saccbar. albiss.* cujus, cum frigescat, cap. *lib.* ß. bis vel ter in die.

Interim Julap. aliquod Hystericum (at satis mite) subinde propinetur, & nodulus sequens naribus applicetur.

℞ *Galban. Asæ fœtid. an.* drachm. *ii. castor. sal. succin. volatil* ʒß. *m. f. nodulus*, vel

℞ *Sp. salis Ammoniac.* drachm. *ii.* quem sæpe olfaciat.

De suppressione Lochiorum.

Intumescit venter, dolor gravativus imum ventrem, lumbos & inguina occupat, facies rubescit, difficilis est respiratio, perturbantur oculi, rigores, febres acutæ adsunt, animi dequilia, sudores frigidi, pulsationis & ardoris sensus in utero, paralysis in partibus, inferioribus ut & interdum epilepsia.

E vestigio lecto addicatu, & *Emplast. hystericum* umbilico admoveatur quam primum Elect. seq. adhibeatur.

℞. *Conf. Absinth. Rom Rut. an.* unc. *i. Trochisc. e Myrrh.* drachm. *ii. Castor. croc. Anglic. sal. volatil. Sal. Armoniac. & Asæ fœtid. an.* drachm. ß. *cum s. q. Syr. e 5. radic. f. Elect.* cap. ad magnitud. nuc. moschat quarta, quaq; hora, superbibendo seq. Julap. Cochl. 4. vel 5.

℞ *Aq. Rutæ* unc. *iv. Bryon. compos.* unc. *ii. Saccbar. cand. q. s. f. Julap.* vel sumat *Trochisc de Mirrh.* ʒi quarta quaque hora.

Si tota prædictorum quantitas cõsumatur, & Lochia adhuc supprimantur, *Laudanum* unica saltem vice exhibendum ut *Laudan. Liquid. gutt. xiv. in Aq. Bryon. compos. vel Laudan. solid. gr iß. cum Asæ fetid.* scrup. ß. *in pilulas duas redactum*.

Si hæc nihil proficiant, tum Enema ex lacte Saccharato, unica saltem vice injiciatur.

De

De Hydrope.

Foveę à digitorum impreſſione in ſuarum parte inferiori ſub noctem conſpicuę manè evaneſcentes hoc malum primum indicant maximè ſi ſpiritus interim ægrius ducatur [haud rarò tamen fęminæ prægnantes, & quibus catamenia ſiſtuntur, ut & viri ab aſthmate inveterato derepente liberati eodem tumore tentantur) pedibus cruriſque ad extremum extenſis, in abdomen ruunt aquæ, & ad ultimum capacitatis ſuæ limen paulatim diſtendunt, donec tamen in viſcera nobiliora impetu ab iis facto æger ſubmergitur. Pro rata qua partes à morbo obſeſſæ mole augentur, alię magis magiſq; gracileſcunt, urgentibus dyſpnœa, urinæ paucitate, & ſiti intenſa. Viros ingraveſcente ætate; fœminas, ubi jam parere deſierint, ut plurimum adoritur.

Indicationes curativæ dirigendæ ſunt primo ad aquarum evacuationem, deinde ad inſtaurandum ſanguinis robur; quo novus aquarum proventus præcaveri poſſit.

℞ *Vini albi* ℥iv. *Jalap. ſubtiliſſ. pulv.* drachm. *i zinzib. pulv.* ℈ſs. *Sir. de Spin. Cervin.* unc *i. M f. Potio*, ſumenda ſummo mane, repetendaq; ſingulis vel alternis diebus, pro ratione virium donec partes affectæ detumuerint; vel,

℞ *Tamarind.* unc. ß. *fol. Senn.* drachm. *ii. Rhei* drachm *i. ſs. Coq in ſ. q. aq. ad* unc. *iii. in Colatur diſſolv. Mannæ & Sir. Roſ. ſolut. an.* unc *i. Sir. de Spin. cervin.* unc. ß. *Elect e ſucc Roſar.* drachm. *iii. M f. Potio*, ſumenda ut ſupra; vel,

℞ *Pil. ex duob.* ſcrup *i. Elater gr. iii: Ol. Chim. Cariophil. gutt. f. Pil. N. iii.* capo ſummo manè, repetanturque, ut opus fuerit; vel,

℞ *Gambugii gr. xv. vin. alb. & aq. Cichor. an unc. ſs. m. f potio*: ſumenda ut ſupra; vel,

℞ *Cortic. interior. Sambuc & lact. partibus æque e ligno deraſi M. iii. coq. in aq. miſtorum* ℔ii. *an* ℔i. Colaturæ capiat dimidiam partem manè, & alteram ſero quotidie, donec convaleſcat. At hoc remedium, niſi in corporibus, que facillimè purgativis cedunt, nihil confert.

Circa uſum Catharticorum in hoc morbo hæc tria advertenda ſunt.

Primo, utrum ægri corpus facilè an verò difficulter Cartharticis cedere ſoleat, cum in iis qui facile purgantur *Sirup. de Spin. Cervin ſolus ad unc. i.* exhibitus aquas ſat copioſè eliciat, in illis vero, qui difficulter purgantur, Cathartica ſupra deſcripta, utut valida, vix ſcopum attingant.

Secundo, Cathartica omnia quæ ſegnius operantur, magis officiunt quam proſunt; quamobrem purgatio paulo fortior & nimia, juſto debiliori eſt præferenda.

Tertio, Aquæ ea maxima celeritate exhauriri debent quam ægri vires ferre queant: ne nimis longa inter purgationes intervalla adhibendo, aq. denuo affatim colligantur.

Eſt autem ubi medicamenta omnia, qualiſcunq; demum generis, quæ alvum movent, prorſus omitti poſſint ac debeant; quoties; enim æger conſtitutione eſt infirmiori, vel fœmina vaporibus obnoxia, aquarum evacuatio Diureticis ſolum committenda, inter quæ ea ſunt efficaciſſima, quæ ex ſalibus Lixivialibus fiunt; ut,

℞. *Cinerum Geniſtæ* ℔j. *infundantur frigide in vini Rhenan.* ℔iv. *liquoris per filtrationem colati unc. iii.* manè quinta pomeridiana & ſero ſingulis diebus exhibeantur, uſq; dum humor evanuerit.

Aquis jam penitus evacuatis Calefacientia & corroborantia medicamenta uſurpanda; ut,

℞ *Rad. Raphan. Ruſtican fol. cochl. hortenſ. abſinth. vulgar Salv. ſummitat. centaur. min. & Geniſtæ, infundantur in cereviſia ſorti* pro potu ordinario, qui potus incipienti hydropi aliquando ſine Catharticis ſubvenit, vel ſequent. utatur;

℞ *Conſerv. Cochl. hortens. abſinth. Roman. an. unc. i. Extract. Gentian. Abſinth. vulgar & Centaur. min an.* ℥iii. *cum ſ. q. e cort. f. Electuarium*, de quo ſumat ad quantitatem unc. moſchat. maj. manè, quinta pomeridiana, & veſperi, ſuperbibend. *unc. iv.* ſequentis infuſionis.

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Gentian. unc. i. summitat. Genist. Centaur. min. & Absinth. vulgar. an. M. j. Sem. fœnicul. & Petroselini an.* ℥ii. *incisis minutim affunde vini Rhenani* lib. *iv. stent simul in infusione frigida*, & coletur solummodo tempore usus.

Notandum, cum ad corroborantium usum deventum fuerit, ægrum nullo modo esse purgandum, tantisper dum sanguinis corroborationi navetur opera.

Quod & per salium Lixivialium usu omnino observandum, quo quidem tempore pariter corroborare convenit.

℞. *Rad. Raphan. Rustican.* unc. *iii. fol. Cochl. Hortens. absint. vulg. salviæ, summitat. Centaur. & Genistæ, an. M. iii. Aurant. incis. N. iii. Infundatur in Congis iv. Cerevisiæ fortis non lupulatæ, inter fermentandum*; sit pro potu ordinario.

De Gonorrhœa virulenta.

Corripiunt dolor genitalium insolitus, & rotatio testiculorum, in non recutitis macula morbili æmula glandem occupat, statim à cujus exortu liquor, seminis instar, exstillat, qui quotidie à seminis colore & consistentia recedens flavescit tandem dilutius ovi vitello; in lue virulentiore virescit, & aqueo humor permiscetur sanguine tincto. Pustula dicta ulcus fit, aphthis infantum simile, indies latius & profundius depascens, superveniente orificij callo. Verbi non glandis, ulcere, sola Gonorrhœa tentantur. Mox magnus dolor in pene, quoties erigitur, quasi manu transversus fortiter constringeretur, noctu præcipue urget, dum æger lecto incalescit. Curvatur penis à fræno contracto. Accedit ardor urinæ, inter mingendum vix perceptibilis, sed mictu finito, per urethræ ductum acriter urens, maxime qua in glandem desinit. Carunculæ lotij exitum quandoq; impediunt, & scroti dolor ac inflammatio nonnnnquam superveniunt.

℞ *Mass Pil. Coch. maj.* drachm. *iii. Extract Rud* ℥i. *Resin. Jalap. & Diagrid. an. dr. m. cum s. q. Opobalsam. f. Pil. è singulis drachmis vi*, cap. *iv.* singulis Autoris, donec urinæ ardor & calor flavus materiæ seminiformis, admodum imminuantur. Postea alternis diebus ad septimanas adhuc duas; ac sub finem bis in septimana, donec humor stillare prorsus cessaverit.

In iis, qui difficulter purgantur, subinde intercalari possit potio communis purgativa, qui addantur, *Syr. è Spin. Cervin. & Elect Succ. Rosar. an.* drachm. *ii.* vel, curatione minus fæliciter succedente *Turbith. Minerale ad gr.* viii. exhiberi potest bis vel ter, diebus quatuor interpositis, vel vice *Turbith. Mineral.*

℞. *Pil. ex duob* ℥ß. *Merc. dulc.* ℈*i. cum seq. Opobalsam. f. pil. iv.* summo manè sumendæ.

Si æger à dicta Catharsi abhorreat, pilulas primo descriptas, tribus Aurororis continuis sumptas, tum mane & hora quinta promeridiana quotidie injiciatur Clyster sequens, nisi quod semel aut bis in hebdomade, omisso Clystere. Cathartic. imperandum.

℞. *Elect. è succ. Rosar.* drachm. *vi. Terebinth. Venet. Vitello ovi solut.* ℥ß. *dissolvantur Aq. hord.* lib. *i. Colatur. adde Violar.* ℥. *ii. M. f. Clister.*

Singulis noctibus cap. *Opobalsam vel Balsam. è Mech. gutt. xx. Sacch. frustulo exceptas*. Hujus defectu *Terebinth. Cibr.* ad quantitatem Avellanæ substitui possit.

Sit pro potu hydrogala; at Cerevisia tenuis in pastubus.

Vel sequenrem methodū aggrediatur.

℞. *Pil. ex duob.* ℥ß. *Opobalsam. gutt. iii. f. Pil. num. iii.* Cap. hora quarta matutina, superdormiendo, repetanturque alternis diebus, vel tertia quaque die Diebus à purgatione vacuis injiciatur mane & hora quinta pomeridiana Clyster supra descriptus.

Procedente curatione [quacunq; ea demum methodo tenentur] sanguis sub medium curationis semel vel bis mittatur, & diæta refrigerans & incrassans præscribatur, & medicamenta iisdem virtutibus pollentia, qualia sunt *hidrogala, Emulsiones ex seminib. frig. &c.*

Si

Si Penis Tumore afficiatur.

℞. *Rad. Althææ, Lilior. an.* ℥ij. *fol. Malv. Verbasc. Sambuc. Hyoscyam. flor. chamæmel. Melilot. an. M. i. sem. Lini, Fænugræc. an.* ℥ß. *coq. s. q. Aq. font. & f. fotus* parti affectæ admovendus per horæ unius spatium bis vel ter in die.

Peracta fomentatione, perungatur pars affecta ol. sem. Lin. rec. extract. dein. *Emplast. e mucilaginibus alutæ agninæ inductum* labiis præputij tumidis circumponatur.

Si Ulcus in præputij labiis, vel in subjecta Glande, hæreat, tum sequens Linimentum præscribatur.

℞. *Vnguent. Basilic.* ℥vi. *Vnguent. Nigotian.* ℥ii. *præcipitat. Aq. Rosar. loti & optime levigat.* ℥ß. *M. f. linimentum*, quo lintei rasura imbuatur, & ulcusculo admoveatur semper post fotus præscripti usum.

Si scrotum tumore afficiatur, statim sanguis è brachio extrahatur, atque bis in die fotus præscriptus parti affecta admoveatur, singul. fotubus addendo *Sp. vin. Gallic. Cochl. i. vel alterarum, vel Cataplasma ex Oxycrato & farina fabarum* ejus loco applicandum.

Catharticis interim & refrigerantibus modo descriptis introsumptis utendum est.

De Lue Venerea.

Ubi aut à Gonorrhæa mota, aut indebito astringentium usu labes sanguini imprimitur, exoritur Lues. Comparent in inguine bubones, in capite dolores & artubus, articulorum interstitus, noctu præcipuè invadentes in lecto calidos, crustulæ & porrigines in variis corporis partibus, quæ ad instar flavi flavescunt. Quo magis scabies diffunditur, tanto minus æger discruciatur. In cranio, tibiis bachiisque exostoses, ossium inflammatio & caries; ulcera phagædenica in variis partibus, sed fauces ut plurimum primo aggredientia quæ sensim per palatum in nasi cartilaginem propagata mox eam absumunt ita ut fulcro destitutus nasus planè concidat. Ulceribus, carie & dolore indies exacerbatis, pereunt per vices membra; lacerum donec cadaver, & iam Superis grave humo condatur.

℞ *Axung. Porc.* ℥i. *Mercur crud.* ℥i. *M. f. Linimentum*, in tres æquales partes dividendum, quarum una brachio, crura & tibias ad tres noctes continuas manibus sui æger perungat.

Si intra tres dies post ultimam inunctionem salivatio haud procedat, tum *gr. viii. Turbinth. mineral. in conserv. Rosar. rubr. exhibeantur aut corporibus minus robustis, Merc. dulc.* ℈i. Sed si salivatio jam incæpta prius elanguescat quàm symptomata penitus disparuerint extimulanda subindè est eadem dosi Mercur. dulc.

Ptyalismus ita moderari debet, ut lib. iv. Nycthemeri spatio expuat, aut circiter.

Si justo altius exurgat Ptyalismus, cum inflammatione nimia, atque id genus symptomatis ingruentibus aliquantulum reprimendus est medicamentis Catharticis, donec debitum gradum attingat.

Quamprimum symptomata cessaverint statim immutentur indusium & tori lintea; at sint ea, quæ prius usurpata fuerint.

Si Diarrhœa supervenerit (quod plerumque accidit antequam salivatio benè assurgat) tunc sistenda est usu Laudan. Liquid. ita dosin augendo atque repetendo, ut debitum opus absolvat.

Si os exulceretur, *Aq. Ros. Damascen. vel lacte Aq. permisto*, vel seq. decoct. idem colluatur.

℞ *Rad. Alth. Hord. mundat. an.* ℥i. *sem. Cydonior.* ℥ß *coq. aq. ad lib. ii. M. f. Gargarisma*, quo sæpius utatur.

Diæta & reliquum ægri regimen, eadem ac in Catharsi imperanda, nisi quod primis aliquot diebus liquore pottetico, jusculis avenac. hordeac. ac cerevisia tenui tepefacta nutriatur.

His omnibus ritè peractis (etiamsi symptomata omnia evanuerint, ac subindè morbus penitus profligari videatur) quo minus recidivam postliminio patiatur, ægro semel in septimana per 4. vel 6. vices, *Mercur. dulc.* ℈i. exhibendus, ut cunque se habeat, & etiamsi jam domo egrediatur.

De Fluore albo.

Quod effluit, modo album, modo pallidum, flavum, viride aut subnigrum modo acre & erodens, tetrum quandoque & graveolens, decoloratur facies, dolet spina dosi, prosternitur appetentia, oculi pedesque intumescunt.

Mittatur sanguis è brachio ad *unc. viii.*

R. Pil. Coch. maj. ℈ii. Castor. gr. ii. Balsam. peruv gutt. iii. f. pil. N. iv. cap. hora quarta matutina, superdormiendo; repetanturq; per duas alias vices interponendo diem unum vel alterum pro ratione virium.

R. Aq Rut. unc. iv. aq. Brion. comp unc. ii. sacchar crystall q. s. f. Iulapium; cap. cochl. *iii.* vel *iv.* in omni languore; deinde aggrediatur usum sequentium.

R. Theriac. andromac. unc. i. m conserv. flaved. aurant. unc. i. Diascord. unc. m. Zinzib. condit. & nuc. moschat condit. an. drachm. *iii. pulv. è chel. cancr. comp. dr. i. m. cort. exterior. granat. Rad. angelic. Hispan. corall rubr præpar & Trochis. de terra lemnia an. dr. i. Bol armen ℈ii. Gumm arabic. dr. m. cum s. q sir. de Rosis siccis f. Electuar.* de quo summat ad magnitud. nuc moschat maj. manè, hora quinta promeridiana, & nocte per mense integrum, superbibendo sequent. infusionis cochl. *vi.*

℞. Rad enul. campan. Imperator angelic. calami aromat an unc. m. fol absinth Roman. m. arrub. alb. centaur. min. calamenth. Vulgar. salv sic an m. i bac. iunip unc. i. incidantur minutim & infundantur in Vini canarini ℔iv. stent simul in infusione frigida, colatur tantummodo tempore usus.

Vescatur cibis eupeptis, & abstineat, ab usu oleorum & fructuum qualiumcunque & singul pastibus bibat vinum Hispanicum.

De Diabete.

Succi sanguini illati per vias urinarias crudi & inconcocti exitum sibi quærunt, unde sensim labefactantur, vires colliquescit corpus, & quasi substantia ejus per hanc cloacam exinanitur, cum siti, ardore viscerum, lumborum coxarumque intumescentia, & salivæ spumosæ expuitione crebra.

Eadem præscribenda sunt, quæ in fluore albo, omissis solummodo Venæ sectione & catharsi.

De Dolore Hæmorrhoidum.

Intensimus inter excernendum dolor excruciat, & excrementi superficies cruore conspergitur: Nonnunquam tumores verrucis similes in sphincter delitescunt, vel in margine ani apparent,

Mittatur sanguis è brachio dextro ad *unc. x.*

℞. Sem. Melon. pepon. an. unc. m. sem. papav. alb. dr. ii. Amygd. dulc. excorticat. Numero v. contundantur in mortario marmoreo, sensim affundend. aqua Hord. ℔. i. m. aqua Rosarum dr. ii. Sacchar albiss. q. s. f. s. a. emulsio; capit. *unc. iii.* sæpiuscule.

℞ Flor Sulphuris, pulv. Glycirrhiz. salviæ an dr. i. cum s. q. balsam. lucatel. f. pil è sing. drachm *vi.*; cap. *iii.* ter in die, superbibendum Emulsion. præscriptum cochl. *vi.*

℞ aqua Spermat. Ranar. unc. iv. in qua dissolv. lithargir. dr. ii. Opij ℈i. fiat mixtur. cujus tantillo Linteum madefactum parti affectæ applicetur, vel si tumor intus lateat, cochl. *iii.* ejusdem mixturæ modo clysteris injiciantur.

Pro Potu ordinario bibat aquam cum lacte coctam, vel aquam hordei; & à carnis usu abstineat. Singulis noctibus sumat Diacodium.

De fluxu Hæmorrhoidum immodico.

Innotescit ex viribus prostratis, copia & diuturnitate sanguinis excreti, fœdo corporis colore, ad citrinum (ut in ictero) vergente succedit cachexia, & deinde hydrops.

Eadem conferunt, quæ in fluxu mensium immodico, omissa solummodo Catharsi.

De

De Epilepsia Puerorum.

Vel primo mense aggreditur à frequentibus nimis alvi dejectionibus (quo in casu *Diascordium ad quantitatem grani piperis aqua saxifrag. aut lacte materno solutum*, & exhibitum præstantissimum est remedium.] Vel circa dentitionis tempus, à septimo ad decimum mensem, tussi commitata est, aut (quod multo deterius) vomitu & diarrhœa, viridia [ut solent hystericæ] egerente infante. Quandoque improvisò occupat paroxysmus, os oculosque distorquens, nigredine vultum perfundens, & artus varios convellens; quandoque præsentitur ex digitorum in pugnum contractione, & ex stabili & insolita oculorum orbitarum immobilitate. Nunc serius, nunc ocius se proripiunt paroxysmi, certa subinde periodo, vago aliàs insultu revertentes; sed, appetente morte, à tergo se invicem premunt: Si quando inducias dent, in soporem proclives sunt infantes, donec à novo resuscitentur insultu.

Applicetur *Emplastr. Epispastic.* cervici quamprimum.

R. Aqua Epilept. lang. ℥iii. *laudan. liquid. gut i vel ii. vel plures, pro ratione ætatis, syr. pæon.* ℥i. *M. F. Haustus*, sumendus quamprimum.

R. Aq. Rutæ unc. *iii aq. Epilep. lang & aqua Brion comp an* unc. *i syr. cariophill.* unc. m. *M. f. Iulap* cap Cochl j singulis horis, si haustum præscript. paroxysmum non fugaverit.

De Rachritide.

In Rachritide adsunt partium laxitas & mollities, debilitas & languor, ignavia & torpor, & inæqualis earundem nutritio, *viz.* caput justo majus, facies plenior & floridior, partes carnosæ infra caput emaciantur, nodis protuberant articuli, maximè carpi, paulo minus tali, tument & extremitates costarum, ossa incurvantur, præcipuè tibiæ & fibulæ, hinc ulnæ & radii, aliquando femoris & humeri, dentes tardè & molestè erumpunt, vacillant, nigrescunt & frustulatim excidunt pectus a lateribus angustum, anterius acuminatum, abdominis repletio, & hypochondriorum tensio, tussis & pulmonum vitia lacessunt, lateralis decubitus modò dextri, modo sinistri aversatio.

R. Fol Absinth. Vulgar. centaur. minor. Marrub. alb. chamædrios Scordii, calamenth. vulg. Parthen Saxifrag pratens hyper. Virg. aureæ, serpill. menth salv. Rutæ card. Benedict puleg. abrotan. chamæmel. Tanacet. lilior. convall. omnium reg. collect. incis. an. M. i axung. porcin. ℔ *ii. sev. ovin. & Vin. claret. an.* ℔ *ii. macerentur in olla fictili super cineres calidos per horas xii. deinde ebulliant ad humiditatis consumptionem, & postea colentur, ut f. linimentum*, quo venter & hypochondria illinantur manè & serò, ut etiam & artus hoc malo affecti, per 30 vel 40 dies, vel donec convaluerit.

R Singulor. ingredient. præscript an. m. ii. infundantur frigidè in Cereviſiæ non Lupulat Cong iiij pro potu.

In Tumoribus Infantum ventres occupantibus ab Evacuationibus nimiis procedentibus.

Sanguis & Viscera herbis corroborantibus confortentur, ut in Rachitide vera nisi quod auxillę etiam utraque inunguntur, at non artus.

De Febribus à Dentitione ortis.

Sp. C. C. gutt. ii. vel iii. vel iv. pro ratione ætatis in cochl. j. vel altero Aq. cerasor. nigr. vel Julap. alterius appropriati, exhibeantur quarta quaque hora ad vices quatuor, vel sex.

De Febre hectica Infantum.

Sine insigni calore languent cum appetitus dejectione, artus & truncus corporis emaciantur.

Rhabarb incisi dr ii in lagenam vitream cereviſię tenuis ℔ *ii. capacem* immitatur potu ordinario.

Epoto hoc liquore, *aliæ* ℔ *ii. eidem Rhabarb. superaffundantur ad tertiam vicem.*

Si

Si verò potus vi Cathartica saturatiùs impregnetur, tum ℔j. epota alteri cerevisia mox adjiciatur.

De Tussi puerorum Convulsiva.

Phlebotomia, & repetita Catharsi, eaque sola, expugnetur hæc tussis, malum alias pertinacissimum, & fere insuperabile; sed leniora tantum cathartica hic conveniunt, eaque cochleatim ingerenda sunt, pro ratione ætatis.

De Hæmorrhagia Narium.

Dolor & calor sinciput lancinant.

Sanguis è brachio frequenter extrahatur, victus ratio refrigerans & incrassans injungatur; Julap. refriger. & incrassans, cum Emulsionibus refrigerantib. præscribantur.

Singulis diebus injiciatur *Enema refrigerans*, atque omni nocte *paregoric. ex Syrup. de Mecon.* exhibeatur & semel vel bis *potio purgativa commun.* præscribatur.

Linteа quadruplicata immersa aq. frigidæ, in qua sal prunell. dissolvatur, & postea leviter expressa admoveantur nuchæ, & utrinque cervici sæpius in die.

Post Evacuationes liquor seq. applicetur.

℞. *Vitriol. hungaric. & alum. an.* ℥i. *phlegmat. Vitriol.* ℔ß. *Coq. tamdiu, donec omnia fuerint dissoluta, liquorem frigefactum filtra, & à Crystallis subinde natis separa, liquori residuo adde Ol. Vitrioli duodecimam partem;* vel potius.

℞. *Aq. plantag.* ℥iii. *Bol armen. subtiliss. pulver.* ℥ß. *probe misceantur; Turunda ex linteo raso liquore hoc humectata* nari, ex quo sanguis stillat, indatur per dies istic relinquenda.

Hoc minus succedente, *Vitriol. Rom. aq. commun. dissolvatur, qua Turunda imbuta* nari indatur, *liquore* etiam *hoc linteamina imbuta*, & applicata sanguinem sistunt si ex parte externa diffluat.

De Chlorosi.

Adsunt vultus & totius corporis decoloratio, intumescentia in facie, palpebris & malleolis, gravitas totius corporis, crurum ac pedum tensiva lassitudo, respiratio difficilis, cordis palpitatio, capitis dolor, pulsus febrilis, somnolentia, pica & mensium suppressio.

Sumat *pilulas Chalybeatas*, vel *pulv. chalybeatum* in affectione hysterica prescript. plus minus pro ratione ætatis, superbibend. haustum vini cujuslibet ad libitum, vel infusion. corroborant. cum Rad. Angelic. ibidem descriptam ℈ß. Ægra non valde debilis fuerit, purgetur semel vel bis ante præscriptorum usum.

De Suppressione Mensium.

Cibum fastidiunt mulierculæ, fœdus faciei color est, gravitas totius corporis, dolores sincipitis, lumborum, crurum & imi ventris; pedum tumore infestant.

Eadem præscribenda ac in Hysterica affectione; at si iisdem remediis affectus non cesserit, tum seq. sunt prescribenda.

Singulis Auroris, & quarta pomeridiana, sumat *Julap. hysteric. sive castor. cochl. v. instilland. Sp. C. C. gutt. xii.* Singulis noctibus sumat cubitum itura *Trochisc. de Myrrh* ℈i. *cum syr. de artemis. in formam boli vel pil. redact.*

De Vomitu sanguin. vel etiam de hæmoptoe.

In Hæmoptoe dolor & calor pectus obsident, cum debilitate quadam.

Mittatur sanguis ex brachio dextro ad ℥x. Sequenti mane *sumat potionem purgativ. commun.* & eadem nocte *paregoric. ex* ℥iii. *aq. Cerasor. nigr. & Syr. de Mecon.* ℥i.

Postea aggrediatur usum sequent.

℞. *Bol. armen. unc. i. pulv. Radic. Symphit.* ℥ii. *Terr. Sigillat. Lapid. hæmatit. & Sang. Dracon. an.* ℥i. *Saccbar. albiss. ad pondus omnium; Misceatur fiat pul-*

vis

vis ſubtiliſſimus, cujus cap. ℥j. manè quinta pomeridiana, & nocte, ſuperbibend. ſequent. Apozemat. ℥iv.

℞, *Fol. Plantag. Rub. Sylveſtris, & millefol. an. M. i. coq. ſ. q. Aq. ad* ℔iß, *in Colatura diſſolv. Syrup de Symphyt.* ℥ii. *M. f. Apozema*; vel cap. Cochl. vj. ſequent. Tincturæ.

℞. *Flor. Roſ. rubr.* ℥vi. *Cort. interna querc.* ℥ß. *ſem. plantag. parum contuſ.* ℥iii. *Aq. font.* ℔ii. *Sp. Vitriol. q. ſ. ad levem aciditatem, infundantur in vaſe clauſo, calore leni, per 4. horas; Colatur. adde aq. cinnam. Hordeat.* ℥iii, *Sacchar. Albiſſ. q. ſ. ut f. Tinctura guſtui grata.*

Si ab uſu Pulveris abhorreat, utatur Electuario influxu menſium immodico præſcripto.

Enema quotidie injiciatur, & Diacodium hora ſomni propinetur.

Phlebotomia inſuper ſemel, bis, vel ter (ut opus fuerit) reiteretur, diebus aliquot interpoſitis; & ſemel iterum, ſi res poſtulet, repetatur potio purgativa.

Diæta incraſſans & refrigerans obſervanda.

De Punctura Tendinis.

Humor aqueus, vel ichor quidam, ex orificio venæ inciſæ jugiter deſtillat.

℞, *Rad. Lilior. alb. in lacte vaccin. ad teneritud. coct. & contuſ.* ℥iv, *farin. ſem. Lin. & Avenac. an.* ℥iii. *coq. ad cataplaſmatis conſiſtentiam in eadem lacte quo radices coctæ fuere*, applicetur parti affectæ manè & ſero.

De Ambuſtis.

Foveatur pars affecta *linteis Sp. vini imbutis*, uſque dum evaneſcat dolor, ac deinceps de novo imbuatur *linteum* quod ter vel quater in die parti affectæ applicetur.

De Mania Communi.

A nimis exaltata & vivida ſanguinis craſi oritur. Eſt & alia manię ſpecies febres intermittentes diuturniores excipiens, in ſtultitiam tandem degenerans, producta quidem à debilitate & vappiditate ſanguinis, à diutina fermentatione. Præſcribantur itaq; cardiaca generoſiora, *viz. Ther. Andromach Electuar. de ovo, pulv. Comitiſſ. pulv. Gualt. Ravvleigh, in Aq. epidem. theriacal. vel alia*, & diæta inſtituatur analeptica.

In junioribus mittatur ſanguis e brachio ad *unc. viii.* vel *ix.* bis vel ter, diebus tribus inter ſingulas Venæ-ſectiones interpoſitis. Tum ſemel extrahatur ſanguis e venis jugularibus. Poſtea tota curatio innitatur ſequenti Cathartico, quod ſumat tertia vel quarta quaque die, donec convaluerit, hoc interim obſervando, quod cum octies vel decies purgatus fuerit æger, exhibitio Cathartici ad ſeptimanam unam vel alteram omittatur.

℞, *Pharmac. domeſtic.* (i. e. *Rad. Bryon. alb.*) *pulv.* ℥j. lactis vaccin. *unc. iv*, vel

℞, *Eiuſdem unc.* ß, *vel* ℥vi. *vin. alb. unc. iv. infundantur per noctem, in colatura diſſolve ſyr. violar. unc. i. M. f. potio*; vel

℞, *Gambugii gr. xiv, aq. Ceraſorum nigr. unc. iii, ſyr. Caryophyll. unc.* ß, *f. potio.*

De Contuſionibus.

Mittatur ſanguis e brachio lateris magis affecti ad unc. *x.* ſeq. mane exhibeatur *potio communis purgativ.* ac deinceps eodem modo Venæ-ſectio & purgatio alternatim repetantur, donec æger convaluerit. Interim toto decurſu, ſi internæ partes lædantur, ſequentia præſcribatur.

℞, *Decoct. pectoral.* ℔iß. *ſyr. violar. cap. ven. an. unc. ii. f. apozema*, cap. ℔ß, ter in die. Item *Ol. amygd. dulcres. Cochl. i.* ſæpius propinetur.

℞, *Ol. amygd. dulc. unguent. Dialth. &*

Pomat. an. unc. i. M. f. Linimentum, quo inungatur pars læsa mane & sero, superimponend. fol. Brassicæ.

De furfure, sive prorrigine capitis.

Potio purgans communis bis propinetur, dein

℞. *Ol. Amygd. Amarar. & Laurini, Cinerum fol. Abrotani an. unc. i. mis. ceantur probe, & f. Linimentum*, quo inungatur totum caput singulis matutinis, diligenter infricando, & postea superimponendo vesicam suillam.

At primum abradatur totum capillitium, & postea defricentur squamulæ sensim singulis auroris; prout decidere pronæ fuerint.

De Morsu canis Rabidi.

Post 40 dies aut plures melancholica adsunt symptomata, febris, sitis, Hydrophobia, & tandem partium extremarum convulsio.

℞. *Sp. vin. optime rectificat* ℥iv. *Theriac. Andromach.* ℥i. *f. mixtura*, qua illinatur pars læsa ter in die, superimponendo linteum eadem mixtura imbutum.

De Ulcere Vesicæ.

Pus graveolens, aut sanguinis nonunquam squammulæ seu pelliculæ membraneæ ac veluti furfuraceæ crustulæ [sin in renibus hæreat ulcus carunculę minutulæ, aliquando crassiores] una cum urina excernuntur, perpetua dysuria & continuis earum partium dolor infectant; renibus autem affectis ulcere, dilucida dysuriæ & doloris dantur intervalla, pus etiam excretum copiosius, est, album, leve & minime fœtidum, lacti similis profunditur urina: & longe post mictionem pus ab eo separatum in fundo residet.

℞. *Emplastr. Flor. unguent. diæ.* ℥iß. *f. Pil. N. ix.* cap. iii. horis Medicinalibus, superbibendo sequentis Aq. Cochl. *vi.*

℞ *Rad. Fœnicul. Consol. Aristoloch. & Caryophyll. an.* ℥iii. *fol. Agrimon. Hyper. Sanicul. Plantag. an. M. vi, incidantur minutim, & distillentur in vini alb. & lact. an.* ℔iv *& eliciantur solummodo* ℔iv pro usu.

℞. *Pulv. Rad. Consolid. maj. & gumm. Arabic. an.* ℥i. *Sacchar. Penid.* ℥ii. *f. Pulv.* cap. Cochl. i. bis in die.

De Asthmate inveterato in iis, qui sanguineo temperamento præditi sunt.

Dividitur in tres species; Dyspnœam, quę difficilis est respiratio, in qua crebrior densiorque est spiritus tractio ex infarctu pulmonum sine stertore oriunda: Asthma, ubi frequens & magna respiratio in qua diaphragma, musculi intercostales, tum etiam abdominis, violenter, moventur, cum stertore & sibilo. In priore specie substantia pulmonum, in posteriore bronchia oppilantur. Et Orthopnœam, quę est maxima spirandi difficultas, sub qua ægrotantes non nisi sedentes, & erecta cervice respirare possunt. Musculi etiam pectoris & scapularum vehementer exagitantur.

Mittatur sanguis è brachio dextro ad unc. x. Die sequent. sumat *potionem purgativam communem*, quæ repetatur tertia quaque die per duas alias vices.

Diebus è Purgatione vacuis sumat sequentia.

℞. *Sem. Anis. subtiliss. pulv.* ℥ii. *cum s. q. Balsam. Lucatell. f. pil. ex singulis drachmis vi.* cap. iii. mane & quinta pomeridiana, superbibend. *decoct. Amari sine purgantibus unc. iv.* calide.

Si Symptomata adhuc maneant, repetatur de novo integer Processus.

De Paralysi.

Sensus & motus in partibus quæ afficiuntur, vel simul, vel alterutra tantum facultas aut prorsus extinguitur aut vitiatur.

Sumat *pil. Coc. min.* ℈ii. alternis matutinis per *vi.* vices deinde capiat ter in die per *xxx.* dies *Electuar. Antiscorbutic.* ℥ii. superbibend. *Aq. Antiscorbutic. Cochl. vi.* Vide in Scorbuto.

℞. *Unguent. Nervin. unc. iii. Spir. Lavendul. comp. & Sp. Cochl. hortens. an.* ℥iß.

M. &

M. & inungantur partes affectæ, ut ſpina dorſi, &c. manè & ſero.

Pleraque præſcriptorum, ut ut curationi ſcorbuti ſolum deſtinari videantur, attamen cum humores crudos ad fixos volatiliſare præ aliis apta nata ſunt, in Paralyſi etiam conveniunt.

De tuſſi & Phthiſi.

Tuſſis per ſe patet. Phthiſis autem invadit ab ætatis anno 18. ad 35. Extenuatur totum corpus Febris moleſtat hectica, à cibo invaleſcens (quæ ex celeritate pulſus, rubedineque genarum dignoſcitur) materia per tuſſim excreta cruenta eſt aut purulenta, in ignem conjecta tetrum ſpirat odorem, & immiſſa in vas aqua repletum, fundum petit. Sudores nocturnis ſuperveniunt, liveſcunt tandem genæ, facies pallet, execuuntur nares; temporum quoque colapſus, unguium incurvatio, capillorum defluxio, & alvi profluvium colliquativum, mortem ſtatim ſubſecuturam denunciant.

Si Tuſſis recens fuerit, & nondum febrim, aut alia ſina Peripneumoniam notham comitantia, accerſiverit, vel ſi à Pleuritide, aut Peripneumonia, ob neglectam ſufficientem Phlebotomiam, malè curatis eadem nequaquam orta fuerit, ſatis erit, ut æger per dies aliquot ab uſu vini & carnis abſtineat, & his ſimilibus remediis ad libitum utatur.

Balſamum ſulphuris Antiſatum ad gutt. x. Cochl. i. Sacchar. cryſtall. inſtillatum bis vel ter in die devoretur; ut etiam Tabellar. ſequent. quas ſecum æger continuo portet, unam frequenter aſſumat.

℞. *Saccbar. cand.* ℔ß. *coq. ſ. Aq. font. uſque dum adhæreſcat extremis digitor. tum adde pulv. Glycyrrhizæ, Enul. Campan. ſem. Aniſ. & Angelic. an.* ℥ß. *pulv. Irid. Florentin. Sulphur. an.* ℥ii. *Ol. Chym. Anyſi* ℈ii *f. ſ. a. Tabellæ domeſticæ vocand.* atque hoc interim Eclegmate utatur.

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥ii. *Syr. cap. Ven. Violac. an. unc. i Sacchar. cand. q. ſ. f. Lohoch.* de quo ſæpius lambat bacillo Glycyrrhizæ, quando tuſſis urget.

In defluxione tenui *Eclegmata incraſſantia* exhiberi poterunt.

Sin vero Tuſſis his remediis haud ceſſaret [præcipuè autem ſi febrem comitem habeat, vel ſi à Peripneumonia aut Pleuritide originem ducat) tum ineptum fuerit pectoralibus fidere; ſed Venæ-ſectione & Catharſi debellanda eſt, ut in methodo, quæ in curatione Peripneumoniæ nothæ deſcribitur.

Verum enim vero cum, his omnibus non obſtantibus, Tuſſis non modo non curationi ceſſarit, ſed & diuturna Pulmonum concuſſione eos adeo debilitaverit, ut Phthiſis tandem ſubingreſſa fuerit, tum hac methodo procedendum.

℞. *Balſam. peruv. gutt. x. inſtillentur Cochl. i. Syr. Hederæ terreſtris*, vel ſi id minus gratum fuerit ægro, *Cochl. i. Sacchar. cryſtall.* cap ter in die ſuperbibendo *Decocti Amari ſine purgantib. unc. iv.* vel (ſi idem ventrem moverit) *unc. iii.*

Sed omnibus aliis (quotquot adhuc inventa ſunt) *Equitatio* ad ſatis longa & diutina itinera facilè palmam præripit, hoc obſervando, ut ſi æger juvenilem ætatem prætergreſſus fuerit, plus temporis huic exercitio impendere debet, quam ſi pater aut juvenis eſſet, & ſane haud multo certius Cortex Peruv. febri intermittenti, quam in hac ætate Equitatio Phthiſi medetur.

De Scorbuto.

Adſunt ſpontaneæ laſſitudines, corporis gravitas, dyſpnœa, præcipue ex motu corporis, gingivarum putrefactio, oris graveolentia, ſanguinis è naribus crebra eruptio, ambulandi difficultas, crurum nunc intumeſcentia, nunc extenuatio, in iiſdem perpetuo maculæ lividæ, plumbeæ, flave, aut violaceæ, faciei color plerumque ex pallido fuſcus.

Extrahatur ſanguis è brachio ad *unc. viii.* niſi ſigna Hydropis adfuerint: Seq. mane exhibeatur Potio Purgat. communis, quæ repetatur tertia quaque die per duas alias vices.

Diebus à purgatione vacuis, uti etiam poſtea, per menſem unum vel alterum ſumat ſequentia.

℞. *Conserv. Cochl. hortens. unc. ii. Conserv. Lujul. unc. j. pulv. Ari compos. ʒvi. cum s. q. Syr. Aurantior. f. Electuar.* de quo cap. ad magnitud. nuc. moschat. mai. manè, quinta pomeridiana, & nocte super bibendo *Aq. Raphan. compos. Cochl. vi.* vel sequentis.

℞. *Rad. Raphan. Rusticam. raspat. ℔. ii. rad. Ari ℔i. fol. Cochl. hort. M. xii. fol. Menth. Salv. Nasturt. Aquat. & Becabung. an. M. i. Sem. Cochl. hort. parum contus. lib. ß. nuc. Moschat. unc. ß. Vin. Alb. lib. xii. destillentur organis comunib. & elician-tur solummodo lib. vi.* pro usu.

Vel *Folia Rec. Cochl. hortens. per se de-stillentur* pro usu dicto.

Porro sequens cerevisia fit pro potu ordinario.

℞ *Rad. Raphan. Rustican. recentis inci-si ʒii. fol. cochl. hort. num. xii. passular. enucleat. n. vi. Aurant. cum toto incisi dimi-dium, in Lagenam vitream lib. ii. Cerevi-siæ tenuis capacem subere mox probe obtu-rundam immittatur.*

In hunc modum parentur eodem tempore sex Lagenæ pro usu, & post aliquot dies sex aliæ antequam priores exhauriantur, & sic deinceps; vel,

Vice hujus Cerevisiæ seq. mixturæ Cochl. iii. vel iv immisceri poterunt singulis haustibus potus communis.

℞. *Rad. Raphan. Rustican. & sem Cochl. hortens. an. unc. ß. fol. Cochl. hortens. M. ii. pulpam unius Aurant. Contundantur simul in mortar. marm. sensim affundendo vin. alb. lib ß. Coletur cum levi expressio-ne*, & reponatur pro usu.

Eadem remedia, Phlebotomia & Catharsi omissis, in Rheumatismo scorbutico, sive hysterico, valde prosunt.

Tabis Descriptio & Cura.

Plures sunt Tabis species: Prima fere oritur è frigore hyeme contracto. Paulo enim ante solstitium Brumale quamplurimi ab ingruente tempestate frigida, tussi tentantur: Quæ cum illos invaserit quibus pulmones ab ortu sunt infirmiores, omnino necesse est ut à repetitis Tussiendi conatibus magis adhuc debilitentur; atque ita tandem alimento sibi proprio assimilando, præ mala διάκρισις, prorsus impares reddantur. Hinc jam ingens Pituitę crudæ copia aggeritur, quę continua pulmonum agitatione & vehementi usu affatim per os reiicitur. Pulmones exinde pure referti purulenta ἀγμάτα quaquaversum in carnes dispergunt. Hinc enascitur Febris putrida, cujus Paroxysmus sub vesperam fatigat, sub auroram vero sudore copioso ac vires imminuente solvitur. Denique ad malorum cumulum Diarrhœa succedit, partim ab humoribus putridie ex arteriis Mesentericis in intestina depositis excretisque, partim à labefactato pessundatoque viscerum Tono. Atque ita demum æger proxima æstate fato suo fungitur, à morbo, cui prægressa Hyems viam straverat, extinctus. Atque hæc est præcipua Tabis species.

Porro cum sanguis hac tempestate particulis humidie admodum scateat, perspiratioque à subita pororum contractione plus satis inhibeatur, particulæ hæ in pulmones depluunt per interspersos Venæ Arteriosæ ramos; vel per Ductus Salivales in glandulis fauces occupantibus reponuntur; unde jam humor per Asperam Arteriam delapsus in pulmones, Catarrhi ritu, eos ita jugiter irritat, ut creber & vehemens tussiendi conatus, tum illam debilitatem, tum alia quæ diximus symptomata, brevi accersat. Cùmque non jam amplius naturalem sibi pulmones œconomiam statumque tueri valeant, Glandulæ, & Tubercula adnati oriuntur; quę in ęris ex hoc morbo decedentibus, si aspiciantur pulmones, purulenta sanie ut plurimum distenta reperiuntur.

Ubi semel invaluerit hic morbus & radices egerit, remedia plerumque aspernatur. Tentari utcunque potest Medicatio, minuendo causam defluxionis in pulmones, pertusa in Cubito Vena, Catharticis mitioribus, tum medicamentis pectoralibus dictis, ad varios morbi status accommodatis. Incrassantibus sc. ubi humor subtilior & tenuior vim Expultricis facultatis videtur eludere: Attenuantibus vero ubi pituita

ta crassior ægre & cum molestia per os rejicitur. Dein & hectica Febris remediis refrigerantibus contemperantibusque coercenda. Talia sunt *Lac Asinium*, *Aqua Lactis Stillatitia*, *Emulsiones ex Amigd. dulc. Sem. Melon. Pepon. Papav. alb. Aqua Fl. Paralis.* &c. Denique & curando Ulceri opera danda est; cui rei Terebinthina illa Liquida, Opobalsamum vulgo dicta, apprimè conferre censetur.

Hujusce Morbi Curatio, me Judice, hac methodo optimè ac felicissimè instituetur. Primum educatur è braciho sanguis, dein subducatur Alvus ad tres dies continuos, vel *pil Coch majoribus*, vel *Decocto Leniente à nobis præscripto*. Tertia nocte exhibeatur *Sir. de Mec unc.* ß. Intermisso biduo, triduove, pro renata, repetatur Purgatio, idque toties fiat quoties opus esse videatur, donec symptomata vel prorsus evanuerint vel saltem mitescant. Post singulas Catharses jam finitas capiat Opobalsami gutt. *xx.* Sacchari particulæ majori instillatas permixtasque nihil superbibendo. Vel Pil. è Terebinth. ex Insula Chio cum Saccharo cando confectam Opobalsamum non assumendum est nisi prægressis evacuationibus debitis. Hujus loco *Electuarium e Balsamo Lucatelli, Glicirrh. pulvere, semine Anisi & Terebinthina* concinnatum poterit substitui. Post evacuationes sedulo, conandum est ut Tussi sedetur. Pulmones jugi agitatione infirmiores evadant. Huc facit præ cæteris Syrupus jam laudatus, qui hac formula possit usurpari, ♃. *Decoct. pectoral. libr. i. Sir. de Mecon. Sirup. Capill. Ven. an. unc. i. Cap. Cochl. v. ter in die.* Medicamentum hoc ita frequenter haustum catarrhum in Pulmones depluentem paulatim sistet; eosque in pristinam εὐεξίαν reducet nisi jam pridem à naturali statu nimium recesserint. Promovebit insuper purulentię materię in iisdem aggestæ concoctionem.

At verò Palmarium hujusce Morbi præsidium est, ut Æger quotidie Equo vehatur. Et qui se huic corporis exercitio sanandum tradit nullis jam Diætę legibus adstrictus, nullo Cibi potusve genere privandus est: cum in hoc uno omnis rei cardo vertatur. Quibusdam eorum qui ex hac methodo convaluere tumor in collo exortus est non multum à Scrophulis abludens.

Est & alia Tabis species à tussi prognata, longè diverso anni tempore, initio sciliet æstatis. Hæc Juvenes persæpe illos invadit qui debiliori sunt corporis habitu, & quorum sanguis particulis calidis acribusque refertus est. Sanguinem isti è pulmonibus per tussim exantlant, nimio meri potu prius excalefacti. Ægri dolorem sive ægritudinem quandam in pulmonibus persentiscunt. Quæ Symptomata nisi maturè remediis appropriatis eliminentur primo scabrities, mox & ulcus acccedit, unde pus confectum demum exspuitur.

Dicta jam Tabis species venæ sectione & Catharsi bis alternatim repetitis, saltem in principio, facile vincetur: Si Diæta insuper Refrigerante & Incrassante utatur æger & à carnibus in solidum abstineat.

Tertia hujus Morbi Species ortum debet materiæ Febrili in pulmones Febre jam fatiscente, amandatæ; qui sensim infirmiores redditi à symptomatis jam memoratis vexantur.

Quandoque oritur à sanie ista purulenta quæ à Pleuriticis non satis copiose per expectorationem egeritur. Quo in casu eandem quam Empyema, Curationem postulat.

Sunt etiam qui à nimis copiosis, & debito frequentioribus evacuationibus debilitatis in quartam Tabis speciem pręcipitantur. Hoc calor Hecticus à cibo potuque sumpto, sub noctem lacessit: Atque hos præ cæteris Aphthæ infestant.

De podagra.

Exeunte Januario aut incipiente Februario ingruit hora fere secunda matutina, dolore pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram; aut talum, mox sequitur rigor cum horrore & febricitatione aliquali, dolor gradatim intenditur, (de pari passu rigor atque horror recedunt] idque in singulas horas, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit nunc tẽsionem violentam,

tam, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram, & coarctationem exprimens, hinc præ exquisito dolore, nec linteorum super incumbentium pondus nec cubiculi à fortiori ambulatione concussionem ferre Podagricus valeat dolor non sedatur, nisi ante horam secundam tertiamve matutinam (decurso scilicet nycthemeri spatio à primo appulsu] & jam leni madore perfusus æger somno concedit à quo evigilans dolore multum imminuto partem affectam tumore recenter occupatam cernit. Sequenti die, forte etiam ad biduum, triduumve dolet nonnihil pars affecta idque vehementius ad vesperacescente die, levatur autem sub galli cantu. Intra paucos dies alter Pes eodem dolore torquetur. Postquam utrumque pedem exercuerit dolor qui sequuntur Paroxysmi abnormes sunt; tum quoad tempus invasionis, tum durationem; atque ex series horum paroxysmulorum, constat paroxysmus, qui dicitur Podagræ diuturnior breviorve pro ægri ætate in iis qui vegetiores sunt & quos Podagra rarius invasit, diebus sæpe quatuordecim, in senioribus, atque iis quos sæpius affligit, duobus mensibus fere desinit, iis vero, qui vel annis, vel diuturniore morbi mora fracti sunt non prius valedicit, quam æstas jam adultior eam fugaverit.

Ad quatuordecim Primos dies urina coloratior est, cum sedimento rubro, & quasi arenulis referto, alvus fere constipata est, *Appetitus* prostratio, rigor, totius corporis sub vesperam, integrum paroxysmum comitantur, recedentem Paroxysmum excipit pedis affecti inter digitos pruritus vix ferendus, unde decidunt furfures, & pedes desquamantur.

Hactenus dolor pedibus tantum fuerit infestus, cum verò vel ab indebita medicatione turbatur Podagra, vel ob diuturnam morbi pertinaciam corporis substantia quasi in morbi fomitem pervertitur, jam manus, carpos, cubitos, genua, aliasque regiones occupat, quandoque unum, pluresve digitos distorquens, fasciculo radicum pastinacæ similes eos reddit, motu paulatim privans, tandemque concretiones, circa articulorum ligamenta, tophaceas generans, ceram, vel oculos cancrorum æmulantes, nonnunquam in cubitis minorem subalbum ciet, ferè ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur cum rubore, nonnunquam femur occupans, sensum exhibet quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili, at genu exinde petens, id acrius urget, artus jam habet æger fere undequaque contractos, & impeditos, ita ut claudicet, & permoleste prorepit. Urina illam colore imitatur, quæ in diabete excernitur, dorsum, aliæque partes molestè pruriunt, maxime sub horam somni.

Post multos; dirosque cruciatus Paroxysmi subsequentes (natura partim onere materiæ peccantis partim senio oppressa) ægrum quoad dolorem clementius tractant, at loco doloris consueti, ægritudo quædam cum dolore ventris lassitudo spontanea, quandoque etiam propensio ad diarrhœam superveniunt, quæ symptomata evanescunt, quoties articulos dolor fatigat, atque ita nunc dolore, nunc ægritudine, quasi alternatim lacessentibus, Paroxysmus longas moras nectit.

Calculum Renum in quamplurimis parit hic affectus.

Fœminas perraro infestat; easque, non nisi jam vetulas, & viragines, pueros quoque, & juvenibus minores vix adoritur.

Indicatio Curativa in eo vertitur, ut coctioni consulatur, indigestionibus sublatis, seu sit per Pharmaca, seu victus rationem, seu exercitationem, seu alias ex istis quæ sex res non naturales indigitantur.

Venæ sectio, Catharsis, ac Diaphoresis scopum non attingent, licè iis qui *Renum* simul *Calculo*, & exinde orto *Mictu sanguineo* laborant, non abs re erit semel in septimana, alvum *Manna* subdure, & singulis noctibus, post Purgationem Paregoricum exhibere,

Medicamenta, quæ prædictæ indicationi satis faciunt, ea sunt, quæ moderatè calent, & vel amaricant, vel linguam leniter feriunt, talia sunt, *Rad. Angelic. enulæ*, *fol. Absint. cent. min. cham. chamæp. &c.* quibus addi possunt *Antiscorbuti-*

butica dicta, ut, *Rad. raph. ruſtic. fol. Cochl. hord., naſturt. Aq. &c.* quæ tamen parcius uſurpanda veniunt, quia morbi fomiti aculeos ſubdunt, & calorem augent, præ iſtis aliis, quæ miti calore, atque amaritudine, ventriculum corroborant. Haud inutile eſt *Electuar.* ſequens.

℞. Conſerv. cochl. hort. unc. iß. Abſinth. rom. fluv. Aurant. an. unc. i. Angel. condit. nuc. moſch. cond. an. unc. ß. Theriac. Androm. ʒiii. Pulv. ari comp. ʒii. cum ſ. q. Syr. Aurant. f. Elect. de quo ſumat ʒii, bis in die ſuperbibendo ſeq. Aq. deſtillat. Cochl. v. vel vi.

℞. Rad. raphan. ruſtic. inciſ. unc. iii. Cochl. hort. M. xii. naſturt. Aq. beccabung. ſalv. menth. an. M. iv. cort. aurant. N. vi. nuc. moſch. cont. N. ii. cerev. Brunſvicenſ. ℔xii. deſtillentur organis communibus, donec ſolummodo *libr. vi.* aquæ elician-tur pro uſu.

Hæc autem remedia *digeſtiva*, conſtanter, atque omni adhibita diligentia, aſſidue uſurpanda, & in *paroxyſmorum* intervallis præcipuo in uſum revocanda ſunt.

Mediocritas ea in cibo obſervanda eſt, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat, neque è contra nimia adſtinentia, partes ea proportione alimenti defraudendtur, quæ earundem robur & vigorem ſuſtinere potis eſt. Quoad qualitatem autem ciborum, ægri palato conſulendum eſt, & unica ciborum ſpecie ſingulis paſtibus veſcatur, de cæteris, dempta carne, pro libitu comedat, modo nec acria, nec ſale condita ſint, nec aromatia. Prandere tantum expedit, loco autem cœnæ indulgeat ſibi, hauſtum cereviſiæ alicujus tenuioris, quo calculi concretio impediatur.

Liquores optimi ſunt, qui neque ad vini generoſitatem aſcendunt, nec ad aquę debilitatem, ne frigore ſuo lædant ventriculum deprimuntur. Hujuſmodi eſt *Cereviſia tenuis Londinenſi* at multa aqua, cum pauco vino permixta, aqua autem pura & cruda & periculoſa eſt, cum autem univerſa ferrè corporis ſubſtantia, in podagram degeneraverit, à liquore quocunq; fermentato quantumvis levi, & tenui abſtineat, & utatur *Decoct. Diæteti. co ex Sarſa, in remediorum formulis deſcripta*, ubi primum à paroxyſmo convaluerit, per reliquum vitæ curſum.

Sin autem æger à longo, & nimio liquorum inebriantium uſu, vel ab ætate provectiore, vel denique præ nimia debilitate; cibos abſque vino nequeat concoquere, in paſtibus hauſtum vini Hiſpanici ſibi indulgeat, *Apozema Diæteticum* abdicans.

Æger maxime hyemis tempore, mature lectum petat, diluculo exſurgat, animus ſit tranquillus, nec nimis intentus ſtudiis, & rebus ſeriis, cæteris vero omnibus, exercitatio corporis quotidiana, facile palmam præripit, quæ moderata, ſit, & perſeverans, nullo autem modo juſto vehementior; quod exercitii genus, quoties nec grandior ætas nec calculus intercedant, relictis præferenda eſt equitatio conſtans, ac aſſidua in aere ſalubri, aut vectio in curru.

Veneris lenociniis ne indulgeat. Remedia externa nulla adhibenda.

Quamvis nihil magni in paroxyſmo tentandum ſit, conducet tamen fortaſſe per aliquot dies, ubi primum à morbo corripitur à carnibus abſtinere juſculo uti avenaceo, aut alio pari alimento; ſin autem ſpiritus animales ataxiam concipere apti ſunt, non expedit à carnibus abſtinere diutius quam ventriculus earum uſum averſetur ne quid autem vel in quantitate, vel in qualitate, ciborum aut potus peccet.

Symptomatis iis occurrendum eſt, à quibus æger in paroxyſmo de vita periclitatur, horum maxime familiare eſt, ventriculi languor, cum ventris torminibus tanquam à flatu, hoc in caſu, nihil æque votis reſpondet, ac vini Canarienſis hauſtulus ſubinde deglutitus, exercitio utatur æger; ſin autem ſymptoma, inducias haud ferens, mortem minitetur, modo caput malum non impetat, ad *Laudan.* ſtatim confugiendum *viz. gutt. xx.* in hauſtulo *Aq. Epidem.* & in lecto ad quietem ſe componat, hac ipſa methodo ſe ab imminenti morte liberavit autor clariſſimus. ubi ex errore aliquo, circa res ſex non naturales, in ingentem ventriculi ægritudi-

di-

dinem incidit, cum vomituritione, aliquali ventris dolore artus interim, ex retro cessione materiæ Podagricæ doloris erant expertes, ac ad motum plus solito habiles, Congium nempe unum liquoris possetici, vel cereviſiæ tenuis devorabat, & quamprimum totum per vomitum rejecerit, Vini Canar. hauſtulum, cui inſtillatæ fuerint *Laudan. liq. gutt. xviii.* ſumebat, quod ſi huic remedio ſymptoma non cedat, ſudor provocetur, methodo & medicamentis huic uſui dicatis ad biduum; triduumve, mane & veſperi per duas treſve horas.

Si autem metaſtaſis fuerit materiæ peccantis in Pulmonum lobos; liberatis artubus à dolore, & tumore, tractandum eſt hoc ſymptoma, pari modo ac Peripneumonia abſoluta, venæ-ſectione ſcilicet repetita, diæta, remediis, refrigerantibus, & incraſſantibus, purgandus eſt inſuper æger, inter venæ-ſectiones, potionibus lenientibus, ſudoris autem provocatio obeſt.

FINIS.